M. HENRICI GOETHALS A GANDAVO

DOCTORIS SOLEMNIS,

SOCII SORBONICI,

ORDINIS SERVORVM B. M. V.

ET ARCHID. TORNACENSIS.

AVREA

QVODLIBETA.

TOMVS SECVNDVS.

Hac poſtrema editione

COMMENTARIIS

DOCTISSIMIS ILLVSTRATA

M. VITALIS ZVCCOLII PATAVINI

ORDINIS CAMALDVLENSIS

Theologi Clariſsimi,

Cum Indicibus quinque, Quæſtionum, Auctorum nominum, locorum Sacræ Scripturæ, rerumq; omnium inſignium tàm ex TEXTV, quàm ex COMMENTARIIS non concinnè minus, quàm methodicè congeſtis.

CVM PRIVILEGIIS, ET SVPERIORVM LICENTIA.



VENETIIS, Apud Iacobum de Franciſcis. M DC XIII.

GOETHALS

INDEX QVAESTIONVM QVODLIBETICARVM MAGISTRI HENRICI A GANDAVO

qua serie ab eo disputatæ sunt

TOMI SECVNDI.

1 VTRVM in Deo sint ideę practicæ. 1

2 Vtrum difformitas scibilium circa creaturas arguat aliquam difformitatem in scientia Dei.

3 Vtrum aliquis posset agere quod impossibile est fieri. 7

4 Vtrum effectus contingens posset fieri immediatè a Deo. 8

5 Vtrum duobus æqualiter se habentibus ad receptionem gratiæ, Deus eis semper gratiam æqualiter conferat? 9

6 Vtrum productio creaturarum a Deo possit demonstrari. 15

7 Vtrum in anima Christi gaudium fruitionis simul fuit cum tristitia. 16

8 Vtrum in perfectionibus essentialibus creaturarũ sit status in accipiendo speciem creaturæ perfectissimam, supra quam non sit accipere aliam perfectionem. 17

9 Vtrum aliqua creatura seipsa sit formaliter necesse esse. 19

10 Vtrum homo, vel Angelus quo ad statum innocentiæ possit habere primum actum malum. 27

11 Vtrum damnati possint reuerti ad bonum. 30

12 Vtrum intellectus agens intelligat. 32

13 Vtrum intellectus noster possibilis intelligat phantasmata. 33

14 Vtrum aliquis articulus fidei possit demonstrari. 33

15 Vtrum appetitus rationalis possit diuidi in irascibilem, & concupiscibilem. 36

16 Vtrum Religiosus proponens facere maius bonum deberet illud dimittere faciendo minus bonum propter præceptum sui superioris. 39

17 Quid magis est proficuum & vtile, an prosequi negotium crucis secundum consilium ecclesiæ, an ingredi, & stare proficiendo in Religione. 39

18 Vtrum opera facta in charitate minore, tantũ diminuant de pœna debita peccatis, quantum eadẽ vel æqualia facta in charitate maiore. 40

19 Vtrum pœna satisfactoria iniuncta a Sacerdote discreto, uel a iure taxata, sufficiat pro tota pœna peccatis debita in purgatorio, de quibus confessus est, & pro quibus iniuncta est. 41

20 Vtrum si mulier quæ genuit prolem in fornicatione videat adultum bene conuersari, possit simul velle habere illum filium, & detestari actum fornicarium quo illum genuit. 43

21 Vtrum accipiens tonsuram clericalem ab alieno Episcopo in excommunicatione, debeat post absolutionem iterum tonsurari. 43

22 Vtrum res præscripta in bona fide, cum notum fuerit de mala fide tenens eam teneatur statim restituere illam ei, ad quem aliàs de iure debet pertinere. 44

23 Vtrum non potens continere, nitens tamen continere, si voueat se intraturum religionem, quam

summè detestatur, si amplius recidiuet, & contingat, quòd recidiuet, teneatur intrare illam religionem. 46
24 *Vtrum liceat emere redditus perpetuos.* 46
25 *Vtrum peccet non gaudens de bono opere alterius.* 47
26 *Vtrum pro delicto Principis possint subditi iustè puniri, occisione, captione, & bonorum suorum temporalium vastatione, & deprædatione* 47
27 *Vtrum liceat prælatis superflua retinere* 48
28 *Si habens potestatem absoluendi limitatam, absoluat de alijs, & postmodum à superiori, qui super illis habet absoluendi potestatem, petat ratihabitionem, vtrum ratihabitio obtenta sufficiat.* 50
29 *Vtrum Abbas Monachum suum constitutum in cura Parochiali, si per confessionem eius sciuerit eum esse corruptorem Parochianarum, suarum teneatur reuocare eum ad Abbatiam suam, & amouere a cura* 51
30 *Vter duorum fratrum vterinorum, quorum vnus genitus est ex matrimonio præcedente, tamen clandestino alter verò genitus est ex matrimonio sequente præsumpto, solemniter tamen facto in facie ecclesiæ, legitimus est ad curam animarum suscipiendam, si ambo sint sacerdotes* 51
31 *Si aliquis in confessione dixerit se alterum quem nominauit, occisurum, & quòd vellet non habere voluntatem occidendi, vtrum sacerdos cui cõfitetur, poterit dicere illi, cuius minatus est, caueas tibi, quidam minatur tibi necem* 52
32 *Vtrum locus inferni sit centrum terræ* 52
33 *Vtrum species in medio accipit numerum a subiecto, an ab obiecto* 53
34 *Vtrum ignis corporalis veram passionem possit agere in spiritum* 54
35 *Vtrum aliquis lapis posset sua virtute fugare dæmones* 55
36 *Vtrum de speciebus sacramenti possit generari vermis* 55
37 *Vtrum ignis possit frigefieri.* 56

QVODLIBETI NONI QVAEST. XXXII.

1 *VTrum omnis relatio inter Deum, & creaturam sit, quia ipsa creatura refertur ad Deũ, & non è conuerso.* 58
2 *Vtrum Deus potuisset plures creaturas secundum species produxisse, si non esset in ipso pluralitas idearum* 64
3 *Vtrum circumscripta re sui fundamẽti relatio possit signari per nomen primæ impositionis* 68
4 *Vtrum scientia sit aliquid compositum in intellectu* 76
5 *Vtrum voluntas moueat seipsam* 78
6 *Vtrum imperare sit actus voluntatis, an rationis, siue intellectus* 86
7 *Vtrum æuum sit substantia an accidens* 89
8 *Vtrum dicendo, hoc est corpus meum, tenet ecclesia secundum vsum & dicta sanctorũ, quod fiat conuersio panis in substãtiam animæ rationalis secundum quod dat esse corporeum an in solam materiam, vt habet partes suas extẽsas sub partibus dimensionũ, an in aliquid compositum ex materia, & forma alia præter animã intelle.* 90
9 *Vtrum mataria panis maneat in Sacramento Altaris post conuersionem.* 96
10 *Vtrum hæc sit forma verborum in conuersione vini in sanguinem. Hic est calix &c.* 99
11 *Vtrum cum voto virginitatis simpliciter stet verum, & perfectum matrimonium.* 100
12 *Vtrum, qui sepeliuit in sua Ecclesia partem corporis illius, qui elegit alibi sepulturã corporis sui simpliciter, teneatur partẽ illam restituere, & illi, apud quos fuit sepultura pro corpore simpliciter electa, teneantur illam repetere* 104
13 *Vtrum gratia, & gloria sint idem.* 106
14 *Vtrum ex fundamentis Aristotelis possit ostendi, quòd intellectus in omnibus sit unus numero an contrarium possit demonstrari.* 108
15 *Vtrum in nobis sit aliquod intelligere abditum, q sit absque phantasmate.* 110
16 *Vtrum dos impassibilitatis sit dispositio positiua in corpore.* 112
17 *Vtrum suppositis fundamentis Philosophi, sit necesse ponere, quod semper fuerit homo, & homo ab homine ex parte ante in infinitum.* 115
18 *Vtrum nobilitas generis ab initio processerit ab ignobili.* 117
19 *Vtrum bonum proprium sit magis procurandum, quam commune.* 118
20 *Vtrum largitio eleemosynæ pro defuncto in gratia ambobus scilicet dante eleemosynam, & recipiẽte eam, existentibus in peccato mortali proficiat defuncto illi pro quo fit.* 119
21 *Vtrum scandalizans in verbo otioso peccet mortaliter.* 119
22 *Vtrum potestas Episcoporum sit a Christo immediatè an mediante Papa.* 120
23 *Vtrum sacerdos habens competens beneficium, possit alij deseruire pro lucro temporali* 121
24 *Vtrum Sacerdos Curatus possit absoluere parochianam suam cum qua peccauit, nec illa possit ad alium ire causa confessionis sine eius licentia obtenta.* 121
25 *Vtrum Index secularis posset cogere reum ad confitendum aliquid ad quod sequitur mors corporalis.* 122
26 *Vtrum condemnatus morti licitè possit abire si tẽpus, & locum habeat.* 123

27 *Vtrum Religiosus subditus, qui recepit à quodam aliquid in secretò non vergens in damnum cuiusquam, teneatur illud reuelare Prælato suo petenti, vt sibi reueletur.* 124

28 *Vtrum Religiosus subditus sciens secretò, & solus confratrem suum subditum peccato mortali peccasse, peccet reuelando illud Prælato suo ante secretam admonitionem.* 124

29 *Vtrum Religiosus iam professus de facto, qui iuuenis ante religionis ingressum, & ante omnem obligationem ad illam, mulierem assidauit. seu subarrauit. inflammatus amore venereo erga ipsam, subsecuta carnali copula, in qua non habuit intentionem recedendi à sponsalibus, non tamen credit se consensisse in contractū matrimonij de præsenti, vtrum inquàm talis possit manere in religione custodiendo votum suum, an oporteat ipsum reuerti ad sæculum, & illam ducere solemniter, & vt vxorem pertractare.* 126

Vtrum beneficia Ecclesiastica legitimè conferantur pueris scientia, vel ætate. 30 126

Vtrum Clerici teneantur ad exactiones, quas laici soluunt ciuitatibus, & Dominis temporalibus. folio 31 127

Vtrum per miraculum, idem corpus possit esse in diuersis locis simul & in eodem tempore. 32 128

QVODLIBETI DECIMI QVAEST. XVII.

1 *VTrum error sit dicere, quòd verè pœnitens, & confessus rit è absolutus ab eo, qui potest eum absoluere de gratia, & ex priuilegio speciali, teneatur eadem peccata iam illi confessa, iteratò confiteri illi, cui tenetur confiteri de iure communi, ex illo statuto generali. extra de pœnitent. & remiss. Omnis vtriusque sexus.* 131

2 *Vtrum ex commissione generali qua conceditur aliquibus ex priuilegio, & de gratia posse audire confessiones, & absoluere à peccatis simpliciter, concedatur potestas absoluendi à maioribus crimi nibus reseruatis Episcopis.* 137

3 *Vtrum adultos, qui ad annos discretionis peruenerūt, non confessos semel in anno omnia peccata sua proprio Sacerdoti alids eidē non confessa, debeant ipsi Prælati Ecclesiarum viuētes ab ingressu Ecclesiæ arcere, & morientes priuare ecclesiastica sepultura, &c.* 139

4 *Vtrum expediat subditis eligere sibi confessores cōmuniter, & regulariter pro voluntate sua.* 139

5 *Vtrum corpus Christi viuum, & corpus Petri viuum sint idem specie.* 141

6 *Vtrum corpus Petri mortuum sit aliqua adoratione adyotandum.* 149

7 *Vtrum ponens essentiam creaturæ esse idem re cum suo esse, potest saluare creationem.* 152

8 *Vtrum accidentis existentis in subiecto sit aliud esse existentiæ, quàm sit esse existentiæ sui subiecti.* 160

9 *Vtrum subiectum per se possit esse causa sufficiēs sui accidentis.* 164

10 *Vtrum appetitus sensitiuus potest mouere voluntatem ad consentiendum alicui, nulla de hoc existente notitia in intellectu.* 170

11 *Vtrum possibile sit homini, quòd assentiat propositioni, cuius contrarium sibi apparet per rationem.* 174

12 *Vtrum amicitia sit virtus.* 175

13 *Vtrum ratione dictante aliquid faciendum pro aliqua hora voluntas possit illud pro eadē non velle.* 175

14 *Vtrum operatio voluntatis sit finaliter propter operationem intellectus, an è conuersò.* 176

15 *Vtrum magis iuuatur voluntas volito, an intellectus intellecto.* 177

16 *Vtrum Doctor, siue Magister determinans quæstiones siue exponens scripturas publicè, peccet mortaliter non explicando veritatem, quam nouit.* 178

17 *Vtrum liceat oppressos reprimere iniuriam suam per potentiam Principum.* 179

QVODLIBETI VNDECIMI QVAEST. XXX.

1 *VTrum Deus possit facere sub vna specie specialissima Angeli aliquem alium Angelū æqualem in natura, & essentia cum Angelo iam sub illa facto.* 180

2 *Vtrum Deus possit facere aliquid quod non decet, siue quod non deceret illum facere.* 182

3 *Vtrum in compositio ex materia & forma educibili de potentia materiæ creato, principalius creetur materia, an forma.* 183

4 *Vtrum aliqua creatura possit transubstantiari in Deitatem, putà panis in substantiam Deitatis Christi, sicut transubstantiatur in substantiam corporis Christi.* 193

5 *Vtrum agens operationes vitales cognitiuas quales sunt visio, auditio, & vniuersaliter sēsatio ex parte sensus, & intellectio ex parte intellectus, sit extra sentientem, & intelligentem, an intra, folio* 194

6 *Vtrum aliquid potest reducere seipsum de potentia ad actum.* 197

7 *Vtrum in substantia intellectuali creata possit esse virtus vna actiua, quæ posset in contraria. folio* 203

8 *Vtrum verus dolor sit ex sola immutatione per apprehensionem, an ex alia immutatione reali. folio* 205

INDEX

9 *Vtrum ratio formalis ipsius doloris sit in vi apprehensiua, an in vi appetitiua.* 209
10 *Vtrum Angelus possit assumere naturam humanam in sua personalitate.* 211
11 *Vtrum vnum sit æuum omnium æiternorum.* 211
12 *Vtrum Angelus potest naturaliter videre corpus Christi sub Sacramento Altaris.* 215
13 *Vtrum in dæmonibus cadat obliuio.* 215
14 *Vtrum anima separata nõ impedita suo corpori omninò dispositò propria virtute posset reuniri.* 216
15 *Vtrum cessatio motus cæli post iudicium erit causa incorruptionis corporum damnatorum.* 217
19 *Vtrum patri infideli in necessitate sua potius est subueniendum quàm extraneo fideli.* 220
17 *Vtrum laici publica tenentes officia vexantes parentes clericorum, quia ipsi clerici nolunt eis obedire, sint excommunicati.* 221
18 *Vtrum in lege noua liceat iudicem secularem occidere quenquam pro solo furto.* 221
19 *Vtrum qui vouit intrare religionem strictiorem liberatus est intrando laxiorem.* 222
20 *Vtrum de religione priuilegiata, quòd fratres illius non possunt transire ad aliam religionem æqualis arctitudinis, aut minoris fratres alterius religionis quæ non præsumitur esse maioris arctitudinis, sed potius minoris, possint recipere ad suam religionem fratrem professum in illa religione sic priuilegiata.* 223
21 *Vtrum si à Principe concessum sit quibusdam religiosis accipere pedagium quoddam licitum & iustum vsque ad primam alicuius diei certæ futuræ, & vt ex tunc recipiant illud canonici loci, canonici autem illa die adueniente pulsari faciant primam in aurora extra horam consuetam, religiosi illi debeant amittere pedagium prouenturum vsque ad horam primæ consuetam.* 223
22 *Vtrum exponens priuilegium Apostolicum contra planum & expressum sensum verborum sit commendandus vt exhibitor reuerentiæ Domino Papæ, Cardinalibus, & curiæ Romanæ.* 224
23 *Vtrum obligatus ad audiendam subditorum suorum confessionem & aliorum sacramentorum ministrationem, si relaxetur ab obligatione prima, æqualiter maneat obligatus ad secundam obligationem.* folio 225
24 *Vtrum si confessus peccata, quæ dicit se habere, recipiat pœnitentiam satisfactoriam pro illis ex confessoris iniunctione, & reuersus sequenti die in confessione alia dicat eidem confessori, quòd in præcedenti confessione fuit omninò mentitus, & confiteatur alia cum illo mendacio, pro quibus petit sibi iniungi pœnitentiam salutarem, vtrum debeat priorem reuocare, & aliam pœnitentiam eidem iniungere.* 226
25 *Vtrum clericus non existens in sacris ordinibus assumens habitum confessoris, si audiat sic alicuius confessionem, fingens se esse sacerdotem & confessorem, qua audita dicit se delusisse confitentem & deridet eum, sit suspensus ita vt non possit de cætero ad sacros ordines promoueri.* 226
26 *Vtrum confessus habens rem alienam, quam iusto metu non audet restituere cui est restituenda, si committat eam confessori suo, vt eam restituat, cõfessor autem eam non restituit, sit absolutus a debito illius rei.* 227
27 *Vtrum is qui ex priuilegio prædicat maior sit & verius pater, quam qui ex iurisdictione ordinaria.* folio 227
28 *Vtrum excommunicatus ab ordinario loci, quia publicè restitit vera prædicanti, si postmodum celebret, sit irregularis.* 232
29 *Vtrum clericus beneficiatus & religiosus mortaliter peccet non dicendo horas canonicas.* 235
30 *Vtrum omnes tales teneantur dicere aut audire quotidie Missam.* 234

QVODLIBETI DVODECIMI QVAEST. XXXI.

1 *VTrum Deus sub ratione infinita ex parte sui, sit subiectum uel obiectum alicuius scientiæ creatę.* 235

2 *Vtrum in via possit de Deo quid est, vel quod sit trinus clarius sciri quàm per lumen fidei.* 237

3 *Vtrum non habens rationem cogentem ad alteram partem contradictionis, possit illi assentire sine formidine.* 240

4 *Vtrum Deus posset diligi à creatura intellectuali absque eo quòd ab illa aliud diligatur.* 241

5 *Vtrum Deus posset facere quòd intellectus possit videre ipsum, & quod tamen voluntas eum non diligat.* 241

6 *Vtrũ habens meliora naturalia cũ equali charitate & gloria, intensius videbit & diliget Deum.* 242

7 *Vtrum peccatum in creatura intellectuali incorporea secundum augmẽtum procedat in infinitum.* 243

8 *Vtrum cogitationes eiusdem mensurentur mensura composita ex indiuisibilibus.* 244

9 *Vtrum possit pati ab igne absque hoc quòd calefiat.* folio 245

10 *Vtrum sola anima intellectiua possit esse forma substantialis in homine.* 246

11 *Vtrum corpus hominis damnati in inferno possit simul esse summe calidum & frigidum.* 248

12 *Vtrum Christus si fuisset mortuus senio, fuisset secundum corpus putrefactus.* 249

13 *Vtrum non sperans vitam futuram, debeat secundum rectam rationem eligere mori pro rep.* 249

14 *Vtrum prudentia possit generari sine generatione virtutis moralis.* 251

15 *Vtrum Episcopus possit subditis suis pro criminibus infligere pœnam pecuniariam conuertendam in vsum proprium, vel pauperũ, vel Ecclesię* 252

16 *Vtrum scholasticè docens falsum ex sinistra affectione motus, peccet mortaliter.* 254

17 *Vtrum monachus regulæ sancti Benedicti scholaris petens per literas ab aliquo officialium monasterij sui pecuniam, ex indigentia ad opus studij sui, peccet mortaliter, & similiter is qui ipsam illi mittit.* 255

18 *Vtrum is ad cuius manus tales literę petitorię veniunt, si eas aperiat & legat, Abbatique suo eas ostendat, peccet mortaliter.* 255

19 *Vtrum excommunicatus sit qui legit aliquid de libro interdicto sub pœna excommunicationis.* 255

20 *Vtrum debens facere aliquid ex vna causa, liberet se faciendo illud ex alia.* 256

21 *Vtrum alicui licèt dare Ecclesiæ certam pecuniam ad emendum terras, vel ad opus faciendum, vt recipiat partem ad vitam suam.* 258

22 *Vtrum intelligere practicum posset absolui ab intentione operis.* 259

23 *Vtrum aliquis scienter ex bono actu posset se reddere impotentem ad impletionem diuini præcepti.* folio 260

24 *Vtrum in peccato omissionis secundum quod distinguitur contra peccatum commissionis, requiratur aliquis actus positiuus.* 261

25 *Vtrum aliquis error facti vel iuris excuset peccatum.* 262

26 *Vtrum voluntas possit actuari, & tamen non determinari ab illo à quo actuatur.* 263

27 *Vtrum sufficiat ad libertatem arbitrij quod potuit impedire ne actuaretur ab alio de necessitate.* 267

28 *Vtrum opera vitæ actiuæ sint præferenda operibus uitæ contemplatiuæ.* 268

29 *Vtrum status Prælatorum maior sit & perfectior quàm status religiosorum.* 273

30 *Vtrum excommunicatus pro contemptu vero ab officiali non sacerdote, post absolutionem ab eodem in forma Ecclesiæ ab excommunicatione, teneatur petere absolutionem pro contemptu a suo Sacerdote.* 282

31 *Vtrum confessus priuilegiato tenetur eadem confiteri curato suo &c.* 283

QVODLIBETI XIII. QVAEST. XVII.

1 *VTrum Deus possit videri à beato sub ratione veri sic quòd non sub ratione boni.* 290

2 *Vtrum Deus plus possit diligi quàm cognosci.* 292

3 *Vtrum Deus possit facere corpus aliquod extra cælum quod non tangat cœlum.* 294

4 *Vtrum Deus potuit facere quod anima Christi in triduo fuisset separata à corpore in sepulchro & coniuncta illi consecrato in pyxide si fuisset consecratum.* 294

5 *Vtrum verbum Dei potuit assumere substantiam non intellectualem in vnitatem suppositi.* 295

6 *Vtrum Angelus moueat corpus immediatius per intellectum an per voluntatem, supposito quòd per vtrunque moueat ipsum.* 298

7 *Vtrum duobus instantibus existentibus in tempore Angeli respondeat vnicum temporis nostri.* 299

8 *Vtrum intellectus agens pertineat ad imaginem in homine.* 300

9 *Vtrum primum & per se obiectum voluntatis sit bonum sub ratione boni simpliciter, an sub ratione conuenientis.* 302

10 *Vtrum actus volitionis moralis speciem moris sortiatur ab obiecto, an à voluntate.* 303

11 *Vtrum ad eliciendum actum volitionis sufficiat sola obiecti ostensio, an cum hoc requiratur aliqua influentia vel affectio.* 308

12 *Vtrum beatitudo perficiat principaliter & primò potentiam animæ an essentiam.* 316

13 Vtrum aliquis adultus possit esse nec in statu salutis nec in statu damnationis. folio 317
14 Vtrum aliquod opus bonum sine voto possit esse melius quàm castitas sub voto. 318
15 Vtrum ingressus religionem ex voto, & expertus quòd possit onera illius portare, teneatur profiteri. folio 325
16 Vtrum curatus possit aliquid accipere à Iudæis pro iure Parochiæ in qua manent. 328
17 Vtrum maioris perfectionis sit viuere de labore manuum, an de Euangelio, an vero de mendicitate. 329

QVODLIBETI XIIII. QVAEST. XVII.

1 VTrum agens secundarium agens in virtute primi agentis, habeat in se virtutem illius manentem. 335
2 Vtrum in creaturis vnum & idem secundum rem possit esse fundamentum plurium relationum realium. 339
3 Vtrum forma separata, putà color aut albedo, habeat omnem rationem illorum, quæ sub sua specie habent participari in subiecto. 344
4 Vtrum intellectus beatus possit proficere in cognitorum multitudine absque hoc quod proficiat in cognitione diuinæ essentiæ. 345
5 Vtrum intellectus & voluntas sint æquè liberi supponendo quòd ambo sint liberi. 346
6 Vtrum esse quidditatiuum sit ab intellectu possibili per actum intelligendi. 350
7 Vtrum soli 12. Apostoli cum Christo in die iudicij iudicabunt mundum. 351
8 Vtrum quisque subditus teneatur seruare statuta, licèt non sit euidens quòd ad communem vtilitatem expediant. 352
9 Vtrum interdicta generalia in prouincijs, ciuitatibus, aut Ecclesijs sint licita. 353
10 Vtrum subditus cognoscens, quòd Prælatus suus ex rancore se punire intendit, debeat ei obedire. folio 353
11 Vtrum is, cui sufficienter prouisum est vnde secundum statum suum possit sustentari, teneatur receptum in eleemosynam titulo paupertatis, restituere. 354
12 Vtrum Doctores Ecclesiæ deberent facere conscientiam de peccato eo quòd non laborant ad conuersionem infidelium. 356
13 Vtrum pupilli à tutoribus custodientibus bona sua, possint aliquid absque peccato recipere vltra sortem. 357
14 Vtrum liceat vendere rem aliquam plus debito propter indigentiam ementis. 357
15 Vtrum Iudæus pungens hostiam consecratam si viso sanguine conuertatur & baptizetur, debeat puniri pro crimine illo a iustitia. 358
16 Vtrum religiosus grauius peccans minus puniendus sit, quàm secularis minus grauiter peccans. folio 360
17 Vtrum multitudo populi defendens prauam consuetudinem suam antiquam, putà tenendi forum publicum in cœmiterio hora missæ, sit propter hoc puniendа. 364

QVODLIBETI XV. QVAEST. XVI.

1 VTrum Deus possit facere vt vacuum sit. 365
2 Vtrum Christus ascendit super omnes cœlos. folio 367
3 Vtrum omnis actio Christi humana fuerit super naturalis. 368
4 Vtrum operatio, qua conuertebatur cibus in Corpus Christi, erat naturalis. 369
5 Vtrum relatio habeat debilius esse cæteris prædicamentis. 369
6 Vtrum sit possibile ponere plures & diuersas formas accidentales differentes solo numero simul in eodem subiecto indiuisibiliter. 371
7 Vtrum aliquod agens creatum in agendo possit attingere substantiam primæ materiæ. 372
8 Vtrum operatio intelligendi, qua Angelus aut mens humana intelligit se, differat ab eis. 373
9 Vtrum intellectio, qua Angelus aut mens humana intelligit se sit ipsi essentialior quam illa, qua intelligit Deum. 375
10 Anima gloriosa vtrum resumpto corpore glorioso possit videre corpus sensibile absque sensu medio. folio 376
11 Vtrum homo generatus ex viro & muliere, si fuisset assumptus à verbo Dei in vnitate suppositi, fuisset filius viri. 377
12 Vtrum horas canonicas propter studia omittens intendens postea dicere peccet mortaliter. 378
13 Vtrum Conceptio Beatæ Virginis sit celebranda ratione Conceptionis. 380
14 Vtrum indulgentiæ tantùm valeant quantùm sonant. 387
15 Vtrum liceat disputare de potestate prælatorum à magistris in scholis. 393
16 Vtrum miles si prælolando consortes suos in exercitum hostium cadat, faciat opus magnanimitatis. 394

Finis Quæstionum Quindecim Quodlibetorum.

MAGISTRI HENRICI A GANDAVO

DOCTORIS CELEBERRIMI

QVAESTIONES QVODLIBETALES

Cum Commentarijs, seu Adnotationibus R.P.D. Vitalis Zuccolij Abbatis Ordinis Camaldulensis Theologi Clarissimi.

Quodlibet. Octauum continens Quæstiones trigintaseptem.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum in Deo sint ideæ practicæ.

IN disputatione nostra de Quolibet octaua quærebantur trigintaseptem. Aliqua sine argumentis. Et proponebantur quædam de Deo in comparatione ad creaturas. Quædam verò de creaturis in comparatione ad Deum. Quædam verò de creaturis secundú se.

Arg prin. *Primum.* Circa primum quærebantur quatuor respicientia esse naturę in creaturis. Vnum vero respiciens esse gratiæ. Quorum primum erat: vtrum in Deo sint ideę practicę. Secundum: vtrum difformitas scibilium circa creaturas arguat aliquam difformitatem in scientia Dei. Tertium: vtrum aliquis possit agere quod impossibile est fieri. Quartum: vtrum effectus contingens possit fieri immediatè à Deo. Quintum: vtrum duobus æqualiter se habentibus ad receptionem gratię, Deus eis æqualiter conferat.

Circa primum arguebatur, ꝙ in Deo sint ideæ practicæ.

Primò sic. actus voluntatis secundum August. de Trinit. 10. prę supponit actum intellectus. Sed actus voluntatis circa speculabilia præsupponit in intellectu ideas speculatiuas. ergo &c. circa operabilia ideas practicas.

Secũdum. Secundò sic. August. dicit de Trinit. lib. 6. c. 10. ꝙ verbum est ars omnipotentis Dei plena omnium rationum viuentium, sed rationes viuentes in arte non sunt nisi ideę practicæ, quia ars ad praxim pertinet. ergo &c.

In oppos. Contra. ratio siue intellectus diuinus non est ex se ad opposita, sed de necessitate immutabilitatis intelligit quæcunque intelligit. Si ergo practicus esset, & intelligeret per ideas practicas, cum intellectus practici est determinare voluntati agenda, de necessitate ergo ei determinaret agenda. Tunc ergo aut voluntas sequitur de necessitate intellectum agendo, quæ intellectus agenda determinauit, sic voluntas de necessitate ageret quę-

cunque agit circa creaturas, aut non ſequitur, ſic ei contrariatur, quæ falſa ſunt in Deo, ergo &cæt. Propter iſtam quæſtionem, & ſequentem oportet hic videre in ſumma, quomodo Deus cognoſcat ſe & alia à ſe. Reſol. q. Eſt igitur ſciendum, ꝙ omne cognoſcens aliquid, ex hoc cognoſcit illud, ꝙ eſt quodãmodo ipſum cognitum. Propter quod dicit Philoſophus in 3. de anima, ꝙ intellectus ſecundum actum eſt omnia intelligibilia, ſenſus verò omnia ſenſibilia. Cognoſcens autem habet eſſe ipſum cognitum dupliciter. Vno modo per informationẽ, Alio modo per eſſentiam. Primo modo omne cognoſcens alia à ſe, vt per ſe obiectum, eſt ipſum cognitum, inquantum. ſ. cognitione, vt ſua ſpecie informat ipſum cognoſcentem. per hoc enim habet eſſe quodammodo ipſum cognitum, & ſic cognoſcit omnis intellectus creatus alia à ſe, & etiam ſeipſum, quia non cognoſcit ſe, niſi ſicut alia à ſe, vt aliàs ſæpè declarauimus. Secundo autem modo ſolus Deus cognoſcit ſe obiectiuè, quia. ſ. eſt idem ſibi, & omninò immaterialis, & ſeparatus ab omni limitatione, quæ in alijs impediunt rem eſſe per ſe obiectum intelligibile, primum in materialibus, ſecundum in omnibus indiuiduis creaturis, dicente Auicen. 8. Metaph. Id cuius eſſentia eſt intellectiua, eſt eſſentialiter intellectiua, & ideò eſt purum intellectum. Quod enim prohibet rem intelligi eſt hoc, quod ipſa eſt in materia, & in eius appendicijs, & hoc prohibet, ne ſit intellectiua. Quod igitur liberum eſt à materia, & ab eius appendicijs, certificatum eſt habere eſſe ſeparatum, & illud eſt intellectiuum per ſe, & quia eſt intellectiuum per ſe, eſt etiam intellectum per ſe, eſt etiam intellectum à ſe. Et propter primum eſſentia diuina eſt quoddam intelligibile ab ipſo diuino intellectu, vt intelligat ſeipſum. Propter ſecundum verò intelligendo ſe intelligit omnia alia à ſe. dicente Auicen. in eodem. Quòd ipſe intelligit ſuam eſſentiam, per ſuam eſſentiam intelligit, & quicquid eſt poſt ipſum per hoc intelligit. Hoc igitur ꝙ intelligit ſuam eſſentiam, cauſa eſt intelligendi id, quod eſt poſt ſuam eſſentiam. Suum igitur intelligere eius, quod eſt poſt ſuam eſſentiam, cauſatum eſt eius, quod eſt ipſum intelligere ſuam eſſentiam, & hoc quia eſt illimitata, quia propter ſuam illimitationem eminenter continet in ſe omnis eſſe, & eſſentiæ limitatæ veritatem, vt non cognoſcat alia à ſe, vt propria obiecta, ſecundum ꝙ alia ſunt à ſe, ſed ſecundum ꝙ in ſe ſunt idem ipſi; aliter enim per huiuſmodi cognita intelligeret informatus ab eis recipiendo ab eis cognitionem in patiendo, & vileſceret ſuus intellectus ſecundum Philoſophum 12. Metaph. dicente etiam Auicen. in eodem Metaph. ſuæ. Non poteſt eſſe, vt neceſſe eſſe intelligat res per res. ſi enim ſic eſſet, tunc eſſentia eius conſtitueretur ex eo quòd intelligeret, & ſic conſtitutio ſua fieret ex ipſis rebus, & eſſet, ꝙ ſi non eſſent res extrinſecæ, nõ eſſet cum hac diſpoſitione, & eſſet ſibi diſpoſitio, quæ non proueniret ſibi ex ſeipſo, ſed ex alio à ſe, & tunc ab alio à ſe fieret impreſſio in ipſum. Et ſic iſta cognitione cognoſcit alia à ſe, neque vniuerſaliter, ſiue in vniuerſali, quemadmodum cognoſcuntur Sor. & Plato in eo ꝙ homines, neque particulariter, ſiue in particulari, cognoſcendo vnumquodque ſecundum rationem ſuæ ſingularitatis, ſed cognoſcitur ipſa vnitè cognoſcendo illa ſecundum ꝙ ſunt vnum in ipſo non diſtincta, neque ab ipſo, neque abinuicem. Sed vt cognoſcendo ſuam eſſentiam cognoſcat illa diſtinctè ſecundum diſtinctionẽ, quam habent inter ſe, oportet, ꝙ cognoſcat ſuam eſſentiam, vt imitabilem ab illis, & ſecundum hoc ſua eſſentia habet rationem ideę, vt idea nihil aliud ſit, quàm ipſa diuina eſſentia ſub ratione reſpectus imitabilitatis, qua alia à ſe nata ſunt eam imitari. Quæ quidem ratio reſpectus, quia non conuenit eſſentiæ ex ratione rei & eſſentiæ, quæ ipſa eſt, niſi virtute præter conſiderationem intellectus circa eam, apprehendentis eam ſub ratione talis habitudinis, idcirco reſpectus ideales in Deo non reales, ſed rationales tantùm ſunt. Sed è conuerſo reſpectus reſpondẽtes eis in creaturis reales ſunt, quia ex ratione rei, & naturæ earum non autem ex conſideratione intellectus creati aut increati fundantur in ipſorum eſſentia, & natura. Non tamen ſic ꝙ propterea huiuſmodi reſpectus rationales ſint in Deo, quia creaturæ ſecundum reſpectus reales habitudinem habent ad Deum, vt propterea Deus è conuerſo reſpectus rationales habeat ad creaturas, vt contingit in reſpectibus rationalibus, qui conueniunt Deo ex tempore, immò quia iſti reſpectus Deo cõueniunt ab æterno, conueniunt ei ex conſideratione intellectus comparantis eſſentiam ſuam ad eſſentias creaturarum, vt imitabilem ab eis, vt ideæ potius ſint ratio, ꝙ eſſentiæ creaturæ ſint eſſentiæ quædam, quàm è conuerſo. Et ſic quemadmodũ ipſa eſſentia diuina, vt eſt abſolutè, eſſentia eſt ratio cognoſcendi ipſas eſſentias creaturarum, ſic ipſa cognita, vt habens rationes ideales, eſt ratio cognoſcendi differentias omnium aliorum à ſe, vſque ad minima, inquantum, vt alibi declarauimus, idea ſpeciei eſt ratio cognoſcendi omnium indiuiduorum ſub ipſa. Propter quod Auguſt. loquens de ideis in Deo 83. q. q. 66. dicit ſic. Tanta in eis vis conſtituitur, vt niſi his intellectis ſapiens eſſe non poſſit. Et ſic tali cognitione purè ſpeculatiua æqualiter omnia alia cognoſceret, etſi nunquàm ea fuiſſet facturus ſicut modo. Quod tamẽ non ponit Auicen. determinando, ꝙ iſta cognitione non cognoſcit alia à ſe, niſi vniuerſaliter, & in vniuerſali, particulariter autem non, niſi cognoſcendo ſe eſſe cauſam, & principium eorum.

Vnde in 8. Metaph. dicit ſic. Si corporalia non intelliguntur, niſi ſecundum quiditatem ſpoliatam, & ſecundum quòd ſequitur ea id, per quod indiuiduantur, tunc non intelliguntur ſecundum quòd ſunt corruptibilia.

Cum

Cum enim apprehenduntur ſecundum ꝙ commiſcentur materiæ,& accidentibus materię, & tempori,& indiuidualitati, non ſunt intellecta, ſed ſenſata vel imaginata. Et ſicut attribuere aliquas ex multis actionibus ei,quod eſt neceſſe eſſe eſt ei imperfectio, ſic etiam attribuere ei multa ex modis intelligendi. Sed neceſſe eſſe non intelligit quicquid eſt, niſi vniuerſaliter, & tamen cum hoc non deeſt ei aliquod ſingulare, & ideò non deeſt ei, quod eſt minimum in cœlis, & in terra. Et hoc eſt de mirabilibus, quod non poteſt imaginari, niſi qui fuerit ſubtilis ingenij. Sed quomodo ſit hoc,ratio hęc eſt, quia enim ipſum teipſum intelligit, & ꝙ ipſum eſt principium omnis, quod eſt, vtique intelligit principia eorum, quæ ſunt ab eo, & quicquid naſcitur ab eis, & quicquid eſt ex rebus omninò,eſt neceſſarium eſſe propter eum, & in eo. Iſtę ergo cauſę reducuntur ad ea, quę proueniunt ex eis, quouſque perueniant ex eis particulares. Quia enim primus nouit cauſas, & quæ continentur ſub eis,tunc etiam nouit neceſſariò id ad quod reducuntur, & tempora, quę ſunt inter ea,& quotiens reducuntur.impoſſibile eſt enim,vt ſciat illa, & neſciat iſta. Eſt ergo apprehẽdens res particulares inquantum vniuerſales. Si autem appropriatur eis indiuiduum,hoc erit reſpectu temporis alicuius, vel diſpoſitionis alicuius. Si verò accipiatur illa diſpoſitio cum ſuis proprijs cauſis, etiam erit in ordine eorum,ſed abſtrahitur à principijs cuiuslibet eorum.ſ.à rebus indiuidualibus. Si autem fuerit ſpecies ſicut etiam apud intellectum,ſic indiuiduum erit tunc intellectui via ad illud deſcriptum, & hoc eſt indiuiduum, quod eſt vnum in ſua ſpecie, cui non eſt alterum, ſicut ſol vel tempus. Si autem fuerit ſpecies dilatata in indiuiduis, tunc non erit via intellectui ad deſcriptionem alicuius indiuidui, niſi prius deſignaretur ei. Sed ſciendum eſt, quòd ſecundum rationes ideales Deus alia à ſe intelligit dupliciter. Vno modo ſecundum ꝙ ſunt eſſentiæ, vel exiſtentiæ quædam in ſe. Alio modo ſecundum ꝙ ſunt quędam operabilia à Deo. Primo modo cognoſcit illa notitia purè ſpeculatiua,& ideæ vt ſunt rationes cognitionis illorum hoc modo ſunt ideæ purè ſpeculatiuæ,de quo nulla eſt dubitatio. Vnde & Plato huiuſmodi ideas in Deo poſuit eſſe ipſas rerum quiditates. dicente Seneca ad Lucillium epiſtola.68. Plenus eſt ijs figuris quas Plato ideas appellat,itaque homines pereunt, ipſa verò humanitas ad quam homo effingitur permanet. Vnde de intellectu ſic ſpeculatiuo dicit Philoſophus 3. de anima. Speculatiuus nil ſpeculatur actuale,neque dicit de fugibili, & proſequibili. Secundo autem modo ſecundum aliquos cognoſcit illa ſcientia practica, & per ideas practicas, vt ſunt rationes cognoſcendi illorum. Sed ad huiuſmodi intellectum eſt aduertendum, ꝙ notitia practica propriè dicta,& ſpeculatiua pones rationes differentes cognitorum non differunt, ſed potius ſecundum rationes differentes finium,ad quos ſunt. ſine enim ſecundum Philoſophum 3. de anima ſpeculatiua, & practica differunt Vnde quia notitia eſt de operabilibus, non ex hoc dicitur practica, immò operabilia ſpeculatiua notitia conſiderari poſſunt,ſi conſiderentur ad eundem finem ad quem conſiderantur purè ſpeculatiua in Mathematicis,& in naturalibus,ſecundum enim Philoſophum 2. Metaphyſ. finis ſpeculatiuæ eſt verũ. Finis verò practicæ opus. Vnde operabilia duobus modis poſſunt conſiderari quemadmodum moralia. Vno modo vt præcisè ſciatur,quid virtus,& quid vitium, & quomodo virtus conſiſtit in medio, vitium autem diuertit à medio, & cætera huiuſmodi. Et eſt omnis talis conſideratio ſpeculatiua, licèt in materia practica, & intellectu ſpeculatiuo non practico. Sed in tali materia intellectus ſpeculatiuus extenſione quadam ſecundum Philoſophum fit practicus. Dico extenſione ad finem alium,quàm ad quem erat ſecundum ꝙ fuit ſpeculatiuus. Speculans enim operando ad ſcire verum ſpeculatiuus eſt. Extendens autem ſe vlterius,vt non ſolum intẽdat cognitionem veri,ſed quærat ſcire, vt ſecundum ea voluntas operetur, ſtatim eſt practicus. vt enim dicitur 3. de anima, cuius appetitus, hoc principium practici intellectus. Vltimum autem principium actionis eſt. & infra. Appetibile enim mouet,& propter hoc intelligentia mouet, quia principium hoc eſt, quod appetibile. Vt ſic circa idem ſuut ſpeculatiuus intellectus & practicus.aliter enim ſpeculatiuus extenſione non fieret practicus. Speculatiuus enim in materia purè ſpeculatiua extenſione nunquàm fit practicus. Et ſecundum hoc circa eandem materiam diſtinguitur ars medicinæ in theoricam, & practicam, & hoc vtrobique circa eandem materiam. & ſic ex hoc ꝙ aliqua cognitio eſt circa aliqua operanda, non oportet ꝙ dicatur practica. dicente Philoſopho 3. de anima. Multotiens intelligit terribile aliquid,aut delectabile,non iubet autem timere. Ne tamen omninò denegemus intellectum diuinum practicum eſſe, ſciendum, ꝙ circa operanda practica conſideratio conſiderat quid ſit operandum, & quid non operandum, & quis ſit modus operandi conuenientior ſecũdum omnes circumſtantias, quando, vbi, quomodo,& cætera huiuſmodi, quæ concurrunt circa operanda, & operandi modum, & hoc eo fine, vt voluntati liberę immò liberi arbitrij,quæ de ſe indeterminata eſt, determinet intellectus quid & quomodo ſit operandum,dicendo,& ſententiando,quòd ſic operandum eſt. Quod poteſt fieri dupliciter. Vno modo quòd ſcilicet ſic faciendum eſt quantum eſt ex congruentia rerum ſolùm. Alio modo quantum eſt ex commoditatẽ agentis, vt ſine hoc, ſcilicet vel commodum non aſſequeretur, vel incommodum non eũitaret, quod facit propriè practicum, per quod in creaturis liberi arbitrij inclinatur naturaliter aliquantulum vo-

luntas ad ſequendum determinationem rationis, & exequendum in opus, licèt non cogat eam, nec ſic determinet, quin contrarium poſſit agere, & rationi rectæ contrariari, & errare in opere.

Propter quod talis voluntas, quæ ſcilicet de ſe recta non eſt, ſed in opere errare poteſt, tali determinatione rationis indiget. Et dicitur talis intellectus inquantum ſic operãdum determinat, propriè practicus. Et hoc ſecundo modo intellectus practicus ſolum habet eſſe in creaturis non in Deo. Primo autem modo dicitur intellectus practicus minus propriè, ſcilicet quando conſiderat tantùm qualitatem operandorum, & operandi modos, quos omni determinatione prędicta volũtati proponit, videlicet ꝙ ſic agendum, vel non agendum, quantum eſt ex parte congruentiæ rerum, licèt non quantum eſt ex commodo, vel incommodo ex parte agentis dimittendo in eius libertate, quid eligat, vt ſemetipſam determinet circa operanda non propter commodum ſuum, ſed magis rerum. Secundo ergo modo diuinus intellectus nullo modo poteſt dici practicus, quia vt procedit obiectio ad iſtam partem, ſi opus voluntati determinaret dicendo, hoc tali modo operandum eſt, quia quod determinat de neceſſitate determinat, vel oporteret voluntatem intellectum ſequi, aut ipſi contrariari, quod impoſſibile eſt. Et ſecundum hoc alibi determinauimus, ꝙ intellectus diuinus practicus non eſt, ſed purè ſpeculatiuus ſua ſpeculatione regulans operando. Hinc dicit Damaſc. lib. 3. cap. 32. Secundum pręcognitionem eius præiudicauit, & determinauit omnia Deus ſecundum bonitatem, & iuſtitiam eius. Et hoc commendat libertatem arbitrij diuinę volũtatis circa creaturas, ꝙ ſcilicet nullo alio, quàm ſeipſo determinatur in opus. In hoc enim à perfecta libertate deficit noſter intellectus, ꝙ ſcilicet aliquantulum ab intellectu inclinatur ad ſequendum eius determinationem. Vnde aliqui ex hoc ponebãt ipſum omninò neceſſitari. Primo autem modo adhuc ſubdiſtinguendum. Vno modo, ꝙ ſic faciendum, quantum eſt ex congruentia rerum, vt bonitas, vel rerum cõgruentia faciant, ꝙ Deus debeat ſic operari eas. Hoc falſum eſt, & impoſſibile, quia ſecundum Auicen. 9. Metaphyſ. hoc eſſet imperfectionis in Deo, & per cauſatum aliquid perfectionis acquireretur ſuæ cauſæ, & ſic temporale, vt eſt in ſcientia Dei eſſet cauſa alicuius æterni in Deo. Alio autem modo, ꝙ ſic faciẽdum quantum eſt ex congruentia rerum, quia bonum eſſet rebus, ꝙ ſic fierent. & hoc modo nullũm eſt inconueniens intellectum diuinum practicum dici. Etenim licèt voluntati non determinet operanda prędicto ſecundo modo, tamen ſingulos modos operandorum poſſibiles circa creaturas conſiderat, & omnes voluntati proponit, vt liberè quem voluerit exequi eligat. Tenendum tamen eſt, ꝙ ſemper exequitur in opus licèt mera liberalitate quod intellectus melius eſſe iudicat iuxta rerum cõgruentiam ſolùmmodo, vt dictum eſt. dicente Auicen. 9 Metaphyſ. Intelligit ordinationem bonitatis, ſecundum ꝙ poſſibile eſt eſſe melius. Vnde ex hoc, ꝙ intelligit ordinationem, & bonitatem, quæ melior eſſe poteſt, ſecundum ꝙ intelligit eam, fluit ipſa tali fluxu, quo perfectius peruenitur ad ordinationem ſecundum poſſibilitatem. Et ſecundum hunc modum, quo diuinum intellectum ponimus quoquo modo practicum, etiam ponimus in ipſo ideas practicas, & Deum producere res ſecundum ideas practicas, quæ tamen eędem ſunt re modo ſpeculatiuæ modo practicę. Sed primo modo ſunt ſolùmodo rationes cognoſcendi res in earum eſſentia. Secundo verò modo ſunt rationes producendi eas in earum exiſtentia. Sed ſecundum iſtum vltimum modum loquitur Auguſt. ſolum de ideis quæſtione prædicta ſic inquiens. Sunt namque ideæ principales quędam formę, vel rationes rerum ſtabiles, atque incommutabiles, quæ diuina intelligentia continentur, & cum ipſæ non oriantur, neque intereant, ſecundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri, & interire poteſt.

Et ſecundum hoc poſſunt diuerſimodè concedi argumenta vtriuſque partis.

IN QVODLIBET OCTAVVM.

Quodlibet octauum septem vltra triginta Quæstiones continere ex initio primæ apud Auctorem quis facilè cognoscere pōt, quarū quædam sunt attinentes ad Deum, quædam aūt ad creaturas. Sufficientias verò ipsarum ex initio pariter apud Auctorem quarundam Quæstionum deprehendere licet, vt superfluus videretur, & inanis labor noster., quando vellemus eas ennarrare. Igitur vt moris nostri est, qōnes aggrediamur.

Comment. in Quæstionem Primam, quæ est,

Vtrum in Deo sint ideæ practicæ.

IN titulo quæstionis huius videndum est, quid est idea practica. Quod vtique desumere placet ex Platone, quem sequitur D. Thomas p. p. quæst. 15. art. 3. & alibi. Itaque pro notitia not. ꝙ Plato ideas suas voluit tùm speculatiuas esse, cùm etiam practicas, & (dicant quicquid volunt nonnulli peripatetici cum Aristotele) eas posuit in diuina mente conditoris, quod satis credimus ostendisse in prima parte commentariorum nostrorum super Parmenide Platonis. Ideò autem Plato voluit ideas esse tùm speculatiuas, cùm etiam practicas, quoniam eas posuit tanquàm principia tùm cognoscendi res imitabiles, cùm etiam tanquàm principia essendi. Vbi idcirco tum rationes, cum etiam exemplaria eas nominabat. Et quidem rationes, quatenus sunt cognoscendi principia. Exemplaria verò, quatenus sunt factionis principia, & essendi. Quamobrem voluit ideas ideò esse speculatiuas, quatenus sunt principia cognoscendi, & cognoscitiua. Practicas autem quatenus sunt principia factionis, & essendi. Item quatenus dicuntur rationes, speculatiuas esse, pro vt verò dicuntur exemplaria, practicas. Has autem posuit in diuina mente Plato. Quam mentem appellat conditricem omnium. Immò & eam Deum ipsum vult esse, quod ex Timæo manifestissimè deprehendere licet. Cum. n. de mundi, & animæ generatione verba fecisset, & semper vtriusque Deum causam efficientem statuisset, inter alia dicens, ꝙ Deus in principio ignem terramq; creauit, in tertiæ partis initio epilogans, se hactenus, inquit, verba fecisse de operibus mentis. Vnde colligere licet, ꝙ vult mentem, & Deum idem esse. Cæterum qm̄, quod suaptè natura practicū est, & in intellectu practico debet esse, quod verò speculatiuum in speculatiuo, nulli dubiū esse debet, ꝙ si sunt in Deo, sunt in eius intellectu practico. sed hoc in corpore qōnis cōsiderandū est.

In corpore igitur quæstionis est conclusio affirmatiuè responsiua quæsito. s. In Deo sunt Ideę practicæ. Probatur. In Deo est intellectus practicus, ergo in Deo sunt ideæ practicæ. Probatur. Nam sicut in speculatiuo sunt ideæ speculatiuę, ita in practico sunt ideæ practicæ. Illæ ibi, vt sint principia cugnoscendi omnia, istæ hic, vt sint principia factionis omnium, sed in Deo sunt tanquàm principia cognoscendi omnia, ergo & in ipso sunt etiam tanquàm principia factionis omnium.

Not. autem, ꝙ quoniam difficultas est, vtrum in Deo sit intellectus re vera practicus, ideò Auctor in exponendo illud antecedens duo facit. Primò. n. manifestat qūo sit speculatiuus. Secundò, qūo etiam sit practicuus, & ēt non sit practicus.

De primò, multa ad pauca redigentes dicimus ex Auctore, & ēt ex D. Thoma, ac cæteris, ꝙ Deus suo intellectu cognoscit tū seipsum, cùm ēt oīa alia à se. Loquēdo aut de cognitione aliorū à se, ideò ea cognoscit, q̄a cognoscit essentiā suā q̄ modus cognoscendi soli Deo competit, qm̄ quicquid cognoscit, cognoscit per essentiam, qm̄ essentia diuina est principium totius esse. Quod aūt est principium essendi, est ēt principium cognoscendi. Cęterum hucusque cognitio hæc vt indistincta. Cognoscit aūt distinctè omnia Deus, dum cognoscit essentiam suam, vt imitabilem ab hac, & illa natura. Vbi hic considerandum, quod ipsa essentia diuina, vt imitabilis, est idea omnium rerum, tum quæ sunt, cum etiam omnium eorum, quæ possunt esse. Hinc est, ꝙ cognitio Dei se extendit ad ea, quæ sunt, & quæ non sunt. Quo fit, vt ex hoc videatur diuina essentia plurificari secundum diuersas rerum imitationes, est tamen pluralitas ex distinctione rationis. Hoc itaque pacto Deus dicitur per ideas cognoscere omnia, qm̄ cognoscit essentiam suam vt imitabilem ab omnibus, distinctis quidem rationibus ratione in Deo, realiter verò in creaturis. Et iuxta hoc intellectus diuinus dicitur speculatiuus. Et hæc de primo.

De secundo, Considera, qūo Deus se extendat ad opera, qui nempè condidit omnia eisdem exemplaribus. Et considera ꝙ ille intellectus, qui se determinat ad opus, dr practicus. Vnde si Deus se determinat cum suo intellectu ad opus, profecto intellectus eius practicus erit. se determinat aūt intellectus ad opus, vel se ordinat ad opus dupliciter, primò considerā to aliquid agendum esse sm̄ ꝙ illi congruit, illi inq̄. quod fieri debet. Secundò considerando aliquid faciendum esse, sm̄ ꝙ congruit ipsi agenti. Nunc aūt hoc secundo modo nequaq̄ Deus hēt intellectū practicum, sed hic intellectus practicus est in creaturis, quæ agere non possunt, nisi sm̄ potentiam finitam, & limitatam. Primo autem modo potest dici intellectus practicus, quatenus se ordinat ad opus sm̄ congruentias rerū operandarū. Ex his tota quæstionis habetur intelligētia.

Not. aūt, quod stante hac determinatione illud sequatur oportet, vt aliquo modo scientia Dei de rebus alijs à se practica sit. Quòd etiam D. Thomas habet. p. p. quæst. 14. art. 16. Et quidem ex hoc deducitur per determinata, ꝙ sicut ideę speculatiuæ correspondet scientia speculatiua, ita ideæ practicæ correspondet scientia practica.

Cæterum contra hoc est Scotus 1. sententiarum dist 38. tenens ꝙ scientia Dei practica quidem sit sui ipsius, aliorum autem à se sit speculatiua, non practica. Vbi etiam primum est contra determinata in quæstione. Probat autem primum sic. Scientia de essentia Dei est prior naturaliter amore illius essentiæ, & rectificatiua illius, ergo est practica.

Secundum autem probat sic. Nulla notitia de rebus ante determinationem diuinæ volutatis dictat res esse agendas, ergo ibi nulla est notitia practica de rebus. Probatur consequentia. Siquidem scientia practica est dictatiua ad operandum.

Verū his obiectionibus non est difficilè obuiā ire si diligenter cōsiderauerimus quid sit scientia practica, & quid speculatiua. Profectò sm̄ doctrinam Aristotelis in 3. de aīa. Intellectus speculatiuus, & intellectus practicus differunt fine, eo ꝙ finis speculatiui sit veritas. Finis practici est opus, non quidē sub esse cognito, sed sub esse existentiæ. Vnde vt recte notat Auctor, eiusdē rei pōt esse intellectus speculatiuus, & practicus, vt nēpè talis sit ordo, ꝙ cuiuslibet rei, cuius intellectus pō esse practicus eiusdē quoq. pōt esse speculatiuus, nō è cōtra. Et hoc qm̄ quodlibet opus pōt esse finis in esse cognito. Vt de virtute vterq; intellectus esse pōt, qm̄ & peripere quiditatē, & cętera principia ad virtutē pcipere pōt, & regulare se, ac ordinare ad opera virtutis. At, exēpli gr̄a, de Deo praxis haberi nō pōt, q̄a ad nullū opus reduci pōt, ad qđ ordinetur intellectus, vt fiat practicus. Igitur ad primū illud argm̄ dicimus falsam esse consequentiā siquidem ad praxim non sufficit, ꝙ scientia rectificet amorē, sed ꝙ ordinata sit ad opus circa illud obiectum, vnde necesse est, ꝙ obiectum illud sit operabile, non est aūt operabilis Deus. Dicere autem, quod sit operabilis Deus, quia attingibilis per operationem immanentem, amoris. s est dicere quandam vanitatē. Tunc. n. omnia diligibilia essent operabilia. Sed non attendit, ꝙ cognitionē semper sequitur amor. Vnde & purè speculatiui dicuntur Philosophi, hoc est amatores veritatis. Quare sm̄ ipsum omnis veritas esset operabilis, quia est attingibilis amore. Et sic non daretur scientia purè speculatiua, quod falsum prorsus est.

Ad aliud pariter negat primò consequentia, & ad probationē dr, ꝙ scientia practica non dictat ad operandum, sed regulat ad opus. Et quidē illa, quæ est in Deo, regulat sm̄ congruentiā tm̄ respectu rerū operabilium. Vnde tali notitia se ordinat ad opus sm̄ huiusmodi congruentiā, atq; regulat, quo fit, vt nō propriè sit dictamen rerum, sed regula rerum operabilium.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum differmitas ſcibilium circa creaturas arguat aliquam differmitatem in Dei ſcientia.

Arg. prin. CIRCA ſecundum arguitur, ꝙ differmitas ſcibilium arguat differmitatem circa ſcientiam Dei, quoniam differmitas ſcibilium aut cauſatur à ſciẽtia Dei: cum ipſa ſit cauſa rerum, & ſic habeo propoſitum, quoniam non habet aliquid eſſe cauſa diuerſorum, niſi ſecundum aliquam rationẽ diuerſitatis in ſe, aut cauſatur ab ipſis rebus, quare cum ipſæ res cauſentur à ſcientia Dei, & quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati: ergo vt priùs & ipſa Dei ſcientia eſt cã illius diuerſitatis.

In oppoſit. In cõtrarium eſt, quoniam tunc ſcientia Dei eſſet variabilis ſecundum variationem ſcibilium, qđ falſum eſt.

Reſponſio. Dicendum ad hoc, ꝙ ſcientia Dei ex parte ſcibilium eſt duplex. Aut enim ſcit res ſecundum earum eſſentias, & naturas ſcientia purè ſpeculatiua, aut ſecundum ꝙ ſunt operabilia ab ipſo ſcientia quodammodo practica ſecundum iam expoſitum modum. Primo modo ſecundum ꝙ iam dictum eſt ſcit omnia, quæ ſunt. i. ſecundum Auguſt. quæſtione prædicta, quæcunq; in ſuo genere propria quadam natura cõtinentur, vt poſſint auctore Deo eſſe procreata, hoc eſt ꝙ ſcit res ſecundum ꝙ res ſunt, & eſſentiæ quædam abſolutè, ſciendo eſſentiam ſuam abſolutè, ſecundum autem ꝙ habent inter ſe differentias ſecundum rationes generis, ſpeciei, & indiuidui, ſciẽdo eſſentiam ſuam, vt eſt ideę purè ſpeculatiuæ. Secundo autem modo ſcit res ſciendo determinationẽ ſuę voluntatis. Quia enim & quæ determinat voluntas Dei facienda, & hoc modo, quo ea determinat, ſcit intellectus eius ea eſſe facienda, & ſic facienda, & non è conuerſo, vt in hoc voluntas potius ſit ratio, & cauſa ſcientiæ, & intellectus Dei, quàm è conuerſo, vt ſecundum hoc in nobis ſcientia noſtra practica multò magis ſit cauſa rerum operabilium à nobis, inquantum. ſ. intellectus noſter determinat operanda priuſquàm ea determinet voluntas, & cum hoc mouet naturaliter, & inclinat voluntatẽ ad ſequendum ſuam determinationem, quàm ſit ſciẽtia diuina cauſa rerum operabilium à Deo, inquantum. ſ. ſecundum prędicta intellectus diuinus non determinat operanda, nec ſic determinat, & inclinat voluntatem diuinam, vt non poſſit propriè dici practicus, ſicut intellectus noſter, vnde ꝙ eius ſcientia ſit per ſe cauſa rerum, non poteſt dicere Theologus, qui ponit, ꝙ Deus agit res libera voluntate, ita ꝙ poſſet eas agere, & non agere, ſed Philoſophus, qui ponit, ꝙ non agit eas, niſi per intellectum, & de neceſſitate, vt iam patebit ex dictis Auic. Propter quod Philoſophus etiam potius poſſet ponere intellectum Dei practicum, & ideas practicas, quàm Theologus. Vnde licet intellectus diuinus illa, quæ ſunt operanda, & ſimiliter modos omnes operandorum à ſua volũtate nouit quodammodo, priuſquàm voluntas ea determinet eſſe operanda, & quo ad hoc quodammodo practicus eſt, & nouit illa ideis, vt ſunt practicæ, quæ eędem ſunt cum ipſis ſpeculatiuis, ſicut idem eſt intellectus ſpeculatiuus, & practicus, inquantum tamen operanda ſunt, nõ nouit, niſi quaſi precedente determinatione voluntatis, & quo ad hoc nouit illa ideis omninò, ſed hæc notitia ſolùmmodo implicat illam, quæ eſt per ideas, ſicut noſſe rẽ, vt operandam implicat noſſe rem ſimpliciter.

Ad propoſitum ergo deſcendendo oportet declarare, quomodo Deus immutabili, & vniformi ſcientia nouit rerum omnium eſſentias diuerſas inquantum eſſentiæ ſunt. Deinde quomodo nouit eas, inquantum ſunt quædam operabilia ab ipſo.

Ad intellectum autem primi articuli ſciẽdum, ꝙ non ſolum naturæ, & eſſentię rerum vniuerſales ſecundum rationem ſpecierum ſpecialiſſimarum habent dupliciter conſiderari, & ſimiliter à Deo cognoſci. ſ. ſecundum rationem ſuæ quiditatis, & eſſentiæ, & ſecundum ꝙ ſunt quædam operabilia à Deo, ſed etiam naturæ, & eſſentiæ ſingulorum indiuiduorum ſub ſingulis ſpeciebus, ſiue ſint, ſiue non ſint. Si enim conſiderentur ratione ſuę quiditatis, & eſſentię, ſic cognoſcuntur ab ipſo, ràm quiditates ſpecificæ, quàm indiuiduales, vt quiditates tantùm ſunt abſque omni conſiderutione eſſe vel non eſſe, fuiſſe vel nn fuiſſe, fore, vel non fore circa eas, ſicut bene poſſunt conſiderari, quemadmodum etiam ipſa eſſentia ſimpliciter conſiderari poteſt abſque ratione vniuerſalis, particularis, & cæterorum omnium, ſecundum ꝙ alibi declarauimus. Licèt enim eſſentiæ rerum non habeant, niſi duplex eſſe, vnum in intellectu, alterum in ſingularibus extra, multiplicem tamen habent conſiderationem. Et in hac conſideratione quemadmodum à Deo conſiderantur eſſentię rerum, vt ſpecificæ ſunt abſque rationibus indiuiduantibus, ſic conſiderantur, vt ſingulares ſub rationibus indiuiduantibus abſq; eo, ꝙ circa eas aliquid dictorum conſideretur. Et per hoc eadem vniformi ſcientia Deus ſcit omnium eſſentias, & indifferenter ſpecificas, & indiuiduales, & hoc infinitas, quia omnes poſſibiles fieri ſub ſpecie, ſiue non fiendas à Deo, quas communiter nouit ſcientia ſimplicis notitiæ, ſiue aliquãdo fiendas, quas determinauit futuras, & nouit ſciẽtia viſionis. Et ſicut accidit eſſentiæ ſecundum ꝙ eſt eſſentia, eſſe vel non eſſe, fuiſſe vel non fuiſſe, fore vel nõ fore, ſic & ſcientiæ Dei prẽter hoc ꝙ eſſentię ſunt quaſi accidentia intrinſeca.

Cum

Cum enim non est, non esse est quasi accidens in suâ essentiæ, cum verò est in effectu, esse est quasi accidens suæ essentiæ similiter. Scientiæ verò Dei sunt accidentia omninò extrinseca: hoc enim modo Deus vniformiter scit Antichristum, & omnes circumstantias eius interius, quo ad dispositiones corporis, & animæ, & exteriores temporis. ſ. & loci, & conuersationis, indifferenter modo, quando non est, nec sunt dispositiones illæ, sed futuræ tantùm sunt, quemadmodum & tunc quando erit, & erunt dispositiones illę, & similiter postquàm fuerint. Et est ista scientia intellectus incomplexi. ſ. præter hoc ꝙ intellectu complexo, vel quasi complexo intelligat Deus ipsum, aut aliquid illorum esse, vel non esse, sim liter aut fu ſle, aut fore, aut non fuisse, aut non fore. Vnde Deus scit, intelligit, siue videt nunc de Atichristo, quicquid videbit circa ipsum in primo instanti suę conceptionis, & similiter quicquid videbit circa ipsum in quolibet instantium aliorum sequentium, & hoc vnica scientia, & tota simul, videndo nunc quæcũque futura sunt circa ipsum, & eodem modo vidẽdo nunc sicut tunc, puta secundum modum, quo in instanti plenitudinis potestatis suæ ipso sedente in regio throno Deus videbit ipsum secundũ corpus, & animam, eius sessionem in throno, ipsum thronum, instans illud, & circumstãtes ipsum, &c. huiusmodi. Sic videt modo ista omnia. Similiter quemadmodum tunc videbit esse eius, quo. ſ. ad id quod rei, & naturæ alicuius est, & similiter omnium aliorum, & omnes habitudines illorum secundum conuenientias, & differentias suas, sic videt modo præter hoc ꝙ nihil horum scit, videt aut intellsgit esse prout est secundum adiacens. Intelligit enim Antichristum, sed non ipsum esse, animam eius, sed non ipsam esse, animam eius in corpore suo, sed non ipsam in corpore suo vt formam esse, eius viuere, & eius esse, sed neutrum esse, vel non esse, sessionem eius in throno, non tamen ipsam esse. & sic de cęteris. Nec mirum, ꝙ sic cognoscit. Deus, per hunc enim modum scientia immutabili benè cognoscit homo vniuersalia, quæ sunt per se obiecta intellectus, postquàm semel notitiã eorum acceperit per sensum, & angelus similiter, quàm citò habet esse. Sed in hõc differt ab intellectu diuino omnis intellectus creatus, ꝙ naturaliter notitiam singularium habere non potest, nisi per eorum actualem existentiam, vt homo eorum notitiam capiat per sensum, Angelus verò per intellectum, secundum modum quem alibi exposuimus. Deus autem propter suam illimitationem simul per ideam speciei cognoscit & ipsam specię, & indiuidua infinita possibilia fieri sub ipsa, vt similiter alibi exposuimus. Similiter Deus, qui vnico actu intelligendi simplici comprehendit suam essentiam, & omnes imitabilitates, siue rationes ideales in sua essentia, quibus cognoscit, vt dictum est, & omnes rerum essentias, & differentias, atque conuenientias ipsarum inter se, vniformi scientia, & simplici cognoscit omnia simul, & differentias, & conuenientias omnium. Non sic autem homo, vel Angelus, sed varijs, & diuersis actibus intelligendi vnum post aliud, quantum est de naturali illorum cognitione. Vnde etiam creatura intellectualis, siue homo, siue Angelus, non cognoscit singulare esse simpliciter, aut ipsum primo, nisi per aliqualem suæ cognitionis mutationem, & postq̃ nouerit ipsum non esse, similiter non scit ipsum nõ esse nisi per notitiæ suæ mutationem. Ita etiam ꝙ cum desinit esse specialiter homini, cum singularę sensibile desinit esse in sensu, non manet apud hominem, aut Angelum scientia aliqua de singulari, nisi in vniuersali, quemadmodum exponetur ſm Auicen. ꝙ homo astrorum, & motuum cœlestium pariter nullam eclipsim particularem aliter, q̃ in vniuersali potest scire, nisi cũ videt ipsam in sensu. Deũs autem absque omni mutatione suæ scientię cognoscit rem esse quando est, & non esse quando non est, fore quando erit, & non fore quando non erit, fuisse quãdo fuit, non fuisse quando non fuit, conformi scientia. Sed de hoc est sequens articulus, quomodo. ſ. Deus vniformiter & immutabili scientia omnia cognoscit, vt sunt operabilia ab ipso.

Ad cuius intellectum sciendum est secundum tacta in prȩcedenti quæstione, ꝙ quia intellectus diuinus scit operanda inquantum operanda, sciendo determinationem suæ voluntatis, quæ omninò est inuariabilis, non autem per ipsas res, quæ variantur extra influendo in esse diuersimodè, secundum determinationem simplicem, & inuariabilẽ diuinæ voluntatis, qua simul ab ęterno omnia determinauit, & per hoc rationem cognoscendi operanda seipsum respectu rerum constituit, idcirco inuariabiliter hæc omnia cognoscit, dicente Auic. in 8. Metaph. Quia ipse est principium omnis esse, intelligit ex seipso id cui est principium. Non potest autem esse, vt sit intellector istorum variorum cum sua variatione, secundum ꝙ sunt variabilia intellectu temporali indiuiduali. Nõ potest enim esse, vt aliquando intellectu temporali intelligat quędam ex eis esse, & aliquando intelligat intellectu temporali quędam ex eis non esse, quia vniuscuiusque istorum duorum esset forma intelligibilis per se. Tunc ergo necesse esse esset variabilis formæ. Et cum hoc si ponámus, ꝙ alia à se cognoscat, non in cognoscẽdo determinationem diuinæ voluntatis, ponendo, ꝙ res non fluant à Deo per determinationem voluntatis liberam, sed solùmmodo per intellectum intelligendo modos meliores, quo possibile est res esse, ita ꝙ voluntas non sit nisi pondus quoddam inclinans naturaliter ad exequendum, quod concepit intellectus, secundum ꝙ posuerunt Philosophi, vt iam patebit secundum Auicen. adhuc inuariabiliter omnia cognosceret. dicente Auicen. in eodem. Cum primus dicitur, intelligentia dicitur per intentionem simplicem. Ipse enim intelligit res simul ita, vt per eas non

multi-

multiplicetur, ſecundum quod fluunt formæ earũ ab eo intelligente, ipſe aptior eſt ad hoc, vt ſit intelligentia, quàm ipſæ formæ fluentes à ſua intelligibilitate, & quòd ipſe intelligit ſeipſum, & quòd ipſum eſt principium omnis quod eſt. Et ſcias, quòd forma intellecta aliquãdo ſumitur de re, ſicut cum nos ſentimus de cœlo per conſiderationem, & ſenſum formam eius intellectam, & aliquando forma intellecta nõ ſumitur de ijs, quę ſunt, ſed è conuerſo, ſicut intelligimus formam artificialem, quam adinuenimus, & deinde forma intellecta mouet membra ad hoc, vt ſint in opere. Igitur non quia fuit ipſa, deinde nos intelligimus eam, ſed quia intelligimus, fit ipſa. Talis igitur eſt operatio omnis ad primum, quia intelligit ſuã eſſentiam, & quicquid facit debere eſſe ſua eſſentia, & ſcit quomodo bonitas ſit in omne quod eſt. Sequitur ergo formam ſuam intellectam forma eorum, quæ ſunt ſecundum ordinem intellectum apud eum, quia eſt ſciens qualiter eſt ordo bonitatis in eſſe, quæ eſt ab eo, & quòd ab iſta ſcientia fluit eſſe ſecundum ordinem, quem intelligit. ſ. ordinem rectum. Et eſſet ſimile omninò de artificiato à forma artificij in nobis, & eſſe rerum à Deo, ſi forma artificij vt intellecta eſt, eſſet ſufficiens cauſa eſſendi eam extra, ſicut ſecundum ipſum eſt in Deo, quia in nobis adhuc requiritur voluntas, vt alia vis ſiue potentia, in Deo non, quaſi in Deo reſpectu creaturarum non eſſet ſecundam rationem potentia alia ab intellectu ipſa voluntas liberi arbitrij, ſed quod eſſet liberalitas quædam ſiue libertas immutabilitatis immutabiliter concomitãs intellectum, dicẽte Auic. in eodem. Eſt volens ſecundum modum voluntatis intelligibilis purè, & vita eius eſt hæc. Vnde vita eius nõ eſt egens duabus viribus ad hoc vt perficiatur, nec vita eius eſt alia à ſcientia eius, quia hoc totum eſt ei per ſuam eſſentiam, quia forma intellecta, quæ fit in nobis, cauſa eſt formæ adinuẽtæ artificialis. Si ipſum eſſe eius eſſet ſufficiens ad eſſendum illam formam artificialem. ſ. ſi formæ eſſent in effectu principia eorum, quorum ipſæ ſunt formæ, tunc intellectũ apud nos eſſet ipſum poſſe. Sed non eſt ita. Nam ſuum eſſe non eſt ſufficiens ad hoc, ſed eget voluntate nouiter proueniente ex virtute deſideratiua, per quas duas ſimul mouetur virtus motiua, quæ mouet neruos, & inſtrumentalia membra: & deinde mouent inſtrumenta extrinſeca, & ad vltimum mouent materiam. Ex quibus concludit ſubdens. Iam igitur oſtenſum eſt, quòd ſcientia, quæ eſt ei, eſt ipſa eadem voluntas, quæ eſt ei.

Et ſimiliter oſtenſum eſt, quòd poſſe, quod eſt ei, eſt ipſam ſuam eſſentiam eſſe intelligentem eſſe tali intellectu, qui eſt principium omnium, nõ ſumptus ex omni, ſed eſt principium per ſuam eſſentiam non expectans eſſe rei: & hoc eſt voluntas ſecũdum modum, quo certificauimus eam, ſcilicet ꝙ non certificantur per intentionem fluendi eſſe ab ea, vt ipſa ſit aliud ab ipſo fluere, quod eſt ipſamet liberalitas, & hæc voluntas eſt ipſa liberalitas. Specialius autem oportet declarare iſtam inuariabilitatem ſcientiæ Dei circa alia à ſe quo ad duas differentias earundem rerum. Differt enim eadem res à ſeipſa penes eſſe & non eſſe: item eſſe fuiſſe & fore, vt Deus dicatur eandem rem ſcire eſſe, & non eſſe, fuiſſe, & fore: item quòd dicatur eandem rem ſcire, ſciuiſſe, & ſciturus eſſe, ſecundum omnes illas differentias, quod non liquet fore ſine variabilitate, aut aliqua diuerſitate, ſiue difformitate circa ſcientiam Dei. Et quo ad primum articulum de diuerſitate rei ſecũdum eſſe & non eſſe, clarum eſt ſecundum poſitionem Auicẽ. prætactam in præcedẽti quæſtione, quoniã Deus vniformi ſcientia ſcit eandem rem eſſe, & non eſſe in diuerſis temporibus, hoc enim ſecũdum Auic. eſt neceſſarium, quia non cognoſcit particularia, niſi in vniuerſali. Vniuerſalia aut & cauſæ & cauſata ſimul habent cõſiderari, quia illorum cognitio potius reſpicit rerum eſſentias, q̃ exiſtentias. Quomodo autem hoc fiat, declarat in prædicto. 8. dicens; Si tu ſcires motus omnium cœleſtium, ſcires etiam omnem eclipſim, & omnem oppoſitionem, & diſiunctionem, quæ eſt ei ſecundum modum naturalẽ. Ita quòd diceres de aliqua eclipſi, ꝙ poſt tempus motus, qui eſt de tali ad tale, erit ſeptentrionalis, & quòd Luna deſcendens ab ea veniet ad oppoſitionem talem, & quòd inter hãc & aliam eclipſim conſimilem præteritam, vel futuram erit tantum temporis. Et ſimiliter ſcires, quæ eſt diſpoſitio, quæ eſt inter alias eclipſes, ita quòd nõ erit aliquid de ijs, quæ accidunt his eclipſibus, quarum vniuſcuiuſque diſpoſitio eſt hæc diſpoſitio, quòd tu neſcias, ſed ſcies vniuerſaliter: hæc enim intẽtio poteſt dici de multis eclipſibus, quia vniuſcuiuſque earum diſpoſitio eſt hæc diſpoſitio. Tu verò ſcies aliqua ratione, quòd illa eclipſis non eſt niſi vnica tantùm, ſed hoc nõ remouet vniuerſalitatem niſi ſcieris ſingularia. ſ. videndo motus ſenſibiliter, vt iam acquiſitum ſit tibi per viſum aliquid ſignatum, per quod ſcias diſpoſitionem illius eclipſis. Tu autem ſi ſcires de eclipſi quomodo inuenitur, & eſſes ſemper perfectus, eſſet tibi ſcientia nõ de eclipſi abſoluta, ſed de omni eclipſi, quæ fit. Et tamen eſſe illam eclipſim, & non eſſe non variaret in te aliquid: tua. n. ſciẽtia in diſpoſitionibus duabus eſſet eadem. ſ. ꝙ eclipſis, quæ eſt cum talibus proprietatibus eſſet poſt talem eclipſim, & poſt eſſe Solis in ariete taliter, & tali modo, & quòd eſſet poſt talem eclipſim, & quòd poſt eam eſſet talis. Si autem interpoſito tempore cognoſceres, quòd in hoc inſtanti hæc eclipſis non eſt, ſed in alio, non maneret illa tua ſcientia, quæ tunc eſt, ſed fieret alia ſcientia, & eſſet variatio: & hoc eſt, quia es cum tempore, & momentaneus: primus autem non eſt ſub tẽpore. Ex quo vult planè, quòd eorum, quorũ eſt cauſa, quæ quandoque ſunt, & quandoq; nõ ſunt, ſcientiam non habet niſi vniuerſalem non particularem,

cularem, etsi habeat particularē eorum, quę sunt in vnico indiuiduo sub specie. Vnde vult etiam, quòd res, secūdum quod sunt extra in singularib. non habent respectum ad Deum nisi secundum rationem principiati, qua sunt ab eo, & ipse ad eas, non nisi secūdum principij rationem, qua sunt ab eo non in eo, & quòd secundum rationem cognoscendi relatio eius non est ad ipsas secundum qđ habent esse in singularibus, sed solum secundum quod sunt intellecta eius. Vnde subdit in eodem. Suum igitur intelligere eius, quod est post suam essentiam causatum, est eius, quod est ipsum intelligere suam essentiā, quamuis intellecta, quæ sunt post suā essentiam, non sunt intellecta eius nisi secundum modum intellectorum intelligibilem; nō autem secundum anitatem, idest secundum eorū entitatem. Et non est respectus alicuius eorum ad ipsum, nisi secundum rationem principij, s. secundum quod ex eo est non in eo. Nec putet aliquis ꝙ relatio intelligibilis ad ea sit relatio ad ea secundū quod inueniūtur. s. in re extra. Sed hęc relatio eius ad illa est inquantum ipsa sunt in dispositione intellecta. Si autem hoc esset inquantum est esse eorum in singularibus, eueniret tunc, quòd ipse non intelligeret nisi quod inueniretur in vnaquaque hora, nec intelligeret de eis, quod priuatum esset de eis in singularibus, nisi postquàm essent, & non intelligeret de seipso, quòd ipsum est principium essendi illius rei secūdum ordinem suum, nisi cum fieret principium. Et sic non intelligeret suam essentiam, quia natura suæ essentiæ est vt fluat ab eo quicquid est, & sua apprehēsio de ipsis est inquātum natura eorum est, quòd sunt sic. Vnde oportet etiam, vt sit apprehendens alterum, quātus nō sit. Igitur sciens diuinum erit comprehendens id quod iam est, & quod posse est esse, cuius relatio ad ipsa erit inquantum sunt intellecta, non inquātum sunt in singularibus. Ista positio Auic. quę fortè plurium Philosophorū fuit, valdè absurda est, quoniam ponit aliqua à nobis posse cognosci, quę Deus nō posset cognoscere. s. particularia signata. Sed diceret, quòd ista cognoscit, sed non particulariter, quia hoc esset indignum suæ perfectioni, vt tangit dictum suum in præcedente quæstione. Verum est, si modo eodem, quo nos, illa cognosceret, scilicet acquirendo cognitionem ab eis.

Prætorea cum ab eis singulariter causata sunt, singulariter debet ea cognoscere, & eius causas proximas particulares. Prætorea cognitio vniuersalis imperfecta est respectu singularis. Illa ergo potius repugnat diuinæ perfectioni, quàm ista. Et quod arguit, quòd tunc non intelligeret rem, nisi dum esset, neque se esse principium eius nisi dum esset. Dicendum, quòd verum esset, si verum esset illud quod supponit, quòd natura suæ essentiæ esset vt fluat ab ea quicquid est. Tunc enim aut ab æterno & semper fluxeret, aut nunquàm. Et sic secundum ipsum non esset essentia diuina. Vnde ponit quòd generabilia, & corruptibilia particularia nō sunt ab ipso nisi in vniuersali in primis causatis, à quibus habent causari in particulari. Ponendo ergo, quòd de libero arbitrio voluntatis suæ est, ꝙ fluit à Deo quicquid est, illud non sequitur, quod non posuit, quia videre non potuit quomodo voluntate antiquæ & æternæ determinationis possit fieri effectus nouus, sed posuit, quòd si de nouo aliquid immediatè fieret à Deo, ꝙ hoc esset noua, & mutabili voluntate, quod alibi declaratum est esse falsum. Ponendo ergo, quòd Deus est omniū in particulari causa productiua, non tantùm mediata, sed etiam immediata, & quòd ideò omnia in esse particulari cognoscit, declarandum quomodo cognoscit omnia in esse particulari inquantum est principium ipsorum immediatum secundum substantiam & naturam rerum, & hoc immutabiliter, siue sint, siue non sint. Sentiendum est, quòd ideò vniformiter scit ea esse cum sunt & nō esse cum non sunt, quia scit determinationem suę voluntatis: quia enim vt dictum est, simplici intuitu novit omnia temporis instantia, & omnium rerum essentias in earum singularitate, per hoc, ꝙ in aliquo instanti singulari, quod ipse facturus est mediante motu cœli determinauit se aliquid facturum puta Antichristū in instantibus in cognoscendo se esse causam illius per suam substantiam secundum actum, siue in producendo, siue in conseruando cognoscit illam rem esse: in cognoscendo verò eam non esse causam eius eisdem modis secundum actum cognoscit illam non esse, & hoc vniformi scientia, sicut & vniformi essentia. Sicut enim ex parte suæ essentiæ, siue substantiæ omninò est vniformitas, absque omni variatione, siue sit causa secundum habitum, siue secundum actū, in producendo, vel conseruando res, sic & ex parte scientiæ, quia scit omnia talia sciendo inuariabilem essentiam, & inuariabilem voluntatis determinationem. Et per omnem eūdem modum vniformi scientia scit res differentes penes esse præsens, fuisse, & fore, non esse præsens non fuisse, & non fore. Quia enim circa instantia temporis determinauit singulis, in quibus ea esset facturus, & conseruaturus, sciendo suam essentiam cum voluntatis suæ determinatione inuariabili simul & æquali inuariabilitate scit futura esse futura, cum sunt futura, & non esse futura, cum non sunt futura, & esse præsentia, cum sunt præsentia, & nō esse præsentia, cum non sunt præsentia, & esse prętērita, siue fuisse, cum fuerunt, & non fuisse, cum non fuerunt. & hoc secundū omnes dispositiones, quibus futura sunt, vel non futura: præsentia, vel nō præsentia: prætērita, vel non prætērita. Et per hūc modum contra illud, quod dictum est supra, secūdum Auic. relatio est Dei ad res per determinationem suæ voluntatis, & secundum rationē producentis, & secundum rationem cognoscentis, nō solum secundum quod sunt in dispositione intellecta, sub ratione. s. vniuersalis, sed etiam secundum qđ inueniuntur extra in exīstētia singulari actuali, &

li, & etiam ſecũdum quod ſunt in diſpoſitione intellecta, ſub ratione ſcilicet ſingularis, & quo ad ipſam eſſentiam ſingularẽ, & quo ad eius eſſe, fuiſſe, & fore. Nec ſequitur illud inconueniens, quod inducit Auic. vt dictum eſt. Licèt autem ſecũdum vtrunque dictorum modorum ſit relatio Dei ad creaturas, & è conuerſo: ſciendum tamen, ꝙ ex parte Dei poteſt eſſe vnica ſecũndum rationem quantum eſt ex parte ſua, cum tamẽ ſit multiplex ſecundum rem ex parte creaturæ, & hoc ſecũdum illas diſpoſitiones varias, quæ ſunt eſſe, non eſſe, fuiſſe, & fore, quæ ſolum notant varietatem circa res, non autem circa Dei ſcientiam, cum dicitur ſcire res eſſe, vel non eſſe: fore, vel non fore: fuiſſe, vel non fuiſſe. Propter quod etiam ipſa Dei ſcientia inuariabilis variè nominatur ſecundum differẽtias temporis, dicendo Deum ſcire, ſciuiſſe, & ſciturum eſſe, & hoc quemadmodum cum creatura eſt, dicitur & nominatur Dominus: cum autem non eſt, nequaquam. Vnde ſecundum omnẽ eundem modum quo Auicen. ponit ſcientiã Dei vniformem in cognoſcẽdo res ſecundum diſpoſitionem vniuerſalem intellectam, ſecundum quod dictum eſt, ponendum eſt ſcientiam vniformem in cognoſcendo eas ſimpliciter, & ſecundum diſpoſitionem ſuam intellectam, & ſecundum diſpoſitionem ſuam qua inueniuntur extra, licèt ſecundũ ſcibilium variationem diuerſimodè per ſermonẽ exprimatur. Per quam ſermonis diuerſitatem non notatur circa ſcientiã Dei niſi diuerſitas reſpectus ad ſcita ſecundum rationem, non quam habet ex parte Dei ratione diuini intellectus intelligentis ipſam rem, vel voluntatis per ſuam determinationẽ principiãtis eam, ſed quam habet diuerſimodè ex eo, quòd ſcita, & principiata diuerſimodè ſe habent ad ipſum in eſſendo, & in cognoſcendo.

Eſt enim relatio rationis Dei ad res duplex. Vna ex ſe, vel ſecundum actum intellectus, & voluntatis in concipiẽdo ſuam eſſentiam, vt imitabilem à creatura, & vt principiatiuam creaturę, & ille reſpectus rationis eſt in eo ab æterno, & potius eſt cum quaſi res referuntur ad ipſum, q̃ è conuerſo. Alia verò ex rebus, quia. ſ. res referũtur ad ipſum, vt ſunt omnes relationes rationis, quæ conueniũt eis ex tempore. Ex prædictis patet quomodo verũ eſt, quòd Deus ſcit quicquid ſciet, & ſciet in æternum quicquid ſcit, & ſciuit: & ſciuit ab æterno quicquid ſcit & ſciet. Vnde ſi arguatur ſic: Deus ſcit quicquid ſciuit & ſciet: ſciuit autem te naſciturum, & ſciet mortuum: ergo ſcit te naſciturum & mortuum. Non ſequitur, quia commutatur quid in quomodo ſe habere ex parte ſciti. Sed benè ſequitur, ſcit quicquid ſciuit, & ſciet: ſciuit autem vt tudã, factum proditionis eius, & cætera huiuſmodi: ſciet verò vt Antichriſtũ, facta malitiæ eius & cætera huiuſmodi: ergo ſcit hæc eadem nõ aliter qnando nõ ſunt vt futura, aut præterita: & aliter quãdo ſunt, ſed omninò eodem modo, ac ſi eſſent præſentia, & determinata in rerum natura.

Et huius ratio eſt, quia ſcientia Dei in tempore non eſt, nec aliquid à rebus recipit, quę ſunt in tẽpore, nec ab vno in aliud currit, ſicut currit noſtrę ſcientiæ comprehenſio, ſed eſt infixa æternitatę, quę totum tempus ambit, quod licèt in eſſe exiſtẽtiæ ſuæ fluat cum motu: tamen ratione ſuæ eſſentiæ, tàm tempus, quàm motus ſe habent vt fixa, & ſtantia reſpectu ſcientiæ Dei, & eſſentiæ omniũ creaturarum. Simul enim omnia conſpicit, & ſecundum ſe, & ſecundum habitudines, quas in exiſtentia natæ ſunt habere inter ſe, & ſic ſimul cum quolibet inſtanti temporis reſpicit ſingula ſecundum modum quo ſunt ſe habitura, ſiue ſecundum eſſe, ſiue ſecundum non eſſe in ſuo nunc æternitatis, & quæ fluunt extra in tempore ſtant ſimul fixa in eius cognitione, vt vniformiter Deus in inſtanti temporis, quod nunc fluit, ſecundum eundẽ modum habeat Antichriſtum ſecundum eum præſentem, & ipſum inſtans, in quo primo erit, ſicut habebit cũ erit actu extra in illo inſtanti iam exiſtente. Et ſic omnia, quæ fluunt in tempore ſibi ſunt ab æterno præſentia, & hoc non ſolũ ea ratione, quia habet rationes rerum ideales ex parte intellectus, & determinationes earum ad eſſe ex parte voluntatis, vt principia productiua earũ, per quod ſunt differenter ideæ retiones eorum, quæ eſt facturus, & eorum quæ nunquam eſt facturus, ſed quia eius intuitus fertur ſuper omnia ab æterno, prout ſunt in ſua præſentialitate, vt nõ ſolum dicamus Deum ſcire omnia tàm cõtingentia ad vtrumlibet, quàm alia, quia cognoſcit ea in ſeipſo, vt in ſua cauſa productiua, etiam ſecundum rationem eſſe particularis, & indiuidualis, quemadmodum ſecundũ prædicta Auicẽ. poſuit eum omnia immutabiliter ſcire in vniuerſali ſciendo ſe principium productiuum omnis eſſe, quemadmodum à nobis circa inferiora in ſuis cauſis inferioribus aliqua cognoſcuntur ſcientia neceſſaria in ſuis cauſis neceſſarijs, quemadmodum dictum eſt ſupra de eclipſib. ſecundum Auic. & contingentia ad vtrumlibet in ſua cauſa per accidens, non ſcientia infallibili, & neceſſaria, ſed ſolum coniecturali, ſed dicamus Deum ſcire omnia, tàm contingentia ad vtrumlibet, quàm alia, quia præſentialitate eſſentiæ ipſius creaturæ ſecundum prædictum modum ſubdũtur ſuo conſpectui, & hoc per eſſentiam ipſius Dei in cognoſcendo ipſas eſſentias ſingulorum abſolutè, & per rationes earum ideales in cognoſcendo differẽtias, & habitudines earum inter ſe, ſecundum ſupra expoſitum modum. Qua ſcientia Deus nouit contingentia non ſolum in ſe vt in eorum cauſa prima productiua, nec in cauſa eorum proxima productiua, in qua conſiderantur vt futurum, & vt contingens, quia cauſa talis non eſt determinata ad vnum, ſed ſe habet ad oppoſita, ſed in eis ipſis, cognoſcendo, ſcilicet & eſſentias eorũ, & eſſentias omnium circunſtãtium ipſas, eadem cognitione, qua vnumquodq; eorum cognoſcitur à Deo, vt in ratione formali, cum eſt actu ens in ſeipſo, &

conſti-

cōsideratur vt præsens non solum diuinæ cognitioni, sed etiam sensui nostro, cui cum est, subditur infallibili cognitione, præter hoc, ꝙ sensus noster cum est cognoscit ipsum esse. Deus autem priusquàm esset, non cognouit ipsum esse, intelligendo esse sm̄ adiacens. Et per hunc modum Deus omnia, quæ fiunt in successione, non successiuè cognoscit, prout in suo esse successiuè se habent vnum post alterum, sicut nos ea cognoscimus, sed simul. & hoc quia, vt dictum est, æternitas præsens est omni differentiæ temporis, & omnis differentia tpis & omnis essentia, creaturæ ēt præsentes sunt æternitati, & ideò contingentia, quæ nondum sunt in tpe realiter, & actualiter per naturas suas subduntur diuinæ visioni, & præsentia sunt ei, & æternitati suæ, quo ad omne qđ est per se scibile in eis, ac si essent extra, non aūt ꝙ per hoc ponantur esse in ęternitate plus q̄ in tpe accipiendo esse sm̄ adiacēs, licèt aliqui hoc putent, quia ex huiusmodi cognitione non ponuntur esse nisi in ipsa diuina cognitione, & consideratione, quæ considerat ipsa, vt dictum est, præter rōnem esse in actu, & non esse in actu, accipiendo. s. esse vt est sm̄ adiacens. Non enim sequitur, omnia, quę sunt in tpe sunt Deo ab æterno præsentia non solum ea ratione, quia hēt rōnes rerum apud se præsentes sm̄ modum iam expositum, sed quia eius intuitus fertur super oīa ab ęterno prout sunt in sua. s. ipsius Dei præsentialitate: ergo sunt in æternitate, sicut non sequitur: ergo sunt in tpe, vel ergo sunt in seipsis extra intellectum, sicut nō sequitur, aliquid est cognitum, siue scitum: ergo est in effectu extra cognoscentē. Et sic est intelligenda illa rerum præsentialitas in cognoscente tm̄, non aūt in existentia earum exteriori sicut aliqui ęstimāt. hoc. n. simpliciter falsum est & erroneum, & esset ponere oīa, & contingentia, & necessaria actuali existentia existere in æternitate, licet producta sint de nō esse in esse ex tpe. Et sic est illa præsentialitas rerum in Deo non in rerum existentia, sed in earum causa, non solū productiua, sed formali cognitiua, vt dictum est. Et q̄uis sic oīa, quæ sunt in tpe sunt Deo ab æterno præsentia, non solum quia rōnes productiuas rerū hēt apud se præsentes, non tm̄ ex hoc sequitur, ꝙ necessariò oīa fuerint ab æterno in æternitate sub præsentia actuali earum, quā habebunt cū erunt in existentia extra. Et sic quæ non sunt in sua natura propria, sunt præsentia æternitati, non solum pro tanto, quia rōnes ideales, vt sunt causales ad producendum ea in effectu, tp̄s, & oīa tpalia, sint præsentes æternitati, & Deo ab æterno, & per hoc ipsa æternitas præsens istis rationibus, sed ēt pro tāto, quia istę rōnes, vt sunt cognitiuæ ad causandū cognitionem rerum in diuina sapientia, sunt præsentes æternitati & Deo ab ęterno, & similiter ipsę rerum essentiæ præsentes sunt æternitati, & Deo ab æterno, sicut obiecta cognita per illas rōnes in diuina essentia fundatas sm̄ præexpositum modū, & per hoc æternitas est præsens eis. Et hoc est qđ vī dicere August. 11. confessi. Vbi ea viderunt qui futura cecinerunt, si nondum sunt, neq; enim pōt videri id qđ non est, & qui narrant præterita non vti ꝙ vera narrarent, si animo illa non cernerent, quę si nulla essent, cerni oīnò non possent, sunt ergo & futura & præterita. Si sunt, volo scire vbi sunt, qđ si non valeo, scio tm̄ vbicunq; sint, non ibi futura esse, aut pręterita, sed præsentia. & hoc non nisi vt sunt in diuina essentia sicut obiecta cognita. dicente August. 4. de Trinit. cap. 5. Incommutabilis veritas vbi principaliter, atq; incōmutabiliter sunt omnia simul, non solum quę non sunt in hac vniuersa creatura, verum ēt quæ fuerunt, & quæ futura sunt. Ibi aūt nec fuerūt, nec futura sunt, sed tm̄ modo sunt, & oīa vita sunt, & oīa vnum sunt. Vnde sequitur in lib. confess. Cum ergo videri dīr futura non ipsa, quæ nondum sunt. i. quæ futura sunt, sed eorum causæ vel signa, forsitan vīr, quæ iam sunt, ideò non futura, sed præsentia sunt iam videntibus, ex quibus futura prædicantur animo concepta. Et loquitur hic ad literam de visione corporali, qđ patet exemplo, qđ subdit. Intuor auroram, oriturum solem pronuntio, & cętera. & sequitur de visione spirituali prophetarū. Docuisti prophetas tuos, quisnā ille modus est, quo doces futura, cui futurum quicq̄ non est, vel potius de futuris doces præsentia, de futuris. s. in re, præsentia in cognitione. Iuxta illud quod dicit August. supra principium Psalmi. 84. Benedixisti Dñe terram tuam. Cantat propheta in futurum, & vītur verbis, quasi iam prēteriti tp̄is, & tanq̄ facta dicit, quę futura erant, quia apud Deum, & quod futurum est iam factum est. Ibi ergo iam propheta videbat futura nobis, vbi iam facta in illius prouidentia, & prædestinatione certissima. Vnde non solus Deus, sed ēt propheta in Deo videre potuit, quæ non sunt, tm̄ omnem eundem modum, quo videre potuisset, si coram oculis suis corporalibus ea præsentialiter conspexisset, hoc solo excepto, ꝙ ea esse sm̄ modum, quo esse sm̄ adiacens est, ibi videre nō potuit, sed solum cum præsentia sunt sub oculis, sicut patet ex prędictis. Vnde istæ complexiōnes quibus dicitur hoc est, fuit, vel erit solùmmodo notant diuersos respectus, siue habitudines eiusdem scibilis ad idem instans temporis, quod quidē scibile, vt scibile est, siue circa ipsas res absolutas, siue circa ipsos respectus, sm̄ id quod realitatis habent, & circa oīa huiusmodi non mutatur, sed habitudo vnius rei ad aliam rem, & modus habēdi benè mutatur, scientia tm̄ nequaq̄, sed manet eadē propter identitatem scibilis, qn̄ simul concipitur secundum oēs respectus propter quos scientia solùmmodo secundum modum sermonis, quo exprimitur variatur, non aūt secundum se. Ipse aūt sermo propter respectus diuersos variatur. secūdum diuersitatem respectuum à veritate in falsitatem re scibili in se non variata, & similiter opinio circa rem signata in dictione sub tali respectu, dicente Philosopho, ꝙ eadem manens oratio, vel opinio

muta-

mutatur à veritate in falsitatem sine sui mutatione, ad mutationem rei secundum dictos respectus, qui sunt esse non esse, fuisse non fuisse, fore nõ fore. Vnde huiusmodi complexa non sunt scibilia quædam, sed potius opinabilia. Præmissis igitur inspectis, patet ꝙ scientia Dei non est nisi vniformis, qualitercunq; circa res accidat variatio, quia neq; ex parte Dei scientis põt variari, quia nõ acquirit alicuius scientiam de nouo, neq; augmentũ neq; diminutionem eius. Non enim potest scire plura, vel pauciora, vel alio modo, vel alia, q̃ scit, & hoc maximè quo ad scientiam purè speculatiuã. Similiter quantum est ex parte sua, quo ad eius scientiam quasi practicam, qua nouit operanda determinata per eius voluntatem. Idem enim est iudicium, quo ad hoc de scire particularia, & vniuersalia, plura vel pauciora, quia scientia Dei secundum prædicta, etsi non determinat facienda, vel non facienda, perfectè tñ perscrutatur determinationem suæ voluntatis, quo ad facienda, & non facienda. Ita ꝙ sicut Deus ab æterno potuit velle se esse facturum plura, vel pauciora, vel alia, ita ab æterno potuit scire plura, vel pauciora, vel alia se esse facturum, & scire se esse facturum, quæ non est facturus, & hoc sine omni mutatione, quia sine pluralitate mutationis contrariorum circa idem, quia non exit de habitu sciendi in actum, nec tamen hoc fuisse scire alia plura, vel pauciora. Idem enim semper est scitum incomplexum, siue sciatur hoc facturus, siue non facturus, sicut siue sciatur esse, vel non esse, fuisse, vel fore, & ideò eadem scientia, vt dictum est. Et præterea vnum est quod omninò prohibet variationem esse circa scientiam Dei. s. ꝙ omnis variationis modus circa res, siue sub ratione incomplexi, siue sub ratione complexi simul comprehendit ab æterno, & hoc quantum est ex parte nunc æternitatis suæ. Si enim vna dictio esset imposita ad signandum nunc æternitatis prout abstrahit ab omni differentia temporis, tunc quicquid siue secundum rationem complexi siue secundum rationem incomplexi prædicatur de nostra scientia secundum diuersas dictiones cõsignantes diuersas differentias temporis, dicendo sciam, vel scio, vel sciui, prædicabitur de scientia diuina secundum illam eandem dictionem signantem actum scientiæ eius, nullam differentiam temporis consignantem, sed solùm consignantem nũc æternitatis. & si esset hæc dictio scio, benè diceretur, Deus scit Antichristum esse, sicut & secundũ modum nostrum cum sciet sit futuri temporis, bene dicitur sciet Antichristum esse, quia futurũ nostrum continetur in suo nunc præsente æternitatis. Ita ꝙ hoc posito non sequitur: Deus scit Antichristum esse: ergo Antichristus est, propter commutationem durationis nunc æternitatis in nunc temporis. Infertur enim conclusio, ac si ly scit cum dr Deus scit Antichristum esse, consignaret nunc tẽporis, modo autẽ non consignat in præmissa, nisi nunc æternitatis. de illo enim benè sequitur, scit Antichristum: ergo Antichristus est, de istó autẽ nequaq̃. Sed est aduertendũ, ꝙ Deus scit res alio, & alio modo ex parte rerum cognitarum, quia cognitione purè speculatiua cognoscit rerum essentias, secundum ꝙ essentiæ sunt absolutè quasi secũdum lineam rectam ordinatas secundum gradus essentiarum. de quo ordine iam inferius erit sermo in quarta quæstione. In cognitione verò practica cognoscit essentias rerum, vt quædam operanda, & hoc quasi secundum ordinem lineę circularis secundum circulum temporis, in quo & eius partibus instantibus sortiuntur suam existentiam, sed aliter rerum essentias considerando, vt sunt essentiæ ordinatæ secundum gradus rerum, aliter verò vt operabilia sunt ordinata secundum circulum temporis, quia ad essentias se habet, & ad lineam rectam earum sicut vnitas prima ad numerum, ad operabilia verò, & ad circulum eorum sicut punctus centri videntis æqualiter vndique totam circunferentiam, & quemlibet punctum eius, & quic quid est in eis.

Vlterius autem est aduertendum, quòd secundum quòd Deus videt res non solum, vt factibiles simpliciter, sed vt variabiles sua factione secundũ esse, & non esse, fore, non fore, fuisse, non fuisse, vt supra dictum est, secũdum hoc videt, & cognoscit easdem res, & eadem scibilia omninò secundum aliam, & aliam rationem circuli. Quia operabilia primo modo cognoscit secundum rationem, & ordinem circuli fixi, & stantis respectu suę scientię quantuncumque, & tempus & temporalia in seipsis fluant. Secundo autem modo cognoscit ea secũdum rationem, & ordinem circuli fluentis cum variatione sui fluxus nihil variantis circa essentiã scientiæ Dei, sed solùmmodo circa eius denominationem eandem rem scire q̃nque esse, & quandoque non esse, quandoque futuram, quandoque non futuram, quandoque fuisse, quandoque non fuisse, quandoque scire, quandoque non scire, quandoque sciuisse, & quandoque non sciuisse, quandoque sciturum esse, quandoque non sciturum esse, & hoc attribuendo ei scire consignans differentias nostri temporis. Attribuendo verò ei scire, quod consignaret solũmodo nunc abstractum æternitatis, tunc neque secundum sermonis expressionem aliquam fieret ibi variatio, vt dictum est.

Ad Argu. in oppositũ.

Ad argumentum in oppositum, quòd diuersitas scibilium non potest à rebus caulari, sed à scientia Dei, vel ab aliquo in Deo: Dicendum, quòd verum est, sed illa in Deo est secundum rationem tantùm, vel ex parte intellectus, quo ad ideas respectu diuersitatis essentiarum in rebus, vel ex parte voluntatis, quo ad eius determinationes circa operanda ab ipsa, vt dictum est. Nec requiritur tanta diuersitas in principijs, quanta in principiatis, sed talis rationis diuersitas in Deo nihil diuersificat eius scientiam, vt patet ex determinatis.

Com-

Comment. in Quæstionem Secundam, quæ est,

Vtrum differmitas scibilium circa creaturas arguat aliquam differmitatem in Dei scientia.

IN titulo ly differmitas accipienda est pro diuersitate, & varietate. Et not. quòd hoc quærere parum distat ab hoc. Verum scientia Dei sit varia, atque diuersa, ita vt non vna, & eadem scientia cognoscat hoc, & illud. Memineris autem ante omnia, quòd quæ cognoscit Deus cognoscit per ideas, vt determinatum est, & quidem tùm speculatiuas, cùm practicas, sed per speculatiuas nè dum ea, quæ sunt, sed etiam quæ non sunt, nec erunt vnquàm, licèt possibilia sint, per practicas verò tantùm ea, quæ sunt, & futura sunt. Et memineris, quod cum duplex sit idea, & consequenter duplex notitia in Deo speculatiua, & practica, etiam quæstio hæc duplicem partem habere videtur, vt altera sit, quæ spectat ad scientiam Dei speculatiuam, altera verò ad scientiam Dei practicam. Et iuxta hæc duo, quæstio est resoluenda.

Not. insuper, quòd aliud est quærere de varietate scientiæ Dei, & aliud de variabilitate eiusdem. Prima.n.ab Auctore inducitur propter diuersitatem rerum in essentiales formas earum. Secunda verò à D. Thoma inducitur. p. p. quæst. 14. art 15. propter habilitatem rerum, & mutabilitatem.

In corpore est conclusio quæsito respondua sic. Scientia Dei siue speculatiua, siue practica non est vllo modo differmis ex differmitate scibilium.

Prima pars de speculatiua probatur sic. Deus vnico actu intelligendi intelligit essentiam suam, vt imitabilem, ergo intelligit vnico actu omnes imitabilitates, ergo intelligit vnico actu omnes imitationes, ergo scientia Dei est vniformis. Patet Antecedens, quia si pluribus actibus intelligeret, hoc esset ob aliquam imperfectionem, quæ remouenda est prorsus à Deo. Patet prima consequentia; quoniam si non cognosceret omnes imitabilitabilitates, profectò nec totam cognosceret essentiam suam, vt imitabilem. Patet secunda consequentia, quia imitationes realiter referuntur ad imitabilitates, tametsi non è contra. Qui autem cognouerit vnum relatiuorum, cognoscet & reliquum. Patet vltima consequentia, quoniam vniformitas scientiæ prouenit ab vniformitate actus, ex diuersitate namque actuum diuersificantur habitus.

Not. q re vera in actu, & explicitè non habetur totus hic discursus ab Auctore, habetur tamen ab ipso in virtute, ac implicitè. Quippè expresè habet illud antecedens, vnde facilè deducuntur omnes illæ consequentiæ.

Not. quod ideò vnico actu comprehendit omnia Deus, etsi sint differentia, quoniam non agnoscit ea per informationem, veluti cognoscunt intellectus creati. Sed vtique cognoscit omnia per cognitionem essentiæ suæ, quæ cum sit principiū totius esse creaturarum, comprehendit omnes quiditates rerum, tùm vniuersales, cùm etiam singulares. Quo fit, vt sit principium clarum cognoscendi omnia. Secunda pars de scientia practica probatur sic. Eodem modo cognoscit Deus omnia scientia practica, quo determinatè vult ea fieri, & esse. Sed vult ea sine vlla suæ voluntatis varietate, ergo etiam agnoscit sine scientiæ suæ illa prorsus varietate.

Not. q loquendo tùm de scientia speculatiua, cùm etiam practica, duplicem varietatem in rebus attendere possumus, ad quas res attingit vtraque scientia. Alia quippè varietas est respectu essentiæ, alia verò respectu existentiæ. si consideremus primam varietatem, non videtur tanta difficultas in resolutione quæstionis, quanta si consideremus varietatem secundū existentiam. Nimirum, etsi essentiæ rerum sunt diuersæ, vnica tamen est diuina essentia, quam omnes imitantur essentiæ creatæ. Vnde si varietatem aliquam esse deprehendimus in essentia diuina respectu diuersitatis idearum, quoniam ideæ in Deo non nisi ratione distinguuntur, realiter autem nequaquam; illud manifestè sequitur, vt vniformiter agnoscat essentias rerum, & non quidem tantùm in vniuersali, vt credidit Auicēnas, sed & in singulari. Quoniam cuiuslibet essentiæ est conditor Deus immediatè. At dum loquimur de varietate existentiæ, hæc attenditur penès esse, & non esse, fuisse, & fore. Vbi necessaria videtur varietas etiam in scientia. Vt videatur alia scientia cognoscens præsentia, alia futura, & alia præterita. Et nota, quod hoc videns Auicennas, vt inuariabilitatem scientiæ Dei defenderet, dixit Deum cognoscere tantùm essentias rerum in vniuersali, in qua cognitione nulla attenditur temporis varietas. Et dixit Deum non cognoscere rerum existentias particulares. Nos autem, qui Deum immediatè omnium conditorem faremur, aliter tuemur huiusmodi inuariabilitatem dicentes. Quòd cum Deus sit Dominus temporis, ipse vocat ea, quæ non sunt, tanquā ea, quæ sunt. Ita quod omnia sunt præsentia sibi, non quidem in esse existentiæ temporalis, sed in esse existentiæ ipsius æternitatis, ita quòd vniformi scientia, quæ est æterna, sicut Deus ipse æternus cognoscit omnia tùm præsentia temporali existentia, cùm etiam non præsentia. Et vbi euenit varietas aliqua, tota est in creatura. Et totum hoc est illud, quod prolixè satis Auctor habet in residuo quæstionis huius. His ergo dispositus accedat lector ad quæstionem, quòd facilius ipse intelliget Auctoris mentem. Hæc.n.posse sufficere pro nunc iudicamus.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum aliquis possit agere, quod impossibile est fieri.

Arg. prim. CIRCA tertium, quòd non est possibile aliquē agere id, quod impossibile est fieri, arguitur sic. Actiuum, & passiuum sunt relatiua, quorum vnum ponit alterum, nec est vnum sine altero. si ergo non est alicuius potentia passiua, vt fiat, nulla est respectu illius potentia actiua, quæ illud esse faciat.

In oppos. Contra. Deus facit aliquid ex nihilo, in quo nulla omninò est potentia passiua.

Responsio. Dicēdum ad hoc, quòd aliquid dicitur impossibile fieri dupliciter.

Vno modo obiectiuè, tanquàm illud quod habet ab alio fieri, secundum quod dicitur posse generari id, quod est terminus generationis.

Hoc modo quòd impossibile est fieri nullum agẽs potest facere. & sic nihil dicitur impossibile fieri, nisi purum nihil, quod non est aliquid per essentiam, non solum per existentiam, tale impossibile fieri, nec Deus potest facere, nõ propter defectum alicuius potentiæ, sed quia ád tale non ordinatur aliqua actiua potentia. Alio autem modo dicitur aliquid impossibile fieri subiectiuè, & hoc dupliciter. Vno modo, quia nõ est aliquod subiectum in potentia, de qua possit aliquid fieri respectu cuiuscunque agentis. Alio modo, quia non est aliquod subiectum in potentia vno modo respectu vnius agentis, est tamen in potentia alio modo & respectu alterius agentis. Ponere impossibile primo modo simpliciter implicat contradictionem, & repugnat factioni secundum omnem cursum, & ordinem rerum. Repugnat etiam agenti simpliciter, vt si determinari ad situm, siue locum secũdum substantiam non sit nisi ratione quantitatis, & aliquid quod ex sua natura, & substantia nullo modo in se habet aliquid pertinens ad quantitatem, vt punctum, aut linea, aut huiusmodi, ponatur secundum substantiam determinari ad situm, vel locum, vel si distingui indiuidualiter, siue numeraliter aliqua duo sub eadem specie non sit, nisi ratione quantitatis, aut materiæ, & aliquid quod in se nullo modo habet quantitatẽ, aut materiam, nec habere potest, ponatur modo dicto distingui, aut posse distingui ab alio suæ speciei. Impossibile verò secundo modo, etsi esset impossibile fieri respectu alicuius agentis, & secundum aliquem ordinem, & cursum rerum, non tamen secundum omnem, vt cum aliquid dicitur fieri ex nihilo, quod solum possibile est facere agentem supernaturaliter. Impossibile modo tertio est, vbi est aliqua potentia in subiecto reducibilis ad actũ per agens supernaturale, non autem per agens naturale, vt ꝙ naturaliter cęcus fiat videns, aut ꝙ mortuus resurgat. Isto autem secundo, & tertio modo impossibile fieri non dicitur impossibile fieri simpliciter, sed solum impossibile primo modo. Nõ ei est impossibile simpliciter, nisi quod est impossibile simpliciter potenti; non autem quod est impossibile alicui non simpliciter potenti. quemadmodum non est simpliciter dulce, aut amarum nisi quod est dulce, aut amarum respectu gustus simpliciter bene dispositi. Et illud est solùmmodo impossibile primo modo, ita ꝙ nihil sit impossibile Deum agere, quin illud sit impossibile fieri, & è conuerso nihil est impossibile fieri, quin sit impossibile Deũ agere illud. & sic nihil potest Deus agere, quod est impossibile fieri. Ita ꝙ magnum inconueniens est dicere Deum posse aliquid agere secundum quencunque cursum, & ordinem rerum, quod secundum se simpliciter impossibile est fieri. Est etiam magnum inconueniens dicere de tali impossibili, pura ꝙ contradictoria sunt simul in eodem, ꝙ non est impossibile, quia Deus non potest facere hoc, sed quia hoc non potest fieri, quasi restet non ex parte Dei, quin in ipso sit potentia actiua ad hoc faciendum, sed ex parte facti, quia nõ est in ipso potentia ad hoc fieri, immò nec in eo est potentia ad hoc facere, sicut non est in eo potentia ad peccare, quia illud esset omnem ordinem rerum confundere, quod posse nõ esset potentiæ, sed impotentiæ, nec est propter impotentiam, aut defectum potentiæ, sed propter potentiæ abundantiam, vt de talibus benè dicatur, quòd Deus potenter non possit ea facere. Vnde in eis, quæ potest facere, ipsum facere est voluntas faciẽtis, nec ab alio dependet ipsum fieri. Ita quòd nõ est verum dicere de impossibili simpliciter, quòd Deus non potest illud facere, quia non potest fieri, sed potius non potest fieri, quia Deus non potest facere, sicut & in affirmatiua non dicitur Deũ possibile aliquid facere, quia illud possibile est fieri, sed è conuerso, quia Deus potest illud facere, ideo possibile est fieri, aut obiectiuè, aut subiectiuè. Vnde de correspondentia potentiæ actiuæ, & passiuæ dicit Comment. super primum cę. & mundi. Notum est per se, quòd illud quod est possibile ab extrinseco est possibile per se, concessum est enim, quòd omne impossibile in se est impossibile secundum extrinsecum, & impossibile est imaginari aliquid esse possibile in respectu patientis, & impossibile in respectu agentis, & possibile non est possibile, nisi in respectu agentis, & patientis.

Ad primum in oppositum, quia non est potentia actiua, cui non respondet potentia passiua: dicendum, quòd verum est vel obiectiuè, vel subiectiuè, vtroque modo respectu agentis naturalis, quod nihil agit, nisi ex subiecta materia. obiectiuè solum respectu agẽtis supernaturaliter, quod agit ex nullo subiecto. Non agit tamen nisi quod est natura, & essentia aliqua potens esse obiectum, & terminus factionis diuinæ, in cuius essentia est ista potentia essentialiter, inquantum essentia cuiuslibet creaturæ, inquantum est de se, est possibile esse, & non esse. *Ad argum. princ.*

Comment. in Quæſtionem Tertiam, quæ eſt,

Vtrum aliquis poſſit agere, quod impoſſibile eſt fieri.

IN titulo ly aliquis transferas ad Deum. ſi n. aliquis agens facere impoſſibile poteſt, ille profectò eſt Deus, & non alius. Amplius ſcito; quòd impoſſibile dicitur dupliciter. Aliud, quod negat poſſibilitatem; aliud verò, quod inducit difficultatem, ita vt impoſſibile nonnunquàm accipiatur pro difficili. Non eſt autem quęſtio de hoc impoſſibili, ſed de illo, quod negat poſſibilitatem. Quod quomodo diſtinguatur, in corpore quæſtionis habetur.

In corpore igitur quæſtionis duo habemus. Primum eſt enumeratio trium ſpecierum impoſſibilis. Secundum eſt reſponſio ad quæſitum vnica tres partes habente concluſione, vel etiam tribus concluſionibus.

De primo. Diſtinctio eſt; quod impoſſibile aliud eſt obiectiuè, aliud eſt ſubiectiuè, & hoc duplex eſt.

Not. ante omnia declarationem ex nobis huius impoſſibilis tùm obiectiuè, cùm etiam ſubiectiuè. In omni factione requiritur materia, vel creata, vèl creabilis, nempè aliqualis potentia paſſiua. Quia omnia poſt Deum ex actu, & potentia admixta eſſe noſcuntur. Solus ſiquidem Deus actus puriſſimus eſt. Amplius, in omni factione requiritur terminus aliquis, qui ſit aliquid habens eſſe, ſeu dans eſſe. ſed vbicunque intelligitur fieri aliquid, ſiue ex præſuppoſita materia, ſiue ex creabili, datur poſſibile ſubiectiuè, quia ſubijcitur aliquid ipſi factioni. Vbi verò nihil prorſus ſubijcitur, dato quod imaginari poſſimus dari factionem, non dicetur ſubiectiuè, ſed obiectiuè. Verum impoſſibile eſt, quòd ſit factio talis. Vt tamen intelligatur, ſciendum eſt, quòd impoſſibile ſubiectiuè eſt vbi quidem ſubijcitur aliquid, tenens locum vel materiæ, vel termini à quo. Vt, exempli gratia. Cum dicunt Philoſophi ex nihilo aliquid fieri eſt impoſſibile: Hoc impoſſibile dicitur ſubiectiuè. duo n. ſubijciuntur, terminus à quo, & terminus ad quem. Terminus à quo eſt ipſum nihil, terminus ad quem, eſt ipſum aliquid. ſic cum dicunt virginem parere eſt impoſſibile, cęcum videre, mortuum reſurgere. Datur vterque terminus, vbi alter ſe habet veluti materia, alter verò ſicuti forma, & inter ſe ſunt diuerſi.

Hæc igitur dicuntur impoſſibilia ſubiectiuè. Sed vbi termini huiuſmodi non ſubijciuntur, ita vt ex ſe ſeiunctim conſiſtere poſſint, profectò illud impoſſibile dicitur fieri obiectiuè. Vt ſi dicatur. Facere nihil eſt impoſſibile. In hoc n. loquendi modo nihil ſub jcitur, & nihil pariter colligitur, & ideò dicitur objci tantùm, non ſubijci. Quod n. ſubijcitur, re vera aliqua ex parte habet eſſe, propterea non eſt purum nihil. Nunc itaque aliud eſt impoſſibile obiectiuè, & aliud ſubiectiuè. Et hoc ſubiectiuè diſtinguitur, quòd aliud ſit, quod eſt impoſſibile reſpectu cuiuſcunque agentis, & cuiuſcunque ordinis rerum; aliud verò impoſſibile eſt reſpectu alicuius agentis, & alicuius ordinis rerum. Exemplum primi. duo contradictoria ſimul verificari de eodem. Exemplum ſecundi. Ex nihilo aliquid fieri. Virginem parere, cœcum videre, defunctum reſurgere. Et hæc de primo.

De ſecundo autem ponuntur tres concluſiones, quarum Prima eſt. Impoſſibile obiectiuè à nullo agente fieri poteſt poſſibile.

Secunda eſt. Impoſſibile ſubiectiuè primo modo à nullo agente fieri poteſt poſſibile.

Tertia eſt Impoſſibile ſubiectiuè ſecundo modo fieri poteſt poſſibile à Deo, etſi non ab agente naturali.

Prima concluſio probatur. Id, ad quod nulla actiua potentia ordinatur fieri non eſt poſſibile, ſed nulla prorſus actiua potentia ordinatur ad illud impoſſibile, igitur &c.

Not. ꝙ hoc non dicit impotentiam in Deo, ſed neque in creatura, quia purum nihil non dicitur creatura, & ideo propriè nõ dicitur impoſſibile ſubiectiuè Et ad huiuſmodi non extenditur potentia actiua, quia eſſet implicatio contradictionis, ꝙ ad ipſum ordinaretur potentia actiua, & eſset nihil.

Secunda concluſio probari poteſt eadem ratione. Nam ſi impoſſibile eſt reſpectu cuiuslibet agentis, & ordinis rerum, videtur, quod actiua potentia non ordinetur ad ipſum. Sed & probatur ſic. Quod implicat contradictionem à nullo agẽte fieri poteſt, ſed hoc ſupponitur implicare, &c. igitur &c. Qua eadem ratione etiam ſuperior concluſio probari poteſt.

Tertia concluſio probatur. Quod non eſt impoſſibile ſimpliciter, fieri poteſt poſſibile à Deo, ſed impoſſibile reſpectu alicuius agentis tantum non eſt impoſſibile ſimpliciter, igitur &c.

Not. ꝙ dum dicitur aliquid eſſe impoſſibile reſpectu alicuius agentis, intelligitur ſemper de agente ſub Deo, quoniam ſi detur impoſſibile reſpectu Dei, profectò dabitur etiam cuiuslibet agentis, non è contra. Quod. n. poteſt facere quodlibet agens naturale, & creatum, poteſt & Deus facere ampliori, & maiori modo, non è contra. Hæc pro quæſtione.

Not. autem illud, quod notauimus in tertia quæſtione ſexti. Nempè ꝙ Scotus ſubtiliſſimus notat hunc Doctorem contradictione, & vult ipſum ſibi contradicere in his, quæ dicit hic, & ibi.

Ad videndam autem pro Scoto primum contradictionem huiuſmodi, memineris, ꝙ ibi dicebat Auctor, ꝙ ea, quæ fieri non poſsunt profectò non fiunt, quia ſunt impotentia fieri. ſubdebat verò, ꝙ ea, quæ ita fieri non poſsunt, ideò non fiunt, quia impotentia in illis eſt, non in Deo. Erat. n. Concluſio. Quòd impoſſibilitas primò, & principaliter eſt in creatura. Hoc autem loco, dicit apertè contrarium, ſ. ꝙ ideò ipſa impoſſibilia non fiunt, quia Deus ea facere non poteſt.

Cœterùm iudicamus id de induſtria feciſſe Doctorem. Cognoſcens. n. benè affectos veritatem cognituros, ad ipſos benè affectus viſus eſt reſpicere. Malè autem affectos deriſuros, vt fierent deinde & ipſi deriſibiles.

Ad tollendam itaque hanc contradictionem notaueris, ꝙ verum quidem eſt in tertia ſexti poſuiſſe impotentiam in creaturis, in hac verò eam ponere in conditore Deo. Sed impotentia duo dicit. Alterum eſt perfectio, atque potentiæ, & virtutis exuberantia. Alterum verò eſt prorſus imperfectio, & paſſiuæ potentiæ totalis, vel partialis defectus. In quantum impotentia dicit imperfectionem, atque defectum paſſiuæ potentiæ abſque dubio poſuit ibi in creaturis; quia nulla imperfectio, atque defectus ponendus eſt in Deo. Sed in quantum impotentia dicit perfectionem, atque potentiæ, virtutiſque exuberantiam, tunc non in creaturis poſuit eam, ſed in ipſo Deo, ſecundum ꝙ in Deo ponitur impotentia ad peccandum. Deum. n. poſſe peccare non dicit imperfectionem, ſed maximam prorſus perfectionem, & ſic tollitur omnis contradictio.

HENRICI A GANDAVO
QVAESTIO QVARTA.

Vtrum effectus contingens possit fieri à Deo immediatè.

Arg. prin. CIRCA quartum arguitur, ꝙ effectus contingẽs possit immediatè fieri à Deo, quia potest ab ipso fieri mediante creatura. potest.n. fieri immediatè à creatura,& ꝙquid fit immediatè à creatura, fit mediante creatura à Deo, quicquid autem à Deo potest fieri mediatè, potest fieri & ab ipso immediatè.

In oppos. Contra. effectus contingens non habet immediatè,nisi causam contingentem. Deus autem nullius potest esse causa contingens,quia talis est causa per accidens, quę reducitur ad aliam per se. Deus autem non est causa, quę ad aliam habet reduci.

Responsio. Dicendum ad hoc, ꝙ contingens est, quod potest esse,& non esse. Aliquid autem potest esse,& non esse dupliciter, vel ex parte facti,quia est talis naturę, ꝙ potest esse, & non esse, fieri & non fieri, vel ex parte facientis, quia est tale agens, quòd ab ipso indifferens effectus potest fieri, & non fieri. Primo modo rationem contingentis habet omne defectibile, vt est generaliter omnis creatura, & maximè quod habet in se rationem corruptiui, vt est omne generabile,& corruptibile,& omnis talis effectus contingens potest fieri immediatè à Deo. Secundo modo dupliciter, quia effectus potest ab aliquo indifferenter fieri, vel non fieri dupliciter, vel quia non est in ipso vis, qua necesse est eum fieri, vel quia non est in eo vis determinans ipsum fieri. Primo modo dicitur effectus contingens omne,quod fit à Deo circa creaturas. Secundo autem modo nullus effectus contingens fit à Deo immediatè. nec etiam mediatè;respectu enim ipsius non est aliquis effectus contingens. quoniam effectus sic contingens non procedit in esse, nisi præter intentionem per voluntatem agentis,vt in fortuitis, vel absque voluntate,vt in casualibus. Prętęr intentionem autem Dei agentis nihil fit. Ipse enim ordinat fieri intentione per se, quæcunque fiunt per accidens, & præter intentionem à causis inferioribus.dicente August.super Psal.9. Omninò ad diuinæ prouidentiæ regimen referantur,quæ stulti casu, & tèmerè, & nulla diuina administratione fieri putant. Potest tamen hic distingui, quia fieri talis effectus possumus considerare dupliciter, vel quo ad substantiam facti, vel quo ad modum eius procedendi in esse ab agente immediato. Primo modo fit à Deo mediante agente proximo, & potest fieri immediatè à Deo,licèt non præter intentionem. Secundo autem modo non fit omninò à Deo, nec potest fieri, neque mediatè,neque immediatè, quia non habet causam agentem,sed deficientem tantùm.

Ad primum in oppositum, ꝙ effectus contingens sit à Deo mediatè, ergo & immediatè: Dicendum, ꝙ verum est secundum iam expositum modum, aliàs non. Et secundum eundem modum secundum prædeterminata dicendum est ad secundum.

Comment. in Quæstionem Quartam, quæ est,

Vtrum effectus contingens possit fieri à Deo immediatè.

IN titulo not. quid sit contingens, nempè quod potest esse, & non esse.
In corpore quatuor conclusionibus respondet quæsito iuxta membra subdiuisa cuiusdam distinctionis, quæ sic omnia possunt reduci.

Aliquid potest esse, & non esse, vel

Ex parte facientis, à quo res fieri,& non fieri potest. Et hoc vel

Ex parte facti, quod nempè habet talem naturam.

Quia non est in ipso vis, qua necesse est eũ fieri

Quia non est in eo vis determinans ipsum fieri, & tunc si fit, vel non fit. Intelligitur vel

Ex parte substantiæ facti

Quo ad modum procedendi in esse ab agente proximo

Prima conclusio. Omne, quod fit à Deo circa creaturas est contingens.

Secunda conclusio. Contingens fit à Deo mediãte agẽte proximo sed põt fieri ẽt ĩmediatè.

Tertia conclusio. Nullo modo fit à Deo.

Quarta conclusio. Contingens fit à Deo immediatè.

Prima

Prima concluſio non ptobatur ab Auctore, quia videtur manifeſta. Et quidem quoniam ſi ipſamet creatura potuit eſse, aliq; non eſſe, quantũ eſt ex parte agentis Dei, qui poterat ſic eã non facere, ſicut & facere, quanto magis ea, q̃ fiunt circa ipſam?

Secunda concluſio pariter non probatur, ſed ſolum addit ipſe, ꝙ talis effectus fieri poteſt etiam immediatè à Deo, ſed non præter intentionem. Quod vtique addit propter ſuperius membrum, vbi ex parte agentis poſita eſt indeterminatio. Et hinc eſt, ꝙ poſuerat negatiuam concluſionem vniuerſalem; Ex quo ſequitur, ꝙ ſi præter intentionem intelligatur, non fite à Deo immediatè, quoniam quod fit immediatè à Deo non fit præter eius intentionem.

Tertia concluſio probatur. Quod non haber vllo modo cauſam efficientem, ſed tantùm deficiẽtem, nullo modo fit à Deo, ſed talis effectus eſt huiuſmodi, ergo &c.

Not. maiorem ex eo vim habere, ꝙ Deus vt Deus nullo modo eſt cauſa deficiens, ſed efficiens.

Quarta concluſio declaratur; Quòd intelligitur de omni generabili, & corruptibili: ſed non probatur, quoniam nota ſit. Et probari poteſt, quoniam quodlibet ens, quatenus huiuſmodi, immediatè particeps eſt diuini eſſe, igitur & corruptibilia. Quæ autem participia ſunt huiuſmodi, participia ſunt ſecundum modum ſuæ naturæ, vt verum illud ſit, à primo ente datum eſt omnibus eſſe, his quidem clarius, his autem obſcurius.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum duobus æqualiter diſpoſitis ad receptionem gratiæ, Deus illis æqualiter conferat.

Arg. prin. Primum.

CIRCA quintum arguitur, ꝙ duobus ęqualiter ſe habentibus ad receptionem gratię, non ſemper Deus æqualiter confert eã, quia inęqualiter dãdo plus declarat ſuam potentiam, & ſuam miſericordiam, ſecundum illud Roman. 9. Volens Deus notam facere potentiam ſuam &c. Sic autẽ debet gratiam ſuam diſtribuere, quò magis ſua potentia, & ſua miſericordia declarentur. ergo &c.

Secũdum. Quod etiam patet in exemplo de ſanctificatis in vtero, & de duobus paruulis, quorum vnus perducitur ad baptiſmum, alter verò non, & de adulto Paulo, qui in actu recalcitrandi gratiam iuſtificantem accepit, quod nulli conſimiliter legitur fuiſſe factum.

In oppoſit. Opinio quorundam. Contra. tunc videretur eſſe acceptor perſonarum.

Ad hoc dicunt aliqui, ꝙ Deus quicquid operatur circa creaturas, ex mera liberalitate, & ſolo beneplacito ſuæ voluntatis operatur, & faciendo qđ facit, & non faciendo quod non facit, & faciendo modo, quo facit, & non faciendo modo, quo non facit, vt ſuper hoc non ſit aliqua alia ratio, vel cauſa petenda, vel inueſtiganda. ſ. aut merita prętérita præſentia, vel futura, aut diſpoſitio vlla ex parte recipientium. Quod confirmant per illud, quod dicit Apoſtolus Roman. 9. de Iacob, & Eſau. Cum nondum nati eſſent, aut aliquid egiſſent boni, aut mali, vt ſecundum electionem propoſitũ Dei maneret, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, quia maior ſeruiet minori. Cum nondum nati eſſent. ecce amouetur diſpoſitio recipientium, quæ etiam in præſcientia Dei ęqualis potuit fuiſſe. Aut aliquid egiſſent boni, aut mali. Ecce amouetur opus non ſolum in re præſens, aut prętéritum, ſed etiam futurum in prędeſtinatione. Vnde gloſſa. Sicut non pro meritis prędecẽtibus, ita nec pro futuris, quia bona, vel mala non erant futura, niſi appoſita gratia, vel ſubtracta. Et ſic manet ſola ſecundum propoſitum gratuita electio, quę eſt ſola cauſa, & ſufficiens etiã omnibus alijs ęqualibus. Vnde vt amoueretur ſuſpicio non potentibus videre diuinæ electionis bonitatem, ſubdit Apoſtolus. Nunquid iniquitas eſt apud Deum, abſit. Quia ſecundum Gloſſ. Iacob per miſericordiam elegit: Eſau per iuſtitiam reprobauit. Quod etiã Apoſtolus declarat ſubdens. Aut non habet poteſtatem figulus ex eadem maſſa &c. Vnde ſicut ſola voluntas figuli ratio eſt, quare de hac parte maſſę facit vas honorabile: de illa vas contumelię, nulla diſcrepantia exiſtente in tota maſſa, quẽadmodum neque eſt in prima materia, cum ageus veſtit eam in vno forma nobiliori, in alio verò minus nobili, ſic ſola voluntas beneplaciti Dei eſt ratio, quare de eadem maſſa ęqualiter vitiata in primo parente iſtum eligit ad gloriam, illum verò dimittit in condemnationem, vel etiã ſi non fuiſſet maſſa vitiata, ſed omnes homines naſcerentur ſecundum ſtatum innocẽtię, & eſſent ęquales omninò in naturalibus diſpoſitionibus, vnum ſiue de maſſa vitiata, ſiue de non vitiata non niſi gratuito eligeret, alterum verò dimitteret, vtrobique tàm electo de maſſa vitiata, quàm non vitiata faciendo gratiam illi, quem eligeret, ſed maiorem electo ex maſſa vitiata, & illi iuſtitiam, quem ex maſſa damnata non eligeret, non autem iniuſtitiam, ſicut neque iniuſtitiam illi, quem ſecundum ſtatum innocentię exiſtentem non eligeret. Ecce poſitio Catholica cum fundamẽto, & ratione ſua. Sed cum Deus quęcunq; agit circa creaturas nulla naturali neceſſitate, ſed per intellectum & determinationem voluntatis, vt habitum eſt in prędcedentibus quęſtionibus, neceſſariò agit intentione finis, quem ſibi prędſtituit in actione, aliter eniſm eſſet actio vana & temeraria: Finis autem non eſt niſi ipſe. eſt enim alpha, & ω. Apocalyp. primo & vltimo, propter hoc dicitur illud Prouerbio. 16. Vniuerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus. Vnde quia finis eſt principalis cauſa in agibilibus, quę mouet agentem, & ille materiam ad formam, vt per formam ordinetur in finem

causa igitur omnium diuinarum actionum prima ipse assignandus est, in quantum est omnium finis, & hoc secundum rationem suæ bonitatis. Vnde quia bonus est, omne quod est, est id quod est. Vnde quia causa in agibilibus non quæritur de fine, quia non habet causam, sed de eis, quæ sunt ad finem: Sciendum, quòd ad finem aliquem possunt aliqua ordinari dupliciter, & per se, & essentialiter, & per accidens, siue accidentaliter. In ijs quæ per se, & essentialiter ordinantur ad finem, non est causa quærenda, nisi ipsorum natura, qua naturaliter ordinantur in finem, non per propositum & electionem, quemadmodum in domo ad finem eius, quæ est pax, & tranquillitas cohabitationis, per se & essentialiter ordinantur paterfamilias & liberi. Per hunc modum Deus, & omnes diuinæ personæ ad fruendum bono deitatis, quod ipsi sunt, ordinantur quasi in domo Hierarchiæ supercelestis. In ijs autem, quę per accidens siue accidentaliter ordinantur ad finem, nullam causam essentialem, aut naturalē est assignare ex parte illorum, neque ex parte seruorum in domo. Et sic ad finem, ad quem Deus ordinatur essentialiter, rationalis siue intellectualis creatura ordinatur accidentaliter. Sed quia agens per intellectū & propositum nihil agit sine ratione per se, & nō solum per accidēs, quia omnem rationem per accidens reduci oportet ad illam, quæ est per se, aliter enim actio sua, vt prius vana esset, & temeraria, rationem ergo per se, & essentialem quærere non est, nisi suam voluntatem, vt prius secundum positionem, accidētalem oportet quærere solummodo ex parte rerum. Et ideò ponere oportet secundum viam rectæ rationis, ꝙ eorum quæcunq; Deus agit circa creaturas, & quo ad naturalia, & supernaturalia earum, causa siue ratio per se non est nisi propositum voluntatis suæ, qua congruit singula fieri secundum ꝙ vult, quia quæ vult fieri congruit fieri, & quia vult, & quę non vult fieri non congruit fieri, & quia non vult. Congruentia dico ex parte sua, seu decentia. Et per hunc modum decentiæ quantum est ex parte sua agit singula prout decent bonitatem suam, quæ est finis, qua iustum est agere, quod placuit ei agere circa creaturas, & quæ decent illam bonitatem. Et quo ad hoc benè procedit positio Catholica præexposita, ꝙ neque propter dispositionem recipientiū, neque propter vlla merita sit diuina electio, sed secundum solum propositum Dei manet, cuius nō est ratio, nisi condecentia bonitatis, vt dictum est. Attamen quia propositum secundum decentiam finis agere non potest circa ea, quæ sunt ad finem, nisi illa deceant finem, & similiter quæ circa illa agit, siue ab æterno in electione, siue ex tempore in gratiæ, & gloriæ collatione, hoc enim requirit finis decentia, quia sine illis ad finem decenter ordinari non possunt, tamen nullum ponit debitum ex parte Dei secundum dicta in prima quæstione: præter ergo rationem illam per se ex parte finis, & agentis necessariò ad actionem circa illa, quæ sunt ad finem in ordinando illa ad finem, adhuc requiritur ratio, quæ est decentia in eis, quæ sunt ad finem, qua fini congruunt. quæ etsi nō sit ratio, propter quam sic est: est tamen ratio necessaria, sine qua non, etsi consistit in ipsa iustitia ex parte eius circa quod agitur, quare sic agendum sit, & non aliter. Cum enim actio duplicem habeat respectū, vnum quo egreditur ab agente, alterum quo recipitur in passo, etsi ratio diuinarum actionum circa creaturas secundum primum respectum non sit nisi condecentia bonitatis Dei, ratio tamen eius cum hoc quo ad secundum respectum benè potest esse condecentia aliqua in eis, circa quæ recipitur actio, in qua consistit abyssus multa iudiciorum Dei. Quia etsi in summa & in generali possumus dicere, ꝙ Deus nihil facit circa creaturam, cuius non sit ratio non solum ex parte sui in faciendo propter quam sit, sed etiam ex parte rerum in recipiendo sine qua non, in speciali tamen circa res determinatas, & in factis determinatis non semper est hominis illam determinatè inuestigare, q̄uis non desit & multiplex esse possit. Vnde contra temerarios inuestigatores iudiciorū Dei, quo ad certas rationes circa operata, & circa eos in quibus operantur, dicit Apostolus exclamando. O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Vbi dicit Glossa. Hoc non facit ex inopia reddendæ rationis, sed hominem ad suæ capacitatis considerationem reuocat. O homo. q. d. te & illum attende, tu es homo, ille Deus, cuius valentiæ es, qui respondeas Deo, id est intelligas, quæ Deus facit, id est cur huius miseretur, & te induret, quasi si tibi diceretur, nescires respondere, id est intelligere pro carnalitate tua, nec te ad hoc iuuat sapientia tua, nec aliqua virtus tua. Quod exponens Origen. in quadam Homil. super Exod. dicit sic. O homo tu quis es. Per quod de eo, qui à Deo dicitur induratus, non tàm quæstionis absolutione, quàm Apostolica auctoritate respondet, credo nō iudicans dignum pro capacitate auditorum chartis, & atramento huiuscemodi absolutionis secreta committere. Vnde & in sequentibus, qui non tàm studiorum meritò, quàm sciendi cupiditate se cretioribus se quæstionibus immergit, magnifici seueritate Doctoris deterret, cum dicit. O tu, es homo, qui respondeas Deo. Vnde hoc nobis obseruasse tantùm, & inspexisse sufficiat, atque often disse auditoribus, quanta sunt in lege diuina profundis dimersa mysterijs, pro quibus dicere in oratione debemus. De profundis clamaui ad te Domine. Hinc etiam dicit Augustinus 83. quæstionum, quęstione 68. Cum videatur Apostolus corripuisse curiosos dicendo: O homo tu quis es, ne dicant Apostolum in soluenda quæstione defecisse, & obiurgasse quærentes, quia nō poterat, quod quærebatur exponere. Et infra. Respondeamus firmissimè: O homo tu quis es, nec eos reuerti sanctum canibus demus, aut proijciamus margaritas

ritas noſtras ante porcos, &c de meritis animarũ reuelante Spiritu Sancto ſublime aliquid, & à vulgari coniectura remotiſſimum, vel ex parte, atque in ænigmatè ſuſpicemur. Non enim hoc loco Apoſtolus ſanctos prohibuit à quærendo, ſed eos, qui nondum ſunt in charitate radicati. & infra. Sed peruenientes ad virum perfectum, vt ſi ſint inter illos de quibus dicitur: Sapientiam loquimur inter perfectos, tunc rectè & non præpoſterè audies, ſiqua ſunt de animarum occultis meritis, &c de gratia, vel iuſtitia ſecreta omnipotentis Dei, & infra in fine quæſtionis. Nec comprehendi poteſt, niſi fortè ab ijs, qui diligunt Deum ſuum ex toto corde ſuo. Illud tamen & cætera, vt infra dicetur. Quod ergo dicit Apoſtolus, O homo tu quis es, non dicit ex inopia reddendæ rationis de prædictis ſaltem in generali. In ſpeciali autem magna inopia reddendæ rationis ipſemet laborauit cũ dixit Ro. 11. O altitudo diuitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, q̃ incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius, vbi dicit Gloſſ. Auguſt. Præmiſerat ſententiam mirę profunditatis, ſcilicet ꝙ Deus concluſit omnia in incredulitate, vt omnium miſereatur. Cuius profunditatis velut horrore percuſſus, & velut abyſſi altitudinẽ expaueſcens Apoſtolus clamat; O altitudo &c. Valde enim paruũ ſenſum habemus ad diſcutiendam iuſtitiam iudiciorum Dei, ad diſcutiendam gratiam gratuitam nullis meritis præcedentibus redditam.

Nec enim tam mouet nos, quòd gratia præſtatur indignis, quàm quòd æquè indignis alijs denegatur. Scio, quòd ſicut impoſſibilitas ita iniquitas non eſt apud Deum, & ſcio, quòd ſuperbis reſiſtit, & humilibus dat gratiam. Illud verò obſcurum eſt, quare quibuſdam dignis dat, quibuſdam negat. Aliquid ergo eſt in abdito profundorum iudiciorum Dei. Similiter nec illud perſpicuum eſt quare hoc modo ſaluat Iudæos, ac gentes, vt prius permitteret eos cõcludi in infidelitate. Si quis ergo quęrat quare ſic ſaluantur, cum multi alij modi ſaluationum ſint, ſe neſcire per admirationem innuit Apoſtolus, & quare ſic factum ſit, non poſſe comprehendi, & infra. Omnium enim humanarum diuinarumque rerum ſublimis, & profunda eſt cognitio apud Deum, qui ſolus ſicut ſunt omnia intuetur, ad cuius notitiam omnis ſenſus noſter retunditur. Vnde quod dicit Apoſtolus. Cum nondum eſſent nati, & cætera, non dixit quia nulla omninò ratio fuit Deo ex parte eorum in hoc, ſed quia non merita præcedentia, neque facta ex gratia, neque facta ex puro libero arbitrio etiam in præſcientia exiſtentia, & hoc ſpecialiter reſpectu operationis æternæ in diuina electione, vel reprobatione ex parte Dei. Vnde ſuper illud Ro. 11. Quis prior dedit illi, & retribuetur ei. Gloſſ. Etſi iudicia Dei non poſſumus ſcire, ſaltẽ hoc conſtat, ꝙ ſola gratia bona dat non ex præcedenti merito, vel vt exiſtit in diuina pręuiſione. Vnde ſuper illud, Igitur non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Gloſſ. Ideſt non libero arbitrio hominis volentis, vel operantis eſt ipſa bona voluntas vel operatio, ſed miſericordia Dei, qui per gratiã appoſitam facit nos velle, & currere. Hic dicit Auguſt. Non propter futura, quæ præuidit elegit, vbi ergo ſunt merita, vbi opera, vel præterita, vel futura, tanquàm liberi arbitrij viribus adimpleta, vel adimplenda? Non igitur miſertus eſt Deus, quia Iacob voluit, & cucurrit, ſed ideo voluit, & cucurrit, quia miſertus eſt Deus.

Eſt tamen hic intelligendum, quòd in volente, & currente eſt tria conſiderare, & ipſum actum curſus & volentis, & ipſam gratiam, qua liberum arbitrium ſit validum ad efficaciter volendum, & currendum, & ipſam potentiam liberi arbitrij. Et benè verum eſt, quòd actus, ſiue operatio ab vtroque eſt, ſcilicet à gratia, & à libero arbitrio ſimul, ita quòd à neutro eſſet per ſe, & quòd plus eſt à gratia, quàm à libero arbitrio, quia plus virtũ agendi dat gratia liberi arbitrij, quàm habeat ex ſe, & ſuis naturalibus. Aliquid tamen agit in opere ex ſuis naturalibus, licèt non niſi cum gratia, vt licèt ex ſe, & naturalibus ſuis non operetur, ex eis tamẽ cooperatur. Et ſic tam ratione gratiæ omninò, quàm ratione operis principaliter, benè verũ eſt, quod non eſt volentis, neq; currentis, ſed miſerentis Dei. Ratione tamen liberi arbitrij in cooperando aliquo modo eſt volentis & currentis, vt ſaltem hoc, vt eſt exiſtens in præſcientia Dei ſit ratio electionis æternæ reſpectu electi, & ita prædeſtinationis, quia quodãmodo nõ includitur ſub prædeſtinatione, neque ſub eius effectu, licèt non ſit ſine eius effectu, nec ſit diſtinctũ, quod eſt prędeſtinationis, ab eo, quod eſt liberi arbitrij. Vnde dicit Gloſſ. Cõgruè ait. Non eſt volentis, & cętera. Non quia hoc ſine voluntate noſtra agatur, ſed quia voluntas noſtra nihil boni agit, niſi diuinitus adiuuetur. Vnde ꝙ Apoſtolus ait; Non ego autẽ, ſed gratia Dei mecum. Non ideo hoc ait, quia nihil boni agebat, ſed quia nihil ageret, ſi illa nõ adiuuaret. Igitur & hic dicit, Non eſt volentis, non quia nulla eſt homini voluntas, atque curſus, ſed quia nihil poteſt, niſi ille miſereatur. Deus enim eſt, qui operatur in nobis velle, & operari bonũ. Vt licèt non ſufficit ſola voluntas hominis ſi non ſit etiam miſericordia Dei, & è contra non ſufficit miſericordia ſi non ſit voluntas hominis, nõ rectè tamen dicitur. Nõ miſerentis eſt Dei, ſed volentis eſt hominis. Rectè autem dicitur non eſt volentis hominis, ſed miſerentis Dei, vt totum Deo detur, qui hominis voluntatem bonam, & præparat adiuuandam, & adiuuat præparatam. Volentem.n. præuenit, vt velit, volentem ſubſequitur, vt perfectè velit. Aliquid tamen in coagendo agit liberum arbitrium, dicente Auguſt. ſuper illud Pſalm. 78. Adiuua nos Deus ſalutaris noſter. Cum adiuuari nos vult, nec ingratus eſt gratiæ, nec tollit liberũ arbitrium; qui enim adiuuat per ſeipſum aliquid operatur. Sic ergo in agendo circa ea, quæ ſunt ad

finem

finem nullum eſt inconueniens, ꝙ ſit ratio agendi ex parte illorum.

Sed eſt ſciendum, quòd in agentibus ad finem per intellectum, & voluntatem dupliciter poteſt agere, ſiue duplici intentione circa ea, quæ ſunt ad finem. Vno modo, vt per illa quoquo modo ſibi acquirat finem. Alio modo, vt ſolum acquirat illis. Primo modo agens agit circa ea, quæ ſunt ad finē propter ſuam indigentiam, & imperfectionem, quemadmodum paterfamilias agit circa ſeruos, vt ſibi & eis acquirat bonum pacis in domo, & tale agens mouetur in agendo ex ratione agēdi ex parte eorum circa quæ agit, vt non ſit ſolū ratio actus ex reſpectu ad recipiens, ſed etiam ex reſpectu ad agens. Et ſic Deus nihil agit circa creaturas, ſecundum quod dicit ei Pſalmiſta; Bonorum meorum non eges. Nec mouetur ad agendum ex aliqua ratione congruentiæ, vel decentiæ ex parte eorū circa quæ agit, nec amore afficitur circa ea, niſi quaſi accidentaliter, dicente Auicenn. 8. Metaphyſicæ. Eſt ſciēs qualiter eſt ordo bonitatis in eſſe, qui eſt ex eo, & quoniam ipſe diligit ſeipſum, qui eſt principium totius ordinis, & bonitatis quantum ipſe eſt. Sic fit ideo, quòd ordo bonitatis eſt dilectus ab eo accidentaliter, ſed non mouetur ad eum dilectione: ipſum enim non patitur ab eo, nec concupiſcit aliquid, nec inquirit. Hæc igitur eſt voluntas eius, quæ eſt expers imperfectionis, & immunis à deſiderio, & infra. Scilicet quòd non certificatur per intentionem fluendi eſſe ab ea, vt ſit aliud ab ipſo fluere, & eſt ipſa liberalitas, & infra. Cum verò dicitur liberalis, intelligitur, quia ipſe non intendit ſibijpſi. Et quamuis Deus non mouetur ex aliqua congruentia ex parte rerum ad agendum, vt ſit ratio eliciendi ab ipſo propter quā ſit: nullum tamen eſt inconueniens, quòd ſit aliqua ratio eius, quod agit circa alia in recipiēdo aliquid ab eo in illis, ſine qua in illis non fluit quantum eſt de potentia ordinata, quæ ſemper agit ſecūdum congruentiam, dicente Auic. ibidem. Ab iſta ſcientia fluit ſecundum ordinem quem intelligit, ſcilicet ordinem rectum, licèt de potētia abſoluta poſſet idem agere abſque omni tali congruentia, & eſt illa congruentia iuſtitia quędam qua Deus cōfert vni ita, quòd non alteri, quod eſt iuſtitia congrui alia à iuſtitia Dei, qua ipſe iuſtus eſt in ſe, quę eſt decentia ſuæ bonitatis, qua elicitiuè agit bonitatem ſuam communicando. Et ꝙ talis ratio iuſtitiæ ponatur in operibus miſericordiæ: quę tamē non mouet dantem, ſed ſine qua non dat, non ſit inconueniens, patet ex eis, quæ fiunt circa opera condemnationis: quòd enim condemnat, aut obdurat ad hoc non mouetur niſi iuſtitia ſua, quę ipſe eſt quātum eſt ex parte ſua. Propter nihil enim in creaturis mouetur ad agendum, quia tunc paſſiuus eſſet. Quantum verò ex parte condemnati, aut obdurati, hoc non facit ſine ratione, quæ eſt iuſtitia quędam ex parte illius, quæ non ſolum eſt ratio, vt effectus recipitur in ſubiecto ſine qua non, ſicut eſt in operibus miſericordiæ, ſed propter qđ ſic, & hoc eſt quod dicit Gloſſ. ſuper illud, Ergo cuius vult miſeretur & quem vult indurat. Si quęrimus meritum obdurationis, & miſericordię, obdurationis meritum inuenimus, miſericordiæ verò meritum non inuenimus, & infra.

Conſtat itaq; quia nullus liberatur niſi gratuita miſericordia, & nullus damnatur niſi æquiſſima iuſtitia. Sed iſta iuſtitia eſt qua damnatur in tē pore præcedente merito peccati, quo habet eſſe: non autem qua damnatur in æterna præuiſione, quia tunc temporale eſſet cauſa, & ratio æterni. Vnde ꝙ in æterna præuiſione Eſau odio habuit, non plus ex parte Dei ſunt cauſa, vel rō illius opera mala eius futura, & iniuſtitia, ſecundum quod erant ab æterno in eius præuiſione, ſed ſua ipſius iuſtitia, quæ ipſe eſt, licèt non ſine illorum operū malorum, & iniuſtitiæ æterna præuiſione, quàm ꝙ Iacob dilexit ex parte Dei ſunt cauſa, vel ratio opera eius bona, & iuſtitia ſecundum quod erant ab æterno in eius præuiſione, ſed ſua ipſius iuſtitia quæ ipſe eſt, licèt non ſine illorum præuiſione, vt ſicut ibi ex parte ſubiecti ratio ſit iniuſtitia, propter quam fit, ſic hic ratio ſine qua non, vt ſine tali iuſtitia nunquàm ponatur Dei miſericordia.

Quod etſi hic nullo modo poſſit poni aliquid in præuiſione ex parte ſubiecti, etiam nec id, quod ex ſe operatur liberum arbitrium in gratiæ cooperādo, quòd ſit ratio æterni vt electionis, ſic nec ibi poſſit poni aliquid ex parte ſubiecti in præuiſione quòd ſit ratio æterni, ſcilicet reprobationis.

Non enim apparet ratio quare vnum deberet poni: alterum verò negari, ſaltem cum vtrobiq; ponatur aliquid in diuina præuiſione quod ſit ratio temporalis, vt quòd iſti ex tempore quando diſpoſitio, ſiue congruitas talis eſt in illo, vel ſecundum rem, vel ſecundum Dei pręuiſionem, ipſi detur gratia iuſtificans: alij autem cum alia ſit diſpoſitio in illo, ſiue contraria gratia denegetur & ipſe in malo induretur. Vnde ſuper illud Apoſtoli ad Ro. 9. Miſerebor cui miſertus ſum, dicit Gloſſ. Miſerebor, vocando, & gratiam apponendo, cui prælcius eram, & miſericordiam daturus eſſem, ſciens illum conuertendum, & apud me permanſurum. Deinde repetit, vt repetitione magis confirmet. Et miſericordiam præſtabo cui miſerebor, ideſt miſericordiam dabo illi, quem præſcio poſt errorem toto corde reuerſurum ad me, hoc eſt dare illi, cui dandum eſt, & non dare illi, cui nō eſt dandum, vt eum vocet, quem ſciat obedire, illum verò non, quem ſciat non obedire, quia non in volūtate petentis, ſed & in arbitrio dātis debet eſſe quod datur: An enim dandum ſit, dantis debet iudicio penſari.

Et quāuis periculoſum ſit iudicium Dei diſcernere: tamen propter hæſitantes, ne putetur iniuſtum iudicium Dei, quòd non iniuſtè iudicet, reb. potius probemus, quàm verbis. Duo enim fuerūt reges in veteri teſtamento, quorum & modus viuendi,

uendi, & exitus vitæ plurimum fuit diuersus, videlicet Saul, & Dauid. Inquiramus in historijs qualiter vterque eorum reperiatur apud iudiciũ præscientiæ Dei. Videamus ergo, si Saul se gessit in necessitate, & anxietate vitæ, vt Dauid, qui accepta misericordia Deum misericordiæ non contempsit, & post veniam peccatorum, tam benè in colendo Deo perstitit. Saul verò non exauditus non in prece perstitit, sed impatiens, & de Dei iudicio indignatus, ad idola, quæ prius iam damnauerat conuersus, ab eis auxilium requisiuit. Vt em̃ habetur 2. Reg. 28. Saul abstulit magos, & hariolos de terra, & interfecit eos, qui Phytones habebant in ventre. Congregatique sunt Philistijm, & venerunt, & castra metati sunt in Sunam. Congregauit autem & Saul vniuersum Israel, & venit in Gelboe, & vidit Saul castra Philistijm, & timuit & expauit cor eius nimis, consuluitque Dominũ, & non respondit ei, neque per somnia, neque per sacerdotes, neque per Prophetas, dixitque Saul seruis suis. Quærite mihi mulierem habentẽ Phytonem, & vadam ad eam, & sciscitabor per illã. Idq; vt ibidem habetur relicto domino perfecit. Vnde iustè reprobatus à præscio videtur: ex hoc enim iustum iudicium præscientiæ Dei etiã agnoscere nolentibus manifestatur. Vnde etsi Dei eterna electio, vel reprobatio non habet vllo modo p ratione opera præscita etiam quantum ad portionem liberi arbitrij: tamen effectus temporalis electionis, vel reprobationis benè potest habere illa pro ratione sine qua non, cum semper sic euenit secundum quòd Deus prescisuit. Vnde super illud, Iacob dilexi: Esau odio habui, dicit Gloss. Et in illo quem elegit, propositum Dei manet, id est impletur, quia ita euenit, vt præsciuit, & in illo quẽ spreuit similiter manet, quia ita fit vt præsciuit. Hoc autem in Malachia de iudicio dicit Deus: illud verò, maior seruiet minori, de præscientia ait. Presciẽdo enim quid quisq; illorum futurus erat, dixit illud in Genesi Deus, & illud dum prædiceret, se futurorum præscium ostendit, & nihil absq; sua presscientia euenire posse mõstrauit. Hoc aliud verò, quod in Malachia est, dicitur de iam præteritis, & ex quorum vita ante acta, & operibus patuit alterum saluandum, & alterum damnandum, & de actis iudicium fieri solet & notum. Illud ergo dixit Deus ante futurum iudicium, vt iudicatus crederetur, & secundum merita redditurus.

Quòd etiam non solum bonus vsus liberi arbitrij in præscientia sit causa, siue ratio collationis gratiæ in effectu, sed etiam collatio huiusmodi gratiæ futuræ præsens in præscientia sit ratio electionis, qua dictum est: Iacob dilexi, planè explicat litera sequens sic inquiens. Ideo etiam illud dixit, vt intelligeretur hoc apertũ esse postea per Prophetam, quod antequàm illi nascerentur, erat in Dei prædestinatione per gratiam. Nam in Iacob antequã natus feciſſet aliquid, quid diligebat nisi gratuitum misericordiæ suæ donum, & in Esau quid oderat antequàm natus fuisset, nisi originale peccatum? Nam nec in illo diligeret iustitiam, quam nullam ille fecerat, neque in isto odisset naturam quam bonam ipse fecerat. Nota, quòd in illo dicit, non diligeret iustitiã, quia ipsa est effectus gratiæ, sed in isto benè potuit dixisse, quòd odisset iniustitiam, quę est defectus voluntatis. Vt sic ex parte æternæ electionis donum gratiæ in præuisione possit dici ratio electionis sine qua non, & opus liberi arbitrij in prescientia ratio temporalis doni gratiæ, iniustitia originalis ratio reprobationis æternę, & subtractionis gratiæ temporalis. Est autem ad declarationem omnium prædictorum aduertendum, quòd alium ordinem causalitatis in prescientia Dei respectu fiendorum aduertere debemus in eis, quæ posterius nata sunt conferri in effectu respectu priorum, & è conuerso. In quo debemus aduertere etiam alium in communi cursu conferendi gratiam in adultis per temporis successionem, & alium in speciali modo conferendi gratiam statim siue in adultis, siue in paruulis.

Quo ad primum horum sciendum, quòd in operandis semper finis vltimus primum est in artificis intentione, & vltimum in executione, & est causa, siue ratio aliorum in intendendo. Et eodem modo semper prius in intẽtione ratio est priorum in intendendo, secundũ genus causæ finalis. Et sic quia Deus eligit aliquem ad gratiam, eligit eum ad perfectiorem gratiam, quam in vita ista adepturus est, & quia eligit eum ad illam gratiam, elegit eum ad gratiam priorem in illo augmentandam, vt fiat perfecta, & quia eligit ad illam gratiam iustificantem perfectam, eligit ad gratiam gratis datam, qua ad illam animus præparatur, & quia eligit eum ad istam, si quã alia est prior ad istam disponens, pp hanc eligit ad illam precedentem, quousque sit status in prima, quæ omnibus æqualiter offertur.

E contra autem in exequendo, & in genere causę efficientis meritoriè semper prius est causa, & ratio posterioris, sed sub conditione, si in bono priori per bonum vsum liberi arbitrij perseueret. Et sic quia ille per liberum arbitrium benè se habet ad primam gratiam: Deus dat ei secundam, & similiter, quia se benè habet ad secundam, dat ei tertiam, & sic deinceps vsq; ad gloriam, in qua est finis. Vnde Deus eligit ad primam gratiam, vt det secundam: & ad secundam vt det tertiam, & sic deinceps. Re vera isti modi benè assignantur sumendo effectus predestinationis secũdum partes. Sed si accipiatur in communi totus simul, quæ ratio, vel causa eius ex parte prędestinati assignabit? Et dicitur fuisse opinio Origen. quòd merita precedentia in alia vita, vt existentia in æterna præuisione. Sed hanc opinionem excludit Apostolus, dicendo de Iacob & Esau: Cum nondũ nati fuissent. Pelagiani verò dixerunt, quòd merita digni ex pũris naturalibus. Sed contra est, quòd tunc gratia non esset gratia, sed pro meritis sine gratia reddita, nec etiam tenet fides, quòd vlla ppera possint

esse

esse meritoria sine gratia. Vnde in hoc reprobantur Pelagiani, quòd dixerunt initia bonorum operum à nobis esse, & meritoria complementi quod posuerunt esse à Deo, & propter hoc etiam meritoria gloriæ, licèt non per se, quia fortè neminem posuerunt saluari sine gratia. Vnde opera moris sine gratia gratis data non possent etiám dici meritoria de congruo. Alij autem dicunt, quòd nullam omninò habet causam, aut rationem ex parte nostra, sed solúmodo ex parte Dei, eius bonitaté. Et potest dici secundum prædicta, quòd licet effectus totus prædestinationis quo ad substantiam, & habitum gratiæ, & essentiam operationis meritoriæ totius, inquantum totum est effectus gratiæ, totum pertinet ad effectum prædestinationis: tamen inquantum in toto liberum arbitrium cooperatur, & aliquid ex se agit, licèt nihil agit, nisi idem agatur à gratia: tamen inquantum fit à libero arbitrio potest esse totum, secundum quod fit à libero arbitrio ratio totius prędestinationis modo præexposito. Nec incidit positio hæc in opinionem Pelagianorum, quia non ponitur hoc opus liberi arbitrij, quin etiam ponatur gratiæ, qualiter nõ ponebant Pelagiani. Propter quod totum meritoriũ est ratione gratiæ ex qua fit, & totum, vt est in præscientia, est prædestinationis ratio. Vnde dicit Augustinus 83. quæstionum, quæst. 63. Ad cœnam illam quam Dominus dicit in Euangelio præparatam, nec omnes, qui vocati sunt venire voluerunt, nec illi qui venerunt venire possent nisi vocarentur. Itaque nec illi debent sibi tribuere qui venerunt, quia vocati venerunt, nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam vt venirent vocati erant. Vocatio ergo ante meritum, voluntatem operatur.

Propter quod etsi quisquam tribuit, quòd venit vocatus, non sibi potest tribuere, ꝙ vocatus est. Qui autem vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmij, vt vocaretur, sic inchoat meritũ supplicij cum vocatus venire neglexit. Ita erunt duo illa misericordia, & iudicium.

Prædictus autem ordo gratiæ ab imperfecta ad perfectam aliter intelligendus est fuisse in statu innocentiæ, aliter verò in statu naturæ lapsæ. In statu autem innocentiæ secundum totum genus hominum, & Angelorum, sciendum est, ꝙ Deus potuit de potentia absoluta vni dare statim gloriam, vel gratiam, & alij nihil, sine iniustitia isti facta, quia nihil erat ei debitum, sed misericordia vtrique facta erat in collatione naturalium, & illi ampliori misericordiã in collatione gratię, aut glorię. Poterat etiam dare gratiam, aut gloriam maiorẽ vni, quàm alteri, & hoc absque omni causa, siue ratione ex parte recipientium. Quãtum autem erat de potentia ordinata secundũ aliquam congruentiam ex parte recipientium, quæ erat in eius præscientia, quæcunque sit illa: Dicendum est, ꝙ omnibus, & hominibus, & Angelis statim in eorum creatione secundum statum innocentiæ gratiam contulit, & hoc vel æqualem, vel inæqualem iuxta rationem, quã habere potuit ex parte recipientium. Vnde etiam modo non est necesse ponere, ꝙ aliquibus existentibus in æquali dispositione ad gratiam iustificantem, conferat eis æqualem. Similiter aliquibus ex æquali charitate, & æqualibus naturalibus, & æquali nisu in opus, non oportet ponere, ꝙ æqualiter eis augmentet gratiam. Potest enim secundum aliquam rationem occultã ex parte recipientis vni conferre plus, licèt credibile sit, ꝙ talibus æqualiter augmentet. Vnde licèt in generali dici possit, quòd semper sit ratio ex parte prædestinati, & eius, cui confertur gratia, aut gloria, quæ tamen sit illa in particulari præter prædictam generalem quare datur isti, & non illi, aut isti plus, illi minus, maximè cæteris paribus: de hoc non est præsumendum aliquid determinare. dicente Augustin. super Ioan. Quare hunc trahat, & illum non trahat, noli diiudicare si non vis errare. Quomodo autem processit post receptionem primæ gratiæ factum Angelorum, videbitur in quadam quæstione sequenti.

De hominibus autẽ tenet fides, quòd in primo homine tota massa humana perdita erat, & damnatione digna. Et secundum istum statum loquitur Apostolus de prædestinatione, dicente de hac massa Glos. super illud. Ergo cuius vult miseretur. Vniuersum genum humanum tàm iusto Dei iudicio in Apostatica radice damnatum est, vt etiam si nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare iustitiam. & infra. Vniuersa nanq; massa meritò damnata, contumeliam debitam, cui vult reddit Dei iustitia, honorem indebitũ donat, cui vult Dei gratia non meritorum prærogatiua, non fatali necessitate, nõ temeritate fortunæ, sed causa altissimæ sapientiæ, & scientiæ suæ. & infra. Cur potius hunc, quàm illum liberet, vel non liberet, scrutetur qui potest tàm magnum profundum iudiciorum Dei. veruntamen caueat præcipitium. Quare ergo illum liberet, & non illum, nolo à me quæras, homo sum, profundum nimis esse aduerto. verum est in speciali. In generali autem si non sit prædicta, nullam video, quam tamen non assero, licèt tamen credã, quòd non desit ne ponatur misericordia Dei sine iustitia, non solùm ex parte sui, sed etiam ex parte nostri, etsi nõ digni, tamen congrui.

De processu autẽ gratiæ in adulto ante baptismum, vel post baptismum in statu peccati mortalis actualis, tenendum est, quòd Deus peccatorem gratia gratis data præuenit statim cum venit ad vsum liberi arbitrij, vt per deliberationem aliquid agere possit. Quòd si per liberum arbitrium benè se erga eam habeat, de congruo disponitur, vt Deus ei gratiam iustificantem tribuat. dicente Augustin. super illud Psal. 58. Misericordia eius præueniet me. Non prior ad te surrexi, sed tu ad excitandum me venisti. Nam misericordia eius præueniet me, antequàm boni aliquid faciam, iustifi-

cat

cat conuersum, & ipse admonet, vt conuertatur auersus. Et super illud Psal. 84. Tu conuertens viuificabis nos, dicit. Vt non solum viuificatio mea à te sit, sed etiam ipsa conuersio, vt iustificemur. Et nota tria per ordinem se habentia in his duobus dictis. Primò enim auersum, vt conuertatur admonet. Secundò admonitum conuertit, vt viuificet. Tertiò conuersum viuificat, & secundum quòd dicit super illud Psal. 77. Non est creditus cum Deo spiritus eius, vt benè cooperetur cum operante in se Deo. Et est admonitio quidam impetus à Deo in libero arbitrio, quo liberum arbitrium peccatoris, quod semper habet voluntatem peccandi actu, nisi aliquo distrahatur, aut impediatur, vel habitu cum est distractum, aut impeditum, excitatur, vt sistat in quadam indifferentia negatiua, vt neque distractum, neque impeditum non velit peccare, hoc est, vt pro hora, qua nec distrahitur, nec impeditur, nõ habeat voluntatem actualem peccandi. Et offertur ista admonitio æqualiter omnibus, vt dictum est. Quam qui à se repellit, reddit se indignum, vt amplius iuuetur, sed in peccato suo amplius p hoc induratur iustè. Piè tamen credendum est, quòd etiam post peccatum liberi arbitrij prima gratia pluries visitat, aliter nullus ab illo resurgeret, licèt fortè aliquos multum obstinatos de cætero non visitat. Qui verò eam non repellit, sed sistit, redditur idoneus, vt de congruo iuuetur amplius. Et est ista admonitio imperfecta conuersio, qua disponitur non ponendo obicem, vt perfectè possit conuerti. Vnde super illud Psal. 6. Conuertere Domine, & eripe animam meam, dicit Augustinus. Conuertere Domine .i. fac me conuerti, & addit. Eripe animam meam, id est adiuua me, vt perficiatur conuersio. Vnde propriè potest dici versio. Prouerbio. 12. Verte impios, & nõ erunt. Post istam autem admonitionem tanquàm dispositio de congruo, & iustè iustitia congrui dat ei habitum quendam gratiæ gratis datæ, quæ ipsum liberum arbitrium sic conuertit, vt habeat voluntatem non peccandi imperfectã, qua imperfectè detestatur peccare, & imperfectè displicet. Et ista detestatio, siue displicentia quędã imperfecta, & insufficiens contritio est, quæ vocatur attritio: qua tamen potens est desiderare sibi perfectam voluntatem non peccandi dari, vt velit habere perfectam voluntatem non peccandi, quã nondum habet, nec habere potest quousque receperit gratiam gratificantem. Vnde quia illa versio & ista conuersio non differunt nisi sicut completum & incompletum, multi non distinguunt gratiam gratis datam in duo, sed aut ponunt solũ impetum esse gratiam gratis datam, aut solùmmodo habitum prædictum. Nec est in hoc vis aliqua faciẽda, si ponatur ista gratia gratis data aliquo alio modo dari, secundum quod dicit Aug. 83. q. q. 63. Nec velle quisque potest nisi admonitus & vocatus siue intrinsecus vbi nullus homo videt, siue extrinsecus per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia efficiatur, vt etiam ipsum velle Deus operetur in nobis. Qũi autem postquàm acceptauerit primã admonitionem repellit à se huiusmodi gratiæ inclinationem, obijcem ponit ad gratiam gratificãtem, vnde & iustitia dignè ei denegatur, & ipse in peccato induratur.

Qui verò eam acceptat iustitia congrui disponitur ad gratiam gratificantem, quam Deus illico eidem confert, qua à peccatis mundatur. Quomodo autem iustè licèt misericorditer isti gratiã gratificantem confert, & iustè illi alteri denegat, iustè dico iustitia accepta ex respectu ad prædestinatum, benè exponit Augustinus super illud Ps. 32. Diligit misericordiam & iudicium, dicens; Ne putetis fratres, quia ista à se possint in Deo aliquo modo separari, omnipotens est Deus, neque in sua misericordia amittit iudicium, neque in suo iudicio misericordiam, conuersis ad se donat peccata, non conuersis non donat, misericors est iniustis, nunquid & iudicium amisit? aut non debuit iudicare inter conuersos & non conuersos? an nõ bis iustum videtur, vt conuersus & non conuersus æqualiter habeantur, vt eodem modo suscipiãtur confitens & non confitens, humilis & superbus? Ergo habet & iudicium in misericordia, rursus in illo iudicio habet misericordiam. Idẽ 83. q. q. 68. Prorsus cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Sed hæc voluntas Dei iniusta esse non potest: venit enim de occultissimis meritis, quia & ipsi peccatores cum propter generale peccatum vnam massam fecerunt: non tamen nulla est inter ipsos diuersitas. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum sint iustificati, digni efficiantur iustificatione, & rectè præcedit in peccatoribus alijs quo digni sunt obtusione, & infra in fine quæstionis. Illud tamen constantissima fide tenendum est, neque quicquam Deum iniustè facere, nec vllam esse naturam, quæ non Deo debèt id quod est.

Ecce planè quomodo in particulari effectu prędestinationis circa hunc & circa illum est cum misericordia iustitia in respectu ad prędestinatum, & sicut in vno facto respectu vnius hominis in vno tempore, sic & vniuersaliter in omni effectu prædestinationis circa vnum pro tota vita eius, & sicut vniuersaliter in omni circa vnum, sic & vniuersaliter circa totum genus humanũ. Quia secundum Greg. 27. Mora. summa regit, vt non præpediatur à paruis, æquè cuncta disponit. Vnde Augustin 83. q. vbi supra. Hoc autem siue in singulis & cætera, vt infra dicetur. Vnde sicut & in cõuersatione publica secundum cursum communem legis diuinæ Dominus non facit misericordiam nisi facienti misericordiam, sic & in priuato Dominus non facit misericordiam, nisi sibimet misericordiã fecerit acquiescendo diuinæ admonitioni. De qua misericordia dicitur Eccles. 30. Miserere animæ tuæ placens Deo, & congregã cor tuum in sanctitate eius. Vnde Augustin. post prędicta immediatè

tè subdit. Beati inquit misericordes, quoniam ipsorum miserebitur. Si enim non in quemlibet, sed in eum erit misericordia, qui prærogauit misericordiam, & ipsa misericordia iusta erit, quia confusa non est. Et sicut post primam admonitionem, qua dominus omninò præuenit peccatorem, vsus bonus liberi arbitrij saltem negatiuè est ratio conferendi primam gratiam gratis datam, & bonus vsus circa illam est ratio conferendi gratiam gratificantem, sic bonus vsus circa ipsam in cooperando est ratio augmentandi ipsam, & bonus vsus circa augmentatam est ratio perficiendi ipsam, & bonus vsus circa perfectam in ipsam finaliter custodiendo, est ratio gloriam pro gratia conferendi. Et sicut particularis vsus liberi arbitrij est ratio partis, sic totus vsus per totam vitam est ratio totius, & similiter electionis æternæ, & sicut in vno, sic & in toto humano genere, vt secundum hoc & hoc modo, quo ad totum genus humanũ, assignemus intrinsecam rationem, & quo ad totũ genus humanum, & quo ad quemlibet, sed in generali tantùm, quare aliqui saluantur, alij verò damnantur, & quare iste potius saluatur, quam ille à totius massę damnatione, in quo æquales sunt, & hoc in adultis: non solum autem assignemus rationem extrinsecã, quare Deus de tota massa perdita voluit quosdam misericorditer liberare, & quosdam in sua iusta damnatione permittere: nullam autem quare potius hunc, quàm alium, secundum quod dicunt aliqui ex parte solius bonitatis Dei sumẽdam huiusmodi rationem, vt scilicet bonitas eius simplex existens in se manifestetur multipliciter in rebus diuersis simul, eò quòd in nullo tota manifestari potest, quia diuinã perfectionem non attingit vlla, vt quemadmodum propterea ad perfectionem vniuersi requiruntur diuersi gradus rerum in naturalibus, & hoc in materialibus etiam ex eadem materia æqualiter se habente ad omnes, sic etiam propter eandem bonitatẽ manifestandam ad perfectionem vniuersi requirũtur diuersi gradus in moralibus. Et sicut Deus ex eadem materia æquali in omnibus diuersa genera rerum formauit in vno vestiendo vnam partem totius materiæ forma nobiliori, & in alio minus nobili, sic ex eadem massa vitiata Deus quosdam p misericordiam elegit ad gratiam & gloriã, quosdam verò in sua iusta damnatione permisit, & ex hoc ex consequenti pmisit fieri vitia actualia subsequentia, & hoc non ibi sistendo, sed quia in hoc bonitas sua manifestaretur quo ad aliquem gradũ supernaturalem, quia peccatum, aut defectus bonitatem Dei non manifestat, & pura naturalia nõ secundum alium gradum manifestant eam in malis, & in bonis, sed vlterius procedendo, & reprobos iustè puniendo, in quo manifestatur bonitas iustitiæ Dei, sicut in glorificatis manifestatur bonitas misericordiæ eius. Sic enim Deus permittit iustè mala fieri, ne bona impediantur, sed vt eueniant, & hoc tàm in moralibus, vt in proposito, quàm in naturalibus, vt in cæco nato, à quo Dominus Ioann. 9. excludit omnem rationem, quare cæcus nasceretur, etiam illam, quę est peccati originalis, dicens, quòd neque ipse, neque parentes eius peccauerint, vt cæcus nasceretur. & solã ostẽdit rationem esse, vt gloria Dei manifestaretur in illo, sed hoc non ex defectu visus in cæcitate, sed ex eius illuminatione miraculosa à Domino. Et videtur hanc rationem assignare Apostolus Rom. 9. dicens. Volens Deus ostendere iram iustitiæ, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia vasa ire apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Cui concordat exemplum de figulo de eodem luto faciente vas vnum in honorẽ, & aliud in contumeliam, de quo etiam secundæ Timo. 2. dicit Apostolus. In magna autem domo non solum vasa aurea, & argentea, sed & ignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem quædã in contumeliam. Vnde dicit, quòd sicut in naturalibus cum prima materia tota sit vniformis, quare vna pars est sub forma ignis, alia sub forma terræ, alia sub specie hominis, alia sub specie vermis, & cætera huiusmodi à Deo creata ab initio, benè potest assignari ratio intrinseca. s. perfectio vniuersi, & extrinseca, scilicet manifestatio potentiæ, & bonitatis Dei.

Sed quare hæc pars materiæ sit sub hac forma, & illa sub illa, & non è conuerso, & sic de cæteris, nulla ratio est assignanda, nec esse potest nisi sola voluntas artificis sic determinantis, à qua dependet totum artificiũ, sicut & in operibus humanis, ꝙ hic lapis sic figuratur, vt situetur in altari: alter autem in cloaca, secundum quod Philos. 2. Physic. dicit aliquos lapides benè fortunatos, & aliquos malè, quamuis in generali ratio artis requirat, vt aliqui ponantur hic aliqui ibi ad perfectionem ciuitatis. Quare tamen hic disponitur, vt ponatur in altari, non autem alter aliàs æqualis in omnibus, hoc à mera electione artificis dependet. Sic dicũt in proposito, cum tota massa humana vitiata sit vniformis, quare de ipsa vnus eligitur alter reprobatur, ratio potest assignari in vniuersali dicto modo: nulla autem in particulari circa hunc & illum, quare hic potius eligitur, quàm ille. Et dicunt, ꝙ ex hoc, ꝙ Deus sic inæqualia æqualibus facit, non est iniquitas, neque inæqualitas apud ipsum, quia in his, quæ fiunt ex gratia sine debito, potest absq; omni iniquitate, siue inæquitate dans dare æqualibus prout vult, vni nihil, alteri aliq d, tertio plus, iuxta illud Matth. 10. Tolle quod tuum est, & vade. An non licet mihi, quod volo facere? Tunc autem esset iniquitas, si esset datum ex debito.

Dictum istud multũ rationabile apparet in paruulis, quibus nihil est, nec potest esse de vsu liberi arbitrij, & æquales sunt quo ad vitium massę, morientibus ante tempus, quo vti possent libero arbitrio. Quod enim in talibus aliqui electi sunt & acceperunt gratiam, vel ex fide parentum in lo-

ge naturæ, vel ex circuncisione in lege Moysi, vel ex baptismo in lege Euangelij, vel absque his modis per sanctificationem aliam, aut extra vterum, aut in vtero, & morientes infra annos pubertatis statim transferantur ad gloriam, & alij reprobati moriantur ante annos pubertatis nullo dictorum quatuor modorum, & permaneant in sua iusta damnatione: non apparet hic ratio, nisi prædicta extrinseca manifestatio, scilicet bonitatis Dei secundum dictum modum, quia ex parte singularũ personarum singulares rationes nullę possent assignari, nisi ponendo, ꝙ inæquales fuissent in naturalibus, vel in vitio originalis, quod non ponitur. Sic enim illa inæqualitas posset ab aliquo poni ratio illius de congruo, quemadmodum si in adultis opera moris sine gratia in vno, & non in alio alijs eisdem existentibus aliquis poneret rationem gratiæ conferendæ, aut nisi ponendo ꝙ in Dei præscientia præuisi fuissent futuri inæquales secũdum vsum liberi arbitrij, si superuixissent, ita ꝙ aliqui eorum fuissent vsuri ipso in bonum, alij non, & hoc diuersimodè in diuersis, & ꝙ secundum illam inæqualitatem Deus quosdam elegit ad gloriam, quosdam reprobauit. Quod non est tenendum, quia secundum hoc eadem ratione in adultis non conferretur gloria secundum gratiam habitam in morte, sed secundum vsum liberi arbitrij in bonũ si superuixissent. Sed in adultis habentibus vsum liberi arbitrij non apparet dicti præcedentis tanta rationabilitas, in quibus potest esse inæqualitas secundum vsum liberi arbitrij habendum in determinato tempore vitæ suæ mortalis. Propter qđ secundum prædictum modum etsi in alijs esset æqualitas, sola inæqualitas vsus arbitrij in præuisione posset esse ratio electionis, vel reprobationis secundum modum præexpositum.

Similiter quod dicit dictum illud, quòd quosdam voluit pmittere in iusta damnatione, vt posset eos iustè punire ad manifestationem bonitatis iustitiæ suæ, non est clarum. Quod enim sic manifestare bonitatem suam sit de Dei intentione nõ video. benè enim verum est, quòd si peccata fiant, quòd ipsa puniat vel temporaliter vel æternaliter, ne maneat dedecus culpæ sine decore iustitiæ. nisi enim potens esset Deus mala culpæ facta sic ordinare, nunq; permitteret ea fieri, vt dicit August. in Enchir. Aliter. n. esset vniuersum imperfectũ, existente. s. in ipso ordinabili aliquo, quod nõ esset ordinatum. Sed quòd per intentionem peccata fieri & esse permittat, vt facta ordinet, & puniat, nõ video. Benè. n. verũ est, vt dicit Apostolus Rom. 11. quòd fractis ramis in Iudęis insertus est Gentilis à Deo. Sed non propter hoc fracti sunt rami à Deo, vt Deus illum insereret, sed propter illorum incredulitatem. Et per eundem modum dĩ Rom. 9. de Philone. Excæcaui te, vt ostendam virtutem meam &c. Et similiter in proposito. Nec plus video, quòd per intentionem cuiuscunq; plus sunt permittenda mala fieri, aut esse, vt eueniant bona, vel sint, siue ne impediantur fieri, q̃ faciendà, quia intendens malum eo modo, quo intendit, vult malum. Nunc autem per se nullum malum pœnę, aut culpæ potest intendi inquantum malum, quia bonum est ratio appetibilis, & ita quòd malum potest appeti, hoc est per accidens, inquantum consequitur aliquod bonum iũctum illi malo, quemadmodum agens naturale intendit priuationem, siue corruptionem vnius formæ in materia per accidens. s. quia intendit per se esse alterius formæ, quæ non potest esse in materia, nisi coniuncta priuationi alterius. sic & fornicator intendens delectationem per se, per accidens intendit difformitatem culpæ, quæ connexa est. Sed sic velle malum culpæ non potest, nisi voluntas mala. & sic voluntas Dei cum non possit esse mala, ipse nec per se, nec per accidens potest velle malũ culpæ, quare nec intendere quodcunque bonum inde prouenire posset si esset, vel impediri si non esset. & hoc ideò, quia per se priuat ordinem ad bonum, quod ipse est, propter quod non permittit malum esse sine pœna, & vt inordinatum per culpam ab ipso, ordinet in ipsum per pœnam. Et secundum hoc malum pœnæ potest appetere, sed non nisi secundum modum, quem alibi exposuimus quęstione de cęco nato. Si verò dicatur, quòd intentio, & voluntas Dei in permittendo mala non cadit super hoc totum, vt intentio aut voluntas vllo modo feratur super malum, sed solùmodo super permittere, vt intendat siue velit malum permittere esse aut fieri, non ratione totius, sed partis; esto ꝙ ita sit, vt secundum hunc modum Deus intendat, & velit permittere mala esse & fieri, licèt non velit mala esse, aut fieri, cum tamen non sit benè clarum quomodo intendat, & velit vnum, sed non alterum, non tamen ad manifestandum bonitatem suam, vt scilicet pluribus modis manifestetur, debet hoc permittere, quia isto modo sufficienter manifestatur in iusta pũnitione dæmonum, quorum reprobationis causa est meritum culpæ eorum, alijs misericorditer receptis ad gloriam, vt secundum hoc inæqualitas in Angelis, quo ad malitiam, & non malitiàm sit ratio ex parte illorum diuersa, quo ad glorificationem, & damnationem. Vnde modus manifestationis iustæ bonitatis Dei in Angelis, & hominibus damnatis non differt secundum gradus, & speciem, sed secundum misericordiam tantùm, quæ non pertinet essentialiter ad bonitatis Dei manifestationem, neque ad perfectionem per consequens vniuersi, sicut neque pertinet essentialiter ad perfectionem vniuersi, quòd sunt plura, vel pauciora individua sub eadem specie. Præterea si aliquo modo sit diuersitas in manifestando bonitatem Dei aliter in pœnis hominum, & dæmonum, vt propterea non propter aliam rationem partem massę humanæ permittat in damnationem, consimiliter esset diuersitas manifestandi misericordiam suam si glorificasset aliquos homines innocentes:

ſicut glorificauit Angelos innocentes, vel aliquos Angelos, aut homines ſine omni merito in ſeipſis, vel in alio, quemadmodum meritum, quo paruuli per gratiam ſacramentorum ſaluãtur erat in Chriſto, in quo videtur fuiſſe manifeſtatio maioris miſericordiæ, q̃ ſit modo manifeſtata in Angelis, & hominibus glorificatis ex meritis. Si ergo ad ſic manifeſtandum bonitatem ſuæ miſericordiæ non voluit miſericorditer glorificare homines, & Angelos ſine merito, ſed ſufficienter manifeſtata in hominibus, & Angelis glorificatis ex merito, multò minus ad manifeſtandũ bonitatem iuſtitiæ ſuæ opus fuit pœnis hominum peccatorum, cum ſufficienter fuit manifeſtata in pœnis Angelorum peccantium. Et ſic non minus ſufficienter manifeſtaretur eſſentialiter bonitas iuſtitiæ in non permittendo homines peccatores in maſſa damnationis, q̃ permittẽdo, vt propterea congruentius videtur eſſe ꝙ accipiatur ratio pmiſſionis illius ex aliquo ſecundum ꝙ poſſit inueniri inæqualitas in liberatis de maſſa, & non liberatis, & hoc ex parte ipſorum ſecundum præaſſignatum modum, vt nec apparens inæqualitas ſit apud Deum, cum non reddit inæqualiter niſi inæqualibus. Nec eſt contra rationem iuſtitiæ prædeſtinationis reddere gratiã primam ex merito congrui, immò dare eam ſine tali debito vni, & non alteri potius apparet contra rationem iuſtitiæ ex parte recipientis, & non recipientis, licèt ex parte Dei qualitercunque diſponeret nulla omninò eſſet iniuſtitia. Et ſi non poteſt dici, ꝙ homines damnatos aliquos eſſe in perpetuis pœnis non ſit de perfectione manifeſtationis diuinæ bonitatis eſſentialiter, multò fortius nec de perfectione vniuerſi. propter quam aliqui putauerunt ipſos ponẽdos eſſe in vniuerſo, quod tamen non eſt verum.

De perfectione enim vniuerſi non ſunt, niſi eſſentiales partes, ſpecies. ſ. entium poſitiuæ, nullũ autem defectiuum, ſiue ſit culpa, ſiue pœna, nec etiam poſitiuum, quod dependet ex aliquo iſtorũ, inquantum dependet ex hoc. Et ſic patet, ꝙ non eſt ſimile, quod aſſumunt pro ſimili. ſ. ꝙ ſicut ad perfectionem vniuerſi requiruntur diuerſi gradus rerum in ſuis formis naturalibus, & hoc ex eadem materia in generabilibus, & corruptibilibus, ſic propter bonitatem iuſtitiæ Dei manifeſtandam ad perfectionem vniuerſi requiruntur diuerſi gradus in moribus, ſanctorum. ſ. & damnatorum differentium in gloria, & pœna ſecundum virtutes, & vitia. Illa enim per ſe ſunt de perfectione vniuerſi, iſta autem nequaquàm. Quod patet; ſi eſſet pœna damnatorum de vniuerſi perfectione, ſufficeret tm̃ in Angelis, vt dictũ eſt. Et ꝙ aſſumitur, quòd ſicut ſine omni ratione ex eadem materia ſecundum partes æquales fiunt diuerſa ſecundum gradus: ergo ſimiliter hic ex eadem maſſa corrupta, ſine omni alia ratione à volũtate Dei poteſt quoſdam eligere, quoſdam reprobare: Poſſet re vera abſolutè ſecundum prædictum modum. Sed non eſt ſimile, quia ibi ex parte materiæ impoſſibile eſt aliam eſſe diſpoſitionem inquantum materia eſt nuda in vna parte eius, quàm in alia, & eſſentialiter pertinent ad perfectionem vniuerſi diuerſæ formæ, ſub quibus eſt. Hic autem ex parte maſſæ corruptæ in hominibus poſſibile eſt per donum gratiæ gratis datæ aliam eſſe diſpoſitionem in vno & altero, ſicut & materia ſub aliqua forma non eſt in potẽtia proxima ad illud, ad quod eſt in potentia proxima ſub alia forma, ſecundum quòd acetum non eſt in potentia vinum, ſed aqua in ſtipite. Præterea vt dictum eſt, omnes illæ formarum differentiæ ſunt eſſentialiter de perfectione vniuerſi, non autem iſtæ differentiæ hominum in gloria, & in pœna exiſtentium. Et quòd aſſumitur, quòd illum fecit naſci cœcum ſolum propter manifeſtationem bonitatis, ſiue gloriæ ſuæ omni alia ratione excluſa, non ſic autem alium: ergo ſimiliter hic vnum poteſt permittere in damnatione debita, & non alium, omni alia ratione excluſa.

Dicendum, quòd hic non poteſt dici, quòd hoc fecit, quia præſciuit iſtum vſurum liberò arbitrio in ſuſceptione illuminationis in ſe ad gloriam Dei aliter, quàm alium; quia eſto, quòd alium ſimiliter ſciuiſſet vſurum, non ſequitur, quòd in ambobus exercuiſſet miraculum illuminationis, ſicut in propoſito duobus æqualiter ſe habentibus ad gratiam primam æqualiter ſecundum curſum cõmunem confert gratiam ſecundam.

Nec poteſt dici, quòd ratio in propoſito poteſt eſſe ex parte aſſiſtentium, quia iſte erat mendicare aſſuetus circa templum vbi plures conuenerant, & ideo in ipſo magis fuit famoſum ad gloriam Dei, quia plures tales cæci circa templum conſimiliter reperiri poterant: non tamen in omnibus fuiſſet factum miraculum ad gloriam Dei. Ideo dicendum, quòd ſecus eſt in electione aliquorum ad donum gratuitum, & ad donum gratum faciens. quoniam ad donum gratuitum benè ſolum cõſideratur à Deo cauſa, & ratio finalis, ſcilicet manifeſtatio bonitatis ſuæ, & nulla ex parte rei, circa quam fit, vt in propoſito, & ſimiliter in dando eſſentijs ſpecierum eſſe in aliquo vel in aliquibus indiuiduis, & non in alijs, cum tamen æqualiter ad recipiendum eſſe ſpeciei in effectu in ſe eſt in potẽtia quodlibet indiuiduum, nec poteſt eſſe vnum ad illud congruentius, q̃ aliud, ſicut poteſt adultus vnus ſuper alterum in ſuſceptione gratiæ, aut gloriæ.

Et quòd arguitur, quòd hoc videtur ſenſiſſe Apoſtolus cum dixit. Voluit autem Deus oſtendere &c. Rom. 9.

Dicendum, quòd hoc dixit, & exemplũ de figulo immediatè propoſuit ad confirmandum illud quod præmiſit. O homo tu quis es &c. Vnde ſecũdum ibi expoſita, hæc omnia, & conſimilia dixit non ex inopia reddendæ rationis prædicto modo, ſed vt reprimat temeritatem incapacibilium.

Benè

Benè enim verum eſt, quòd Deus volens oſtendere iram ſuam.i.iuſtam vindictam ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ apta in interitum, vt oſtenderet,&c. Et debet legi ly vt,conſecutiuè,& ſecũdum genus cauſæ finalis,& ex qua omnes poſſunt videre, vt benè exponit dicta poſitio,per quod nõ excluditur ratio effectiua ex parte recipientis ſecundum prædicta. Nec eſt ſimile in exemplo Apoſtoli,niſi ex parte finis,ex parte autem ſubiecti,nequaquàm, quia ibi nulla poteſt eſſe ratio ex parte ſubiecti, ſicut neque in prima materia, hic autem poteſt,vt iam dictum eſt. Et ſimiliter reſpondendum eſt de lapidibus ponendis in ędificio. Sed exemplum de vaſis fictilibus, ligneis,& argenteis, & aureis magis valet ad propoſitum, quia ibi differentia eſt in ſubiecto, propter quam vaſa fictilia fiunt in maiorem contumeliam, lignea in minorẽ, aurea in honorem maiorem,& argentea in minorem,illa in interitum,iſta in gloriam. Vnde dicit ibi gloſſa. In magna domo.i.in Eccleſia. Item non ſolum vaſa aurea, & argentea.i.boni Dei diſpẽſatores,ſed lignea,& fictilia.i.mali. Et quædam ſunt in honorem.ſ.boni, quædam autem in contumeliam.ſ.mali, & ſicut illa fracta extra domum eijciuntur, & alia non fracta ſtudio reponuntur,ita mali mortui in tenebras exteriores, boni verò in vitam æternam collocabuntur &c.

Eſt autem alia difficultas circa prędicta de paruulis,quorum vnus venit ad baptiſmum,alter nõ, ex quibus ambobus præuentis morte vnus damnatur,alter glorificatur. Dicendum,ꝙ non eſt ſimile de illis, quæ fiunt à Deo immediatè, & quæ mediatè. In iſtis enim ſinit agere medias cauſas curſu ſuo.dicente Auguſt.de Ciuit. Dei. Sic Deus res adminiſtrat,vt eas proprios motus agere ſinat. Et ſic ꝙ vnus venit ad baptiſmum, alter non: eſt propter medias cauſas.ſ.ſacramẽtum, & illos, per quos debet applicari, quæ concurrunt circa vnũ, ſecundum Dei prouiſionem,& non circa alterum. Siqua autem ſit alia cauſa ex parte illorum in præſcientia Dei ignoramus. In propoſito autem dubitatio noſtra eſt ſolum circa adultos, & in actione eorum,quę habent fieri à ſolo Deo immediatè.

Alia difficultas ſolet induci de ſanctificatis vel paruulis in vtero, vt de Ioan. Bapt. vel adultis, vt de Paulo. Et licet fortè huiuſmodi factorum aliqua alia ratio ſit, non tamen video aliam, quàm ſupra tactam. ſ. bonum vſum in præſcientia, quo adulti ad primum motum gratiæ gratis datæ per liberum arbitrium benè ſe habuiſſent ſi non fuiſſent iuſtificati, niſi ſecundum legem communem, & tanto meliorem alijs in vſu gratiæ iuſtificantis, quanto maiori dono eos pręuenit,& ſiquis tali dono prærecepto ante vſum liberi arbitrij moriatur & euolet ad gloriam, ex ſola potẽtia abſoluta abſque omni alia ratione collatum fuit, ſine aliquo merito etiam congrui, etiam in Dei præſcientia præcedente. Sed puto nemini tale donum conferri, niſi victuro, & benè per liberum arbitrium vſuro: Vnde Auguſt.83. q. q. 63. eandem rationem de iſtis, & de alijs ſimul aſſignat dicens. Hæc autem vocatio, quę ſiue in ſingularibus hominib. ſiue in pluribus, ſiue in ipſo genere humano per temporum opportunitates operatur, altæ & profundæ rationis eſt. Quò pertinet illud. In vtero ſanctificaui te, & Iacob dilexi: Eſau autem odio habui. Sed fortè dicet aliquis,ꝙ Auguſt. illud de hac materia ſecundum præmiſſam determinationem dixit in lib.ſuper Epiſtolam ad Roman.exponendo illud Rom. 9. Vt ſecundum electionẽ propoſitum Dei maneret,&c. Cui dicendum,quòd in dicto Auguſt. erat aliquid generale.ſ.quòd electionis Dei, quo ad effectum eius aliqua eſt ratio ex parte electi in Dei præſcięntia,& aliquid ſpeciale.ſ. quòd illud erat actus fidei informis,& quo ad hoc ſpeciale retractauit; non autem quo ad generale, quòd aliquid aliud eſſet. Vnde quod dixit, nonnullos mouet, vt putent Apoſtolum Paulũ abſtuliſſe liberũ volũtatis arbitrium.dicunt enim quòd ante opera aliqua, ſiue bona, ſiue mala duorum nondum naſcentium Deus vnum dilexit, alterum odio habuit. Sed reſpondemus, præſcientia Dei factum eſſe, qua nouit etiam de nondũ natis,quis quiſq; futurus ſit: illud nunquàm retractauit,ſed potius poſt aliqua interpoſita declarat ſine retractatione, quòd hoc concedit, ſubdens quomodo elegit cui donet. Si enim nullo merito,non eſt electio.æquales enim omnes fiunt ante meritum,nec põt in rebus omninò ęqualibus electio nominari. Et illud quod dicit. Si enim nullo merito. intelligo merito ſaltem congrui,ad ſtatum.ſ. liberi arbitrij prędictum ad diuinam admonitionem,& quo ad peccati prędictam imperfectam per gratiã gratis datam deteſtationem. Et quia Auguſt.illud tũc intellexit de merito fidei informis,quam credebat eſſe ex nobis, ſm̃ quòd explicant verba ſua continuè ſequentia, quibus dicit ſic. Sed qm̃ Spiritus Sanctus non datur, niſi credentibus, non quidem ipſe elegit opera, quę ipſe largitur,cum dat Spiritum Sanctum,vt per charitatem bona operemur, ſed tm̃ elegit fidem, quia niſi quiſque credat, & in accipiendi voluntate permaneat non accipit donũ Dei.i.Spiritum Sanctum, per quem infuſa charitate bonum poſſit operari, non ergo elegit Deus opera cuiuſquàm in præſcientia,quæ ipſe daturus eſt, ſed fidem elegit in præſcientia, &c. vt pertractatur 1. ſententiarum diſt. 41. cap. Opinati ſunt tantùm.Ideo iſta tractauit,quo ad hoc,quia etiã ipſa fides eſt donum Dei. Sed quod ſequitur: Eſt aũt gratia, vt vocatio peccatori prærogetur, cum eius merita nulla niſi ad damnationem præceſſerint, quòd ſi vocatus vocantem ſecutus fuerit, qđ eſt iam in libero arbitrio,merebitur & Spiritum Sanctũ, per quem poſſit bona operari, in quo permanens, quod nihilominus eſt in libero arbitrio merebitur, & vitam æternam, hoc non retractauit. In quo apertè inſinuat vocationem per gratiam gratis datam eſſe ante omnia merita digni, &

esse in potestate liberi arbitrij sequi gratiam illã, etsi non credendo. quod retractat Augustin. quia fides nullo modo datur nisi cum gratia. Sequi tñ potest sistendo prædicto modo, & incompletè peccata detestando, vt dictum est. Et per hoc meretur de congruo Spiritum Sanctum dantem gratiã iustificantem, & per illam vitam æternam, vt supra expositum est. His tñ vt dicit Magister aduersari videtur quod dicit Augustin. super Malachiam. vbi scriptum est, Iacob elegi: Esau autem odio habui. Cui vult (inquit) miseretur quem vult indurat. Sed hæc voluntas Dei iniusta esse non põt &c. vt habitum est supra de. 83. q. Præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum sint iustificati digni efficiantur iustificatione, & iterũ præcedit in alijs peccatoribus, quo digni sunt obstinatione. Intellige digni de congruo respectu iustificandorum, propriè autem digni immò condigni respectu aliorum. Et dicit Magister dist. prædicta cap. His tamen. Quid intelligere voluit ignoratur, & credo non temerariè desinendo, sed piè inquirendo, quòd illud fit quod iam supra exposuimus. Melior est enim fidelis ignorantia, quã temeraria scientia, vt dicit Magister loquendo de hac materia. Sed Magister putat eum intellexisse quod iam, vt dictum est retractauit. Sed mirum est quomodo Magister hoc potuit dicere, quoniam vt dicit Augustin. lib. 1. retracta. cap. 22. cum adhuc presbyter esset librum super Epistolam ad Rom. retractauit, & vt dicit cap. 20. librum 83. q. retractauit iam Episcopus, quas tunc primo colligi fecit, & in vnum librum redigi, quia vsque ad illud tempus dispersæ erant per chartulas multas. Ex quo planè patet, quòd non est verisimile, quòd dicta in lib. 83. q. retractauit retractando dicta super Epistolam ad Rom. cum nec tunc has quæstiones habuit præ manibus, & toti libro proprium cap. in retractationibus dedit, nec retractando illud dictũ, nec insinuando quòd illud alibi retractauerat. Quod vt credo Magister benè vidit nihil esse.

Vnde dictum istud Augustin. exponens incidit in id quod diximus. Sic enim ait. Potest tamen accipi ex eo sensu fore dictum, quia aliqui non adeo mali sunt, vt mereantur sibi gratiã non impartiri &c. vbi distinguit, quòd aliqui ita in profundum iniquitatis deuenerunt, vt mereantur penitus abijci. alij autem etsi non mereantur gratiam iustificantem, non tamẽ merentur omninò repelli. Qui sunt isti quęro, nec potest dici quòd sint alij, quàm existentes in solo originali, vel in aliquo actuali mortali. Et de vtroque horum verum est dicere, quòd mereatur omninò repelli si nullo instinctu gratiæ pręueniatur, cui liberum arbitrium non contradicat, sed in aliquo consentiat, per quod solum, vt exposuimus non mereatur repelli, immò de congruo mereatur visitari, quod benè vidit Magister, & ideo addit. Sed hoc friuolum est: benè tamen verum est, quòd vnus plus meretur propter actualia maiora repelli, quàm alter, propter quod vnũ visitat, quando alterum non visitat, vel unum magis alterum minus fortasse.

Per prædicta patent obiecta utriusque partis.

Comment. in Quæstionem Quintam, quæ est.

Vtrum duobus æqualiter dispositis ad receptionem gratiæ, Deus illis æqualiter conferat.

IN titulo nota præsertim q̃ intelligitur de prima gratia. Memineris etiam omnium eorum, quæ dicta sunt in quæstione 19. quarti quodlibeti, nam etiam hęc quæstio ad prædestinationem pertinet, quippè prædestinatio sit præscientia, & præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro.

Not. etiam q̃ dispositio ad gratiam videntur opera meritoria, vel suapte natura meritò digna, s. quis disponitur his operibus. Et quidem meritò digna, quoniam re vera si formaliter essent meritoria, gratiam præsupponerent, quia nihil sit formaliter meritorium sine gratia. Vnde hoc quærere, est quærere verum quicunque bonis operibus operam dant æqualiter, prædestinentur ad eandem æqualitatem gratiæ. Quod rursum est quærere, vtrum dispositio illa habeat aliquam causalitatem respectu gratiæ, aut nullam. si enim necessariò æqualiter datur ob dispositionem illam, videtur, quòd dispositio illa debeat habere aliquam causalitatem respectu gratiæ, quod est eam habere respectu prædestinationis. Sin autem, tota causalitas respectu gratiæ danda est Deo. Hinc est, quòd Auctor quæstionem transfert ad prædestinationis causam, vt causam conclusionis eliciendæ pro hac quæstione manifestet.

In corpore celebratur in longum opinio D. Thomæ, qui voluit plurimis rationibus, & auctoritatibus, causam prædestinationis non esse opera merito digna, sed profectò solum esse Deum huiusmodi causam. Quam sententiam, sicut visum est in quarto quolibeto quæst. 19. & hoc loco manifestum est, non reprobat Auctor absolutè, neque concedit absolutè. Sed de condigno concedit, non autem de congruo. Vnde duabus conclusionibus de prædestinatione positis videtur Auctor quæsito satisfacere.

Prima igitur conclusio est. Causa de condigno prædestinationis non est nisi Deus liberè agens.

Ex hac sequitur conclusio correspondens pro quæsito. Dispositio æqualis pro præsenti de condigno non est causa æqualis gratiæ in illis dispositis.

Ad hoc comprobandum, inducuntur plurimæ auctoritates in litera, & similiter Glossæ, & expositiones, quibus omnibus manifestatur q̃ Deus liberè cui vult donat gratiam, cui non vult nequaquàm donat, quantum videlicet est ex parte condigni. Vbi not. q̃ ly condignum est idem quod necessariò. Quasi dicatur, q̃ Deus, à nulla prorsus vel actione, vel creatura necessitatur ad dandam suam gratiam, sed ipse solus, qui collator est gratiæ, est causa libera gratiæ.

Cur autem id non fiat, sciri non potest, quia spectat hoc ad profundum Dei iudicium, cuius nulla est finita inuestigatio, qualis est in creatura.

Secunda

Secunda conclusio est. Causa prædestinationis de congruo, quæ dicitur sine qua non, sunt opera bona, quæ merito digna sunt.

Hanc sequitur statim correspondens conclusio ad quæsitum s. Dispositio ad gratiam æqualis pro præsenti de cõgruo est causa æqualis gratiæ. Et ad hanc conclusionem inducuntur rationes, & auctoritates, per quas vndequaque manifestatur illud, quòd in prædestinatione Deus obseruat misericordiam, secundum quam cui vult miseretur, sed etiam cum misericordia habet iudicium, quò iudicantur opera huius, & illius, atque de congruo infundit ipse Deus. &c.

Ita procedere voluimus in admodum prolixa quæstione, & satis difficili, vt patere legenti potest. Vbi & aduertimus lectorem, quòd si quid Scotus molitur contrà in primo sententiarum dist. 41. quæst. vnica. ipsi satisfecimus in quarto quolibet quæst. 19.

Not. etiam, quòd Gaetanus hoc loco reprehendit Auctorem nostrum super art. 5. quæst. 23. p. p. Quod velit bonum vsum liberi arbitrij esse causam prædestinationis, in quo etiam reprehenditur Auctor à Scoto vt supra, & nos ipsi satisfecimus vbi supra. Vbi & manifestamus intentionem Doctoris nostri non esse procul ab intentione Doctoris Sancti. s. D. Tho. Sed certè circa hoc negotium considerandum est diligenter, q cum ad gratiam necessariò sequatur gloria, quicunq; prædestinantur ad gratiam pro præsenti, prædestinantur etiam ad gloriam pro futuro. Tam verò non prædestinantur præscitis cur autem, nisi quia præuidentur fore indispositos ad gratiam, & hoc ex malo vsu liberi arbitrij? sed non ex hoc sequitur, vt causa totalis gratiæ sit bonus vsus liberi arbitrij, quia causa totalis, & de condigno solus Deus est. Et certè cum non dat gratiam Deus alicui, quoniam præuidet illum non benè vsurum liberum arbitrium, intelligendum rectè est hoc negotium. Esto idcirco Callias, qui venit ad baptismum dispositus ita, vt renuntiet omnia, quæ renuntianda sunt, & re vera in susceptione baptismi non ponit obicem, veruntamen Callias istæ præscitus est, quia præuidet illum Deus lapsurum in peccata, & non resurrecturum. Esto deinde Socrates, qui venit pariter ad baptismum, non ponens obicem, & prædestinatus est, quia præuidet illum Deus benè vsurum libero voluntatis arbitrio, & non lapsurum in peccata, & si lapsurum, resurrecturum tamen; dicimus q vterque recipit gratiam æqualiter, & vterque non recipit.

Aequaliter quidem, quoniam non ponentibus obicem confertur gratiã, in Sacramentorum nouæ legis susceptione, & quidem gratia gratum faciens, atque iustificans. Causa de condigno, atque totalis, vel principalis huius collationis gratiæ est ipsæ solus Deus sua misericordia. Causa verò de congruo, vbi concurrit iudicium Dei, est ipsa operatio susciptentis, & nõ ponentis obicem. Cœterum contra, non æqualiter data est gratia, quia alteri cum connexione gloriæ, alteri verò sine connexione gloriæ pro futuro. Et hanc profectò credimus esse Doctoris nostri sententiam nostro quidem iudicio consonam dictis sanctorum, & doctrinæ D. Thomæ. Suscipiantur ergo opera nostra tanquam causa de congruo prædestinationis, & gratiæ, non autem da condigno. Et cessabit quæstio. Dicere autem cum Gaetano, & Magistro auctoritatem illam Augustini retractam esse, vbi dicit, De occultissimis meritis venit, &c. Admitti potest, veruntamen non tollitur, quòd non sit vera, dum loquimur de congruo, non autem de condigno. Hanc distinctionem diligenter attẽde, & soluts omnia contraria. Hæc.n. dixisse satis volumus in præsentia, satis quippè ex se prolixa est ipsa quæstio Auctoris.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum productio creaturarum à Deo possit demonstrari.

SEQVVNTVR quæsita de creaturis in comparatione ad Deum. Et erant duo: vnum pertinens ad esse naturæ. Vtrũ productio creaturarum à Deo possit demõstrari. Alterum pertinens ad esse gratiæ: vtrum in anima Christi gaudium fruitionis simul fuit cum tristitia.

Primum proponebatur sine argumentis.

Responsio. Ad quod dicendum, quòd quæstio ex modo proponendi soluit seipsam. Creatura enim in eo quòd creatura est, creatum quid est, sicut factura in eo quòd factura, factum quid est. Sicut ergo factura, quia factum quid est ratione firma conuincitur, quòd ab alio sit facta, & ita ab alio producta. Nulla enim res seipsam producit, quia omne, qd producitur, esse habet per productionem, & ita non à se, sed ab eo, à quo producitur, quod oportet habere esse à se, quia vt dicit Richar. primo de Trinit. cap. 8. Si nihil à semetipso fuisset, non esset omninò, vnde ea existere potuissent, quæ suum esse à semetipsis non habent, nec habere possunt. Quia si illud à quo esse suum habent, haberent ab alio, eadem quæstio esset de illo, vtrum haberet esse à se, vel ab alio, & esset procedere in infinitum aut stare in eo, quod à se habet esse non ab alio. Quare ponere productum produci à se, implicat contradictionem. s. idem habere esse à se, & non habere.

Sic & creatura, quia est creatum quid, ratione cõuincitur, quòd ab alio sit creata, & ita ab alio producta, & hoc ab illo, quod non est ab alio productum, & à quo alia, vt iam inductum est, quod non ponimus esse, nisi Deum, quia est necesse esse. Si enim esset possibile esse, haberet ab alio esse, vt infra declarabitur.

Et similiter, vt infra declarabitur, non est necesse esse, nisi solus Deus. Vnde ex modo essendi, qui competit creaturæ, veritas quæstionis præcipuè inuestiganda est, & hoc secũdum quòd arguit Richard. primo de Trinitate cap. 6. ratione diuisiua sic.

Vniuersaliter omne esse distinguitur triplici ratione. Erit enim ab æterno, & à semetipso, aut è conuerso, nec ab æterno, nec à semetipso, aut mediatè inter hæc duo, ab æterno quidem, nec tamen à semetipso.

Nam illud quartum, quod huic tertio membro videtur è conuerso respondere, nullo modo ipsa natura patitur esse.

Nihil enim omninò potest esse à semetipso, quod non sit ab æterno.

Quicquid enim ex tempore esse cœpit, fuit quando nihil fuit, sed quandiù nihil fuit omninò nullũ esse habuit, nec à se, neque formaliter, neque principiatiuè, nec ab alio, quia aliter essent simul contradictoria in eodem, scilicet ꝙ esse habuit, & non habuit. Creatura ergo si sic ponatur esse à semetipsa, ita ꝙ non possit probari esse à Deo, quemadmodũ Peripatetici posuerunt incorruptibilia alia à primo, esse à semetipsis, vt infra in quadam quæstione patebit, necesse est ponere eam esse ab æterno, ita ꝙ non possit demonstrari, ꝙ non sit ab æterno, quorum vtrumque falsum est, vt ibidem declarabitur. Si autem iuxta secundum membrũ principale propositum ponatur creatura esse, nec ab æterno, nec à semetipsa, necessariò ponendum est, ꝙ sit ab alio ineſſe producta, quia ex quo non est ab æterno, fuit qñ non fuit, & ideò esse quod habet recepit. quare sm̃ positionem non est à seipsa. Sicut. n. est impossibile, ꝙ sit formaliter, ita videlicet, ꝙ ex se non habet nisi esse formæ, nullam autem potentiam ad eius contrarium, quin sit ab æterno, vt iam dictum est; sic impossibile, ꝙ sit à seipsa principiatiuè. Quia vt dicit Richardus, q̃diù nihil fuit, nihil omninò habuit, & nihil potuit. Nec ergo sibi, nec alteri dedit, vt esset. alioquin dedit qđ non habuit, fecit qđ nõ potuit. Sequitur ergo necessariò, ꝙ esse recepit ab alio, & hoc, qui à se non ab alio habet esse, ne sit processus in infinitum, qui non est nisi Deus, vt dictum est. & infra aut post dicetur. Si aũt iuxta primum membrum principale creatura ponatur ab æterno, & à semetipsa, si intelligatur à semetipsa principiatiuè, hoc omninò est contra naturam entis simpliciter. Nulla. n. res seipsam producit, vt sit sicut iam dictum est. Si verò intelligatur formaliter, hoc põt esse dupliciter aut quia à se ita formaliter ꝙ à nullo principiatiuè. Tale est simpliciter necesse esse, qđ nulli creaturæ põt conuenire, sed soli Deo, vt infra declarabitur. Propter qđ creatura siue ponatur, ꝙ sit possibile esse ex se, & ex tempore iuxta sm̃ membrum iam tactum, siue ponatur, ꝙ sit ex se necesse esse formaliter, non aũt principiatiuè, necesse est ponere, ꝙ sit ab alio principiatiuè. Et hoc est qđ in vno sensu continet tertium membrum principale propositum, s. ꝙ sit ab æterno, nec tm̃ à semetipsa. Ab æterno enim esse, non tm̃ à semetipso, ponitur aliquid dupliciter. Vno modo, quia est ex se possibile, esse, qđ tm̃ necessariò habet esse ab illo qđ est necesse esse. quemadmodum posuit Auic. creaturas incorruptibiles habere esse à Deo, vt infra videbitur. Alio autem modo, quia ex se est necesse esse formaliter, sed tm̃ ab alio habẽs esse principiatiuè. De tali ente dicit Richar. c. 9. Fuit se autem aliquod esse ab æterno, quod tm̃ non sit à semetipso, nemini vī impossibile, quasi sit necessarium, & verum est in diuinis, vbi est productio de substãtia producentis, quæ est necesse esse formaliter, & per ipsam omnis habens eam in se est necesse esse formaliter, sm̃ ꝙ hoc alibi declarauimus, & infra aliquid de hoc dicetur. Quod etiam sm̃ aliquos posuit Philosophus in omnibus incorruptibilibus post primum, de quo videbitur infra. Sed hoc ponere in creaturis omninò est impossibile, immò in quacunque natura ponitur, ꝙ sit necesse esse ex se formaliter, si nõ ponatur esse Deus, necesse est ponere, ꝙ sit ab alio principiatiuè, vt infra declarabitur, ita ꝙ in solo Deo ponendum est esse alios necesse esse ex se formaliter, principiatiuè autem ab alio, & vnicum solum, quod est necesse esse à se formaliter, & à nullo principiatiuè, à quo principiatiuè habet esse omnis alius, & omne aliud. Et sic dicendum est, ꝙ creaturam esse productam à Deo infallibili ratione naturali, & ex sola ratione naturali demonstrari potest.

Comment. in Quæstionem Sextam, quæ est.

Vtrum productio creaturarum à Deo possit demonstrari.

IN titulo not. quòd ly productio in præsentia non dicit simplicem dependentiam à Deo, secundum quod exponerent Peripatetici, dicentes, Deum produxisse omnia, sed ab æterno, quia videlicet ab ipso prouenius omnia, cum pendeat ab ipso cœlum, & tota natura, non tanquàm à causa efficiente, sed finali. Sed productio hæc accipitur pro acquisitione esse post non esse. Quod non potest esse nisi vel ab æterno, vel in tempore. In hac quęstione autem non distinguitur hoc, sed quomodocunque siue respectu temporis, siue respectu æternitatis, quæritur vtrum possit demonstrari productio rerum. s. vtrum possit ostendi, quòd esse, quod habent creaturæ, habent ab ipso Deo per productionem, non autem illud habeant à seipsis, vt dicerent Peripatetici.

In corpore est conclusio. Quòd talis productio potest demonstrari demonstratione naturali.

Not. ꝙ hæc conclusio melius probari non potest, quàm demonstrando huiusmodi productionem. Hanc autem demonstrat ex Richardo, & satis quidem ita facilè, vt non necesse sit, quòd nos demonstrationem formemus.

Demonstratur etiam à D. Thoma p. p. quæst. 44. art. p. sic. omne, quod est per participationem producitur ab eo, qui est per essentiam. Sed esse omnium creaturarum est per participationem, igitur prouenit ab eo, qui est per essentiam, qui Deus est.

Demonstrat etiam eam Proclus in libro elementorum Theologicorum, maximè quidem propositione ij. Et alij plures conantur id demonstrare, quicunque manifestare intendunt Deum esse causam efficientem omnium rerum.

QVAE-

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum in anima Christi gaudium fruitionis simul fuit cum tristitia.



IRCA secundum arguitur, ꝙ in anima Christi non fuit simul tristitia cum gaudio fruitionis.

Arg. prim. Primum. Primò sic. ꝙ simul possunt esse contraria, vel contradictoria sm̃ diuersos respectus hoc non contingit nisi in relatiuis, vbi aliquid est duplum ad hoc, non tamen est duplum ad illud. In absolutis autem nunquàm contingit, vt ꝙ aliquid sit calidum respectu illius, & frigidum respectu alterius, nisi in medio vno, quod est tepidum, in quo non sunt contraria, sed sunt vnum. Cùm ergo gaudiũ à superiori, & tristitia ab inferiori sint absoluta, quædam non existentia vnum in aliquo medio, impossibile est fuisse simul in vna anima Christi maximè secundum vnam, & eandem potentiam indiuisibilem.

Secũdum. Secundò. sic tristitia, & gaudium in anima sunt sicut glorioſum, & non glorioſum in corpore, sed corpus glorioſum non compatitur in se non glorioſum aliquid. ergo anima gaudens gloriosè non compatitur in se tristitiam aliquam.

In oppoſit. Contra. maior est colligantia potentiarum animæ inter se quàm, partium corporis, sed illæ sibi compatiuntur secundum Medicos, ergo & potentiæ animæ. Sed Christi anima verè patiebatur in potentijs sensitiuis, sicut fides tenet. ergo compatiebatur in tristãdo simul potentia rationalis. illa autem nunquàm fuit sine gaudio fruitionis, vt similiter tenet fides. ergo simul in eà erant gaudium & tristitia.

Reſponſio. Dicendum ad hoc, quòd cum gaudium, & tristitia passiones sint in anima, & vt effectus causati in ipsa à tristabili, & delectabili obiecto, cõtrarietas autem, & incompassibilitas effectuum non est, nisi secundum contrarietatem, & incompassibilitatem causarum, quas sequuntur, ita quòd si causę non sunt contrariæ, sed sese compatiuntur, consimiliter iudicandum est de effectibus. Vnde si calidum, & frigidum sunt causæ nigri, & albi in corpore, & si calidum, & frigidum non contrariarentur, sed sese compaterẽtur in corpore, nec nigrum & album; immò se compaterentur. Nunc autem sic est in proposito, quòd obiecta, de quibus in anima Christi fuerunt gaudium, & tristitia, penitus non erant contraria, sed omninò alterius generis, sed compatiuntur se, quia gaudium illud erat de obiecto increato, tristitia verò de obiecto creato. Increatum autem & creatum omninò sunt genere diuersa non contraria, sed sese compatientia. Est enim creator per essentiam in omni creatura. ergo & gaudium de increato nullo modo contrariatur tristitiæ de creato, sed sese compatiuntur. Sed quòd tristitia non compatitur gaudium, hoc est, qñ sunt contraria, & de contrarijs eiusdem generis. Vnde gaudiũm de calido, & tristitia de frigido nunq̃ compatiuntur se, sicut neq; calidum, & frigidum, quia sunt contraria, nisi fortè miraculosè in damnatis, si simul ponantur pati in eadẽ parte indiuisibili tristitiam à calido & frigido. Gaudiũ aũt de spiritali bono gratiæ, & tristitia de recordatione mali culpæ bonè stant simul, quia nõ sunt contraria, sicut neq; gratia & culpę memoria, siue culpa, vt existẽs in recordatione, siue in memoria, nec in beatis, in quibus gaudium de bono gratiæ perfectæ, quæ est gloria, est causa recordationis, licèt absque tristitia mali culpæ. Consimiliter in anima Christi simul erant gaudium de increato, & tristitia de creato, quia non erant cõtraria. immò nec gaudium de increato omninò contrarium habere potest, quia ens increatum nullum potest habere contrarium aliud ens, vt alibi declarauimus, sed habet oppositum purum non ens. Vnde si gaudio de increato sit tristitia opposita, illa non põt esse de oppositio increati boni, vt si sit gaudium de eius præsentia sm̃ visionem, & fruitionem, tristitia opposita sit de eius absentia, quemadmodum si quis gaudet de aliquo bono temporali habito, tristetur tristitia contraria de ipso non habito. Sed tale gaudium non compatitur secum huiusmodi tristitiam oppositam, sicut simul esse non possunt, quòd idem bonum ab eodem sit habitum, & non habitum. Sic ergo in Christo simul erant in eodẽ gaudium, & tristitia respectu diuersorum, gaudiũ à superiori bono, & tristitia ab inferiori malo, & gaudium principaliter in superiori animę portione rationis, & per consequens in tota substantia eius, è conuerso tristitia principaliter in inferiori parte sensus, & per consequens in superiori, & in vi rationali secundum portionem inferiorem, & in totam substantiam animæ, ita quòd considerando animam, vt est natura, tota anima Christi gaudebat simul & tristabatur. considerando autem ipsam vt est distincta secundum portionem superiorem & inferiorem, sic gaudebat tota secũdum vnã portionem. s. superiorem, & tristabatur secundum aliam. s. inferiorem, & non è conuerso. & hoc quia portiones in anima non distinguuntur, sicut potẽtiæ ex respectu ad diuersa obiecta formalia, nec sicut vires circa diuersos modos eiusdem obiecti formalis, sed solùmmodo sicut respectus ad diuersa obiecta secundum gradus, vt. s. gradibus superioris, & inferioris distinguuntur. Et dicitur portio superior, quia respicit superius & inferior, quia respiçit inferius. Vnde quia illud gaudium non est nisi in respiciendo superius, nec tristitia nisi in respiciendo inferius, & respicere inferius non est respicere superius, idcirco gaudium nõ est in anima,

ma, vt in portione nisi vt est portio superior, similiter neque tristitia, nisi vt est portio inferior.

Nec est in hoc differentia secundum quot vires siue potentias respiciat inferius, & secundū quot superius. Inquantum enim respicit inferius, etsi secundum omnes potentias, siue vires irrationales & sensitiuas respiciat inferius, vt secundum omnes tristetur, non est nisi vna portio.

Similiter inquantum respicit superius, etsi non nisi secundum omnes vires, siue potentias rationales respiciat superius, vt secūdum omnes tristetur, non est nisi vna portio. Nec tale gaudium & tristitia talis simul existentes in eadem natura, aut potentia animæ sese diminuebant in Christo, aut retrahebant: cum tamen vnum eorum non erat materia alterius. Videtur enim naturale esse, ꝙ talium vnum semper retrahit, aut diminuit aliud, nisi tristitia sit materia gaudij, vt in pœnitente, in quo, quantò maior est tristitia, tantò maius est gaudium, & illud multò magis, quàm in diuersis viribus animæ, in quibus vna intenta in sua operatione naturaliter, & necessariò retrahit alteram à sua operatione, aut diminuit operationis suæ intentionem. Et hoc ideo in Christo contingere potuit supernaturaliter per hoc, quòd supernaturaliter assumpsit ad diuinam personam cum diuina natura naturam humanam, & dispensatiuè naturam humanam cum dispositione passibilitatis, ita quòd si humana natura Christi passibilis sibi fuisset derelicta, impossibile esset, quin vires sese secūdum diuersas operationes, & eadem vis in diuersis passionibus retracta fuisset ab altera earum, aut diminuta in ea.

Ad primum in oppositum, quòd gaudium à superiori, & tristitia ab inferiori sunt absoluta, quare non sunt simul in eodem etiam respectu diuersorum, verum est si essent contraria, vel opposita, aut repugnantia, quod non est verum, vt dictū est. Non repugnantia autem quantuncunque diuersa benè compatiuntur se in eodem. *Ad primū princ.*

Per idem patet responsio ad ſm, qm̄ glorioſum & nō glorioſum ſunt penes diſpoſitiones repugnantes. Doti.n. claritatis omninò repugnat obſcuritas: doti verò agilitatis ſimiliter repugnat ponderoſitas, & ſubtilitati groſſities, & impaſſibilitati paſſibilitas, & hoc non minus, quàm eadem repugnant claritati naturali, agilitati, ſubtilitati, & impaſſibilitati, quemadmodum vitium intemperantiæ repugnat temperantiæ, vt eſt virtus moralis, & vt eſt virtus gratuita: non ſic autem eſt de gaudio à ſuperiori, & triſtitia ab inferiori, vt dictum eſt. *Ad ſecundum.*

Comment. in Quæſtionem Septimam, quæ eſt,

Vtrum in anima Chriſti gaudium fruitionis ſimul fuit cum triſtitia.

TITVLVS ſatis clarus ex declaratione concluſionis in corpore poſitæ.

In corpore concluſio eſt affirmatiuè reſponſiua quæſito, ſcilicet in anima Chriſti gaudium fruitionis ſimul fuit cum triſtitia.

Not. quòd primò ab Auctore probatur poſſibilitas huius poſitionis, deinde declaratur.

Probatur itaque poſſibilitas ſic. Ea, quæ non ſibi contrariantur ad inuicem poſſunt eſſe in eodem, ſed gaudiū fruitionis, atque triſtitia in Chriſto non contrariantur, ergo &c. Maior patet. Minor autem probatur, quæ reſpiciunt diſparata, atque diuerſa, ſed non contraria, non ſunt contraria; ſiue quæ non ſunt de aliquo contrario non ſunt contraria, ſic erant dolor, & gaudium in Chriſto. Quod probatur, quia triſtitia erat de obiecto creato, gaudium de increato, quæ non ſunt contraria, ſed diuerſa, ac diſparata. Ergo &c.

Declaratur autem hac diſtinctione, quod anima Chriſti intelligi poteſt dupliciter, vel vt eſt natura, vel vt diſtinguitur in portionem ſuperiorem, & inferiorem, & tunc ponuntur duæ concluſiones.

Prima eſt. In tota anima Chriſti ſumpta vt natura erat gaudium fruitionis, & triſtitia.

Not. quòd ſubintelligitur in paſſione.

Secunda concluſio eſt; Anima Chriſti vt diuiditur ſecundum portionem ſuperiorem, & inferiorem, in ſuperiori habebat tantùm gaudium, & non triſtitiam, in inferiori autem habebat triſtitiam.

Not. has concluſiones haberi etiam à D. Thoma tertio ſententiarum diſt. 15. & 3. p. q. 46. art. 7. Vnde patet ſatis quomodo Auctor in hac quæſtione potiſſimum accedat ad mentem, atque doctrinam D. Thomæ.

Cæterum Scotus de more pugnare deſiderans aduerſus veritatem, non curat ſibi contradicere, & amore oſtentandi ingenium ſuum vtranque concluſionem declaratiuam conatur deſtruere, quam & in parte ſequitur Aureolus.

Primò igitur contra primam iſtarum concluſionum arguit ſic Scotus in 3. Sentent. diſt. 15. quæſt. 2. Homo non dicitur ædificare ſecundum muſicam, licet muſica accidat ædificatori, ergo nec anima dicitur dolere ſecundum rationem ſuperiorem, ſi dolor accidat tantùm in inferiori, vt erat in Chriſto. confirmatur. Similiter ſequitur, quod anima poſſet dici intelligere ſecundum voluntatem, vt natura, non vt voluntas, quia ipſa natura, in qua eſt voluntas, intelligit.

Secundò. Anima vt diſtinguitur à ſuis potentijs non dolet, quia nec vt ſic reſpicit aliquod obiectum; Sed anima eſt vna ratione ſuperiori, & inferiori, non vt reſpicit obiectum, ſed vt diſtinguitur à potentijs, & vt eſt actus primus, ergo vt ſic non dolet, & per conſequens multò minus eſt ratio, quòd dolor exiſtens in ratione inferiori redundet in ſuperiorē.

Tertiò. Si animæ, vt eſt natura, competeret dolor, hoc eſſet præcipuè per ſeparationem eius à corpore, quod vt eſt natura informat, ſed hoc eſt falſum, quia in tali ſeparatione facta eſt impaſſibilis. ergo &c.

Quarto arguit Aureolus. Recta ratio non dictabat Chriſto, quòd deberet dolere de illa paſſione, ergo non dolebat. Conſequentia patet; ſi quidem nullus dolor fuit in eo, niſi ſecundum rectam rationem. Antecedens autem probatur, quia Chriſtus ſciebat Deum velle illum pati, ergo ratio recta non dictabat de hoc eſſe dolendum.

Quintò. Idem Aureolus. Poſſibile eſt ex diuerſis apprehenſionibus appetitum ſenſitiuum triſtari de aliquo obiecto, & appetitum intellectiuum de eodem gaudere, vt cum quis patitur propter conſequendam beatitudinem, ergo paſſio, quæ eſſet in appetitu inferiori, Chriſti non redundabat in voluntate.

Hæc præſertim habent contra primam illam concluſionem.

Contra

Contra ſecundam verò Scotus probare intendens, quòd ratio ſuperior ſecundum portionem, ſcilicet ſuperiorem dolebat, & triſtabatur, arguit primò ſic. Paſſio illa erat contra appetitum portionis illius ſuperioris, ergo erat obiectum ſimpliciter triſtabile, ergo triſtabatur.

Secundò. Erat contra conditionatum velle ipſius; omne autem huiuſmodi cauſa eſt triſtitiæ in voluntate, & ſuperiori portione animæ.

Tertiò. Chriſtus triſtatus eſt de peccatis hominum, vt ſunt offenſæ Dei, ſed hoc ſpectat ad portionem ſuperiorem, quoniã hæc triſtitia eſt ſecundum Deum, & rationes æternas, quæ ſunt obiecta talis portionis ex Auguſtino: ergo &c.

Hæc iterum Scotus, quibus apertè, vt inturei licet, ſibi in primis contradicit. Quippè prioribus argumentis negat totam animam paſſam fuiſſe, ita vt affirmet nullam partem paſſam; poſterioribus vero probare conatur paſſam fuiſſe ſecundum portionem ſuperiorem; & ideò ſibi contradicit, quoniam non ob aliud, vult paſsam non fuiſſe ſecundum totam animam, quia nec ſecundum ſuperiorem: & deinde oppoſitum aſtruit.

Cæterum conſiderandum illud, quod alibi dictum eſt, & quidem cum doctrina Ariſtotelis, quod anima vnica eſt in homine, idcirco & in Chriſto vnica erat in ſua paſſione, ſicuti fuit ante, & modo eſt, non autem plures animæ, diſtinguitur autem deinde ſecundum potentias in plura. Porrò dum vnica conſideratur, vt non quidem informans hoc, vel illud organum particulare, eſt tota in toto, & tota in qualibet parte. Eſt eſſentia ipſa, eſt natura ipſa formalis, & corpus locum tenet ſubiecti, atque materiæ. Nunc autem anima conſiderata, vt eſſentia hæc, vt forma, vt natura, vel aliquo modo paſſa eſt, vel nullo modo patiente corpore; ſi nullo modo paſſa eſt, non ergo ipſe homo paſſus eſt, ſed pars hominis, ſcilicet corpus, cum tamen dicendum ſit totum Chriſtum quatenus hominem paſſum eſſe. Quòd ſi totus homo in Chriſto paſſus eſt, quatenus homo, vtique & ſecundum totum corpus, & ſecundum totam animam paſſus eſt, quatenus corpus ſubiectum eſt animæ, & anima quatenus forma talis corporis, vbi conſtituitur homo, quæ forma in hoc reſpectu eſt, & eſſentia, atque natura. Ergo aliquo modo paſſa eſt anima, & quidem non niſi ſecundum totum, quoniam cum ſit indiuiſibilis prorſus, quatenus eſſentia, atque natura non poteſt pati ſecundum partem, quam nullam prorſus habet; ſecus autem dicendum eſt, dum loquimur de animæ potentijs, vt in ſolutione argumentorum videre erit. Sed conſiderandum, quòd illud met, quod dictum eſt, de paſſione animæ totius, dicendum eſt de gaudio fruitionis; cum enim vt eſſentia eſt non diuidatur in partes, ſine vlla prorſus diſtinctione tota (ſi tamen hoc vocabulo, tota, vti debemus) gaudebat.

Ad primum igitur argumentum dicimus, quòd non aduertit Scotus, quòd anima, vt natura eſt, & vt eſſentia, ac hominis forma, non diſtinguitur ſecundum portionem inferiorem, & ſuperiorem, & ideò aſſumit id, quod nihil officit. Nam vtique concedimus quod quatenus diſtinguitur in portionem ſuperiorem, & inferiorem, eatenus ex paſſione inferiorem non dicitur tota pati, ſed negamus, quòd tunc accipiatur anima, vt hominis forma, vt eſſentia, atque natura. Nam forma hominis eſſentia, atque natura eſt tota anima, non portio inferior, non ſuperior ſeorſum. Sed vt ita diſtinguitur, diſtinctio eſt iuxta potentias, quoniam ſuperior portio quid eſt niſi ratio? Inferior quid eſt, niſi ſenſus? Ratio autem, & ſenſus animæ potentiæ ſunt.

Ad confirmationem negatur conſequentia, quia actus intelligendi eſt actus potentiæ, non naturæ, formæ, & eſſentiæ. Anima, vt forma eſt, natura, & eſſentia hominis, nullum aliud habet officium, niſi quod dat vitam corpori organico illi, informando ipſum, & animando; vt verò diſtinguitur ſecundũ potentias, dat actum intelligendi, volẽdi, ſentẽdi, &c.

Ad ſecundum, Scotus aſſumit, quod falſum eſt, animam non dolere prout diſtinguitur a ſuis potentijs, quoniam meminiſſe debet, animam quatenus informat corpus, non diſtingui à potentijs, ſed accipi tanquam naturam, & eſſentiam potentẽ huiuſmodi corpus animare. Iam verò non vniretur corpori anima niſi haberet naturalem propenſionẽ ad corpus. Et quidem præſertim anima humana in hoc differt ab Angelis, quod hæc ſit actus corporis, ad corpus naturaliter habens inclinationem, non ſic autem Angeli: cum autem habeat huiuſmodi inclinationem, illam habet non ſecundum potentias, ſed ſecundum ſuam eſſentiam, atque naturam: cum ergo corpori vnitur, vnitur naturaliter. Quòd ſi vnio eſt naturalis: diſunitio non erit naturalis ex parte animæ, quoniã vt viſum eſt alibi, naturaliter vnumquodque manet in eo, in quod ordinatur naturaliter. Igitur naturale eſt animæ manere in corpore, & non naturale ſeparari. Sicut autem vnitur vt forma, vt eſſentia, atque natura; ita pariter ſeparatur, non autem vt potentia. Et ſicut illud eſt naturale, ita hoc reſpectu eius eſt violentum; cum autem quod affert violentiam, affert paſſionem aliquam, ſequitur, quod cum paſſio Chriſti ad hoc tenderet, vt ſepararetur anima ab ipſo corpore, vnde ſequebatur mortem Chriſti eſſe violentam, paſſio illa erat violenta, & per conſequens inferens id animæ, quod eſt ſibi innaturale, & contra inclinationem, quod non poteſt non afferre triſtitiam. Inferebatur ergo animæ triſtitia ob eius ſeparationem à proprio ſubiecto, ad quod informandum ordinata erat, & quidem non vt potentiæ, ſed vt eſſentiæ, atque naturæ, ſecundum quam conſiderationem informat. Non eſt ergo tutũ, quod aſſumit Scotus, animam ſcilicet vt à potentijs diſtinctam non pati. Sed & aduertendum, quod accipere animam, vt diſtinctam à potentijs, non eſt accipere cum diſtinctione reali, quaſi ex vna parte ponamus potentias, ex altera ponamus eſſentiam animæ; neque enim ponimus diſtinctionem realem, ſed de hoc negotio actum eſt in primo Quolib.

Ad tertium, quod eſt contra id, quod modo induximus, dicimus falſam eſſe vltimam conſequentiam, ſcilicet anima Chriſti in ſeparatione facta eſt impaſſibilis, ergo paſſa non eſt in ſeparatione. Hoc enim dici poteſt de qualibet anima præſertim beata; ſed non ſequitur, quod in actu ſeparationis non adſit paſſio. Scimus quidem, quod poſt ſeparationem, anima eſt impaſſibilis, ſed dum eſt in corpore paſſibilis eſt ante reſurrectionem, de qua non eſt ſermo in præſentia. Vnde dicebat Dominus; Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Quod intelligitur incluſiuè. Triſtabatur anima ex ſua ſeparatione, quia naturaliter maneret in corpore ſibi proportionato, & violentè erat ſeparanda.

Ad quartum diximus, quòd vellemus Aureolum attendiſſe ad verba ſapientiæ. Ratio inquit dictabat, cum eſſet recta dolendum non eſſe &c. cur tamen dicebat ipſe Dominus, Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma? Et vt ſupra; Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem? cur factùs eſt ſudor eius ſicut ſanguis? cur cepit pauere, & tedere? cur dixerat ore Prophetæ; O vos omnes qui tranſitis per viam attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus? ſed certè dolere, vel doluiſſe Dominum ſecundum animam intelligi bifariam debet. Nam primo dolere pro pati accipi debet, atque de paſſione naturaliter triſtari. Secundò pro lamentari. ſi primũ, profectò etiamſi ratio dictaret non eſſe dolendum, non poterat tamen non dolere relictus à patre in ſuis naturalibus, ſecundum quod dicebat: Deus meus Deus meus vt quid derelinquiſti me; quemadmodum & Sancti martires habebant quidem rationem dictantem non eſſe dolendum, tamen non poterant non dolere, ſcilicet pati, vſque ad effuſionem animæ, ac ſpiritus.

Si ſecundum, tunc vel intelligimus, quod Chriſtus lamentaretur de ordinatione diuina, ſecundum quam Deus dicitur cauſa paſſionis Chriſti, & quod tradiderit ipſum, vel q̃ lamentaretur ob cauſam, quæ erat culpa, vel ob cauſam efficientem violentam. Si primum, tunc credimus tenere argumentum Aureoli, quod. ſ. recta ratio dictabat, nè lamentaretur ob ordinationem diuinam; Si ſecundum, vel tertium, non iudicamus tenere. Concedimus itaque quod ſecundum dictamen rationis non dolebat, dictabat autem ne lamentaretur ob diuinam ordinationem. Non dictabat autem non eſſe dolendũ, vt expoſitum eſt, quia ratio non dictat quod eſt contra naturam.

Ad quintum dicimus, q̃ tunc non accipitur anima ſin eſſentiam, atq; naturam, in cuius fundamento nihil eſt diſtinctum, vt docet Philoſophus, ſed vt eſt diſtincta ſin potentias. Vndè facilè concedimus, ſed nihil aſtruit contra nos, vt expoſitum eſt.

Hæc dixiſſe volumus ad argumenta priora.

Ad pri-

Ad primum autem contra ſecundam concluſionem, negatur antecedens.
Appetitus enim ſuperioris portionis non eſt niſi voluntas, ſed paſſio illa ſi fuiſſet contra illum appetitum, profectò nō eſſet voluntaria. Quod eſt falſum. Scriptum eſt enim oblatus eſt, quia ipſe voluit. Et corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus in me.
Ad ſecundum, per hoc idem patet reſponſio, nam quid eſt hoc velle conditionatum, niſi cum præſuppoſitione ordinationis diuinæ? contra autem tali velle non fuit obiectum paſſio &c. Immò conformis, & tota paſſio, quæ recepta eſt in ſuperiori portione, recepta eſt reſpectu naturæ, non reſpectu potentiæ, vt ſupra dictum eſt.
Ad tertium dicimus, ꝙ nihil ad nos, qui de illa triſtitia loquimur, quæ prouenit ex paſſione corporis Chriſti, quam redundaſſe in animam dicimus, quemadmodum declaratum eſt.
Hæc dixiſſe ad hæc volumus. Si quis modò illuſtriores deſideret reſolutiones, petat Capreolum in primis, & Soncinatem, in 3. Sentent. diſt. 15. & Gaetanum in 3. p. q. 46. art. 7. Nos has excogitauimus, & volumus nobis ſufficere, quemadmodum & tanta dixiſſe in hac quæſtione.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrùm in perfectionibus creaturarum eſſentialibus ſit ſtatus in accipiendo aliquam ſpeciem creaturæ perfectiſſimam, proximam in gradu naturæ primo perfectiſſimo, ſupra quam non ſit accipere proximiorem illi.

SEQVVNTVR quæſita de creaturis ſecundum ſe. Et primo de quæſitis circa ipſas in generali. Secundo de quæſitis circa eaſdem in ſpeciali. Circa primum quærebantur duo. Vnum pertinens ad perfectionem earum in eſſe. Secundum verò ad modum eſſendi earum. Primum erat, vtrùm in perfectionibus eſſentialibus creaturarum ſit ſtatus in accipiendo aliquam ſpeciem creaturæ perfectiſſimam, proximam in gradu naturę primo perfectiſſimo, ſupra quam nō ſit accipere aliam proximiorem illi. Secundū erat, vtrum aliqua creatura ſeipſa ſit formaliter neceſſe eſſe.

Arg. prin. Circa primum arguitur, quòd ſit ponere ſtatū in perfectione creaturæ, quia in eſſentialiter ordinatis qualiter ordinantur creaturę inter ſe ſm̄ ſpecies ſuas reſpectu Dei, ſi non ſit primum, nec aliquod aliorum, ſecundum Philoſophum in ſecundo Metaphyſ. de ſtatu cauſarum, ſed in eſſentialiter ordinatis ſemper præcedens eſt primum reſpectu ſequentium, & eſſentialem ordinem habet ad omnia ſequentia, qualem primum ſimpliciter reſpectu omnium: ergo in ſic ordinatis ad vnum primum omnium ſi non ſit proximum poſt illud, qd eſt primum reſpectu omnium aliorū, nec aliquod aliorum: ergo à contrario ſi ſint alia poſteriora eſſentialiter ordinata ad primum omnium, neceſſariò eſt aliquod primum reſpectu illorum, quod eſt ſecundum reſpectu primi, & proximum illi. Ita quòd ſicut primo ſimpliciter nihil poteſt eſſe prius, ſic ſub iſto non poteſt aliquid eſſe prius reſpectu aliorum: hoc autem non eſt niſi ponere ſtatum in perfectionibus creaturarum: ergo &c.

In oppoſit. Contra. Deus eſt infinitæ perfectionis: ſecundum autem rationes perfectionis eſt imitabilis à creaturis: ergo ſecundū rationes infinitas eſt imitabilis à creaturis: hoc autē non eſt niſi quia creatura ſecundum æquales modos imitatur, quia nō eſt imitabilitas paſſiua ſine imitante actiua, ſicut vniuerſaliter non poteſt eſſe paſſiuum ſine correſpondente actiuo, nec è conuerſo: ergo creatura ſecundum infinitos gradus perfectionis pōt eſſe imitatiua Dei: hoc autem non contingeret, ſi ſtatus, & numerus eſſet in perfectionibus creaturarum. ergo &c.

Reſponſio. Hic in principio ſciendum ſecundum prædicta in prima quæſtione præcedenti, quòd creaturæ ad Deum dupliciter habent comparationem.

Vno modo ſecundum ſuas eſſentias vt ſecundū rationes ideales ſpeculatiuas ſunt quædam exemplata ipſius. Alio modo ſecūdum ſuas exiſtentias, vt ſecundum rationes ideales practicas ſint quædam operata, ſiue operanda ab ipſo. Et iſto ſecundo modo creaturæ nullum ordinem eſſentialē habent ad Deum, quo neceſſe eſt ipſum per ordinē producere creaturas in eſſe, vt primo vnam primam: & deinde alias per ordinem mediante prima, & ſemper poſteriorem mediante priori, ſiue non, ſed ſingulam immediatè à Deo, licèt aliquē talium ordinum poſuit Auic. in productione rerū à Deo, vt alibi expoſuimus. Primo autem modo creaturæ omnes ordinem eſſentialem ſecundūm gradus perfectionum in diuerſitate eſſentię habēt inter ſe, & ad primum, quemadmodū in diuinis, vbi in idēitate eſſentiæ habent eſſe plures ab vno primò, neceſſario habent ordinem eſſentialem, ſiue naturalem inter ſę, & ad primum, ſecundum rationes productionum. Nunc autem ita eſt, ꝙ in eſſentialiter, ſiue naturaliter ordinatis ſecundum actus producendi inter ſe, & ad vnum primum, eſt aliquid ſecundum reſpectu primi, & omnium aliorum, quod producitur à ſolo primo, & tertiū, quod non à ſolo primo, ſed ſimul à primo, & ſecundo, & ſi ordo procederet vlterius, quartum nō produceretur à ſolo primo, nec à ſolo primo, & ſecundo, ſed ſimul à primo ſecundo & tertio, & ſic deinceps, ita quòd nullum ſequentium produci poſſet à primo, aut aliquo aliorū, niſi ſimul ab omnibus intermedijs, vt alibi planè declarauimus, loquendo de emanationibus diuinarum perſonarū. Quare ſi ſit ordo eſſentialis in eſſentijs rerum potius, quàm in exiſtentijs, erit conſimiliter in eſſentialiter ordinatis ſecundum actum eſſendi. ſ. eſſen-

tialiter

tialiter secundum formas, & essentias suas producibiles in esse à Deo secundum actum existendi, ita quòd est aliquod secundum respectu primi & omnium aliorum, quod solum immediatum est ad primum, & post primum, & secundum tertium, quod solum immediatum est post illos, & sic deinceps vsque ad infimã creaturam, ita quòd nullum sequentium haberet, quòd essentia, & natura quædam esset à Deo producibilis ordinem essentialem habendo ad ipsum, nisi haberet similiter ordinem essentialem ad omnia intermedia & illa similiter ad primum, ita quòd quocunq; posteriorum dato in tali ordine impossibile est ponere infinita media inter illud, & primum. Hoc.n. esset ordinem essentialem omninò interimere. Sicut enim in tali ordine si non est primum simpliciter, non est aliquod posteriorum, sic similiter si non est secundum proximum post primum, nec est aliquod posteriorum, quia illud secundum primum est respectu posteriorum, & sic deinceps. Et declarat ordo essentialis in sic ordinatis in hoc, quòd modo numerorum in eis est aliquod vnum primum simplicissimum in fine simplicitatis & virtutis infinitæ, quia summè vnitæ, & post illud est aliquod vnum, quod per aliquam compositionem, sed minimam, quæ potest reperiri in creaturis, recedit à simplicitate illius primi, quemadmodum binarius per aliquam compositionem recedit à simplicitate vnitatis, sed minimam, quæ potest inueniri in numeris. Vnde est post illud primũ omninò infinitum magis infinitum virtute cæteris & magis vnitè, & sic deinceps vsque ad infimã creaturam minimę virtutis. Vt secundum hoc intelligatur illud, quod dicit August. lib. cõfess. Duo fecisti Domine, vnum prope te, scilicet aliquam creaturam Angelicam: alterum propè nihil. s. primã materiam. Vnde si multiplicatio essentiarum creaturæ intelligatur multiplicari, siue plurificari, hoc non debet imaginari ponendo principium in prima materia, & accedendo ad primum omnium à minus nobili ad magis nobile sic, vt non ponatur finis perfectionum in creaturis in ascendendo. Istud enim contrarium est ordini naturæ, quẽ natura nunquàm inchoaret, cum eum perficere non posset, esset etiam contrarium reductioni creaturarum ad Deum, quia nulla perfectè reduceretur ad ipsum, quia non reducuntur posteriora ad primum nisi per medium, nec esset in reducendo ordo non modo essentialis, sed nec aliquis ordo omninò, quia in infinitis non est ordo. Quòd autem aliqui assignant pro causa, quòd si ponatur quęcunque creatura perfectissima, secundum aliquã perfectionẽ imitabilitatis in Deo imitatur ipsum, quæ est super perfectionẽ imitabilitatis, qua imitatur eum creatura inferior. Ita quòd sicut secundũ rationem nostri intellectus super perfectionẽ imitabilitatis, qua imitatur eum creatura inferior, est sumere perfectionem, qua illa superior creatura est imitabilis, eo quòd ipsa non exhaurit totã imitabilitatem Dei, sic cum nec suprema creatura data exhaurit totam imitabilitatẽ Dei, quia ipsa est infinita, & quælibet creatura imitatur modo finito: erit ergo in Deo ponere perfectionem imitabilitatis superiorem, qua imitatur essentia superioris creaturæ, & sic deinceps in infinitum. Præterea nisi ita esset sicut essentiæ creaturarum secundum species necessariò sunt finitæ, & ideæ in Deo, quia non sunt per se nisi species, necessariò essent finitæ, quod videtur inconueniens. Sed prima istarum rationũ procedit ex falsa imaginatione, imaginando gradus in diuina perfectione secundum considerationem intellectus nostri, quæ omninò est falsa, etsi nullos gradus ponat in Deo, quia talis consideratio non sequitur naturam rei, vt scilicet secundũ ipsam tales conceptus sint formabiles, qualiter debent sequi omnes veri conceptus de Deo, id quod cõsideratur in ipso, sicut alibi exposuimus: immò debemus cõsiderare in Deo vnum quid simplicissimum in perfectione, quod rationes omnium perfectionum possibilium circa creaturas habet in se non quantitatiuè quasi per extensionem, in qua accipitur pars, & pars quantitatiua, quemadmodum maior linea habet in se minorem, & plus, etsi solum secũdum considerationem intellectus, nec qualitatiuè per intensionem, in qua accipitur pars, & pars qualitatiua, quẽadmodum magis calidum habet in se intensionẽ minũs calidi, & plus. Talis enim consideratio nõ potest esse circa aliquid sine omni comparatione existens. Et secundum hunc modum aliqui cogitant omnes perfectiones esse contineri in esse Dei, quẽadmodũ calidum ignis continet omnes perfectiones calidorũ, quia est summè calidum, & nõ benè. Immò debemus cogitare perfectiones omnis esse fore in esse Dei vnitè, non secundũ rationem eiusdem, sed alterius, & supereminentis. Quemadmodum in vnitate consideratur perfectio omnis numeri, ita quòd sicut in vnitate non est aliquid qđ imitatur numerus vnus & non alius; immò id ipsum, quod in vnitate imitatur vnus numerus, & quilibet, & hoc est totum quod est ipsa vnitas, sic in Deo non est aliquid re, quod imitatur vna creatura, & non alia; immò id ipsum, quod in Deo imitatur vna creatura, & quælibet alia, & hoc est totũ, quod est diuinitatis essentia, ita quòd rationes imitabilitatum, & idearum non sint in Deo secundum actum ex natura rei secundum se, sed solum ex consideratione diuini intellectus, vt supra dictum est, quo comprehendit se imitabilem à diuersis, non comprehendendo aliquid diuersitatis realis ex parte sui, & eius, quod est per se obiectũ intellectus sui, sed solum comprehendendo secundum actum vnum simplex in ordine, vel comparatione ad diuersa ipsum imitantia. Quod quidem simplex vt sic comprehensum est ab intellectu, & hoc vt diuersimodè imitabile est, est formaliter & actualiter ipsæ distinctæ, siue diuersæ ideæ. Ita ꝙ ipsa diuina essentia, eo quòd simplicissima est, &

summè

ſummè vna ex ſe virtute, & quaſi in potentia continet omnes imitabilitates ideales quaſi radix & fundamentum, ſicut & omnium aliorum, quæ in diuinis ſecundum aliquam pluralitatem ſunt, ſiue conſiderantur, vt ſic principium primum originale omnis pluralitatis & diuerſitatis nõ eſt niſi vnitas & identitas ſumma abſque omni pluralitate & diuerſitate. Sed quòd iſta eadem eſſentia ſit formaliter, & ſecundum actũ omnes huiuſmodi imitabilitates ideales, ſiue quòd ſecundum actũ formaliter ſint in ea, vt diſtinctæ, & diuerſæ, hoc ſolùmmodo habet ab opere intellectus circa ipſam, vt intellecta eſt, ita quòd eſſentia nec ex ſe, vt ſubſtantia quædam eſt, nec ex ſe, vt etiam intellecta eſt, habet in ſe illas ſecundum actum, ſed ab opere intellectus, ita quòd illæ imitabilitates ideales opere intellectus ſunt in eſſentia intellecta, vt in radice formaliter, & ſecundum actum, & ſimiliter in ipſo intellectu non ſolùm vt in comprehendente, ſed vt in quaſi ſubiecto, quemadmodam intentio ſecunda ab opere animæ exiſtens in anima, eſt in anima non ſolùm vt in cognoſcente, ſed vt in vero ſubiecto, non quòd ipſe intellectus diuinus cõſideret diuerſas imitabilitates in eſſentia, quia cõſiderat imitantia diuerſa, vt ſecundum hoc diuerſitas imitantium ſit ratio diuerſitatis imitabilitatum, ſed potius quòd conſiderat diuerſa imitãtia, quia conſiderat ſe diuerſimodè imitabilem, vt diuerſitas relationum rationalium, quas Deus ſuo intellectu cõſtituit in ſeipſo, ſit potius cauſa diuerſitatis relationum realium in creaturis, quàm è cõuerſo, ſicut dictum eſt ſupra, dicẽte Auguſt. 83. q. quæſt. de ideis. Has rationes vbi arbitrandum eſt eſſe niſi in ipſa mente creatoris? Non enim extra quicquam poſitum intuebatur, vt ſecundum id cõſtitueret quod conſtituebat. Nam hoc ſacrilegum eſt. Et Seneca ad Lucilium epiſtola 68. Plato exemplar ideam vocat. Hoc eſt enim ad quod reſpiciẽs artifex id, quod deſtinauit, efficit. Nihil autem ad rem pertinet, vtrum foris habeat exemplar, an intus referat oculos, an intus quod ipſe conſpicit ibi & poſuit. Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra ſe habet, numeroſque vniuerſorum, quę agẽda ſunt, & modos mente complexus eſt, plenus his figuris, quas Plato ideas appellat. Quòd autem Deus ſic huiuſmodi exemplaria in ſe conſtituit: non autem ea ab extra accipit, hoc contingit ex lympiditate ſui intellectus. Quemadmodum enim ex rectitudine ſuæ voluntatis volendo ſuam bonitatem, quæ ipſe eſt, vult ſe eſſe beneficum aliorũ, & hoc tamen non niſi illorum, qui iuſta electione beneficia eius ſunt percepturi nulla ratione ſuę voluntatis, aut electionis ex parte ſua accepta ex parte eligibilium, licèt nullos eligat, niſi quorum eſt ratio ex parte ſua, qua iuſtitia congrui potius vnus effectuum electionis in ſe cõſequitur, & non alius, vt habitum eſt ſupra, ſic ex lympiditate ſui intellectus ſciendo ſuæ eſſentiæ veritatem, quæ ipſe eſt, ſcit & nouit ſe imitabilem aliorum: & tamen non niſi illorum, qui naturaliter eius eſſentiam imitantur nulla ratione ſuæ ſcientiæ, ſiue notitiæ ex parte ſua accepta ex parte rerum ſcibiliũ extra, licèt reſpectu nullius ſe imitabilem ſciat, niſi cuius eſt natura aliqua, quæ eſt quiditas, & eſſentia, qua potius imitatur diuinam eſſentiam, quàm illud, cuius natura non eſt quiditas, aut eſſentia aliqua.

Vnde cũ creaturæ ſuperioris, & inferioris gradus perfectionem diuinæ eſſentiæ imitantur, non eſt ſecundum aliam & aliam rationẽ perfectionis abſoluram, quarum vnam exhaurit vna creatura, & aliam alia. Hoc enim omninò eſt impoſſibile, ſcilicet quòd vna creatura exhauriat vnam rationem diuinæ perfectionis, & alia aliam. Sic enim vniuerſitas infinitarum eſſentiarum creaturæ exhauriret infinitatem diuinæ perfectionis, & adæquaretur quo ad hoc infinitas eſſentiarum creaturæ, infinitati perfectionis Dei. Quod multò magis eſt impoſſibile, q̃ ponere, ꝙ Deus ſecundum aliquam rationem perfectionis nõ ſit imitabilis à creatura, licèt vtrunque ſit impoſſibile. Quicquid enim perfectionis eſt in Deo, quælibet creatura imitatur, & creaturam in aliquo adæquari infinitati creatoris omninò eſt impoſſibile. Præterea eſto, ꝙ ſecundũ aliam, & aliam rationem perfectionis in Deo diuerſæ creaturæ diuerſimodè ipſum imitentur, ſi propterea neceſſe habemus ponere, quòd infinitæ debent eſſe eſſentiæ creaturarum imitabilitates, quia creaturæ non exhauriunt infinitas imitabilitates in Deo eadem ratione, cum nulla eſſentia creaturæ ſpecifica vna ſecundum vnum gradum intẽtionis exhaurit totam rationem perfectionis, qua Deus eſt imitabilis ab illa, quia quælibet ratio perfectionis, & imitabilitatis in Deo infinita eſt intenſiuè, ſicut & tota imitabilitas, & nulla eſſentia vnica creaturę ſpecifica poteſt exhaurire infinitum, nec ei vllo modo adæquari, oportet ponere ad hoc, quòd tota imitabilitas perfectionis, qua ſpecies aliqua ſpecifica imitatur Deum, exhauriatur, habeat etiam infinitos gradus ſecundum ſua individua, vt ſpecies aſini infinitos gradus aſinorum, quorum vnus ſemper ſit ſuperior alio in gradu naturæ, ita quòd non ſit dare aliquem, vel in aliquo gradum perfectionis, quin ratio perfectionis, qua Deus eſt imitabilis à ſpecie aſini, amplius ſit imitabilis, quemadmodum in ſpeciebus omninò diuerſis creaturarum nõ eſt dare aliquam, quæ tantum imitatur quin Deus amplius ſit imitabilis. Si ergo propter infinitam imitabilitatẽ perfectionis vnius rationis in Deo, non oportet ponere infinitos gradus aſinorum, ſimiliter in tota vniuerſitate creaturarum non oportet ponere infinitas eſſentias earum propter infinitam imitabilitatem Dei, vel ſi hoc neceſſe eſſet ponere ibi, & hic. Quare cum hoc non eſt neceſſe ponere hic, nec illud ibi. Videtur tamen hoc neceſſarium ponere ibi, ſi imaginamur creaturas ſuperioris, & inferioris gradus imitari diuinam perfectionem, ſecundũ aliam, & aliam rationem perfectionis abſolutam.

Vnde

Vnde ne illud cogamur ponere, ponendum est, ꝙ creaturæ ſm̃ diuerſos gradus perfectionis perfectionum ſuarum imitantur diuinam eſſentiam ſm̃ vnam perfectionem ſimplicem, & indiuiſibilem re & ratione abſolutã, quæ ſolò reſpectu differt ſm̃ ꝙ eſt ad diuerſas eſſentias, quæ neceſſitate naturæ concomitantur ipſam diuinam eſſentiam ab æterno. & hoc vt dicit Auic. 8. Metaphyſ. non ſicut partes eſſentiæ diuinæ, quia tunc contingeret ipſum multiplicari, nec ſicut ſeparatæ ab omni eſſentia alia, & à ſuis ſingularibus, & quaſi ſm̃ ordinem poſitæ in horizonte deitatis, ſic.n. incidunt in ideas Platonicas, nec ſicut quæ à Deo procedunt de neceſſitate in eſſe in ſingularibus, vt poſuit Auic. ſed ſicut illa, quæ habent in ipſo eſſe, vt intelligente ſecundum prædeclaratum modum. Et ſic imitabilitates, ſiue ideæ in Deo nõ nominant diuerſas rationes perfectionũ, ſed vnum ſolùmmodo ſub diuerſis reſpectibus, qui tot ſunt, quot eſſentiæ rerũ ad quas ſunt. Et ſecundum hoc dñr eſſe diuerſæ rationes ideales ſiue imitabilitates, & hoc quemadmodum eadem eſſentia dr diuerſæ potentię ſm̃ diuerſos reſpectus, vt alibi declarauimus. Quod aũt aſſumitur ꝙ ſecundum prædicta ideæ in Deo eſſent finitæ, non video ꝙ ſit aliqd inconueniens, potius aũt æſtimo me videre, ꝙ inconueniens eſt infinitas eſſe in ipſo. De hoc tm̃ nihil determino, nec ea, quæ hucuſq; propoſui circa hanc q̃onem, intendo propoſuiſſe determinando, ſed ſolùmmodo inueſtigando, & proponendo lectori, quod mihi vr̃ magis applicabile animo, nihil tamen ſuper hoc iudicando. Vnde primum argumentum vere neſcirem ſoluere.

Ad ſecundum poſſet dicere volens alteram partem ſuſtinere, ſecundum iam dicta, ꝙ Deus eſt infinitæ perfectionis non quantitatiuè, vel qualitatiuè, ſecundum ꝙ prædictum eſt, ſed vnitiuè tm̃, ita ꝙ non ſunt in ipſo diuerſæ rationes perfectionis, ſed ſolùm vnica ſecundum diuerſos reſpectus. Argumentum autem non procedit niſi ponendo cum diuerſis reſpectibus diuerſas rationes perfectionis eis ſubtractas. *Ad argm.*

Comment. in Quæſtionem Octauam, quæ eſt,

Vtrum in perfectionibus creaturarum eſſentialibus ſit ſtatus in accipiendo aliquam ſpeciem creaturæ perfectiſſimam, proximam in gradu naturæ primo perfectiſſimo ſupra quam non ſit accipere proximiorem illi.

AN hac propoſita quæſtione nihil determinati habetur ab Auctore. Veruntamen aperiendum eſt vbi ſita ſit difficultas. ſciendum itaque, ꝙ aliud eſt conſiderare res de poſſibili, & aliud de facto eſſe. Quippè de poſſibili in primis poſſumus conſiderare res & ſecundum eſſentiam, & ſecundum exiſtentiam. Et ſic ẽt in facto eſſe poſſunt accipi, & ſm̃ eſſentiam, & ſm̃ exiſtentiam. Vbi aduertendum eſt, ꝙ ſm̃ exiſtentiam correſpondent ideis practicis, ſm̃ eſſentiam verò ſpeculatiuis, vt oſtenſum eſt in prima quæſtione huius quodlib. Difficultas autem in præſentia non eſt de rebus, quatenus ſiue in facto eſſe conſiderentur, ſiue in fieri iuxta earum exiſtentias. Et ratio eſt, quoniam in his nullus attenditur ordo ſm̃ prius, atque poſterius, quia huiuſmodi ordinem haberent ad Deum. ſi n haberent, tunc eſſet ordo eſſentialis, qui non attenditur iuxta exiſtentiam, ſed ſm̃ eſſentiam, ſm̃ quam proponitur quæſtio. Quare difficultas eſt de rebus, quatenus conſiderantur iuxta earum eſſentias, qm̃ in his datur ordo tùm inter ſe, cùm etiam ad Deum. Et quidem ratio eſt, qm̃ vbicunque datur magis, & minus in perfectione eſſentiali, ibi datur ordo ad primum, vnde habent perfectionem, nam vbi datur magis, & minus, ibi datur ẽt maximum & minimum. Eſt autem maximum in perfectione Deus ipſe, cuius eſſentiam participant omnia: omne aũt participans participato inferius eſt, & participatum imparticipabili, vt probat diligenter Proclus propoſitione 26. elementorum Theologicorum. Vbi verò datur ſuperius & inferius, ibi datur ordo. Et profectò inter ſe ẽt creaturæ habent eundem ordinem reſpectu perfectionis participatæ, vt docet Ariſtoteles in his, quæ de cœlo. cum dicit, a primo ente datum eſſe omnibus, his quidem clarius, his autem obſcurius. Cum ergo detur ordo eſſentialis ad Deum, nulli dubium in primis eſſe debet, quod Deus eſt primus omnium. Ipſe.n. eſt ille Rex, de quo ſcribens ad Dionyſium Plato ait. Quod circa ipſum ſunt omnia, ipſe pulchrorum omnium cauſa, &c. Vnde ſicut Rex omnium primus eſt, ita Deus inter ſuas creaturas eminentiſſimo prorſus modo. ſed in hoc non eſt difficultas. ſed cum ordo videatur ẽt inter ipſas creaturas, & quidem eſſentialis, quæritur vtrum detur ſtatus penès ſurſum, penès. ſ. Deum. Penès nanque deorſum non videtur extendi quæſtio, quia cum peruenimus ad materiam primam, vlterius progredi non poſſumus, niſi deſcendentes ad nihil. Cumque quæratur penès ſurſum, quæri poteſt conſideratis rebus in facto eſſe, vel in fieri, ſcilicet de poſſibili. ſi primum; non credimus nos huc Auctorẽ tendere, quoniam tùm apud Philoſophos, cùm etiam apud Theologos notum hoc eſt, quòd datur ſtatus. Quippè in primis Ariſtoteles ſtatim poſt Deum ponit intelligentias, quòd videre eſt in Metaph. Quo fit, vt ſecundum ipſum ſit ſtatus ex vna parte ad intelligentias, ex altera parte ad materiam primam. Idipſum pluries dicit in libris de miſtica Philoſophia ſecundum Aegyptios, ſi tamen fui ſunt. Vbi intellectum primum inter omnia creata ponit. Quem inquit primo loco, creauit Deus mediante verbo. vide in 3. libro cap. 3. Idipſum Plato, atque Mercurius dicunt de mente creata, quod eſt. ſ. prima inter omnia creata. hos ſubſequuntur Proclus, Plotinus, & alij plures, vt videre eſt in noſtris commentarijs ſuper Parmenide Platonis. De Theologis poſtea, notum eſt, quòd naturam Angelicam ponunt ſtatim poſt Deum, nullo prorſus eorum reclamante. Tota ergo difficultas eſt de poſſibili. Vtrum ſcilicet poſſibile ſit non dari ſtatum in eſſentijs rerum, & id ob hoc, quòd videtur diuina eſſentia infinita, igitur & infinitè participabilis, ac imitabilis. Vbi nota illud, quod de infinito dicitur ab Ariſtotele, quòd eſt id, vltra quod ſemper eſt aliquid accipere. ſic enim in diuina videtur eſſentia. Vnde quis exiſtimare poterit, quod tamen ſi Angelica natura ſit excellentiſſima, poſſit tamen & alia creari excellentior. Quia excellentius poſſit eſſe imitabilis, & adhuc alia, & iterum, & ſic in infinitum. Nunc autem circa hanc quæſtionem hinc inde diſputat Auctor, & nihil determinat, videtur tamen inclinare ad hanc partem, vt dicat, quòd daretur ſtatus, & argumentum in fronte quæſtionis poſitum pro hoc negotio, ſibi dicit irreſolubile. Iudicaremus nos, ꝙ daretur ſtatus, & dubius ſit ſtatus, quoniam repugnat creaturis, ꝙ ſint numero infinitæ, vt neceſſe eſſet dari, ſed cætera in quæſtione ipſa legito.

QVAESTIO NONA.

Vtrum aliqua creatura seipsa sit formaliter necesse esse.

CIRCA secundum arguitur, ꝙ aliqua creatura, vt substantia incorporalis separata seipsa sit formaliter necesse esse.

Arg. prim. Primum. Primò sic, quod habet causam intrinsecam formalem sui esse sibi semper præsentem, ex se est formaliter necesse esse. substantiæ separatę sunt huiusmodi, ergo &c. Probatio maioris est, quia ablatis causis extrinsecis res manet in esse secundum suas causas intrinsecas. Probatio minoris est, quia illæ substantiæ simplices sunt formæ, quibus habet esse, quæ propter simpliciratem sibi abesse non possunt.

Secundum. Secundò sic, quod non potest relinquere causam formalem sui esse, ex se formaliter est necesse esse. substantiæ prædictæ sunt huiusmodi, quia secundum Proclum propositione 45. nullum simplex relinquit seipsum, substantiæ illæ formæ simplices sunt, vt non possint relinquere suam formam, nisi relinquendo se.

Tertium. Præterea Philosophus dicit punctum esse indiuisibilem, quia non habet vltimum. Non habere ergo vltimum est ratio eius, quod est esse indiuisibilem. Quare cum illæ substantiæ sint indiuisibiles, non habent vltimum. nihil autem potest se relinquere, nisi habeat vltimum, quia relinquere necessariò ponit duos terminos.

In oppos. In contrarium est Auicen. qui probat, ꝙ non est, nisi vnum necesse esse, vt Deus.

Resolut. q. Hic primo est aduertendum diuersos esse modos essendi, quorum aliqui sunt possibiles, aliqui impossibiles, & sunt vndecim. Quorum primus est eius, quod ex se formaliter est ens, & à nullo principiatiuè. Hoc modo habet esse solus Deus Pater in diuinis, & est necesse esse ex se formaliter, ita ꝙ à nullo principiatiuè. Secundus modus est eius, quod est ex se formaliter ens, sed cum hoc habet suum esse ab alio. Quod potest poni tripliciter. Vno modo principiatiuè: Secundo modo causatiuè. Tertio modo dependenter. Primò istorum modorum ex se esse formaliter & ab alio principiatiuè conuenit filio, & Spiritui Sancto in diuinis, & hoc secundum identitatem substantiæ eius, qui est ab alio, & eius à quo est, & ambo habent esse ex se formaliter, licèt ab alio principiatiuè. Secundo modo aliqui imponunt Philosopho, ꝙ posuerit substantias ingenerabiles, & incorruptibiles aliàs à primo ex se formaliter esse necesse, sed ab alio, vt à Deo causatiuè, quia in aliena substantia. Tertio modo creditur verius Philosophũ posuisse mundum, & ingenerabilia, & incorruptibilia habere ex se esse formaliter, sed solùm dependenter ad primum, vt iam dicetur. Et vterque istorum modorum est impossibilis, quia in vtroq; ponitur creaturę conuenire, ꝙ ex se formaliter sit necesse esse, quod est impossibile, vt iam declarabitur. Quintus modus est eius, quod est ex se possibile esse, sed non possibile non esse, sed ab alio causatiuè est necesse esse, quod implicat contradictoria, vt videbitur. Sextus est eius, quod est ex se possibile esse, sed ab alio causatiuè necessariò habet esse, & est positio Auicen. quæ similiter implicat contradictoria, vt videbitur. Septimus est eius quod est ex se possibile esse, & similiter ab alio causatiuè possibile esse. Et hoc dupliciter, vel ab æterno, secundum ꝙ aliqui moderni ponũt potuisse creaturam fieri à Deo ab æterno, licèt non fit facta, quod similiter includit contradictoria, vel ex parte, & hoc dupliciter, vel quòd habet esse cum toto tempore, sic mũdus, & omnis creatura incorruptibiliter, & ex se, & ab alio est possibile esse, vel in parte temporis, sic sunt generabilia, & corruptibilia, de quorum esse nihil ad præsens. Vndecimus modus est eius quod nec ex se, nec ab alio est possibile esse, quale est res à reor reris dicta, quæ est ens solum sm imaginationem, nec est naturæ, aut essentiæ alicuius, vnde nec est factibile omninò. De quibus dicit Philosophus. 1. cæ. & mun. quòd sunt non entia semper tempore infinito, vt iam dicetur. De modis essendi primo, & secundo nihil ad præsens, quia solum pertinent ad ens increatũ. Similiter nec de octauo, nec nono modo, quia non ponunt circa creaturam necesse esse. Sed de quinque intermedijs oportet hic considerare. Quantum ergo ad tertium modum dicunt aliqui, quòd Philosophus posuit essentias omnium incorruptibilium post primum ens existẽtes ordine naturæ determinatas esse ad esse, ita quod nullo modo sint possibiles ad non esse, ita quòd ex se non sunt etiam possibile esse, sed tm̃ ex se formaliter necesse esse, quòd tamẽ causatiuè habent ab alio, quod quidem aliud cum hoc, quòd ex se formaliter est necesse esse, hoc à nullo est causatiuè, quod posuit esse Deũ, & omne aliud creaturam. Et secundum hoc aliqua creatura ex se formaliter est necesse esse, & hoc quemadmodum secundum fidem Catholicam in diuinis personæ filij, & Spiritus Sancti conuenit, quòd ex se formaliter sint necesse esse, principiatiuè tamẽ hoc habent à patre, qui solus ex se formaliter est necesse esse, ita quòd à nullo principiatiuè, secundum quòd hoc de personis diuinis alibi exposuimus.

Ita quòd secundum hoc non refert ponere aliquid esse ex se formaliter necesse esse, & ab alio productum, siue ponatur eiusdem substantiæ cum producente, siue diuersæ, nisi quòd in diuinis de sub-

de ſubſtantia eius, quod ex ſe formaliter eſt neceſſe eſse, & à nullo principiatiuè, producuntur illi, qui ex ſe ſunt neceſse eſse, & ab illo principiatiuè. In creaturis verò quod ſecũdum dictum modum ex ſe formaliter eſt neceſſe eſſe, & principiatiuè ab alio, de nulla ſubſtantia habet produci, neq; producentis, neque alterius, vt iam amplius declarabitur. Quomodo autem neceſſarium ſit in diuinis ponere neceſſe eſſe aliquibus conuenire ex ſe formaliter, ab alio tamen principiatiuè, ſed in identitate ſubſtantię producentis, & producti, alibi declarauimus. Quod autem ſit omninò impoſſibile in diuerſitate ſubſtantiæ, de hoc eſt præſens difficultas, quod tamen alibi maximè ex dictis Auicen. declarauimus, probando vnitatem Dei per hoc, ꝙ probauimus, ꝙ impoſſibile ſit eſſe, plus q̃ vnum neceſſe eſſe. In diuinis enim etſi ſint plures quorum eſt neceſſe eſſe, ſiue qui ſunt neceſſe eſſe, non tamen ſunt plus quàm vnum neceſſe eſſe, ſicut non ſunt plus quàm vna eſſentia. ita ꝙ ſi eſſent plures habentes neceſſe eſſe in diuerſitate ſubſtãtiæ, neceſſariò eſſent plura neceſſe eſſe, & plures Dij. Quod etiam ad præſens declarauimus includere contradictoria per hunc modum. Cum enim aliquid dicatur eſſe in potentia reſpectu alicuius actus dupliciter, aut vt ſubiectum de quo aliquid habet produci, quemadmodum materia, de qua habet generari homo, dicitur eſſe in potentia, vt de ipſa generetur homo, alio modo, vt obiectum quod eſt ipſum productibile, & terminus productionis, quemadmodum homo dicitur eſſe in potentia, vt generetur, hoc ſuppoſito arguo ſic, quod eſt neceſſe eſſe ex ſe formaliter, ex ſe eſt non in potentia ad eſſe, ſed ſemper eſt actu ens neceſſe eſſe, quia neceſſe eſſe, & poſſibile eſſe propriè acceptũ opponuntur; licèt communiter accepto poſſibile eſſe, ad neceſſarium ſequitur poſſibile, vt habetur in lib. Peri hermenias, & in lib. Priorum. Propriè enim loquendo, quod eſt poſſibile eſſe, poſſibile eſt etiam non eſſe, & quod neceſſe eſſe nõ eſt poſſibile non eſſe. Quod autem cauſatiuè ab alio in aliena ſubſtantia habet eſſe neceſſe eſſe, ex ſe eſt in potentia ad eſſe, & non ens ſecundum actum neceſſe eſſe, quia aliena ſubſtantia, in qua aliquid habet eſſe ab alio, & ſimiliter quod habet eſſe ab illo non habet ex ſe illud eſſe, quia tunc nec ipſa, nec illud, quod ſubſiſtit in illa, haberet illud ab alio. Quod ergo eſt neceſſe eſſe formaliter ex ſe, & principiatiuè ab alio, ſimul eſt in potentia eſſe neceſſe eſse, & non in potentia eſse neceſſe eſse, & ens neceſſe eſse, & non ens neceſſe eſse. Maior patet, quia vt dictum eſt, neceſſe eſse excludit omne poſſibile eſse. Minor ſimiliter patet ex dictis. Quia quod ex ſe non eſt in potentia obiectiuè, nec ſubiectiuè, dum ſubſiſtit in aliena materia, nullo agente poteſt eſse in actu ſecundum illum actum, vt dictum eſt ſupra in tertia quæſtione.

Quod etiam declaratur per exempla, quia ſi aliquid vt ſubiectum non ſit in potentia, vt de ipſo aliquid producatur, ita quòd non ſit ex ſe non ens ſecundum actum illum, & ponatur, quòd de ipſo producatur illud, contradictio includitur, quia ſi de illo producitur, poteſt produci de ipſo, & ex ſe eſt non ens ſecundum actum illius; Aliter enim ex illo nullo modo produceretur, vt patet de filio, quòd nunquàm produceretur de diuina ſubſtantia, niſi de ipſa ſubſtantia poſſet produci, & niſi ipſa ex ſe eſſet non filius, & ſimiliter de materia ſubiectiuè nũquàm produceretur ignis, niſi de ipſa poſſet produci, & niſi ipſa ex ſe eſſet non ignis. Conſimiliter ſi aliquid obiectiuè non ſit in potentia ad eſse aliquid, & non actu ex ſe illud, & ponatur ab illo produci in eſse ſecundum actum illum, contradictio includitur, quia ſi eſt in potentia ad eſse illud, hoc eſt, quia non eſt non ens ſecundum actum illum. Si verò ab illo producatur poteſt ab ipſo produci, & eſt ex ſe non ens ſecundum actum illum, & hoc tàm in diuinis, quàm in creaturis, ſed differenter.

Ad cuius intellectum ſciendum, quòd aliquid vt obiectum eſt in potentia dupliciter.

Vno modo non ad eſse abſolutum, ſed ad ſuppoſitum, cui communicatur eſse per productionem de illo.

Alio autem modo ad eſse abſolutum, & per hoc ad id, cui per productionem acquiritur eſse. In diuinis enim de diuina eſſentia non procederet filius, niſi ipſa eſſet in potentia, vt de ipſa procederet. In potentia dico non ad eſse abſolutum, ſed ad ſuppoſitum, cui per productionem communicatur eſse, ita quòd ipſa eſſentia ex ſe non habet rationem ſuppoſiti, ad quod eſt in potẽtia. In creaturis verò de ſubiecto aliquo non poteſt intelligi poſſe produci aliquid in actu exiſtendi in aliquo ſuppoſito, niſi ſit ſimul in potentia ad eſſe, ita quòd ex ſe ſit non ens ſecundum actum illũ. Quod etiam benè concederet Philoſophus. Ex quo patet, quòd quintus mòdus præpoſitus eſt impoſſibilis, & includit contradictoria, qui ponit, quòd aliquid eſt ex ſe poſſibile ad eſse, non autem ad non eſse, & quòd habet, quòd ſit neceſſe eſse ab alio, quia quod eſt ex ſe poſſibile eſse, ex ſe eſt poſſibile non eſse.

Propter quod Philoſophus poſuit, quòd poſſibile eſse ex ſe, nullo modo poſſet eſse neceſſe eſse ab alio, niſi motus. Vnde ſecundum ipſum ſi cœlum eſset ex ſe habens potentiam ad eſse, non poſſet eſse ab alio neceſſe eſse, vt à primo cauſatiuè. Sed licèt ſecundum motum eſt in potentia ad neceſſe eſse ab alio, poteſt eſse neceſſe eſse. dicente Commentatore ſuper 12. Metaph. Ioannes Gramaticus mouet magnam quæſtionem Peripateticis. Dicit enim, ſi omne corpus habet potentiam finitam, & cœlum eſt corpus, ergo habent potentiam finitam, & omne finitum eſt corruptibile. ergo cœlum eſt corruptibile.

Si ergo aliquis dixerit, quòd priuatio corruptionis eſt acquiſita in cœlo de eſſentia abracta, cõtinget,

vt aliquid posſibile corruptionis ſit æternum. Et reſpondet ſubds. Potentia multipliciter dicitur. Eſt enim potentia in ſubſtantia, & alteratione, & vbi. & de iſtis nulla in cœlo exiſtit, niſi ad vbi. Et cum dicitur, quęcunque potentia fuerit in corpore, eſt finita, verum eſt. Sed non ſequitur, quòd omne corpus habet potentiam omnem; Corpus.n. cœli non habet potentiam, niſi in vbi. In corpore quidem cœleſti non eſt potentia, vt corrumpatur, quia non hęt contrarium. Eſt igitur remanens per ſe, & per ſuam ſubſtantiam. Motus aũt impoſsibile eſt vt ſit remanens per ſuam ſubſtantiam, cum habeat contrarium. ſ. quietem. Ideoq, in cœlo nõ eſt poſsibilitas, niſi vt quieſcat. corruptio.n. non eſt in eo ſicut quies. Et ideo non eſt verum dicere aliquid poſsibile eſſe ex ſe, æternum aũt, & neceſſarium ex alio, niſi in motu cœli tantòm. Vt autem aliquid ſit poſsibile in ſubſtantia ſua, & per aliud ſit neceſse in eſse, eſt impoſsibile, niſi eſſet poſsibile, vt eius natura tranſmutaretur. Intelligo vt de natura poſsibili eſſe, fieret natura neceſse eſſe, vt non eſſet amplius ex ſe poſsibilis eſſe, ſed ex ſe neceſse eſſe formaliter, ſed ab alio principiatiuè. Et eſt ille modus tertius, quem habemus præ manibus, quem vt dixi aliqui ponunt Philoſophum poſuiſſe. Sed quia hæc poſitio manifeſtè contradictionem implicat, vt declaratum eſt, nõ videtur alijs Philoſophũ aliquid tàm abſurdum poſuiſſe. Vnde Comment. aſsignat rationem, quare motus poteſt eſſe neceſsarius ab alio non à ſubſtantia, dicens. Permanentia motus eſt ex alio, ſubſtantię autem ex ſe. Ideò impoſsibile eſt inueniri ſubſtantiã poſsibilem ex ſe neceſſariam ex alio, quod poſsibile eſt in motu. Cum ergo Philoſophus poſuit quòd ſubſtantiæ incorruptibiles ſint ex ſe formaliter neceſse eſſe, nullo modo cum hoc poſuit, qđ ſunt cauſatiuæ ab alio. Propter quod verius eſt dicere, quòd Philoſophus nõ ponit alia à primo eſſe ab ipſo effectiuè, ſiue cauſatiuè, nõ continuatione motus. Sic enim omne aliud à Deo ex ſe eſſet poſsibile eſſe, & non eſſe, vt dictũ eſt, & non haberet eſſe niſi ſibi acquiſitum cauſatiuè à Deo, quod eſt poſitio Auicen. Poſuit ergo omnia, quæ ſunt, præter generabilia & corruptibilia eſſe ex ſe formaliter ſicut Deum, ſic & omnia alia ab ipſo incorruptibilia ſecundum naturas ſpecierum. Et ſolũmodo, quo ad hoc differentiam poſuit inter alia à Deo, quòd quædam ſpecies ſtant in eſſe ex ſe formaliter in vnico indiuiduo, vt omnia incorruptibilia ſecundum ipſum, quædam verò non niſi in pluribus, vt ſpecies generabilium, & corruptibiliũ, quę per ſe, vt ſpecies ſunt, ſunt incorruptibiles. Sed per accidens corrũpuntur in indiuiduis ſuis. Quemadmodũ ẽt elementa ſm̃ ſpeciem, & ſm̃ tota poſuit ĩcorruptibilia, ſm̃ partes verò corruptibilia. Si ergo Philoſophus ponit alia eſſe à Deo, hoc eſt ſolum dependenter ſecundum quartum modum eſſendi prętactum, vt ponat omne aliud ens à Deo in ſuo eſſe dependere, ſicut minus perfectum in eſſe à magis perfectò, & per eundem modum à ſecundo poſt Deum omnia poſteriora, pro tanto, ſcilicet quòd propter eſſentialem ordinem, quem habent inter ſe, ſi non eſſet primum, non eſſet aliquid poſteriorum, ita quòd primum poſſet poni in eſſe ſine poſteriori, quia non dependet ab illis, nullum autem aliorum ſine primo quantuncunque ponantur fore neceſse eſſe ex ſe formaliter. Poſuit enim quòd ſic eſſent omnia neceſsaria in ſuo neceſſe eſſe ex ſe formaliter, quòd ſibi abeſſe non poſſent. Ita etiam quòd ſi ponatur aliquod poſteriorum eſſe, & primum non eſſe, includantur contradictoria ſimul in eodem, quòd ſcilicet eſſet, quia eſt neceſſe eſſe ſine poſſibilitate ad non eſſe, & quòd non eſſet, quia illud per poſitionem non eſt, à quo eſſentialiter dependet in eſſe, ſecundum quod verſus finem quæſtionis declarabimus. Sed iſta poſitio, quæ putatur fuiſſe Philoſophi, etſi non implicet contradictoria, ſupponit tamẽ vnum falſum, ſcilicet quòd aliquid in ſuo eſſe eſſentialiter dependet ab eo, à quo non habet eſſe. Nauta enim per ſuam abſentiam nunquàm eſſet cauſa periclitationis nauis, niſi per ſuã præſentiam aliquo modo eſſet cauſa eſſe ſalutis nauis. Vnde ſecundum ſuperius dicta quantuncunque ſit eſſentialis ordo creaturarum inter ſe, quia tamen eſſe non habent, niſi à primo in ſuis ſpeciebus, à nullo dependent in ſuo eſſe niſi à primo. Vt vna ſcilicet illarum ſicut nec ſecundum productionem in eſſe dependet ab alia, ſic neque ſecundum permanentiam ſuam in eſſe. Vnde & indiuidua generabilia, & corruptibilia ſi in nullo à corporibus cœleſtibus & motibus eorum dependerent ſecundum productionem ſuam in eſſe, neque ſecundum eorum permanentiam in eſſe. Vnde & ſicut Deus in ſuis primis indiuiduis produxit ea ſine illis, vt cuncta terrænaſcentia tertia die, ante creationem ſolis, & lunæ, & ſtellarum quarta die, ne vt dicit Ambroſius in Haxame. putarentur fuiſſe mediãte ſole, luna, & ſtellis, ſi poſt quartam diem fuiſſent producta, ſic & Deus ſine illis poteſt etiam ea conſeruare in eſſe, vt contra ſententiam Philoſophorum illud, quod eſt poſsibile eſſe, & non eſſe ex ſe, poſsit perpetuari in eſſe de futuro, etſi non ſemper fuit in præterito, ſed recepit eſſe poteſt non eſſe, & hoc quia eſſe habet ab alio. Vnde eadem de cauſa, qua Commentator dicit de motu, quòd poſsibile eſt, vt ſit neceſſarius ex alio, & poſsibilis ex ſe, ſcilicet quia eſſe habet ab alio, ſcilicet à motore, & ideò æternus, quia eſt à motore æterno, vt ideo eſſe, & permanentia eius poſsit eſſe ab alio ab æterno, potuiſſet dixiſſe de ſubſtantia. Vnde quòd Philoſophus in ſubſtantijs poſuit impoſsibile ſubſtantiam inueniri poſsibilem ex ſe, neceſsariam autem ex alio, huius cauſa non eſt, niſi quia poſuit permanentiã ſubſtantiæ æternam non eſſe niſi ex ſe, ita quòd nullo modo ex alio cauſatiuè, ſicut in ſubſtantia generabili, & corruptibili poſuit, quòd ex ſe ne-

ceſse habet quandoq; non eſse, licèt ab alio habet eſſe, vt habere eſſe ab alio, quod eſt poſſibile ex ſe, non ſit tota ratio, quare poſſit ab alio perpetuari in eſſe. Sed cum hoc concurrunt alia duo: Quorũ primum eſt, ꝙ eſſe ſuum habet immediatè ab eo, qđ vniformiter ſe habet ad ipſum, & ad mobile, vt eſt anima cœli, ſiue motor eius coniunctus, & ſimiliter eſſe ſuum mediatè ab eo, qđ ſemper vniformiter ſe habet in ſe, & reſpectu aliorum, vt à motore primo, quia eſt immotus ſemper, & per ſe eſſentialiter, & accidentaliter, & hoc ꝓpter particularia generabilia, & corruptibilia, quæ eſſe ſuum immediatè habent à cœleſtibus corporibus, quæ propter motum, quo ſunt cauſæ eorum, ſemper diſformiter ſe habent ad illa. Secundũ verò, quia nec permanentiam ſuam hẽt ex ſe, & hoc pp ſubſtantias aliàs à generabilibus, & corruptibilibus, quarum naturam poſuit Philoſophus eſſe talem, ꝙ non eſſet in ea potentia oĩnò, niſi ꝙ in ſolo corpore cœleſti eſſet potentia ad vbi, & ꝙ in ſubſtantia ſua ex ſe, & natura ſua eſſent neceſſe eſſe, & ꝙ alia ex ſubſtantia, & natura ſua non ſunt neceſſe eſſe, ſed corruptibile, ita ꝙ ſi aliquid ſit ſemper exiſtens, hoc facit natura ſua, qua eſt neceſſe eſſe, vt nihil poſſit eſſe ſemper exiſtẽs, niſi ex ſe ſit neceſſe eſſe præter motum, & ſimiliter ſi aliquid ſit non ſemper exiſtens, hoc facit natura ſua, quæ non eſt neceſſe eſſe, vt ſm̃ ipſum ſubſtantia, quia ex ſe non ſemper eſt, non poſſit habere ab alio ſemper eſſe, niſi eius natura tranſmutetur, vt ille alius pro vna natura daret ſibi aliam naturam, & ſimiliter dans de vna natura trãſmutaretur in aliam. Et hoc eſt qđ dicit in primo cę. & mun. Impoſſibile eſt, vt nõ generabile in aliquo tpe cadat ſub corruptione. Impoſſibile eſt.n. vt aliquid nõ generabile, & corruptibile fiat ſine factore. Facta.n. ſine factore rara ſunt, & cum fuerint deſtruuntur. Permanens aũt in æternum, & in tpe infinito nõ fit ſine factore oĩnò, & cum ita ſit, natura eſt faciens omnia æterna neceſſariò, & ipſa facit, vt idem ſit ens, & vt ſit non ens in tempore, & tempore, & vt quædam ſint ſemper entia, & quædam non entia ſemper in tempore infinita, & cauſa illius eſt fortitudo illius naturæ. Quod exponens Commentator dicit ſic. Abbreuiatio huius ſermonis eſt, quòd ſi aliquid eſt non generabile, ſiue ponatur, ſiue non, & aliquid fuerit corruptibile, ſiue generatũ, ſiue nõ, manifeſtum eſt, quòd impoſſibile eſt, quòd ſit caſu; nam ſicut qđ fit caſu raro fit, ita ẽt parum exiſtit. Et cum ita ſit, illud qđ ſemper eſt, non eſt ſemper, niſi ex natura ad hoc, & eſt natura eius per q̃ eſt qđ eſt. Naturæ igitur rerum dant eis, aut vt ſint ſemper, aut vt non ſint ſemper, aut vt aliquãdo ſint, & aliquando non ſint. Si igitur inuenitur aliquid generabile æternum, aut æternum corruptum, eſſet poſſibile, vt natura poſſibilis tranſmutaretur in neceſſariam, & neceſſaria in poſſibilem in agente natura, & recipiente, quod eſt impoſſibile. Et dixit. Impoſſibile eſt enim, vt aliquid generabile, &c.i. impoſſibile eſt, vt aliquid ſit non generabile, aut non corruptibile caſu, ſed neceſſarium eſt, vt hoc ſit natura faciente, qm̃ omnia exiſtentia caſu non permanent niſi parum, ſicut non fiunt niſi raro. Deinde dixit. Permanens autem & æternum, &c.i. non fit niſi quia ſubſtantia, & eſſentia eius dat ei permanentia. Deinde dixit: Et cum ita natura ſit, &c.i. & cum cauſa eſſe rerum naturalium ſit ex natura, naturalia ſunt tribus modis, aut quorum natura dat eis, vt ſemper ſint, aut vt ſemper non ſint, aut vt ſint in duabus diſpoſitionibus. & nulla natura dat, vt ſit ſemper, & non ſit, niſi neceſſarium tranſmutetur impoſſibile. Deinde dixit. Et cauſa illius eſt, &c.i. & cauſa diuerſitatis entium in iſtis diſpoſitionibus eſt cauſa diuerſitatis naturæ in ſua ſubſtantia. Eſt ergo poſitio Philoſophi, quòd res inferiores Deo nõ poſſunt eſſe in alia diſpoſitione, quàm habent ex natura ſua, & quòd aliquorum natura eſt, vt ſemper ſint, & aliorum, vt ſemper non ſint, & aliorum, vt neq; ſemper ſint, neque ſemper non ſint, ſed quòd aliquando ſint, & aliquando non, & quòd neceſſariũ ita eſſe, & ſe habere, & in ſe, & reſpectu Dei. Quia ſicut ſecũdum ipſum eſt natura aliarum rerum ſic ſe habere, vt ſe habent, ſimiliter eſt natura Dei ſic ſe habere, vt ſe habet, & in ſe, & reſpectu aliorum, vt non poſſet omninò res facere aliter ſe habere, quàm habent, niſi ipſe ſicut & alia tranſmutaretur ab vna natura in aliam, quod omninò eſt impoſſibile, vt dictum eſt, aut ſequeretur quòd contrariæ naturæ ſimul eſſent in eodem. Et hoc eſt quod Philoſophus continuè ſubiungit dicens. Non eſt igitur poſſibile, vt aliquid ſemper ſit non generabile, & ſemper corruptibile, quòd ſi fuerit, poſſibile eſt tunc contraria eſſe in actu neceſſario, quod eſt impoſſibile. Quod exponens Commen. dicit. Deinde dixit. Non eſt igitur poſſibile, &c.i. non eſt poſſibile, vt eadem natura det ei eſſe ſemper, & non eſſe ſemper. Hoc autem conuenit dicẽti aliquid eſſe ingeneratum, & poſt generatum, & aliquid nõ corruptibile, & poſt corruptum. ſ. quòd neceſſe eſt ei ponere aliquid cuius natura dat ei, vt ſit ſemper, & vt ſemper non ſit. Deinde confirmauit hoc per demonſtrationem, ſuper quam ſuſtentatus eſt in his demonſtrationibus, & dixit: Quòd ſi fuerit, poſſibile, &c.i. ſi aliquis poſuerit quòd poſſibile eſt, vt in aliquo æterno ſit potentia ad corruptionem abſque eo quòd corrumpatur, conuenit ei, quòd illæ ſint duæ potentiæ cõtrariæ exiſtentes. ſ. potentia ad eſſe, & potentia ad non eſſe in actu. Si ergo actio vnius potẽtiæ fuerit in actu, neceſſariò erit altera in potentia, cum impoſſibile ſit, vt actio duarum potẽtiarum ſint ſimul, ſcilicet non eſſe in actu, & eſſe in actu, niſi idem ſit & non ſit in actu, quod eſt impoſſibile. Et ſi vna illarum fuerit in potentia, erit poſitio ſuæ actionis, quòd ſit in actu falſa non poſſibilis, ſed eſt falſa impoſſibilis, quia inducit ad eſſe actuum duarum potentiarum ſimul in actu.

Ergo illud, qđ positũ fuit. ſ, potentiã esse ad cõtrariũ non esse in æterno, falsum est, & nihil, qm̃ impossibile contrariũ est possibili, & ex quo sequitur impossibile est impossibile. Ex quibus patet, ꝙ præter generabile, & corruptibile non ponit Philosophus aliquid aliqñ non esse nisi semper naturaliter sit non ens in præterito, & futuro, neque esse aliquando, nisi semper naturaliter sit ens in præterito, & futuro, & ꝙ nihil sit possibile esse quandoque ens, & quandoque non ens, nisi habẽs contrarium in materia, ex qua generatur quandoque & est, & in quam corrumpitur quandoque, & non est, secundum ꝙ manifestè dicit in sequentibus. Et possumus pscrutari de hoc sermone &c. vbi dicit Commen. Omne igitur generabile habet contrarium, & omne corruptibile similiter. Et cum coniungitur huic, quòd omne generabile habet contrarium, & omne habens contrarium est corruptibile, conuenit, quòd omne generabile est corruptibile, & similiter si coniungitur huic, quòd omne corruptibile habet simile, conuenit quòd omne corruptibile est generabile; habens. n. contrarium impossibile est, vt remaneat per tempus infinitum, neque in præterito, neque in futuro.

Si ergo mundus fuit primò non ens, deinde generatus fuit post non esse, necesse erit huic contrarium, ex quo fuit non ens antequàm generabatur, & cum est ei contrarium necessariò corrumpitur post generationem, &c. Ex quo planè patet, quòd ponit impossibile aliquid à Deo fieri ex nihilo, aut factum tale perpetuò cõseruari in esse, sed Deum nihil agere omninò circa res, nisi quòd ex ordine quodam, secundum quòd dictum est, ex dependẽtia quadam ad ipsum cõseruantur in esse, & quòd posuit omne quod semper est, ex se formaliter esse necesse esse, & quod semper non est, ex se esse impossibile esse, & quod aliquando est aliquando non est, ex se esse possibile. Ita primum nunquàm possibile est non esse. Secundum verò nunquàm possibile est esse. Tertium necesse est quandoq; esse, & qñque non esse. non ita quòd semper fuerit in esse de præterito, & non erit semper vel aliquando pro futuro, nec ita quòd semper fuerit nõ ens pro præterito, sed erit semper, aut aliquando pro futuro, sed ita quòd nõ semper fuerit pro præterito, & quòd non semper erit pro futuro, sed ali quando sit, ita quòd nec primum idem numero habuerit esse, nec posterius habebit. Propter qd dixit multùm ante prædicta. Illud quod semper est ens, neq; est generabile, neq; corruptibile, &c. Super quo dicit Comment. Vt cum aliquid dicitur semper ens, conuenit vt sit in toto tempore, & illud in cuius natura est receptio æternitatis, non recipit æternitatem in præterito absque futuro, neque in futuro absque præterito. Vbi voluit planè quòd illud, quod est semper non ens in præterito, non est possibile, vt insit futuro, nec è conuerso, quod est semper non ens in futuro, fuerit ens in præterito.

Hæc sunt re vera, quæ Philosophus supponit tanquàm fundamenta sua, vbicunque loquitur de hac materia, siue in primo cæ. & mun. siue in 8. Phys. siue alibi. Ex quo patet, quòd falsa sunt maximè secundum fidem Catholicam, quæ ponit aliquid fieri ex nihilo, immò quicquid est præter Deum, & totum mundum aliquãdo factum ex nihilo. Ponit etiam ex his plurima diuina virtute in toto futuro conseruari in esse, & quòd Deus agit causatiuè aliquid circa res, & quòd omne quod est præter ipsum, quantum est ex se esse non habet, nec habuit nisi à Deo, ex se autem non nisi non esse, & tantùm possibile esse, & cætera contraria prædictis.

Quib. negatis, & rationabiliter negatis patet inspiciẽti dicta sua, ꝙ nulla rationum suarum procedit. Et sic appellãdo creaturã qcquid est aliud à Deo, Philosophus posuit plurimas creaturas esse ex se formaliter necesse esse, quod omninò falsum est, immò omnis creatura, & omne aliud à Deo, ex se est possibile esse, & non esse, vt posuit Auic. cuius opinio in hoc multò verior fuit, & propinquior veritati Catholicæ, quòd scilicet secundum sextũ modum essendi supra positum, omnis creatura ex se est possibile esse, ita quòd præter primum nullũ aliorum sit necesse esse, secũdum quòd probat efficacissimè, vt alibi declarauimus. Vnde dicit. 8. Meraphys. Cætera alia extra necesse esse habent quiditates, quæ sunt per se possibiles esse, quibus non accidit esse nisi extrinsecus.

Ponit autem Auicen. in positione sua duo, quæ alibi sæpius declarauimus. Vnum, quòd Deus cæteris creaturis mundi à generabilibus, & corruptibilibus dat esse ex necessitate suæ essentiæ, & ita semper in omni præterito, ita quòd ab æterno, & in omni futuro, ita quòd in æternum conseruabit illud esse, quod dedit. Aliud, quòd licèt creatura talis à Deo semper esse habet, & ab æterno esse, ita quòd nunquàm fuit in non esse, quia tamẽ ita ex se est possibile esse, & non esse, ꝙ semper est in non esse, nisi ab alio habeat esse, natura ipsa hẽt esse post nõ esse, licèt non duratione, ſm̃ ꝙ dicit in 6. eiusdẽ. Quod per essentiã suam causa est alterius rei, profectò semper erit ei causa, eo ꝙ absolutè prohibet rem non esse. Et hæc est intentio, quæ apud sapientes vocatur creatio, quod est dare rei esse post non esse absolutè. Causatum enim, quãtum est in se, est vt non sit, quantum verò ad suam causam est ei, vt sit. Quod autem est ei ex seipsa, apud intellectum priùs est per essentiam non tempore, eo quod est ei ex alio. ergo esse causatum est post non ens posterioritate essentiæ. Et secundũ hoc largè sumendo incipere esse, verum est dicere, ꝙ omne creatum incepit esse, q̃q̃ ab æterno habuit ab alio esse. Vnde continuo subdit. Si autem laxaueris nomen inceptionis circa omne esse quod habet esse post non esse, quàmuis non sit hęc posterioritas tempore, tunc esse causatum erit incipiens. Si tamen propriè sumatur incipere, solũ

genera-

generabilis res ex tempore determinato dicitur incipere esse. Vnde continuò subdit. Si verò non laxaueris, sed fuerit conditio incipientis, vt habeat esse, quo tempus sit prius, & sic non omne causatum est incipiens. Sic autem nec Auicen. nec fides Catholica ponũt creaturam incepisse post tempus præcedens, immò Auicen. & Plato, & fides Catholica ponunt, ꝙ tempus incepit cum mundo. Sed Plato, & fides Catholica, ꝙ non incepit ab æterno: Auicen. verò, ꝙ ab æterno etiam à parte ante. Omnes verò concedunt, quòd æternus est ex parte post in futurum. & sic ponunt, quòd in æterno sit potentia, vt corrumpatur, licèt nunquàm continget ipsum corrumpi. Et sic possibile est, vt aliquid incipiat esse, & remaneat post in perpetuum, ita etiam secundum fidem Catholicam, vt licèt semper fuisset in perpetuò prius, possibile tamen esset eum corrumpi in futuro, vt licet possibilitas ad corruptionem sit ei ex se, incorruptio tamen ab alio, non autem ex eius natura propria. Vt hoc modo non sit inconueniens, quòd aliquid sit ens per tempus infinitum, & possibile ad non esse semper, & sic duæ potentiæ quoquo modo contrariæ sint in eodem, vna secundum cursum naturæ institutæ, alia secundum cursum voluntatis diuinæ. cuius contraria principia sumpsit Philosophus, vt patet ex dictis. Ex quibus sicut ex falsis suppositis seruata bona forma arguendi efficacissimè concludit contrarium huiusmodi, vt patet inspicienti primum cę. & mun. & hoc rationibus quibus non est facilè respondere, nisi interimendo fundamenta supposita in dictis suppositionibus, quæ postquàm veritati fidei sunt contraria, rationabiliter possunt negari, & interimi. Nec desunt rationes purè naturales efficaciores, & euidentiores intellectui, per quas possunt, & debent interimi, quàm sint illæ per quas probantur. quæ vt dicit Augustinus, quantuncunque sint apparẽtes, solubiles sunt, quia verisimilitudine decipiũt, nec veræ rationes esse possunt, sed verisimiles tãtùm sunt. Vnde cum fundamenta illa sint impossibilia, & opposita eorum necessaria, impossibile est, quòd necessarijs desint necessariæ rationes, & magis euidentes, q̃ induci possint pro ipsis fundamentis impossibilibus, licèt rationes illæ non omnibus perspicuæ esse possint. Vnde & eisdem, qui primò ponunt huiusmodi fundamenta falsa ex rationibus verisimilibus, contingit, quòd postmodum cõtradicant eisdem ex rationibus veris, sicut contigit Auer. qui fundamenta prædicta Philosophi, quę asseruit, & de opinione Philosophi esse dixit exponendo primum cę. & mun. postmodum eadem negauit in libello de substantia orbis, & dixit contraria eorum de opinione Philosophi fuisse, vt iam infra patebit. Hinc etiã contingit, quòd ea, quæ quibusdam rationibus in pluribus locis asserit, per alia eius dicta alibi efficacissimè impugnari possunt, vt patet ex eis, quæ alibi declarauimus in quæstione de bona fortuna. Ista opinio Auicen. deficit in duobus. In vno, quòd ponit creaturam habere esse à Deo necessitate naturæ eius, & quòd tamen est ex se possibile esse. In alio, quòd ponit ipsam habere esse à Deo ab æterno, licèt natura post non esse.

Ad destructionem autem primi, sciendum sm determinationem Philosophi veridicam in primo cę. & mun. quòd falsum est duobus modis, impossibile. s. & non impossibile. & quòd falsum quod non est impossibile est illud, quod est possibile, vt sit, quando ponitur ens in actum antequàm sit. Verbi gratia, si posuerimus Sortem, qui est surgẽs esse sedentem, est falsum possibile, & non possibile, cum possit sedere. Qui autem dixerit surgẽtem & sedentem simul, falsum dicit, & impossibile. In talibus autem oppositis ita est, quòd in tempore in quo res habet vnum oppositorum, non habet, nisi potentiam ad secũdum, non autem ad oppositum habitum in actu. Si ergo secundum positionem Auicen. aliquid ex se, vt creatura mundi est in potentia ad non esse, & corruptionem, & ex Deo semper necesse est ipsam esse, si ponatur non existere in actu, positio ista falsa est possibilis. Sed si ita fuerit, & cũ hoc necessariò habet esse ab alio, contingit vt sit ens, & non ens simul, quod est falsum impossibile. Cum ergo hoc sit possibile, quòd creatura possibilis est non esse, & ideo absolutè poni eam non esse, falsum est, sed non impossibile, sed ponĩ cum alio, quod ponit Auicen. s. quòd à Deo habet esse de necessitate, est falsum & impossibile, quare cum sequitur ex illis duobus, & falsum impossibile non sequitur nisi ex falso impossibili, illud ergo est falsum & impossibile, quòd illud quod est ex se possibile esse, & non esse, de necessitate à Deo habeat esse, aut è cõuerso, si habeat esse à Deo necessitate, vt Deus non possit ipsi non dare esse, sicut non potest non esse Deus, núllo modo est ex se possibile esse, & non esse, aut ipse Deus posset nõ esse Deus, aut nõ esse necesse esse. Immò si hoc est impossibile, creatura mundi ex se non habet potentiam ad substantiam, siue ad esse aut non esse in substantia, siue ad esse, aut non esse secundum substantiam, sicut neque cœlum, aut alia incorruptibilia secundum Philosophum. Vnde ex hoc, quòd creata sunt ex se possibile esse, & Deus sit necesse esse, summè verebatur Auicen. ponere quòd per necessariam cõcomitantiam ad esse Dei necessariò simul ab æterno sequeretur esse creaturæ. Sic enim dicit in 8. Metaph. Si verò posuerint ea sequentia suam essentiam, sic. s. quòd creaturæ de necessitate simul sint cum eius essentia, accidet suæ essentiæ, quòd ex parte eorum nõ sit necesse esse propter applicationem suam ad posse esse. Reuera non esset ex se perfectè necesse esse, quia nihil necessitatae naturæ agit in aliena substantia ad producendum aliud esse, nisi ab eo aliquo modo dependeat perfectio in suo esse, vt per hoc relationem realem habeat Deus ad creaturam, & esset mutabilis secundum ipsam, nisi

creatura incommutabiliter fieret ab isto, ita quòd non esset possibilis ad non esse, quod est impossibile secundum prædicta. Vnde durum fuit Auicē. hoc ponere, quia ponit, quòd in Deo aliquid perfectionis acquiritur per creatum: Sed durius videbatur ei ponere, quòd de nouo creaturam produceret, quia vt dicit in lib. 6. necessariò præcederet in esse suo motus. Sed huic difficultati respondet subdens. Nec cures si eius essentia accipiatur cum aliqua relatione ad posse esse, sed non inquantum est sua essentia. Vbi intelligendum, quòd accipere essentiam suam cum relatione ad posse esse nō inquantum est sua essentia, non potest intelligi nisi aut inquantum est sua scientia, aut inquantum est sua voluntas, quia non est principium producendi res, nisi aut per scientiam suam, aut per suam voluntatem, &c procul dubio ipse posuit, quòd inquantum est sua scientia. Vnde subdit post modicum. Et scias, quòd ipse intelligit suam essentiam esse principium omnis fluxus intellecti inquātum est intellectum creatum. Primus igitur intelligit suam essentiam, & ordinationem bonitatis, quæ est in omni, & quomodo est. Igitur illa ordinatio ob hoc, quòd intelligit eam, fluit, & fit, & est, &c sciuit fieri, & modum fiendi.

Sed hoc nihil est pro eo, qm̄ non minus est necesse esse eius scientia, q̄ eius essentia; ergo si nō est curandum si eius essentia accipiatur cum aliqua relatione ad posse esse, inquantum est essentia, nec inquantum non est essentia, sed scientia, quoniam tantùm curandum est, ne scientia nō sit necesse esse quantum ne essentia. Et in rei veritate ponendo, quòd de eo, quod est necesse esse, necessariò fluit posse esse, contradictoria includuntur, & ex parte Dei, & ex parte creaturæ. Ex parte Dei, quia si non potest esse, nisi sit ab eo posse esse, & posse esse absolutè potest non esse: ergo &c necesse esse potest non esse. Et ideò benè dictum est secūdum hoc supra secundum Philosophum. Si inueniatur aliquid generabile æternum, aut æternum corruptum, vt natura possibilis trāsmutaretur in necessariam, &c necessaria in possibilem in agente, & in recipiente. Ex parte autem creaturæ similiter includuntur contradictoria. s. quòd illud, quod ex se est posse esse, sit nō posse esse, si necessariò fluit à necesse esse, quia ex hoc habetur, quòd non potest non esse, sed sit quoddam necesse esse ab alio causatiuè, licèt non ex se formaliter primò & principaliter: quod tamen Auicenn. summè nitebatur reprobare. Vnde optimè posuit Philosophus, q̄ possibile esse ex se nullo modo haberet necessariò esse ab alio, quia hoc esset ponere ipsum esse necesse esse quoquo modo. Et per hoc amouendo ab eo posse, necessariò ponit, quòd secundariò, &c consequenter formaliter ex se sit necesse esse, licèt ab alio principiatiuè, &c includuntur adhuc cō tradictoria, vt prius declaratum est. Positio ergo Auicen. pro hoc membro omninò est impossibilis. Nullo ergo modo de necessitate aliqua ponere possumus creaturam esse à Deo, cum ex se sit posse esse, ne hoc redundet in necesse esse Dei, vt dictum est. Sed conuenientior est modus ponendi penes septimum modum essendi prætactum, q̄ nō de necessitate, sed voluntariè Deus dat esse creaturæ, ita etiam, quòd ab æterno potuisset eis esse dedisse si voluisset, licèt nō dedit. Nec ex positione in esse ipsum possibile, vllo modo sequitur prædictum impossibile, quia sicut illud ponitur in esse ex parte causati, sic potest poni in esse ex parte voluntatis de contrario. Sicut enim mundus factus non est ab æterno, & potuit fuisse factus, sic Deus voluit mundum non fuisse factum ab æterno, & potuit sine mutatione voluisse mundum fuisse factum ab æterno. Et si ponatur in esse, quòd fuit factus ab æterno, simul ponetur in esse, q̄ Deus voluit eum fuisse factum ab æterno: non tamen quod potuit voluisse factum fuisse, postquam voluit nō fuisse factum: hoc enim poneret in eo mutationem, sicut non potest poni fuisse factum ab æterno, postquàm non fuit factus: hoc enim in eodem poneret contradictionem, & ponere sic in esse possibile, esset ponere non falsum possibile, sed falsum impossibile, sicut si Sorte surgente ponatur sedere, vt iam supra dictum est. Et sic nō est curādum si eius essentia accipiatur cum aliqua relatione ad posse esse, quia hoc non est inquantum est essentia, sed inquantum voluntas, quæ respectu creaturarum in producendo eas nō est necesse esse, sed potius posse esse, quia non de necessitate voluit eas producere voluntate concomitante scientiā necessitate immutabili, vt posuit Auic. sed libera voluntate; immò libero arbitrio voluntatis, qua potuit velle producere creatum, & non velle, & velle in illo instanti, in quo produxit, & non velle. Sic autem ponere posse esse ex parte voluntatis Dei nullo modo repugnat necesse esse in Deo, quod tamen videre non ponit Auicen. Propter quod posuit Deum nihil de nouo posse producere nisi noua, & mutabili voluntate. Sed restat consequēnter isti positioni, & positioni Auic. difficultas in secundo articulo positionis Auic. an scilicet creatura cum ex se sit non esse, esse autem non nisi ab alio, possit habuisse esse à Deo ab æterno, ita quòd nunquàm fuisset in non esse: &c tamen prius est per essentiam, quod est ex seipso, q̄ quod est ex alio, licèt non tempore, neque durationē aliqua etiam æternitatis, secundum quod posuit Auic. præter hoc, quòd Deus non ponatur de necessitate aliqua producere creaturam, nec producere potuisse ab æterno necessariò, sed solūmodo volūtariè. Et videtur aliquibus hoc poni posse rationabiliter, & ratione, & exemplis. Ratione, quia nullum est inconueniens, aut impossibile ea, quæ nō sunt simul secundum esse, quòd simul sint duratione. Quod non solum patet ex auctoritate Auic. & in modo positionis suæ de productione rerum ab æterno, sed etiam ex auctoritate Platonis, & Philosophi consentientis in hoc Platoni, & hoc

in modo positionis Platonis de productione rerũ ex tempore. Vt enim recitat Philosophus primo cœli,& mundi. Plato posuit mundum generari nõ in tempore, sed quòd tempus sequitur motum cœli, secundum quod etiam posuit Philosophus. Posuit etiam eum sic generari non in tempore ꝙ mundus sit generatus ex reb. simplicibus, ex quib. componitur, non ita quòd simplicia sint priora composito, tempore, sed natura, & esse solùmmodo, quemadmodum in geometricis lineæ, & superficies sunt priores figuris, quæ ex illis componuntur. Vbi dicit Comment. Voluit declarare ex hoc, quòd omne quod dicitur esse prius alio, non dicitur tantum secundum tempus omninò, & hoc verum est, sed sic contingit e, isi hoc prius nõ fuit tempore, vt sit in esse tantùm, & res priores in esse sunt simul in tempore & æternæ. Istud prius, aut posterius esse, vel essentia appellamus prius, aut posterius natura. Benè ergo absque omni impossibili potest poni creatura fuisse facta à Deo ab æterno, aut potuisse fuisse facta in esse quanquàm ex seipsa habeat non esse, quoniam illud potest ex se habere prius natura, etsi non aliqua duratione temporis, aut æternitatis. Vnde quòd Plato posuit principia, ex quibus mundum composuit priora mundo in esse, & natura, quo ad hoc non disputat contra ipsum, sed solum quo ad hoc, ꝙ Plato posuit illa præcedere secundum sæculum, & durationem infinitam æternitatis, vt dicit Commentator ibidem.

Præterea arguunt ad idem sic, secundum Philosophum, id, quod nec potest habere esse, neq; permanere in esse ex se, sed solùmmodo ab alio, etsi ex se sit possibile esse, ab alio tamen potest habere perpetuum, & in omni præterito, & in omni futuro esse, vt dictum est de motu.

Creatura autem inquantum creatura est, nec esse potest habere, nec permanere in esse ex se, sed solùmmodo ab alio, vt à Deo. Quia secundũ beatum Grego. nisi eam manuteneret, omnis creatura caderet in nihilum, nec habere esse potest, nisi ipse dederit. Licèt ergo esse ex se tantùmmodo sit possibile esse: à Deo tamẽ potest habere esse perpetuum, & in omni præterito absque initio temporis, sicut & in omni futuro absque termino. Et hoc confirmant per exemplum. Si enim esset corpus luminosum æternum, puta Sol, oppositum absque impedimento ęternaliter illuminabili ęterno puta aeri, Sol ab æterno aerem illuminasset: & tamen ex se de natura sua prius esset tenebrosus, quàm illuminatus, licèt non duratione. Et ita sicut possibile illuminari ex se ab æterno posset illuminatũ esse ab alio, sic possibile esse, vel creari ex se, ab alio æternaliter potest habere esse, vel creatum fuisse.

Contra istum secundum articulum, s. ponentiũ creaturam ab æterno fuisse, vel fuisse potuisse, ita quòd ex se sit possibile esse: immò cum hoc quantum ex se non esse, sed non nisi ab alio habens esse cum habeat ipsum, & hoc natura prius habens non esse, quàm esse, etsi nõ duratione æternitatis, aut tẽporis; arguo primo ex natura essentiæ creaturę. Secundo ex natura esse, & non esse circa ipsam. Prima via sic, essentiæ specificæ creaturarum quãtum est ex parte sui æqualiter sunt possibiles esse prius, quàm in aliquo indiuiduo receperint esse; æqualiter enim species Solis quantum est ex se, est non ens, & species hominis, & æqualiter æterne in diuina cognitione existentes, & similiter in diuina essentia per ideas suas ęqualiter entes, & æqualiter æternas in Deo. Et similiter æqualiter species hominis quantũ est ex se, est possibilis recipere esse simpliciter, & species Solis, licèt non ęqualiter natæ sunt permanere in esse recepto propter diuersitatem naturarum, vt iam in parte dicetur. Quantum ergo est ex parte specierum, nõ prius nata est fieri à Deo species Solis in suo vnico indiuiduo, quod est iste Sol, quàm species hominis in aliquo signato indiuiduo, puta in Adam. Nec similiter hoc indiuiduum, quod est sol iste, natum est quantum est ex se prius recipere esse à Deo, quàm hoc indiuiduum, quod est iste homo, puta Adam. Omnis enim actus essendi circa creaturam dependet à sola volũtate creantis. Aliter enim Deus ante Solem istum non potuisset fecisse hominem istum Adam, sicut fecit lucem, cœlum, terram, maria, & terrænascentia, quod falsum est, nec hoc poneret aliquis Catholicus, cum quo quo ad istum articulum principaliter est nostra disputatio. Similiter Deus ipse quantũ est de se indifferenter, & æqualiter se habet ad dandum esse æquè primò vni speciei in suo vnico indiuiduo, & alteri, ita quòd secundum prædicta illi, cui dat esse primò, posset dare supremò, & cui dat posset non dare, & alteri dare, & hoc indifferenter, ꝙ enim dat vni & nõ alteri, vel vni prius, alteri posterius, vel aliquibus simul, hoc solùmmodo procedit ex determinatione liberi arbitrij in ipso. Si ergo Deus ab æterno potuit creasse istum Solem, ita & istum hominem Adam, & ante ipsum nullum alium, vt ipse esset principium omnium aliorũ, & etiam mulieris formandæ de costa eius. Quare cum in qualibet circulatione, vel reuolutione Solis, vel ipse, vel aliquis, vel aliqui procedentium ab ipso potuissent procreasse homines alios, & alios, cum infinitæ reuolutiones præcesserunt reuolutionem Solis, quę modo instat, si Sol fuisset factus ab æterno, quare & hominem, qui generatur in ista reuolutione infiniti homines præcessissent, & tamen esset ponere primum post quem, & à quo omnes alij, & vltimum, qui post omnes, & post quem, aut à quo nullus. Et sic primo existente vnico, & finito, similiter vltimo, medij essent infiniti, quod est contra naturam, & rationem. Si enim essent medij infiniti, nunquam à primo finito deuentum esset ad istum vltimum. Si ergo hoc apertè falsum est, & impossibile; falsum ergo est ex quo sequitur & impossibile, scilicet quòd primus homo Adam ab æterno

potuit

potuit à Deo fuisse factus. Simili ergo ratione ēt falsum est, & impossibile secundum prædicta, ꝙ sol iste ab æterno à Deo potuisset fuisse ꝓductus, etsi non iste, nec ista Luna, nec ista stella, nec iste Angelus, nec eadem ratione aliquod individuum alicuius speciei, & per consequens, nec aliqua species, cum nō sit species factibilis, nisi in aliquo suo individuo. Et sic nec iste mundus totus potuit ab æterno factus fuisse à Deo, quia non fit nisi ex individuis specierum. Secunda via arguo idem sic. Si à Deo habet creatura esse actu, creatura ex se est possibile esse, quoniam si non esset ex se possibile esse, actum essendi non posset habere ab alio secundum superius determinata. Quare cum sicut se habet esse simpliciter ad possibile esse simpliciter, sic & esse ab æterno ad possibile esse ab ęterno: ergo si à Deo habet creatura esse ab æterno, creatura ex se est possibile esse ab æterno. Non est autem aliquid possibile ex se ad actū aliquem, quem non habet nisi ab alio, nisi quia ex se non est ens secundum actū illum. Si enim esset ens secundum actū illum, non esset possibile ad recipiendum illum ab alio, quia nihil ab alio recipit, quod ex se iam habet, quia tunc saltem natura prius illum actū haberet, quàm haberet, & bis ipsum haberet. Si ergo à Deo creatura habet esse ab æterno, ex se est possibile esse ab æterno, & non habens esse ab ęterno. Quæro ergo an simul omninò à Deo creatura habet esse ab æterno, & ex se possibile esse, & nō esse ab æterno, aut prius à Deo esse, quàm è conuerso, aut è contrario. Non primo modo, quia simul essent in eodem actus contrarij, scilicet esse & non esse. Nec secundo modo, quia vt dictum est prius secundum Auic. quod conuenit rei ex se, prius est eo, quod conuenit ab alio.

Tertius igitur modus est necessarius, quòd scilicet creatura prius habeat ex se possibile esse, & nō esse, quàm à Deo esse. Sed cum vt iam dictum est supra secundum Platonem, Auicenn. Philosophū, & eius Comment. est prius secundum esse siue essentialiter, & secundum naturam, aut secundum durationem, & sicut dicit ibidem Commen. non est tertius modus prioritatis creaturæ: ergo aut prius duratione habet ex se posse esse, & non esse, quàm à Deo esse, aut natura. Si primo modo, cum non sit duratio, nisi temporis, aut æternitatis, aut ergo duratione temporis, aut æternisatis. Si primo modo, ergo necessariò in tempore priori creatura est posse esse, & non ens ex se, & posteriori tē pore habet esse à Deo. Et si sic, non ergo creatura ab æterno potuit habere esse à Deo. Quia æternitas, aut simul est cum toto tempore, aut præcedit ipsum. Non secundo modo, quia æternitas cū non habet partem, & partē, non habet prius est posterius. Si verò dicatur, quòd creaturæ posse esse, & nō esse secundum actum sunt prius natura, quàm esse actu à Deo, sicut dicit Auic. & ponentes Deū potuisse fecisse mundum ab æterno, licèt nō fecit, tunc ylterius cum essentia creaturæ non solum ex se est possibile esse actu existentiæ, sed etiam possibile non esse. Si enim esset ex se impossibile non esse, quod est contradictorium illius, esset ex se necesse esse, quia impossibile non esse, & necesse esse æquipollent, ideo non solum creatura prius est natura posse esse, & non esse actu, sed ēt posse non esse actu, quàm sit esse actu à Deo. Quæro ergo comparādo inter se posse esse creaturæ, & eius posse non esse secundum prius, & posterius, & simul natura, & duratione, & respectu essentię creaturæ, & respectu actuum. Et primò respectu essentiæ quæro posse esse in existentia, & posse nō esse in existentia an simul habent esse in essentia creaturæ, aut secundum prius, & posterius, non simul, quia contrarię potentię secundum Philosophum, & Commen. primo cœl. & mun. non possunt omnino esse simul in eodem, sicut nec ipsi actus contrarij. Si enim (vt dicunt) potentiæ essent simul, & potentiam quamlibet modo, quo est potentia in aliquo, possibile est poni in actu, simul ergo duas potentias contrarias possibile esset exire in actus contrarios, & ex possibili posito in esse sequeretur falsum impossibile. In essentia igitur creaturę posse esse in existentia præcedit posse nō esse in existentia, aut è conuerso, & hoc, vel natura, vel duratione. Posse aūt esse nō potest pręcedere natura posse nō esse, quia nō esse, vt dictum est, p̄cedit natura ipsum esse, & quod præcedit actum præcedit potentiā ad illum, quia natura in eodem potentia præcedit actum, etsi nō semper duratione secundum Philosophum 10. Metaphys. Posse non esse ergo natura præcedit posse esse. Restat ergo dubitatio quid illorum præcedit duratione. Si enim alterum præcedit duratione, aut ergo de necessitate posse hoc præcedit illud aut è cōuerso, vel indifferenter vtrunq; eorum pōt præcedere alterum. Et est istud vltimum impossibile, quia tunc essentia creaturæ sub indifferentia se haberet ad vtrunque illorum, & sic ad ipsa posse, & ad actus eorundem. Nunc autem non æqualiter se habet essentia creaturæ ad actum existendi, & non existendi, quia actum existendi non est nata habere nisi ab alio; actum verò non existendi à seipsa. Præterea si æqualiter se haberet ad ipsa posse; & similiter ad eorum actus: ergo quantum est ex parte sui simul posset exire in diuersos actus, quod est impossibile ex parte sui. Quare nec ex parte agentis potest esse indifferentia, quia semper potentię passiuæ correspondet actiua, & è conuerso secundum prædicta. Ita quòd secundum hoc essentia non dicitur propriè in potentia ad esse, nisi prius fuerit in non esse, aut è conuerso.

Si verò alterum præcedit duratione, & hoc de necessitate: si ergo præcederet in essentia creaturæ duratione ipsum posse esse, cum ordo actuum est secundum ordinem potentiarum, ergo de necessitate existētia creaturę pręcederet eius nō esse. Ita creatura non posset secundum durationem aliquam nō esse ex se, nisi prius haberet esse ab alio.

Et

Et sic neque esset prius ex se nō ens natura, quàm esset ens ab alio duratione aliqua; nihil enim conuenit alicui prius natura, quod non est natum eidē quantum est ex se prius cōuenire duratione. Illud autem est impossibile, quia vt dictum est, quod cō uenit alicui ex se natura, est prius illo, quod cōuenit ei ab alio. Etsi possent esse simul duratione, necessarium est ergo secundum membrum, quòd de necessitate in esse creaturæ duratione p̄cedit posse non esse, quare & eius non esse non solùm secūdum naturam, sed etiam secundum durationem, ita quòd diuersa contraria actu in essendo eidem, semper quod prius conuenit ei natura, & cōuenit ei prius duratione. Conuenire autem prius natura non duratione, hoc nō conuenit nisi idem attribuitur diuersis, & vni per alterum, vt contingit de principijs mundi secundum Philosophum, ꝙ possunt esse priora natura, & non duratione.

Rēstat ergo, quòd creatura non possit esse habere ab alio à se, nisi prius duratione habeat non esse, quod conuenit ei ex se. Et sic nullo modo poterit poni, quòd fieri possit ab æterno, sed ex tempore, non quòd tempus præcedat suum esse, sed quia in primo instanti temporis recipiat esse, & prius in tota æternitate fuerit in nō esse, quemadmodum modo productus est secundum prophetiā Moysi, & hoc secundum nonum modum essendi propositum, quem diximus solum creaturæ mundi conuenire.

Ad primū arg. opin. Quòd ergo arguebatur pro opinione dicta, ꝙ creatura mundi potuit ab æterno produci à Deo, etsi nō sit producta, quia quæ sunt simul duratione, non sunt simul natura, vt non esse mundi præcedat esse natura, etsi non duratione, sicut secundum Platonem principia, ex quibus componitur mundus præcedunt ipsum esse non duratione: Dicendum, quòd non est simile de vno conueniēte duobus, vt esse mundo per sua principia, & ipsis & de duobus conuenientibus vni, quorum vnum ei conuenit ex se, alterum verò ab alio. Quicquid enim conuenit principiato per principia, necesse est aliquo modo prioritatis prius conuenire principijs, sed æqualiter prioritate durationis, si sint principia proxima, & propria.

Duobus autem cōuenientibus alicui vno ex se, alio ab altero, semper quoquo modo prius ei conuenit illud, quod conuenit ei ex se, sed in proposito non sola natura, quoniam essentia creaturæ, vt essentia est simpliciter consideratur absque omni alio scilicet præter esse, & non esse: præter posse esse, & posse non esse: sunt enim cætera omnia quasi accidentia ipsi esse, vt sæpius alibi declarauimus, sed aliquod horum ex se sibi determinat, vt non esse, ita quòd essentiæ creaturæ ex se, vt consideratur nudè, conuenit posse non esse, quod habet ex se semper actui coniunctum, vt sicut Deus, quia ex se est semper ens, ex se est necesse esse primò, & per se: illud autem quod semper est nō ens, nec natū esse, est impossibile esse per se, & primo, sic essentia creaturæ ex se per se, & primo est posse non esse, cōiunctum actui non essendi, ita quòd non est ex se per se, & primo posse esse, nec æqualiter, & simul etiam natura posse esse, & posse non esse. Immò non est posse esse ab alio, nisi quia ex se est non ens secundū actum aliquando, vt dictū est. In proposito autem Platonis sola natura benè præcedunt principia principiatum in esse: nequaquā autem duratione, quia idem est esse duratione. Vnde Philosophus reprehendit Platonem, quia vt dicit Comment. ponit illas res, ex quibus mundus fit, priores mundo secundum sæculum, quod est impossibile, quia ea ex quibus mundus fit secūdum Platonem, sunt corpora existentia in actu, qd non est verum. Vnde vt dicit Commentator, si intendebat cum dicebat mundum esse generatum ex causis prioribus in esse, erit verum. Secundum fidem autem Catholicam mundus generatur ex causis prioribus mundo in esse, quia ex individuis suarum specierum, sed non duratione.

Ipsa autem individua nō generantur ex aliquo subiectiuè, quia ipsæ essentiæ rerum non sunt subiecta esse, & non esse, vt de essentia non ente generetur essentia ens, quemadmodum de corpore non albo generatur corpus album. Subiectiuè. n. ipsa non est potentia ad esse, vel non esse, sed obiectiuè est in potentia ad esse cum est sub non esse, non vt ex essentia nō ente fiat ens, sed vt ipsa essentia non ens fiat ens, & cum est in esse, tunc est in potentia ad non esse, nō vt ex essentia ente fiat essentia non ens, sed vt ipsa essentia ens fiat nō ens, non à principio corruptiuo, sed defectiuo.

Ad secundum, quòd nec habens esse ex se, sed ex se permanens in esse, potest ab alio habere esse perpetuum, & ab æterno, vt motus, creatura omnis est huiusmodi &c. Dicendum ad hoc, & similiter ad confirmationem de corpore luminoso, ꝙ res aliqua, quæ non habet esse ex se, nec permanētiam, habet tamen eam in se, vt substantia aliqua: res verò alia non habet esse, nec permanentiam in se, sed in alio, vt accidentia. Et secundum hoc in re duplex est potentia. Quædam ad esse secundum substantiam, quædam verò ad esse secundum vbi, vel secundum illuminationem, aut huiusmodi. De eo, quod est in potentia ad esse ex se primo modo non potest secundum Philosophum habere esse perpetuum ab alio, habēdo. s. naturam, qua necesse esset ipsū semper esse, nisi in hoc natura eius transmutaretur. In eadem tamen natura manēte ab alio conseruante, & non à natura illius, quod conseruatur, nisi quo ad potentiam obedientiæ, vere ponit fides Catholica, quòd possibile non esse ex se ab alio potest in esse perpetuari, sed talē modum perpetuandi non vidit Philosophus. De eo verò, quod est in potentia secundo modo intelligitur solùm dictum Philosophi. Vnde corpus cœleste ex se est possibile moueri semper: nō semper autem actu mouetur quantum est ex se, & tuo motore cōiuncto, dicente Comm. super 12. Metaph.

Ad secundum.

Si po-

Si potentia, quę mouetur hoc motu æterno, fuerit in eo, aut est finita, aut infinita. Si infinita, continget moueri in instanti. Si verò finita, possibile est quiescere, quod iam improbatur: ergo non mouetur per potentiam existentem in eo: immò per potentiam non in subiecto omninò. Et vt dicit motus eius componitur ex duobus motoribus, quorũ vnus est finitæ motionis, & est anima existens in eo, & alter infinitæ motionis, & est potentia, quę non est in materia, & inquantum cœlum est ex se possibile moueri, ex se est possibile quiescere, quia motus habet contrarium, scilicet quietẽ, propter quod impossibile est, quòd sit remanens ex se, sed ab alio motore separato. Et sunt in hoc duo consideranda, quorum alterum solum posuit Comment. quasi possibile ex se potest esse necessarium, & perpetuum ab altero. Vnum scilicet quod tangit Comment. quia habet esse ab alio, vt motus à motore, illuminatio ab illuminante. Propter qđ ab illo, à quo habent esse possunt habere cõtinuationem esse. Vnde substantiæ, quia habent esse ex se, & sua forma, & secundum ipsum non ab alio nisi per quandam dependentiam prædicto modo: ideò si ex se non habent posse esse suum continuare, nullo modo esse sui continuationem possunt habere ab alio superiori, nisi & agens, & recipiens mutarentur in substantia: posuit enim quòd Deus nihil ageret circa inferiora nisi de necessitate naturæ, & hoc non nisi motum cœlestem, & per illum ea, quæ dependent à motu. Ponendo tamen quòd agat, & moueat per voluntatem circa omnia & mediatè, & immediatè, secundum quòd ei placuerit, non minus potest perpetuari in esse ex parte post possibile esse secundum substantiam, quàm posse esse secundum vbi: non sic autem ex parte ante vt iam dicetur.

Aliud verò est considerare in eo, quod secundum Philosophum habet perpetuari ab alio, quia habet esse in eo, quod secundum Philosophũ habet esse necessarium ex se. Vnde quia cęlum habet esse necessarium secundum substantiam, & æternũ secundum ipsum, & ex se est possibile moueri, & possibile quiescere: ideò ab alio potest motus in ipso continuari, & similiter stellæ omnes, cum secundum aliquos recipiunt lumen à Sole, quia ex substantia sua habẽt esse necessarium, & ex se sunt possibile illuminari, vel non illuminari. Ideò in illis, quæ nunquam eclipsantur possibile obscurari ex se, perpetuò illuminari potest ab alio, & hoc eadem perpetuitate, qua subiectum habet perpetuitatem in sua substantia, siue ab ante solum, siue ad post, siue vtroque modo. Vnde ab illa regula, Possibile ex se non põt perpetuari ab alio, non solùm debent excipi motus cœli, sed etiam illuminatio, & si qua plura huiusmodi accidentia possent inueniri in corpore cęlesti, secundũ quæ esset trãsmutabile, per eundem modum quando ex suppositione ponãtur perpetua ante & post illuminabile & luminosum, & opposita sine impedimento, contingit, ꝙ perpetuò vnum illuminaret alterum. Quia sicut ex suppositione subiecta habent esse nõ post nõ esse, sic & possibilia sunt, vt in eis fiant accidentia non post non esse. Sed si Sol ponatur per impossibile esse Deus quidam, & quoddã necesse esse potens producere de nihilo radium subsistentem, quẽadmodum Deus creauit omnia ab initio, plus posset producere radium sibi cœternum, q̃ Deus creaturas alias, sed necesse esset, vt radij illius non esse præcederet esse. Si verò talia accidentia haberent esse in subiecto corruptibili secũdum Philosophum, nullo modo possent ab alio perpetuari, quia causa motus sui, quæ nõ est nisi forma sua, perpetuari non potest. Quanq̃ ergo in creatura sit prima conditio secundum fidem, ꝙ nõ habet esse, nisi ab alio, quia tñ non est ex se necessaria, neque habet esse in necessariò esse, & ab illo alio, quod Deus est non habet esse necessitate naturæ eius, non est necesse ab illo perpetuari, nec ante, nec post, nec ẽt potest ex parte ante, licèt sm̃ positionem Philosophi possibile ex se, nec ex parte ante, nec ex parte post possit perpetuari. Ipse.n. posuit alia præter generabilia, & corruptibilia à nullo esse principiatiuè, sed solùmmodo ex seipsis formaliter, ita ꝙ cœleste corpus ab ipso non recipiat nisi motus continuationẽ, sicut vnum eorum ab altero illuminationẽm. Propter quod pp æternitatẽ omnimodam, quã posuit ex parte subiecti, potuit ponere in ipso perpetuari oimodè, quod erat possibile in eo. Sed tunc fortè arguit aliquis sm̃ quod supra arguebamus cõtra Auic. Si cœlum de necessitate mouetur ab alio, & ex se possibile est ipsum non moueri: ponatur ergo in esse, etsi falsum sit, non tamen impossibile. Nunc aũt non est falsum absolutum, sed falsum impossibile, quia includuntur contradictoria, vt patet. Et est dicẽdum, ꝙ duplex est possibile esse. Est.n. quoddã possibile esse sm̃ actum vnius formæ, qđ est necesse esse secundum actum alterius formæ, p quam ordinem, & connexionem habet ad aliud necesse esse, à quo p huiusmodi ordinem habet actum formæ illius secundum quã habet, ꝙ sit possibile esse, sicut in proposito cęlum sm̃ actum formæ suæ est necesse esse, & secundum actum motus est possibile esse, & p primam formam habet ordinẽ, & connexionẽ ad primum necesse esse, à quo p huiusmodi ordinem habet moueri secũdum actum. Aliud verò est possibile esse secundum actum vnius formæ, & secundum nullius formæ actum est necesse esse, vt oĩs creatura. Propter qđ non est simile. Sed illud possibile pp annexum non põt poni in esse, nisi per impossibile: istud autem põt poni esse absolutè, & sic cœlum ab eodẽ dependet, licèt ab eo causatiuè nõ habeat esse, à quo dependet in motu, & à quo causatiuè habet moueri, ita qđ secundum Philosophũ motus cœli non põt poni non esse, nisi ponatur ordo, & dependentia cœli ad primum non esse, & si ordo illo non esset, cœlum non esset, dicente Auerr. in fine de substantia orbis. Dator cõtinua-

tionis

tionis motus cęli est dator motus cęli, & nisi esset, destrueret motus, & si motus, & cęlum, etsi motus cęli destrueret, destrueret motus entium inferiorum, & sic mundus, ex quo verificatur ꝙ dator cōtinuationis motui est dator esse alijs entibus, licèt alio, & alio modo, vt iam dictum est. Vnde posuit tantam connexionem in esse inferiorum per dependentiam ad superiora, vt licèt inferiora ponerent ex se esse necesse esse, ꝙ tñ non essent si superiora non essent, ita ꝙ si poneretur aliquod inferiorum esse sm̃ ipsum sine connexione ad superius, cōtradictoria & impossibilia implicarentur. s. ꝙ esset pp necesse esse, & non esset pp defectum connexionis ad aliud necesse esse. Sed q̃q̃ Comment. exponēdo librum cœli, & mundi sic senserit, vt iā dictum est de substantia cęli, & motu eius, & ꝙ cœlum sm̃ substantiam non est in potentia, sed secundum vbi tantùm, & ꝙ ideò ab alio causatiuè mouetur, sed non existit, nisi dependenter solùm, in libello tñ de substantia orbis vī retractare hoc & dicere, ꝙ Aristot. idem sentiebat de motu eius, vt secundum hoc in modico differat opinio Aristot. ab opinione Auic. In tertio. n. capitulo de substantia orbis Comment. dicit sic. Et debemus scire, ꝙ corpus cęleste non indiget virtute mouente in loco tantùm, sed ēt virtute largiente in se, & in sua substantia permanentiam æternā. quoniam etsi sit simplex, & non habeat potentiam ad corruptionē, tamen est finitę actionis necessariò, quia est finitarum dimēsionum. Et omne tale cum intellectus posuerit ipsum existens per se absque eo ꝙ largiatur ipsi permanentiam, & ęternitatem, necesse est, vt ita sit de finitate suæ permanentiæ, sicut est de finitate suæ actionis, & ideò necesse est in intellectu potentiā esse largientem ipsi permanentiam æternam, quēadmodum ipsi largitur motum æternum, & non hoc tantùm, sed necesse est hic esse uirtutem, quæ largitur ei motum proprium suæ actioni, quæ est æternitas inter cęteros motus. s. motum localem in circuitu, & figuram propriam ipsi motui. s. sphęricam, & mensuram propriā vniuscuiusq; istorum corporum, & conuenientiā inter ea adinuicē in ordine, & quantitate, ita ꝙ ex oībus perficiatur vnus actus. i. totus mundus. Nulla. n. est dria inter indigentiam virtutis actiuæ in omni corpore simplici vno, aut in vno cōposito ex simplicibus huiusmodi, & indifferenter, siue ēt corpus illud fuerit generatum, vel non generatùm. Vnde videmus cęlum habere vnam virtutē non tātùm mouētem oīa, sed agentē, & conseruantē oīa. Sed agēcium quoddā est prius tpe acto, & est agēs omne, qđ fit in sphęram mundi, & est orbis, quē sequitur tps, & est agēs orbem. i. faciens ipsum in dispositionibus necessarijs inueniendo finem, pp quem fuit. Et cum hoc ignorauerunt quidam esse de opinione Arist. dixerunt ipsum non dicere causam agentem totum, sed tantùm causam mouentem, & illud fuit valde absurdum. Qđ si ita sit: cęlum ergo sicut est possibile moueri, & non moueri ex se, sic ex se est possibile esse, & non esse, quod proculdubio verum est obiectiuè, & tale secundum ipsum benè potest perpetuari ab alio, non autem qđ est possibile esse & non esse subiectiuè, qđ dicunt Auer. posuisse circa cœlum. cap. 5. de substantia orbis. vbi dicit, ꝙ duobus modis est aliquid esse uirtutis infinitę, siue actiuè, siue passiuè. Vno modo in tpe. s. per successionem semper agendo, & semper recipiendo, aut in se. s. uigore. s. simul agendo infinitè, uel recipiendo. Hoc secundo modo in nullo corpore, siue cœlesti, siue elementari potest esse uirtus actiua, aut passiua infinita. Primo uerò modo est infinita in cōrpore cęlesti actione, & passione, quia subiectiuè non est materia in potentia ad formam, sed nec constitutiua forma eius in esse per materiam, sicut nec anima rationalis per corpus humanum. Vnde secundum ipsum ex hoc corpus cœleste habet, ꝙ potest perpetuari in esse ab alio utroq; modo, licèt utroque modo sit possibile ex se, non autem corpus elementare, quia. s. est compositum ex materia & forma, quæ subiectiuè est in potentia esse, & non esse. & tale necesse est corrumpi, & tale propriè est possibile corrumpi. Vnde dicit, ꝙ nō sequitur, ꝙ si uirtus est finitæ actionis, & passionis ꝙ sit corpus possibile, ut corrumpatur, possibilitas enim nō debet esse nisi ex hoc ꝙ uirtus est finita in tpe, quia est cōpositum, & in potentia subiectiuè. Et sic Aristot. arguens in 1. cœli, & mundi, ꝙ corruptibile ex se non potest ppetuari ab alio, solum intēdit hoc arguere de eo, qđ est corruptibile subiectiuè potentia materiæ, & habens contrarium corruptiuum, qualiter posuit Plato cœlum corruptibile, & à Deo perpetuari, non autem de eo qđ est solum corruptibile obiectiuè potentia defectiua naturę.

Tale enim non habet causam agentem corruptionem, & ideo à tali corruptione necesse est perpetuò quiescere, ut dicit in fine de substatia orbis, credens per hoc satisfacere quæstioni Ioannis Grammatici. Sed non satisfecit, licèt enim non habet causam agentem, habet tamen causam deficiētem subtrahente se causa in esse conseruante. Sed huic nullo modo consensisset, nisi poneretur illa causa mutabilis. unde posuit istam causam non posse se subtrahere propter inseparabilem connexionem prædictam, & sic ꝙ nullo modo posset poni deficere, nisi implicando contradictoria. Nos autem fideles, qui omnia prēter Deum ponimus ex seipsis non esse, & esse non habere, nisi à Deo, ita ꝙ suum non esse secundum prædicta non solùm natura, sed duratione etiam necesse est prēcedere suum esse, ita ꝙ nullo modo possint recipere esse, nisi sint actu in non esse, debemus dicere, quòd ex parte ante recipere non potuerunt esse perpetuum, nec ideò Deus illud eis dare potuit, non propter aliquam impotentiam in ipso, sed propter conditionem receptibilis. non est em̃ potentia actiua sine passiua sibi correspondente, vt supra habitum est. illa enim vana esset.

Poteſt tñ recipere à Deo ex parte poſt quantuncumq; ſit corruptibile ſubiectiuè, quia vis diuina poteſt vim corruptiuam abſoluere natura ipſa manente, vt à calore, ne calefaciat. quod Philoſophus videre non potuit.

Sic ergo recolligo prædicta, ꝙ neceſſe eſſe ex ſe formaliter, ita ꝙ à nullo principiatiuè, eſt ſolus Deus Pater ſm̃ primum modũ eſſendi præpoſitũ. Neceſſe verò eſſe ex ſe formaliter, ſed principiatiuè ab alio ſunt Filius & Spiritus Sanctus. iuxta ſm̃ modum eſſendi. Et ſic ſolus vnus Deus in tribus perſonis eſſentialiter ex ſe formaliter eſt neceſſe eſſe, & nulla creatura eſt, aut poteſt eſſe neceſſe eſſe formaliter, neque ex ſe, neq; ab alio. qm̃ neq; ex ſe formaliter, & ab alio principiatiuè, iuxta tertiũ modum, neq; formaliter ex ſe, & dependenter ab alio, iuxta quartũ modum, neq; ẽt ex ſolo alio cauſatiuè, ita ꝙ non ex ſe formaliter, iuxta quintum modũ, & ſextum, & ſeptimum. Sed iuxta octauũ modum oĩs creatura eſt poſſibile eſſe poſt nõ eſſe actione ſupernaturali, & poſſibile non eſſe poſt eſſe defectiuè. iuxta nonum aũt modũ generabile, & corruptibile eſt poſſibile ad eſſe poſt nõ eſſe actione naturali, & poſſibile non eſſe poſt eſſe corruptiuè. iuxta xj. aũt modũ, & vltimũ ſumit impoſſibile eẽ oppoſitũ quoquo mõ ei, qd eſt neceſſe eſſe. Ecce breuis ſolutio, ſed lõga, & ſpatioſa declaratio. Quod ergo arguebatur primò in oppoſitũ, ꝙ ſubſtantiæ ſeparatæ habent cauſam formalem intrinſecã ſui eſſe ſibi ſemper præſentem: ergo ſeipſis formaliter ſunt neceſſe eſſe. Dicendum ad mediũ, ꝙ eſſe duplex eſt. Eſſentiæ purũ, qd eſt eſſe cognitiuũ, quia non hẽt illud rei eſſentia extra intellectũ, & eſſe exiſtẽtiæ, qd eſt eſſe verũ in re extra. Si ergo loquamur de neceſſitate circa eſſe primũ, nulla eſſentia creaturæ ex ſe formaliter eſt neceſſe eſſe, habẽdo cauſam formalem intrinſecam ſui eſſe ſibi præſentẽ, quia etſi eſſe eſſentiæ in eſſentia rei à nullo habetur effectiuè, imitatiuè tñ hẽt hoc à diuina eſſentia. Inquantum. n. Deus ſm̃ rationes ideales imitabilis eſt à creaturis, ex hoc habẽt creaturæ eſſe eſſentiæ ſuæ, & ꝙ ſint eſſentiæ quędã habẽtes eſſe cognitiuũ in mente diuina. Vnde Auic. quia in rebus incorruptibilibus non diſtinxit inter rei eſſentiã, & exiſtentiã, per hunc modum poſuit exiſtẽtias rerum extra à diuino intellectu. Et ſm̃ hoc eſſentiæ ſuæ formæ rerum quaſi dupliciter fluunt à primo. Vno modo per quandã imitationem formalẽ, & hoc quo ad eſſe eſſentiæ, ſm̃ quẽ modum Philoſophus in eſſe exiſtentię poſuit ſubſtantias incorruptibiles habere eſſe à Deo. Alio modo per quandã productionem, & hoc quo ad eſſe exiſtentię. ſecundum quẽ non poſuit Philoſophus incorruptibilia eſſe à Deo, vt patet ex prędeterminatis. Et iſtos duos modos fluendi formas rerum à Deo, notauit Auic. 8. Metaph. 1. primũ, ſcdo ſm̃: dicens. Scias ꝙ dſia eſt inter fluere ab aliquo formã cuius natura eſt, vt intelligat, & inter fluere ab aliquo formã intellectã, inquantum eſt intellecta tm̃ abſque additione aliqua. Forma intellecta inquãtum intellecta eſt forma vt eſt vniuerſalis, cauſatũ vt intellectũ quoddã in eſſe eſſentiæ. Forma verò in cuius natura eſt, vt intelligatur, eſt eadẽ forma, vt ſingularis in ſuppoſito in eſſe exiſtentiæ, cauſatum vt ens quoddã extra. Vnde de vtroque ſubdit cõtinuè, primò de primo, ſcdò de ſcdo dicẽs. Et ſcias, ꝙ ipſe intelligit ſuam eſſentiam eſſe principium fluxus oĩs intellecti, inquãtum eſt intellectum cauſatum ſicut ĩtelligit ſuã eſſentiã eſſe principium fluxus oĩs entis inquãtum eſt ens cauſatum. Si verò loquamur de neceſſitate circa eſſe ſm̃, à qua ſumit uerum neceſſe eſſe, de quo eſt ſermo nr̃, ſic ſm̃ p̃dicta nulla res creata vllo modo eſt neceſſe eſſe. Et ꝙ arguitur, ꝙ hẽt cãm formalẽ &c. Dicẽdum, ꝙ aliqua eſt forma, à qua ex ſeipſa ſola hr̃ eſſe ſine alterius actu circa eã. Hoc modo ſola forma illa, quæ eſt diuina eſſentia, eſt cã formalis diuini eſſe, licèt improprijſſimè dicat cã eſſe, quia ipſa potius eſt ipſum eſſe. Et ideò ſolæ tres perſonæ, quæ hñt huiuſmodi formã intrinſecã ſemper ſibi præſentẽ, ſunt neceſſe eſſe. Alia verò eſt forma, à qua nõ ex ſeipſa ſola hr̃ eſſe actualis exiſtentiæ, ſed ſolùmmodo ex actu alterius circa ipſam, quo fluit ab ea eſſe in re cuius eſt. & talis eſt omnis forma creata. Inquãtum. n. ipſa eſt effectus Dei, & ex hoc hẽt dependentiã, & reſpectum quendã ad Deum, ipſa eſt rõ, & cã eſſe rei, & qd ſic hẽt formã intrinſecã ſibi præſentẽ ſui eſſe, nõ eſt neceſſe eſſe, ſed ſolùm poſſibile eſſe, cuius actus oĩnò dependet ab alio. Et ꝙ arguit ad ꝓbationẽ maioris, ꝙ ablatis cauſis extrinſecis res hẽt eſſe per intrinſecas: Dicẽdum, ꝙ ſunt quędã cauſę extrinſecę, à quibus res dependet ordine eſſentiali, vt elemẽta à cęleſtibus, quædam verò ſunt extrinſecæ accidẽtales, à quibus res dependet ordine accidẽtali, vt iſte hõ filius ab alio hoĩe patre ſuo. De cauſis extrinſecis ſcdo mõ verũ eſt, nõ aũt de cauſis extrinſecis primo mõ. ſm̃ ꝙ dicit Cõment. ſup ſm̃ Phy. ꝙ gñans proximũ particulare, vt hõ gñans hoĩem genitũ, nõ aũt gñans vniuerſale, vt ſol vel cęlum. Vñ quia Deus eſt cã extrinſeca oĩum eſſentialiſſima, idcirco ſine ipſo nihil valẽt ad dãdum eſſe cãę intrinſecæ. immò ſi nõ manu potẽtię ſuę eas teneat, ſtatim in nihilũ cadunt. Et qd arguit ad probationẽ minoris, ꝙ formæ ſimplices ſibi abeſſe nõ pñt, verum eſt. non tñ, vt dictũ eſt per ſe ſufficiunt ad dãdum eſſe exiſtẽtię, ſed eſſentię ſolùm ſm̃ dictum modũ. & iõ nullã neceſſitatẽ pñt dare in eſſe exiſtentiæ, ſed ſolùm in eſſe eſſentię quoquo mõ, vt dictũ eſt.

Ad primũ principale.

Propterea patet ad ſm̃, qd non põt relinquere cauſam formalem ſui eſſe, ex ſe formaliter eſt neceſſe eſſe. Dicendum, ꝙ verum eſt qñ ex ſe ſolo eſt cauſa ſufficiens ſui eſſe, quod ſolùm contingit in forma increata deitatis. Quando autẽ ex ſe oĩnò ad hoc eſt inſufficiens, vt eſt omnis forma creata, ſicut dictum eſt, tunc quãtuncumq; non põt res relinquere huiuſmodi formam, non tñ ex ipſa eſt neceſſe eſſe, niſi ſecundum dictum modum.


Ad ſecundum.

Com-

Comment. in Quæstionem Nonam, quæ est,

Vtrum aliqua creatura ſeipſa ſit formaliter neceſſe eſſe.

TITVLVS ſatis ex corpore quæſtionis notificatur, nempè ex modis eſſendi pluribus enumeratis.
In corpore reſpondet quæſito ex enumeratione quorundam modorum eſſendi, & pluribus concluſionibus, quæ ad hanc formam, facilioris intelligentiæ gratia curauimus rediger.



Hoc pacto ſatis poſitam clarè ante oculos ſtudioſorum huiuſmodi quęſtionem credimus, vt tamen remanere videatur, vt omnes concluſiones ſingillatim conſideremus, tametſi tota difficultas accidat in tertia concluſione reſpectu trium modorum, vnde naſcitur.

Quo igitur ad primam, atque ſecundam attinet, non eſt, quod aliquid dicamus, quando tanquàm notæ ſupponantur ab Auctore. Poſſemus autem ad has illam auctoritatem in ſimbolo Athanaſij, adducere, vbi de patre dicitur. Pater à nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus. de filio autem quod genitus eſt; & de Spiritu Sancto, quòd procedens, &c.

Quo ad tertiam attinet, in primis videre decet quomodo à quinque modis ex enumeratis naſci videatur, vnde non confusè conſideranda eſt, ſed diſtinctè. Et quidem ante omnia, quantum ſpectat ad illam pro vt naſcitur à tertio modo, adnotare debemus, q modus ille ab alijs quidem attribuitur Ariſtoteli, ab Auctore autem nequaquam. Non attribuitur autẽ Ariſtoteli in primis, quia videtur contradictoria implicare. Et pro notitia ſciendum. Quòd ea, quæ tale eſſe habent, eſſent ſimilia filio, atque ſpiritui Sancto in diuinis, & non differrent niſi in hoc, q filius, ac Spiritus Sanctus ſunt de ſubſtantia Dei, non autem cætera, ſed de aliena ſubſtantia. Quòd autem hic ponendi modus includat contradictionem, ex hoc potiſſimum manifeſtat. Nullum poſſibile eſſe eſt de ſe neceſſe eſſe, ſed quod ab alio cauſatur in aliena ſubſtantia, eſt poſſibile eſſe, igitur non eſt ex ſe neceſſe eſſe. Repugnat ergo, q ſit neceſſe eſſe, & quòd ab alio cauſetur.

Scotus autem in primo ſententiarum diſt. 8 quæſt. 5. vt de more aliquid ingerat, quo taxet Doctorem, conatur manifeſtare Philoſophum Ariſtotelem non negare primum illum modum, & hoc ex pluribus auctoritatibus ipſius, ſed tamen non liberat eum à contradictione.

Sed profectò in hoc negotio deſideramus lectorem cautè legentem Henricum, quem nunquàm in hac quæſtione audiet ita ratiocinantem. Philoſopho non ſunt attribuenda contradictoria, ſed hæc opinio eſt includens contradictoria, igitur illi non eſt attribuenda. Etſi.n. minorem velit, & acceptet, maiorem tamen nunquàm ipſe dicit. Et quantum ſpectat ad hanc opinionem, eam dicit ab alijs attribui Ariſtoteli. Quicquid tamen ſit de hoc, ipſe non diſputat, ita q nunquam dicit hanc opinionem abſolutè non eſſe attribuendam Philoſopho; ſed dicit q verius attribuitur ſecundum aliam expoſitionem, atq; ſententiam. hoc eſt, expreſſius. Veruntamen quicquid ſit de hoc, & ipſa falſa ſupponit ſaltem, vt videre erit. Et certè videtur quæſtio de lana caprina, indigna prorſus, vt à Scoto inſtituatur. Quippè Auctor datas opiniones intendit deſtruere. Quòd ſi Philoſophus efficientem cauſam vult Deum, vt dicit Scotus, & eum vult Catholicum facere, cum tamen apertè mundum ſtatuat æternum, non eſt quòd iſta Auctori debeat inculcare.

Quo igitur ad eandem concluſionem ſpectat, pro vt ipſa naſcitur ab alio modo ſubſequenti, qui ſcilicet eſt quartus in ordine ſecundum Auctorem, ſecundum Scotum verò ſecundus; probatur, q hoc pacto creatura non ſit formaliter neceſſe eſſe, quoniam oritur id ex fundamento, & ſi non contradicente ſibi, oritur tamen ex fundamento ſupponente aliquod falſum.

Not. q ex poſterioribus analiticis, ex vi materiæ demonſtrationis, ex falſis non poteſt colligi niſi falſum, vnde ſi ſupponatur falſum, quod ſequitur non erit niſi falſum.

Not. q etiam Auctor loquens de hac opinione, ait. Quòd imputatur eſſe Philoſophi. Ex quo loquendi modo, patet, quòd ita

loquitur de hoc modo, sicut &c. de alio. Vnde si Scotus probare conatur loco citato, ꝙ iste modus non sit Philosophi, tametsi nihil astruat, nihil etiam contra Auctorem dicit, qui si non agit contra Philosophum, agit contra illam opinantes esse Philosophi. Nec absolutè hanc dixit esse germanam opinionem Philosophi, sed comparatiuè locutus est. Contra quã comparationem fortè habet aliquid Scotus, probans priorem modum verius attribuendum Philosopho, non secundum. Sed dum hoc destruere tentat, illud met dicit ipse Scotus, quod &c. Auctor, quo nempè & ipse hunc secundum modum destruit. non ꝙ probet non esse Philosophi, sed sicut facit Auctor, quod sit irrationabilis.

Not. igitur ꝙ suppositum est; ꝙ aliquid ab alio dependeat, & tamen non habeat aliquam causalitatem ad ipsum illud, à quo dependet. Vnde videtur irrationabile, ꝙ mundus pendeat à Deo, & tamen non sit à Deo causatus. Vel ꝙ dependeat in suo esse ab ipso Deo, &c. tamen non habeat esse ab ipso Deo. Et patet hoc de Nauta, à quo si salus nauis per suam præsentiam pendet, vtique præsentia sua aliquam causalitatem habet ad salutem nauis. Quoniam hoc falsum est, Deum non habere causalitatem effectiuam, sequitur, ꝙ non etiam pendeant res secundum esse ab ipso Deo, falsum esse.

Not. autem, ꝙ Scotus loco citato conatur probare Deum causam efficientem esse ex Aristotele, quod & tentat Trapezuntius in his, quæ scripsit contra Platonem, sed nihil agunt, quoniam apertum est illud dogma Aristotelis de mundi æternitate. si.n. mundus æternus est, &c. non habuit esse post non esse, vnde nam est Dei efficientia? certè Ex Aristotele, causa efficiens est principium vnde motus, s. vnde incipit motus. si motus vniuersi æternus est, à quo, & vnde incæpit? Hæc sunt diligenter inspicienda. Quod tamen voluerit Aristoteles vniuersum hoc pendere à Deo, manifestum est ex libris de cœlo. Et hoc illud est, quod irrationabile videtur esse, ꝙ nempè pendeat vniuersum à Deo, & Deus non sit causa efficiens ipsius. Quod autem dicit Scotus, ꝙ si Deus est causa finalis vniuersi, igitur habebit causam efficientem ipsum vniuersum, quæ non potest esse nisi Deus; deberet attendere non esse Philosophi, quippè ipse Aristoteles non ita loquitur, ꝙ mundus habeat finalem causam, sicut ponimus nos, & Plato in Timæo. Sed ita dixit, ꝙ scilicet vniuersum tendit in Deum tanquàm in quoddam amatum, &c. desideratum, omne autem huiusmodi videtur habere rationem finis. Vnde respectu quidem pendentiæ, atque tendentiæ vniuersi dat illi finem, non respectu emanationis, vel generationis.

Quo verò ad eandem conclusionem respectu alterius subsequentis membri, & modi, qui est quintus in ordine: probatur, ꝙ creatura non possit esse de se necesse esse, quoniam modus ille contradictoria includit. Nam id dicit Aristoteles in 1. cœli contra Platonem, ꝙ scilicet omne possibile ad esse, est etiam possibile ad non esse. Vnde probat ꝙ omne generabile est etiam corruptibile. Vnde dicere, quòd aliquid sit possibile esse, & non possibile non esse, contradicit sibi.

Not. diligenter, ꝙ hæc positio, secundum quod loquitur Aristoteles, videtur Platonis, qui posuit mundum genitum, & ideo possibilem esse, sed eundem posuit incorruptibilem esse, hoc est, non possibilem non esse. Et ideo necesse esse ab alio. Quippe in hoc solùm posuit conuenientiam Aristoteles inter se, & magistrum suum, ꝙ vterque existimauerit mundum esse necesse esse, sed disconuenientiam, quoniam Plato posuerit ipsum non possibilem non esse, possibilem autem esse. Aristoteles verò non possibilem quidem non esse, sed etiam non possibilem esse. Vnde rationabilior videbatur hæc, quia non includens contradictionem, illa verò Platonis irrationabilior, quia includens. Cæterum, vt manifestauimus in commentarijs in Timæum, Plato & si posuerit mundum æternum à parte post, non tamen posuit, quod ex se sit necesse esse, nec ab alio ita, quod sit non possibilem non esse, quippè apertissimè dicat in Timeo. cælestia corpora esse ex se corruptibilia, tamen conseruari ab ipso Deo. Quo verò ad eandem conclusionem, quatenus prouenit à sexto modo.

Not. ꝙ fuit positio Auicennæ, qui in vno accessit ad Catholicam veritatem, &c. in duobus defecit. Id, in quo conuenit, est, ꝙ tam ipse, q̃ Catholica veritas tenent omnia, quæ sunt in vniuerso possibilia esse, & habuisse illud à Deo causatiuè. Primum autem horum in quo defecit, est, quod hoc esse vult habuisse ab æterno. Vnde sequitur, ꝙ non potuerit habuisse effectiuè. Nos autem tenemus, ꝙ in tempore, & effectiuè res habeant esse à Deo. Et totam necessitatem, q̃quam habent à Deo. Sed propriè non dicuntur habere necesse esse, quia omnia suaptè natura sunt defectibilia, nisi conseruentur à Deo. Quid ergo? hoc patitur positio Auicennæ, quòd de facto vult omnia esse ab æterno à Deo, quæ positio destruitur ex his præsertim quæ pro eadem conclusione dicuntur, nascente ab alio subsequenti modo. si.n. repugnat creaturæ esse ab æterno de possibili, repugnabit etiam de facto.

Not. ergo, quòd eadem conclusio quatenus nascitur ab alio modo, s. septimo, nascitur ob opinionem illorum, qui existimãt non repugnare creaturæ ab æterno esse. circa quam argumentatur Auctor pro & contra, vt videre est in litera. neque.n. volumus illam disputationem referre, cum satis clara videatur.

Not. etiam quod opinio Auicennæ, in quantum repugnabat veritati Catholicæ in eo, quod necessitatem ponit in rebus; destruitur ex hoc, quòd repugnat aliquid esse possibile, & simul necessarium, & hoc ex parte creaturæ. Ex parte verò Dei, videtur repugnare, quòd necessitetur Deus ad agendum ita ab æterno. Sed diligenter literã legito. s. pro prima parte conclusionis huius legito ibi, vbi incipit. Cum.n aliquid esse in potentia, &c. vsque ibi. Quod etiam benè concederet Philosophus. Pro secunda autem ibi. si ergo Philosophus ponit alia esse in Deo, &c. vsque ad positionem Auicennæ.

Pro tertia retro legito ibi. Ex quo patet, quòd quintus modus.

Pro quarta verò ibi. Ponit autem Auicen. in positione sua. Inter quæ notaueris ea, quæ modo imponit Auctor Aristoteli, modo Auicennæ, quomodo ex eorum verbis apertissimis asserat ea, vt manifestè loco citato contradicat Scotus.

Not. quòd his omnibus modis explosis, illud sequatur oportet, vt nulla creatura sit secundum illos modos necesse esse ex se formaliter, quia repugnantia sit. Nimirum quod ex se formaliter necesse est, omni possibilitate carere debet, & omni causalitate passiua, maximè cum sint in aliena substantia à Deo. Et scitens, quòd nemo vnquam posuit ita esse creaturas, vt mundum hunc esse ita ex se necesse esse, vt nullo modo pendeat ab alio.

Hoc.n. esset ponere ipsum æqualem prorsus Deo, quòd vbi ponitur dependere, profectò, cum non sit de substantia Dei, à quo dependet, sed in aliena, non potest esse formaliter necesse esse, sicut filius, ac spiritus sanctus. Vnde habere debet aliquam possibilitatem repugnantem ipsi necese esse ex se formaliter. Et hæc satis dicta videntur pro his conclusionibus. supersunt autem aliæ tres considerandæ.

Quo igitur ad quartam conclusionem. Not. quòd intelligi debet de creatione mundi, secundum quod de ipso loquitur sacra scriptura, & fides Catholica tenet. Vbi habetur quod in principio temporis creauit Deus cœlum, & terram. Probatur verò conclusio, quoniam actione naturali id fieri nequaquàm potest, quoniam omnis huiusmodi actio tempus præsupponit; actione autem supranaturali patet, quoniam prouenit ab agente supranaturali, quod est Dominus temporis, & eius creator, quapropterideò tempori nequaquam subiectus est. Ideò per agens supranaturale non accipio nisi Deum, quia nulla actio supranaturalis est temporis domina.

Quo ad quintam conclusionem, nihil aliud videtur dicendum, nisi quod patet ad sensum; nam manifestè quotidiè cernimus in tempore generari plurima, & causari ab agentibus naturalibus, quæ non generarentur, nisi possibilia essent.

Quo ad sextam conclusionem dicendum, quòd patet, quia sit de ente rationis, quod nullam prorsus necessitatem habet, sed contingens est.

QVAE-

QVAESTIO DECIMA.

Vtrum homo, vel Angelus in statu innocentiæ potuerit habere primum actum malum.

SEQVVNTVR quæsita de creaturis secundum seipsas in speciali, & primo circa quæsita de intellectualibus, secundo de non intellectualibus, sed inanimatis. Et circa primum quærebantur primò quædam communiter pertinentia ad naturam Angelicam, & humanam. Deinde quærebantur quædam alia pertinentia specialiter ad naturam humanam. Circa primum istorum quærebantur duo, quorum vnũ pertinet ad statum naturæ intellectualis institutæ, alterum verò ad statum naturæ intellectualis omninò destitutæ. Primum erat, vtrum homo vel Angelus quo ad statum innocentiæ possit habere primum actum malum. Secundum vtrum damnati possint reuerti ad bonum.

Arg. prin. Circa primum arguitur ꝙ non, quia secundum Anselm. de casu diaboli, creatura intellectualis non potest habere primum actũ voluntatis, nisi à Deo, sed à Deo non potest habere actum voluntatis malum, quia tunc malum culpæ esset à Deo, quod falsum est. ergo &c.

In oppos. Contra, habens potentiam perfectam non impeditam liberam ad actum, potest statim in actum illum, ad quem est cũ aliquid potest per illam potentiam. natura intellectualis in voluntate sua habet huiusmodi potentiam, quæ etiam est expeditior in malum, quàm in bonum, quia facilius est deficere, quàm proficere. ergo &c.

Responsio. Ad hoc dicendum, ꝙ siquis non distinguat inter actum volũtatis naturalem, & deliberatiuum, non aspiciendo ad actum alium, q̃ deliberatiuum, potest dicere, ꝙ creatura intellectualis potest habere primum actum malum. Cum enim deliberauerit eligẽdo, siue bonum fuerit, siue malum, propter liberi arbitrij facultatem potest eligere malum, licèt nõ nisi vt bonum sibi, & sub specie boni, vt iam dicetur. Vnde dicentes, ꝙ deliberatio naturæ intellectualis possit fieri subitò, quia intelligit sine discursu, possunt ponere, ꝙ in primo instanti actio prima possit esse mala. Sed quia eius deliberatio non põt esse in instanti, ideò non potuit in primo instanti habere actum malum. Vnde & secundum ponentes, ꝙ homines, & Angeli erãt creati in gratia, & quòd boni Angeli meruerũt in primo instanti creationis suæ meritũ illud, siquod erat, processit ex gratia in actu voluntatis naturali non deliberatiuo. Si igitur distinguamus actus voluntatis in naturalem, & deliberatiuum, & quæramus generaliter de actu primo, vtrum possit esse malus, siue sit naturalis, siue deliberatiuus: Dicendum est, quòd cum actus volũtatis naturalis præcedit deliberatiuum, vt iam declarabitur, & naturalis actus volẽdi non põt esse malus sicut nec ipsa natura põt esse mala, qđ em̃ vult naturali actu, vult vt bonum naturæ, quare non põt esse nisi bonum, quia à Deo est inditum naturæ, idcirco simpliciter dicendum est, ꝙ nullo modo actus primus voluntatis põt esse malus. Sed hunc actum naturalem à Deo esse inditum naturæ, ponunt sic esse inditũ, ꝙ impetu quodam voluntatem ducit ad primum actum volendi, sine quo non põt, vt dñt exire in alios. Vnde dñt, ꝙ primus actus malus esse non põt, quia non põt fieri nisi à Deo agente, vt meritò ascriberetur Deo. quare cum malum Deo ex actione sua ascribi nõ põt, primus actus malus esse non põt. Quod dñt sensisse Ansel. de casu diaboli. De Angelo. n. in c. 11. quærit sic. Putas ne ipse Angelus p se possit aliquid velle. Et exponit qđ appellat per se, subdẽs. Per se dico per hoc qđ iam hẽt, vt qui hẽt pedes, qui sufficiũt ad ambulandũ, per se põt ambulare, qui aũt hẽt pedes, & non hẽt incolumitatem pedum, non põt ambulare per se. Hoc itaq; modo quæro, an Angelus, qui iam aptus est ad volendum, & nondum quicq̃ vult, per se possit aliquid uelle, habendo. s. voluntatis potentiam, qua seipso possit, & velit seipsum mouere de non velle ad velle. Et determinat ꝙ non, subdens in cap. 12. Quicquid se mouet ad volendũ, prius vult ita se mouere, quicquid ergo nihil vult nullo modo potest se mouere ad actum volendi. Restat igitur, vt illo Angelus, qui iam aptus natus est ad habendum uoluntatem, sed tamen nihil uult, non potest habere uoluntatem primam à se. Quod sic necesse sit ponere, ut. s. ponere, ꝙ super naturalem uoluntatẽ, quæ est naturalis potentia animæ, oporteat à Deo fieri aliquem impetum in huiusmodi uoluntatem ad eliciendum primũ actum uoluntatis, anteq̃ ex se possit exire in actũ ad aliquem alũ, non uideo. Si. n. Angelus ex dono Dei in naturalibus suis hẽt uoluntatem, quæ potestas naturalis est, & facultatem incolumen ante omnem eius actũ, nõ uideo quin p se possit aliquid uelle, ut. s. seipsã moueat, & uelit, & possit mouere in actũ uolẽdi, cũ prius nihil oĩnò uoluerit, aut nullũ actum uolẽdi oĩnò habuerit. Vñ nõ uideo, qn hñ in ea ei discipulus cũ dicit in c. 12. Sriã aptus est ad uolũtatẽ. i. ad actũ uolẽdi, ut nihil aliud illi desit. de intrinsecis naturalib. necessarijs ad actũ uolẽdi, ut nihil ei restet, uel desit, q̃ uelle, nõ uideo, cur p se nõ possit. Vt cñ mutẽ simile, & exẽplũ, qd ibi cõtinuè subiũgit, & dicã sic, quicũque. n. aptus est ad uidendũ, & apertis oculis in tenebris positus nihil uidet, quia. s. deest lux mouẽs, & ipsa solùmodo põt uidere p se lumine subitò fulgẽte in ꝓsentia oculorũ, quare ergo q aptus est ad uolendũ, & uolũtati nullo uolubili ꝓposito p cognitionẽ intellectus nihil uult, q a. s. deest ꝓsentia uolubilis in cognitione,

& pp hoc solũmodo nõ põt velle p se, volibili subito ꝓsente in cognitione intellectus, quare ergo nõ volens similiter nõ uelit p se, sicut nõ videns põt p se videre, re uera nõ video. Nec valet hic respõsio Anſel. qua respõdet ad exemplum, quod ibi proponit discipulus de illo, qui clausis oculis in luce positus nihil videt, & tamen potest per se videre, non autem non volens potest per se velle. Et respondet Anſel. dicens, ꝙ hoc contingit, quia ille non videns habet visum, & voluntatem iam actu volentem, qua potest mouere visum ad videndum aperiendo oculos. In proposito autem loquimur respectu actus volendi de illo, qui iam habet nullum actum volendi. Et ita re vera quo ad hoc non est simile. Sed sic in nostro exemplo respondeꝛi non potest, quia si in tenebris sint oculi aperti, & voluntatem nihil impediat per hoc, ꝙ sit alibi nimis intenta, nec alio modo cũ lux splendet in ꝓsentia oculorum absque omni actione voluntatis præcedente, qua mouet visum ad actum videndi, potest per se videre, & quæratur quare ergo in proposito si voluntas non sit impedita, & postquã prius nullum volitum prælens erat in cognitione, & ideo nihil vult, cum statim in cognitione ꝓsentatur volibile absque omni actione voluntatis ꝓcedente, qua mouet se ad actum volendi, non potest per se velle. Non enim potest dici, ꝙ illo hẽt actum voluntatis ante actum videndi, quo potest mouere visum ad actum videndi, iste verò non, quia ibi actus voluntatis præcedens nihil operatur a actum videndi, vt dictum est. Vnde nec requiritur appetere videre ad illum primum actum videndi. Vnde sicut in primum actum videndi, aut cognoscendi, aut intelligendi non oportet ducere visum, vel intellectum in actum videndi, vel intelligendi per alium actum videndi, cognoscendi, vel intelligendi ꝓcedẽtem, sed sine illo potest per se exire in actum alijs necessarijs ad ipsum cõcurrentibus, sic in primum actũ volendi non oportet ducere voluntatem in actum volẽdi per alium actum volendi præcedentem, sed sine illo potest exire in ipsum alijs necessarijs ad ipsum concurrẽtibus. Cum ergo quærit Anſel. Quare respondeꝛ mihi, siqua res seipsam mouet de non velle ad velle, vtrum sic ipsa se velit monere? Respondeo, ꝙ sic, sed non alio actu volendi. quicunque.n. vult aliquid, vult se velle illud in illud volendo, & quicunque explicitè actum replicando super se dicit se velle se velle illud, nugatoriè hoc dicit, quia in primo velle dicit vtrunque, & sic dicere velle se velle illud, est ac si diceret, volo volo illud; nisi ita sit, ꝙ actus principalis velle non sit in potestate volentis se velle illud, & hoc aut nullo modo, aut non tali modo, quo vult se velle. Velle enim Deũ charitatiuè non est in hominis potestate absque habitu charitatis, & ideò voluntate naturali potest velle se velle Deum, & hoc non est, nisi velle habere charitatem, qua possit velle Deum charitatiuè. Similiter qui vult Deum ex minori charitate, non potest velle illum qualiter potest velle ex charitate maiori. & ideò voluntate ex charitate minori potest velle se velle Deum, & hoc non est nisi velle habere charitatem maiorem, qua possit velle Deum magis charitatiuè. Et sicut est de velle in volendo se velle, sic est de diligere in diligendo se diligere. Tamen ne tam absurdum quid credatur Anſel. posuisse, puto quòd illud quod dicit Anſel. Dic ergo quicquid se mouet ad volendum prius vult ita se mouere, &c. vt scriptum est supra, intelligit de voluntate in habitu respectu illius, quod vult naturaliter. ad tale enim quid necessariò prius vult in habitum ita se mouere, antequàm naturaliter in actu se moueat ad illud volendum. Et quòd sic intelligit, apertè explicat per hoc, quod dicit in litera immediatè præcedente. Siquis enim, vt tangit discipulus in sua dubitatione, subito claudit oculos ad ictum venientem, aut si cogitur aliquo incommodo, vt subito velit, & prius non volebat, quia fortè nihil de illo aduertebat, sic subito non moueret se actu voluntatis fugiendi illud, nisi prius secundum habitum naturaliter se vellit mouere ad illum actum voluntatis. Vnde ipse Anſel. continuò subdit dictis consentiendo sic inquiẽs. Nullus cogitur, vel timore, vel sensu alicuius incommodi, nec attrahitur amore commodi alicuius ad volendum aliquid. ſ. secundum actum, nisi qui prius habet voluntatem naturalem vitandi incommodum, aut habendi cõmodum, qua voluntate se mouet ad aliàs voluntates, hoc est ad alios actus volendi. Ecce q̃ apertè dicit uoluntatem primam, qua se mouet ad alios actus volendi esse voluntatem naturalem vitandi incõmodum, aut habendi commodum, quę nihil aliud est, q̃ actus voluntatis in habitu, qua statim cum offertur incommodum secundum actum, vult vitare, & cum offertur commodum, vult habere necessariò, & naturaliter. Hunc autem actum voluntatis naturalem in habitu non habet re vera à se, sed à Deo in eo, ꝙ dedit naturalem potentiã uoluntatis, & naturaliter ei impressit velle vitare incommoda, & habere commoda. Quod etiam apertè insinuat per ea, quæ subdit. Beatus autem non potest esse, &c. vbi declarat, ꝙ accepit à Deo velle sibi benè esse, & non esse malè, & velle esse beatum, ita quòd non possit moueri ab hoc ad volendum aliud contrarium, & similiter velle ea, quæ per se, & essentialiter ordinantur ad beatitudinẽ, & hoc volendo esse beatũ, quãto hoc altius esse nõ posse cognoscit, & qũo cũ non potest habere summa commoda, necesse est eum velle habere inferiora, & ꝙ velle commoda siue maiora, siue minora est donum Dei, sicut est vita, aut sensualitas, & quòd non est in tali voluntate, siue iustitia, siue iniustitia. Ex quo concludit in fine cap. 13. Ergo inquantum essentia est, bonum est aliquid, quantũ verò ad iustitiam pertinet, siue iniustitiam, nec bona, nec mala est.

Ad dubitandum tamen, an sic senserit Anſelm.

mouet

monet me unum uerbū, per quod uidetur sensisse de actu primo intelligendi ex quodam impetu diuino. est autem uerbum illud, quod posuit supra, in quo exposuit, quod dixit per se, sic inquiēs. Per se dico per hoc quod iā habet. Vbi explicat, quòd illud quod iam accepit in naturalibus non sufficit ad primum actum intelligendi, cuius contrarium esse uerum iam declarauimus. Si uerò intelligat dictum suum modū, quo ipsum iam exposuimus, tamen dictum eius non ualet ad propositum, quia quæstio est de uelle in actu, non in naturali habitu potentiæ. Ideò dicendum sicut prius, quòd actus primus uoluntatis non potest esse malus, quia naturalis est, & à Deo inditus naturæ intellectuali, non per impetum quendam, ut dicit prędicta opinio, sed per hoc, quòd ei indidit naturalem uoluntatem, qua ex se & per se. i. per hoc quod iam habet naturaliter, potest in actū primū uoluntatis. Per hoc. n. Deus ei naturam talem indidit, qua naturaliter potest in talem actū; quod enim sic uult non potest non uelle. Idcirco meritò talis actus Deo ascribitur, ut ideò dicatur non posse esse malus, tùm quia purè naturalis, tùm quia naturā qua sic potest, & nō aliter, à Deo habet. Et sic iste actus bonus est, quia à natura bona est, & à Deo, qui naturam condidit, nec posset omninò esse malus, nisi Deus naturam malam condidisset, & per hoc etiā Deo ascriberetur malitia, & iniustitia eius, non autem agenti eum per suam uolūtatem talem. Sicut si habens tibiam curuam in suo primo actu incedendi claudicaret, imputandum esset efficienti tibiam, non sic incedenti per eam, & malus siue iniustus secundum hunc actum potius diceretur efficiens tibiam, q̄ claudicans per eam, si tamen incessus esset purè naturalis, & incedēs omninò necesse haberet incedere per eam, sicut uolens necessariò, & naturaliter per uoluntatem agit primum actum uolendi. Vnde sicut primus actus rectus à uoluntate recta non imputatur iustitię uolentis, sed bonitati Dei, sic si primus actus esset obliquus à uoluntate obliqua, non imputaretur iniustitiæ uolentis, sed malitiæ Dei. Vnde dicit Anselm. de casu diaboli. cap. 14. Sicut non esset uoluntas iniusta si uellet incōuenientia, quoniam hæc non posset non uelle, ita si uellet conuenientia, non idcirco esset iusta uolūtas, quando sic accepisset, ut nō posset aliter uelle. Si uerò incessus cum hoc, quòd esset naturalis ex parte tibiæ, ex parte incedentis esset deliberatiuus, & ex electione procedens, etiā imputaretur uitio incedentis. Sic & in proposito habens à Deo uoluntatem obliquam, si cum hoc ea uellet per deliberationem actum obliquum, malitia actus imputari deberet, & Deo, & uolenti. Sed si procederet malus ex uoluntate obliqua nō naturaliter, sed ex deliberatione, hoc solum esset malitiæ uolentis. quemadmodum si in primo instanti fieri posset deliberatio, & primus actus esset malus, esset à bona natura, & à mala uoluntate.

Est autem in actibus intellectualis maximi Angeli de quo præcipuè est sermo, quo ad statum innocētiæ, sciendum quòd primo per intellectum ex habitu concreato comprehendit uniuersales rerum essentias, & simul statim complacet naturaliter uoluntati suæ in illis absque deliberatione. In qua cōplacentia, quæ necessariō est primus actus eius, quia non est circa particularia, non potest esse malum, aut bonum moris. in comprehensione autem particularium sub uniuersali, cum simul plura nō possit comprehendere, sed solum per discursum unum post alterum, sed non unum ex altero, sic ut Angelus superior in naturalibus prius suam essentiam particularem comprehēdat, quia sibi magis præsens est, siue alicuius alterius, sub alia specie, siue pluribus ad cōprehensionem per intellectum cuiusquę singularis simul duratione, licèt quodam ordiae naturæ concomitatur complacentia naturalis in illo, & sic in quolibet successiuè, secundum quòd ab intellectu comprehenditur unum post alterum. Nec in aliquo actu huiusmodi uoluntatis potest esse malum, aut bonum moris, sed solùmmodo bonum naturæ. Vlterius autē cum intellectus Angeli primi essentiam suam propriam comprehendit sub comparatione ad essentias inferiorum, & comprehēdit quòd essentia sua superior est, & dignior ordine, & gradu naturæ, & quantum est ex naturalibus nata præesse, & principari alijs, & ulterius cum hoc, quòd istud esset bonum quoddam, & ordinatum, & sibi atque alijs bonum, in hoc uerum dicit intellectus absque omni fallacia, & errore, cumq; talem intellectum sequitur complacentia uoluntatis, illa adhuc purè naturalis est, & absque omni deliberatione. Vnde & sistendo in ea adhuc omnis actus uoluntatis hucusque, qui necessariò plures sunt, boni sunt, & in Deum bonitas illorum retorquenda est, & nullus eorum malus, quòd si esset, malitia eius in Deum retorquenda est. Et hoc cursu procedit actio uoluntatis hucusque, quòd non potest esse, nisi bona bonitate naturæ: neque bona autem, neque mala bonitate, & malitia moris, & hoc siue omnis creatura intellectualis fuerit creata in gratia, siue non, quia gratia non uariat, aut mutat naturam, quia nec cursum, aut ordinem naturæ. Ita quòd sicut actus uoluntatis prædicti necessariò sunt absque omni deliberatioue, & præcedunt omnem actum deliberatiuum sine gratia, ita & cum gratia. Vnde quòd aliqui dicunt, quòd fuerunt creati in gratia gratum faciente, & quòd omnes in primo instanti suæ creationis meruerunt, non uideo, quo ad hoc uidelicet, quòd tunc potuerunt meruisse, cū quantum est ex natura sua nondū de aliquo potuerint deliberasse, sed necesse est omnem deliberationē prædictos actus complacentiæ naturalis præcessisse. An autem gratia iustificans fuerit eis collata à Deo in creatione cum suis naturalibus, de hoc nihil iudico, nisi quòd sic fuisse factum potuit, sed an fuerit factum, quia à mera Dei uoluntate hoc dependet, scio, quòd nulla naturali ratione deprehendi po-

di potest certitudinaliter. Modus aũt aliquis quo congruentius fieri potuisse apparet conuinci pót. Quare cum semper præsumendum est Deum fecisse, quod rationabilius, & congruentius faciẽdum erat, & sic congruentius, & rationabilius fieri decuit, secundum enim quod dicit August. de libero arbitrio, si recta ratione deprehendi potest, quia cœlum decimum esse cõgruat, putandum est Deũ illud fecisse, secundum modum ergo magis decentem, & congruum credendum est Deum gratiam contulisse. Vnde quia gratia non ordinatur nisi ad meritum congrui, quo ad gratis datam, aut digni quo ad gratum facientem, vt habitum est ex supra determinatis, & vsque ad horam, qua deliberare potuit intellectualis creatura, cum secũdum dicta actus voluntatis non potuit esse, nisi purè naturalis, quo nec de congruo, nec de digno habetur ali quod meritum, quia vt dictum est in genere moris, neque bonus, neque malus esse potest: frustra ergo & in vanum ante horam, qua deliberare potuit aliqua gratia ei collata fuisset. Et propterea mihi apparet rationabilius esse ponendum, quòd vsque ad illam horam fuisset in puris naturalibus, in quibus & creatus erat, & secundum hoc Angelos in claritate naturaliũ fuisse creatos, & omnes per spatium temporis in tali beatitudine perstiterunt, vsque scilicet ad horam, qua deliberare potuerunt. Vt secundum hoc intelligamus illud dictum August. 11. de ciuit. cap. 11. Nullo modo secundum spatium aliquod temporis prius erãt spiritus illi tenebræ, quos Angelos dicimus, sed simul vt facti sunt lux facti sunt &c. Prius non erant tenebræ, quia natura non fuit mala creata, sicut dicebant Manichei. Quorum opinionem per hoc cõ sequenter repellit ibidem. Sed in quali & quanta luce, scilicet an naturæ tantùm, an gratiæ, certitudinaliter definiri non potest. Aug. dicente continuò. Quatenus autem antequàm peccassent illius sapientiæ fuerint participes definire quis potest? Vnde si Angeli mali ponendi sunt nunquàm gratiam iustificantem habuisse putandum. Congruẽtius videtur Deum eam omnibus tribuisse antequam aliqui eorum peccauerunt. Sed cum ad instans peruenerunt in quod deliberare poterant. Vbi Deus suam ostendit benignitatem non solùm naturã creando, qua deliberando possit, actu velle bonum, & temperatè velle nõ excedendo in volendo, sicut & potest in volendo excedere, sed etiã gratiam iustificantem apponendo, qua iuuatur cũ bonum velit, & temperatè velit, dicente Ansel. de casu diaboli. c. 14. Quoniam non solùmmodo volendo beatitudinem, nec solùmmodo volendo qđ conuenit, cum ex necessitate sic velit, nec iustus, nec iniustus potest appellari, nec potest, nec debet esse beatus, nisi velit, & iustè velit, necesse est, vt sic faciat Deus vtranque voluntatem, idest voluntatem vnam secundum vtranque conditionem in illo conuenire, vt & beatus velit esse, & iustè velit, quatenus addita iustitia sic temperet voluntatem beatitudinis, vt resecet voluntatis excessum, & excedendi non amputet potestatem, vt per hoc quia volet esse beatus, modum possit excedere, per hoc verò, quòd iustè volet, idest, quòd habet iustitiam, qua velit, non velit excedere, & sic iustam habens beatitudinis voluntatem, possit, & debeat esse beatus, qui non volendo, quod debet velle, cũ tamen possit, mereatur, vt quod velle non debet nunquam velle possit, & semper tenẽdo iustitiam per moderatam volũtatem nullo modo indigeat, aut si deseruerit, s. volendo quod non debet velle per immoderatam voluntatem, omninò indigeat. Sed si istam gratiam fuisse dicamus iustificantem secundum quod iam dictum est, tunc Angelos bonos & malos ĩ gratia pares fuisse iudicamus prius, quàm illi peccauerunt. Quod August. non audet asserere. Vnde postquã dixit Aug. quòd supra posuimus. Quatenus autem antequàm peccassent illius sapientiæ fuerint participes definire quis potest? continuò adiungit. In cuius tum participatione æquales fuisse istos illis, qui propterea verè plenèque beati sunt, quoniam nequaquam de sua beatitudinis æternitate falluntur, quomodo dicturi sumus? Vnde de hoc nihil certificandum est, sed piè credendum, quod magis congruit rationi. Vnde velle bonum temperatè potest aliquis tripliciter. Primò ex puris naturalibus volẽdo aliquod bonum moris, vt det velle temperatè, quod benè potest ex puris naturalibus, licèt aliqui hoc negẽt, quia tunc necesse esset voluntatem purè naturalẽ in deliberando excedere, quia tunc non esset deliberatio, sed natura, nec imputandus esset excessus deliberanti, sed talem naturam instituenti. Secundo ex puris naturalibus cum aliquo dõnõ gratiæ gratis datæ iuuando in hoc naturam. Tertiò ex dono gratiæ gratum facientis, per hoc amplius naturam iuuando, vt stet in temperamento. Vt ex primo actu nullũ ponamus meritum omninò: ex secundo verò meritum congrui tantùm: ex tertiò verò meritum digni. Nunc autẽ quod ex aliquo merito potest dari, congruentius vt videtur secundũ communem cursum datur, cui datur præcedente merito congrui, & denegatur propter demeritum congrui, quàm vt absque omni merito, vel demerito tribuatur, & illi, qui per gratiam gratis datam non esset se dispositurus ad illud, & illi, qui esset se dispositurus, quemadmodũ, vt iam dictum est secundum Ansel. donum beatitudinis congruentius est dari ex merito, quàm sine. Vnde sicut non cõgruit ponere, quòd omnes fuissent creati in gratia iustificante propter rationem prædictam; sic propter rationem iam dictam magis puto, quòd omnibus primò data fuerit gratia, siue iustitia aliqua gratis data, qua stare in bona voluntate volendo bonum temperatè poterunt, & mereri de cõgruo, sed non de condigno, vt propterea ex illa gratia proficere non potuerint, neque boni Angeli, neque mali. Sed boni, qui vsi benè sunt illa gratia prima volẽdo bonum temperatè sine excessu, statim

meruerunt

meruerunt gratiam iustificantem. Et mali, quia ea malè vsi voluntariè excedẽdo moderamen, in quo gratia illa visa est eos tenere, statim gratiam iustificantem demeruerunt, & statim ceciderunt, alijs in gratia stantibus, & illorum casum videntibus, & reuerentialiter iudicem timentibus, & cum adiutorio gratiæ ad bonum nitentibus, in quo suã beatitudinem meruerunt, & exinde in bono cõfirmati alijs prius damnatis, & in malo obduratis, dicente Greg. super illud Iob. 40. Territi purgabuntur. Nec rectè intelligentiæ sensum relinquimus, si credamus leuiathan ab arce beatitudinis cadente in ruinã eius etiam Angelos bonos expauisse, vt cum istum ex illorũ numero superbiæ lapsus ejceret, illos ad robustius stãdum timor solidaret. Vnde cũ sublatus fuerit timebunt Angeli, & territi purgabuntur. Purgati enim sunt, quia nimirum isto cũ reprobis legionibus exeunte soli in cœlestibus sedibus, qui beati in æternum viuerent, remanserũt. Huius itaq; lapsus eos terruit, & purgauit, terruit ne conditorem suum superbè despicerent, purgauit, quia exeuntibus reprobis actum est iustè, vt electi soli remanerent. Et quia cunctorum opifex Deus scit ad bonorum custodiam benè vti etiam mala actione reproborum, lapsum cadentium vertit in proiectum manentium, & vnde punita est culpa superbientium, inde humilibus Angelis & inuenta, & solidata sunt augmenta meritorum. Istis namque cadẽtibus, illis in munere datum est, vt cadere omninò non possint.

Sancti enim Angeli, dum in istis suæ naturæ dãna conspiciunt, in seipsis iam cautius, robustiusq; consistunt. Moral. lib. 34. cap. 8. Vt secundum hoc ponamus Angelos peccatores gratiam iustificantem non habuisse, sed simul illam & gloriã demeruisse. Vt secundum hoc intelligamus illud, quod dicit August. 11. de Ciuit. Dei, cap. 14. Qui per piã subiectionem noluit tenere, quod verè est: affectat per superbam elationem simulare, quod non est, vt sic, sicut dicit, intelligatur etiam, quòd beatus Apostolus Ioan. ait. Ab initio diabolus peccat, hoc est, ex quo factus est iustitiam recusauit, quam nisi pia Deo subiecta voluntas habere non posset. Ecce quòd dicit, quòd recusauit, ad ostendendum, quòd ob hoc peccauit, & malus extitit, quòd iustitiam recusauit, non quia natura eius mala fuit. Vnde continuò subdit. Huic sententiæ quisquis acquiescit, non cum illis hæreticis sapit. i. Manichæis, & siquæ aliæ pestes ita sapiunt, quòd suam quandam propriam tanquam ex aduerso principio quodam diabolus habeat naturam suam. Dicit etiam. Quam nisi pia &c. ad declarandũ quando illam iustitiam recusauit, quia nõ statim in primo instanti quo factus est, sed quandò non piam, nec Deo subiectam voluntatem habuit, quod erat quando primum opus malum ex deliberatione fecit. Voluntas enim antea nec pia, nec impia fuit, vt dictum est, quam etiam tunc recusauit nõ repellendo illam, quam prius habuit, sed non acceptando, quam tunc pia Deo subiecta voluntas habere potuit, & debuit. De qua Ansel. dat exemplum de casu diaboli, cap. 15. dicens sic. Existimo iam te cognoscere cum iniustitia non sit aliud, quã absentia iustitiæ, nec iniustum aliud, quãm non habere iustitiam, cur non ante datam, sed post derelictam iustitiam eadem absentia iustitiæ vocatur iniustitia, & non habere iustitiam sit iniustum, & sic vtrunque reprehensibile. Non enim propter aliud nisi quia nõ dedecet abesse iustitiam, nisi vbi debet esse. Sicut enim virum, qui nondum debet habere barbam, non dedecet non habere: cum verò iam habere debet, indecorum est non habere, ita naturam, quæ non debet habere iustitiam, non deformat non habere: illam verò, quæ habere debet, dehonestat non habere, & quanto magis debere habere virilem ostendit naturam, tantò magis nõ habere fœdat virilem figuram. Vnde Greg. super illud Iob; Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es præparata sunt, dicit Mora. lib. 32. capit. 26. Aurum opus decoris eius extitit, quia sapientiæ claritate sanauit, quam benè creatus accepit. Foramina verò idcirco in lapidibus fiunt, vt vinculati auro in ornamenti compositione iungantur, & nequaquàm à se dissidant, quos interfusum aurũ repletis foraminibus ligat. Huius ergo lapidis in die conditionis suæ foramina præparata sunt, quia videlicet capax charitatis est conditus, qua si repleri voluisset, stantib. Angelis tanquàm positis in regio ornamento lapidibus potuisset inhærere. Si enim charitatis auro sic penetrabilem præbuisset, sanctis Angelis socius in ornamento, vt diximus regio fixus remaneret. Habuit ergo lapis istæ foramina, sed per superbiæ vitium charitatis auro nõ sunt repleta. Nam quia idcirco ligantur auro ne cadant, idcirco iste cecidit, quia etiam perforatus manu artificis amoris vinculis ligari contempsit, ex hoc peccando contemnere potuit, quia licet creaturæ cuilibet, & vniuscuiusque voluntati naturaliter inditus sit appetitus boni suijpsius, ita quòd contrarium eius nullo modo nisi per accidens velle possit: non tamen sic naturaliter inditus est, vt bonum appetendo ordinet illud in alterum bonum, ita quòd ab illo deficere non possit agens voluntarium, quemadmodum agentia non voluntariè quãtum ex se ab illo deficere non possunt. Vnde peccat agens voluntariè, quia bonum proprium in vltimum bonum non ordinat, sed in eo sibi finem constituit. Cum enim, vt iam supra dictum est, Angelus malus suam prærogatiuam super alios conspexit, vt bonum sibi esset alijs principari, & si hoc ei complacuit, in hoc nondum peccasset, si complacentiam sub moderamine tenuisset, quia complacentia purè naturalis fuisset.

Sic enim etiam boni Angeli superiores prærogatiuam suam super inferiores cõspexerunt, & in hoc eis complacuit, sed nõ peccauerunt, quia sub moderamine secundum instinctum gratiæ sibi datæ

sese cõtinuerunt. Malus autem Angelus nequaq̃, sed cum eo, quòd sibi præminentia sua cõplacuit, in elationem singularitatis erupit, & moderamen complacentiæ excessit, bonum sibi singulare singulariter reputans, & bonum aliorum despiciens, in hoc super alios similem altissimo se reputans, vt sicut ille singulariter præcellit omnia, sic iste singulariter reputauit se præcellere cętera. Vnde sic singulariter se efferre, erat per effectum dicere. Super astra cœli exaltabo solium meũ, &c. Et per hoc seipsum finem aliorum constituit, & quia à fine, & sm̃ finis exigentiam debent regulari ea, quę sunt ad finem, ideò seipso, & sm̃ seipsum alia regere disposuit, & eis præesse. Vnde Greg. 23. Moral. cap. 8. Quatuor sunt species quibus omnis timor arrogantium demonstratur, cum bona aut à semetipsis habere se æstimant, aut dum sibi datum desuper credunt, prò suis se accepisse meritis putant, aut certè cum iactant se habere, quod non habent, aut despectis cęteris singulariter videri appetunt habere, quod habent, & infra. In hac arrogantiæ quarta specie crebro humanus animus labitur, vt id qd̃ habet se singulariter habere gloriętur, in qua diabolicę similitudini vicinus appropinquat, quia quisquis bonum se habere singulariter gaudet, illum imitatur, qui despecto bono societatis Angelorũ sedem suã ad aquilonem ponẽs & altissimi similitudinẽ appetẽs, p iniquũ desideriũ quasi ad culmen conatus est singularitatis erũpere. Illũ (vt dicit in lib. 3. c. 24) imitantes, qui accepta conditionis dignitate cõtentus non fuit dicens. In cęlum ascendam, &c. Vnde non peccauit prima specie arrogantiæ bonum suum à semetipso habere se æstimans. ex scientia. n. purè naturali sciuit hoc non esse verum, sed quicquid haberet, & esset, benè sciuit, ꝙ à Deo sibi esset, & ideò in hoc æqualitatem Dei non appetijt, nec appetere potuit, quia hoc esset eũ appetere nõ esse id qd̃ est. Nec similiter secunda specie bonum suũ suis meritis habere se æstimans: ex scientia enim naturali sciuit, quòd à Deo ex nihilo habuit. Nec tertia specie, quia de nullo gloriatus est, q̃ de eo, quod habuit, licèt in hoc male gloriando vlterius habere petijt, qd̃ nõ habuit. Et hoc est peccatum, & seque la primi peccati eius, quod erat elatio in sua singularitate secundum quartam speciem, quæ cõsistit non in appetendo non habitum, sed in gloriando inordinatè circa habitũ, quod nõ processit ex aliqua deordinatione, vel errore in ratione, quia nõ proposuit voluntati, nisi quod ipse erat in rei veritate respectu aliorum. Et erat peccatum hoc nõ in delectando circa bonum, sed in excedendo modum, propter aliquos, qui dicunt, ꝙ non peccat voluntas circa bonum, sed solum circa simile bono, siue verisimile bonum, quod intellectus, vel ratio proponit ei tanq̃ bonum, quod non est sine rationis errore ante peccatum voluntatis, qd̃ erat impossibile ante statum elationis. Vnde ratio in ipso non errauit, nisi postq̃ elatus fuit: post primam enim elationem obscurata erat in eo ratio circa appetibilia, quæ proposuit, & prælationem super cæteros sub ratione eligibilis, & boni sibi, nõ pertractando, ꝙ ex puris naturalibus sibi non competebat, quia voluntas intellectui pertractare non præcepit. Vnde pertractationẽ non expectans statim prælationem dictam appetijt, & ex puris naturalibus eam assequi, & quasi in possessionem se ponere visus fuit, non curans de modo, & ordine cõtingendi ad illam. Nec tñ istam prelationem sic appetiuit, vt quasi non sub Deo ipsam obtinere voluerit. Non enim in ipso fuit, vel adhuc est ratio excæcata, quin benè nouit, ꝙ impossibile fuit: benè enim scit ex puris naturalibus, ꝙ nulla creatura ordine naturali alias regere poterit sine influentia diuina, sed præsumptuosè æstimauit, ꝙ cõis, & naturalis Dei influẽtia sibi sufficeret, & ꝙ vlterius ex puris naturalibus habere deberet, ꝙ alia regeret, cum tamen hoc se recepturũ non nisi ex dono Dei speciali expectare debuisset: si tñ Deus voluisset. Vnde quo ad hoc de eo, qd̃ appetijt iudicium rationis, & appetitum voluntatis, quousque diuinũ præceptum habuisset suspendere debuisset, sicut fecerunt Angeli boni. Vnde nihil appetijt inordinatè, nisi quod à Deo si expectasset humiliter, ex dono, & ordinatè accepisset. Vanum est ergo dicere, ꝙ bonũ spirituale visionis Dei, aut alicuius huiusmodi ex puris naturalibus obtinere voluit. De tali enim bono nec tunc, nec nunc æstimationẽ ex puris naturalibus habere potuit.

Quod ergo arguitur, ꝙ secũdum Ansel. primus actus voluntatis in statu innocentię non potuit esse malus, quia est à Deo: Dicendum, quòd verum est, quia est naturalis, & natura est à Deo, vt dictum est: aliàs enim non intelligo Ansel. *Ad argu. prim.*

Ad argumentum in oppositum: Voluntas in statu illo perfecta est non impedita: Dicẽdum, quòd verum est, tamen limitatè, vt nihil possit velle, nisi quod propositum est à ratione, licèt nõ habet necessitatem immutabilitatis sequendi iudicium rationis sicut alibi determinauimus. Vnde quia ratio non potest statim ponere res sub tali modo, vt circa eas possit fieri electio per deliberationẽ, sed necesse est plurimos actus purè naturales præcedere, qui non possunt esse mali: idcirco necesse, quòd primus actus voluntatis non sit malus secundum determinata. *Ad arg. in oppositum.*

Comment. in Quæstionem Decimam, quæ est,

Vtrum homo, vel Angelus in statu innocentiæ potuerit habere primum actum malum.

IN titulo primo notare oportet, ꝙ intelligi quæstio debet de actu naturali, non pro vt contra distinguitur à voluntario, neq; prout cõtra distinguitur à supra naturali, vel violẽto. Sed pro vt contradistinguitur à deliberatiuo; vbi cõsidera ꝙ oĩs quidẽ actus deliberatiuus est voluntarius, sed non contra, quia datur actus naturalis qui voluntarius quidẽ est, sed non deliberatiuus. Et quidem de deliberatiuo notum est, etiam de facto, ꝙ primus actus tum hominis, tum Angeli potuit esse malus. Immò fortassis fuit primus actus malus de facto in Angelo, qui peccauit, sed de actu naturali est præsens difficultas, s. de actu proueniente ab illo instinctu naturali quem habebant tum Angelus, tum homo in statu innocentiæ.

In corpore est conclusio negatiuè responsiua quæsito, s. Actus primus naturalis tùm hominis, tùm Angeli in statu innocentiæ non potuit esse malus. Probatur. A bono non prouenit nisi bonum, natura tùm hominis, tùm Angeli in statu innocentiæ bona erat, igitur ab ea non poterat prouenire nisi bonum. Maior nota est; minor probatur, quia data erat à Deo vtrique ipsa natura, atque instinctus, qui bonus est, ergo &c. ipsa erat bona.

Not. quòd si data fuisset mala natura à Deo, quòd proueniret malum ab ipsa, non esset imputandum agenti illi secundum naturam, sed Deo datori illius malæ naturæ.

Not. autem illud quòd in principio secundæ partis Timæi dicit Plato, quòd quia Deus bonus est, &c. bonum fecit mundum, &c. conseruat huiusmodi, non solum autem simpliciter fecit, ex quo colligitur etiam ex illo Philosopho, quòd à bono non prouenit nisi bonum, sicut ex vero non colligitur nisi verum, quod docet Aristoteles.

Not. conclusionem probari etiam in corpore ex multis dictis Anselmi de casu diaboli, cuius auctoritates non est, quod debeamus recitare.

Not. quòd nihil officit id, quod habet D. Thomas p.p.q.63. art.1. & alibi. Quòd Angelus in solis naturalibus potuit peccare. Tunc enim non distinguitur actus naturalis contra deliberatiuum, sed status contra statum. Vnde pro notitia considerato, quòd Angelus, &c. homo in instanti suæ creationis fuerunt beati beatitudine naturali, apti verò erant ad beatitudinem supranaturalem, secundum quas beatitudines datur duplex status, status naturæ, & status gratiæ. Nunc autem tùm homo, tùm Angelus, ne dum peccare potuerunt in primo statu, sed de facto peccauerunt, demerentes secundum statum supranaturalem, s. gratiæ, qui autem remanserunt, illud meruerunt. Sic itaque in statu naturæ, & in esse naturali potuerunt peccare, &c. peccarunt, sed deliberantes. Hinc dicit Auctor ꝙ non distinguitur actus primus in deliberatiuum contra naturalem, nec è contra; dicendum autem est, quòd potuit esse malus. Et sic intellecta opinione D. Tho. facilè refelli potest Aureolus dum argumentatur contra D. Thomam, sed hoc relinquere debemus Thomistis.

Not. maiorem difficultatem illud inducere, quod in q.62. art.3. dicit D. Thomas, nempè Angelos creatos in gratia gratum faciente; si hoc enim verum est, illud sequatur oportet, vt non potuerit actus esse malus, quia gratia huiusmodi impedit auersionem, sed hæc difficultas tollitur per id, quod ipse D. Thom. dicit in q.63. art.1. ad 3. Hæc enim gratia amorem dicit gratuitum, à quo potuit auerti peccando. Vnde gratia, quæ reddidit Angelos impeccabiles, & reddit sanctos, atque beatos, est gratia quidem gratum faciens, sed merita, atque de congruo est acquisita. Non autem simpliciter gratuita. Vnde gratia gratuita talis naturæ est, quod &c. ab ea quis potest auertere; sed non vltima merita. Et certè hic attendi debet, ꝙ Angeli in instanti suæ creationis ante peccatum, se habebant tanquam viatores, expectantes confirmationem suæ beatitudinis, quemadmodum & homo; Vtrique autem erant apti, vt auerterent à priori beatitudine, &c. demererentur secundam, quam homo ipse perdidit, & Angelus malus, licèt dissimiliter. Qui verò remanserunt, confirmati fuerunt in gratia, & illa gratia impeccabiles redditi sunt, quæ gratia dici potest gratia patriæ contradistincta à gratia viæ, tametsi vtraque dici possit gratum faciens. Hinc est, ꝙ etiam homo pro statu præsenti acquirit in baptismate primam gratiam gratum facientem, & etiam post lapsum sacramento pœnitentiæ. Sed ab amore Dei recedere iterum potest, tametsi illa gratia inclinet in dilectione Dei; cum verò adipiscitur vltimam gratiam, tunc redditur impeccabilis, quoniam est gratia patriæ, & præmium virtutis exercitæ.

QVAESTIO VNDECIMA.

Vtrum damnati possint reuerti ad bonum.

CIRCA secundum arguitur, ꝙ damnati possint reuerti ad bonum, quia in ipsis est liberũ arbitrium, quod se habet ad opposita.

Contra. Damnati sunt obstinati in malo, sicut beati sunt confirmati in bono, sed isti propter confirmationem non possunt in malum: ergo illi propter obstinationem non possunt in bonum.

Dicendum ad hoc, quòd quadruplex distinguitur bonum, scilicet naturæ, moris, gratiæ, & gloriæ. De bono naturæ non potest habere locum quæstio, quia damnatis non aufertur bonum naturæ, vt in ipsis perseueret malũ pœnæ, dicente Gregor. 4. Moral. In viuendi essentia etiam moriendo subsistit, quem perditio vitæ non subtrahit, quia in æterno dolore positum seruando mors in modum extinguit, & lib. 32. Qui si potentiam sublimitatis perdidit: subtilitatem tamen naturæ rationalis non amisit. Et ita sicut habet bonum naturæ, sic habet bonum naturalis actus in sciendo, & intelligendo multa vera scientia naturali, & naturali voluntate in complacendo bono naturæ, & fugiendo malum naturæ, etiam per synteresin & conscientiæ vermen detestando malum culpæ, dicente Greg. 8. Moral. Tunc animum reatus obnubilat, & recordationis suæ iaculis ipsa se conscientia impugnat. Si verò intelligatur quæstio de bono moris, quod consistit in actu deliberatiuo, intelligendum, quòd in bono moris, siue in actu morali duo sunt, & substantia actus, & forma, quam imponit intentio operantis. Quantum igitur ad substantiam actus, bene verũ est, ꝙ damnati possunt

sunt reuerti ad bonum, quia possunt in substantiã actus, qui est de genere bonorum, vt consulere iustè, vel eleemosynam dare. Quantum verò ad formam actus, & intentionem finis, dicunt aliqui, ꝙ in actum bonum possunt ex pietate naturali, sicut potest dare eleemosynam existens in mortali peccato, cuius nullus est finis nisi satisfacere desiderio pietatis naturalis. Quod videtur sentire Aug. cum dicit super illud Psal. 6. In inferno autem quis cõfitebitur tibi. Sic cõfessus est in inferno ille dives, vsque adeò, vt etiam moneri suos vellet, vt se à peccatis suis cohiberent. Hoc autem non voluit nisi ex plena deliberatione, secundum quod patet ex dictis eius, quæ recitat textus Euangelij. Contrarium tamen videtur sentire Grego. in eo, quod dicit 18. lib. Moral. cap. 1. Omnis voluntas damnati iniusta est. Non autem est iniusta, sicut neque iusta voluntas aliqua nisi ex fine. Ideo vt mediam viã teneamus in hoc articulo, distinguẽdum est, quòd velle bonum ex deliberatione potest aliquis dupliciter, vel per se propter ipsum bonum, ad quod est per se, & eius amorem, & odium mali, vel per accidens propter fugam pœnæ, & hoc vel propriè vel aliorũ. Propriè, sic dico, quòd possunt in actũ bonũ moris, vt velle nunquàm actum, qui peccatum fuit, & est cõmisisse, ne æternaliter punirent.

Quæ tamen voluntas in hoc non est bona bonitate moris, quia nec recognoscunt illum actum esse malum, nec displicet eis propter se, quia malus, sed solùm ratione pœnæ annexæ, quemadmodum & vellent non esse propter acerbitatem pœnæ, vt alibi declarauimus. Propter fugam pœnæ aliorum, sic dicere posset aliquis, ꝙ nequaq̃ per se immò simpliciter, & absolutè omnes damnati homines, & dæmones vellent omnes secum esse dãnatos, & puniendos, & ad nullum, neque ad seinuicem, neque ad Deum habere possunt actũ amoris deliberatum, sed solum ad seipsos statuendo finem suum peruersè in seipsis, sed ad omnes & ad se inuicẽ summum habent odium: per accidens autẽ possunt. Et sic ille dives moneri suos voluit, vt se à peccatis cohiberent, non quia per se hoc voluit propter odium peccati, & amorem illorum, sed quia æstimauit se posse corpori suo restitui, & ad vitam, & in corpore mitti ad ipsos, & sic à pœnis subtrahi. Vnde istam admonitionem nullo modo propter bonum simpliciter, vel illorũ illos admoneri voluit, sed pp bonum proprium, ita ꝙ nec per aliũ à se eos moneri voluit. Vnde dicẽte Abraham, habent Moysen, & prophetas, respondit. nõ pater, sed si aliquis ex mortuis &c. q.d. per me sic fiat, quia magis idoneus sum ad hoc, & mihi magis credent. Glos. tamen Luc. 16. hoc aliter exponit dicens. Seruatur diuiti ad pœnam memoria fratrum quos reliquit, vt de pœna inutiliter amatorũ amplius torqueatur, & vẽ glos. intẽdere, ꝙ voluit eos conuerti, ne si secum in locum tormentorum venirent, ex hoc amplius ex pœna visa amatorũ torqueret. Quod vt sentire Greg. Niss. Diues quasi quodã iusto etiam post mortem à vita detinet carnali. Nã si quis oĩnò carnalis sm̃ mẽtem fiat, nec post q̃ corpus exuerit remouet à passionib. eius. Sed vnde hoc, ꝙ ex pietate naturali cũ deliberatione nõ possint pro tanto reuerti, vt velint bonũ moris pp bonum moris per se, & pp bonum saltem sicut existens in peccato mortali, licèt ex minori necessitate ad hoc moueret existens in mortali peccato nõ damnatus, q̃ dãnatus? Et dicunt aliqui, ꝙ hoc facit alius, & alius status horũ, & illorum. Quod non est sufficiens, quia nulla cõmutatione existente circa voluntatẽ, quod põt quis q̃tum est ex parte solius voluntatis in vno statu, & in alio. Propter qd dicunt alij, ꝙ voluntas q̃tò liberior est, & pfectior, tantò se perfectius immergit, siue impingit in volitum, vt ideo cum natura intellectualis separata à corpore oĩno libera est voluntate, intãtum impingit se in volitum, & immergit, & tãto amore illi alligat, vt ab illo auerti nõ poterit, non aliqua coactione impellente, sed voluntate ipsa immutabiliter illi hærere volente, vt ẽt exinde homo in statu innocentię pp corporis aliquantulam corruptibilitatem aliqualiter grauet, nec oĩno anima vergat immergẽdo se per oĩmodam adhęsionem in volitum, sed vel separata, vel existẽs in corpore incorruptibili totaliter se immergit, vt reuerti nõ poterit, vt pp ea sm̃ Ansel. qd hoĩb. mors, hoc dæmonibus casus. Iuxta illud qd dicit Greg. 32. lib. Moral. c. 2. de diabolo. Idcirco peccans sine venia dãnatus est, quia magnus sine cõparatione fuerat creatus. Et hoc quia sm̃ magnitudinem suam ex creatione impegit, & immersit se in volitum per peccatum. Sed hoc nõ explicat satis modũ, quo fiat, qd quærimus. Ideo dicendum sm̃ illud Prouerb. 18. Peccator cum in profundum peccatorum venerit cõtemnit, ꝙ qñ voluntas est in perfecta sua libertate habita cõpleta deliberatione, tanta efficacia currit in volitum peccati ponendo in eo finem, vt veniẽs ad obstaculum syntheresis, nec ibi sistit, sed contemnendo impingit in illam, & ibi retundit, vt retrahere se nec possit, nec velit, nec põt velle, quemadmodum si ferrum acutum penetrans carnes in interiorib. ossis retunditur, extrahi non põt. Homo aũt viator, quia tãta efficacia impingere non põt: ideo semper reuerti põt in aliquẽ actum bonũ moris. Similiter in bono citra finem nulla voluntas creata sic impingere põt quin ad malum possit reuerti, sed cum impingit in finem vltimum p apertam visionem ibi necessariò immobilitatur.

Si verò fiat sermo de bono gratiæ, vel gloriæ, siue quo ad actum, siue quo ad habitum, sic simpliciter est, ꝙ non possunt reuerti ad vnq̃ habendum habitum gratiæ, aut glorię, quare neq; ad habendum actum bonum procedentem à gratia, aut gloria, quia istos habitus à se habere non põt, & Deus iusto iudicio decreuit illos se eis nunq̃ esse daturũ.

Ad arg. in opp. ꝙ in eis est lib. arbitriũ, dicẽdũ, ꝙ verũ est, sed affectione sua ĩ malũ ligatũ, vt licèt libertas sit ibi, vt ĩ radice: ĩ effectũ tñ ꝓsilire nõ põt.

Com-

Comment. in Quæstionem Vndecimam, quæ est,

Vtrum damnati possint reuerti ad bonum.

IN titulo distingue cum Auctore bonum ipsum in bonum naturæ, bonum moris, bonum gratiæ, & bonum gloriæ. Quæstio autem præsens de bono moris præsertim intelligitur, De cæteris.n.bonum notum esse vñ, sed tamen de omnibus huiusmodi bonis videtur quæstionem aliqualiter determinare.

In corpore igitur. Prima conclusio in principio quæstionis de bono naturæ est affirmatiua. s. ꝙ possunt velle huiusmodi bonum, & consequenter reuerti, quantum ad reuersionem secundum voluntatem. Probatur conclusio ex Gregorio in litera. Et quia naturalia non auferuntur.

Not. ꝙ euenit idipsum damnatis hominibus, quod euenit dæmonibus, quibus ablata non sunt sua naturalia.

Secunda conclusio, in fine qõnis de bono gratiæ, & gloriæ est negatiua, s. ꝙ reuerti non possunt vlla reuersione ad tale bonũ Probatur. quia hoc bonum à se habere non potest, & Deus iusto iudicio decreuit eis se nunquàm illud daturum.

De bono autem moris, quoniam videtur lis quædam inter Augustinum, atq; Gregorium, medio modo procedens Auctor, distinguit de velleitate ex deliberatione. nam tunc sermo est de reuersione secundum voluntatem, & tribus conclusionibus satisfacere videtur quæsito. Quæ omnia ad hanc formam redigere placet.

Aliquem velle bonum ex deliberatione est vel

Per se, propter bonum ipsum, ad quod est per se, & eius amorem, & odium mali

Per accidens propter fugam pœnæ, & hoc vel

Propriæ

Aliorum.

Prima conclusio. Non potest reuerti ad bonum moris.

Secunda conclusio. Potest reuerti ad bonum moris, sed non voluntate bona, bonitate moris.

Tertia conclusio. Non potest reuerti ad bonum moris.

Quo ad primam conclusionem not. ꝙ eam dicit, & ponit Auctor, et de aliorum mente. Et rõ eius est. Quòd anima damnata adeò immersa est in malo, quod est, vt dicit sapiens in profundum, venit contemnit, & quidem tali contemptu, vt reuerti non possit. Vnde in responsione ad argumentum patet, ꝙ licèt habeat liberum arbitrium, tñ est adeò mala affectione ligatũ ad malũ, vt nequaq̃ resurgere possit, quasi libertas taliter sit malo ligata, vt in effectu ad bonũ tendere nõ possit.

Crederemus nos, ꝙ liberum arbitrium sm̃ quatuor status possit considerari. Nempè in statu innocentiæ, in statu naturæ destitutæ in via, In statu destitutæ per peccatum in damnatione, & in statu recuperationis in patria. Vbi status innocentiæ habuit liberũ arbitrium integrum, sine inclinatione vlla ad malum, & sufficiens ad operandum, & eligendum bonum in sola gratia, in qua creatũ est. Status naturæ destitutæ maximè eget auxilio speciali, nè feratur in malũ propter fomitem. Status patriæ eget, sed non eodẽ modo, quia extinctus sit fomes. Quo fit vt in his omnibus huiusmodi statibus adsit gratia ipsius Dei, quæ nunquàm deserit habentem liberum arbitrium, sed in duobus statibus est defectibile, in primò ex deliberatione, vt habitum est in præcedenti qnæstione. In secundo propter fomitem, & ex deliberatione. Sed in statu patriæ nunquàm est defectibile, quia est confirmatum. Et in alijs statibus dum non deficit, non deficit quidem, quia auxiliatur Deus, quia nihil boni fieri potest sine ipso, etsi deficit, deficit, quia spernit auxilium Dei. Vt igitur non sit defectibile requiritur diuinum auxilium, vt non deficiat, requiritur, vt acceptetur auxilij. Iam verò status damnationis, cum sit expers cuiuslibet diuinæ gratiæ, nihil est ibi, quo non sit defectibile, & non est auxilium aliquod, quod ibi spernatur.

Quo ad secundam conclusionem. Prima eius pars patet, quoniam verisimile est, vnumquenque damnatorum detestari malum ratione fugiendi pœnam, naturaliter autem id est in vnoquoq, abhorrere à pœna. Et ratione fugæ ipsius non velle malum commisisse, quod est velle bonum commisisse.

Secunda pars patet, qm̃ non detestãtur actiones malas peractas, ob quas patiuntur, per se, sed tantùm detestantur rõne pœnæ.

Quantum ad tertiam conclusionem, patet, quia per se nullum habent amorem ex charitate, cum ipsa careant, tametsi videãtur habere per accidens, vt declarat Auctor in litera de diuite in inferno sepulto, cuius meminit Euangelium.

Not. Scotum 2. sententiar. dist. 7. q vnica contra ea, quæ pro prima conclusione dicit Auctor, pluribus argumentari, à quibus profectò tenemur nos auctorem nostrum defendere. Sed antequã eius argumenta proponãtur, & defendatur Auctor, currius exponenda est rõ Doctoris, quam ad illam conclusionẽ habet. Assumit igitur illud Auctor. Peccator cũ in profundũ venerit, contemnit. Additq; ꝙ qñ voluntas est in perfecta libertate sua habita completa deliberatione, tanta efficacia currit in volitũm, ponendo in eo finem, vt veniens ad obstaculum synderesis, nec ibi sistit, sed contemnendo impingit in illã, & ibi retunditur, vt retrahere se non possit, nec velit, nec etiam velle possit.

Hæc sunt, quæ dicit Auctor antequam hoc negotium manifestet exemplo. Et hic rogamus lectorem diligenter legere, & comparare hæc cum verbis Scoti ex Auctore. Illud.n.tanq̃ assertum ab Auctore, narrat ex ipso Scotus, qđ ipse Auctor reprobat dicens. Sed hoc non explicat satis modum. Verum est autem, ꝙ etiam verba hæc narrat Scotus. Sed audiamus quid subsequatur. Quemadmodum, inquit, si ferrum acutum penetrans carnes in interioribus ossis retunditur, extrahi non potest. Contra hæc ergo Scotus loco citato argumentatur, & ait.

Primò contra rationem. sicut agens naturaliter non dominatur actui, sic nec modo agendi, & per oppositum sicut agens liberum dominatur suæ actioni, sic & modo agendi, & per consequens in potestate eius est intensè, vel remissè agere. Igitur non oportet, quòd ex hoc quod est voluntas perfectè libera, ꝙ cum summo conatu se immergat in obiectum, immo ipsa magis dominatur sibi ipsi, cum quantocunque conatu tendat in obiectum, & ita liberè fertur, in quodcunque obiectũ fertur, & posset etiam de absoluta eius libertate non sic ferri in illud.

Confirmat. Quia non vsit omnes Angeli mali ex summo conatu peccasse, sicut nec oẽs boni ex summo conatu meruisse, aut saltem possibile fuit non secundum totam facultatem naturæ suæ elicere actum.

Secundò. Eodem principio tendit aliquid, vel mouetur in terminum, & quiescit in termino. Ergo si voluntas perfectè libera ex perfecta sui libertate tendat in obiectum, ex eadem libertate quiescit in obiecto, ergo ex tali plena libertate tendendi in obiectum, quali Angeli mali peccauerunt, non necessariò sequitur quietatio eius in illo, sed tantum voluntaria, & contingens, sicut contingenter tendit in illud.

Tertiò. Non potest dici ꝙ voluntas animæ separatæ per aliquem actum, quem tunc eliciat, reddat se obstinatam, quia prius naturaliter q̃ ipsa separata aliquem actum eliciat, quem elicibat in corpore reddidit se obstinatam, impingẽdo se tunc in syndresim, sed hoc est falsum, tàm quia potest aliquis ex minori conatu peccare illo peccato, propter quod damnetur, si nõ sequatur pœnitentia, quàm quo alius peccat, vel ipse met alio peccato, quod deletur per pœnitentiam.

Quartò arguit contra exemplū, primò, ꝙ incidit in positionē Esiodi ab Aristotele derisam, secundò reflectendo illud ad oppositū sic dicens. Quare ferrū acutū infixū duro corpori nō pōt extrahi à cā, vel virtute illa, q̄ ipsum infixit, nō est, q̄ partes corporis magis concurrūt, in quas impinxit, & ideò magis coarctē illud infixū, q̄ in principio, q̄n infigebatur, sed si argumentarē, virtus motiua ſm̄ augumentationē, q̄ addit illa coarctatio partū, & illud infixū remaneret in sua natura, æque rectū posset iam extrahi. Ergo cum voluntas impingens in quodcunq; remaneat recte in naturalibus, licèt habeat curuitatē, hoc est quandā deformitatē, quasi priuationē inhærentē, & illud, cui se immergit, non habeat maiorē virtutē includendi ipsam cū in se immergit, quia non est in obiecto aliquis talis concursus, sequitur ꝙ voluntas actiua pōt se retrahere.

Hæc Scotus specialiter aduersus Henricū. Not. aūt, ꝙ profitetur Scotus ante hæc egisse ēt contra D. Thomā, & Henricū in solidum, cū ſn̄ quārum spectat ad Henricū, ipse nō loquatur de obſtinatione malorū Angelorū, sed damnatorū hominū, quod ex processu qōnis deprehendere licēt. Sed videto Capreolū, & Soncinatem 2. sententiar. dist. 7. & Gaetanū. p. p. q. 64. art 2. In præsentia nanq; sufficiet si defenderimus Doctorē ab his, quæ præsertim sunt contra ipsum in hac quæstione.

Ad euidentiam igit̄ huius negotij, trēs aīæ status considerādi sunt, in quibus dr̄ libera, quorū duo sunt oppositi, tertius verò vr̄ medius. Primus oppositorū est status beatitudinis, in quo fruit̄ obiecto fruibili. alter est status damnationis, i quo apud inferos detinetur, in peccatis propriis mortua, atq; sepulta. Status verò medius est status viatoris, vel status viæ, in quo aīa ipsa est in medio literæ Pithagoricę, vt possit, dum velit vel ād statū beatitudinis peruenire, vel contra ad statū damnationis ad illū beatitudinis peruenie ndo bonis operibus, quibus si non de condigno mereatur cœlestem beatitudinē, saltē mereat̄ de cōgruo, supplēre in reliquo diuina misericordia. Ad hunc verò malis actionibus, quibus de cōdigno damnationē mereatur ęternā. Nunc itaq; in oībus statibus huiusmodi aīa dr̄ libera, sed profectò nō eodē modo, qd̄ vtiq; considerandū est incipiendo à statu viatoris. In hoc itaq; statu, libera est, vt tùm bonū, tùm malū eligere possit. Cęterū semper disposita est in volitū ferri, & nunq̄ in nolitū. Et hoc est, qd̄ dicit Auctor, & malè accipit Scotus. Ad quodcunque. n. tendat volūtas, ad illud tendit tanq̄ in volitū, nunq̄ aūt tanq̄ in nolitū. Verū dum consideratur voluntas viatoris, ipsa quidē libera est, sed nō adeò, qd̄ toto conatu possit ferri in volitū, qm̄ volitū, aut est bonū, aut ē malū, tametsi oē volitū volitū sit sub rōne boni. Quia vt ēt dicit Dionysius in libro de diuinis nominibus, nemo appetit malū, quatenus malum, sed dum appetit aliquis malum illud appetit, & eligit sub rōne boni. Iam verò qd̄ bonum est re vera, atq; reale, simpliciter dici pōt bonum, & rōnale, vel rōnabile. Quod verò malum, vtiq; bonum apparens, ſm̄ q̄d, & quo ad sensum. siue autē ferat̄ ad hoc, siue ad illud, nō profectò id facit toto conatu in via, nisi impedimēta prorsus destruat, & tollat. Est autē impedimētum, vñ non ferat̄ in bonum apparēs toto conatu, in primis ipsa syderesis, deinde timor pœnæ, quia adest spes adhuc melioris habēdi, vt q̄ncunq; spes adest, ēt timor nō longè est, qua destructa spe, nascit̄ desperatio, & spreta deinde ꝑ desperationē synderis, in profundum venit ipsius contēptus, & tunc nihil retrahit, vnde toto conatu nō ferat̄ in præceps, & in volitum. Altera verò ex parte, nè ferat̄ toto conatu in bonum reale adest fomes in carne hac infecta, adsunt cæteri inimici, qui oēs nisi destruant̄, toto conatu nunquā ferē in bonum reale ipsa voluntas. Quid ergo? Ex his liberior apparet aīa à corpore soluta, quippe si salua est, nō amplius à fomite infectæ carnis, nō amplius à Diabolo, non amplius à mundo retrahit̄, nec impedit̄. Vnde nihil est, vñ nō possit toto conatu ferri in illud volitum, per qd̄ talis est, s. salua, cum ipsum tale agnoscat, ꝙ per ipsum salua est, & gaudet, & eo fruit̄, & fruitura est semp̄ summo gaudio. Contra verò si dānata est, non amplius spem timorē gnantem hēt, neq; synderesim, vnde impediat̄ ne toto conatu contiēnat punitorē, & odio habeat, ac prosequat̄, atq; propterea ferat̄ in volitum malum, qd̄ est odium Dei punitoris, amor illius peccati, in quo mortua est, iuxta ſnīam Dñi dicentis, & in peccato vestro moriemini. Diuersa igitur libertas animæ, ac voluntas facit, vt vel toto conatu, vel nō toto feratur in hoc volitum, vel illud, licèt absolutè quomodocunque accepta feratur in volitum simpliciter toto conatu, qm̄ spernit ēt toto conatu nolitum simpliciter. Si quid autem aliud notatu dignum erit, inter respondendum notabitur.

Ad primum igit̄ dicimus, illud verum esse de voluntate viatoris existentis. s. extra terminum, nō autē de voluntate existētis in termino, q̄ tametsi libera sit, nō pōt tn̄ ferri in opposita quātum ad effectum, & si possit quantum ad radicē libertatis. Et si dr̄ liberior separata, non dr̄ quia sit ad vtrunq; libera quātum ad effectum, sed q̄a liberius tendere pōt in obiectum volitū. Vnde ideò dr̄ liberior separata, sicut dr̄ liberior ille, qui a nullo impedit̄ ne agat, qd̄ cupit, q̄ qui impedit̄. Voluntas separata si in patria beata fuerit, liberior dr̄, quia liberius. s. nullo impedimento sibi obijciente tendit in illud bonum beatitudinis, quā tenderet in via, qm̄ impediretur magis dum esset in via. sic quæ in inferno detrusa est, dr̄ liberior, qm̄ caret illis impedimentis, vtpotè timore, q̄ à spe oriob̄t & synderesi, quib. nō ita libere ferebat̄ in illud obiectum, qd̄ amādo dānata est.

Ad confirmationē dicimus nihil referre, ꝙ Angeli toto conatu nō peccauerint, q̄a & plurimi peccatores damnant̄, qui tn̄ nō toto conatu peccauerunt. Sed qō nō est de hoc, an peccatores possint ad oppositā, quia peccator, vt peccator, vr̄ viator. Qō est de iā dānatis, q̄ si prius nō peccauerūt toto conatu, hoc est nō adhæserūt toto conatu ipsi peccato, tn̄ post dānationē adhæserunt illi prius volito toto conatu, desperatione iā existēta, & contēptu, & nulla spe, quā & sperunt. Nihil ig ēt refert, ꝙ peccator nō adhæserit toto conatu peccato, ꝙ qd̄ dānatū est. Dicim⁹. n. ꝙ dū de post dānationē toto conatus adhæret.

Ad ſm̄ dicimus, Argn̄ illud habere locum vbi pfectio libertatis consistit in oppositā, ꝙ intelligitur vel in effectu, & radice simul; vel in radice tn̄, & non in effectu. Si in radice, & effectu; hoc intelligitur de voluntate viatoris, existentis extra terminos oppositos beatitudinis, & damnationis. Si in radice tn̄, vtiq; intelligitur de voluntate non viatoris amplius, sed de voluntate existentis in termino, qui dicitur habere perfectam libertatem ad oppositā in radice, & non in effectu ob adhæsionem prouenientem à perfecta illa libertate, quam habet, quoniam nō impeditur, nè ferat̄ in volitum, in quo quieuit cum impedimentis in via. Vt quæ quieuit in via in peccati obiecto cum impedimentis, quiescat in termino damnationis ablatis impedimentis. Sed tamen quies illa dicitur æquiuocè ad quietem in termino beatitudinis. Quies. n. dicit quoddam bonum, existere autem in termino damnationis est malum quoddam illi existenti.

Ad tertium dicimus, ꝙ verum quidē est, viatorē, quarenus viatorē semp̄ posse dimittere malū, & eligere bonum, & sic dimittere obstinationē, sed dum moriē obstinatus, & impœnitens est alterius deinde rōnis. In hoc. n statu non amplius trahit̄ à synderesi, à timore, ac spe proueniēte, &c. Non est igitur, ꝙ ex obstinatione in via sequat̄ tn̄ obstinatio in termino, si obstinationē viæ accipiamus strictè. Quippè largius obstinatione accepta, oīs dānatus nō dānatus est, q̄a obstinatus mortuus est. Vnde illud cōiter dici soler, solos desperatos, vt hoc vtamur mō loquēdi, adeunt diabolicā domum. Quippè qui sperat in Dño Beatus est, teste Psalmigrapho. Vnde cōtra dānatur, qui nō sperat, & oīs damnatus ideò dānatus, q̄ non sperabit, & nō sperando veniā non meruit. Et si ergo sit minor conatus peccatoris, qui damnatur ex paruo conatu, quantum ad actionem, q̄æ peccatum est, ob qd̄ damnatur; tn̄ tàm magna fuit interpretatiuè saltem diffidentia, ꝙ dum minimè speratuit, Beatus effici non potuit, quia si speraſſet, spe illa, quæ virtus est, vtique & veniam petijſſet, & impetraſſet.

Ad quartum in primis dicimus, ꝙ desideraremus Scotum attendisse ad illud, quod & alibi dximus ex Aristotele, exempla dari sæpè, non quòd res ita sit, sed vt quis facilius addiscat.

Secundò dicimus, falsum esse, sermonē Doctoris esse similē illi, quo vtebatur Esiodus, quia ille loquebat̄ parabolicè, asserendo non exemplificando, hic autēm nequaquam, sed tantùm exemplificando.

Tertiò dicimus ad formā argumēti, falsum esse, ꝙ aīa remaneat eadē cum est separata ab eo, q̄ erat cōiuncta. tunc. n. ideo non immergebat̄ ita, vt nō posset extrahi, q̄a impediebat̄ ab his, quæ dicta sunt. separata autē tota immergit̄ in volito, q̄a non amplius ab illis impedit̄. Vñ si nō est dr̄a in obiecto, cui se immergit, est dr̄a saltem in eo, ꝙ se immergit, vt dictum est, quia separata liberius pōt in volitum tendere; & quæ in oppositum in via tendere noluit, sed habuit tanquā nolitum, separata liberius, vt nolitum respuit, atq; cōtēnit. Quod si aliqñ velit illud, profectò vult ea ratione, q̄ in alia cōclusione dicta est, &c.

QVAE-

QVAESTIO XII.

Vtrum intellectus agens intelligat.

SEQVVNTVR ſpecialiter quæſita circa naturam humanam. Vbi quærebãtur quædam ex parte animæ,& quædam ex parte coniuncti ex corpore,& anima. Ex parte animæ quærebantur pertinentia ad intellectum. vnũ ex parte intelligentis, duo ex parte intellecti, & vnum pertinens ad voluntatem. Quorum primũ erat: Vtrum intellectus agẽs intelligat. Secundũ: vtrum intellectus poſſibilis noſter intelligat phantaſmata. Tertium: vtrũ aliquis articulus fidei poſſit demonſtrari. Quartum: vtrũ appetitus rõnalis poſſit diſtingui in irraſcibile, & concupiſcibile.

Arg. prim. Circa primum arguitur ꝙ intellectus agens intelligat, quia intellectus non dicitur, niſi ab intelligendo. aut ergo ab intelligendo actiuè, aut paſſiuè. non paſſiuè, quia ſic intelligit intellectus poſſibilis. ergo intelligit actiuè.

In oppoſit. Contra. intelligere pati quoddam eſt. pati autẽ non eſt niſi intellectus poſſibilis. quare neque intelligere.

Reſponſio. Dicendũ eſt ad hoc, ꝙ de intellectu agente plurimæ erant opiniones, ſed in ſumma, quo ad duo. Qm̃ quidã dicebant, ꝙ erat intelligentia ſeparata alia à poſſibili. Alij verò cõius, ꝙ agens, & poſſibile ſunt duæ potentiæ aĩæ. Ponẽtes primo mõ, dñt ꝙ cum oĩs ſubſtãtia ſeparata ſit à materia, & ideo eſt intellectualis natura, ipſa intellectiuum, & intellectum quid eſt. Sed ſciẽdũ, ꝙ huiuſmodi ſubſtantia dupliciter põt cõſiderari. Vno modo in ſe. Alio modo, vt eſt cooperatiua ad actũ intelligẽdi alterius. Primo modo, vt dictum eſt ipſa intelligit ſm̃ ſe, inquantũ eſt, quædam intellectualis natura, ſed hoc ſub ratione poſſibilis non agentis, & in recipiendo obiectũ, non aũt agendo, qd̃ pertinet ad agentem. Nunc aũt ſiue ponamus, ꝙ agens inquãtum agens ſit ſubſtantia ſeparata, ſiue potentia in eadẽ ſubſtantia cum poſſibili, in hoc nulla eſt dĩria. Propter qd̃ ſimul dicendum eſt de vtroq; mẽbro, ꝙ agens ſm̃ Philoſophum eſt habitus quidam vt lux, largè accipiendo habitum, & ſe hẽt ad phantaſmata ſicut lux ſe hẽt ad colores, & ad poſſibilẽ ſicut lux ſe hẽt ad viſum, & conſimili neceſſitate ſe hẽt ad actum inteligẽdi agens, ſicut lux ad actũ videndi. De coloribus aũt ita eſt, ꝙ licèt color ſit viſibile per ſe ſecundũ modum dicẽdi per ſe, quia tñ non eſt ex ſe in perfecta actualitate, vt agat in viſum, & in medium, ſed ſolùm per actũ lucis ſm̃ definitionem coloris in 2. de anima: Color eſt motiuũ viſus ſecundum actum lucidi, ideo ad hoc eſt lux neceſſaria in viſu ex parte coloris, ꝙ ipſa poſſit ſe actu facere in medium, & in organum, ex parte aũt videntis eſt neceſſaria, quia (vt probatur in perſpectiua) color non vr̃ niſi admixtus luci. Per eundẽ modum intellectus agens neceſſarius eſt ad actum intelligendi, eo videlicet ꝙ phantaſmata non ſunt, niſi potentia intellecta, quia in ipſis natura, & quiditas rei eſt ſub ratione eſſe materialis, & cõditionibus particularibus, nec eſt aliquid natum mouere intellectum, niſi ſub rõne vniuerſalis. Eſt ergo actus intellectus agentis exiſtentis in eadem ſubſtantia animæ cum poſſibili intellectu, & cum potentia phantaſtica in qua ſunt phantaſmata, ꝙ cum exiſtit in ſubſtantia animæ, ſicut lux in medio, reſpicit phantaſmata in phantaſia, ſicut lux illa colores in pariete, & ſicut corporaliter illuſtrat colores, vt agant ſpeciem ſuam in medio ſine materia parietis, & ſine ſubſtantia colorum, & per medium defertur ad pupillam, & eam informat actu viſionis, ſic ſpiritualiter agens illuſtrat phantaſmata, vt apta ſint agere in intellectũ poſſibilem ſub ratione, qua eſſentiæ ſimpliciter ſunt, non ſecundum conditiones particulares, & materiales. Quod appellatur denudare phantaſmata ab iſtis conditionibus, & abſtrahere eas, quæ abſtractio non fit per aliquam migrationem, vel generationem ab eis in intellectu poſſibili, præter ꝙ per huiuſmodi abſtractionem habent rationem vniuerſalis actiui, & motiui intellectus poſſibilis, vt id qd̃ moueat non ſit in ſubiecto, niſi in phantaſia, licèt non mouet, niſi ſub rõne vniuerſalis per motum agentis, vt dictũ eſt. In intellectu aũt poſſibili non eſt, niſi ſicut mouens in moto ante actũ intelligẽdi, quia per ſuam actionem generat in intellectu poſſibili intellectionẽ, qua ſibi ipſum aſſimulat, per quam eſt in intellectu ſicut cognitum in cognoſcente, & intellectum in intelligente. Et quia agens eſt quaſi lumen in poſſibili, phantaſma quaſi mixtum cum luminæ agentis mouet poſſibilem ſicut ſpecies coloris mixta luci mouet viſum. Et eſt hic, & ibi dĩria, ꝙ lux facit, vt præter viſionẽ faciat color ſpeciem in medio, qua vice coloris informat pupillam actu viſionis. agens verò non facit, vt præter inteilectionem faciat aliquam aliam ſpeciem ſuam in poſſibili. Eſt etiam differentia ex parte uiſus, & intellectus reſpectu lucis, & agẽtis, quia ipſa lux eſt quoddam uiſibile natum per ſe videri, licet non vr̃ niſi cum permixta eſt colori pp ſuam maiorem ſimplicitatem. Agens autem cum eſt potentia quædam non eſt per ſe intelligibile ſicut lux uiſibile, ſed ſolum efficaciam dat intelligibili, ut intelligatur, niſi ſecundum ponentes, ꝙ agens ſit ſubſtantia ſeparata. Illi enim ponunt, ꝙ agens cum hoc, ꝙ eſt agens ẽt intelligit quæcunq; facit in intellectu poſſibili, & retinet ea ad obliuionem poſſibilis, ita tñ ꝙ quãto magis informatur intelligibilibus, tanto magis eleuatur ad cognoſcẽdum agentem, & in ipſo ea, quæ ipſe intelligit,

vt cum fuerit adeptus perfectè coniungitur agenti intelligendo ipsum, & quæcunq; ipse intelligit. Quod falsum est, quia ad hoc ex puris naturalibus intellectus noster attingere non potest, vt videat separata, aut etiam seipsum, nisi sicut alia à se, immaterialia. s. in effectibus suis sensibilibus. Nec intelligo per abditam notitiam, qua se anima semper intelligit, non autem semper se cogitat, nisi notitiam intelligendi in potentia, qua obiecta vniuersaliũ ex habitibus innatis semper eius oculis præsentia sunt. Sed iudicare cogitando de illis nihil potest, quia coniuncta secundum statum naturalem vitæ præsentis non põt esse intenta alijs, q̃ quæ nata sunt intelligi in phantasmate, quemadmodum si aliquis apertis oculis esset in lumine, & pro statu aliquo viribus retractis interius nullo modo posset anima esse intenta visibilibus, q̃uis ipsa visibilia agerent se in oculos illius, nihil omninò tñ pro illo statu posset uidere, aut oculis aduertere. Quemadmodum ergo iste diceretur videre, nihil tñ aduertere, q̃ statim aduerteret in alio statu existens, sic aïa nostra dĩ sp intelligere, nihil tñ cõgitare, q̃ statim cogitaret in alio statu existẽs. s. vel separata, vel in corpore incorruptibili. Et in rei veritate Aug. quo ad dictum illud Platonicus erat. & sicut anima nostra, vt est existens in corpore status huius, non potest naturaliter aliquid intelligere, nisi in phantasmate, sic nec etiam est naturæ substantiæ separatæ, vt videat vniuersale per abstractionem, sicut videt noster intellectus. Propter quod siue agens ponatur substantia separata, siue potentia coniuncta, cum non sit nisi ratio coadiuuans ad rationem intelligẽdi, inquantum huiusmodi omninò non intelligit, nec natus est intellectus noster intelligere per potẽtiam agentis, sed possibilis tantùm, sicut procedit secunda ratio.

Ad primam rationem, sp intellectus dicitur ab intelligendo, aut ergo actiuè, aut passiuè: Dicendum, quòd actiuè, non quia sit obiectum mouens possibilem, sed quia agit circa phantasmata, vt idonea sint agere actum intelligendi in possibili secũdum dictum modum. *Ad argũ primo.*

Comment. in Quæstionem XII. quæ est,

Vtrum intellectus agens intelligat.

IN titulo declarandum esset quid sit intellectus agens, & quæ eius officia, sed quoniam vtrunque declaratur in litera non est necesse id facere.

In corpore, conclusio est negatiua sic. Intellectus agens non est intelligens, sed coadiuuans ad rationem huiusmodi intelligendi.

Prima pars probatur ex ratione in fronte quæstionis, sumpto fundamento illo, sp intelligere est quoddam pati, vt dicit Aristoteles. sed intellectus agens non patitur, igitur nec intelligit.

Not. minorem dici etiam ab Aristotele in 3. de anima, cum ait. Quòd intellectus agens est, quo est omnia facere, & possibilis, quo est omnia fieri.

Secunda pars patet ex speciali eius officio, sp est illustrare phantasmata, & denudare ea à conditionibus particularibus. Vt verum sit illud, quòd facit vniuersalitatem in rebus; sed dum hoc facit coadiuuat intellectum possibilem, vt recipere possit obiecta intelligibilia, igitur coadiuuat, &c.

Not. ad abundantiorem doctrinam, alia esse officia intellectus agentis præter ea quæ dicuntur ab Auctore. Vnde tria elicere facilè poterimus. Primum quomodo adiuuet ad intellectionem. Secundo quomodo re vera non dicatur intelligere. Tertiò, quid tandem sit ipse intellectus agens. Est igitur primum eius officium, sp quantum attinet ad obiecta intelligibilia, ipse est eorum perfectio, & forma, quoniam de intelligibilibus potentia, facit ea actu intelligibilia. sunt autem huiusmodi obiecta ipsa phantasmata, quæ nisi ita perficiantur, nequaquam apta sunt ad mouendũ intellectum possibilem. secundum officium intellectus agentis est, sp iungitur ipsis phantasmatibus, vt obiectis, & in phantasia existentibus, extra intellectum possibilem, non tñ iungitur vt intelligens, sed perficiens, vt dictum est. Tertium officium est, sp dicitur agens respectu patientis, siquidem agat in ipsum, non tñ ita, vt sit agens distinctum, sed tanquam actus phantasmatum, ita vt ex phantasmatibus, & intellectu agente constituatur vnum agens imprimens in possibili speciem vniuersalis, & quidditatis. Nam ex se phantasmata facere nequirent, propijs videlicet viribus. Ex qua nascitur, quod aliquo modo se habet tanquàm obiectum, non autem formaliter dicitur intelligens. Nec ipse intellectus agens producit actum intelligendi, sed ipse intellectus possibilis est, qui recipiens illustratum phantasma, producit actum huiusmodi. Nec proprie eius est abstrahere ipsa phantasmata, sed abstracta deinde à possibili intellectu illustrare, perficere, actuque intelligibilia reddere. Et sic patet quomodo primum ad intellectionem sit coadiuuans, & minor Auctoris plurimum valet, & secundo quomodo non dicitur formaliter intelligens, sed potius aliqualiter intelligibilis. Et ex his colligi potest quid sit intellectus iste agens.

Not. sp tametsi variæ sint difficultates circa opiniones illas, quas recitat Auctor initio quæstionis quid sit intellectus agens, an scilicet sit intelligentia separata à possibili, vt quidam asserunt, an vt alij, sp sit potentia animæ, ita sp agens & possibilis sint duæ potentiæ animæ; non est tamen, quod in præsentia velimus quæstiones inducere, quando nec id velit ipse Auctor facere in præsentia. Memineris autem, sp re vera sententia illa, quæ dicit intellectum agentem, atque possibilem duas esse animæ potentias, & facultates, est sententia D. Thomæ. Alia verò est Auerrois, atque Themistij, quod apud Auer. videre est in 3. de anima com. 4. 5. 18. & 20. & apud Themist. 3. de anima. t. 20. Non est tamen, quod ad has opiniones reducantur omnes opiniones de huiusmodi re. quoniam & alij fuerunt, qui existimarunt intellectus huiusmodi vnum esse, qui dicitur patiens, quatenus progreditur in corpus, agens verò quatenus in se manet. Et hæc fuit opinio Simplicij, à qua sententia parum recesserunt antiquiores quidam, quos secutus est Ioannes Grammaticus. Et inter hos est et Alexander, qui intellectum agentem voluit Deum esse. Quæ autem veriori sit harum opinionum, non est, quod in præsentia disputandum sit. Vnum hoc est, quod si Deum dicamus intellectum agentem esse, profectò necesse erit dicere intellectum agentem intelligere, sp falsum esse ostensum est. Si vnam, & eandem potentiam, & prorsus rem statuamus intellectum agentem, atque possibilem, illud sequi videtur, sp sit intelligens, quoniam ad intellectionem possibilis, intelliget, quoniam statuitur idem prorsus. Si verò distinctionem aliquam ponamus, quomodocunque ponatur, sequitur, vt non sit intelligens, sicut dictum est.

QVAL-

QVAESTIO XIII.

Vtrum intellectus possibilis intelligat phantasmata.

Responsio. PER idem patet responsio ad quæstionem, quæ sine argumẽtis erat propositа: Dicendo, ꝙ phantasma potest dupliciter considerari. Vno modo, vt hẽt rationem phãtasmatis, & particularis.

Alio modo, vt per denudationẽ, & abstractionem prædictam habet rationem vniuersalis, quod appellatur vniuersale phantasmatis, licèt non sit aliud re ab ipso phantasmatè. Sed se habent, secũdum August. & Philosophum, phantasmata ad intellectum, sicut visibilia extra ad visum, sed hoc quo ad aliquid sic, quo ad aliud non. Quia sicut res particularis extra est ipsum visum, sic in phantasmate est ipsum intellectũ, licèt in potentia absque opere agentis secundum iam dicta. Ita ꝙ intellectum vniuersale in phantasmatè hẽt duplex particulare, adminiculo cuius intelligitur. s. particulare extra quod facit sensationem obiectiuè, & phantasma particulare derelictum ex huiusmodi sensatione. Et differenter se habet vniuersale intellectum in phantasmate ad vtrunq; particulare. Ad primum se habet, vt ad id quod mediante vniuersali natum est intelligi secundum lineam reflexam, & sic se habet in rõne obiecti respectu intellectus, & non differt ratio vniuersalis, & particularis, nisi sicut determinatum, & indeterminatum. Ad secundum verò se hẽt, vt in quo secundum tactum modum natum est ab intellectu percipi, non autem vt quod per ipsum vniuersale natum est vllo modo esse intellectus obiectum, quia nec natum est esse obiectum sensus, sed solùm est ratio in sensu interiori ad imaginandum, & phantasiãdum intra illud, quod est sensatum extra, nisi in somnis, vbi phantasmata apparent vice rerum, & hoc virtuti imaginatiuæ deceptæ, quæ credit ea esse res. & ex hoc in vigilia per memoriam recordantem visionum phantasmatum in somno, intellectus solùmmodo intelligit phantasmata, non alitet tamen, quàm particularia, & sic non sub ratione phantasmatum. Quia igitur nihil intelligitur à nobis primò sub ratione particularis, intellectus noster non intelligit primò particulare phantasma, sicut nec particulare extra. Si autem quasi linea reflexa secũdum Philosophum per vniuersale intelligit particulare, vt alibi exposuimus, non tamen particulare, quod est in phantasmate, sed particulare extra, cuius tàm intelligendo vniuersale, quàm particulare extra, ratio est ipsum particulare phantasma, sicut etiam imaginando particularia, non imaginamur particularia phantasmata, sed per rationes phãtasmatum particularia extra, à quarum sensatione retenta sunt phantasmata.

Comment. in Quæstionem XIII. quæ est,

Vtrum intellectus possibilis intelligat phantasmata.

TITVLVS ex præcedenti quæstione satis apparet, vt scilicet ꝙ sit intellectus possibilis, est. n. quo est omnia fieri.

In corpore distinguitur phantasma, quod aliud sit particulare, & aliud vniuersale. Et iuxta hæc duo membra habetur duplex conclusio.

Not. autem, ꝙ ex particularibus generatur phantasma, & est semper particulare, antequam per intellectum agentem vniuersalizetur. Particulare autem duplex est, derelictum, s. & est phantasma particulare, & particulare, ex quo obiectiuè extractum est.

Prima conclusio. Intellectus possibilis directè intelligit phantasmata vniuersalia.

Secunda conclusio de phantasmate particulari bipartitur, ita vt duplex sit. Vnde altera est. Intellectus possibilis intelligit phantasma particulare relictum in phantasia, non vt obiectum, sed vt ratio in sensu interiori ad imaginandum, & phantasiandum intra illud, quod est sensatum extra.

Altera conclusio est. Intellectus possibilis intelligit particulare extra reflexè, s. per vniuersale. Quia. s. directè nihil intelligit, nisi sub ratione vniuersalis, nihil autem sub ratione particularis.

Not. quod dum loquitur Auctor de intellectu possibili, profectò loquitur de intellectu humano, non de Angelico, in quo non est ponendus vniuocè intellectus possibilis. Vnde vanè recitat Scotus hoc, quod dicit Auctor in tertia conclusione, vt reprobet in secundo sententiarum distinctione tertia quæstione octaua. dicens ꝙ non est vera, nisi de intellectu imperfectò, non autem de Angelico. Ad quid. n. hoc dicere, si noster Auctor non loquitur de intellectu Angelico? Valeat ergo. Cętera sunt clara.

QVAESTIO XIIII.

Vtrum aliquis articulus fidei possit demonstrari.

Arg. prim. CIRCA tertium arguitur, ꝙ aliquis articulus fidei possit demonstrari, quia vnum Deum esse articulus fidei est, & tamen demõstratiuè probatur.

In oppos. Contra. demonstratio innititur lumini naturalis rationis, non autem notitia articuli fidei, ergo &c.

Opinio. Dicunt aliqui Richard. sensisse ꝙ fidei articuli probari possunt, quia dicit primo de Trinit. cap. 4. Erit itaque intentionis nostræ in hoc ὀpere ad ea, quæ credimus inquantum Dominus dederit non modò probabiles, verumetiam necessarias rationes adducere, & fidei nostræ documenta veritatis enodatione, & explanatione condire. Credo nanque sine dubio ad quorumlibet explanationẽ, quę necesse est, nõ modo probabilia, verumetiam necessaria argumenta non deesse, quàmuis illa interim contingat nostram industriam latere. & infra. Videtur autem impossibile esse necessaria esse, & necessaria ratione carere, sed non est cuiuslibet dicere huiusmodi rationes, & de profundo, & latebroso naturæ sinu elicere, &c. Sed intelligendum ꝙ secundum Philosophum in octauo Topic. duplex est disputatio, quędam ad rẽ, de qua aliquid quæritur absolutè, quædam verò ad positionem qñ quæritur aliquid aliquo supposito, & secundũ eius suppositionem arguitur ad quæsitum, & secundum hoc etiam diuersimodè docet respondẽtem simpliciter ad quæsita, & positionem sustinere, & respondere. Si primo modo quæstio proponatur de articulis fidei, nullum. s. credendorũ supponendo, sed veritatem omninò incognitam disputando quærendo, sic non solùm impossibile est probare aliquem articulorum fidei demonstratiuè, sed nec absolutè, sed dono gratiæ credere, quia sunt de illis, quæ in tantùm facultatem naturalis rationis excedunt, ꝙ contraria eorum per illa, quę videt in naturalibus probabiliora sunt ei, q̃ ipsa, vt patet inducendo in singulis. Propter quod ad intelligendum aliquid eorum, quæ sunt fidei, gradus nobis debet esse auctoritas, cui primò credamus in eis, quæ sunt fidei, & ex quibusdam creditis, & suppositis tanquàm veris, & necessarijs, & alijs naturali ratione cognitis coassumptis, demũ per hæc ad alia credita intelligenda potest homo ascendere, ita etiam ꝙ illa credita, quæ sunt principia intelligendi alia, quibusdam adiũctis possint esse conclusiones cognitæ, & intellectę ex alijs creditis, quibusdam alijs eis adiunctis, vt sic nullum maneat credibile, quin possit esse intelligibile. Propter quod dicitur Esa. 6. Nisi credideritis non intelligetis. Quod exponens dicit Richar. in principio de Trinit. In his verbis diligenter attendendum videtur, ꝙ horum intelligentia hac nobis auctoritate non generaliter, sed conditionaliter nobis neganda proponitur, cum dicitur. Nisi credideritis non intelligetis. Non ergo debent exercitatos sensus habentes de talium intelligentia comparanda desperare, dum tñ se sentiãt firmos in fide, & per omnia probatæ constantiæ in fidei assertione. Vnde quod supra dictum est secundum Richard. ꝙ in eis, quæ sunt fidei, non desunt necessariæ rationes intelligẽdum est, ꝙ aliqua sunt fidei, quæ æterna sunt, & absolutè necessaria, & impossibilia aliter se habere, vel habuisse, vt sunt omnia credẽda circa Trinitatem, & quæ pertinent ad interiora Deitatis, & de talib. dicit Richard. ꝙ impossibile est ea necessaria ratione carere, quod benè verum est, sed soli Deo cognita, & nulli pura naturali rõne inuestiganda absq; fidei suppositione. Alia verò sunt fidei, quæ æterna sunt, & necessaria non simpliciter, & absolutè, sed solùmmodo suppositis diuinæ voluntatis determinatione, vt sunt omnia, quæ pertinent ad sacramenta, & humanam redemptionem per Christum, quæ omnia aliter possibile fuit se habere, si Deo placuisset. Et ad ista non sunt necessaria argumenta etiam credibilibus suppositis, sed sunt probabilia ex congruentijs, & decentijs ex parte modi redemptionis, & nostræ iustificationis accepta. Ad cuius intellectum vlteriorem sciendum, ꝙ differunt circa idem credere, intelligere, & videre. Videre enim est oculo ad oculum mente conspicere spiritualiter, sicut conspicimus solẽ corporaliter, & sic beati vident omnia in diuina essentia. Non sic videri potest aliquid per intellectum extra visionem gloriosam in diuina essentia quacunq; alia cognitione, siue naturali, siue supernaturali. Intelligere aũt est verum aliquid cognoscere perspicuè per medium certius ex sensus cognitione in primis certificatum. quemadmodum cõclusiones intelligimus intellecto medio proprio notiori complexo, & applicato. Medium autem proprium complexum cognoscimus, & intelligimus per aliud medium notius, & sic deinceps, quousque deueniamus ad primum, quod inter prædicatũ, & subiectum nullum habet medium, quod intelligimus intelligendo terminorum definitiones per differentias illorum, quousque deueniatur ad prima incomplexa, quorũ cognitio non habetur nisi adminiculo sensus. Credere autem est veritati alicuius complexi propter auctoritatem propositis signis, & prodigijs cæterisque huiusmodi confirmatam voluntariè per intellectum adhærere. Vnde de articulis fidei dicit Richar. primo de Trinit. cap. 2. Nihil certius, nihil constantius tenemus, q̃ quod fide apprehendimus. Sunt nanque pluribus & cęlitus reuelata,

uelata,& tàm multis, & tàm magnis, tàm miris signis,& prodigijs diuinitus confirmata,vt genus videatur esse dementiæ in ijs, vel aliquantulum dubitare. Innumera itaque miracula, & alia,quæ nõ nisi diuinitus possunt fieri in huiusmodi nobis fidem faciunt,& dubitare non sinunt. Vtimur itaq; in eorum attestatione, siue etiam confirmatione signis pro argumentis, prodigijs pro experimẽtis. Verum est ad persuadendum voluntati, vt velit credere,non autem ad declarandum ratione veritatem eorum,quæ credenda sunt,vt propter eorum declarationem,& perspicuam veritatem credat,fidem.s.præueniendo. Aliter.n.meritum fidei euacuaretur,quia secundum Greg. Fides non habet meritum,cui humana ratio præbet experimẽtum, vt sic secundum August. non ex ratione credamus.s.quantum est ex parte intellectus, sed tamen nec sine ratione credamus. s. quantum est ex parte voluntatis. Et sic credere repugnat omni aperto intellectui veritatis,quia semper debet secum habere annexam obscuritatem, ne omninò clarescat veritas perspicua. Et sic repugnat, & apertę visioni,& intellectui, sed aliter,& aliter, visioni enim repugnat sic, vt simul omninò esse non possint fides & visio, videre & credere, quia implicarẽt contradictoria, nõ est enim fides sine obscuritate. Propter quod ratio nunquàm de crediti veritate inquantum creditum est. s. in vniuersali, possit perfectè esse assecurata, vt non possit hæsitare de contrario in particulari. visi aũt non patitur secum visi obscuritatem, sed plenè de seipsa veritas visa assecurat rationem, vt de se dubitare non possit. Quàmuis enim in visione eius plures sunt gradus in lympidius,& minus lympidè vidẽdo,in omnibus tñ est visio sine omni obscuritate impediẽte perfectam assecurationem prædictam. Credere autem repugnat intellectui præcedenti ex parte finis, quia vt dictum est secundum Greg. euacuaret meritum. Sed ex parte formæ,& naturæ veritatis credibilium nullo modo repugnat intellectui, quia sic non tàm repugnat intellectui præcedenti fidem, sed subsequẽti; sed propriè excedit præcedentem intellectum, quia ante fidem non potest haberi ratio,nisi per media purè naturalia, & suppositiones purè naturaliter cognitas, quæ nullo modo attingere possunt veritatem credibilium, quia supra naturalem cognitionem est. Intellectum verò subsequentem iuuat,& promouet.suppositis enim eis,quæ fidei sunt,& concurrentibus, quæ naturali ratione verè cognita sunt, quia veritas naturalium veritate supernaturaliũ nunquàm repugnat, sed potius via est, & adminiculum non ad fidem faciendum de illa, vt dictum est, sed fide suppositа ad ipsam perspicuam intellectui faciendam,& tantò magis perspicuam,quantò media ex naturali ratione adiuncta efficaciora sunt,& veritati fidei magis consona,& propinqua. Vnde sicut in cognitionem naturalium, & mathematicorum non statim habitis primis suppositionibus ascenditur ad intellectum vltimarum conclusionum, licèt virtute sint in ipsis suppositionibus,sed gradatim per media proximiora suppositionibus,quę principia sunt ad conclusiones priores,& deinde ad vlteriores,vtendo conclusionibus pro principijs respectu vltimorum,sic in cognitione credibilium non statim creditis articulis fidei præsumendum est posse ascendere ad illorum intellectum,nec media incõgrua, aut quia nimis alta sunt, aut quia absurda adiungere vel obscura, hoc enim faceret,aut resilire à fide,aut in ea dubitare, aut errare videntem se non posse ad intellectum attingere, & maximè si videret quenquàm Doctorum media absurda adiungere,quorum cõtraria naturali rõni sunt veriora, sed oportet gradatim ascendere,vt dictum est,media congrua rationi naturali cognita adiungendo. Propter quod dicit Richar. 1.de Trin. cap.3. Ad eorum itaque notitiam,de quibus rectè dicitur nobis: Nisi credideritis nõ intelligetis, oportet quidẽ per fidem introire,nec tamen in ipso statim introitu subsistere,sed ad interiora semper,& profundiora intelligentiæ properare,& cum studio, & summa diligentia insistere, vt ad eorum intelligentiam, quæ per fidem tenemus quotidianis incrementis proficere valeamus,& semper procedere. Quia intelligendo per media nunquàm ad perfectum intellectum possibilem est peruenire, quia non perficitur,nisi in tertio genere cognitionis, quæ appellatur visio, quia se veritas manifestat contentiua omnium veritatum. Propter quod continuò subdit Richar. In horum plena notitia, & perfecta intelligentia vita obtinetur æterna,citra quantuncunque proficiat intelligentia in notitia credibilium, semper tamen est fidei permixta, quæ habet obscura ęnigmata, quousq; euacuentur in visione aperta. Immò etiam ipsa naturalis intelligentia circa ea,quæ uaturaliter sunt intelligibilia,obscura est circa cognita sua respectu claritatis cognitionis, quam de ipsis eisdem habebit in visione aperta, vt quo ad hæc omnia etiam naturaliter cognita in vita ista sunt quędam credita in eo,ꝙ promittitur nobis eorum visio aperta,vt sic nunquàm intellectus citrà apertam visionem fidem euacuet, sed simul stant, & intellectus fidem certificat, & clarificat. Nec etiam propriè pro tantillo,quo clarificat euacuat, quia non est propriè fides eorum, quæ non intelliguntur inquantum non intelliguntur, vt fidei obscuritas intelligatur respectu claritatis intellectionis, sed eorum, quæ non videntur inquantum non videntur, vt eius obscuritas intelligatur respectu claritatis visionis. Vnde quantuncunque credita clarè intelliguntur citrà visionem, nihil melius est fidei, quàm prius in sciente, sed solùm certior est in fide, quam certitudinem meretur fides, dicente August. 83. q. q. 68. Non antequàm credãt diuina datur nosse cupientibus. Merces enim cognitionis meritis redditur, credendo autem meritum comparatur. Et ista certitudo

iam

iam habita cum fide est principium amplius merẽ di, q̃ sine illa. Se habent aũt illa tria, credere, intelligere, & videre, quẽadmodũ si de aliqua eclipsi iã instante dicat aliquis nõ videnti illam, quia iam Luna eclipsat, si presumat de veritate dicentis, statim credit, qđ non videt pre oculis, nec intelligit, quia p concursus motuum cœlestium non scit, ꝙ in tali instãti de necessitate debeat Luna eclipsari. Ille verò, qui hoc nouit, isto modo Lunam intelligit iam eclipsati, sciendo eclipsim aliq̃ esse in singulari vago, & ita in vniuersali: non aũt in singulari signato nisi oculis suis videat illam particularia eius comprehendendo, vt dictum est supra secundum Auic. Ille verò, qui illam videt, certissimum intellectum habet de hac eclipsi, vt particularis est signata, de qua Astrologus nõ hẽt nisi fidem, siue opinionem, q̃q̃ de ea in vniuersali, & in particulari vago habeat demonstrationem, ita ꝙ est certa demonstratio de vniuersali, & particulari vago, & fides siue opinio de particulari signato simul stant absq; visione corporali in particulari signato. Sed cum est talis visio, de eodem euacuatur fides precedens, siue opinio, nec simul esse põt, ita ꝙ quantũcunq; fortificetur de modo, nunq̃ fides euacuatur quousq; adueniat visio. Et sic p oẽm eundem modum est in proposito: fides.n. nostra de particularib. est, vel quasi particularibus indeterminatis nobis in vita ista, vt ꝙ aliq̃s vnus homo est Christus, aliqua vna fœmina est Maria mater eius, aliqua natura singularis est Deitas, sed nihil determinatum vel in re, vel nobis fide pcipimus, sed hoc in visione expectamus, & de illo signato, qđ tunc videbimus propriè fides est. Quod quia nunc fide nõ cognouimus nisi indeterminatè, in hoc consistit fidei ænigma, quę euacuatur si nobis huiusmodi particulare determinetur, dicẽte Augu. 8. de Trini. cap. 5. Cauendum est, ne credẽs animus id, quod non videt, fingat sibi aliquid quod nõ est, & speret, & diligat quod falsum est, ꝙ si sic, nõ erit charitas de puro corde, & conscientia bona, & fide non ficta. Necesse est aũt cum aliqua corporalia lecta, vel audita, quę nõ vidimus credimus, fingat sibi aliq̃d animus in lineamẽtis, formisq; corporum, qđ aut verum non sit, aut ẽt si verum est, quod rarissimè põt accidere. Non hoc tñ vt fide teneamus quicquã prodest, sed ad aliud aliquid vtile, quod p hoc insinuatur. Nam ipsius facies dominicę carnis innumerabilium cogitationum diuersitate variatur, & fingitur. Quæ tñ vna erat quęcunq; erat. Neq; in fide nostra, q̃ de Dño Iesu Christo habemus, illud salubre est, qđ sibi animus fingit longè fortasse aliter, q̃ res habet, sed illud, quod sm̃ speciẽ de homine illo. s. cogitamus, & tñ firmissimè credimus, qa sm̃ speciẽ generalemq́; notitiam, quę certa nobis est, cogitamus. Quamobrẽ quoniam trinitatis æternitatem, æqualitatẽ, & vnitatem quantum dat intelligere cupimus, vigilandum nobis est, ne ficta sit fides nostra, & infra. Cum ergo dicimus, & credimus esse trinitatẽ, nouimus quid sit trinitas. q̃ nouimus quid sit tria, sed nõ hoc diligimus, sed ꝙ trinitas Deus. Sed Deum nullum alium vidimus, aut nouimus, quia vnus est solus Deus, quẽ non vidimus, & credẽdo diligimus. Sed ex qua rerum notarum similitudine, vel cõparatione credamus, ꝙ ẽt nondum notum diligimus, &c. qđ prolixè prosequitur, & de hoc alibi sufficienter locuti sumus. Quare igitur fides prima, & intellectus benè stant simul, & quæcunq; naturaliter cognoscimus congruunt, & supernaturalib, & creditis, si esset, qui ea applicare sciret, vt oportet. Vera aũtem certissimè cognita coniuncta alijs licet nõ ita clarè cognitis, de alijs vlteriorib. minus clarè cognitis sm̃ se clariorem facere possunt cognitionẽ, vt si maior nota sit syllogismo demonstratiuo, & minor topico, certius scit conclusio, q̃ si maior esset solùmmodo cognita syllogismo topico, quia tũc posset negari maior, & per hoc similiter conclusio: non autẽ qm̃ maior nota est syllogismo demõstratiuo. Ex eis ergo, q̃ post fidem acceptam habẽtur ex naturalibus cognita per acquisitionẽ siue ante fidem, siue post cum alijs, quę sũt fidei accepta, aut eis suppositis, possũt certiori cognitione intelligi ea, quę sunt posteriora credibilia, q̃ sine illis sint cognita sola fide, & sic semper procedendo, & cognitione vera intellectiua ea, quę sunt fidei certius, & certius intelligendo. Sed non oĩum est ordine cõgruo applicationẽ talium mediorum facere, dicẽte Richard. 1. de Trin. c. 4. Vĩ omninò impossibile necessaria esse, & necessaria rõne carere. Sed est certius &c. vt habitũ est iam. Sic ergo patet qũo articuli fidei probari possunt veridica ratione generãte verum intellectum, & scientiã de ipsis, quod appellamus demonstrationem: hoc tñ non nisi fide supposita.

Ad primum, ꝙ Deũ esse est fidei articulus, & põt probari ẽt absq; fide: Dicẽdum, ꝙ Deum esse absolutè nõ est fidei articulus, nec est credibile fidei simpliciter, licèt alicui sit credibile, quia intellectus eius non excedit naturalẽ rõnem: põt.n. ad hoc esse rõ naturalis, q̃ nouerũt Philosophi absq; fide sm̃ quod de probatione huius alibi determinauimus, sed solũ est fidei articulus cũ determinatione. s. ꝙ est reparator humani generis, & glorificator, & huiusmodi, quæ naturali ratione nisi fide suppositа probari non possunt.

Ad sm̃, ꝙ articuli fidei non innituntur nisi lumini supranaturali, & demonstratio non innititur nisi lumini rationis naturalis: Dicendum, quòd articuli fidei considerantur vno modo, vt credibilia solum, & sic non innituntur nisi lumini supernaturali, & quo ad hoc non possunt demonstrari, quia illa est præuia fidem faciens, vt non credita credantur, aut intelligantur. Alio modo possunt considerari, vt intelligibilia postquàm sunt credita, & sic non tam innituntur lumini supernaturali, quàm naturali, & sic vt dictum est demonstrari possunt.

Comment. in Quæstionem XIIII. quæ est,

Vtrum aliquis articulus fidei possit demonstrari.

IN titulo nota quid sit articulus fidei ex Gab. Biel. lib. 3 dist. 24 quæst. vnic. Quòd nempè est veritas reuelata in se, vel in suo antecedente, pertinens ad religionem, quo fit vt omnis veritas credenda dicenda sit articulus fidei. Et articuli non sunt de quacunque veritate credenda, sed de summa veritate, sed & propriè antecedentia non cadunt sub articulo, tametsi ea credere oporteat.
In corpore distinguitur præsertim de demonstratione, & deinde satisfit quæsito, & potest totum sic ordinari.

Demonstratio est vel.

Nihil supponens creditum, sed tantùm procedit naturali lumine

Conclusio negatiua, scilicet Demonstrari articulus non potest demonstratione nihil creditum supponente

Supponit aliquid creditum

Conclusio affirmatiua scilicet Demonstrari potest demonstratione supponente aliquid creditum.

Prima conclusio probatur. Articuli fidei sunt de his, quæ suprà naturalia sunt, excedentia facultatem naturalis rationes, sed demonstratio nihil creditum supponens procedit lumine naturalis facultatis, & rationis; ergo ea non attingit &c.
Præterea ex Gregorio, non esset vllum meritum, si humana ratio præberet experimentum.
Secunda conclusio sub distinctione declaratur. Aut per demonstrationem intelligimus rationem maiorem certitudinem inducentem circa articulum fidei, quàm habeatur per fidem, aut rationem intelligentiam, & clariorem notitiam de articulo illo parientem, quàm habeatur per fidem. Nunc autem conclusio non intelligitur de demonstratione inducente certitudinem maiorem, quia non potest haberi maior certitudo in via de articulis fidei, quam ea, quæ habetur per fidē, & reuelationem, sed intelligitur de illa, quæ inducit clariorem intelligentiam, Et de hac probatur conclusio hoc pacto, si non potest hac demonstratione demonstrari id, quod creditur, profectò est, quia euacuatur fides ex ipsa demonstratione, sed non euacuatur fides per clariorem intelligentiam eorum, quæ sunt fidei; igitur &c. Minor probatur; cum enim vltra lumen fidei sit lumen naturalis intelligentiæ, & lumen visionis gloriæ, solum lumen visionis gloriosæ euacuat fidem, non autem naturalis intelligentiæ, quia naturalis intelligentia non repugnat supranaturali.
Patet etiam hoc, quia si maior intelligentia, quæ lumine naturali habetur de articulis fidei, euacuaret fidem, profectò doctiores inter Christianos, vt sacri Theologi, vel non haberent fidem, vel profectò minorem, quàm idiotæ.
Inducuntur autem & plura ad vtranque conclusionem Augustini, Gregorij, atque Richardi, quæ in litera legi possunt.
Not. in primis Scotum tertio Sententiarum distinct. 24 quæst. vnic. multa notare ex Doctore nostro, quæ & impugnare conatur. Verum & si omnia pertinentia sint ad hoc negotium, non tamen ea notat omnia ex hoc loco, sed partim ex hac quidem quæstione, partim verò ex quæstione secunda duodecimi Quodlib. vnde non omnia eius hoc loco sunt argumenta recitanda, sed tantùm ea, quæ aduersus dicta in hac quæstione cognoscuntur.
Arguit igitur primò contra illud, vbi dicitur in hac quæstione. Quòd demonstratio pariens intelligentiam, quæ & vocatur intelligentiæ lumen, possit stare cum lumine fidei. Et ait. Hoc videtur falsum, quòd stent simul, quia lumen illud non facit cognitionem intuitiuam, sed abstractiuam de credibilibus, & tunc tota scientia geometriæ posset ab aliquo haberi simul cum fide. Ponè enim quòd aliquis sciens geometriam exprimat alicui ignoranti conclusiones geometriæ, scilicet quòd omnis triangulus habet &c. Ille præsumens de scientia, & veritate experimentis credit ei, habet igitur fidem quòd triangulus habet &c. Ponatur vltra, quòd ille sciens geometriam doceat eum, cognitione abstractiua, demonstrando sibi conclusiones, quas prius credidit, tunc ille simul habebit scientiam abstractiuam de conclusionibus geometriæ, & fidem, si verum dicit, quòd cognitio abstractiua non euacuat fidem.
Secundò, scientia, & opinio non simul stant de eodem, igitur nec fides, & scientia.
Hæc tantùm in præsentia adnotare volumus, reseruantes cætera ad quæst. 12. Quolibet. secundam, sed antequàm hæc ipsa soluamus.
Not. quod etiam videtur contra hoc D. Thomas, in 2.2. quæst. 1. art. 5. vbi expressè docet, quòd cum demonstratio, quæ est syllogismus generans scientiam, debeat esse ex principijs per se notis, profectò erit ex visis, & sic conclusiones articulorum erunt sciæ, ac visæ consequenter, quod profectò non est dicendum, sed huiusmodi dubitationibus non est difficilè respondere absque alia adnotatione, vt ad primam Scoti dicamus; quòd si demonstratio, qua vteretur Geometra, vt manifestaret docendo omnem triangulum habere tres, esset absoluta demonstratio, non quidem ex credito aliquo supposito, sed euidenti, & notiori per se, euacuaretur fides, quam habebat discipulus ille; at si vteretur demonstratione ex suppositione, nempè supponente fidem aliquam circa illud negotium, nequaquàm euacuaretur fides in illo, sic in proposito iam patuit per primam conclusionem, quod non loquimur de demonstratione absoluta, quæ nihil fidei supponit, sed de illa, quæ supponit fidem, & ideò licèt inducat clariorem notitiam, tamen fides ipsa non euacuatur.
Ad secundum dicimus, quod scientia proueniens à demonstratione absoluta stare non potest simul cum fide de eodem, sed scientia proueniens à demonstratione ex suppositione fidei, de qua modo sermo est, benè quidem stat, & stare potest cum ipsa fide.
Ad illud, quod de D. Thoma adducitur, respondetur, quòd ut manifestissimè patet, loquitur de demonstratione absolutè quæ certitudinem rei apertam affert, non autem loquitur de demonstratione ex suppositione fidei, sicuti nos.

QVAESTIO XV.

Vtrum appetitus rationalis distinguatur, vel possit distingui in irrascibilem, & concupiscibilem.

Arg. prin. CIRCA quartum arguitur, ꝙ appetitus rationalis distinguatur penes irrascibilem, & concupiscibilem.

Primum. Primò sic. dicitur de spiritu, & anima, ꝙ anima per concupiscibilitatem appetit, per irrascibilitatem contemnit, per rationalitatem inter utrunque discernit, & sequitur Has potentias habet antequàm corpori misceatur, naturales siquidem sunt ei. sed non separatur, nisi secundum ꝙ est rationalis, ergo &c.

Secundum Secundò sic. appetitus rationalis est circa bonũ simpliciter, sicut appetitus sensibilis est circa bonum, ut nunc, qui quidem appetitus sensibilis diuiditur in concupiscibile propter bonum, ut nunc, secundum quod potest habere rationem delectabilis, & ardui. sicut autem bonum, ut nunc potest diuidi in bonum delectabile, & arduum, sic & bonum simpliciter. quare si propter illud appetitus sensibilis diuiditur in concupiscibilem, & irrascibilem, similiter, & appetitus rationalis.

In opposit. In contrarium est Philosophus, qui uult quòd pertinent ad rationale per participationem, quod non est, nisi uis irrationalis.

Opinio. Dicunt aliqui, ꝙ appetitus rationalis, qui dicitur voluntas, ordinatur ad communem rationem boni, quia non respicit in esse bonum aliquã differentiam temporis in qua æstimatur esse bonum, etsi aliàs non æstimaretur esse bonum, quemadmodum huiusmodi differentiam temporis respicit in bono, vt nunc appetitus sensitiuus, propter quòd dicitur esse boni, vt nunc. Talis autem non distinguitur per diuersas potentias secundum distinctionem specierum, & modorum boni simpliciter, quemadmodum visus, quia est coloris simpliciter, non diuersificatur per potentias diuersas in sentiendo album, & nigrum, quæ sunt diuersæ species coloris. Et ideo secundum nullas differentias circa bonum simpliciter distingui potest appetitus rationalis. quare cum necessariò sint diuersæ differentiæ boni circa quas sunt irrascibile, & concupiscibile, non possunt esse differentiæ appetitus rationalis.

Contra opi. Sed videtur mihi, ꝙ ratio ista potius concludit ꝙ non debent esse omninò aliquæ aliæ potentiæ animæ circa bonum, quàm appetitus rationalis, ex quo est circa bonum simpliciter, ita ꝙ nullo modo irrascibile, & concupiscibile debeant dici partes appetitus. Appetitus enim, qui est boni simpliciter etiam est boni, vt nunc. aliter enim ex deliberatione non prosequeretur ipsum. Et iterum sicut appetitus rationalis est circa bonum vniuersale simpliciter, ita ꝙ circa omne bonum, quod potest habere rationem boni vniuersalis intelligibilis, sic appetitus sensibilis, siue irrationalis est circa bonũ particulare simpliciter, ita ꝙ circa omne bonum, quod potest habere rationẽ boni particularis sensibilis. ergo si id quod est circa rationem aliquam simpliciter, non debet diuidi per partes, sicut ergo non diuiditur per partes in appetitu intellectiuo circa bonum vniuersale simpliciter, similiter neq; in appetitu sensibili diuidetur circa bonum particulare simpliciter per partes, vt penes irrascibile, & concupiscibile. Immò qua rõne debet ille manere vnicus, & indiuisus, eadem & iste. Propter illam ergo rationem non debet negari appetitus rationalis diuidi in irrascibilem, & concupiscibilem. Præterea cum appetitus sensibilis diuiditur in concupiscibilem, & irrascibilem, istud non est penes diuersitatem boni sensibilis obiecti. non est enim aliud bonum obiectum concupiscibilis, & irrascibilis, sed vnum & idem penitus, differens solùm penes diuersas rationes, & conditiones obiecti. bonum enim quod est obiectum concupiscibilis, vt placitum, & delectabile, idipsum est obiectum irrascibilis, vt arduum, & appretiabile. Propter quod sicut concupiscibilis in illud mouetur, vt ipsum apprehendat, & in eo quiescat, sic irrascibilis in idem mouetur, vt ipsum defendendo custodiat, ne quies concupiscibilis circa ipsum disturbetur. Quàmuis ergo appetitus intellectiuus eo ꝙ est circa communem rationem boni, siue circa bonum vniuersale simpliciter, non distinguatur per diuersas potentias secundum distinctionem specierum, & modorum boni simpliciter, quemadmodum visus, quia est circa colorem simpliciter, non distinguitur in diuersas potentias secundum diuersas species coloris, quia nec secundum hunc modum distinguitur appetitus sensibilis secundũ diuersas potentias, secundum diuersas species, & modos boni, vt nunc, vt iam dictum est, benè tamẽ potest distingui appetitus intellectualis, circa communem rationem boni existente vtroque distinctorum, penes diuersas rationes & conditiones boni eiusdem omninò. Quia cum hoc ꝙ accipitur semper sub vna, & eadem ratione communis, vt cõmune est, potest habere rationes distinctas penes placitum siue delectabile, & penes arduum & appretiabile, & hoc indifferenter circa bonum vniuersale intelligibile, & circa bonum particulare sensibile. Propter quod non minus penes huiusmodi differentias circa bonum vniuersale intelligibile põt diuidi appetitus intellectualis in concupiscibilẽ, & irrascibilem. q̃ appetitus sensitiuus circa bonum sensibile particulare, & hoc inquãtum vterque appetitus motiuus est. Sed inquanta

appetitus

appetitus ſenſitiuus eſt paſſiuus, non ſic autem intellectiuus, multo plus differunt inter ſe concupiſcibile, & iraſcibile ſenſitiui, quàm cuncupiſcibile & iraſcibile intellectui, vt iam declarabitur.

Vt autem videamus, an ſic diuidi debeat appetitus rationalis, videndum eſt rationem, & modũ diſtinguendi potentias animæ. Eſt igitur ſciẽdum ſecundum iam dicta, quòd cum potentiæ diſtinguantur per obiecta, hoc non intelligitur ſecundũ diuerſitatem in eſſentia obiectorum: ſic enim non eſſet intellectus vna potẽtia reſpectu omnium intelligibium. Sed hoc ſolùm eſt generale in virtutibus paſſiuis, quòd ſecundũ diuerſitatem obiectorum, à quibus diuerſimodè patiuntur, & hoc inq̃tum diuerſimodè ab eis patiuntur, ſunt diuerſę potentiæ, ita quòd quantuncunq; ſunt diuerſa obiecta, dum tamen vniformiter, & eſſentialiter eandẽ rationem paſſionis inferunt, eis reſpondet vna virtus paſſiua, vt vnus intellectus omni intelligibili, & vnus viſus omni viſibili. Color autẽ & ſonus, quia diuerſimodè immutant, & inferunt ſenſui paſſiones, propter hoc oportet eſſe diuerſos ſenſus reſpectu illorum. Et ſecundum hoc Philoſophus in ſecundo de Anima probat numerum ſenſuum ſecũdum numerum ſenſibilium. Sed intellectus nõ numeratur per potentias, aut vires ſecundum aliquã diuerſitatem intelligibilium, quoniam idẽ eſt modus mouẽdi intellectum à quocunq; intelligibili. Dico eſſentialiter quãtum eſt ex parte intellectus, licèt ſecundum aliquam diuerſitatem accidentalẽ ex parte obiectorum, quemadmodum differũt intellectualis intelligentia, & memoria. Memoria.n. dicitur non tam ex conſeruatione habituũ cognitiuorum, q̃ ex ratione ſimplicis actus intelligẽdi, à quo formatur actus intelligẽdi declaratiuus verbi mentalis, vt alibi declarauimus. Et eſt eiuſdem potentiæ omninò moueri ad actum intelligendi vtroque modo, differens in nobis ſola ratione, ſicut & ſola ratione differt obiectum, & eiuſdẽ virtutis penitus eſt habitus in ſe cõſeruare, quibus faciliter educitur in actus, licet in ſenſu, alterius virtutis eſt ſpecies ſenſibiles conſeruare, vt memoriæ ſenſibilis, & alterius eis moueri, vt imaginatiuæ, quoniam virtutes illæ ſunt organicæ, & neceſſariò alia diſpoſitione organi virtus retinet ſpecies, & immutatur ab ipſis. Propter quod alia eſt vis memoratiua, & imaginatiua, non ſic memoria, & intelligentia, quia & retentio & immutatio fiunt abſque organo, & virtus ſeparata nata eſt reflecti ſuper ſuum actum, & ſuper ſe, & ſuper id, qd eſt in ſe, non ſic virtus organica. Item in intelligentia etiam accidentaliter differunt ſcientificum, & ratiocinatiuum in hoc ſcilicet. quòd dicitur ſcientificum inquantum principium intelligentiæ mouet ex ſe abſolutè, ratiocinatiuum inquantum principiarum intelligentiæ mouet ex eo, quòd principium mouet prius. Et non differunt niſi ſicut moueri abſolutè, & moueri vno motu ſub comparatione ad moueri alio motu.

Similiter generale eſt in omnib. virtutibus actiuis, quòd ſecundum diuerſitatem modorum agendi circa obiecta diuerſificantur, ita quòd quantũcunque ſint obiecta diuerſa, & idem eſt modus agendi circa ea, eadem eſt virtus, ſiue potentia, ſecundum quod propterea appetitus ſenſitiuus diſtinguitur ab intellectiuo, non quia ille circa bonum particulare, iſte verò circa bonum vniuerſale, ſed quia ad particulare bonum, quòd eſt ſenſibile bonum, mouetur appetitus ſenſibilis, inquantum eſt ſenſibile bonum, non inquantum eſt bonum ſimpliciter, & hoc non niſi vt motus à tali bono.

Ad vniuerſale autem bonũ mouetur appetitus rationalis inquãtum eſt bonum ſimpliciter, & hoc abſque eo, quòd moueatur ab ipſo. Vnde appetibile ſenſibile eſt mouens non motum. Appetitus autem ſenſitiuus eſt mouens motum, vt dicitur tertio de anima. Appetitus verò rationalis eſt mouens non motum omninò. Propter quod neceſſariò ſunt diuerſæ potentiæ appetitus ſenſitiuus, & rationalis. Vlterius ſicut ſunt diuerſæ potentiæ quia ſecundum diuerſos modos generales, diuerſimodè mouentur circa ſua obiecta. Nunc autem ita eſt, quòd potentia actiua, & motiua ſui ipſius circa bonum primo & per ſe eſt motiua, & prima intentione ſui ipſius in bonum, & commodum, vt in eo delectetur.

Et quia contrariorum eadem eſt potentia, ſecundariò, & ſecunda intentione eſt motiua ſui ipſius in malum, & incommodum, ne ab eo contriſtetur. Sed quia nihil natum eſt proſequi conueniens propter delectationem, & fugere diſconueniens propter cõtriſtationem, quod non habet aliquid quod natum eſt ipſum cuſtodire, vt pacificè in bono habito delectetur defendendo ipſum contra nitentia auferre delectabile, & inferre triſtabile, aut volentia in delectatione circa bonum ipſum diſturbare, & ſimiliter quod natum eſt ipſum in expectando fouere, & amouere impedientia, ne bonum non habitum, circa quod delectandum eſt conſequatur, quemadmodum natura in aliquibus non poſuit membra, quibus in ſuo conuenienti habent delectari, & diſconuenientia fugere, ſed etiam membra ſicut arma, quibus impedientibus in bono delectari habent, rebellare.

Primum fit in vi appetitiua per vim concupiſcibilem, ſecundum per vim iraſcibilem.

Quare cum tam in appetitu rationali, quàm ſenſitiuo neceſſe eſt ponere vim aliquam delectantem in bono, & conuenienti, & mouentem ſe in illud, & fugientem cõtrarium, ſine hoc enim nullus eſt appetitus, & hæc eſt vis concupiſcibilis: neceſſarium eſt ergo vtrobique virtutem concupiſcibilem ponere, aut ille, qui poſitus eſt eſſe appetitus, non eſt omninò appetitus, ita quòd impoſſibile ſit ponere virtutem aliquam appetitiuam bonì, quantuncunq; in communi, ſiue quantunci

in par

in particulari: dum tamen sit appetitiua boni, qđ est aliud à se propter se, & suum commodũ, quin sit desideratiua, & concupiscitiua illius. Propter quod cum omne aliud à Deo appetens appetitu cognitiuo, vt etiam Angelus appetitu suo intellectuali appetat bonum aliud à se: idcirco in omnibus alijs à Deo, etiam in Angelis, necesse est ponere vim concupiscibilem, aut non esset in eis voluntas omninò. In solo autẽ Deo est voluntas simpliciter in volendo seipsum, & nihil aliud nisi volendo se, sicut & nihil aliud à se scit nisi in sciendo se. Nullo autem modo vis concupiscibilis, quia nihil aliud à se concupiscit, neque agit per concupiscentiã aliquid extra se, dicente Auic. 8. Metaph. Volũtas eius est, quę est expers imperfectionis, & immunis à desiderio, & infra. Volitum primi non est secundum volitum nostrum, ita vt in eo, quod est ex eo, sit ei intentio. Si autem in omni appetitu necesse est ponere vim concupiscibilẽ: ergo secundum iam dicta, & vim irascibilem defensiuã eius. Quæ in hoc ex parte obiecti differunt, quòd cõcupiscibilis dicitur esse circa bonum, vt est delectabile, quia semper appetit in ipso bono delectari. Irascibilis verò dicitur esse circa bonum arduum, quia appetit in ipso superare omnia contraria. Est enim irascibilis vindex cõcupiscibilis. Vnde secundum Auic. in fine 8. Metaph. Perfectio, & finis iræ vindicta est, vt secundum hoc concupiscibilis sit ipsa principalis potẽtia, & irascibilis sit quædam vis in ipsa, & ex seipsa orta, quia enim concupiscibilis amore appetit inhærere delectabili, qđ potest amittere, ideò necessariò ei est timor amittendi, vel conturbationis circa ipsum annexus. Secundum enim Augustinum. 83. q. q. 33. prorsus nullo modo metuit quisquis nihil aliud amat, pp quod necessariò sibi habet vim coniunctam, cuius est timorẽ repellere, quasi famulantẽ sibi in hoc. Vnde sicut in parte sensitiua passiones irascibilis oriuntur à passionibus concupiscibilis, & terminantur in eis: irascuntur enim animalia cũ disturbantur à delectatione in concupiscibili, & cessat eorum ira cum quiescũt in ea, propter quod dicit Philosophus in lib. de animalibus, ꝙ propter tria in quibus solent delectari pugnant animalia, scilicet propter escam, propter coitum, & pp nidum. Sic & omnes actiones irascibilis oriũtur ex actionibus concupiscibilis, & in ipsas terminantur tàm ex parte intellectiuæ, quàm ex parte sensitiuæ. Et sic sicut in sensitiua necesse est ponere appetitũ alium, quàm intellectiuum, & intellectiuum aliũ, quàm sensitiuum, ita quòd in homine oporteat ponere vtrunque appetitum, & hoc quia diuersimodè mouet appetitus intellectiuus ad vniuersale bonum, & sensitiuus ad bonum particulare, in eo. s. quòd appetitus sensitiuus non mouet nisi motus à sensato, quod non solum ingerit organo sentiẽdi passionem corporalem sensibilem, vt sentiatur, sed etiam organo appetẽdi vt appetatur, vel prosequutiuè, vel fuga, & hoc diuersimodè & in diuersis organis secundum motuum diuersitatem. Appetitus verò intellectiuus, quia non est organicus mouet se non prius motus ab alio, vt habitũ est supra. Et hoc, quia ad bonum vniuersale secundum quod bonum mouetur quod est separatum, & ipse similiter est separatus, non virtus organica, & ideo perfectum liberum arbitrium habens. Quod autem mouet motum, de necessitate mouet postquã fuerit motum. Ex quo patet qualiter magis differunt concupiscibile, & irascibile in sensitiuo, quàm in intellectiuo: hoc enim cõtingit, quia sensitiua virtus mouet mota. Ita ꝙ licèt quãtum est ex modo agendi, & mouendi non plus differũt concupiscibile, & irascibile in sensitiuo, quàm in intellectiuo, quia tamen sunt organicę, & diuersimodè patiuntur, & mouentur ab obiecto prius, qꝫ moueant, ex hoc specialem differentiam habent in sensitiuo, quam non habent in intellectiuo, vt in sensitiuo propriè dicantur potentię ratione diuersorum: in intellectiuo verò concupiscibilis est potentia principalis: irascibilis autem, vt dictum est, quædam vis eius. Ita quòd voluntas non est tertia potentia ab istis duabus, sed continens in se istas & contenta in eis, sicut nec tertia potentia appetitiua est communis in sensitiuo concupiscibili, & irascibili, quæ etiam respectu suorum actuum se habent sicut potẽtia principalis, & vis in ipsa, qualiter etiam propter eandem rationem, vt dictũ est qua necesse est ponere concupiscibile, & irascibile in appetitu sensitiuo, & in intellectiuo, nõ obstante, ꝙ respicit bonum commune, sic bonum sub communi ratione boni. Non minus enim ipsa appetitiua vis conturbari, aut impediri põt circa suũ bonum, quàm sensitiua circa suum. Vnde sicut appetitus sensibilis verè dicitur irascibilis in appetendo impugnare malum ex impetu passionis, sic appetitus intellectiuus verè dicitur irascibilis in appetẽdo impugnare malum ex iudicio rationis, vel ex determinatione liberæ electionis. Et sicut similiter appetitus sensibilis propriè dicitur concupiscibilis in concupiscendo delectari in bono ex impetu passionis, sic appetitus intellectiuus propriè dicitur concupiscibilis in appetendo adhærere bono ex iudicio rationis, vel ex determinatione liberæ electionis, vt in intellectiuo concupiscibili ponamus charitatem, & amorem, in irascibili spem. Et per hoc voluntas concupiscit talia bona, ad quę non possit moueri per appetitum sensitiuum, nec consequi ipsum, vt sapientiam, virtutes, & cætera huiusmodi. Et similiter irascitur contra talia mala, contra quæ nõ posset sufficienter moueri per irascibilem sensitiuam, vt cõtra vitia, ita etiam quòd etsi odium vitiorum pertineret ad concupiscibilẽ rationalem: propter tamen eorum impugnationẽ necessaria est ei vis irascibilis exequens impugnationis actum. Quòd autem isti duo appetitus sunt in intellectiua parte, etiam experientia docet. Nam sæpè concupiscibili, & voluntate rationali volẽte quiescere in delectatione contemplatio-

nis circa

nis circa bona gratiæ & gloriæ, insurgit per odium ad impugnandum actionem aliorum vitiosam, & disturbat quietem concupiscibilis contra eius inclinationem, quod non posset esse si ad vnam simplicem rõnem mouendi, aut appetẽdi pertineret. Vnde & sicut in sensitiua, sic & in intellectiua concupiscentia intensa mitigat irascibilẽ, & à suo proposito reuocat sæpius, & è conuerso, licèt in appetitu frequenter concordet, quia irascibilis non est vt dictum est, nisi propugnatrix, & defensatrix cõcupiscilis. Quod aũt differunt, vt sunt in intellectiua parte, & sensitiua, ex hoc patet, quia secundum φ dicit Philosophus in 3. de anima multotiens intellectus non iubet timere, ita φ nec irascibilis, & intelligibilis mouet, sed passione quadam timoris cor mouetur, & sensitiua irascibilis nititur se ad fugam mouere. Et è contra præcipiente intellectu, & ducente fugere aliquid, aut prosequi, non mouetur, sed ſm̃ concupiscentiam sensitiuam agit, vt patet in continente, quia non est scientiæ agere ſm̃ scientiam, sed appetitus intellectiui. Vnde neque appetitus sensitiuus dñs est huiusmodi motus, nisi velit consentire appetitus intellectualis. Potest ſm̃ contraire, & tenere appetitum sensitiuum. Abstinentes enim & concupiscentes concupiscentia sensitiua non operantur ea quorum habent appetitũ, sed per appetitum intellectualem sequuntur intellectum. Intellectus. n. non mouet sine appetitu. Voluntas enim appetitus est. Et accidit contrarietas in istis appetitibus propter aliam rationem boni appetibilis mouentis, quia vt dicit ibidem, Intellectus propter futurum retrahere iubet. Concupiscentia aũt propter ipsum iam. propter quod vincit aliquando deliberationem. Intellectualis tamen appetitus superior est, & principalior; & semper vincit appetitum inferiorem cum vult.

Ad primũ principale Ad primum dicendum concedendo, φ non solùm in intellectiua parte sunt concupiscibile, & irascibile, quia naturaliter sunt in substãtia animæ rationalis, & hoc naturaliter anteq̃ corpori misceatur: Sic enim insunt ei, & vires sentiuę, vt habetur in eodem libro, sed quia aliter insunt sensitiuę, & manent in ea separata, aliter intellectiuæ, quia illę in anima separata manent solùm sicut in radice, sed intellectiuæ manent etiam in suo effectu, quod intellexit illa auctoritas. Secundum simpliciter concedendum est.

Ad argu. In oppoſit. Ad tertium in oppositum de Philosopho, φ irascibile, & concupiscibile pertinẽt ad rationale per participationem, potest dici secundum φ alibi declarauimus, φ ẽt appetitus intellectualis ſm̃ ipsum dicitur rationale per participationem. Vel potest dici φ aliam ſniam de libertate arbitrij in voluntate debãt tenere Catholici, q̃ tenuit Philosophus. Ipse enim posuit φ voluntas non esset liberi arbitrij, nih ante rõnis determinationem, & iudicium, siue ſniam, aut dictamen. & hoc respectu intellectus, seu rõnis quia. ſ. potest intellectũ mouere ad discernendũ, quid agendũ, & quid non agendum. Et ideò ipsa põt discernere, & nõ discernere, quare ẽt voluntas agere, quæ non agit, & non agere, q̃ agit. Sed post iudicium rõnis posuit voluntarem de necessitate sequi iudicium rõnis, non coactionis, sed immutabilitatis cuiusdam quasi pondus quoddam, quemadmodum ẽt & appetitus sensitiuus necessariò sequitur motum à sensato. Et ideò dixit in 3. de anima. Cum secundum rõnem mouetur, & ſm̃ voluntatem mouetur. Appetitus aũt sensibilis mouet præter rõnem. Qm̃ aũt appetitus sunt cõtrarij adinuicem, sensibilis. ſ. & intellectualis, hoc accidit cum rõ, & concupiscentiæ sensitiuæ contrariæ sunt, quasi appetitus voluntatis nullo modo possit esse contrarius rõni. Vnde subdit. Vtrum. n. agat hoc, aut hoc iam rõnis opus est, & necesse est vno. ſ. intellectu mẽsurari quid potius. ſ. agendum est. Maius. n. & melius, siue põtius agendum ſm̃ iudicium rõnis sequitur volũtas. Propter qđ nullam dr̃iam in motus executione ad prosequendum vel fugiendum per concupiscibilem, vel ad impugnandum, aut defendendum per irascibilem põt Philosophus ponere ex parte voluntatis, qm̃ harum viriũ dr̃ia solùmmodo consistit in operis diuersa, & diuersimodè executione. Nos aũt qui ponimus, φ voluntas manet libera ẽt post intellectus, vel rõnis determinationem, ad opus. ſ. exequendum, vel non exequendũ, & ad assequendum diuersimodè in fugiendo, & prosequendo vel defendendo, vel impugnando, benè possumus distinguere appetitum intellectualem in concupiscibile intellectuale, & irascibile intellectuale, & debemus ſm̃ dictam determinationem. Et φ sic debeat distingui manifestat operatio diuersa. Quia cum voluntas liberè & libertate eadem vtrunque opus exequitur, & refrenat, appetitus aũt sensitiuus necessariò, nõ ſn̄ eadem necessitate exequitur opus suum concupiscibilis, & irascibilis, quia alia & alia necessitate, quantum est ex se irascibilis, & concupiscibilis necessitantur, eo φ alia, & alia passio in alio, & alio organo. Ex passione. n. quæ ira est, mouetur irascibilis. Est. n. m̃ Damasc. ira feruor sanguinis circa cor ex vaporatione fellis propter sensum disconuenientis. Ex passione verò delectationis mouetur cõcupiscibilis. Est. n. delectatio temperamentum sanguinis circa cor ex vaporatione splenis propter sensum conuenientis. In splene enim est sanguis dulcissimus, quia fel dependens ab eo, & connexus ei fugit ex eo omnem amaritudinẽ. Vnde qa aliud, & aliud est principiũ motus in appetitu sensibili irascibili, & concupiscibili, idem aũt in appetitu rationalis irascibilis, & concupiscibilis, in hoc magis differunt irascibilis, & concupiscibilis secundum φ sunt partes appetitus sensibilis, quàm secundum φ sunt partes rationalis appetitus. Propter quod secundum cõmunem vsum etiam sanctorum magis distinguuntur irascibilis, & concupiscibilis, vt sunt partes sensitiuè partis, quàm vt sunt partes rationalis.

Comment. in Quæstionem XV. quæ est,

Vtrum appetitus rationalis distinguatur, vel possit distingui in irascibilem, & concupiscibilem.

IN titulo appetitus rationalis est ipsa voluntas, quæ cum sit in Angelis, quæritur à D. Thoma, vtrum in Angelo sit vis concupiscibilis, & irascibilis. Et quidem in titulo not. illud videtur, quod etiam Doctissimus notat Caietanus, quòd non quæritur de irascibili, & concupiscibili, quatenus sunt passiones, seu potentiæ sensitiuæ. Hoc enim vanum esset quærere. Quippè notum sit, id, quod est sensus non misceri cum intellectu. Sed vtique quæstio est, quatenus dicunt appetitum iræ, aut concupiscentiæ per aliquam operationem.

In corpore duo habemus. In primis reprobatur opinio, cum sua ratione. Secundò respondetur quæsito.

De primo, opinio est, habens conclusionem negatiuam ad quæsitum, scilicet appetitus rationalis non distinguitur in concupiscibilem, & irascibilem.

Ratio autem huius est. Appetitus rationalis ad communem rationem boni, quæ secundum quod ratio communis est, non distinguitur, igitur &c. Probatur, quia non respicit aliquam differentiam temporis, in qua æstimetur esse bonum, & deinde non bonum, sed semper eodem modo respicit vt bonum, quia semper vt nunc bonum.

Reprobatur hæc ratio; tùm quoniam de omni appetitu colligit non dari huiusmodi differentiam, nam & appetitus sensitiuus respicit bonum simpliciter, quod semper apprehendit, vt bonum, licèt sit particulare. Tum quoniam distinctio in irascibile, & concupiscibile non debet attendi secundum distinctionem boni, obiecti sensibilis. v. g. quoniam est idè obiectum vtriusque; sed accipitur secundum diuersas rationes, & conditiones boni eiusdem rationis omninò, secundum quas irascibilis, & concupiscibilis potest esse etiam in rationali appetitu.

Not. quòd licet bonum simpliciter, sub ratione communi, sub qua apprehenditur ab appetitu rationali, non diuidatur, ac distinguatur manente ratione communi, tamen circa ipsum accidunt diuersæ conditiones, secundum quas fit placitum, delectabile, sed & arduum, appreciabile, atque difficile. Vnde & irascibilis facultas communiter dicitur versari circa bonum, sed arduum, atque difficile. contra verò concupiscibilis circa illudmet bonum, sed sub alia conditione, vt puta, delectabilis, & placiti. Vnde cum penès huiusmodi conditiones, quæ accidunt bono, distinguatur appetitus; sequitur, quòd illa ratio nihil colligat, quoniam ponit distinctionem irascibilis, & concupiscibilis penès distinctionem boni, quatenus boni; quod est falsum.

De secundo. Conclusio Auctoris est affirmatiua, scilicet In appetitu rationali est dare vim irascibilem, & concupiscibilem.

Not. ante omnia, q contra hanc conclusionem est D. Thomas, qui in 2. p. quæst. 59. art. 4. oppositam habet conclusionē de appetitu intellectiuo Angeli, quod est oppositum immediatè sententiæ Doctoris nostri expressè ponentis in corpore quæstionis, quòd in Angelis sit irascibilis, & concupiscibilis.

Probat D. Thomas hanc suam sententiam sic. Potentia non distinguitur penès distinctionem materialem obiectorum, ergo non distinguitur penès differentias diuisiuas boni, ergo non distinguitur in irascibilem, & concupiscibilem. Ergo appetitus Angelicus non distinguitur in irascibilem, & concupiscibilem. Antecedens habet tanquam notum, quoniam potentiæ distinguuntur penès distinctionem formalem obiectorum, vt obiecta sunt. Prima consequentia est clara, quoniam differentiæ diuisiuæ alicuius superioris materialiter se habet ad id, quod respicit primò illud superius, &c. Vide ipsum.

Cum hanc itaque sententiam, & rationem habeat D. Thomas, & eam, vt credi debet, vidisset Auctor; accipit ipse Auctor illam propositionem, qua dicitur. Potentias distingui penès distinctionem formalem obiectorum, quam vocat ipse essentialem, & eam glossat, dicens, quòd intelligitur de potentijs passiuis generaliter, non autem de non passiuis. Vnde cum sensus sit potentia passiua, non autem intellectus, appetitus vtique sensitiuus est passiuus, non autem rationalis. Ex hoc iudicamus sequi, quòd possunt simul conuenire D. Thomas, & Henricus. Vt scilicet dicamus, quod irascibilis, & concupiscibilis in appetitu intellectiuo non sit eiusdem rationis cum irascibili, & concupiscibili sensus, sicuti sunt prorsus diuersæ rationis ipsi appetitus.

Probat autem conclusionem Auctor. Vbicunque est ponere vim aliquam delectantem in bono, & conuenienti, & mouētem se in illud, & contrariū fugientē, ibi est ponere vim concupiscibilem; sed in appetitu rōnali est ponere, &c. igitur &c.

Rursum. Vbicunque est ponere vim concupiscibilem, ibi est ponere etiam irascibilem, sed, vt probatum est, in rationali appetitu est illam ponere, igitur & istam. Probatur maior, quia vis irascibilis est defensiua concupiscibilis.

Not. quòd versantur circa idem bonum, sed concupiscibilis, vt est delectabile; irascibilis, vt est arduum, atque difficile.

Not. plura ad ostendendum quomodo appetitus concupiscibilis rationabilis, seu rationalis, & sensitiuus differunt penès esse motum, & non motum. Quòd sensitiuus mouetur in bonum ex impetu passionis, rationalis verò ex iuditio rationis. Vnde si D. Thomas non ponit irascibilem, & concupiscibilem in Angelo, rectè facit inspiciendo actionem obiecti, trahentis potentiam ad sui prosequutionem, vel fugam. Vnde cum non velit ab huiusmodi obiectis moueri ita Angelicum intellectum, vel voluntatem, ita vt passiuè trahatur ad boni prosecutionem, vel fugam, illud sequatur oportet, vt non sit in Angelo vis concupiscibilis, nec consequenter irascibilis, nempè vis huiusmodi, quæ passiua dici debet. Non est tamen, q poni non possit actiua. Iudicio enim rationis fertur in bonum, & quidem apprehendit, & acceptat tanquam delectabile, atque conueniens, quo fit, vt necessariò illud concupiscat, cui concupiscentiæ necessariò adiungitur irascentia in obiectum oppositum.

Not. ex his, quæ dicit Caietanus dubitando super illum articulum D. Thomæ circa rationem, q videtur fuisse rationem adductam ab Auctore contra rationem pro opinione. Sed tolli omnis difficultas potest ex his, quæ dicta sunt.

Not. q præsertim Auctor loquens de appetitu intellectiuo in nobis, ponit in irascibili spem, in concupiscibili verò amorem, & charitatem. Et probat quatuor mediis, quòd differunt non solum in sensu, sed etiam in voluntate.

Prima ratio sumitur ex obiecto. nam obiectum concupiscibilis est bonum delectabile, irascibilis autem bonum arduum. Sed istæ duæ boni conditiones, s. delectabile, atque arduum differunt, igitur differunt etiam charitas, quæ versatur circa bonum delectabile, ac spes, quæ versatur circa arduum, & è contra, irascibilis, & concupiscibilis differunt.

Secunda ratio probat hanc differentiam inter irascibilem, & concupiscibilem, sic. Irasci est actus solius irascibilis, sed irasci pertinet etiam ad voluntatem. Igitur & irascibilis. Igitur etiam in voluntate erit concupiscibilis, quia præsupponitur ab irascibili.

Tertia ratio est ex experientia, quia docet ipsa experientia, quòd volenti concupiscibili quiescere quandoque insurgit voluntas ad impugnandum vitia impedientia contemplationem, & sic impugnando impedit contemplationem. Ergo non nisi per irascibilem, ergo irascibilis differt à concupiscibili, quia aliter non impediret. nihil enim impedit se in actu principali.

Quarta

Quarta ratio sumitur ex hoc, q sicut se habet amor sensualis, & species sensualis, ita intellectualis; sed illa sunt diuersa in esse, & in facultatibus diuersis, igitur & ista. Cum ergo in sensitiuo appetitu sint concupiscibili, & irascibili diuersis, erunt pariter in appetitu intellectiuo similiter.

Ex his rationibus colligitur, non solum existentiam concupiscibilis, & irascibilis in appetitu intellectiuo, sed etiam differentiam earundem. Cæterum Scotus in tertio sententiarum dist. 26. quæst. vnica. has rationes destruere conatur quibusdam rationibus, quæ tenemur audire, & illis satisfacere.

Primo itaque contra primam rationem, ait. Quæro quid intelligitur per bonum arduum. Aut bonum absens, aut non solùm hoc, sed excedens facultatem potentiæ, cui dicitur arduum. Aut bonum appetibile, id est amabile excedens omnia alia sibi contraria. si primo modo, igitur irascibilis non erit in patria, & per consequens spei non succedit tentio, quia oporteret, quod tentio esset in eadem potentia, & vi cum spe, quia succedit sibi. Et ita haberet pro obiecto suo arduum, quod est bonum absens, si hoc esset, quod intelligeretur per nomen ardui, quod est falsum. In patria.n. non erit bonum desiderabile absens. si secundo modo, igitur in Deo esset irascibilis, quia nullum est obiectum excedens respectu eius, igitur nec tentio. Consequens est falsum, quia non videtur negandum, quòd in Deo sit tentio respectu sui ipsius, igitur & antecedens, scilicet quod in habentibus spem, spes sit habitus irascibilis. si tertio modo, sic malè ponitur bonum arduum obiectum spei distinctum contra obiectum charitatis, quia charitas inter omnes virtutes maximè respicit Deum, sub ratione appetibilis, quia sub ratione boni infiniti.

Secundò ad idem argumentatur, Quod autem intelligitur appetibilitas ista, in obiecto aptitudinaliter, aut actualiter. si primum, quia scilicet aptum natum sit appeti, hoc maximè pertinet ad obiectum charitatis, quia, vt dictum est, charitas respicit Deum vel obiectum suum sub ratione infiniti in se. si actualiter, hoc est, quia voluntas per actum suum appreciatur tantum obiectum, hæc autem appreciatio passiua actualis sequitur in obiecto rationem formalem obiecti, formalis autem ratio obiecti alicuius potentiæ, vel vis præcedit naturaliter actum illius potentiæ, vel vis, igitur talis appreciatio non potest esse ratio formalis obiecti talis potentiæ, vel vis.

Tertiò arguit ad idem, & contra secundam rationem. Actus adequatus irascibilis est irasci, sicut actus adequatus intellectus est intelligere, sed irasci nõ potest respicere pro obiecto bonum arduum aliquo prædictorum modorum, quia irasci est appetere vindictam, siue punitionem secundo Rhetoricorum: hoc autem appetere est respiciens pro obiecto, vel ipsam punitionem, vel ipsum punibile, & neutrum est appetibile, igitur irascibilis non respicit arduum.

Quartò arguit contra tertiam rationem. Quia, inquit, et si illud, quod natum est impedire delectationem alicuius potentiæ pei actum potitiuum sit expugnandum per aliquem actum, ad hoc vt potentia quietè delectetur, tamen quod natum est impedire tantùm priuatiuè, non oportet expugnare positiuè, sed tantum priuatiuè, scilicet fugiendo. Sed actus vitiosus non impugnat, nec impedit positiuè delectationem ordinatam concupiscibilis, quia non simul insurgit talis actus quasi impediens actum concupiscibilis, igitur non oportet actum illum expugnare nisi tãtùm priuatiuè, scilicet fugiendo nè talis actus insit. Sed cuius est concupiscere obiectum honestum, eius est fugere obiectum inhonesti, igitur concupiscibilis expugnat.

Quintò notat, Auctorem contradictione, quasi dixerit concupiscibilem non propugnare, & deindè quòd defenditur ab irascibili, & ait. Ista videntur oppositi, quod scilicet potentia propugnans impediat concupiscibilem, & quòd non impediat, sed saluet eam in delectando. Et ex isto etiam, inquit, improbatur quarta ratio, qua assignantur illi diuersi actus in irascibili. Posset etiam argui, quòd aliqui istorum actuum non conueniant irascibili, saltem in parte sensitiua, quæ non habet actum circa futurum, vt futurum est.

Sextò notat, quòd Auctor dixerit, quòd concupiscibilis appetit aliquid concupitum à concupiscente, vt commodum sibi, & ait. Non videtur probabile, quia in Deo non negatur concupiscibilis, sicut nec delectatio perfectissima, & tamen nõ concupiscit aliquid tanquàm commodum sibi.

Septimò arguit, quòd si ponantur irascibilis, & concupiscibilis, profectò non ponuntur propter spem, & charitatem, quia sequeretur, quod actus spei esset nobilior charitatis actu, quia additum illud nobilius esse videtur.

Hæc Scotus aduersus ea, quæ habet Doctor noster in hac quæstione. Ad euidentiam autem totius huius negotij in primis ad not. iudicamus, appetitum intellectuum debere intelligi secundum distinctionem tùm subiecti, cùm etiam temporis. Et quidem quantum spectat ad subiectum, vel est in natura intellectuali tantum, vt in Angelis, vel in natura non prorsus intellectuali, vt in nobis. Si primum statuemus, profectò sicut natura Angelica maximè differt à nobis, sic supponenda est in illa vis irascibilis, & concupiscibilis alio modo ponenda est, ac ponatur in nobis. Si secundum, tunc erit in anima nostra, quæ secundum diuersos status respectu temporis consideranda est. Vel en m attenditur in patria, vel absolutè in termino, vel in via, secundum enim diuersos hos status, diuersimodè loquendum est. Quippè si in patria sit, tunc haud amplius dicitur habere spem. si in inferno, damnata est, loco spei desperationem haber. si in via, adhuc retinet spem. Sic & Angeli possunt considerari secundum quòd aliquid volunt extra se in tempore perficiendum, vel contra tantum illud, quod æternum est Vt primum, cum volunt saluationem hominum, tùm in vniuersali, tùm particulariter in particulari secundum quòd singuli assignantur animabus nostris. Et sic in omnibus his considerandi modis, diuersimodè loquendum est, vt secundum diuersos hos status sint illæ vires suo modo.

Præterea, quantum ad officium irascibilis, non in omnibus ponenda est eodem modo, quippè secundum aliquem statum tendit in bonum arduum positiuè, secundum aliquem alium statum officium suum exercet in fuga, & detestatione.

Esto igitur Angelus in primis in statu naturæ suæ ante confirmationem in gloria, & gratia. obiecta sibi fuit æqualitas Dei sub ratione boni. Erat è contrario obiecta subiectio, & recognitio sui conditoris, & gratia ipsius, sub ratione boni. Nunc autem, tùm qui illud elegerunt, tùm & qui hoc elegerunt, concupiscendo elegerunt, tanquàm bonum delectabile. Nimirum malis delectabilis visa est æqualitas Dei, bonis verò subiectio, & gratia Dei. Sed tùm boni, tùm mali in oppositum, tanquàm arduum reputantes, indignati sunt. Vnde cum dicitur, quòd bonum arduum est obiectum irascibilis, nõ est semper intelligendum, quòd sit obiectum sub ratione eligibilis, sed sæpè sæpius sub ratione detestabilis. Nempè quod quia arduum detestetur aliquando, & etiam aliquando eligat. Vel hic detestetur, hic eligat. Et dicitur bonum, respectu eligentis, malum verò detestantis.

Esto rursum Angelus in statu termini nempè vel gloriæ, vel damnationis, & arduum habet, & quod non arduum. Non arduum quod eligit, & arduum, quod detestatur. Gloriosus gloria fruitur, & oppositum detestatur. Quod detestatur arduum est in se, quia contra confirmatum appetitum, & in hoc tendit intellectus Angelicus suo appetitu, non eligendo, sed detestando, non quidem aliquo actuali conatu, sed habituali, quia existens in gloria non appetit, nec ignorat illud appetibile non esse, nec vllo pacto mouet, nec iudicium rationis mouet ad illud electiuè, sed solùm detestatiuè, radicaliter, & habitualiter. Et idem dicendum de Angelo malo, habita conuenienti oppositorum proportione. In eo igitur, quod spectat ad irascibilem vim in Angelis secundum duos status nominatos, illud, quod est arduum, est quidem obiectum irascibilis, sed non sub ratione eligibilis, sed detestabilis. Verumtamen facta comparatione inter statum, & statum, dari potest arduum sub ratione eligibilis, vtpotè, quod electum est, poterat habere rationem ardui ab vtraque parte.

Quia electio gratiæ inter ardua computari potest, propter pugnam maioris apparentiæ boni. In electione verò oppositi, rationem ardui poterat electum habere ob contrarium dictamen rationis.

Esto tandem Angelus, quatenus ad officia deputatur, attinentia ad hominum custodiam, profectò delectatur in his quæ benè fiunt ab ipso custodito, contra verò irascitur aduersus ea, quæ malè geruntur ab eodem. Et hoc rursum spectat ad detestationem, & quidem ardui, quia eligere malum est arduum, quia contra rationem, contra synteresim propriam, rationi dictantem arduitatem, & hoc ab Angelo custode respicitur. Quòd si tendit, vt custodiens in bonum arduum eligendo sub ratione videlicet eligibilis, profectò est hoc arduum ratione eligentis, de quo paulò post dicendum erit.

De Angelis itaque satis. Colligimus namque propria irrascibili, suaque virtute eos in ardua tendere, non sub ratione eligibilis, sed potius detestabilis. Verum quis subitò dubitauerit dicens. Detestabile, quatenus huiusmodi, malum est, non autem bonum. Quid ergo dicitur arduum bonum, hoc est bonum sub ratione ardui esse obiectum irascibilis? Ideò hic attendi debet primum, quòd detestatio ipsa bona est simpliciter bonis Angelis, malis autem simpliciter quidem mala, sed illis apparens bona. Vnde illa detestatio retinet apud omnes rationem boni, sed tamen ardua est, quia versatur in difficili, vel est illi detestanti tale. Vt malis Angelis detestatio boni, bona videtur, & sicut bona videtur, ita virtutis actus, & consequenter habentis ardui rationem.

Sed vt de anima post hæc loquamur. Esto anima in termino, puta in patria; profectò concupiscit, quia delectatur bono illo, quo fruitur, sed simul, & semel detestatur oppositum, saltem habitualiter, habens in radice irascentiam. Et tunc in vi concupiscibili tendit in bonum, quo fruitur, irrascibili verò in oppositi detestationem; quæ detestatio bona est, etsi non ardua pro termino, nempè pro statu illo, ardua suaptè natura pro statu illo, in quo detestatio illa fuit meritoria, saltem de congruo, vt alibi dictum est, illius gloriæ. Vnde considera quomodo semper in detestatione, in quam se habet irascibilis virtus, duo actus irascibilis cognoscuntur; priuatiuus vel negatiuus scilicet, respiciens id, quod detestans detestatur; & positiuus respiciens ipsam detestationis bonitatem. (Per hoc facilè plura apposite dicta soluuntur.) At anima in statu damnationis irascitur quidem contra malum ratione pœnæ, vt re vera non sit loquendum de ipsa, quæ non potest dici quietari in aliquo obiecto, & delectari, sed potius semper irasci. Et si dici debet quietari, quietatur in malo & bonum detestatur, quo de iam paulò superius in quæstione de damnatorum obstinatione dictum est.

Atqui tandem, & vltimo. esto anima iam via existens in corpore, de cuius appetitu rationali præsertim sermo est; profectò dupliciter de ipsa loqui possumus.

Primò secundum ea, quæ dicta sunt de Angelis, & anima superius. nempè quòd concupiscibili gaudet bono sub ratione detestabilis; irascibili verò detestatur oppositum, quòd sibi est arduum, & bonum, & ardua detestatio, & bona, secundum dicta superius.

Secundò verò considerare possumus hoc negotium respectu spei, & amoris. Vt esto in exemplum. Anima coniuncta corpori, atque viatrix, tendit in Deum, illum diligit, & amat, & in eo delectatur; profectò id facit tùm concupiscibili, cùm etiam irascibili. Concupiscibili ex charitate, irascibili ex spe, qua videlicet sperat maiorem delectationem, sperat plurima bona, sperat quod sperandum est. Hoc autem habet rationem ardui, quia ardua ex se videtur expectatio. Habet rationem ardui, quia est de absente, atque futuro, & præsentia multa impediunt. Et sic euenit circa opposita.

Hæc diligenter attendenda sunt, quatenus ab ipsa ratione proueniunt, & rationabilia prorsus apparent, & his adnotatis accedere ad argumentorum resolutiones facile possumus.

Ad primum igitur dicimus primò, quòd intelligitur bonum arduum bonum absens prout consideratur vis irascibilis in anima coniuncta, & viatrice, sicut determinatum est. Quo fit, vt concedamus in anima beata non esse irascibilem potentiam respectu talis ardui, tametsi sit in ratione detestabilis, sicut declaratum est.

Secundò, negamus falsitatem consequentis de bono secundo modo excepto. nam in Deo nec vim concupiscibilem, nec irascibilem ponimus, quia huiusmodi vires non sunt ponendæ, nisi in eo, qui vult aliquid, & appetit extra se. Iam verò Deus nihil appetit extra se in ratione obiecti. Et hoc manifestat Auctor in litera ex Auicenna, quòd volitum Dei non est sicuti nostrum, &c. Sed quomodo intelligatur hoc arduum, iam visum est, quippè Scotus accipit illud semper sub ratione eligibilis, quod tamen non est accipiendum, nisi pro arduo sumatur ipsa detestatio, vt declaratum est.

Ad secundum dicimus. Quòd bonum arduum si accipiatur sub ratione eligibilis, tunc appetibilitas eius est tùm aptitudinaliter, tùm actualiter etiam. Sed pro statu isto non est totaliter obiectum charitatis, quin etiam non sit spei, quia videmus. magis spe, quàm re. Et ideò ratione spei est quid arduum. si verò sumatur sub ratione detestabilis, ipsa res neutro modo est appetibilis à detestante rationabiliter, etsi ex se illa sit appetibilis, quam irrationabiliter, quis detestatur. Ipsa tamen detestatio appetibilis est actualiter, nec tamen est obiectum charitatis, quia non diligimus amore charitatis detestationem. Et detestatio ipsa non est ardua actualiter, quia sit appretiabilis, sed ob opposita, de quibus dictum est paulò antè. Vnde non assignatur appretiabilitas tanquàm ratio formalis obiecti, sed potius difficultas ipsa, quæ detestarioni annexa est assignatur pro ratione obiecti formali.

Ad tertium dicimus. Quòd irasci, quod est appetere vindictam, iuxta illud, Ira est appetitur vindictæ, intelligitur de irasci ex cauta, non ex obiecto. Et quidem in hac etiam ratione Scotus accipit arduum sub ratione appetibilis, quod non est vetum. Et præterea falsum est, quod punitio non sit appetibilis, quia vindicta est appetibilis. Vindicta.n. ex Aristotele, dulcior melle est. Et si irasci est appetere ipsam ex Rhetoricis, quomodo punitio non erit appetibilis? Quicquid appetitur, sub ratione appetibilis appetitur.

Rursum attendat Scotus. Quo irascibilis, in eo, quod dicitur irasci, potius dicitur detestari aliquid, quam eligere. Et maximè quidem in proposito, dum eligit virtutem, & contra vitium irascitur, hoc detestatur, illam verò prosequitur amore. Et dum detestatur circa vitium non propriè dicitur appetere vindictam, & punitionem, nisi similitudinariè. Et per hoc potissimum etiam apparet contra id, quod subiungit, quòd distinguitur concupiscibilis ab irascibili. Detestatio.n. habet rationem boni, sed ardui, vt dictum est supra.

Ad quartum dicimus, quòd in expugnatione vitij impedientis delectationem circa virtutem, duo sunt, vnum priuatiuum, & alterum positiuum, ab eadem vi prouenientia. Priuatiuum est fuga vitij passiua. Positiuum est detestatio actiua. In vno respicit, in altero eligit. Sed cum irascibilis sit, quæ contra vitium agit irrascendo, ipsa est, quæ eligit detestari, & detestationem eligit. Falsum est autem, quod assumitur. Quod scilicet eiusdem sit concupiscere obiectum honestum formaliter, & fugere obiectum inhonesti. Fugit quidem concupiscibilis, sed mediante irascibili, quæ est defensatrix concupiscibilis, etiam si oppositum concupisceret concupiscibilis.

Ad quintum. Non vidit Scotus, quomodo dux exercitus dum aggreditur hostes pro patria, vt eam saluet, & liberet; Quod vtique patriam saluat in pace, & etiam impedit eius pacem. Impedit quidem, quoniam dum pugnat dux ille aduersus hostes, non potest ciuitas non timere exitum pugnæ. Saluat verò dum vincit, quia non finit patriam deferri in manus inimicorum. Sic dum irascibilis pugnat pro concupiscibili pro tunc impedit à delectatione; Sed pugnando, atque vincendo saluat in delectatione, non permittens eam cadere in manus inimici, in quibus delectari nequaquam ordinatò potest, vel ex suppositione. Vnde hæc oppositio cum sit respectu diuersorum, nil officit.

Ad sex-

Ad sextum, Negaret Auctor illud, quod concedit Scotus, &c. hoc ex Auicenna 8. Meth. nempè quod in Deo sit vi concupiscibilis. hoc.n. falsum est, sicut supra etiam dictum est. In Deo n sunt potius signa iræ, &c. amoris, seu concupiscentiæ, quàm hæc propriè, vt rectissimè dicunt omnes Sancti. Et maximè quidem. D. Bonauentura 1. sententiarum dist. 45. in dub. liter. &c.

Ad septimum dicimus non inconuenire, quod in aliquibus actus spei sit nobilior charitate, maximè dum loquimur de charitate viæ. Vbi spes maxima est, &c. sæpius intensior, ac maior ipsa charitate. Speratur.n. Deus, sicuti est, & sicut haber potest, non diligitur autem sicut diligi debet, &c. potest.

QVAESTIO XVI.

Vtrum religiosus proponens facere maius bonum deberet illud dimittere faciendo minus bonum propter præceptum sui superioris.

SEQVVNTVR quæsita de humana natura ex parte coniuncti ex corpore, & anima. Vbi quærebantur quædam generaliter pertinentia ad oēs hoīes, & quædā alia specialiter pertinētia ad prælatos. Et circa primum horum Primo quærebantur quædam pertinentia ad statū gratiæ, deinde alia pertinentia ad statum culpæ,

Circa primum quęrebatur vnū pertinens principaliter ad meritum gloriæ, & alia tria pertinētia ad diminutionem pœnæ debitæ. Quorum primum est: vtrū religiosus proponens facere maius bonū deberet illud dimittere faciendo minus bonum propter præceptum sui superioris. Secundū erat, quid magis est proficuum, aut prosequi negotium crucis secundum consilium Ecclesiæ, aut ingredi, & stare proficiendo in religione. Tertium erat de opere voluntariè assumpto: vtrum opera facta in charitate minore, tantùm diminuunt de pœna debita peccatis, quantum eadem, vel æqualia facta in charitate maiore. Quartum erat de opere satisfactorio pœnitentialiter iniuncto: vtrū pœna satisfactoria iniuncta à sacerdote discreto, vel à iure taxata sufficit pro tota pœna peccatis debita in Purgatorio, de quibus confessus est, & pro quibus iniuncta est.

Arg. prin. Circa primum arguitur, ꝙ religiosus debeat facere magis bonum contra præceptum superioris, quia Bernardus dicit de præcepto, & dispeñ. Qd pro charitate institutum est, contra charitatem militare non debet. pro charitate instituta est obedientia. Charitas autem dictat maius bonum præferendum esse minori. ergo obedientia non debet esse contra hoc, quod magis bonum. Esset autem contra, si debitum esset illud dimittere propter minus præceptum à superiore. ergo &c. *Secūdum.* Item nihil minus obligat iuramentum, quàm votum, sed nō est licitum iuramentum de dimittendo magis bonum pp minus, quare nec votum aut obedientia.

In oppos. Contra. non minus obligat votum, quàm matrimonium consummatum. sed propter matrimonium cōsummatum oportet mulierem maius bonum dimittere propter minus de præcepto viri. ergo &c.

Responsio. Dicendum est, ꝙ præceptum superioris si certū esset, ꝙ esset contra Deum, omninò contemnendum esset. Licèt enim quis voueat, aut iuret generaliter obedire de omnibus, non tamen intelligitur, nisi de licitis, iustis, & honestis, vt 11. quæst. 3. Non semper. vbi dr. Non semper malum est non obedire præcepto. Cum enim iubet, quæ Deo cōtraria sunt, non est ei obediendum. Sed in dubio, an sit contra Deum præcepto prelati standum est. Qd etsi sit contra Deum, pp bonum obedientiæ nō peccat subditus, vbi tñ peccat prælatus. 23. q. 1. Quid culpatur. in fine. Multò ergo magis si bonū sit quod præcipit oportet obedire, & proprium propositum de agendo magis bonum dimittere, & supponere ꝙ causa rationabilis sit quare sic p̄cipit. & sic propter bonum obedientię recompensatur ei in minore bono, quod amittit in maiore. Propter quod dicit Augustinus. Melior est vna obedientia, q̄ omnes virtutes. hoc est quæcunque opera virtutum facta contra obedientiam, quæ ex hoc vitia fiūt, etsi aliàs de genere virtutum essent. Et sicut est de vno, sic est de omni eo, ad quod homo per votum obligatus est, ꝙ ei non debet præponi aliud voluntarium, etiam licèt in se magis bonum videatur. Vt siquis vouit aliquid se facturum quod bonum est, & licitum, & expediens, postmodum tamen licèt bona conscientia rationabiliter delibetata dicat ei, ꝙ melius esset aliquid aliud facere, & illud quod vouit omittere, melius tamen est & fructuosius votum explere, quia sine periculo peccati mortalis non posset illud omittere. Et ideò hoc omittendo quodcunque aliud ad frugem vitæ æternæ nihil posset ei valere.

Ad primum in oppositum dicendum, ꝙ facere minus bonum ex præcepto nunq̄ militat contra charitatem subdito, etsi fortè prælato. Licèt enim charitas dicter, ꝙ absolutè maius bonum præferendum est minori ab illo, in cuius potestate est vtrū que, tamen etiam dictat, ꝙ subditus propter obedientiā minus bonum præceptum à superiori debet preferre maiori bono à se proposito. *Ad argum. princ.*

Ad secundum dicendum, ꝙ benè verum est, ꝙ non esset licitum votum sicut, nec iuramentum de dimittendo maius bonum propter minus: est tamen licitum, immò necessarium propter iuramētum, vel votum factum superiori ad præceptum eius dimittere maius bonum propter minus. Debet enim presumere, ꝙ ei melius est, quod præcipit prælatus, licèt non videatur sibi. & ideò quod præcipitur facere tanquàm magis bonum. *Ad secundum.*

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem XVI. quæ est,

Vtrum religiosus proponens facere maius bonum deberet illud dimittere faciendo minus bonum propter præceptum sui superioris.



N titulo not. ꝙ comparatio cadit super bonum, & bonum, non super bonum, & malum, & si in maxima virtus obedientia sit, tamen non decet obedire in malis, in his videlicet, quæ sunt contra Dei præcepta, quod probatur ex illo 11. quæst. 3. Non semper.

In corpore. Conclusio est affirmatiuè respondendo quæsito, ꝙ dimittere quis religiosus debet maius bonũ, &c. Præsupponendo, ꝙ causa rationabilis sit, quare sic ei præcipitur. Probatur ex August. ꝙ melior est vna obedientia, &c.

Not. ꝙ obedientia mater omnium dicitur virtutum, & eam vouet religiosus, ita vt teneatur obseruare in omnibus, quæ continentur in regula, tùm explicitè, cùm etiam implicitè. Et quidem quicunque aggreditur ex obedientia minus bonum profectò recompensatur à virtute obedientiæ. Vnde esto sacerdos Monachus præparatus, vt accedat ad altare missaturus ex ordine, & potestate, profectò accedit ad magnum bonum faciendum. Contra verò impedit prælatus, & ait. Non accedas, sed petas chorum ad diuinum officium celebrandum, vel pro missa hodie coronam dominicam dicito, profectò minus bonum est, quod præcipitur, quod si ei obeditur à subdito, recompensatur ei ex meritò obedientiæ, tametsi prælatus peccet irrationabiliter præcipiendo. Quanta autem sit obedientiæ vis nè dum ab Augustino exprimitur, sed à Sacris Sacræ Scripturæ literis, ac cæteris Sanctis. Primò.n. regum 15. Melior est obedientia, quam victimæ. Prouerb. 21. Vir obediens loquetur victorias. Et Gregorius. & habetur 10. quæst. 3. c. Quid ergo. Hanc quæstionem pontificum resoluit cum ait. Quid ergo mirum si peccator homo obedientiæ in præsentis vitæ breuitate se subijcit, quando hanc mediator Dei tenuit, & tenendam præcepit, & cum obedientes remunerat, non relinquit. Sciendum tamen est nunquàm per obedientiam malum fieri, aliquando autem per obedientiam debet bonum, quod agitur, intermitti. D. Bernardus quoque propè accedit cum dicit. In obediendi ratione hæc generalis regula teneatur, vt in difficilioribus quidem agendis obeditio, quam præuaricatio gratior iudicetur, & in facilioribus, minusque onerosis contemptus dãnabilior æstimetur. Ad hæc plura alia possent induci ex Sanctorum dictis, sed hæc interim sufficiant.

QVAESTIO XVII.

Quid magis proficuum, aut prosequi negotium Crucis secundum Consilium Ecclesiæ, aut ingredi, & stare peoficiendo in religione.

Responsio.



IRCA secundum nihil arguebatur, sed proponebatur sine argumentis. Et est dicendum, ꝙ vita religionis eò, ꝙ contemplatiua est, per se ordinatur ad augmentum gloriæ. & hoc non nisi ex merito propriæ deuotionis, & charitate in bonis operibus, quæ exercentur in religione. Negotium autem crucis tanquàm pœnale actiuum per se ordinatur ad pœnæ debitæ diminutionem, aut remissionem, & hoc non tàm ex deuotione propriæ charitatis in huiusmodi negotium exequendo, quàm ex deuotione, & meritò Christi in sua passione, inquantum opus siue negotium istud indulgentiale est. Vnde quia tenet Ecclesia ꝙ Summus Pontifex habet potestatem pro tali negotio iam assumpto cum proposito exequendi ipsum secundum consilium Ecclesię indulgere totam pœnam debitam omnibus peccatis quorcunque, & qualiacunque commiſit, dum tamen verè pœnitens fuerit, & confessus, de quo nullus potest habere securitatem quantuncunque ad plurimos annos laborauerit in religione, idcirco absolutè, & simpliciter tenendum, ꝙ prosequi negotium crucis secundum consilium Ecclesiæ multò magis est proficuum ad remissionem pœnæ obtinendam, & securitatem habendam de statim euolando, quàm vita cuiuscunque religionis, licèr illa magis possit esse proficua ad augmentum gloriæ.

Comment. in Quæstionem XVII. quæ est,

Quid magis proficuum, aut prosequi negotium Crucis secundum consilium Ecclesiæ, aut ingredi, & stare proficiendo in religione.



N titulo not. ly proficuum, quod potest respicere augumentum gloriæ, & potest respicere meritum remissionis peccatorum. Vt idcirco quæstio possit habere duplicem partem, ita quòd prima sit, quid magis proficuum sit ad augumentum gloriæ. Secunda quid magis proficuum sit, quo ad meritum remissionis peccatorum.

In corpore duabus conclusionibus satisfit quæsito.

Prima est. Magis proficuum est ad augumentum gloriæ ingredi, & proficere in religione. Probatur, quia vita religiosi est vita propriè contemplatiua, sed vita huiusmodi ordinatur ad augumentum gloriæ. Igitur &c. vtraq; propositio patet.

Nam quod religio sit ordinata ad contemplationem, patet ex fine ipsius, & obiecto. Est autem obiectum religionis cultus diuinus, cultus Dei. Finis autem ipse Deus. Est enim religio virtus reddens debitum honorem Deo, & importat ordinem ad

nem ad Deum. Quòd verò vita contemplatiua ordinetur ad augumentum gloriæ, etiam patet ex comparatione cum vita actiua, nam in vita contemplatiua homo conuenit cum Deo & Angelis, ipsa vita habet Deum familiariorem, est nobilissima omnium vitarum, simplicissima, atque putissima.

Secunda conclusio. Magis proficuum est pro remissione peccatorum sequi consilium crucis. Probatur, quoniam opus illud pœnale est, per quod aggredienti illud, & pœnitenti, ex virtute passionis Christi, & clauium à summo Pontifice remittitur pœna, & culpa &c.

Quòd summus Pontifex id facere possit, non est, quòd ponatur in dubium inter Catholicos: hoc enim certum est.

Not. quòd talis sequela consilij pertinet ad ingressum, & profectum in vita actiua: ipsa autem pœnam secum defert, & ideo eam pro satisfactione assignat summus Pontifex in tali casu.

Not. quòd hanc eandem conclusionem, immò hanc eandem quæstionem quo ad vtranque partem videtur soluere D. Thom. etiam 3. Sentent. dist. 35. quæst. 1. art. 4. dicendo, quod vita actiua est maioris meriti, quàm vita contemplatiua, quo ad dimissionem culpæ, & quo ad satisfactionem, quia est laboriosior, sed & è conuerso, quo ad cõsequutionem gloriæ, quia vita contemplatiua est maioris meriti, quia purior.

Not. dubium. Nam sententia communis est, quòd ingressus religionis sine obice parat remissionem peccatorum. Et D. quidem Thomas dicit, quòd in ingressu religionis, tanta recipitur gratia, quanta in baptismo, & remittitur omnis pœna, & si hoc verum est, profectò quo ad remissionem, non erit magis proficuum sequi consilium crucis &c.

Sed soluitur hæc dubitatio per ea, quæ subdit D. Thom. 22. quæst. 189. 3. 3. & in 4. Sent. dist. 4. quæst. 3. art. 3. sed hoc inquit, non est, quia talis ex se à satisfactione absoluatur, sed quia eo ipso, quòd suam voluntatẽ etiam in seruitutem redigit propter Deum, plenariè iam pro omni peccato satisfecit. Et argumentum D. Thom. est, quòd si quis eleemosinis satisfacere pro peccatis potest secundum illud. Peccata tua eleemosinis redime, multò magis potest satisfacere dando suam voluntatem Deo, & homini propter Deum. Et certè ordo charitatis manifestat nobiliorem esse animam, quàm res externæ sint, si dando ignobilius homini propter Deum, satisfit: cur non dando nobilius Deo, & homini propter Deum satisfiet? Hinc est, q̃ status religionis præfertur eleemosinis, & virginitati. Eleemosinis quidem, quia in eleemosina datur ignobilius, quam detur in religione, vt dictum est. In virginitate pariter, quia quòd subijcitur Deo, corpus est, caro est. Quòd verò subijcitur Deo in religione, libertas est, anima est, voluntas est, & cætera, ita quòd religiosus haud amplius habet nolle, aut velle. sic itaque quatenus ingressus religionis annexam habet satisfactionem, aliter soluenda quæstio videtur, vt verò tantùm contemplationem respicit, soluenda est, sicut soluta est.

QVAESTIO XVIII.

Vtrum opera facta in charitate minori tantum diminuunt de pœna debita peccatis, quantum eadem, vel æqualia facta in charitate maiori.

Arg. prin. CIRCA tertium arguitur, quòd opera æqualia facta in charitate maiore, & minore non æqualiter diminuunt de pœna taxata, quæ sufficit pro tota pœna peccatis debita in purgatorio, de quibus confessus est, & pro quibus iniungitur. Quia substantia charitatis ex qua fit opus, per se respicit præmium gloriæ. Pœna verò, quæ consistit in opere, per se respicit diminutionem pœnæ debitæ. Quàmuis ergo sit maior charitas, vt ex ipsa plus mereatur de gloria in æquali opere, quàm ex charitate minore: non tamen plus diminuitur de pœna.

In oppos. Contra. Diminutio pœnæ non est nisi ex ratione merendi, quare cum ratio merendi non consistit nisi in charitate, & ideò maior charitas magis meretur: plus ergo de pœna minuitur pro æquali opere ex maiore charitate facto, quàm ex minore.

Responsio. Dicendum ad hoc, quòd opus ad hoc, quòd sit meritorium gloriæ, aut etiam satisfactorium pœnæ, oportet quòd Deo gratum sit, & acceptum. Acceptum autem, vel gratum Deo esse nõ potest nisi factum sit in virtute illius, qui factus est reconciliatio pro peccatis nostris, Christi scilicet. Ipse.n. est principale agens in merendo toti generi humano peccatorum, & pœnæ pro peccatis abolitionẽ, & gloriæ collationem, quæ sunt finis omnis actionis Christi, & passionis in homine, quam gessit. Agens autem organicum quilibet homo purus est inquantum est membrum illius. Et agens secũdarium quale est omne agens organicum, siue instrumentale, non attingit finem agẽtis principalis, nisi agat in virtute illius, quemadmodum calor nõ generat nisi in virtute agentis impressa calori à generante. In virtute ergo Christi omne opus nostrum debet esse factum, si sit meritorium gloriæ, aut satisfactorium pœnæ. In virtute autem agentis principalis non potest agere agens secundarium organicum nisi sit ei coniunctum, & virtutis, ac influẽtię eius susceptiuum, quemadmodum membrum separatum à capite, & corpore virtutem capitis, & corporis suscipere non potest: & ideo nec in virtute eius agere potest. Organum quale est quilibet nostrum Christo capiti nõ coniungitur nisi sit mẽbrum in corpore suo mystico, quod est Ecclesia: glutino Spiritus Sancti, quæ charitas est, ei cõiunctum. Ephes. 4. Qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum, & connexum per omnẽ iunctũram subministrationis secundum operationem in mensuram vniuscuiusque membri augmẽtum corporis facit in ædificationẽ sui in charitate. Glos. Qui est caput nobis prouidens, & regere potens, per quem totum corpus. i. ecclesiæ compactũ est per fidem, connexum vinculis charitatis, quæ faciunt membra inuicem subministrare secũdum operationem non solùm in voluntate in mensurã vniuscuiusq; mẽbri, i. secundum quod vnũquodque membrum potest operare per gratiam sibi data, & ipse facit augmentum corporis ædificando illos, qui non sunt, & hoc totum facit in charitate. Ex hoc solo opus nostrum est meritorium, quòd Christo sumus coniuncti in corpore, & ecclesiæ per fidem, & charitatem, per quæ in virtute eius

meremur,

meremur, & in ipso augmentum spirituale accipimus. Propter quod cum homo amissa charitate desinit esse membrum ecclesiæ, grata non possunt esse Deo opera eius, nec alicui meritoria, neq; gloriæ, neque diminutionis pœnæ prius debitæ, ita ꝙ substantia operis quantuncunq; sit de genere virtutis siue pœnale, siue non pœnale, nec meritorium, nec satisfactorium est, nisi ex virtute, & radice charitatis, ita ꝙ Deus non acceptat opus, aut meritū, aut satisfactionem, nisi propter dispositionē operantis. Vnde dictum est Gen. 4. ꝙ Dñs respexit ad Abel, & munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non respexit. Vbi ex ordine verborum cōijcimus, ꝙ nō tàm aspexit, uel non aspexit ad opera, q̄ aspexit vel non aspexit ad personas, non è cōuerso. Propter quod super illud primæ Corinth. 13. Si charitatem nō habuero nihil mihi prodest. Glos. Opera bona non ex quantitate sui, sed ex charitate plus, vel minus prosunt. Sed intelligendum, ꝙ opus ex virtute charitatis duplex habet esse. vnum interius, quod consistit in feruore, & deuotione operantis, aliud exterius, quod consistit in substantia actus. Et sic se habent inter se, ꝙ sicut opus simpliciter non placet, nisi ex virtute charitatis, quia ex radice charitatis procedit, sic nec placet opus exterius plus, vel minus, nisi secundum feruorem maiorem, vel minorem operis interioris, ita ꝙ non mensuratur meritum operis exterioris, tàm ex substantia charitatis secūdum se, quàm ex feruore, & deuotione, quàm elicit in opere interiori.

Et sciendum, ꝙ opus exterius quadruplex est, liberale, pœnitentiale, indulgentiale, & suffragale. Liberale, quod quis agit ex propria voluntate. Pœnitentiale, quod iniunctum est à sacerdote. Indulgentiale, quod suadetur à prælato. Suffragale, quod vnus facit pro alio. Comparando igitur opus exterius secundum istos quatuor modos ad opus interius, sciendum, ꝙ ex opere interiore procedit opus exterius idem in specie, & æquale omninò ex maiore, & minore charitate in diuersis dupliciter. Vno modo opere interiore existente æquali in diuersis, vel inæquali, quia ex parte habitus charitatis in se no. oportet distinguere, quia non est meritum ex ipsa, nisi secundum ꝙ se extēdit in opus saltē interius, quia si est, operatur aut deficit, nequaquàm verò proficit. Si verò opus interius sit in diuersis æquale, tunc opus exterius factum est in singulis aut liberale, aut pœnitentiale, aut indulgentiale, aut suffragale, aut est in vno liberale, in alio verò vel alijs, aut pœnitentiale, aut indulgentiale, aut suffragale, aut est in vno pœnitentiale, in alio verò, aut alijs indulgentiale, aut est tertio modo in vno pœnitentiale, aut indulgentiale, in alio verò, vel alijs suffragale. Si primo modo ꝙ. s. opus interius sit æquale in diuersis, sed exterius in singulis est liberale, aut pœnitentiale, aut indulgentiale, sic dico, ꝙ idem opus exterius, & æquale factum ex habitu maioris charitatis, & minoris æqualiter meretur & gloriæ augmentum & pœnæ diminutionem in diuersis. Si verò opus exterius in singulis sit suffragale, vt cum diuersi capellani dicunt missas suas pro viuis, siue pro defunctis, quia huiusmodi opera prosunt, & sunt meritoria tàm facientibus ea, quàm illis pro quib. ea faciunt, tunc distinguendum ex parte facientiū opus, & ex parte eorum pro quibus faciunt, quia comparari possunt inter se ipsi facientes, aut ipsi pro quibus faciunt, aut facientes illis pro quibus faciunt. Si primo modo, & secundo, sic æqualiter merentur inter se illi, qui faciunt ex æquali opere interiori, & similiter illi inter se, qui opere interiore æqualiter meruerunt dum viuerent, vt eis valerent si pro eis per alios fierent, vel iam viuentes æqualiter mererentur. Si tertio modo, sic semper plus merentur facientes, quod certum est quantū ad augmentum gloriæ ipsius facientis. Quantum autem ad diminutionem pœnæ plures credunt ꝙ plus merentur illi pro quibus principaliter facit. Etenim siquis aliquid de suo pro alio faciat, non ex hoc diminuitur meritum proprium, & semper maioris meriti est bonum facere per se, dum possibile est fieri, quàm per alium secundnm prædictū modum, licèt quandoque amissum in vno opere non facto, possit recompensari in alio. Si verò secūdo modo principali opus exterius sit in vno liberale, in alio verò vel in alijs sit pœnitentiale, aut indulgentiale, sic semper indulgentiale, & pœnitentiale plus merentur propter sacramenti virtutem in pœnitentiali, & clauium efficaciam in indulgentiali. Si verò in vno sit liberale, in alio verò vel in alijs suffragale, sic est triplex comparatio, vt iam distinctum est in membro præcedente. Et si primo illorum trium modorum comparentur. s. inter se facientes, vel secundo modo comparentur. s. inter se illi pro quibus fiunt, sic illi inter se æqualiter merentur, & similiter isti inter se. Si tertio modo comparentur facientes, illi, qui faciunt, & illi, pro quibus inter se, semper plus merentur facientes secundum determinatum modū. Si verò modo tertio principali opus in vno sit pœnitentiale, in alio verò indulgentiale, tunc de hoc iudicandum est secundum quantitatem indulgentiæ. Posset enim esse tanta, ꝙ plus mereretur, quā opus pœnitentiale, & posset esse tanta, ꝙ æqualiter, posset fortè etiam esse tàm modica, ꝙ minus. Si verò in vno fuerit suffragale, in altero verò pœnitentiale sit, vel indulgentiale, sic semper plus meretur pœnitentiale, vel indulgentiale, sicut & semper plus meretur liberale, vt dictum est. Si verò opus interius sit inæquale, sic distinguendum, vt supra, quando opus interius positum est æquale, quia primo modo in opere exteriori liberali pœnitentiali, & indulgentiali, & suffragali semper plus meretur operans interius intensius. Si verò secundo modo principali opus exterius fuerit in vno liberale, in alio pœnitentiale, aut indulgentiale, si pœnitentiale, & indulgentiale fiant ex maiori

intensione interius, semper plus merentur. Si verò è conuerso liberale fiat ex opere interiore multo intensiore, benè potest plus mereri. Si modicè intensiore, potest æqualiter, aut etiam minus mereri. Si verò opus fuerit in vno liberale in alio suffragale, sic triplex facienda est comparatio, vt prius & in prima & secunda comparatione semper plus meretur, qui ex feruētiore actu interiori. In tertia verò comparatione si suffragale sit ex multo feruentiore actu in illis, pro quibus faciunt, sic isti plus merentur, si in modico, sic æqualiter: aliàs semper plus merentur agentes. Si verò tertio modo principali opus in vno sit pœnitentiale: in alio verò indulgentiale: & pœnitētiale fit ex maiore feruore interius, distinguendū est de opere indulgentiali vt prius. Aliàs indulgentiale si fiat ex maiore feruore, plus meretur. Si verò in vno fuerit suffragale: in alio verò pœnitentiale, vel indulgentiale, tunc pœnitentiale, vel indulgentiale ex maiore feruore semper plus meretur. Suffragale verò posset esse ex tantò maiore feruore, quòd plus mereretur, quàm pœnitentiale, & tam modico maiore, quòd æquaretur, & similiter quàm indulgentiale, nisi valde abundantes essent indulgētiæ. Et nota, quòd quamuis opus indulgentiale, vel liberale posset esse suffragale: hic tamen sumitur ipsum propriè inquātum cum nullo eorum coincidit. Nota iterum, quòd idem est iudicium de suffragali respectu illius pro quo fit, & de quocunque illorum quatuor modorum operis respectu illius, cui complacent.

Complacendo enim opus alterius facit homo suum. Grego. in reg. Epistola 22. Est mihi hoc ex Dei munere in magna consolatione, quia opus factum, quod in me non habeo diligo in te, cumq; de tuis actibus magna exultatione gaudeo, ea quę per laborem tua sunt, per charitatem mea fiunt. Et post. 115. Nostra sunt, quę etsi imitari nō possumus amamus in alijs, & amantium fiunt, quęcunque amantur in nobis. Hinc ergo pensent mūdani, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni laboris opera nostra sine labore facit. Vnde etiam in generali omnium bona aliorum diligentes participes eorum simus. Psal. dicente, Particeps ego sum omni. ti. te. &c. Vnde etiam defunctis existentibus in purgatorio prosunt opera non solum quæ pro eis fiunt, sed etiam quæ generaliter pro defunctis. Sed hoc non nisi pro quanto meruerunt dum viuerent, vt eis prodessent si pro eis fierent, dicente Augustin. de cura pro mortuis agenda. Vt hoc quod impenditur prodesse possit post corpus, in ea vita acquisitum est, quam gessit in corpore. Quod ergo arguitur primò, quòd substantia operis respicit per se diminutionem pœnæ, & quantitas charitatis augmentum gloriæ. Dicēdum, quòd non est verum propter se, sed solum propter radicem charitatis, non secundum substantiam, sed secundum quod se extendit in opus interius laboriosum. Vnde opus bonum, quia de genere bonorum etiam quia pœnitentialiter est iniunctum factum extra charitatem nullius est meriti propter solam substantiam operis. Opus etiam exterius factum ex habente charitatem: à charitate autem non elicitum nec actu, nec habitu, si quod tale, procederet exterius, quantuncunque esset de genere operis boni nullo modo esset meritorium. Vnde tantus posset esse feruor pœnæ interioris, q̄ habens charitatem minorem cum minore opere exterius totam pœnam debitam peccato diminueret: cum tamen alius habens maiorem charitatem cum maiore opere exteriore, & minore feruore in opere interiore, non tantùm de pœna sibi debita minueret, quantum ille opere suo exteriore minore. Nō ergo aliter se habet substantia operis exterioris ad meritum gloriæ, & ad diminutionem culpæ quantum est ex se, nec similiter substantia charitatis, licet substantiæ charitatis secundum se debetur prēmiū maiori maius, & minori minus. Vnde ex parte operis interioris totum iudicandum est principaliter, licèt vt dictum est opus exterius aliquid apponat. In quo est duo considerare, ipsum scilicet feruorem deuotionis, acerbitatem pœnæ, & intentionem operantis. Et est feruor deuotionis per se ad gloriæ augmentum. Acerbitas pœnæ per se ad pœnæ debitæ diminutionem, & hoc in magna parte secundum intentionem operantis, quæ ambo dirigit in finem. Si enim principaliter, aut plus dirigit ad pœnæ diminutionem, quàm ad meriri gloriæ augmentum, plus valent & opus interius, & exterius ad diminutionem pœnæ, quàm ad augmentum gloriæ, vel è conuerso, si è conuerso, & si æqualiter, æqualiter. Et secundum hoc etiam idem opus factū à diuersis, siue in æquali charitate, siue inæquali, potest indifferenter vni eorum esse magis diminutorium pœnæ, quàm augmentatiuum gloriæ, & alteri è conuerso.

Per idem patet ad secundum, dicendo, quòd ratio merendi non consistit in substantia charitatis, nisi prout se extendit in opus interius, vt dictum est.

Com-

Comment. in Quæstionem XVIII. quæ est,

Vtrum opera facta in charitate minori tantum diminuunt de pœna debita peccatis, quantum eadem, vel æqualia facta in charitate maiori.

IN hac quæstione laborauimus, vt eius resolutionem ad aliquam facilem formam breuiter redigeremus, sed inanem vidimus laborem nostrum, nec ad summam breuiorem quis fortè redigere poterit, quam sit. Illud autem tantum libenter adnotauimus, quod cùm titulus ex se clarus sit, clarior tamen reddi potest per distinctionem de bono interiori, & exteriori. Vbi exterius nihil videtur valere, si non adsit interius, quia sicut in vanum lingua laborat, quando cor non orat: sic dicendum videtur in quocunque alio opere. Amplius clarificatur adhuc ex distinctione boni in liberale, pœnitentiale, indulgentiale, & suffragale. Vbi adnotamus, q̃ comparatio fieri debet inter bona eiusdē speciei, vt inter liberale, & liberale. Inter pœnitentiale, & pœnitentiale &c. Vbi crederemus facilius sic resolui posse quæstionem. Quòd semper opus liberale sit maioris meriti, vbi etiam maior sit charitas. Iuxta illud semper dimissa sunt ei peccata multa, quoniã dilexit multum. Minoris verò meriti, vbi minor sit charitas. Nullius autem vbi nulla charitas. Et quòd dicimus de liberali, diceremus de cæteris, facta comparatione ex parte agentis, dum loquimur de aliis à suffragali, vt scilicet qui agit opus pœnitentiale, vel indulgentiale in maiori charitate, magis mereatur, quàm qui in minori, & è contra. In suffragali verò, quoniam meritum attenditur tum penès agentem illud, cum etiam penès illos, pro quibus fit, dum respicimus agentem, idem dicendum iudicaremus, quod de cæteris dictum est. Dum verò haberetur respectus ad eos, qui recipiunt, attendenda esset eorum dispositio, quia vt dicit Philosophus actus actiuorum non recipiuntur nisi in patiente præd spposito, & iuxta eorum dispositionem sic concludendum. Existimandum verò, quod qui sunt in maiori charitate magis sint receptiui, qui in minori minus. Et qui defuncti sunt, secundum quod decesserunt in minori, vel maiori charitate, Cæterum si fiat comparatio inter bonum liberale, & indulgentiale, vel pœnitentiale, secus procedendum est. Quippe iudicandum est, quod semper vel plus meretur qui agit opus pœnitentiale, seu indulgentiale, quomodocunque habeat charitatem, ex superabundanti virtute clauium obedientiæ &c. Idem facta comparatione inter hæc & suffragale. Quòd si sit comparatio inter liberale, & suffragale, quoniam videtur maioris charitatis esse suffragale, cæteris paribus iudicandum est, quòd sit maioris meriti, vel æqualis, saltem cum liberali, si non coincidat cum liberali, quia potest esse simul liberale, & suffragale. Et tunc cæteris paribus maioris meriti videtur esse suffragale liberale, quàm suffragale simplex, vel liberale simplex. Hæc voluimus breuiter huic quæstioni apponere tantum. Cætera inuestiganda lectori prudenti relinquentes.

QVAESTIO XIX.

Vtrum pœna satisfactoria iniuncta à Sacerdote discreto, vel à iure taxata sufficiat pro tota pœna peccatis debita in purgatorio, de quibus confessus est, & pro quibus iniuncta est.

Arg. prin. CIRCA quartum arguitur, q̃ pœna iniuncta à Sacerdote discreto, vel à iure, sufficit pro tota pœna purgatorij, quia dicitur de pœnit. distinct 6. Quicunque peregerit post reconciliationem quandocunque defunctus fuerit, ad Deum vadit, ad requiem vadit, à regno Dei non priuabitur, à populo diaboli separabitur. Vnde super illud. Ad requiem vadit, dicit glossa. Recta via, ita quòd nec purgatorium sentiat pro illis peccatis, de quibus pœnituit.

In oppos. Contra. Maiori libidini maior debetur pœna, sed taxatio pœnæ à iure æqualis est in æqualibus factis exterioribus, & similitor sacerdotis discreti, quia quantitatem libidinis pensare non possunt: ergo pœna iuris etsi vni sufficiat & pro ipso satisfaciat: non oportet tamen quòd pro altero.

Resolut. q. Quæstio ista quærit de efficacia operis pœnalis pœnitentialiter iniuncti, quæ innititur virtuti clauium, vtrum tanta sit, quod iniunctum virtute clauium, sufficit pro tota pœna debita. Vnde quia quærit de virtute clauium, sciendum est, quòd is ecclesia est clauis scientię, de qua nihil ad præsens, & clauis potentiæ, in qua distinguitur, triplex potentia, scilicet ordinis, & iurisdictionis, & mixta. Ea autem quæ fiunt potentia ordinis ab omnibus æqualiter fiunt, qui ordinem æqualiter habent. Vnde omnes sacerdotes æqualiter consecrant: omnes Episcopi æqualiter ordinem conferunt. Talia sunt ordinis purè, & non iurisdictionis, propter quod vis ordinis in talibus suspendi non potest quin agant, quod ordinum est, quantuncunque excõmunicati fuerint, vel interdicti. Ea verò quæ meræ iurisdictionis sunt, non ab omnibus æqualiter fiunt, quia in aliquibus suspendi potest, ne talium aliquid ab eis fieri possit, vt excommunicare inferiorem, indulgentias dare, & huiusmodi. Nec omnes ex ordine & statu in ecclesia æqualem iurisdictionem in talibus habent. Aliqui tamen volunt dicere, quòd omnes sacerdotes æqualem potestatem habent in istis, licèt executio in sacerdotibus inferioribus restricta sit, & hoc in ordines celebrando, & in omnibus quæ etiam ad Episcopalis ordinis potestatem, & iurisdictionem pertinent, quia vt dicit Hieronymus. Qui nunc sacerdos olim Episcopus. Sed hoc non tenetur, quia semper ordo episcoporum, qui tenent locũ Apostolorum, fuit supra ordinem sacerdotum, qui tenant locum discipulorũ, vt dicit Gloss. Matth. 10. Et quod dicit Hieronymus. Qui nunc sacerdos olim Episcopus, hoc dicit, quia olim singulis ciuitatibus singuli Episcopi, & quandoque plures vni ciuitati præfuerunt Episcopi, vbi modo præsunt simpli-

simplices sacerdotes. De Episcopis tenent multi, quòd omnes æqualem habent potestatem, ita ꝙ quilibet habet totam clauium potestatem, sicut habuit quilibet Apostolus, non maiorem vnus, quã alter, licèt in hoc Petrus habuit aliquam prærogatiuam, quam modo habent sui successores, & hoc tum propter beati Petri meritũ, tum propter iussionem Domini: Tertiò propter Conciliorum auctoritatem, distinct. 17. capit. Concilia. Eius sedi primi Apostoli Petri meritũ: deinde sequuta iussione Domini: deinde Conciliorum venerandorum auctoritas, singulatẽ in ecclesijs tradidit potestatem. Quartò propter Apostolorum voluntatem. dist. 21. In nouo testamento per Christum dominum à Petro cœpit sacerdotalis ordo, quia ipsi primo Pontificatus in ecclesia datus est, dicente Domino; Tu es Petrus &c. Hic ligandi, & soluendi potestatem primus à Domino accepit: cæteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem, & potestatem acceperunt: ipsumque Principem eorum esse voluerunt. Ipsis quoque discedentibus in loco eorum surrexerunt Episcopi &c. Vbi super illud, Pari consortio dicit Gloss. Quantum ad ordinem. Petrus tamen fuit maior alijs in administratione. & distin. 22. cap. Sacrosancta. Inter beatissimos Apostolos fuit quædam discretio: licèt enim omnes Apostoli essent: Petro tamẽ à Domino concessum est, quod & ipsi idem inter se ad ipsum voluerunt, vt reliquis omnibus præesset Apostolis, & principium teneret Apostolatus, & eandem formam suis successoribus, & reliqui Apostoli Episcopis tenendam tradiderunt. Et sic in administratione, & regimine successor Petri præfertur, vt in eis, quæ iurisdictionis sunt, aliorum potestatem, secundum quod videbitur ei expediẽ modo restringere modo relaxare possit. Vnde vt dicitur in fine prædicti cap: sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctæ Apostolicæ sedis auctoritate omnes ecclesiæ Domino disponente reguntur. Sed quicquid est de alijs, vniuersalis indulgentiarum dispensatio de thesauro ecclesiæ ex merito Christi eidem reseruata est, & hoc potius, quia non usi sunt ea cæteri Episcopi, q̃ quia Summus Pontifex executionem eis subtraxerit, vt dicunt aliqui. Quas quidem indulgentias dispensare debet pensata vrgente necessitate, & communi vtilitate. Si tamen aliter faciat, periculo suo caueat.

Potestas verò mixta est in pœnę æternę in temporalem mutatione, & illius pro parte relaxatione, & vniuersaliter quæcunque habent fieri circa sacramentum pœnitentiæ, quia dependet ab ordine, eo quòd ibi nihil fieri potest nisi ab ordinatis, & similiter à iurisdictione, quia si ordinato subtrahatur iurisdictio in exequendo ea, quæ pertinent ad sacramentũ pœnitentiæ, nihil põt agere. Ita quòd circa ea, quæ pertinent ad executionem sacramenti pœnitentiæ, dispositio pertinet ad dispositionem summi Pontificis, in quo in aliquo habet maiorem potestatem cęteris, licèt in aliquo nõ nisi æqualem. In committendo enim potestatem, vel subtrahendo eam alijs, plenam habet potestatem solus super omnes, quã nullus alius habet. In administrando verò non habet maiorem potestatem alijs, quia in administrando non agunt sacramenta nisi sacramẽtaliter secundum virtutem à Deo eis concessam: non autem secundum statũ, aut dispositionem administrantis sacramentum. Ita quòd non plus valet sacramẽtum baptismi administratum à summo Pontifice, quam administratum à minimo sacerdote. Propter quod contrariũ sentientes reprehendit Paulus illos, qui dixerũt, 1. Cor. 1. Ego sum Pauli, Ego sũ Apollo. Diuisus est Christus, sup quo dicit Glo. Alius alio doctior est, alius alio melius operatur in eodem, nec sunt omnes æquali sapientia præditi. Alius verò alio magis minusve baptizatus esse, siue ab inferiore, siue à maiore baptizante, dici non potest, & infra dicit quædam glossa; Cum tantum valet baptismus per hominem contemptibilem, quãtum per Apostolum datus, ita nec illius, sed Christi esse cognoscitur, & sic in omni alio sacramento. Ita ꝙ cum in sacramento pœnitentiæ duo est cõsiderare, quæ respiciunt pœnam debitam peccatis, scilicet sacramentalem absolutionem, quæ peccata abluit, & pœnam æternam peccatis debitam mutat in temporalem, & aliquid etiam de illa pœna temporali relaxat, & sacramentalem satisfactionis iniunctionem, quantum est ex parte absolutionis in eis. quę ambo, & maior & minor possunt absoluere, non plus remittit de pœna debita maior, quam minor. Inquantum verò ad secundum, sciendum, ꝙ illa satisfactio, aut iniungitur sacramẽtaliter solum, aut simul & sacramentaliter & indulgentialiter ab eo, qui potest conferre indulgentias. Si sacramentaliter solum, sic si opere expleatur, dupliciter relaxat, partim quia sacramentaliter iniuncta, partim quia pœnalis est, & facta in gratia. Et vtroque modo non relaxat nisi secundum determinatam quantitatem, & non plus in vno, q̃ in altero, alijs eisdem se habentibus in vtroque, nec plus quando est iniuncta à maiore, q̃ quando à minore nec plus quando à iure, q̃ quãdo ab homine. Si verò iniungatur sacramentaliter, & indulgentialiter simul, sic differentia potest esse sola ex ea ratione, qua opus relaxat indulgentialiter: non autem ex ea ratione, qua relaxat sacramẽtaliter, ita ꝙ cum opus magis pęnale iniunctum sit vni sacramentaliter tãtùm, & aliud minus pęnale iniũctum sit alij sacramentaliter, & indulgentialiter simul ab illo, qui potest per illud indulgentiam conferre, benè potest minus pęnale plus de pęna relaxare, q̃ magis pęnale, & tantò plus quantò indulgentia maior confertur, ita ꝙ si possit, & velit minister per tale opus totam pęnam debitam relaxare, uerè totaliter tali opere completo totum relaxatum est.

Vnde si intẽtio Papæ sit, & hoc possit facere, quòd quicunque facit pęnitentias taxatas à canone pro certis

certis generib. peccatorum, aut taxatas à discreto sacerdote, sit liber ab omni pœna peccatis illis debita, verè liber est. Sed nō ex hoc, ꝙ opus huiusmodi sacramentale est, sed solum ex hoc, ꝙ est indulgentiale. Vnde contingit verum esse, quod aliqui Canonistæ dicunt, ꝙ pœnæ à iure taxatæ, vel à sacerdote discreto iniunctę peractæ satisfaciunt pro tota pęna, quod non est verum nisi secundum iam dictam distinctionem.

Ad argu princ. Ad primum argumentum, ꝙ qui peregerit pœnitentiam, nec purgatorium sentiet pro illis peccatis. Dicendum, ꝙ verum est si indulgentialiter pro omni pœna debita ab eo, qui pōt fuerit iniunctū. Sinautem, sed sacramentaliter solum: distinguendum, aut enim sufficienter est iniuncta, vt pro cōditione fori ecclesiæ militantis in vita ista, respondeat pœnæ debitæ pro foro ecclesiæ militantis in purgatorio, aut non. Si sic: omninò liberat. Si nō, aut dolor & contritio, & pœnæ deuotionis interioris cum pœna exteriori sufficiūt secundum iam dictum modum, aut non. Si sic: omninò liberat. si non: nequaquam, sed solum pro tanto, & oportet residuum soluere in purgatorio. De necessitate enim oportet totam pœnam persoluere hic, aut in futuro per se, vel per alium. Vnde pro illis, qui per opus indulgentiale soluunt, Christus potius ꝙ ipsis soluit, ex cuius merito habentur indulgentiæ, q̄ ille, qui facit opus indulgentiale. Vnde dictum illius decreti non intelligitur nisi de illo, qui sufficienter hic egerit, & perfectè pœnitentiam, quod raro de aliquo inuenitur. Vnde Aug. in 2. de pœn. (vnde decretum illud acceptum est) dicit sic, Baptizatus desertor & violator tanti sacramenti, si agat pœnitentiam ex toto corde, vbi Deus videt, qui vidit in corde Dauid quādo increpatus à propheta exclamauit, dicens, peccaui. Mox exaudiuit Dominus, & abstulit peccatum. Sunt tres syllabæ peccaui, sed in tribus syllabis cordis sacrificiū in cœlum ascendit. Igitur, vt sequitur continuò, qui egerit veraciter pœnitentiam, & solutus à ligamento, & à corpore corruptibili separatus, & benè post pœnitentiam vixerit sicut ante viuere debuit post reconciliationem &c. Ecce planè loquitur de illo, qui perfectam pœnitentiam egerit dolore, & contritione interiori, propter quod non valet decretum ad propositum.

Ad arg. in oppos. Ad secundum, quòd maior pœna debetur maiori libidini, verum est, vel interior, vel exterior, vel per se, vel per alium exhibita, secundum dictum modum: alias verò non.

Comment. in Quæstionem XIX. quæ est,

Vtrum pœna satisfactoria iniuncta à Sacerdote discreto, vel à iure taxata sufficiat pro tota pœna peccatis debita in purgatorio, de quibus confessus est, & pro quibus iniuncta est.

IN tit. nota ex Auctore, ꝙ q. ista quærit de efficācia operis pœnalis iniuncti pœnitentialiter, quæ efficacia innititur virtuti clauium, verum. t. tanta sit, ꝙ iniunctum virtute clauium sufficit pro tota pœna debita. Hæc autem virtus clauium quomodo distinguatur, & quid, quale res sit vnumquodque membrum distinctionis in litera manifestissimè declaratur ab Auctore, & nota sunt ex omnibus.

In corpore est distinctio. Et secundum membra duplex conclusio.

De primo. Distinctio est de iniunctione satisfactionis, quod aut iniungitur sacramentaliter solum, vel sacramentaliter, & indulgentialiter simul.

Not. ꝙ immediatè quilibet sacerdos habens claue potestatis, & iurisdictionis, vt curatus, & confessor ordinarius, ab ordinario admissus pōt sacramentaliter pœnitētiam iniungere, non autem indulgentialiter, quia solus Papa immediatè habet huiusmodi iurisdictionem indulgentiarum, tametsi mediatè possint & alij, applicantes, s. indulgentias à Summo Pont. cōcessas.

Prima conclusio. Pœnitentia iniuncta tantum sacramentaliter, si expleatur, non relaxat nisi secundum determinationem, seu determinatam quantitatem, a quocunque iniungatur habente auctoritatem, & cuicunque.

Secunda conclusio. Pœnitentia iniuncta tam sacramentaliter, quam etiam indulgentialiter, relaxat plus, & minus, secundum quod sunt maiores, vel minores indulgentiæ.

Not. ꝙ fortè hæ conclusiones videbuntur difficiles, si non determinetur in primis debita pœnarum quantitas, & deinde valor indulgentiarum. Sciēdum igitur, ꝙ quantum colligere licet ex sacris Can. pœna debita quantum ad quantitatem est varia, vt tñ ad minus sit septem annorum pro peccato mortali. Quod intelligitur regulariter. Et hf 22. q. 1. Prædicandum in gloss. Et 33. q. 1. Hoc ipsum, §. seq. Et quidem magis, vel minus aspera secundum maioritatem, & minoritatem criminis, & vniuersaliter, non singulariter. Et si hodiè sint arbitrariæ etiā vt habetur 26. q. 7 Tempora. Et de pœn. dist. p. mēsurā. Cautè tamē debet procedere sacerdos, & ob hoc. D. Ant. sacerdotes cōfessarios scire debere aut Canones pœnitentiales, qui sunt num. 46. in quibus variatur septena pœnitentia. Vide ipsum 3 p. tit. 17. c. 20. & cap. 21 §. 5. Nunc itaque si pœna sit iniuncta æquiualens, vt sit quidem arbitraria, sed non diminuta, vel quoad extensionē, vel quoad intensionē, iuxta dictamē discretionis, vt iuxta qualitatē peccati, sit & plagarū modus. si acceptetur, expleatu. q vtiq; relaxat pęna purgatorij. &c.

Quantum verò ad indulgentias, qm̄ scimus, quod, & quō dantur, ita relaxant secundum quod sunt maiores, atque minores. Esto Callias, qui cōmisit homic. voluntariū, tm̄ Can. pœnitere debet p septē annos. Nunc autē intra tale tps, confitet, est quē tēpus alicuius indulgētiæ, puta, ꝙ qui visitauerit talem eccles. acquirat indulgent. ā trīū ann. confessarius autē illi applicat, & imponit, vt visitet deuotè talē eccles. & superaddit pœn. sacramētaliter, vel per annum, vel per æquiualēs &c. profectò ex vi indulgētiæ illi nō relaxat pœna debita in purgat. nisi per tres annos, sacramentalis aūt tm̄ debitā quantitatem. Sed q̄m nobis credere licet, hoc difficile est determinare, vbi duo sunt, quæ nos respiciunt in Deo, diuina. s. iustitia, atq; diuina misericordia, vbi semper iustitia potius placāda est cū cōritione, & per misericordiā veniā sperare, pœnitēdo, & satisfacēdo, bona fide, tm̄ ꝙ pœnit. iniungūtur, vbi ideò diligenter notāda sunt, quæ dicit in respōs. ad 1. Et notare oportet illud, quod dicit D. Th. 3. p. q. 1. art. 2. ad 2 & alibi, quod homo pōt satisfacere Deo tm̄ æqualitatem proportionis, per acceptatiōnē infinitæ misericordiæ Dei, nō aūt tm̄ æqualitatem quātitatis offensæ. vbi cōsidera, ꝙ tñ hoc nō cōtradicat superius dictis, q a alia est quātitas offensæ, alia est q̄titas pœnæ iā cōmutatæ in tēporalem. Quātitas offensæ est infinita, ideò pœna infinita punitur. Sed mutata in temporalē habet quantitatē finitā, quæ à Sac. Can. taxata est, vt videre est apud D. Ant. vb. sup. Sed vt dicit D. Th. nec illi Can. seruādi sunt in pœnit. iniungēdis semper, sed debēt moderari tm̄ cōditiones peccati, & peccatoris, 4. Sent. dist. 16. & alibi. Immò dist. 18. q. p. ar. 3. satisfactionē grauem non vult imponi, ne spiritus frāgatur, sed notificari dēt pœnitenti, ut benè agendo assuefiat ad maiora. Et si libenter apponit se factuū ꝙ, pōt iniungi tm̄ Canones. tm̄ aūt maxima moderatione vti confessarius debet.

QVÆSTIO

QVAESTIO XX.

Vtrum mulier, quæ genuit prolem in fornicatione postquàm factum adultum videat eum benè conuersari, possit simul velle habere illum filium, & detestari actum fornicationis, quo eum genuit.

SEQVVNTVR quæsita de humana natura ex parte coniuncti ex corpore, & anima quo ad pertinentia ad statum culpæ.

Duo pertinentia ad statum culpæ præteritæ; alia verò plurima pertinentia ad statum culpæ instantis.

Primum, vtrum mulier, quæ genuit prolem in fornicatione, postquàm factum adultum videat eum benè conuersari, possit simul velle habere illum filium, & detestari actum fornicarium, quo eum genuit.

Secundum verò erat, vtrum accipiens tonsurã clericalem ab alieno Episcopo in excommunicatione, debeat post absolutionem iterum tõsurari.

Arg prin. Circa primum istorum arguitur, ꝙ sic. quia voluntas libera potens est ad diuersa, & contraria.

In oppos. Contra sequitur, habet hunc in filium: ergo fornicata est, & nemo potest velle antecedens, nisi velit consequens.

Respons. Dicendum ꝙ in proposito aliud est iudicium de posse velle, & de debere velle. De posse velle sciendum, ꝙ circa progenitum in fornicatione est duo considerare circa actum generandi, s. substantiam actus, & circunstantiam, quia ex fornicatione, & similiter duo circa genitum. s. naturam, & bonam cõuersationem. Et tria istorum potest velle, simul detestando circunstantiam fornicationis circa actum, quia velle, & detestari non sunt circa idem, sed illam circunstantiam nullo modo debet velle, nec actum cum illa circunstantia adiuncta. immò potius deberet velle talem prolem, etsi esset sanctior Ioanne baptista, non habuisse, quia pro nullo bono creaturæ debet aliquis consentire in offensam Dei, siue de præterito, siue de præsenti, siue de futuro. Similiter licèt sine peccato potest velle mulier aliqua prolem bonam, se habere ex matrimonio, tamen plus deberet velle eam, nõ genuisse quantuncunque bonam, & in virginitate permansisse, quia modicum de augmento in propria gloria plus debet appreciari, quàm gloria alterius summa cum detrimento gloriæ propriæ. Hinc Ambr. libro 3. de sancta viduitate commendans Iulianam viduam tres habentem filias, dicit sic. Honoremus hanc viduam, quia scriptum est, viduas honora, quæ verè viduæ sunt, licet verborum nostrorum honorem non ambiat, quæ mandatum Apostoli adæquauit habens in bonis operibus testimonium, quòd benè filias educauerit, melius instituerit. Describens autem quomodo filias suas instituerit, subdit dicens. Videte filiæ longeuam matrem, plenam & adhuc immaturam virtutum stipendijs. Videtis amissum omne præsidium, & ornamentum, non auxilium viri habeo, nec virginitatis gratiam, & de me leuis cura. Vos mœreo, vos considero, remanserunt mihi onera coniugij, hæredum adiumenta. Quanto mallem in hos nunquàm venissemus. Potestis tñ excusare patrem, alleuiare matrem, si qđ in nobis amissum est in vobis recompensetur. Hoc solo nos coniugij non pœnitebit, si vobis labor noster profecerit. Proximum putabo matrẽ esse virginum, ac si virginitatem tenerem. Ecce quia dicit mallem in hæredes nunq̃ venisse q̃uis bonos. Et cum consequẽter profiteretur ipsa viduitatem, & illæ virginitatem, subdit dicens. At vtinam non licuisset & mihi dicere, quæ Christo profitemur, & tñ profiteamur ego viduitatem, vos virginitatẽ. Ecce quia voluit virgo permãsisse, vt nec profiteretur viduitatem, nec filias haberet profitentes virginitatem. Alijs ergo eisdem retentis, nec propter bonũ prolis matrimonium virginitati præferendum est, sed è conuerso magis. Bonum. n. prolis non tàm prodest matri quantuncunq; bona sit, quòd eam genuit carne, q̃ ꝙ eam genuit fide. dicẽte Augustꝰ. de Virgine MARIA in lib. de sancta virginitate. Scriptum est in Euangelio, quicunq; fecerit voluntatem Patris mei ipse mihi frater, & mater, & soror est. quid aliud nos docens, nisi carnali cognationi genus nostrũ spirituale præponere, nec inde beatos nos esse, si iustis, & sanctis carnis propinquitate iungimur, sed si eorũ doctrinis, & moribus obediendo, atq; imitando cohæresc̃unt. Beatior ergo MARIA percipiendo fidem Christi, q̃ concipiendo carnem Christi. & infra. Materna propinquitas nihil Mariæ profuisset, nisi fœlicius Christũ fide, q̃ carne gestasset. Vnde si alia virgo fœlicius Christũ gestasset, q̃ Maria, magis illi, q̃ Mariæ ꝓfuisset. Cum ergo Helisabet per corruptionem Ioannem Baptistam genuit, malle tñ debuit, ꝙ ipsa virgo permãsisset, alijs eisdem retẽtis, videlicet ꝙ alia eum in corruptione genuisset carne, & ipsa tñ quantum illa genuisset fide, & cæteris huiusmodi.

Ad primum obiectum, ꝙ simul põt vnum velle & alterum detestari, quia voluntas est libera: Dicendum ꝙ hæc non est ratio, sed quia obiecta non sunt contraria, vt dictum est. *Ad arg. princ.*

Ad secũdum, ꝙ habere hunc filium est antecedens ad fornicatam fuisse, dicendum ꝙ verum est, sed per accidens. Potuisset enim eum habuisse eũdem sine fornicatione. Et cum dicitur ꝙ non potest velle aliquis antecedens sine consequente, dicendum ꝙ verum est quãdo est per se consequens, non autem quando est solum per accidens. *Ad arg. in oppos.*

Comment. in Quæstionem XX. quæ est,

Vtrum mulier, quæ genuit prolem in fornicatione, postquàm factum adultum videat eum benè conuersari, possit simul velle habere illum filium, & detestari actum fornicationis, quo eum genuit.

TITVLVS clarus.

In corpore est conclusio. Potest velle substantiam actus, naturam, ac bonam conuersationem, detestando circunstantiam. Probatur. Quia velle & detestari non sunt circa idem.

Not. illud ipsum, quod notat Auctor. nempè, quod aliud sit debere velle, & aliud posse velle. Et quantum ad debere velle, cum status incorruptionis sit status perfectior, deberet velle potius non habere filium, quàm habere, etiam quantum ad substantiam actus, naturam, & bonam conuersationem, vt melius esset virginitatem habere. ad quod inducitur Ambrosius in libro de virginitate. Sed huc non tendit quæstio, quæ est de posse velle. Vbi not, quòd conclusio probari potest, quo ad tria illa, quæ potest velle, sic. Quod suapte natura bonum est, in quolibet genere, & moris, vnusquisque potest velle. Sed substantia actus, quo generatur filius, & natura filij, & bona conuersatio eiusdem, bona sunt, igitur vnusquisque potest velle. Quo verò ad circunstantiam, quòd eam quis detestari debet, nec possit velle simul. Probatur. Quod est suapte natura malum, debet quis detestari, sed fornicatio est huiusmodi, igitur. Arg.

Tunc sic rursum. Nemo ritè potest velle simul repugnantia ad inuicem, sed bonum, & malum repugnant. Igitur &c.

Not. q̃ hoc hoc posse velle intelligitur absque peccato, quia cum peccato potest vnusquisque velle, & de facto sunt qui volũt. Et hoc est not. pro priori argumento.

QVAESTIO XXI.

Vtrum accipiens tonsuram clericalem ab alieno Episcopo in excommunicatione, debeat post absolutionem iterum tonsurari.

Responsio.

IRCA secundum nullum proponebatur argumentum.

Ad quod dicendum, q̃ secundũ iam supradicta ea, quæ sunt ordinis purè, executionem effectus sui semper habent. Vnde Episcopus hæreticus, schismaticus, vel excommunicatus quos ordinat ordinati sunt, sicut quod consecrat consecratum est. Et ideò consimiliter quem tonsurat, quantuncunque in excommunicatione tonsuratur, clericus est, & tonsuratus, nec absolutus debet iterum tonsurari. Si verò hoc sit purè iurisdictionis, quia super hoc nulla facta est prohibitio, quòd tonsuratus in excommunicatione nihil recipit, ideò adhuc, quod factum est circa ipsum ratum est. In op.

Comment. in Quæstionem XXI. quæ est,

Vtrum accipiens tonsuram clericalem ab alieno Episcopo in excommunicatione, debeat post absolutionem iterum tonsurari.

CONCLVSIO negatiua. Vbi nota argumentum esse à fortiori. Si hæreticus, vel excommunicatus rectè ordinat, ita vt ordinatus non debeat iterum ordinari, multò fortius id faciet Episcopus Catholicus, & nullo pacto impeditus, vt supponitur. Sed non videtur hoc argumentum aliquid valere, quoniam à diuersitate agentium non arguitur diuersitas materiæ, nec ab identitate agentium arguitur identitas materiæ. Non videtur autem eadem materia subiecta excommunicatus, & non excommunicatus. Resp.

Aduertendum autem ad euidentiam, Quod tollit excommunicatio circa sacramentorum perceptionem, & si prima tonsura non sit nisi dispositio quædam ad ordinis sacramentum, priuat quidem à rita Sacramentorum perceptione, tùm actiua, cùm etiam passiua. Nempè à re ipsa sacramenti, ita quòd recipi, aut administrari sacramentum non possit sine peccato mortali, tamen quicunque excommunicatus vel recipit, vel administrat, participat, sed non ritè, & priuatur re sacramenti, addens peccatum. Non est tamen quòd sacramentum vel perceptum non sit, vel administratum. Vnde excommunicatus conficiens, conficit, sed peccat, & tamen inquam conficit, & qui sacram Eucharistiam susçipit, susçipit sacramentum, & susceptum est, licet peccet. Sic qui ordinat, & ordinatur administrat sacramentum, & recipitur sacramentum, licet non res sacramenti, quæ est gratia Multò igitur magis quis potest Episcopus existens excommunicatus dare primam tonsuram, id nesciens, & ille erit tonsuratus, licèt cum peccato. Vt si ordo non sit itérandus, nec ipsa tonsura. Et hoc, quia quæ sunt purè ordinis, executionem semper habent sui effectus.

QVAESTIO XXII.

Vtrum res præscripta in bona fide, cum notum fuerit de mala fide, statim tenens teneatur illam ei restituere, ad quam aliàs de iure debet pertinere.

SEQVVNTVR pertinentia circa hominem ad statum culpę præsentis. Quorum vnum erat ex facto præterito. Quędam verò alia ex facto præsente. Primum illorum erat, vtrum res præscripta in bona fide, cum notum fuerit de mala fide, statim tenens eam teneatur restituere illam ei ad quem aliàs de iure debet pertinere. Et arguitur, quòd non, quia res iustè teneri potest eius auctoritate, qui eam potest dare; sed Codice de præscriptione quadragennali benè à Zenone dicitur, quòd princeps omnium rerum dominium habet, quo ad proprietatem, & talis benè potest rem dare, & auctoritate eius benè potest retineri. Sed tenens rem mala fide præscriptam non vi, aut clam, & cęteris huiusmodi, retinet eam auctoritate Principis, qui in lege de præscriptione super hoc auctoritatem suam adhibuit. ergo &c.

Arg. prim.

Contra. illud debet restitui, quod absque peccato mortali non potest retineri, sed talis res absq; peccato mortali non potest retineri. extra dè præscriptione. cap. vlt. vbi dicit quòd qui præscribit nullo tempore debet scire rem alienã. ergo quàm citò scit alienam iam non valet ei præscriptio. ergo &c.

In oppoſit.

Dicendum ad hoc, quòd omnis præscriptio ad ius positiuum pertinet, quod debet valere, aut ad iuris naturalis declarationem, aut ad eius efficaciorem obseruationem, aut ad transgressionis eius punitionem.

Reſponſio.

De primis duobus modis nihil ad propositum. Sed de tertio sciendum, quòd ad transgressionis punitionem ius positiuum dupliciter pœnalia statuta constituit.

Vno modo pœnas certas delictis imponendo, vt quòd voluntarius homicida captus occidatur. de quo adhuc nihil ad præsens.

Alio modo in detestationem vnius criminis punitioni alterius sese non intromittendo. de quo ponit August. exemplum. i. de libero arbitrio dicens. Discutiendum videtur, vtrum hostis irruens vel insidiator sicarius, siue pro vita, siue pro libertate, siue pro pudicitia, siue vlla interficiatur libidine. Et si dicatur, quòd non, contra hoc statim concludit. Non ergo lex iusta est, quæ dat potestatem, vel viatori, vt latronẽ, ne ab eo ipse occidatur, occidat, vel cuipiam viro, vel fœminæ, vt violentum stupratorem irruentem ante illatum stuprum si possit interimat. Et infra. Quapropter (inquit Augustin.) legem non reprehendo, quę tales permittit interfici. & infra. Videtur mihi legem istam quæ populo regendo scribitur rectè ista permittere, & per diuinam prouidentiam vindicari. Ea enim vindicanda sibi hæc assumit, quæ satis sunt conciliandæ paci hominibus imperitis, & quanta possunt per hominem regi. Illud ergo quod isto modo statuitur in detestationem criminis non puniendum, sed permittendum, statui non debet, nisi propter bonum, & pacem reipublicæ, & quatenus vergit in pacem, & bonum reipublicæ. Vnde si essent casus aliqui in quibus legem huiusmodi statuti obseruare nullo modo vergeret in pacem, & bonum reipubl. casus huiusmodi excipi deberent. quia iniquum esset ipsos sub generali statuto comprehendi, ita quòd etsi in prima legis cõstitutione legislator eos non exciperet, postmodũ tamen legis directiuus siue correctiuus eos deberet excipere, vt si in primo statu descriptione non essent excepti casus illi, quibus aliqui vi vel clam præscriberent, postquàm compertum esset, quòd vergerent in detrimentum, & disturbationem reipublicę, excipi deberent, nec vnquàm debuit legislator sapiens eos velle, aut intendere includi. Vnde quia lex de præscriptione iustè instituta est ex intentione instituentis, ne lites fierent immortales, & in pœnam differentium per totum tempus præscriptionis sua repetere, sic debet lex intelligi de præscriptione, vt in his legislatoris intentio obseruetur, & cum hoc quantum possibile est indemnis innocentia conseruetur. Et est duplex statuti de præscriptione expositio secundum duplicem opinionem circa primum, tacta extra de præscript. Vigilanti vt infra videbitur. Vna quòd res præscripta continuè, nec vi, nec clam, nec contra aliquã conditionem casus cuiuscunque quibus iura determinant legem, & modum præscribendi, iure præscriptionis facta est præscribentis finito tempore præscribendi à iure præfinito, & iam desinit esse illius, contra quem præscribitur, ita quòd conquerens de cæterò non est audiendus. Et secundum leges ciuiles, vt dicit Glos. extra de præscript. cap. vlt. etiam præscribens licèt currente tempore præscriptionis fuit malæ fidei possessor, & iniustè atque in peccato mortali scienter detinuit alienum, tamen elapso tẽpore præscriptionis iam factus est bonæ fidei possessor, & iustè, & sine omni peccato incipit detinere non alienum, sed quod suum est, & hoc legislatoris, & legis auctoritate, qua nemo peccat. Sed an ita possit esse perscrutandum est. Est planum omnibus, quòd facere illud, quod est alicuius, non esse suum, sed alienum, & esse alterius,

terius, nullus potest nisi vna de causa ex his duabus. Aut quia ille, qui hoc facit maius habet dominium in re illa, ita quòd inferior nullum ius habet in ea re, nisi de voluntate illius, & quandiù ipse voluerit.

Sic Deus fecit, ꝙ illud quod erat Aegyptiorum esset Hebræorum quando præcepit eis, vt spoliarent Aegyptios. Exod. 12. Sic etiam Dominus potest facere, ꝙ bona, quæ sunt serui, sint non sua, sed alterius. Aut quia est aliquod ius legis naturæ & diuinę, aut humanæ, propter quod quod suum est debet esse non suum, sed alienum, & hoc non nisi propter delictum illius cuius est, quod vergit in detrimentum, & disturbationem reipublicæ, & quo lęditur innocentia, & fouetur malitia. Hoc modo auctoritate legis naturæ iudex minister legis facit, quòd illud, quod est illius, qui non vult reddere mutuum, fiat non suum, sed illius cui mutuò tenetur. Hoc etiam modo per edicta Ecclesiastica in certis criminibus commissis contra Ecclesiam, feudum, quod est alicuius, quod tenet de Ecclesia, fiat nō suum, sed Ecclesiæ, à qua tenet illud. Vnde in casu in quo lædituꝛ innocētia, & fouetur malitia, absque omni bono, quod inde possit prouenire reipublicę, nec est, nec debet esse intentionis legis, aut legislatoris, aut ministri legis, quòd id quod est alicuius fiat non suum, sed alienum, nec debet legislator hoc statuere fieri, aut dare occasionem, quòd fiat, immò potius non permittere, & statuere ne possit fieri. In proposito autem casu prędcriptionis, quod est suum non fit non suum, sed alienum, nisi ex vltima causa. (.ex legis statuto, vt ponit prędicta opinio. Sed quòd non sic debet intelligi lex de prędcriptione, sicut exponit eam dicta opinio, hic ex iam dictis videtur declarari sic. Vt enim patet ex iam dictis, statutum pœnale faciens de suo non suum, hoc debet facere propter culpam veram, vel prędumptam tali prędumptione, contra quam non admittitur exceptio eius cuius res primò est, vergentem in detrimentum reipublicę verè, vel prędumptiuè, ita ꝙ idcirco ex hoc non lædatur innocentia, neque foueatur malitia, neque detur occasio huiusmodi absque euidentissima vtilitate reip. quæ alias obtineri non posset. Vnde statutum de præscriptione sic debet intelligi, vt per ipsum procuretur reipublicæ vtilitas, & non lædatur innocētia, nec foueatur malitia prout est possibile fieri. Ita ꝙ ille non sit rectus intellectus statuti per quem ex statuto in aliquo casu si possit contingere lędeꝛetur innocentia, & foueretur malitia absque euidentissima vtilitate reipublicæ, quæ aliàs obtineri non posset. Nunc autem ita est in casu nostro proposito. Posset enim contingere, ꝙ aliquis intendens peregrinari in remotis partibus, fundum aliquem locet vicino suo vsque ad annum sub tali conditione, ꝙ extunc restituat eum hæredibus quos relinquit, & statim recedere. Ille autem non seruat pactum, & anno elapso non restituit fundum, sed mala fide possidet tanquàm suum, hæredibus fortè paruulis, aut negligentibus, restitutionem fundi non petentibus, nec reclamantibus, & sic præscribit, tempore verò præscriptionis elapso reuertitur peregrinus, & petit fundum, ille autem, qui tenet dicit, ꝙ nō reddet, quia suus factus est iure præscriptionis. Ecce si iustè detinet quomodo innocentia lædituꝛ, & malitia fouetur per prædictum intellectum statuti. Sed dices, ꝙ etsi lædatur sine culpa sua, non tamē sine culpa suorum. Sed esto ꝙ dixisset hæredibus suis in suo recessu, ꝙ fundus ille suus esset, & ꝙ eis post annum restituendus esset, sed totum hoc bonæ fidei alterius commisisset, tunc sine culpa sua, & suorum, innocētia lædeꝛetur. Sed dices, debuisset dimisisse procuratorem diligentem. Sed ponatur ꝙ non proposuisset morari, nisi per tàm modicum temporis, intra quod iura non iudicarent eum debere dimisisse procuratorem, & interim captus violenter, vel etiam in domo sua occultè, & indo clam ad loca remotissima per totum tempus præscriptionis absens, vt à nullo possit sciri, quo ipse deuenit, sic adhuc nullo modo est in culpa. Sed dices adhuc, ꝙ etsi in isto casu lædituꝛ innocentia sine culpa, non tamen sine causa, quæ est prędicta propter quam statutum editum est, quod propter vnum casum non debet infringi, qui etiam excipi à statuto non debet, quia prædictam causam absentię suę fortè probare non posset, & ideo non crederetur ei. Sed esto ꝙ probare posset, & hoc in iure proponit, re vera videtur ꝙ audiri deberet. Vnde de prędcripti. capitulo vltimo super illud. Nulla valeat præscriptio absque bona fide. dicit Glossa. Benè debet audiri, qui vult probare malā fidem ab initio habuisse, quia postea prędcribere non potuit. Vnde talis casus si prędcogitatus fuisset à legislatore, excipi debuisset, aut oportet assignasse euidentem vtilitatē reipublicę inde prouenientem, quam aliàs non obtineret. Sed dices ꝙ illa est ne lites fiant immortales. ergo saltem salua ista vtilitate sic debet temperari intellectus edicti, vt obseruata ista vtilitate, vel quacunque alia, sic debet intelligi edictum, quo potius, & magis consulitur innocentię, ne lędatur, & obuiatur malitię, ne foueatur. hoc autem fit, si cum hoc, ꝙ lex publica non assumit sibi huius facti correctionem propter publicam pacem, dimittat tamē eius correctionem legi superiori scilicet diuinę, dimittendo scilicet conscientiæ detentoris, vt si habeat conscientiam, ꝙ mala fides fuit in prędcribendo, aut ab initio detentionis rei à primo detentore, ꝙ restituat detentum sicut alienum. Sin autem, ꝙ reseruet si velit. Per hoc enim quòd sic conscientię suę relinquitur, non minus consulitur paci reipublicę, q̄ si assecuretur in conscientia. Sed minus consulitur innocentię, & minus resistitur malitię. Propter quod est aliorum opinio, ꝙ res ſm̄ omnes conditiones præscribendi legitimè prędcripta hoc

solo

solo desistente, quòd aliquando in præscribendo, vel ab initio in detinendo, vel ipse, qui nunc rem detinet, vel aliquis prædecessorum eius fuerit malæ fidei possessor, non est iure præscriptionis sic facta præscribentis, aut tenentis eam, ꝙ desinat esse illius contra quem præscribitur, sed quòd de cætero coram iudice super illius rei repetitione non est audiendus, quia vt dicitur de præscript. cap. Ad aures. Quadragennalis præscriptio actionem prorsus actionem excludit. Et sic lex permittit conscientiæ suæ restituere, vel non restituere, & similiter correctionem si contra conscientiam non reddat, legi diuinæ, & iudicio Dei. Ita ꝙ si habeatur conscientia, ꝙ ab initio ipse, vel aliquis prædecessorum suorum in illa re fuit malæ fidei possessor, confidendo in iure præscriptionis non debet super hoc conscientiam deponere qua putat se male detinere, immò debet eam sibi informare, quia in rei veritate eam male detinet. Hanc opinionem puto esse veriorem, & credo ꝙ magis concordat iuri canonico, etsi fortè alia magis concordet iuri ciuili, quod in hoc debet imitari ius canonicum, vt extra de præscript. cap. vlt. vnde argumentum secundum assumptum est, vbi dicitur. Quoniam omne quod non est ex fide, peccatum est, synodali iudicio definimus, vt nulla valeat absque bona fide præscriptio, tàm canonica q̃ ciuilis, cum generaliter sit omni constitutioni, atque consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest obseruari. Vnde oportet, vt q̃ præscribit in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienæ. Quod non est ex fide. glos. 1. ex conscientia. Tàm canonica, q̃ ciuilis. Glos. Videtur ꝙ Papa voluit præiudicare præscriptioni laicorum, quæ locum habet, vbi etiam habuit malam fidem in præscriptione. Dicebat Ioan. ꝙ ratione peccati hoc statuit Papa de præscriptionibus laicorum, quia omnis causa ratione peccati talem indirectè pertinet ad Ecclesiam, supra de iudicijs. Nouit. & secundum hoc omnia iura ciuilia, quę tractant de præscriptionibus non tenent hodie. Sed hoc nõ credo, sed quo ad ius diuinum verum est illud, quia sine mortali peccato laicus præscribens talem rem retinere non potest, & ille qui præscribit, bonam fidem debet habere, & lex aliud cõsiderauit, quàm canon. Lex enim consideravit negligentiam non petentis rem suam. supra eodem. Vigilanti, sed canon consideravit peccatum præscribentis mala fide, quod non excusat negligentiam non petentis rem suam, & ideò dicit hic, ꝙ nulla valet præscriptio canonica, vel ciuilis, quæ sine peccato mortali obseruari non potest. Vnde potius standum est canoni, q̃ legi in hoc casu, quia præscribens non excusatur per rationem legis, & ideò concilium voluit propter periculum animarum leges in hoc corrigere. Ecce planè ꝙ concilium per hanc literam voluit præiudicare p̃scriptioni legum, quæ malam fidem habuit in præscriptione, vel in detentione rei alienæ ab initio, non quo ad hoc, ꝙ in nullo tenerent hodie, immò tenent, quo ad hoc, ꝙ contra malæ fidei præscribẽtem post præscriptionem nemo auditur, etiam licèt aliquis velit probare malam fidem: sed secundum canones debet audiri, vt dictum est iam, & quo ad hoc iura canonica corrigunt leges non reuocant. Licèt enim sic seruetur in iudicio sæculari, vt sequitur in glos. prædicta, tamen secundum iura diuina quæ canones imitantur, non permittitur, sed vindicatur illud, quod leges permittunt de præscriptionibus, & in hoc non tenet secundum legem diuinam, quod tenet secundum legem ciuilẽ. Non tamen in hoc illæ leges vituperandæ sunt, vt dictum est supra secundum August. vbi subdit dicens. Laudo, & probo istam quàmuis inchoatam minusque perfectam. Videtur enim lex ista, quæ regendis ciuitatibus fertur, multa concedere, atq; impunita relinquere, quæ per diuinam tamẽ prouidentiam vindicantur, & rectè. Neque enim quia non omnia facit, ideò quæ facit improbanda sunt. Vnde quia leges de præscriptione permittunt impunes mala fide præscribentes, nõ ideò malæ sunt, nec sic reuocatæ, vt nõ teneant in benè dictis suis, quemadmodũ malæ sunt leges permittentes vsuras, & per canones hodie non tenent, sed reuocatę sunt omninò, quia in nullo habent benè dicta, vt notatur de vsuris. capitulo. Quia in omnibus. Et hoc ideò, quia edicto publico permittere, quod omninò malum est, iniquum est: licèt quandoque de facto possit dissimulari. Si verò leges ciuiles intellexissent, sicut dixit præcedens opinio, ꝙ præscriptio præscribentes in mala fide assecuratet, & excusaręt, ne deberent post præscriptionem rem restituere, hæc iniquitas fuisset, & quo ad hoc propter periculum animarum nequis prę̃scribens putaret se excusari, canon dictus corrigit leges. Vnde si per legem præscriptionis debeat aliquis excusari detinendo rem alienam, oportet ꝙ in præscribendo in nulla parte temporis ab initio, quo incipit præscribere vsque in finem habeat conscientiã rei alienæ, quod si contingat, tũc post præscriptionem non tenetur sibi facere conscientiam de re, quòd sit aliena, siue quòd sit ab aliquo prędecessorum suorum ab initio malè detenta, aut in mala fide præscripta, immò debet eam deponere si potest tanquàm erroneam. Sed si omninò non potest, vt euitet mortale, quod incurreret detinendo rem contra conscientiam, debet eam restituere, secundum illud cap. de præscriptionibus. Vigilanti studio cauendum est, ne malæ fidei possessores simus in prędijs alienis. quoniam nulla antiquorum dierum possessio iuuat aliquem malæ fidei possessorem, nisi tempuerit, post quàm se nouerit aliena possidere, cum bonæ fidei possessor dici nõ possit. Vbi tamẽ Glossa tangit duas opiniones prædictas super illud. Se nouerit. dicens sic. Quod intelligendum est si ante completam præscriptionem habuit malam fidem, quoniam, qui mala fide prę̃scribit, non possidet.

Sed pone ꝙ poſt completam præſcriptionem incipiat habere malam fidem, nũquid tenetur ipſam rem reddere vero Domino? Videtur ꝙ ſic, quiã iã ſcit, ꝙ res ſua non eſt, quia non dimittitur peccatum. 14. quæſt. 3. Si res, Sed contra videtur, quia completa præſcriptione iam tutus eſt ſecundum vtrunque ius: ergo iure poſſidet. Si iure; ergo & iuſtè & benè. Item conditor canonis, vel legis poteſt mihi dare rem alienam, & tutus ero. ff. de euic. Lucius. §. De quadriennali præſcriptione, benè à Zenone. & per totum, & ſic multò fortius potuit inducere hanc præſcriptionem in odium negligẽtium. Quidam dicunt ꝙ quandocunque habeat cõſcientiam rei alienæ tenetur eam reddere, aliàs peccat. Alij dicunt (quod videtur verius) ꝙ non tenetur eam amplius reddere, quoniam iam non eſt aliena, immò ſua, & iuſtè eam poſſidet, quia iurè. Sed mihi videtur verius ſecundum prædicta illud, quod dicit prima opinio. Vnde potius exponendum illud. Nouerit. quandocunq; habuit malam fidem, & maximè ſi ante completam præſcriptionem. Et quod dicitur, ꝙ tutus eſt ſecundum vtrunque ius: Dicendum ꝙ verum eſt ſecundum ius ciuile, non autem ſecundum canonicum, vt patet ex dictis. Quod ergo arguitur primò, ꝙ conditor legis poteſt dare legem alienam: Dicendum, ꝙ non puto ita. Principes enim ſunt non domini rerum ſubditorum, niſi eſſent ſerui, ſed tutores, ac defenſores habentes propria ſtipendia ſibi deputata in prima inſtitutione, non natura, ſed de populi voluntate, qui regem ſibi inſtituendo non ſubiecit ſe ſeruituti eius, neque quo ad perſonas, neque quo ad res ſuas. Vnde proprijs ſtipendijs debet eſſe contentus, nec pro voluntate ſua facere poteſt de iure, quod eſt alienum, vt fiat ſuum. dicẽte Auguſt. de verbis Domini ſerm. 19. Ideò agere rempub. vt diuitias augeas, videtur eſſe damnabile. Propterea enim quadã prouidentia militibus ſunt ſtipendia conſtituta, ne dum ſumptus quæritur prædo graſſetur, & 23. quæſt. 1. §. Reddite, dicitur. Quod Cæſar præcipit ferendum eſt, quod imperat tolerandum eſt. Sed fit intolerabile, dum prædam exactores accumulant, quicunque ſibi ſtipendia decreta conſequitur, ſi amplius quærit, tan quàm calumniator, & cõcuſſor Ioannis ſententia condemnatur. In vſum tamẽ reipublicæ princeps poſſet, ſi opus eſſet, bona ſubditorum conuertere cuius ſunt pars, & ideo debitum eſt, ꝙ ſinguli de populo contribuant in vſum publicum. Conditor verò canonum, vt Summus Pontifex, quia aliã poteſtatem habet ſuper bona Eccleſiaſtica, quæ tenent ſinguli, quàm Principes ſuper bona proprietaria ſingulorum fortaſſe poſſet facere, ꝙ meum fieret tuum, & ſine ſtatuto & per ſtatutum præſcriptionis. Sed non videtur ſtatutum fore multũ rationabile, vt patet ex prædictis.

Comment. in Quæſtionem XXII. quæ eſt,

Vtrum res præſcripta in bona fide, cum notum fuerit de mala fide, ſtatim tenens teneatur illam ei reſtituere, ad quam aliàs de iure debet pertinere.

IN titulo tria ſunt per ordinem præſertim declaranda. Primum, quid ſit præſcriptio: Secundum quid in præſcriptione ſit bona fides, Tertium quid in eadem ſit mala fides. Quo ad primum ita diffiniri ſolet, quod ſit quoddam ius ex tempore congruens ex auctoritate legum vim capiens, pœnam negligentibus afferens, & litibus finem imponens. Quam diffinitionem iuriſtæ tradere ſolent, & etiam Theologi, quod videre eſt apud Thomam de Argent. 4. ſententiarum diſt. 15. art. vlt. Solet autem fieri diſtinctio, tùm à iuriſtis, vt patet inſtit. de vſucap & alibi. cum etiã à Theologis, vt præſertim apud Gabr. Biel. in 4. diſt. 15. quæſt. 14. art. 1. Et Sotum, de iuſt. & iur. lib. 4. quæſt. 5. art. 4. & Thom. de Arg. vbi ſup. Et à Summiſtis, vt apud Angel. Profeſ. & alios. Inter præſcriptionem, & vſucapionem, quòd illa ſit de rebus immobilibus, hic autem de mobilibus, & ſi non vndequaque placeat id Doctori Nauar. cap. 17. numero 85. in Man. quippè qui rectius eſſe dicendum ita exiſtimat, quòd modus acquirendi dicatur vſucapio in omnibus, exceptio verò, quæ ex ea naſcitur, præſcriptio, quod colligit ex multis ff. de vſucap. ſed hoc parum refert. extendi poteſt Auctoris noſtri ſententia, tùm ad propriam præſcriptionem, cum etiam vſucapionem ſecundum eos, qui diſtinguunt: & ſecundum eos, qui non diſtinguunt quoque.

Not. autem quod diuerſimodè taxatur tempus præſcriptionis. Eſt. n. vnius diei, & anni 20. quæſt. 11. Puella. vnius anni cum dimidio 3. quæſt. 3. De inducijs. Biennij. 19. quæſt. 3. Monaſterijs. Triẽnij. 17. quæſt. 11. Si quis incognitus. Quadrienni 16. quæſt. 3. Placuit. c. Placuit. Deceñij. ibidem §. Poteſt. Duodecim annorum 20 quæſt. 1. Puellæ. Quatuordecim annorum. 20. quæſt. 11. Si in qualibet. decem & octo annorum. 28. diſt. De his. viginti annorum. 16 quæſt. 3. Placuit. §. Poteſt. viginti quinque annorum, ibidem. Quadraginta annorum, vbi ſupra. Sunt & præſcriptiones menſales plures. Sed præſcriptio communis eſt Tricennaria, religioſorum quadragenaria. Romanæ Eccleſiæ centenaria 14. quæſt. 11. §. 1. 16. q. 3. Placuit. l. 11 §. Poteſt etiam. Et introducta eſt non fauore malæ fidei poſſeſſoris, ſed odio remſuam proſequi negligentis. Et nota quod non de omnibus currit præſcriptio, quod multa iura oſtendunt. Quippè non currit contra Romanam Eccleſiam in his, quæ ſibi in ſignum ſpecialis priuilegij reſeruauit. de præſcript. c. cum nobis. & alibi. nec contra res Eccleſiæ precariæ, vel ratione hoſtilitatis poſſeſſas 16. quæſt. 3. clericus. & ratione temporis quoque pueritiæ fictionum obedientiæ, &c. quæ omnia exempta numerantur in gloſ. c. cum non liceat de præſcript. his verſibus.

Hoſtis, ſchiſma, minor, confinia, res ſacra, dotes,
Eccleſiæ neruus, Laicus, res ſpiritualis.
Viſito, coniugium, via publica liber obedit,
Functio, res fiſci, publicum ius, de repetundis
Si vacat Eccleſia, ſuſpenſio, ſub patre natus,
Vxor, conditio, ſi res non poſſideantur,

Res pu-

Res pupillares, bis atque peculia iungis.
Impedimenta vetant, hæc nè præscribere possis.

Debemus autem nos sumere Doctoris quæstionem in his, quæ præscribi possunt, quæ sunt cætera vltra enumerata.
De secundò sciendum, quod ad faciendam bonam fidem in materia præscriptionis quatuor requiruntur. Primum est substantia ipsa fidei, scilicet scientia, vel certa credulitas, quòd res tua sit. Secundum est possessio. oportet.n. vt quis rem possideat, si debet præscribere. Quod patet de vsucap. l. sine possess. Tertium est titulus, vel naturalis, vel iuste legitimus, aut præsumptus. Vnde latrones præscribere nunquàm possunt, quia semper carent huiusmodi titulo patronatus, vel dominij supra rem. Quartum est, q hæc tria continuentur, & maximè primum per totum tempus præscriptionis.
Ex his quoniam oppositorum est eadem disciplina, facilè cognosci potest quid sit possidere mala fide. Vt potè præsertim, si scit, & nouit non esse suum quod possidet. hoc.n. est basis, & fundamentum totius huius negotij, quod si adsit, nulla est præscriptio.
Quæstio igitur Doctoris, qua quæritur vtrum res præscripta bona fide, cum notum fuerit de mala fide statim tenens teneatur restituere, &c est quæstio præsertim circa primum, quod est fidei substantia, & intelligi bifariam potest. primo vt nouerit præscribens malam fidem esse, scilicet possessum non esse suum, ante terminum, & finem præscriptionis, vel post confinium præscriptionis, & tunc quæstio partitur in duos articulos, ad quos respondet Auctor, vt videbimus.
In corpore igitur iuxta duos articulos quæstionem respondet quæsito.
Quo ad primum reprobat opinionem quandam, quæ negatiuam partem tenet, s. q non tenetur post præscriptionem, & si sciuerit prius non esse suum.
Reprobatur autem hæc opinio ex hoc præsertim, q tunc ex statuto de præscript. Lædretur innocentia, & foueretur malitia, quod verum ius nequaquam accipit.
Not. q hæc sententia videtur esse glos. cap. Finalis. de præscript. vt notat Sotus vbi sup. & hæc communiter non tenetur.
Communis autem conclusio tùm Doctoris nostri, cùm etiam plurium, quos vidimus est ad primum articulum talis. Quòd nemo beneficio legis humanæ sana conscientia præscribit, nisi toto præscriptionis tempore bona fide possideat. ex quo sequitur, q tenetur restituere.
Vbi not. q auctor priorem sententiam esse ad aures iuris ciuilis dicit, hanc verò ad aures iuris canonici, cui cum subijci debeat ius ciuile, hęc erit sententia verior. Et probatur conclusio. s q sit ad aures iuris canonici per plures allegationes, quæ leguntur in litera. Et apud Sotum vbi supra. Et Nauar. vbi sup. Et Richard. in 4 sententiarum, &c.
Quo ad secundum articulum. Veriorem dicit Auctor opinionem esse tenentem partem negatiuam, quàm affirmatiuam. Nempè verior est opinio, quæ tenet, q non tenetur in conscientia reddere si nouerit id non esse post præscriptionis tempus; Quod probat ex iure, vt patet in litera.
Not. q partem affirmatiuam, vti sunt tenuisse, quo ad forum conscientiæ Rosel. in verbo. Præscriptio. & ex Syluestr. Ant. de Bud. vt notat Sotus vbi sup. Et maxima ex parte hanc secutum legimus Adrian. Sed diligentissimè id reprobat Sotus vbi supra ex D. Thoma, Scoto, Sacrorum Can. auctoritate, Conciliorum, atque Sanctorum. Videipsum, & D. Thomam. præsertim quodlib. 12. art. 25. & Scotin 4 dist. 24. Est etiam conclusio Doct. Nauar. vbi supra. Armillæ etiam in verbo Præscrip. Angel. ibidem. Gaet. ibidem in summula, & aliorum quos vidimus, &c.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum non potens continere, nitens tamen continere, si vt fortius astringatur ad continendum voueat se intraturum religionem, quam summè detestatur, si amplius recidiuet, & contingat, quòd recidiuet, teneatur intrare religionem illam.

SEQVVNTVR quæsita circa hominem pertinentia ad statum culpæ instantis ex facto præsenti. Et erant tria. Quorum vnum erat de culpa procedente ex lubricitate. Secundũ verò de culpa procedente ex cupiditate. Tertium autem de culpa procedente ex malitia. Quorum primum erat, vtrum non potens continere, nitens tamen continere, si vt fortius astringatur ad continendum voueat se intraturum religionem, quam summè detestatur, si amplius recidiuet, & contingat, q recidiuet, teneatur intrare illam religionem. Secundum, vtrum liceat emere redditus perpetuos. Tertium, vtrum peccet non gaudens de bono opere alterius.

Arg prim. Circa primum arguitur, q sic. quia voti impletio necessitatis est absolutè, sicut absolutè promittitur, ergo etsi promittitur sub conditione, necessitatis est extante conditione. quare cum hic existat conditio. ergo &c.

In oppos. Contra. matrimonium spirituale non debet fieri sine consensu, sicut nec carnale. quare cum iste non consentit in ingressum talis religionis, quia eã summè detestatur, & per ingressum quodãmodo fieret matrimonium spirituale. ergo &c.

Difficultas huius quęstionis est in hoc, q in hoc voto sunt duo inuoluta, sed vnum magis. s. recidiuare in fornicationem, & alterum minus, s. illam religionem intrare, propter quod cum omnis obligatio voluntaria sit, & ita circa volitum, apparet quòd hic nulla sit obligatio. Sed non est ita. Sicut enim aliquid non eligibile est alicui, vel quia malum, & ita simpliciter non eligibile, vel apparens malum, & ita non eligibile illi cui apparet malum: & hoc vel absolutè, vel in comparatione, non eligibile alicui absolutè, quia simpliciter malum, sic isti in proposito eligibile est non fornicari, & non intrare religionem detestatam, quia est ei apparẽs malum, non eligibile autem alicui in comparatione, vt minus malum simpliciter respectu minoris mali simpliciter. dicente Gregorio. Paulus cum quosdam in Ecclesia incontinentes aspiceret, concessit minora mala, vt maiora declinarent. vel vt maius malum simpliciter respectu minoris mali,

Resolu. q. et Resp. s.

secun-

ſecundum æſtimationem. diſtin. decretorum. 15. Duo mala licèt cautiſſimè ſunt præcauenda, tamẽ ſi periculi neceſſitas vnum ex his perpetrare compulerit, id debemus reſoluere quod minori nexu cognoſcitur obligare, tale exemplum eſt in propoſito. Quia enim maius malum eſt fornicari, & minus malum ſecundum æſtimationem intrare dictã religionẽ, benè poteſt eligibile eſſe ingreſſus eius reſpectu actus fornicandi. & ideò in comparatione poteſt iſte illud velle, & vt omninò effugiat maius malum ſub conditione ad illud æſtimatum malum ſe voto obligare, etiam ſi eſſet conditio inhoneſta, vt ſiquis dicat mulieri permitte me fornicari tecũ, & voueo Deo, quòd intrabo religionem cum hoc fecero, ſtante conditione obligatus eſt ad voti impletionem, & hoc quia talis conditio extans non repugnat impletioni voti, quia malum benè poteſt eſſe occaſio boni, & impletio voti eſt correctiua huius mali.

Ad argumentum in oppoſitum iam patet reſpõſio. Etenim quod hic vouetur, licèt non ſit voluntarium abſolutè, eſt tamen voluntarium in comparatione, & hoc ſufficit etiam in matrimonio carnali. Si enim deteſtaretur quis mulierem, & propter odium fornicationis promitteret ſe eam ducere in vxorem ſi contingeret eum fornicari, vel ſi permitteret ſe fornicari cum ea, alterutra conditione ſtante teneretur promiſſum implere. *Ad argu. in oppoſit.*

Comment. in Quæſtionem XXIII. quæ eſt,

Vtrum non potens continere, nitens tamen continere, ſi vt fortius aſtringatur ad continendum voueat ſe intraturum religionem, quam ſummè deteſtatur, ſi amplius recidiuet, & contingat, quòd recidiuet, teneatur intrare religionem illam.

IN titulo not. continentiam ſumi in ſpecie circa concupiſcentias tactus, etiam ſi nomen generale ſit, & ſit cohibitio gulæ, luxuriæ, cupiditatis, auaritiæ, ambitionis, atque ſuperbiæ.

Not. quoque videndi difficilis iſte titulus, quia non videtur, quomodo quis voueat intrare religionem, quam ſummè deteſtatur. Sed vt intelligas finge caſum. Eſt Callias non potens continere, & nitens, vt fortius aſtringatur, celebrat ſic votum ſuum. Voueo me intraturum religionem, ſi acciderit, ꝙ denuo peccem. Vbi ſupponendum eſt, ꝙ Callias deteſtetur religionis ingreſſum, & voueat ſe intraturum, vbi non vellet vllo modo intrare, & id facit, vt timor neceſſitatis intrandi cohibeat eum ab ipſa incontinentia. Accidit autem ꝙ non obſtante timore illo, ipſe recidiuat. Et tunc quæritur vtrum nam teneatur ad voti impletionem.

In corpore eſt concluſio affirmatiua, ſ. quòd ipſe tenetur intrare &c.

Not. ꝙ Auctor non probat hanc concluſionem, niſi in virtute reſoluendo difficultatem.

Eſt autem difficultas, ꝙ omne votum eſt circa volitum, ſed in nullum eſt nolitum, igitur. Probatur minor, quoniam in hoc non apparent niſi duo nolita, ſcilicet incontinentię, & ingreſſus religionis.

Reſpondet Auctor, ꝙ cum ingreſſus religionis non ſit ſimpliciter malum, ſicut fornicatio, ſed quidem ſit ſolum illi apparens malum ipſe religionis ingreſſus, hic habet rationem voliti, & ſi non abſolutè, ſaltem in comparatione. Et nota ꝙ probat ex Greg. de Paulo, &c. Vbi minus malum habet rationem eligibilis, & voliti, illud, quod ſuapte natura malum non eſt, ſed bonum, ſicut eſt ingreſſus religionis, qui ſolum illi eſt apparens malũ. Et not. ꝙ tunc probari poteſt concluſio. Vnuſquiſque tenetur obſeruare quod promiſit voluntarie; ingreſſum religionis voluntariè promiſit Callias, igitur &c. cætera clara videntur.

QVAESTIO XXIIII.

Vtrum liceat emere redditus perpetuos.

Arg prim.

IRCA ſecundum arguitur, quòd non licèt emere redditus perpetuos, quia qui pecuniam dat ſub pacto, vt plus recipiat, committit vſuram, quæ illicita eſt, dicente Auguſt. in orig. ſup illud Pſal. 36. Tota die miſeretur, & fœneratur. ſm tranſla. 70. Si fœnerauerit homini. i. mutuam pecuniam tuam dederis, à quo aliquid plus q̃ dediſti expectes accipere, non pecuniam ſolam, ſiue illud ſit triticum ſiue vinum, ſiue oleũ, ſiue quodlibet aliud, ſi plus q̃ dediſti expectas recipere fœnerator es. Attende quid facit fœnerator, minus vult dare certè, & plus accipere. hoc facit emens redditus perpetuos. ergo &c.

In oppoſit. Contra. prælati & viri religioſi tales redditus emunt, vel emere conſulunt, quod non facerent ſi vſura eſſet, & non liceret.

Reſponſio. Dico ad hoc ſecundum quod alias determinaui, quòd differũt mutuum, & venditio, ſeu emptio. Mutuum enim de natura ſua debet eſſe omninò liberale, ſine ſpe amplius percipiendi, iuxta illud Euangelicum. Mutuum dantes nihil inde ſperantes. Nihil nec pecuniam, nec quicq̃ aliud, vt iam dictum eſt ſecundum Auguſt. Emptio autem ſiue venditio deberet eſſe omninò æqualis ſecundum rationem medij iuſtitiæ commutatiuæ. Vnde Auguſt. de Trinitate dixit de quodã. Vili velle emere, & carius vendere omnibus credidit adeſſe commune, quod re vera vitium eſt, vt dicit. de quo alibi ſatis tractauimus. Nunc autem pecunia tale quid eſt in qua per ſe non cadit emptio, & venditio, vt extremum, ſed vt medium vtriuſque, ſicut ibidem expoſuimus, & ideò vbicunque, & quandocun-

docunque traditur pecunia in contractu tanquam extremum non tanquam medium emptionis, & venditionis, mutuò traditur, propter quod ſpes accipiẽdi pro huiuſmodi pecuniæ traditione, proculdubio ſecundum dictum Auguſtin. vſura eſt. Si ergo pecunia nuda datur, & nulla omninò emptio, & venditio interueniant, ſiue vt tota ſimul recipiatur poſt lapſum temporis, & aliquid amplius, de quo nullus dubitat, quin ſit vſura, ſiue vt per quotam aliquam ſingulis annis recipiatur intentione plus recipiendi recepta ſorte (plus dico recipiendi, vel per ſe quo ad vitam ſuam, vel per ſe, & per hæredes, ſiue ſucceſſores ſuos, quo ad vitam plurium, aut ad perpetuum) proculdubio nõ video quin ſit vſura. Nec enim in aliquo differt emere tales redditus ad vitam, vel ad perpetuum, niſi quòd maior eſt cupiditas amplius recipiendi vltra ſortem ad perpetuum, quàm ad vitam. Nec in rei veritate eſt emptio, licèt ſic ſolet appellari, vt pallietur vitium, quia vt dictum eſt extrema huius contractus, & obligationis per ſe ſunt pecunia ſimul data, & per quotas recipiẽda, ſed eſt purum mutuum. Si enim eſſet emptio, & venditio, vt verè poſſet dici, quia pro data pecunia emerẽtur redditus, tunc oporteret interuenire contractum alium, immò duos contractus circa rem aliam, quę per ſe extremum nata eſt eſſe emptionis, & venditionis, vt videlicet res illa puta fundus, aut menſura terræ, vel ſignata, & determinata, vel indeterminata in maiore menſura terræ contenta primo pro pecunia iuſta ematur, & deinde pro aliqua quota pecuniæ annuatim, vel ad vitam, vel ad perpetuũ reuendatur, vel hæreditariè concedatur, vel quota huiuſmodi à tali ematur, cui debetur iure venditionis, puta qui fundum, aut menſuram terræ vẽdidit communitati alicuius ciuitatis, vel domui religioſorum pro certa quota pecuniæ annuatim in perpetuum reddendæ, aut dedit proprietatem reſeruando ſibi pro vſu illos redditus. Si enim velit redditus iſtos vẽdere, & omne ius, quod habet in eis, licitum eſt alteri, quòd ẽmat eos, nec reputabitur dare pecuniam pro redditibus, ſed pro iure temporali, quod ille habuit, in recipiẽdo, ſcilicet redditus illos pro fundo ſuo, vel pro perpetuo vſu eius, ita quòd ambo iſti in recipiẽdo illos redditus reputentur eadem perſona, & venditionem quam fecit primus, reputetur feciſſe, & ſecundus. Vnde iſtis duobus modis licèt emere redditus, ſiue perpetuos, ſiue ad vitã abſque peccato. Nec emuntur redditus niſi in recompẽſationem alteriùs rei in quam per venditionem, & emptionem res data ab emente eos commutari potuit, vt non propriè emantur redditus, vel pecunia pro pecunia, ſed pro re alia. Vnde in conſimilibus factis ex ſolo modo contractus vnum licèt fieri, alterum non licèt. Puta ſi vnus vendit fundum ſuum pro aliqua quota pecuniæ in perpetuum ſoluendæ, vel concedit proprietatem, & retinet tantundem pro vſu, & vult alteri concedere pro certa ſumma pecuniæ ius omne, quod habet in recipiendo illam quotam in perpetuo, benè licet emere. Si verò alius habens fundum conſimilem, & vult pro tanta ſumma pecuniæ eidem obligare fundum ſuum ad ſoluendum in perpetuos redditus æqualem quotam, nõ licet, quia hic nullius rei vẽditio eſt, ſed ſola obligatio fundi in pignus. Sed ſi iſte primò emeret fundum, ita quòd ſuus eſſet, poſſet licitè concedere, vel reuendere eundem eidem pro prædicta quota in perpetuum annuatim recipienda. Cætera autẽ materiam iſtam tangẽtia diffuſius declarauimus. Et argumento, quòd plures tales redditus emunt, aut conſulunt alijs, vt eos emant reſpondendum, ſicut ibi reſponſum eſt.

Comment. in Quæſtionem XXIIII. quæ eſt,

Vtrum liceat emere redditus perpetuos.

IN hac quæſtionis not. quòd idem ſeruandum eſt in hoc negotio, quod & in emptione cenſuum, tùm perpetuorum, cùm etiam ad vitam: licèt ſiquidem emere ſeruatis clauſulis ſeruandis iuxta determinationem Summi Pont. Pij V.

Et not. concluſionem habitam à Soto libro ſexto de iuſt. & iur. quæſt. 5. artic. 2. concluſ. p. Quòd emptio huiuſmodi licita eſt, ſed potiſſimum carens omni vſuræ ſuſpicione. Eſt enim, ac ſi prædia emerentur; vbi autem eſt aliqua palliatio emptionis, illicitum eſt emere. Non eſt autem vlla palliatio, vbi cenſus innixi fuerint alicui immobili, quod re vera intenditur præſertim in venditione, & emptione.

Et not. quòd Auctor non longè eſt à ſententia vera, ſed concluſionem Catholicam, & ad aures conſtitutionis Pontificum habet, ſed de his iam etiam ſuperius actum eſt.

QVAESTIO XXV.

Vtrum non gaudens de alterius bono peccet.

Arg. prin. CIRCA tertium arguitur, quòd non gaudens de bono alterius peccat, quia hoc est contrariũ charitati. Apostolus enim dicit. 1. Corinth. 13. de charitate. Quia cõgaudet veritati. Glo. 1. operibus iustitiæ.

In oppos. Contra. Bonum opus vnius impeditiuum est boni operis alterius quando ambo simul illud agere non possunt: nullus autem gaudere debet de impedimento boni operis sui: ergo &c.

Responsio. Dicendum, quòd non gaudere de bono opere alterius potest aliquis duplici de causa, aut negatiuè, scilicet quia non aduertit, aut contrariè, & priuatiuè, quia dolet, & hoc vel odio personæ. & est peccatum in spiritum sanctum. s. odium fraternæ gratiæ, vel odio ipsius boni operis, & est peccatum in spiritum sanctum. s. impugnatio veritatis agnitæ.

Ad primum, quòd non gaudere est contrariũ charitati, verum est non gaudere priuatiuè. *Ad argu. princ.*

Ad secundum dicendum, quòd de impedimento boni sui per se faciendi nullus debet per se gaudere, nisi fiat recompensatio. Nunc autem per bonum opus alterius nõ impeditur bonum opus tuũ quin tibi fiat recompensatio, si non stet per te. Opus enim alterius in impediendo bonum opus tuum, non est bonum fieri, nisi melius fiat per aliũ, quàm per te, & tunc debes gaudere fieri potius per alium, quàm per te, & hoc circa publicum vsum quando simul per te, & alium fieri non potest. Sed tunc congaudendo, quia melius fit per alium tu illud opus facis tuum, & fit tibi recompensatio maioris meriti, quàm si tu per te illud faceres. *Ad argu. in oppos.*

Comment. in Quæstionem XXV. quæ est,

Vtrum non gaudens de alterius bono peccet.

ITVLVS clarus.

In corpore conclusio est. Non gaudere negatiuè non est peccatum, sed non gaudere contrariè, vel priuatiuè est peccatum.

Prima pars declaratur. Non gaudere negatiuè, est non gaudere inaduertenter; inaduertentia autem non inducit peccatum, Et id probari potest, quia non est voluntarium; Peccatum verò ideò peccatum est, quia voluntarium.

Secunda pars declaratur. Non gaudere contrariè, vel priuatiuè est dolere de bono alterius, sed hoc est peccatum in spiritum sanctum, quia vel est odium fraternæ gratiæ, vel impugnatio veritatis agnitæ.

Not. ℣ bona alterius, vel sunt bona corporis, vel animæ, & ab vtroque vel sunt bona naturalia, vel aduentitia, addendo ex parte animæ bona gratiæ, nempè cooperantia ad gratiam de congruo, vel etiam ipsam gratiam. Nunc autem dolere de bonis naturalibus, ut de sanitate, & huiusmodi alijs, de prosperitate &c. propriè est peccare peccato inuidiæ, sicut & cum ob bona aduentitia, quòd si ideò dolemus de bonis, vt lætemur de malis, sine nostro emolumẽto, profectò peccamus peccato maleuolentiæ. si verò dolemus de bonis cooperantibus ad gratiam, de bonis nempè moralibus, & obseruatione præceptorum Dei solùm, tunc, vel tantùm dolemus tacentes, & nihil contra eos dicentes, qui talia agunt, sed solùm animo nostro dolore afficimur, vel etiam præter id, dettahere tentamus ob rabiem, quam habemus. si hoc secundum, tunc peccamus peccato in spiritum sanctum, quod est impugnatio veritatis agnitæ. Tametsi & aliter hoc peccatũ intelligatur. Vtpotè cum quis est hæreticus propria malitia. si primum, tunc dicendum est idem, quod de dolente ob gratiam alterius diceremus, scilicet quòd peccamus peccato in spiritum sanctum, quod est odium, vel inuidentia fraternæ gratiæ. Vide Summistas in verbo, Inuidia. Præsertim. Nauarr. cap. 23. num. 118 & infra. & alios in verb. Peccatum in spiritum sanctum.

QVAESTIO XXVI.

Vtrum pro delicto Principis possint subditi iustè puniri, occisione, captione, bonorum suorum temporalium vastatione, & depredatione.

SEQVVNTVR specialiter pertinentia ad prælatos. Vbi proponebatur vnum pertinens ad Prælatos sæculares, scilicet ad Principes. Et quædam alia pertinentia ad Prælatos ecclesiasticos. Illud vnum erat, vtrum pro delicto Principis possint subditi iustè puniri, occisione, captione, & bonorum suorum temporaliũ vastatione, & depredatione.

Arg. prin. primum. Et arguitur quòd sic, quia qui pro aliquo delicto possunt puniri maiore pœna, & minore: maior est spiritualis, quàm corporalis. Sed benè puniuntur pro delicto Principum pœna spirituali, vt interdicto. ergo &c.

Secũdum. Item 2. Regum vltim. punitus fuit populus pro delicto Dauid.

Tertium. Item Philosophus dicit in Politicis, quòd intellectus, siue voluntas dominatur membris principatu despotico: viribus autem inferioribus principatu politico, & quòd Princeps dominatur seruis.

uis principatu despotico, & liberis principatu politico: ergo sicut voluntas se habet ad membra, & ad vires animæ, sic princeps ad seruos, & liberos, quib. principatur. Sed pro peccato voluntatis iustè puniuntur, & membra vires inferiores: ergo & pro peccato Principis iustè puniuntur & serui, & liberi, & ita omnes subditi.

In oppos. Contra. Sicut nullum malum debet esse impunitum, sic nulla innocentia debet puniri. Cum ergo subditi sint innocentes in facto Principis, nullo modo pro eius facto debent puniri.

Responsio. Dicendū ad hoc, quòd Princeps qui delinquit, aut delinquit in parem sibi, aut subiectū, aut superiorem. Si primo modo, sic sentiendum est, quòd ecclesiastica hierarchia tota debet esse ordinata, tam ecclesiasticorum, q̄ sæcularium prælatorū secundum gradus suos suo vno summo Pontifice, vt alias declarauimus, & semper superior de inferiori suo delinquente in parem, vel subditum suū debet facere iustitiam. Par verò, vel inferior læsus nō sese debet iustitiare de pari, vel superiori. Sed debent semper recurrere ad superiorem cōquestionem faciendo, non propria auctoritate in vindictā iniuriantem inuadere, & personas, & res subditorū suorum occidere, vel deuastare: in hoc.n. possunt habere causam iusti belli. Quòd si faciant, & ipsi domini principales inuasores, & subditi eorū, qui de mandato eorū subditos prioris iniuriantis occiderunt, depredauerunt, vel incenderunt, aut deuastauerunt bona eorū, & quicunq; ad hoc consilium dederunt, incitauerunt, & adiuuerunt, fouerunt, aut aliquid huiusmodi, rei sunt omniū malorum perpetratorū in prædicto bello, & ad oia dāna, quę per singulos illata sunt restituenda sunt obligati, nec si fuerit publicum factum eorum, absoluendi sunt, aut ad cætera sacramenta ecclesiæ recipiendi, quousq; satisfecerint singuli de malefactis per se perpetratis pro posse. Vnde oīa bona sua debent in restitutionem exponere, nec in alios vsus cōuertere per se, vel per alios, per quos inhabiles fiant ad satisfaciendū, nisi fortè fuerint ex illis tales, ꝙ probabiliter dubitare potuerunt, an dominus eorū iustum bellum habuit, & iustā causam impugnandi suum aduersarium. In hoc.n. casu dominus suo assistere debent, & excusantur à delicto. 23.q.1. Quid culpatur, vbi in fine dicitur. Vir iustus si fortè sub iniquo rege homine sacrilego militet, rectè pōt illo iubente bellare si vicem pacis ordine seruans, quod sibi iubetur, vel nō esse contra Dei præceptum, vel vtrum sit certum non est, ita vt fortasse reum facit regem iniquitas imperandi: innocentem autē militem dicit ordo seruiendi. Si verò superior pro iniuria eius, vel rebellione inuadat inferiorem, iustū pro se, & pro suis debet habere bellum in opponentes se pro iustitia faciēda: aliàs verò non. vnde c.eod. in princ. Nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus, atque implacabilis animi ferocitas, libido dominandi, & similia, hæc sunt quę in bellis iure culpantur, quæ plerunq; vt etiam iure puniant, aduersus violentias resistentiū, siue à Deo, siue ab aliquo legitimo imperio gerenda ipsa bella suscipiūtur. Benè.n. dicit Aug. de verbis Domini. Militare nō est delictū, sed qd prędiam militare peccatū est. Item vbi sup. Apud veros Dei cultores et ipsa bella pacata sunt, quæ non cupiditate, aut crudelitate, sed pacis studio gerūtur, vt mali coerceant & boni subleuent.

Ad primum in oppos. dicendū, ꝙ non est simile de pœna spirituali, & corporali, quia qd in pœna spirituali ex vna parte amittitur, ex bono obedientiæ recompensatur: non sic aūt recompensat in pœna corporali. Propter qd, licitum est pro reatu Principis punire innocentes subditos pœna spirituali, vt per illam Principes citius corrigantur, non autem pœna corporali. *Ad pri. princ.*

Ad secundū, ꝙ pro peccato Dauid punitus fuit populus: Dicendū, ꝙ ratio huius erat, quia nocentes non innocentes erant, & hoc facto Dauid, in quo peccauit consentiendo, vel non resistendo, vt dicit glossa, vel in alijs peccando Dauid peccata eorum non corrigente, propter qd iustè in peccatum incidere permissus, & propter illud peccatū, quia eorum occasione cōmissum est, iuste punitus est, dicente ibidem Gregorio in glossa. Pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentiū, vt sæpè pro malo gregis etiam verè boni delinquat vita pastoris. Dauid Deo teste laudatus tumore repentino elationis populū numerando peccauit, & populus pœnam suscepit, quia secundū merita plebiū disponuntur corda rectorum. Iudex verò iustus peccantis vitium ex ipsorum animaduersione corripuit, quorum causa peccauit. Quandoque etiam iusti, & innocentes permittuntur simul puniri cum impijs à Domino, vt eorum probetur patientia, & augmentetur gloria, quemadmodū Iob permisit à diabolo flagellari. Sed talia facta nihil ad propositum valent. Sic enim innocentes à crimine solum punire potest, qui potest occulta meritorum, & demeritorum discernere. Vnde iudicibus, & Principib. mundi proponi non possunt in exemplum, vt iustos punire possint cum impijs, vel pro ipsis. *Ad secundum.*

Ad tertium, quòd pro peccato voluntatis iustè puniuntur vires inferiores, & membra, &cæt. Dicendum, quòd non est simile, quia in eadem substantia radicantur omnes vires animę, cuius est agere & pati per singulas vires, propter quod peccans secundum vnam vim, iustè puniri potest secundum omnes, quia ipsa eadem est in omnib. quę patitur; non sic aūt esset si vires essent connexæ in substantia, quemadmodum sunt Princeps & subditi. De membris etiam sciendum est, quòd in eis nihil punitur nisi quod sentit, & quod sentit non est nisi anima, propter quod in eis adhuc nihil punitur nisi anima, quæ peccauit. *Ad tertium.*

Comment. in Quæstionem XXVI. quæ est,

Vtrum pro delicto Principis possint subditi iustè puniri, occisione, captione, bonorum suorum temporalium vastatione, & deprædatione.

TITVLVS clarus, & ex historijs de facto notus; vt enim offendatur Princeps, sæpius ad populos offendendos quis recurrit, sed vtrum id iustè fiat, nunc quæritur.

In corpore distinctio trimembris, & duplex conclusio.

Distinctio est de Principe delinquente, quia vel delinquit in parem sibi, vel in superiorem sibi, vel in sibi inferiorem.

Prima conclusio, Par, vel inferior læsus debet adire superiorem vtrisque & conqueri de læsione, à quo iustitiam petere debet, & si id non fecerit, sed populum lædentis offenderit, tenetur ad omnimodam satisfactionem, & restitutionem.

Idem dicendum de illis, qui adiuuarent læsum in huiusmodi mali, & offensæ populi perpetratione, nisi habuerint probabile indicium, quod fuerit iustum bellum.

Primum illud patet, quia ad hoc præsertim est Summus Pontifex, vt sit dominus omnium, & de omnibus iustitiam faciat, quæstionibus ad ipsum delatis. Hinc legimus, quòd præteritis temporibus inuictissimus Carolus V. Imperator, & Christianissimus Franc. Galliarum Rex quæstionem suam per legatos detulerunt ad Summum Pontificem.

Hoc secundum, quo ad primam partem, patet per primam conclusionem, quæ etsi non probetur ab Auctore, supponitur tanquam vera. Quippè vnusquisque tenetur ad satisfaciendum damno iniustè alteri illato.

Secunda pars secundi, patet in litera per illud. 23.q.1. Quid culpatur.

Secunda conclusio: Si læsus sit superior, & quidem iniuria, vel rebellione, iusto bello potest illa omnia facere.

Not. q si superior læsus potest punire tantum lædentem, vt mali puniantur, & innocentes non offendantur, hoc est, quod vtique fieri debet, sine innocentum offensione. Quod si resistentem sibi pòpulum habet, potest & aduersus populum agere bellum, quippè & ipse tunc reus criminis efficitur, vt in exemplum, cum iam præcepto Dei Ieu ingressus esset regnum, & iuxta prophetiam iam antea factam de Achab, quod non esset remansurus mingentem ad parietem, misit nuntios ad eos, qui filios Regis habebant, vt educarent eos, & ait, Assumite vnum, quem vultis de filijs Regis, & constituite Regem, & venite, & defendite eum, qui cum noluissent, quæsiuit omnes filios Regis, cui & eorum capita delata sunt omnia. Et tunc Ieu nihil egit contra eos, poterat autem agere si restitisset.

Sed dubium est. Quid enim si quis læsus à summo Pontifice, tanquam à Principe superiore? tunc enim cessat conclusio prior, & quæstio adhuc stat in robore suo. Quippè ad quem iam læsus recurrere poteris pro iustitia si non datur tertius superior? An fortè ad Imperatorem? Certè Imperator superior Papæ non est. Si quidem Papa à Deo potestatem habet; Imperator autem à Papa. De iudicijs. capit. Nouit. An fortè ad Concilium? sed profectò & supra Concilium ipse est. De elect. cap. significasti.

Iudicaremus in hoc negotio, quòd læso à Summo Pontifice, tanquam à Principe quodam, liceret quidem vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, sed non inuadere ipsum Pontificem, neque terras, aut populos eius, verum potius iusto Dei iudicio relinquere, vel vindictam, vel offensam. Quippè cum immediatè Pontifex sit sub Deo, ad Deum recurrendum est, vbi natura ipsa non docet quid faciendum, quæ tamen cum doceat vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ, id licere læsis ab ipso iudicamus; in his, quæ non fiunt tanquam à Summo Pōtifice, sed in his, quæ fiunt tanquam à Principe. Non credimus autem Pontificem id facere vt aliorum principatus inuadere vellet. Et si id ageret, certè non nisi vt persona quædam, quæ non deberet derogare iuri Ecclesiæ, vt contra aduersus bona Ecclesiæ, & populos agere deberet, quis læsus citra propriam defensionem, vim vi repellendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, &c.

QVAESTIO XXVII.

Vtrum Prælati possint retinere superflua.

SEQVITVR de quæsitis circa Prælatos Ecclesiasticos. Vbi quærebatur vnum pertinens ad dispensationem temporalium, & deinde quædam alia pertinenaia ad dispensationem spiritualium. Illud vnum erat, vtrum liceat eos superflua retinere.

Arg. prin. Et arguitur, quòd non. Bernar. ad Henricum Senonen Archiepiscopum. Clamant nudi, clamāt famelici, conqueruntur, & dicunt. Dicite Pontifices in freno quid facit aurum nobis fame, & frigore miserabiliter laborantibus? Quid conferunt tot mutatoria, vel extensa in pertichis, vel plicata in manticis? Nostrum est quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis, nostris necessitatibus detrahitur quicquid accedit vanitatibus vestris.

In oppos. Contra est exemplum in Ioseph, qui ea, quæ tempori præsenti erant, superflua retinebat.

Hic oportet videre quomodo temporalia pertinent ad ministros Ecclesiæ. Est igitur sciendum, quòd in temporalibus bonis Ecclesiæ non est Dominus nisi Iesus Christus. 22.q.1. Res ecclesiæ nō quasi propriæ, sed quasi communes & Domino oblatæ, & hoc quemadmodum in veteri testamento decimæ à se sibi erant reseruatæ, & vsui ministrorum templi deputatæ. Possessio autem est Ecclesiæ vniuersalis. Defensio autem & dominij, & possessionis principaliter cōmissa est summo Pontifici, & sub ipso cæteris ecclesijs, & personis ecclesiasticis, quibus vsus necessarius de sibi cōmissis concessus est. Vnde super illud. Non quasi propriæ. gloss. Si ergo de rebus ecclesiæ emisti equum vel aliud, illud non est tuum, sed dicas, quòd illud est solùm modo clericorum, quod probabili ratione consumunt. *Resolut. q.*

Ad cuius intellectum sciendum, q ista sex per ordinem se habēt circa bona temporalia vsui humano

mano cõcessa,& semp p̃cedens cõtinet in se necessariò sequentia, & non è cõuerso, & sp præcedens plus hẽt in re, q̃ sequẽs, ita q̃ primum maximum, vltimum verò minimum, q̃ sunt possessio iuris, siue hæreditaria, proprietas siue dñium, fructus, vsus, factum, possessio facti. Possessio iuris, à qua aliquis denominatur possessor est hereditaria qñ hereditariè aliquis hẽt alicuius rei proprietatem cum actuali eiusdem tentione. Proprietas à qua aliquis denominatur proprietarius, põt esse sine possessione actualis tentionis. Sed proprietarius hẽt in re ius, quo deberet possidere ipsam, pp qđ etsi non possideat, manet tñ verus Dñs. Neutro istorum modorum tpalia bona sunt ecclesię sed solius Dei. 12. quæstio. 1. cap. Si priuatum. Non nostra sunt quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis vsurpatione damnabili vendicemus. glos. Quia tm̃ illius procuratio nobis commissa est. Ergo prælati dñr procuratores rerum Ecclesiasticarum, & quandoq; dicuntur dñi, & quandoq, defensores, non tm̃ habent generalẽ, & liberam administrationem, sicut & procurator Cæsaris. Modicum tm̃ dare possunt, & loco dñi habentur cum bene administrant, loco p̃donis cum malè. Et quia sunt loco dñi, quo ad hoc, ẽt quandoque in iure dicuntur dñi, & sm̃ hoc in qõne de perfectione attribui ministris Ecclesiæ dominium rerum Ecclesiasticarum.

Vnde nec propriè dicuntur fructuarij. Fructuarius. n. siue vsufructuarius dr̃ aliquis à fructu, qui etsi non habet dominium, aut proprietatem in re, habet tamen liberum ius omnes fructus, qui proueniunt de re, sibi attrahendi, & dispensandi de eis prout vult. Puta qui in sylua cędua habet ad vitã suam vsum fructus, põt omnes fructus singulis annis in vsum suum conuertere, & alijs ipsos tribuere pro libito suæ voluntatis. Non sic aũt ministri Ecclesiæ possunt de fructibus bonorum Ecclesiæ sibi commissis disponere, quia vt dictum est, non possunt nisi modica dare, nec habent generalem, & liberam administrationem. Quia tamen de bonis Eccleſię ea, quę sunt vsibus suis necessaria possunt accipere, quo ad hoc propriè dicuntur vsuarij ab vsu iuris.

Est. n. vsuarius, qui ius vtendi hẽt in re, nõ tm̃ iuris habens in re quãtum vsufructuarius; vsufructuarius. n. omnes fructus sibi põt attrahere, & alienare: Vsuarius autem non plus põt sibi attrahere, q̃ in suum proprium vsum habet conuertere, & de residuo nihil habet aut põt disponere, nisi quo ad hoc administratio sibi fuerit cõcessa ab vsufructuario. Et quo ad hoc minister Ecclesiæ plus habet in bonis Ecclesiæ iuris, q̃ merè vsuarius, quia habet ius administrãdi de residuo eius, quod in necessarium vsum suum habet necesse conuertere, vt licèt sit vsuarius solùm, quo ad id qđ in proprium vsum conuertit, minister tamen est pauperum, quo ad residuum eius, qđ debet conuertere in vsus illorũ, vt aspiciendo ad vtrunq; simul propriè possit dici minister vsuarius, non tamen generaliter & liberè, sed specialiter egenis, & indigentibus. 12. q. 1. Eps Ecclesiasticarũ rerũ habeat ptãtem, ad dispensandum erga omnes, qui indigent cum summa reuerentia, & timore Dei. Percipiet aũt & ipse quibus indiget si tamen indiget, tàm in suis, q̃ in fratrum qui ab eo suscipiũntur necessarijs vsibus pro futuris, ita vt nulla qualibet occasione fraudentur, iuxta sanctum Apostolum sic dicentem, habentes victum & vestitum his contenti simus. Quod si contenti istis minimè fuerint, conuertat autem res Ecclesiæ in suos domesticos usus, & eius commoda, uel agrorum fructus non cũm presbyterorum, uel diaconorum conscientia pertractet, sed eorum potestatem domesticis suis, aut propinquis, aut fratribus, filijsq; committat, ut per huiusmodi personas occultè lędantur res Ecclesiæ, synodo prouinciæ pœnas ipse persoluat. Super illud. Indiget. 10. q. 11. Eps. vbi ferè idem, cap. ponitur. glos. Nota qualiter exponitur verbum Indiguerit, vt arceatur tm̃ ad victum & vestitum, qui tm̃ melior vel peior dandus est sm̃ qualitatẽ personarum. Et glos. super illud. 12. q. 1. dicit. Et ita refertur hæc necessitas ad naturæ necessitatẽ, quæ tm̃ pensanda est sm̃ qualitatem personarum. hoc. n. facere est bonum ministrum ministerium suum honorificare. Alàs aũt dare potius est seipsum glorificare Vnde dicit Bern. in præfata Epistola. Honorificabis ministerium tuum, ministerium inquam non dominium. Ipsum itaq; honorificabis non vos, nam qui quærit, quæ sua sunt, se cupit honorari non suum ministerium. Honorificabis aũt non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis ædificijs, sed ornatis moribus, studijs spiritalibus, operibus bonis. Aut fratribus. glos. 10. causa. q. 11. Præsumitur. n. q̃ hoc carnali amore faciat, vnde eis danda non sunt, nisi parua, nisi inquantum pauperes sunt. Tunc. n. eis potius prouidẽdum est, q̃ alijs cæteris paribus, sm̃ August. Epistola quadam ad Lætum diaconum. Alàs autẽ eis dare esset pauperes defraudare. Vnde. 10. q. 11. in cap. prędicto subditur. Si aũt Episcopi, & qui cum eis sunt presbyteri vel diaconi accusentur, q̃ quæ ex redditibus, vel ex quolibet actu Ecclesiæ veniunt, in vsus suos colligunt, & pauperes fraudant, & fame conficiunt, & hoc quidem conspici oportet. In quo casu intelligenda est auctoritas hæc prædicta. Factuarius autem est à facto, siue ab vsu facti dictus, cui circa id cuius dominium ab alio habetur, vsus concessus est, & tantùmmodo præbet quod facti est in vtendo, & nihil iuris. Talis factuarius, vt alàs determinauimus, cum omni dominio renunciat, quantò est paucioribus contentus, tantò est quo ad statũ pfectior, cõparatione cęterorũ religiosorũ, qui bonis suis cõibus, siue mobilibus, siue immobilibus dominiũ retinent aliquale, quia minori solicitudine necessarius vsus facti p singulos dies acquiritur quocunq; modo, siue per artẽ, siue p mendicationẽ, siue alio modo, quemadmodũ ẽt ab habẽtibus

ſolum mobilia in cõi dominiũ ſimul acquiritur, & cuſtodit. Oĩs.n. ſolicitudo in acquirendo vſum facti neceſſariũ, eſt neceſſaria naturæ; illa verò, q̃ eſt in cuſtodiendo eſt præterneceſſaria, q̃ neceſſariò prouenit ex minori confidentia, pp qđ neceſſariò de pfectione diminuit. Semper.n. alijs eiſdẽ retẽtis p̃ terneceſſaria ſolicitũdo, quã ſtatus, aut factũ maiorẽ requirit, de pfectione in ſtatu, vel in facto diminuit, vt alibi expoſuimus. Vñ etſi ſæpius maior fuerit ſolicitudo in ſolo vſu facti acquirẽdo, q̃ ſimul in acquirẽdo, & cuſtodiendo mobiliũ, aut immobiliũ dominiũ, qa tamen illa ſolicitudo eſt oĩnò neceſſaria, iſta aũt in parte p̃terneceſſaria, idcir co illa ſolicitudo ẽt maior, quia eſt neceſſarię prouiſionis, in nullo de pfectione diminuit, ſed iſta minor quo ad hoc. ſ. ꝙ eſt p̃terneceſſaria, & ideò cum minori cõfidentia de domino. Sed fortè dices ꝙ illi ſolicitudini neceſſariæ maiori prouidet̃ per iſtã ne ſit neceſſe eã eſſe tantã. pp qđ & iſta, quo ad cuſtodiã reputanda eſt eſſe neceſſaria, ſicut & illa. & nõ minoris confidentiæ. Sed non eſt ita, quia etſi ſæpius cõtingeret illã ſolicitudinem neceſſariã in acquirendo vſum facti eſſe maiorem, ſp tñ incertum eſt ſi debeat eſse maior, qa fortè nõ erit opus ea oĩnò, aut fortè poterit eſse minor. Certum eſt aũt ꝙ ſemper cuſtodia boni tpalis aliquã apponit ſolicitudinẽ. Vnde q̃q̃ oĩs ſolicitudo diſtrahẽs ex ſe ſit mala, quia tñ illa pp oĩmodã neceſſitatẽ naturæ oĩnò eſt excuſabilis, iſta aũt nequaq̃. eligere aũt minus malum certũ tñ, ad euitandũ maius malũ incertum, non eſt ſine diffidentia euadendi illud maius malũ, & ita cũ ſpe diminuta in diuino adiutorio ſup neceſſarijs vitæ obtinẽdis: ideò dñs in oĩone dominica non docuit petere, niſi quotidiano victui neceſſaria, qñ dixit. Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Vbi cum dixit panẽ explicat neceſſarium, excludendo circa delicata p̃terneceſſaria auiditatẽ. Cum verò dixit quotidianum, explicat neceſſarium diei inſtanti, excludendo circa p̃terneceſſaria cuſtodiẽda auaritiã. Vnde Auguſt. in ſerm. de oĩone dominica exponẽs illã petitionem dicit ſic. Iam terreſtria poſtulamus, ſed tñ neceſſaria: nã dicimus panem noſtrum quotidianum nobis hodie. O ſapientia vera, & diuina prouidentia, quæ docuit, & panem ſolùm petere, & hodie nominare. Hoc.n. dicto & auiditas cum auaritia tollitur, & humanæ vitæ inſinuatur incertum. ſm illud. Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum. Verè.n. inconueniens eſt, eum in multos annos, & tpa, & certè in alium diem neceſſaria poſtulare, cui fortè ſub nocte eſt vita finienda. Cõpetenter ergo oramus panem noſtrum quotidianum dari nobis, quia craſtinus dies quicquid pariat ignoramus. Idcirco ergo oĩs ſolicitudo in cuſtodiendo, quãcunq; ſit minor, diminuit de perfectione, non aũt illa, quæ eſt neceſſariæ prouiſionis. Et ſic ſemp quantum eſt ex parte ſolicitudinum perfectior eſt ſtatus in quo quæritur ſolum vſus facti q̃ in quo quæritur rerũ quarecunq; dominium. Et nõ ſolùm quãtum ex parte ſolicitudinum, ſed ẽt ſemper quantum eſt ex natura rerũ ſtatus eſt perfectior per ſe alijs eiſdẽ retentis in ſolũ quęrendo de facto vtendo, q̃ in quęrendo, & cuſtodiendo ſimul, quia plus naturaliter animũ habita, q̃ non habita afficiunt: Dico per ſe, & ex natura rei, quãto habitũ magis eſt cõiunctũ q̃ nõ habitũ, vt dicit Aug. in Epiſtola ad Paulinũ, tm ꝙ alibi diximus, licèt per accidens. ſ. ex ęſtimatione ſit è contra. Secundum Aug. in fine primi de doctrina Chriſtiana, inter tpalia, & æterna hoc intereſt, ꝙ temporale plus diligitur ante q̃ habeatur: vileſcit aũt cum aduenerit. Æternum aũt ardentius diligitur adeptum, q̃ deſideratum. Et hoc cõtingit, quia ex pronitate noſtra ad delectationem in temporali bono plus æſtimatur, q̃ eſt & creditur inueniri ſatietas vbi inueniri non poteſt. Propter qđ dicti ſui circa temporale bonum cauſam ſubdit Auguſt. dicens. Non enim ſatiat animam cui vera eſt, & certa fides æternitatis. E contra autem ex excellentia æterni boni contingit, ꝙ nõ poſſumus ipſum æſtimare quantum eſt. & ideò minus æſtimatur, q̃ eſt, nec præſumitur tm̃ poſſe inueniri in ipſo quantum inuenitur. Propter quod dicti ſui circa æternum bonum cauſam aſſignans Auguſt. dicit Nulli enim conſideranti conceditur de illo æſtimare quantum in ſe habet, &cæt. Cęteri autem miniſtri Eccleſię, qui bonis proprietarijs renunciantes publici miniſtri Eccleſiæ fiunt, non propter ſe principaliter, ſed propter pauperes, & miniſterium publicum Eccleſię ſuſtinendo, in nullo ex hoc patiuntur ſtatus perfectionis diminutionem, ſed potius ſentiunt augmentum, vt 12. q. 1. Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri, &c.

Poſſeſſio facti eſt, à qua dicitur aliquis facti poſſeſſorius, cuiuſmodi eſt ille, qui nihil omninò poſſidet, niſi pro hora, qua illud in vſum ſuum, quo ſtatum conſumitur, conuertit, nec vſum facti pro futuro in aliquo, cuius dominium eſt penes quemcunq; alium, habet aut habere expectat. Tali poſſeſſione facti contenti eſſe poſſent pauci, & vagi, qui ſi dicerent ſe non velle habere vſum facti pro futuro in re, cuius dominium eſſet penes alium, tã quàm hoc eſſet in diminutionem perfectionis & ſtatus eorum, error eſſet. quoniam ſolicitudo neceſſariæ prouiſionis licèt excuſabilis ſit, & idcircò nullo modo quicquàm de ſtatu perfectionis diminuat, vt dictum eſt, quia tamen ex ſe mala eſt, & ad malitiam diei pertinet, tantò perfectior eſt ſtatus, quantò in eo nata eſt eſſe minor abſque omni alia ſolicitudine præterneceſſaria, & illud quod circa ſtatum natum eſt diminuere huiuſmodi ſolicitudinem neceſſariam, vergit potius in augmentum, quàm in diminutionem perfectionis ipſius ſtatus. Quare cum aliquis habens dominium in rebus neceſſarijs ad vſum facti aliquorum, concedit illis vſum facti quandocunque neceſſe habent, vt non oporteat aliunde ſolicitari ad ipſum obtinendum, hoc multum natum eſt diminuere ſolicitudinem circa neceſſariam prouiſionem.

Habere

Habere ergo vſum facti in eo, cuius alius hēt dominium, in nullo de perfectione, aut eius ſtatu diminuit, ſed potius augmentat, quēadmodum non diminueretur ſtatus pfectionis Eremitę, ſi per Angelū adminiſtrarētur ei victus, & veſtitus neceſſaria, vt non oporteret ipſum ſolicitari ad acquirendū illa, vel artificio, vel mēdicatione, aut alio mō. Sed dices, ꝙ verū eſſet, ſi illi ijdē nullā apponeret ſolicitudinē in procurando, vt bona conuertant in illius dominiū à quo hñt vſum facti in eiſdem. Dicendū. re vera ſi nullā oporteret eis apponere ſolicitudinē iā dicto modo, hoc potius, vt dictum eſt vergeret in augmētum pfectionis, q̄ in diminutionē. Ipſa tñ ſolicitudo in hoc appoſita ſi nō excedat neceſſariā prouiſionē in eis, quæ ſunt victui & officio ſtatus neceſſaria, oīnò excuſabilis eſt, nec de ſtatu pfectionis diminuit, maximè reſpectu omnium aliorum, qui pp ſeipſos dominium hñt in re quacunque. Si verò ſolicitudo illa excedat neceſſariā prouiſionē vſus facti, aut. ſ. quia fiat prouiſio ad vllā ſuperfluitatē, ſiue copiā vel theſaurizationē, aut ſub colore, aut intentione alicuius prouidētiæ nō neceſſariæ in futurum, benè pōt ex hoc multum derogare ſtatui perfectionis de facto. Cum. n. de iure hoc nō debet fieri, ſiquiſic ſuperfluè ſolicitarent, potius ſibi q̄ ſtatui derogarent, qui prohibere dēt, ne profitentes eum ſciēter cōſentiāt plus pecuniæ cōcedi ad aliquā rē neceſſariā cōparandā q̄ veriſimiliter æſtimari poſſit rē neceſſariā valiturā, tm ꝙ hoc prohibet fratribus minoribus Nicolaus Papa. Vnde etſi cōitas ſtatus hoc requireret, re vera multum ſtatui pfectionis derogaret, & benè poſſet eſſe perfectior ſtatus alius hñs aliqd rerū dñium cū ſolicitudine p̄rneceſſaria minore. Hęc digrediendo diximus ad declarādum aliqua, q̄ viſa ſunt aliàs in qōne de ſtatu pfectionis à nobis obſcurè tractata. Reuertēres igit ad propoſitū, ex p̄miſſis rīdemus qōni diſtinguēdo, ꝙ miniſtros Eccleſiæ cōtingere retinere ſuperflua vſui p̄ſentis tpis intelligo dupliciter, quia duplici intentione. Vno modo pp vſum priuatū ſuiipſius, & ſuorū ſolūmodo. Alio modo pp vſum publicum. ſ. pauperum, & ſuiipſius inquantū eſt, aut debet eſſe vnus ex pauperibus. Primo modo dico, ꝙ nō licet, quia facerent ſe vſufructuarios bonorū Eccleſiæ quęrēdo, q̄ ſua ſunt, defraudando pauperes, quorū debēt eſſe illa. Sed hoc pñt facere duplici de cauſa. Vna. ſ. ex nimio timore, quia timēt, ꝙ ſibi aliquid pro futuro deficiat. Alia ex cupiditate. Secūdo aūt modo licet, quia hæc eſt cautela, vt qđ non eſt pro p̄ſenti tpe oīnò neceſſarium reſeruetur ad vſum pauperum magis opportunū, aut ad vſum ēt proprium, prouidēdo pro futuro pro minori, q̄ de bonis pauperū oporteret eos refundere in futuro ſi non eſſet eis prius prouiſum. ſm ꝙ has tres cauſas reſeruandi in poſterum bona Eccleſiæ tangit Hieronymus. 12. q. 2. Gloria Epi eſt pauperum operibus prouidere. Ignominia ſacerdotis eſt proprijs ſtudere diuitijs. & infra. Accipere pauperibus erogandum, & eſurientibus pluribus reſeruare vel cautum, vel timidum eſt, aut qđ apertiſſimi ſceleris eſt exinde aliquid ſubtrahere, oīum p̄donū crudelitatem ſuperat, vel cautum. Ecce caſus in quo licēt reſeruare. vnde glo. ibidē. Cum ideò fit, quia expectatur maior neceſſitas. hinc eſt, quòd ſm qđ dicit Auguſt. 12. q. 1. habebat Dñs loculos, à fidelibus oblata conſeruans, & ſuorum neceſſitatibus, & aliorum indigētijs tribuebat. Tunc primum Eccleſiaſticæ pecuniæ forma inſtituta eſt, vt intelligeremus qđ præcepit, nō eſſe cogitādum de craſtino non ad hoc fuiſſe p̄ceptum, vt nil pecuniæ ſeruetur à ſanctis, ſed ne Deo propter iſta ſeruiatur, & propter inopiæ timorem iuſtitia deſeratur. Et iſte eſt caſus primus, pp quem non debent miniſtri Eccleſiæ ſeruare ſuperflua. Vnde ſuper illud, Vel timendum. gloſ. Ideo facit, quia timet, ne ſibi deficiat. Talis re vera propter timorem inopiæ deſetit iuſtitiam, qua pro tempore inſtanti, quę ſeruat deberet pauperibus erogare. dicēte Ambr. de officijs. Aurum hēt Eccleſia non vt ſeruet, ſed vt eroget & ſubueniat neceſſitatibus. & infra. Cur paſſus es inopes fame mori, & certè habebas aurum, vnde miniſtrares alimoniam: gloſ. 1. miniſtrare debuiſſes. Propter talem ergo timorem non licet miniſtris Eccleſiæ, qui perfecti eſſe debent, publica bona Eccleſiæ reſeruare in neceſſitate, licēt ex cautela futurorum hoc licet, & hoc abſq; perfectionis eorum diminutione, quia in hoc iudicium ex vna cauſa Chriſtus loculos habuit, q̄uis propter talem timorē licēt imperfectis, aut minus perfectis bona priuata perſonæ, vel cōitati alicui reſeruare pro futuro. quorum infirmitati concedens Chriſtus ex alia cauſa loculos habuit, vt alibi dicit Auguſtin.

Per hæc patent obiecta. Bernard. n. loquitur in caſu quando ſeruantur ſuperflua, & ex cupiditate. Ioſeph autem bona, quæ ſeruauit pro cautela futurorum ſeruabat, quod licitum eſt ſecundum iam dictum modum, licēt primum ſit illicitum.

Comment. in Quæſtionem XXVII. quæ eſt,

Vtrum prælati poſſint retinere ſuperflua.

IN titulo. ſuperfluitas eſt quicquid vltra neceſſitatem retinetur victus, veſtitus, habitationis, & adhærentiū neceſſariorum. Prælati autem nomine hoc loco accipitur propriè habens curam animarum, tum etiam iuriſdictionem & prærogatiuam cum bonis Eccleſiæ, ad quem redigeremus ēt habentes beneficia ſine cura. In corpore duo ſunt. Alterum pertinens ad declarationem eorum, quæ alibi dicta ſunt de perfectione ſtatus religioſorum. Alterum verò pertinens ad quæſitum. Primo dimiſſo lectori prudenti, ſecundū aggredimur. Quo ad ſecundum igitur eſt diſtinctio de retentione ſuperfluorum. Vbi not. ꝙ ſuperfluum dicitur, quod pro futuro ſeruat. liquidē ideò dicimus *Deo*. Panē noſtrū quotidianū da nobis hodie, vt de craſtino cogitare non debeamus,

tñ qñ id prouidentiã nequaquã excludit; & si vita pfectissima sit de crastino non cogitare, põt cũ prouidẽtia, qs retinere
Et not. quoq; q̃ dum de superfluis huiusmodi loquitur, nõ loquimur nisi de bonis Ecclesiæ, super quæ platus est dispẽsator.
Est igitur distinctio de retinere superflua, quod vel retinet propter vsum priuatum sui ipsius, & suorum solummodo. Vel retinet propter vsum publicum, ſ. pauperum, & sui ipsius inquantum est aut debet esse vnus ex pauperibus.
Prima conclusio, iuxta primum membrum. Prælato non licẽt illa superflua retinere. Probatur, quia quicunque id facit, se vsufructuarium bonorum Ecclesiæ facit, quod non licẽt.
Nõt. ex Auctore, q̃ sex sunt, tñ quæ temporalia sunt humano vsui concessa. Possessio iuris siue hæreditaria, Proprietas atq; dominiũ, Fructus, Vsus. Factum. Possessio facti. Vbi priora duo nullo pacto conueniunt prælatis de bonis Ecclesiæ, neq; tertium. Quoniã qui illud hẽt, põt si non in re, in fructu agere qũocunq; ei placet. Quo fit, vt habeat liberã ptãtem super
Respons. fructus. Quæ vtiq; non prælatis de bonis Ecclesiæ concessa, sed hẽt solummodo vsum, quo non põt appropriare sibi quicquã nisi prout necesse hẽt pro vsu, de reliquo aũt est minister, & dispensator. Et hoc probat Auctor tùm ex Sacris Canonibus, cum etiam ex D. Bernardo, & Augustino, & Ambrosio in calce.
Not. q̃ propriè ad prælatos pertinet hoc quartum, videlicet vsus, qui annexam habet administrationem. Nõ est autem quòd non possint habere etiam reliqua duo, quæ maiorem dicunt perfectionem, sed ea facilius conuenire possunt prælatis regularibus, quàm sæcularibus, & etiam reliquis religiosis.
Cum igitur prælatus re vera de bonis Ecclesiæ non possit esse vsufructuarius, illud sequatur oportet, q̃ non possit retinere superflua propter vsum priuatum sui ipsius.
Not. Prælatos maximè Epos teneri adire Romã, & alias expensas facere vltra victum, & vestitũ, in famulis, & alijs. Sed hæc quæ seruãtur pro huiusmodi negotijs, quæ nẽpe secum & necessitatẽ, & prouidentiã hñt, nõ sunt in numero superfluorũ.
Secunda conclusio iuxta secundum membrum. licẽt prælato superflua retinere.
Not. nomen superflui esse dictũ non simpliciter in hac conclusione, sed in cõparatione ad necessaria victum, & vestitum.
Patet conclusio. Quia hoc fit prouidentiæ, & cautelæ. Patet etiam ex D. Hieronymo & Augustino, in litera.
Not. q̃ prælati sæculares possunt habere bona hæreditaria, de quibus bonis sermo non est, & tñ expẽdere debet, sicuti decet.

QVAESTIO XXVIII.

Si habens potestatem absoluendi limitatam, absoluat de alijs, & post modum à superiori, qui super illis habet absoluendi potestatem, petat ratihabitionem, vtrum ratihabitio obtenta sufficiat.

SEQVVNTVR quæsita circa prelatos Ecclesiasticos, quo ad dispẽsationẽ spiritualiũ. Vbi quærebatur vnũ pertinens ad absolutionis pœnitẽtialis ratihabitionẽ. Secundũ verò ad curæ spũalis subractionẽ. Tertiũ verò ad curæ spũalis cõmissionẽ. Quartũ aũt ad cõfessorũ reuelationẽ. Primũ erat. Si hñs ptãtem absoluẽdi limitatã, absoluat de alijs, & postmodũ à superiori qui super illis hẽt absoluendi ptãtem, petat ratihabitionẽ, vtrum ratihabitio obtenta sufficiat. Secundũ erat. vtrum Abbas sciens monachũ suum per cõfessionẽ eius cõstitutum in cura Parrochiali esse corruptorẽ Parrochianorũ suarum, teneat eũ reuocare ad Abbatiã suam, & à cura amouere. Tertium. quis duorũ fratrum vterinorum, quorũ vnus genitus est ex matrimonio præcedente, tñ clandestino: alter verò genitus est ex matrimonio sequẽte præsumpto, solẽniter tñ facto in facie Ecclesiæ, legitimus est ad curã aiarum suscipiendã, si ambo sint sacerdotes. Quartũ. si aliquis in confessione dixerit se alterũ quẽ nominauit occisurũ, & q̃ vellet nõ habere volũtatẽ occidẽdi, sacerdos cui cõfitetur poterit dicere illi, cui cõminatus est, caueatis vobis, aliqs insidiat vobis ad occidẽdũ vos.

Arg. prin. Circa primũ arguitur q̃ ratihabitio sufficit ad hoc q̃ absolutio præfecta valeat, & confitens sit verè ablolutus. quia extra do his, quæ fiunt à prælato sine consensu capituli. Cum vos. dicitur q̃ per ratihabitionem capituli valet factum prælati, super quo per se potestatem non habuit. ergo à consimili in proposito per ratihabitionem valet absolutio, quæ sine ea non valeret.

Contra. si consecret, qui non habet potestatem consecrandi, & nihil valet qd fecit, quia idem fecit, non potest valere, & efficax esse, per alicuius potestatem habentis ratihabitionem. ergo &c. *In oppos.*

Dicendum ad hoc, q̃ ea, quæ sacramentaliter fiunt per Ecclesiam, in factis consistunt per verba circa sensibile elementũ, & hoc quantũ est ex parte sacramẽti, & in potẽtia quantũ est ex parte administrantis sacrm, ita q̃ etsi Christus effectũ sacramentorum efficere potuit in illis, quibus adhiberet sine sacramentis, & ẽt licẽt huiusmodi potestatẽ hoibus puris, & ministris Ecclesiæ potuisset tribuisse, vt. ſ. sola inuocatione, & interceſſione abiq; sacramẽtis effectũ sacramẽtorũ egisset, nulli tñ homini in Ecclesia, neq; Ecclesiæ huiusmodi ptãtem tribuit, vt dicit Augustin. exponens illud Ioan. 1. Vidi spiritum descendentẽ quasi columbam, &c. & sequitur. Et ego nesciebam. *Respõsio.*

Propter quod dico, cum in absolutione pœnitẽtiali requiritur potestas ordinis, & eius executio ex parte ministri, & verba absolutoria applicata ad ipsum confessum, vt ad propriã materiã, & cum alterũ deficit, vel vtrunque non habetur sacramentalis absolutio: In proposito autem ex parte sacerdotis absoluentis deficit potestas secundum positionem, ex parte autem superioris, etsi sit sola ratihabitio, deficit tamen verbum cum applicatione ad elementum: Idcirco non sufficit ratihabitio ad absolutionem confessi, immò vel debet accedere ad superiorem, & ab ipso absolui, aut debet superior potestatẽ alicui cõmittere, per quem absoluatur. Et secundum hæc concedendum est secundum argumentum.

Ad pri-

Ad argu. princ. n Ad primum in oppositum, ꝙ in alienatione sufficit ratihabitio superueniens: ergo & in proposito: Dicendum, ꝙ non est simile, quia alienatio dependet ex sola volũtate habentis potestatem alienandi. Propter quod cum alienatio dependet à voluntate plurium, si volũtas vnius præcedat, sufficit ratihabitio, qua habetur volũtas alterius subsequens, continuata tamen voluntate ptioris cum voluntate posterioris, & non prius reuocata, quietunc non est sola ratihabitio; sed gemina concurrens voluntas. Vnde etsi absolutio in proposito dependeret à sola voluntate superioris, similiter valeret per solã eius ratihabitionem, nunc aũt nõ est ita, vt dictũ est: ideò nõ sufficit sola ratihabitio.

Comment. in Quæstionem XXVIII. quæ est,

Si habens potestatem absoluendi limitatam, absoluat de alijs, & post modum à superiori, qui super illis habet absoluendi potestatem, petat ratihabitionem, vtrum ratihabitio obtenta sufficiat.

IN titulo nota quid sit ratihabitio. Est.n. qua quis consentit in illud, quod suo nomine gestum est. Quot autem conditiones requirat, vt scias, vide Summistas in verbo, ratihabitio. Est autem etiam idem quod consensus secundum Angel. in verbo. consensus.

Nor. ꝙ casus in titulo duplex notari potest. Primus ex vi literæ ipsius tituli, in qua vtitur duabus illis vocibus. s. Alijs. Et illis. Et est, vt si quis absoluat ab ijs peccatis, quæ potest absoluere, cum intentione tamen non absoluendi è reseruatis, petit autem à superiori ratihabitionem, videlicet, vt velit illam absolutionem valere etiam pro reseruatis sibi. Secundus casus, & melior ad aures resolutionis, & sensus est, vt si quis absoluat ab omnibus tùm reseruatis, cùm etiam non reseruatis, & petit deinde ratihabitionem, & tunc quæritur, vtrum habita ratihabitione, sufficiat ita solutio, vt non necesse sit amplius alia solutione illum absoluere.

In corpore Est conclusio, quæ potest satisfacere vtrique casui, & est negatiua. ſ. ꝙ non sufficit. Probatur: Vbicunque in effectu sacramentorũm conferendo deficit aliquod requisitorum, ibi nequaquàm confertur effectus. Iam verò in vtroque casu defecit, &c. igitur &c. Maior patet, quia etsi potuerit Christus dare tantam prãtem Ecclesiæ suæ sine sacramentis, vt remitterentur peccata, nolluit tamen, sed illi donauit sacramenta, quæ ministrum requirunt idoneum, potentem ex ordine, & potestate requisita, item intentio ministri, materia quoque, & forma, quæ applicetur materiæ. Patet minor quo ad primum casum, quoniam deficit applicatio absolutionis, vt decet ad peccata reseruata.

Nor. ꝙ ratihabitio non potest tenere locum facti, vbi non est factum factum. Nimirum si ratihabitio debet esse, de aliquo vtique facto debet esse, vt patet ex eius diffinitione. Nunc autem, si non habebat intentionem absoluendi, nulla est facta absolutio. Vnde nihil valet ratihabitio, quia est de eo, quod gestum est, supponitur autem ꝙ nihil gestum sit circa illa peccata reseruata. ideò &c.

Quo ad secundum casum patet etiam, quia deficit potestas absoluentis, ideò pariter nihil gestum est, neque.n. absolutus est.

Nor. ꝙ inter alias condit, ones, quas habere debet ratihabitio, hæc vna est secundum Innoc. in c. Prudentia. de off. deleg. ꝙ requiritur vt illud factum valeat, quia quod nihil est, ratum habere non potest, vt si quis non habens potestatem sententiam ferat nomine iudicis, iudex non dicitur posse ratam habere, nec potest ratam habere, quia nulla est, cum sine aliqua auctoritate, & commissione eam tulerit. Et dato, ꝙ ratam habeat, nulla est, Angel. vt sup. Armilla. vt sup. & d.l. obseru. in fi. sic in proposito, nihil est, quod efficit sacerdos absoluens, quia carebat auctoritate, & superior non potest eam ratam habere.

Caueant igitur sacerdotes, vt dicunt & monent Episcopi, nè vltra quàm par sit extendant absolutionem, & caueant prælati à ratihabitione in tali casu, sicut parum scientes incidere possunt.

QVAESTIO XXIX.

Vtrum Abbas sciens Monachum suum per confessionem eius constitutum in cura Parrochiali esse corruptorem Parrochianarum suarum, teneatur eum reuocare ad Abbatiam suam, & à cura reuocare.

Arg prin. CIRCA sm̃ arguitur, ꝙ Abbas ille non debet monachũ suum à cura reuocare, quia extra de pœn. in cap. Omnis vtriusque sexus, dr̃ de confessoribus. Caueant oĩnò, ne verbo vel signo, aut alio quouis modo aliquatenus peccatorẽ prodant. per talem aũt amotionem peccatũ illius proderet, ergo &c.

In oppos. In contrarium est, quòd tunc Abbas viam aperiret malitijs, & quodãmodo facto nefario consensum adhiberet, quod posset impedire.

Responsio. Dicendũ ad hoc, ꝙ sigillum confessionis debet esse tm̃, ꝙ etsi confessor super aliquo facto à suo superiore astrictus esset ad dicendũ veritatẽ, non tn̄ deberet circa illud reuelare in dicto suo aliquid quod sciuit ex solã confessione, per qd quocũque modo peccatum confitentis posset reuelari, licet ét illud dictũ, & scitũ in confessione non esset per se pertinens ad confessionem. Quia qd in confessione scit, non scit nisi in persona Dei, & iurm̃ non obligat ipsum ad dicẽdũ aliquid, nisi qd nouit inquantũ hõ. Propter ꝙ illud, qd nouit Abbas in cõfessione, non dẽt mouere ipsum in agẽdis negotijs inquantũ est hõ, sed solũmodo, q̃ agit inquãtũ est secretarius Dei. Ea aũt quæ agit, vt Abbas in publico, agit inquãtũ hõ, licet in hoc sit minister Dei publicus, ea aũt quæ agere hẽt circa subditũ suum ne hẽat occasionẽ corrũpendi Parrochianos, dẽt agere inquantũ est secretarius Dei. Et ideo in secreto põt habere intentionẽ illũ amouendi pp salutem eius, & illorum, sed in publico debet habere rõnem, & occasionem amouendi ipsum absq; scãdalo, & suspitione, q̃ si habere poterit ipsum dẽ deponere, vt secretarius Dei, & põt vt publicus minister, nec dat scandalo occasionẽ, aut suspitionẽ,

etsi fortè alius conscius facti aliquantulum posset sumere scandali, aut suspitionis occasionem, propter quam bonū istud nō debet omitti, si alio modo æque competenti absque omni suspitione accepta non possit fieri. Si verò illam habere non poterit, sed propter carentiam rationis, aut occasionis amouendi ipsum posset oriri scandalum, aut suspitio, & propter crimen aliquod ipsum amouisset, nullo modo debet ipsum deponere, quia nullo modo sunt facienda mala à nobis, vt eueniant bona. Immò in hoc casu Deo negotium totum committendum esset, firmiter tenendo, & nō permitteret huiusmodi mala fieri, nisi iustum esset ea fieri, & nisi ita potens esset; & sciret ea in bonū ordinare, vt quo ad hoc voluntatem nostram diuinæ voluntati concordemus, in volendo saltem ex causa in generali, quod ipse velit ex causa in particulari, absolutè tamen volendo Deum velle hoc non permittere fieri, in hoc concordando voluntatem nostram voluntati diuinæ, in volendo id quod ipse vult nos velle. In primo membro prædictæ distinctionis procedit secundum argumentum, tunc enim solùm aperiret viam malitijs, & illi malo consentiret, si bonam haberet rationem, siue occasionem deponendi illum, & non deponeret, aliàs autem nequaquàm, immò aperiret viam damnationi suæ, & in peccatum proprium consentiret.

Ad argum. primū.

In secundo verò membro procedit primum argumentum. Tunc enim solum proderet confitentem actiuè si sine occasione, & causa deponeret illum, alias nequaquàm, vt dictum est.

Comment. in Quæstionem XXIX. quæ est,

Vtrum Abbas sciens Monachum suum per confessionem eius constitutum in cura Parrochiali esse corruptorem Parrochianarum suarum, teneatur eum reuocare ad Abbatiam suam, & à cura reuocare.

ITVLVS clarus.

In corpore concluſio est oriens à distinctione. Et est, & si potest citra scandalum, & suppositionem aliquam populi, & cum aliqua rationabili causa, debet illum deponere: sin autem nequaquàm.

Prima pars conclusionis probatur secundo argumento in fronte quæstionis adducto.

Secunda pars probatur primo argumento, &c.

Cetera clara videntur. Hoc.n. negotium pertinet ad sigillum confessionis, quod tanti facit ipsa Dei Ecclesia, quoniam si periret, profectò nemo esset, qui vellet peccata confiteri. Et quidem sigillum est obligatio, vel debitum occultandi prorsus id, quod in confessione auditum est. In cap. sacerdos. de pœnit. dist. 6. & secundum Thom. Et est obligatio de lege diuina, per redemptorem nostrum introducta ad occultandum, quod in sacramentali confessione reuelatur. Et hoc frangere nemo debet. Frangitur autem duplici reserratione, directa, & indirecta. Quocunque autem modo frangatur est cum mortali culpa, & pœnas meretur frangens à canone constitutas. Est autem frangere directè cum reuelatur verbis, vel scripto id, quod auditum est in confessione. Indirectè verò, factis præsertim, vt in casu proposito, vbi certissimè frangeret sigillum quilibet Abbas, qui id faceret, vbi videlicet faceret id cum scandalo, suspicione, & absque causa rationabili aliter habita, &c. quia facto secretum reuelaret. Secus autem si citra hæc id ageret, & aliqua oboriente rationabili causa.

Not. & quæstio extendi potest ad quecunque prælatum habentem sub se curatos, & confessores, vt ad Episcopos.

Not. quod eadem est ratio dum fit confessio illi superiori immediatè, vel etiam mediatè; quippè accidit, vt possit scire superior peccatum per alium, cui confessus est, vt cum confessarius accedit, vt habeat licentiam absoluendi à reseruatis. Tametsi.n. debeat superior inuigilare super gregem suum, vt prouideat accidentibus erroribus, nè amplius fiant, pensare tamen omnia diligenter debet, quæ facturus est, ne aliquid faciat, quo oriatur scandalum, atque item suspicio, vt dictum est, &c. Vide D. Thomam. in add. 3. p. quæst. 11. art. 1. ad tertium.

QVAESTIO XXX.

Quis duorum fratrum vterinorum, quorum vnus genitus est matrimonio præcedente, tamen clandestino: alter verò genitus est ex matrimonio sequente præsumpto, solemniter tamen facto in faciem Ecclesiæ, legitimus est ad curam animarum suscipiendam, si ambo sint sacerdotes.

CIRCA tertium nullum proponebatur argumentum. Ad qd dicendum, & edicta Ecclesię pœnalia maximè suspensionis sunt contra illos, qui faciunt contra alia edicta Ecclesiæ, vt fortius obseruentur, & maximè etiam ad illa custodienda, quæ nouit Ecclesia, & de quibus hēt iudicare. Vnde cum Ecclesia ponit edictum pœnale, & nullus illegitimus ad curam animarum accedat, hoc est in odium copulæ extra matrimonium ab Ecclesia approbatū. Propter quod illi, qui non sunt progeniti ex matrimonio non approbato per Ecclesiam, quantuncunq; sit ratum coram Deo, contrà illos est edictum præcedens, & non contrà illos, qui sunt ex matrimonio approbato per Ecclesiam quantuncunque non sit ratum coram Deo. Quare simpliciter dicendum est, & si ille primus ex legitimo matrimonio coram Deo non tamen approbato per Ecclesiam suscipiat curam animarum, contrà interdictum Ecclesię suscipit, & est irregularis, alter verò nequaquam.

Responsio.

Com-

Comment. in Quæstionem XXX. quæ est,

Quis duorum fratrum vterinorum, quorum vnus genitus est matrimonio præcedente, tamen clandestino, alter verò genitus est ex matrimonio sequente præsumpto, solemniter tamen facto in faciem Ecclesiæ, legitimus est ad curam animarum suscipiendam, si ambo sint sacerdotes.

IN titulo not. ℘ vtrunque matrimonium præsumitur ratum, & non ratum. Vt primus quidem, siempè clandestinus præsumitur ratus coram Deo, non ratus verò coram Ecclesia. Secundus autem præsumitur non ratus coram Deo, præsumitur autem ratus coram Ecclesia.

Not. quoque ℘ quantum spectat ad matrimonium clandestinum in hac parte, intelligitur illud, quod nullo modo licitum est, datur n quoddam huiusmodi illicitum, quòd post Gaetanum 2. tom. de sacram. Doctor Nauarr. dicit. c. 16. num. 37. Quo fit, vt vterque propositorum intelligatur illegitimus, alter in conspectu Dei, sed non Ecclesiæ, alter in conspectu Ecclesiæ, sed non Dei. Quatenus autem illegitimus videtur irregularis.

In corpore conclusio est, quod ille, qui legitimus est coram Ecclesia legitimus est ad curam animarum, contrà verò qui non est legitimus coram Ecclesia.

Probatur, quia edictum de non legitimo est edictum Ecclesiæ contrà illegitimos, vtpotè notos, ex matrimonio non approbato ab Ecclesia.

Not. ℘ defectus natalium redigitur ad defectum corporalem, & includit omnem illegitimationem, & omne illegitimorum genus. glos. c. Nisi cum pridem. de renunc. Verb. Mansores & alibi, etiam ℘ defectus occultus sit. Sed occultus non est in casu, vbi approbatum est matrimonium, sed vbi coniugata ex adulterio conceperit, natus non erit legitimus, & erit irregularis, qui nunquam fiet legitimus ad curam animarum sine dispensatione Summi Pont. cap. 1. & 2. de fil. Presbyt.

QVAESTIO XXXI.

Si aliquis in confessione dixerit se alterum quem nominauit occisurum, & quòd vellet non habere voluntatem occidendi, sacerdos cui confitetur poterit dicere illi, cui comminatus est, caueatis vobis, aliquis insidiatur vobis ad occidendum vos.

Arg. prim. IRCA quartum arguitur, ℘ dictus confessor debet munire illũ cui confessus insidiatur, quia debet procurare bonum proximi, & impedire malum eiusdem: hoc facit ex parte vtriusq; illum muniendo, vt patet. ergo &c.

In oppos. Contra tũc scandalizaretur confitens, quia vix contingeret, quin ex gestu alterius perciperet, ℘ esset munitus, & hoc non nisi ab ipso confessore, sed ne scandalum fiat, bonum est omittendum. ergo &c.

Responsio. Dicendum ad hoc secundum distinctionem iã propositam in dissolutione secundæ quæstionis proximò precedentis, ℘ si confessor posset habere aliàs bonam rationem, & occasionem muniendi illum præter hoc, quod dictum est ei in confessione, deberet munire illum maximè alio sciente huiusmodi rationem, siue occasionem, non obstante ℘ ille ex hoc scandalizaretur, quia tunc perinde esset, ac si aliàs, & alio modo illam comminationem illi factam sciuisset. & est respectu illius scandalum acceptum non datum, quod propter veritatem vitæ periclitantem debet permitti fieri. Si verò aliàs nullam rationem, aut occasionem muniendi illum poterit habere, vt ex munitione præsumatur firmiter alium posse scandalizari, & reputare confessorem confessionis reuelatorem, & confessi proditorem, in hoc casu ad scandalum actiuum euitandum debet illum non munire, sed Deo committere, quia non potest plus facere.

Per hæc patent obiecta.

Comment. in Quæstionem XXXI. quæ est,

Si aliquis in confessione dixerit se alterum quem nominauit occisurum, & quòd vellet non habere voluntatem occidendi, sacerdos cui confitetur poterit dicere illi, cui comminatus est, caueatis vobis, aliquis insidiatur vobis ad occidendum vos.

TITVLVS satis clarus.

In corpore conditionata conclusio sicut superioris quæstionis, vbi altera pars probatur altero argumentorum in fronte quæstionis, altera verò alterò, vt manifestè patet.

Not. quòd hæc est etiam expressa sententia a simili, & ex clara consecutione D. Thomæ in quarto sententiarum distinctione 22. quæst. 3. art. secundo. Et in additione tertiæ partis quæst. 22. art. 2. ad primum & alibi.

QVAE-

QVAESTIO XXXII.

Vtrum locus inferni sit centrum terræ.

SEQVVNTVR quæsita speciaLiter circa creaturas inanimatas. Vbi quærebatur vnum pertinens ad creaturæ situm.s.de loco inferni. Secundum ad creaturæ numerum.s. de numeratione luminum in medio. Tertio quærebantur quædam alia pertinentia ad creaturæ virtutem. Primum illorum erat. Vtrum locus inferni sit centrum terræ. Secundum erat, vtrum species in medio accipit numerum à subiecto an ab obiecto.

Arg. prim. pr. Circa primum arguitur, ꝙ sic, quia locus gloriæ, & pœnæ debent se habere ex oppositio, sicut se habet gloria, & pœna, sed gloria est in loco supremo, vt in cœlo empyreo: ergo pœna est in loco infimo, vt in centro terræ. Locus autem pœnæ æternæ non est nisi infernus. ergo &c. Item in Psal. *Secũdum.* dicitur de damnatis. Descendent in inferiora terræ, sed inferiora terræ non sunt nisi in centro, & illi non descendunt nisi in infernum. ergo &c.

In oppos. Contra. Intentio naturæ frustraretur in hoc.s. ꝙ grauia non possent ferri in centrum.

Resolut. q. In ista quæstione ductus naturalis rationis modicum nos iuuat, dicente Grego. 29. Moral. cap. 9. Occulta inferni nullo nobis naturali sensu penetrantur. Vtrum autem de occultis eius est locus, siue situs vbi sit. Vnde in hoc dictis sanctorũ ex scripturis sanctis adhærendum est. Dicit autem Gregor. 12. Moral. cap. 3. Esse alia inferiora inferni loca, esse & alia superiora credenda sunt. Et hoc ideò quia dicitur in Psal. 85. Eruisti animã meam ex inferno inferiori, quod exponens Augustꝰ dicit. Hoc si non vobis tanquam certus exposuero, ne succenseatis, homo sum enim, & quantùm conceditur de scripturis sanctis tantum audeo dicere, nihil ex me. Intelligimus nanque duo inferna esse, superius, & inferius. Videtur ergo fratres habitatio esse quædam cœlestis Angelorum in vita ineffabilium gaudiorum. Illa pars rerum superna est, hæc inferna, in qua sumus in carne, & ista mortalitate. Sed rursus ab hoc inferno, idest, ab hac parte in terra, est aliud inferius, quo eunt mortui. Propter ista duo inferna missus est filius Dei vndique liberans, ad hoc infernum missus est nascẽdo, ad illud moriendo. Ecce, quòd præter istum infernum mysticum huius superficiei terræ, in quo viuimus, de quo nihil ad præsens, dicit infernum verum esse in terra inferius, de quo intendimus, & istum continuò distinguit in partem superiorem in qua erant patres, & inferiorem in qua erant damnati, dicens; Fortassis apud inferos ipsos est aliqua pars inferior, quò traduntur impij, qui plurimum peccauerunt. Et quidem diues cum torqueretur apud inferos, cum videret Abraham leuauit oculos; non enim posset leuatis oculis videre, nisi iste esset superius ille inferius. Sed tamen nec hoc asserit, vnde subdit. Siue istud, siue illud sit, hic me scrutatorem verbi Dei non temerarium affirmatorem teneatis. Greg. autem 13. lib. Moral. ca. 19. tres modos inferni distinguit dicens; Quantum ad sublimitatem cœli, huius aeris caliginosi spatium infernus dici potest, quantum verò ad eiusdem aeris altitudinem, terra quæ inferius iacet infernus profundus intelligi potest: quantum verò ad eiusdem terræ altitudinem, etiã illa loca inferiora. Inferni profundissimi appellatione insinuat sub terra sinum inferni superiorem, & inferiorem. Sed vtrum in centro terræ, siue in latere adhuc dubium est. Quod autem sit in latere, videtur insinuare per hoc, quod dicit 4. dial. cap. 27. recitando visionem cuiusdam Eremitæ in Sicilia de Theodorico rege, sic inquiens. Theodoricus hesterna die hora nona inter Io. Papam, & Symmachum patriciũ discinctus, arq; discalceatus vinctis manib. deductus in hac vicina Vulcani insula iactatus est. Sed illud fuit fortè visio imaginaria. Vnde & inter Io. & Symmachum deductum vidit: quos tamen habebat Romæ in carcere, vt dicit Gregor. Vnde ex hoc certa fides haberi nõ potest, maximè quia etsi in antro Vulcani esset introitus, non tamen sequitur, quin posset descendere vsque ad centrum terræ, & magnum spatium circa centrum occupare. Quid tenendum sit hic, nescio, nisi ꝙ verius credo, ꝙ sit infernus sub terra, & quãto remotius fieri potest à loco superiori, & hoc, ꝙ non sit nisi in centro, & circa centrum terræ. Vbi distinguunt aliqui quatuor intercluſuras, & vnam sub alia, vt fundus inferior, & sentina sit infernus damnatorum: superius autem ex aliquo latere sit purgatorium animarum iustorum, & adhuc superius ex eodem latere, vel aliquo alio limb. paruulorum in originali discedentium, & adhuc superius, siue ex eodem latere, siue ex alio limbus patrum. Veruntamen de hoc Aug. omnem assecurationem ex ratione naturalis ingenij remouet, de Ciuit. Dei. lib. 20. 16. cap. dicens sic. Iudicatis ijs, qui nõ sunt scripti in libro vitæ, & in æternum ignem missis, qui ignis, cuiusmodi, & in qua mundi, vel rerũ parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi fortè, cui spiritus diuinus ostẽdit. Vnde expresse non solum dubitat, siue non exprimit vbi modo sit, sed etiam dubitat, an ibi futurus sit vbi modo est.

Ad argu. in oppos. Ad arg. in oppos. ꝙ si infernus esset in centro frustrarentur grauia à suo loco. Dicendum, ꝙ hoc non est inconueniens virtute diuina, quemadmodum, & sub terris sunt multæ cauernæ tectæ grauedine terræ, quæ nunquam ad concaua earum descendit.

Comment. in Quæſtionem XXXII. quæ eſt,

Vtrum locus inferni ſit centrum terræ.

TITVLVS clarus, per centrum enim terræ intelligitur medium quomòdocunque accipiatur; variè enim ponitur figura terræ, quidam enim rotundam faciunt, quidam ad cordis figuram, quidam ad timpani formam ut Ptolomæus. Quomodocunque autem deſcribatur, pro centro accipitur medium terræ remotius à cœlo, ſicut enim à centro circuli ad circunferentiam, tanta eſt diſtantia, quòd maior eſſe non poteſt in tali figura, ſic medio terræ, quia etſi non ſit centrum terræ præciſum, erit mundi centrum, licèt etiam de hoc diuerſitas quædam ſit apud Mathematicos.

In corpore ponitur concluſio probabilis; ſ. ꝙ ſit in centro terræ. & hoc ex Gregorio, & Auguſt. vt videre licèt in litera; ſatis enim faciliter tractatur hæc quæſtio ab Auctore.

Not hanc quæſt. exactius tractari, ita vt digna lectu ſit à Bartholomæo Sibilla in cap. tertio ſecundæ decadis queſt. 2. de ſpiritibus, vbi infernum ſuadet eſſe in centro terræ tribus rationibus deſumptis ex Petro de Tarãtaſio. D. Thoma, Richardo, Bonauenturaque in 4. diſt. 44. & ex Henrico de Aſſia ſuper Geneſim, quarum prima eſt ex ratione diuinæ ordinationis. Secunda ex ratione aſſimilationis loci, & locati. Tertia ratione oppoſitionis. Deinde auctoritates plures inducit Ionæ, Iob. Pſalm. Prouerb. Auguſt. Gregor. Damaſc. Iſidori, Cirilli, Senec. Virg. & aliorum. Vide ipſum. Et ferè omnia, & alia inuenies ad hoc collecta ex Gabriel Biel. Steſ. Bruliſ. Paulo Cortes. præter nominatos in lexicon Theolog. Dictione Infernus.

QVAESTIO XXXIII.

Vtrum ſpecies in medio accipiat numerum à ſubiecto, an potius ab obiecto.

Arg. prin. CIRCA ſecundum arguitur, quòd ſpecies in medio non accipit numerum ab obiecto, quia non eſt in ipſo.

In oppoſit. Quòd etiam non à ſubiecto, quia duę ſpecies lucis ſunt in eodẽ, vt in perſpectiua probatur per diuerſas vmbras.

Reſponſio. Aliqui adhærentes experientiæ tactæ in ſecundo argnmento dicunt, quòd ſpecies in medio non numeratur à ſubiecto, ſed ab obiecto, & hoc quia debile eſſe habet non fixum, & ſtans in ſubiecto, ſed tranſiens quãtum eſt ex natura ſubiecti, ita ꝙ non conſeruatur in eſſe, niſi ad præſentiam ipſius obiecti: ab illo autem res numeratur à quo habet eſſe, & conſeruari. Quod omnino ſtare nõ poteſt, quia quantuncunque debile eſſe habet: tamen nõ eſt nihil, ſed aliquid in natura, & eſſentia. Quod cum ad præſentiam obiecti ab ipſo tanquam ab agente habet fieri, & eſſe de nouo in medio, hoc non poteſt intelligi niſi vno ex tribus modis.

Aut per migrationem, vt videlicet ſpecies illa primò fuerit in obiecto, & ab obiecto migret in medium, quod eſt impoſſibile, quia accidens eſt, & accidentia ſecundum Boetium perimi poſſunt, alterari (ſcilicet per migrationem) non poſſunt.

Aut per productionem de nihilo, quod eſt ſimiliter impoſſibile, quia hoc eſſet creare quod eſt ſupra poteſtatem creaturæ. Quod autem illud eſſet creare, patet per Commẽt. qui ſuper 12. Metaph. dicit contra datores formarum. Si forma fieret à generante in materia non ex materia, generatio eſſet creatio. Aut per veram generationem, & hoc non niſi de potentia materiæ, & medij ex ſe diſpoſiti, ſicut materia, quæ eſt neceſſitas. Quòd ſi ſic, cum ea, quæ ſunt eiuſdem naturæ ſpecificæ de eadem potentia materiæ generantur in diuerſis temporibus intercedente corruptione, vt de potentia eiuſdem ſubiecti numero diuerſæ albedines, ſicut ea, quæ ſunt diuerſarum ſpecierum de diuerſis potentijs eiuſdem ſubiecti, vt de alia potentia materiæ album, & de alia nigrum: ſi tamen nigrum ſit color poſitiuus. Quæcunque autem de eadẽ potentia materiæ generantur diuerſa, quia ſecundũ eundem modum, & rationem habent eſſe in ſubiecto, ſimul eidem ineſſe non poſſunt, ſed quæcunque ſeſe compatiuntur in eodem ſubiecto debent produci de diuerſis potentijs materiæ, & per hoc alio, & alio modo habere eſſe in ſubiecto, qa cum diuerſæ ſpecies lucis non differunt plus, quã numero, ſicut nec diuerſæ luces, ſimiliter nec diuerſæ ſpecies albedinum, ſicut nec diuerſæ albedines: quòd enim dicuntur diuerſæ ſpecies, idem eſt, ac ſi dicerentur diuerſæ rei intentiones, non quia differentia ſpecifica differunt, ſed quia non ſunt veræ res, ſed tantum idolum rei, & quo ad hoc ſpecies.

Diuerſæ igitur ſpecies lucis, aut albedinis, ſiue cuiuſcunque ſenſibilis vnius ſecundum ſpeciẽ nullo modo poſſunt eſſe ſimul in eadem parte medij: immò quotquot ponantur, vel appareant eſſe ſimul in eadem parte medij, ſunt vna ſecundum numerum, licet à diuerſis obiectis ſecundum numerum, quemadmodum in eodem non eſt niſi vna lux ſecundum numerum, ſed cum ſint diuerſa lumina obiecta medio, in quo lumen generatur, omnia illa ingeneratione illius concurrunt qua eſſent vnum numero, ita quòd quodlibet illorum ſecundum modum, & proportionem intenſionis ſuæ, & virtutis agat in illius luminis intenſione, ſed diuerſimodè ſi ſimul apponantur, & æquè primo agunt in medium, etſi ſucceſſiuè vnũ poſt alterum, quoniam ſi ſimul, tunc in illo puncto medij vniuntur virtutes omnium, & fiunt vna virtus, quæ generat

ſpe-

ſpeciem, quæ lumen eſt in puncto illo ſub intenſione proportionali illius virtutis, ſub qua generaſſet ipſum vnicum agens luminoſum æqualis virtutis, & intenſionis illis pluribus.

Si verò ſucceſſiuè vnum luminoſum adueniat poſt alterum, tunc prius adueniens generat ibi lumen intenſum ſecundum proportionem virtutis ſuæ, & ſecundum nihil facit niſi augmentare intẽſionem luminis iam generati, & hoc ſecundũ proportionem virtutis ſuæ, & ſic de cæteris quotquot ſucceſſiuè apponuntur. Et ſi plura apponantur ſimul poſt primam illius generationem in virtute vna augmentant ſecundum proportionem virtutis vtriuſque, ſicut dictum eſt de eius generatione à pluribus ſimul. Et ſicut hoc contingit in vno puncto medij, etiam ſic contingit in quolibet puncto eius, & in toto medio ſe habente ad diuerſas luces, ſiue corpora diuerſa lucida ad rectam oppoſitionem. Sed dices, ergo eadẽ ratione in viſu à medio fit vnius ſpeciei luminis generatio in oculo à diuerſis corporibus luminoſis, quare cum ſecundum ſpeciem acceptam de re iudicat viſus: plura ergo luminoſa viſa non iudicaret niſi vnum, ſicut eſt ſpecies vnica, quàm iudicat. Sed nõ eſt ita, nec hoc ſequitur ex poſito, quoniam benè verum eſt ꝙ non eſt à diuerſis corporib. luminoſis niſi vnica ſpecies luminis generata in oculo: ſecundum tamen ꝙ habet in ſua ſubſtantia intenſionẽ proportionalem ſingulis luminoſis, vt dictum eſt, ſecundum hoc nullum corporũ luminoſorum ſe habentium ſecundum rectam oppoſitionem ad oculum mouet ipſum generando, vel intendendo ſpeciem luminis in ipſo ſecundum maiorem luminis intenſionem, quantum ab ipſo ſi eſſet per ſe ſolum natum eſſet generare in oculo, & propterea illa ſpecies non immutat oculum ad videndum aliquod luminoſum niſi ſecundum illam proportionẽ, quę ab ipſo eſt generatum, aut intenſum, ſiue ſit ęqualis, ſiue inæqualis proportioni, ſecundum quã eſt generatum ab altero luminoſo. Propter quod licèt illud lumen ſit vnum in ſubſtantia: per ipſum tamen videntur diuerſa corpora luminoſa, & vt diuerſa, & diſtincta. Cuius declaratio eſt, quia vt probatur in perſpectiua, omne quod videtur, ſub angulo pyramidis videtur, cuius baſis eſt in extremitatibus rei viſæ, & conus in puncto interiori nerui optici, in quo concurrunt nerui duorum oculorum, & in quo viget virtus ſenſitiua viſiua de viſis iudicatiua, de viſibili iudicans ſecundum quod tota ſuperficies eius contenta inter baſes pyramidis offertur virtuti viſiuæ in angulo coni ſub illo puncto, & in illo. Aliter enim res viſa duobus oculis, non vna, ſed duæ ſemper iudicaretur, vt ſimiliter probatur ibidem. Nunc autem ita eſt, ꝙ quæcunq; diuerſa corpora luminoſa directè obiecta viſui in puncto vigente habent baſes diuerſas inter ſe diſtinctas, & diſtantes abinuicem, quarũ vna eſt ſemper extra aliam, ſicut & vnum eorum extra aliud, & diſtans ab ipſo. Ita ꝙ licèt ſingulæ pyramides concurrunt in prædictum eundem punctum: tamen ſemper ex alio, & alio reſpectu, & ſecundum diuerſos conos inter diuerſas pyramides & diſtantes, intra quorum lineas ſuperficies obiectorum, & lumina ad ipſis diffuſa in diſtinctis conis diſtinctè præſentantur, ita ꝙ intra lineas eiuſdem pyramidis in vno cono impoſſibile eſt repreſentari ſpecies, aut lumina diuerſa diuerſorum viſibilium. Propter quod quodlibet illorum ſub ſuo cono diſtinctum, & diuerſum videtur ab alio, & ſolùmmodo ſecundum modum claritatis, & luminis proprij, quod immutat per ſe viſum ſub illo cono, non commixtum cum lumine alterius, licèt in eodem puncto medij ſint commixta, vt medium eſt, & vt punctus eſt ſimpliciter. Vnde ſi in illo puncto eſſet vis viſiua, q̃q̃ in illo eſſent ſimul quaſi commixtum in vnum lumen à diuerſis corporibus luminoſis: quia tamen vt videns non iudicaret, niſi vt ſub diuerſis conis inter lineas pyramidales præſentaretur, non iudicaret niſi diſtinctè, & ſecundum proportionem, qua à ſingulis procederet. Et iuxta hunc modum contingit, ꝙ licèt à diuerſis ſit ſecũdum prædictum modum vnum lumen in toto medio: ſi tamen inter aliquod luminoſorum corporum & medium illuminatum interponatur corpus opacũ, proijciet vmbram in medio illuminato ab alijs ſecũdum proportionem, qua corpus luminoſum patiens obſtaculum natum eſt augmẽtare lumen generatum in medio, & ſic de ſingulis, ita ꝙ cuilibet propria vmbra reſpondebit. Licèt. n. non ſit niſi vnum lumen ſecundum numerum in re: eſt tamen plura lumina in virtute, & intẽtione. Propter quod per vmbras non poteſt probari, ꝙ in medio ſunt diuerſa lumina numero ſecundum rem, ſed ꝙ virtute ſolùm: vtrolibet enim modorum ſingulis corporib. luminoſis per ſingula obſtacula ſingulas vmbras neceſſe eſt reſpondere.

Per hæc patent obiecta.

Comment. in Quæſtionem XXXIII. quæ eſt,

Vtrum ſpecies in medio accipiat numerum à ſubiecto, an potius ab obiecto.

IN titulo not. quòd quæſtio eſt de ſpecie ſenſibili, quæ ad hoc vt percipiatur à potentia indiget medio, vt color in pomo, adhoc vt percipiatur à viſu, neceſſe eſt vt recipiatur in medio, ſ. aere. Quoniam autem non pomum ipſum ingreditur viſum, ſed ſpecies eius, nempè ſimilitudo eius; quæritur, à quonam accipit numerum hæc ſimilitudo, an ab obiecto, an à ſubiecto. Protuius rei intelligentia oportet conſiderare quid ſit obiectum, quidvè ſubiectum in propoſito.

Notã igitur, quod ſi ſit pomum, quod offeratur ſenſui viſus, quoniam viſus pro obiecto propriè non habet niſi colorem, iudicabit, atque percipiet viſus propriè colorem; communiter autem figuram, magnitudinem, &c. Sed pro nunc loquamur de colore, color propriè eſt obiectum viſus, ſed nunquid ipſe color realiter inexiſtens pomo ingreditur viſum ad hoc vt percipiatur, & ipſe color realis exiſtens, vel potius eius ſimilitudo eſt, quæ recipitur in medio? Profectò communis ſententia eſt, & veritas peripatetica, quòd ipſa ſimilitudo eſt, quæ defertur ad viſum. Iam verò ſimilitudo ipſa ſpecies illa eſt, qua de quæritur in præſentia, quæ non dicitur obiectum, ſed obiecti ſpecies. Color igitur eſt obiectum, & ſimilitudo coloris eſt ſpecies; ſubiectum autem intelligitur ipſum pomum, non quidem ſubiectum ſpeciei, ſed obiecti coloris. Nunc igitur quæritur an ſpecies accipiat numerum à ſubiecto, an potius ab obiecto. Et nota, quòd tota difficultas eſt propter lucem. Lux enim & ipſa obiectum viſus eſt, ſed tamen non eſt ipſa, quæ viſum ingreditur, ſed ſimilitudo eius, quæ dicitur ſpecies lucis. Subiectum verò lucis eſt ipſum corpus luminoſum, vnde quæritur id ipſum, an ſpecies, lucis accipiat numerum ab obiecto, an à ſubiecto. Vt eſto duæ candelæ accenſæ quaſi ſimul iunctæ, duo ſubiecta videntur, & tamen vnica lucis ſimilitudo, & vnicum obiectum.

In corpore igitur, de luce, cuius præſertim eſt dubitatio, tria habemus. Primum eſt reprobatio opinionis. Secundum concluſio reſponſiua quæſito. Tertium ſolutio emergentis dubitationis.

De primo opinio eſt. Quòd ſpecies accipiat numerum ab obiecto, & fundatur hæc opinio ſuper ſecundo argumento, quæ reprobatur. Sed pro notitia, attende, ꝙ pòt eſſe, vt à corpore luminoſo prouenianꝫ ſpecies plures luminis, quæ pluralitatem, vel habet ab obiecto, vtpotè ꝙ ſint plura etiam obiecta, hoc eſt, plures luces, & non à ſubiecto, quia vnicum ſit corpus luminoſum, vel habent à ſubiecto, quia ſint plura corpora luminoſa, ſed non ab obiecto, quia vnicum ſit obiectum, vt plures candelæ ſimul iunctæ, & accenſę. ſunt plura corpora luminoſa, tamen vnicum videtur obiectum, vel ſumunt pluralitatem tùm ab obiecto, cùm etiam à ſubiecto. Et de hoc vltimo non eſt quæſtio, ſed de prioribus modis. Et quidem primum tenet opinio. Eſto igitur ꝙ ſint duæ ſpecies lucis, habentes hanc dualitatem ab obiecto, & non à ſubiecto, profectò vtraque illarum habet eſſe. Et quidem de altera illarum, non eſt difficultas, quia habet correſpondens vnicum ſubiectum, vnicum corpus luminoſum, modo difficultas eſt de altera ſpecie, & propter hanc argumentatur Auctor, & reprobare conatur opinionem ſic. Aut enim habet eſſe per migrationem, aut per productionem de nihilo, aut per veram generationem, ſed nullo horum modorum habet eſſe, igitur &c. Maiorem probat, quia nullus eſt alius modus, vnde aliquid habeat eſſe. Minorem declarat, & probat. Et primò quo ad migrationem probat ex Boetio, quo ad productionem de nihilo ex Commentatore, quia eſſet creatio negata &c. Quo ad veram generationem etiam, quoniam præſupponitur materia diſpoſita, agens, &c. quæ omnia nota ſunt in litera.

De ſecundo, concluſio eſt, quòd ſpecies lucis in medio accipit numerum à ſubiecto.

Declarat hanc concluſionem, quia aut diuerſæ ſpecies lucis apparent in eadem parte medij, aut in diuerſis partibus medij. Si primum, aut eſt ſecundum ſucceſſionem lucis à Sole promanantis, aut ſimul. ſi hoc ſecundum, profectò ſicut eſt vna ſpecies, ita vnum obiectum, atque ſubiectum, vt luces prouenientes à pluribus candelis ſimul iunctis videntur quidem quantum ad rationem eſſe plures, ſed ſunt re vera vna ad ſenſum, & vnicum obiectum, & ſubiectum ex pluribus collectum. ſi primum huius ſubdiuiſionis, & ſi ſint plura obiecta, eſt tamen vnica, ſicut vnicum obiectum, Sol. ſi ſecundum illius primæ diuiſionis, tunc quantuncunque concurrant ad inuicem, & ad vnicum obiectum apparent diuerſæ ſpecies, & diuerſa ſubiecta.

De tertio, dubitatio eſt, quòd ex hoc videtur ſequi, ꝙ ex pluribus corporibus luminoſis poterit prouenire vnica ſpecies. Soluitur autem, quod poterit prouenire. ſi ſint ſimul iuncta corpora luminoſa, ſin autem nequaquam. Et nota hoc diligenter, quòd ex coniunctione corporum luminoſorum efficitur vnicum lucis ſubiectum cum prius eſſent plura, vnde ſicut ex diſiunctis ſunt plures ſpecies, ita ex coniunctis vnica, & ſic ex vnitate, vel pluralitate ſubiecti deſumitur unitas, aut pluralitas ſpeciei.

QVAESTIO XXXIIII.

Vtrum ignis corporalis veram paſſionem poſſit agere in ſpiritum.

SEQVVNTVR quæſita pertinentia ad creaturæ inanimatæ virtutem. Vbi quærebãtur duo pertinentia ad virtutem actiuam corporalis in ſpirituale, & duo alia pertinentia ad virtutem paſſiuam corporalis à corporali. Primum iſtorum erat, vtrũ ignis corporalis veram paſſionẽ poſſit agere in Spiritum. Secundum, verum aliquis lapis poſſit ſua virtute fugare dęmones. Tertium, vtrũ ex ſpecieb. ſacramenti poſſit generari vermis. Quartum, vtrum ignis poſſit frigefieri.

Circa primum arguit, ꝙ non, quia non propria virtute, vt agens principale, quia oĩnò eſt inferioris naturę, & minus in actu, q̃ ſpiritus. Agens autẽ ſecundum Philoſ. ſemper debet eſſe prętãtius patiente, nec in virtute ſuperioris agẽtis, vt inſtrumẽtum, quia oĩnò attingere ad ſpiritum nõ põt, ſicut debet inſtrumentum ad paſſum. Quæſt. iſta ſuppo nit ignem, quo patiunt ſpiritus fore materialem, quod tamẽ Aug. in dubio dimittit 20. de Ciui. Dei, vt in ꝓdicta auctoritate ſup. & ibid. c. 22. vbi dicit ſic. In pœnis aũt malorum & inextinguibilis ignis & viuaciſſimus vermis ab alijs, atq; alijs aliter, atq; aliter eſt expoſitus. Alij quippe vtrũq; ad corpus: alij vtrunq; ad animam retulerunt: alij propriè ad corpus ignẽ tropice ad aĩam vermẽ, quod eſſe credibilius vr. Sed ſi tropice ad aĩam vermis, qũo non tropice, ſed propriè ad animam ignis? Sed Greg. de

Reſolut. q.

Greg. prim.

de hoc amplius assecurat nos, cum dicit in 4. dial. c. 26. Credi necesse est, ꝙ à die exitus sui reprobos exurat ignis. Ex qua ratione credendum est, quia rem incorpoream tenere ignis corporeus pōt, ꝟt in tormento sit viuendo, & sentiēdo ignem; nanq; eo patit quo viuit, & quia cremari se aspicit crematur, sicq; fit, vt res corporeas incorporea exurat dum ex igne visibili ardor inuisibilis trahit, vt per ignem corporeum mēs incorporea etiā corporea flāma crucietur. Ecce planè, quia ille ignis corporeus est, & erit, qd firmiter credendum, quia hoc Christus dicit in Euāg. Ibunt in ignem æternū &c. & ignem vrentem nō solemus appellare, nisi corporeū. Sed quis sit modus, quo agere possit in spiritum, de hoc est difficultas. Et erat vna opinio, ꝙ aīa separata, etsi nō sit corpus gerit tamen similitudinem in se corporis, in quo ꝟerè possit pati, dicente Augu. 2. de immortalitate animæ. Neq; hoc differere me æstimes (scilicet ꝙ anima non sit corpus) tanquam negem fieri posse, vt anima mortui sicut dormitātis in similitudinem corporis sui sentiat siue bona, siue mala, & infra. Quòd si tale aliquid apud inferos geritur, & in eis se non corporib. sed corporum similitudinibus se cognoscunt. Cum.n. tristia patimur, q̄uis in somnis, etsi membrorum corporeorum sit illa similitudo non membra corporea, non est tamen pœnę similitudo, sed pœna. Sed hoc nō pōt stare, quia similitudines corporum non sunt, nisi in parte sensitiua imaginatiua, secundum quas anima patit decepta in somno, æstimando similitudines corporum esse corpora, vt similitudinem ignis esse ignem. Nunc autē anima non habet ꝟim imaginatiuam, nisi in organo corporali, & ita ꝟt est coniuncta, non ꝟt est spiritus & separata. Prętera talis passio non procedit nisi ex deceptione æstimando se corpoream, & pati ab igne æstimato. Nunc autē in proposito quęrimus ꝟeram passionem realē. Ideo alij dicunt, ꝙ in anima est vis, qua pati pōt ab igne corporali, & hoc naturaliter, vt est existēs in corpore, & mediāte corpore, in quo ipsa per se dolorem verum ab igne patitur: non autem corpus, nisi pro eo, ꝙ est animatum, dicēte Aug. 21. de Ciui. Dei. c. 3, Dolor corporis magis ad aīam pertinet: animæ.n. est dolere, non corporis. Sed etiā ei quando causa dolēdi existit in corpore, cū in eo loco lædit vbi lędit corpus &c. Quare cum virtute diuina, qd pōt agere in eam mediatè, potest & immadiatè, quia in oī actione pōt causas medias absoluere: eadem ergo vi, qua patit purè naturaliter in corpore ab igne, potest pati ab eodem extra corpus quodāmodo supernaturaliter. Qd non pōt stare, qm̄ in corpore pati non pōt nisi secūdum vim sensitiuam actu extensam per organum corporeum, quam separata oīnò habere non pōt. Ideò alij addunt, & dicunt tertio modo, ꝙ licèt in aīa separata non sit uis sensitiua secundum actum, quia nō habet organū corporeum in quo extendat, est tamē in ipsa uirtute, & quasi in radice, & potentia. Nunc autē non est mirum si diuina uirtute operante pōt pati per illā potentiam, ut est in radice, & uirtute in anima separata, ut est separata, per q̄ patitur purè naturaliter, ut est per organum extensa. Sed etsi sic posset dici ex parte aīæ, hoc non ualet ex parte Angeli, in quo nec in uirtute, & ut in radice est aliqua uis sensitiua. Ideo quarto modo dicunt aliqui alij iuxta prædicta in auctorit. Greg. ꝙ spiritus separatus ab igne corporeo sic quasi includit, & ei alligatur, ꝙ nullo modo ab eo pōt separari, p quod impeditur ab agendo, q̄ agere cupit, & in hoc summè affligit, ut hoc intelligat Grego. p hoc quod dicit, dum ex igne uisibili ardor inuisibilis trahitur. Sed hoc modo non pateret ab igne inferente passionē nisi occasionaliter, sed ipse in se huiusmodi dolorē excitaret, sicut homo in se excitat passionem iracūdię ad p̄sentiam contrarij repugnātis. Ideo dī quinto modo ꝙ patitur ab igne, non ut est natura naturaliter afflictiua, sed ut est instrumentum diuinæ iustitiæ, infligendo modum alicuius passionis ad q̄ spiritus est in potentia, ut est diuinæ iustitiæ instrumentum, q̄ ex natura propria ei nullo modo infligeret. Sed sic non potius pateret ab igne inquantū calidus, q̄ ab aere: immo posset aer esse instrumentum diuinæ iustitiæ in affligendo spiritum sicut & ignis, nec ignis ullo modo diceretur affligere in eo ꝙ est calidus, cui uident discordare dicta sāctorū. Ideò oportet dicere sexto modo, ꝙ ignis affligit spiritum inquantum calidus, & eodem genere afflictionis, quo affligeret sensum corporis. Sed cū non est actiuum sine passiuo sibi correspondente, non pōt ignis agere sua naturali actione in spiritum ipsum affligendo, nisi spiritus possit pati ab ipso passionem uerā, qualē sensus reciperet ab igne: potentia aūt propria in recipiēdo huiusmodi passionem non est nisi sensus, & actus actiuorum non sunt nisi in patiente, & disposito: diabolus autem uim sensitiuam non habet: restat ergo difficultas ex parte spiritus, quomodo passionem ab igne corporali in se possit recipere. Nec potest dici, ꝙ est in eo naturaliter, quia tunc indifferenter pateret existens in igne infernali spiritus peccator, & non peccator, & magis peccator, & minus peccator, cū peccatum non sit dispositio ad pœnam nisi meritoriè. Illud autem falsum est dicente Greg. 4. Dial. c. 43. Vnus gehennæ ignis non eodem modo cruciat peccatores. Vnusquisq;.n. quantum exigit culpa tantum illic sentit de pœna. Nec pōt dici, quòd Deus in hoc naturam spiritus mutet, quia tunc nō sustineret pœnam, qui cōmisit culpam. Restat igitur, ut uī, quòd Deus naturæ spiritus Angelici, & humani cōem uim qua pati possit ab igne corporali, imprimit supernaturaliter. Vel sic utriq; naturaliter inest, licèt nobis latet, & sic illam temperat, ut peccatis pœnam correspondentem per illam sustineat, ut secundum quòd dicit Greg. 9. Moral. quamuis Angelorum, atque hominum sit natura dissimilis; una tamen pœna implicat quos unus in crimine reatus ligat.

Com-

Comment. in Quæstionem XXXIII. quæ est,

Vtrum ignis corporalis veram passionem possit agere in spiritum.

IN titulo not. quòd supposito igne infernali, ad quem determinantur tùm Dæmones, cùm etiam animæ damnatorum, quæ non secus ac dæmones, substantiæ sunt spirituales, corpore prorsus expertes, vt alibi declaratum est, tametsi Platonicorum nonnulli credant plures dæmones corporeos esse, quòd Catholica fides, & veritas ipsa non tenet, & nos manifestamus in commentarijs nostris super Platonis Thiagem. Item supponitur ex Sanctis, quòd ignis infernalis corporeus sit, contra Auicennam, qui non potuit apprehendere, sed tenuit ignem illum esse similitudinarium, quem refellunt Sancti, vt videre est in litera, & apud Sibillam cap. 3. primæ decadis quæst. 8. Quæstio autem potissimum inducitur ob argumentum Auicennæ, q scilicet corporale non agit in spirituale, vera passione. Vt potè ignis corporeus non potest agere vera passione in spiritum. Et hoc loco vellemus rectè considerari, quòd agere ignis in aliquo ideò est, quia & agere potest suapte natura, & in id, in quod agit, pati potest. si verò non agit, oportet, quòd adsit aliquod impedimentum, quod vel sit ex parte agentis, vel ex parte patientis, vel ex parte vtriusque. Qui autem pertractarunt huiusmodi quæstionem, eam ita tractarunt, vt supponentes ex fide, quòd ignis agat in spiritus, visi sint modum declarare, quo agat; & alij quidem modificarunt ignem; alij verò spiritum ipsum. Et quidem tùm ab Auctore, cùm etiam à Richardo præsertim in 4. sententiarum distin. 44. art. 5. quæst. 9. enumerantur plures opiniones circa hoc negotium, quomodo videlicet possibile sit, quod ignis agat in spiritum.

In corpore sex recitantur opiniones, & ita faciliter reprobantur, vt non videatur necessitas vnde vel recitare, vt declaremus, teneamur, vel aliquid addere. Secundò ponitur opinio, atque sententia Auctoris.

De primo, præsertim circa quartam opinionem adnotare oportet, q illa opinio videtur D. Thomæ in 4. sententiarum, & alibi. quam etiam alij impugnant, vt Scotus. Quoniam autem contra illam deducit Henricus, quòd sequeretur spiritum occasionaliter pati, si pateretur ab igne per alligationem, qua nequit separari ab eo, & impeditur à sua naturali inclinatione. Thomistæ consequentiam negant. Nam inquiunt, in spiritu alligato corpori est duplex passio. Prima est, qua detinetur ab igne immediatè. Secunda est verus dolor existens in spiritus appetitu. Sed profectò, nostro iudicio, melius fuisset, vt qui ita dicunt, quærerent vt conciliarent Auctorem cum D. Thoma, quando id commodè fieri posset. Quippe per ly occasionaliter intelligit Auctor per accidens; ita quod nõ ex actione ignis per se pateretur spiritus, sed ex alia actione. Vnde si quis detineatur in aliquo loco pleno aere putrefacto, vtique duplex erit ibi dolor, alter quia detinetur contra inclinationem, & voluntatem, & est verè tristitia, alter verò sensibilis, quia corpus putrefit. Vnde si quis quærat vnde nam in corpore dolor fiat ille prouenies ex corporis putrefactione, quæritur ab eo de causa per se, & immediata. si quis autem assignet alligationem in eo loco, non assignabit huiusmodi causam, sed occasionem respectu doloris corporalis. Vbi not. q talis occasio est etiam causa. causa quidem respectu tristitiæ, occasio verò respectu doloris, quia ex detentione sequitur, vt ignis possit agere. nisi enim ibi detineretur, ignis agere non posset in ipsum. Causam igitur tristitiæ assignauit D. Thomas, causam vero doloris prouenientis ex actione ignis, quatenus ignis, quærit Auctor, & non quidem quatenus ambientis, circundantis, & detinentis. Aliud enim est effectus ambientis, & detinentis ignis, & alius agentis, vt ignis.

Fortè autem D. Thomæ sententia est, vt ignis non agat ardendo in spiritum, scilicet calore suo, quia incapax sit cuiuslibet huiusmodi accidentis. Ideò in quarto sententiarum ipse D. Thomas non vult ignem inferni corporaliter agere inferendo passionem. Assignat verò quatuor modos, quibus anima, vel spiritus dicitur pati ab igne. s. primò quia ignis agit detinendo. Secundò impediendo. Tertiò sub ugando. Quartò inuincando. Vide ipsum 4 sententiarum dist. 44 Et Sibillam. cap. 3. primæ decad. q. 9. Sed dato q præter hæc inferat corporaliter aliquam passionem, vt ignis est, agendo vt ignis de hoc quærenda est, & inuestiganda causa.

De secundo autem, quoniam si non agit ignis, hoc vel est, quoniam non potest absolutè; & hoc non est credendum, est enim maximè actiuitatis. Vel non potest agere in spiritum, quia non sit capax talis actionis, oportet aliquid adducere, vnde fiat capax talis actionis.

Habet igitur hanc conclusionem Auctor. Quòd Deus imprimit vim quandam in spiritibus his supernaturaliter, qua possint pati, vel forsitan eam habent, sed latet nos. Hanc conclusionem colligit ex reprobationibus aliarum, & ex Gregorio.

Not. quo ad hanc conclusionem, quòd secunda pars nullam habet difficultatem, quoniam circa id fieri quæstio nequaquàm potest, aut debet, quod omninò nos latet. Sed tota difficultas est circa primam partem. Vtrum verum sit quòd Deus imprimat huiusmodi vim in spiritibus. Cum autem partem affirmatiuam sustineat Henricus; negatiuam Scotus fueri contendit contra Henricum, in 4. sententiarum dist 44. Atque ita argumentatur contra Doctorem. Aut ille habitus (scilicet vis impressa à Deo, de qua dicit Auctor) est forma corporalis, aut spiritualis. si corporalis, ita Deus potest dare istum habitum Angelo, vt sibi inhæreat albedo, sic quòd Angelus sit albus, quia æqualis est repugnantia vtrobique suscipientis ad susceptum. si spiritualis, ergo per illum non magis passum est proportionaliter corpori vt agenti, quam prius.

Hæc præsertim Scotus, qui deinde suam aliam sententiam proponit, quam conatur impugnare Ioannes quidem de Basso. Vide Nicolaum de Nisa tractatu 7. par. prim. port. p. quæst. 2.

Ad argumentum tamen Scoti nos dicimus, q vis illa si imprimitur à Deo, est spiritualis. Et cum dicit, q per illam non magis est proportionatum passum ipsi agenti; dicimus, q non est magis proportionatum agenti igni naturali naturaliter, sed fit magis proportionatum agenti supernaturali supernaturaliter operanti. Est enim ignis inferni instrumentum diuinæ iustitiæ, agens secundum q dirigitur à Deo, qui dirigit illum ad spirituum damnatorum cruciatum, hæc autem directio est passiuæ virtutis impressio in ipsis spiritibus, sed est etiam virtutis actiuæ impressio in igne, qua in spiritum agere possit. Et nota q hæc Henrici sententia non longè recedit à mente Richardi, qui ait loco citato. Ignis infernalis non obstante, q sit corporeus, spiritus separatos affligit, inquantum est diuinæ iustitiæ instrumentum, quia eos affligit afflictione, ad quam disponit virtus naturalis illius ignis, nec tamen qualencunque afflictionem potest causare in illis spiritibus, nisi in virtute increatæ iustitiæ principaliter illos spiritus puntentis, mouentis, & dirigentis illum ignem ad illorum spirituum cruciatũ Hæc, & alia Richardus.

HENRICI A GANDAVO

QVAESTIO XXXV.

Vtrum aliquis Lapis possit sua virtute fugare Dæmones.



IRCA secundum nullum proponebatur argumentum.

Responsio. Ad quod dicendum, ꝙ vis diaboli naturaliter omnem corpoream creaturam excedit, nec est aliqua vis in lapidibus, aut herbis quæ ipsum cogere potest, vel fugare vllo modo, licèt fingere possit se cogi per herbas, aut lapides, aut carmina. Hoc ex se nullum horum facere posset, nisi Deus supernaturaliter eis virtutem huiusmodi indidisset, quemadmodum indidit eam sacramentis, & verbis sacramentalibus. Vnde nec ex verbis Euangelicis, nisi meritorie fugari posset, quia, nec sunt ad hoc ordinata, sic vt nec ad sanãdos languores corporales, ad quos Sortiariæ mulieres frequenter eis vtuntur. quod non licet.

Comment. in Quæstionem XXXV. quæ est,

Vtrum aliquis Lapis possit sua virtute fugare Dæmones.



ITVLVS clarus, sed extendendus etiam ad alia, & sciendum, ꝙ potissimum hæc quæstio ponitur ob quosdam Platonicos, & alios, quos nominare non decet, nos verò vnum eorum audiuimus aliquando laborantem, vt id manifestaret, & cum non potuisset, tamen opinionem tenuit, quæ tamen falsa est. Ideò

In corpore est conclusio negatiua. Sed not. ꝙ intelligitur quantum ex virtute naturali possunt lapides, ac si quæratur vtrum sicut magnes trahit ferrum, ambra paleas, ita aliquis Lapis possit fugare sua virtute naturali dæmones. Non negatur autem de virtute supra naturali, quæ si daretur & Lapidi, & herbis, & cuilibet creaturæ, & illa virtus ordinaretur ad fugandos dæmones, profectò fugarentur, vt de felle piscis illius, qui à Tobia captus est, &c. Quo fit, vt Dæmon ille, de quo Marsilius Ficinus in Timæũ c. 24. Saturnius, si fuit effugatus iussu eius, cum Sol peruenit ad sextilem louis, dealbata, ornata, illuminata domo, & odoribus electis, & tota domo sordibus purgata, & ex alia domo pariter hoc pacto; Vel vtique abiecit in virtute præcedentium sacrarum expiationum, ad hoc ordinatarum, vel vt deciperet perseuerauit vsque ad tales actiones, vt crederetur per illas exisse. Sic iudicamus falsum esse, ꝙ dæmonum influxus trahantur in statuas, aliquibus vel verbis, vel actionibus, vel alijs naturalibus, quia cogantur. Quippè non nisi volentes ingrediuntur, vt decipiant. A nulla siquidem creatura naturaliter cogitur id, cuius potentia omnem superat potentiam super terram, vt dicit Sanctus Iob. Et ideò in conformitate eius, quod dicit Auctor verissime in libro 7. de prænotione cap. 4. Perillustris Franc. Picus habet. ꝙ Dæmon non detinetur in vinculis, sed vinctum se simulat, vt capiaris ipse, & funibus peccatorum irretitus ad inferna traharis. Verum illud est etiam, qđ Michael Psellus ait. Quod Dæmones percussi dolent, non ꝙ neruus sentiat, sed spiritus. spũs.n. in spiritum missus facit dolorẽ. sic.n. fugari possent lapidibus sicuti canes. sed varietas hæc est, incorporei sunt, nec pari pñt, nisi ab igne.

QVAESTIO XXXVI.

Vtrum ex speciebus Sacramenti possit generari vermis.



Arg. prim. Primum. IRCA tertiũ arguit, ꝙ ex solis speciebus sacramẽti nõ possit generari vermis, quia ex nõ substantia sm̃ Philosophũ nõ fit substantia. species illæ sunt non substantia, & vermis est substantia. ergo &c.

Secũdum. Prẽterea nihil per generationẽ naturalẽ fit in actu nisi de potentia materiæ producatur. aliter.n. esset formarũ latitantia, aut datio, & ita non generatio, sed in illis speciebus non est materia subiecta, quia sunt sine materia secundum fidem. ergo &c.

In oppos. Contra. nõ est generatio vnius sine corruptione alterius, cũ ergo videmus species illas vetustate naturaliter corrũpi: ergo oportet simul aliquid naturaliter generari, & qua rõne aliquid aliud, eadem rõne, & vermis, qa æqualis difficultas est vtrobiq;.

Responsio. Dicendum sm̃ ꝙ alias diximus, ꝙ species illæ in oĩbus eandẽ vim hñt in agendo & patiendo absq; forma substãtiali, & materia, quæ præcessit sub eis, quã habuit ipsum compositum ex eis. Propter qđ per agẽs naturale appropinquans põt generari ex illis speciebus, & produci q̃quid generari posset ex illo cõposito, & produci ex materia, ita ꝙ quæcũque forma à naturali agente posset produci ex materia. q̃ præcessit, & ex illis speciebus, nõ refert in aliquo, nisi ꝙ forma producta de materia cũ ipsa materia cõstitueret vnũ substãtiale, & sm̃ substantiã, forma aũt educta de potẽtia specierũ, quæ fuerũt sacrm̃, non constituit cũ ipsis speciebus iam factis per trãsmutationẽ speciebus vermis ex speciebus sacramẽti, nisi vnũ accidẽtale, siue vnũ per accidẽs, & esset in illo vno per accidẽs forma substãtialis sine materia, sicut & ipsæ species, & esset vermis in forma substantiali sine materia. Et licèt species illæ, post q̃ factæ sunt vermis, & cõfiguratæ ei non sunt de cętero species sacramẽti, virtutẽ tm̃ adhuc hñt materiæ, quæ fuit, ita ꝙ istud cõpositũ sine materia eandẽ vim hẽt in agẽdo, & patiendo quã haberet cũ materia, quæ præcessit, vt videlicet nutrimentũ verum attrahat, post q̃ generatũ est, & præparet ipsum alterando vi nutritiua, vt propria forma corrupta substernatur formę illi substantiali, & ipsa informetur, quemadmodum informata fuisset si præcessisset materia cui vnita fuisset, & cõ simili modo dimensionibus inuentis substernetur, vt informent iã cõpositum ex materia, & forma sicut fecerunt prius illud compositum, quod transubstan-

ſubſtantiatū eſt, & ſua virtute dimēſiones inuētas augmentet, quemadmodū augmentaſſet ſi alicui materiæ præcedenti in cōpoſito ſubſtantiali vnita fuiſſet, & per hoc vermis, qui prius erat vnum compoſitum per accidens, & non ſubſtantialiter, niſi forma abſque materia, habens tamen ab illis accidentibus omnem vim, & diſpoſitionem, quam haberet ex materia, per nutritionem fit vnum cōpoſitum ſubſtantiale ex materia, & forma, vt ſic abſque nouo miraculo ſuperueniente ſuppoſita vi derelicta in ſpeciebus ex primo miraculo opere naturæ ponamus omnia hæc fieri. Semper enim quod poteſt poni abſque miraculo in talibus melius eſt aſcribere naturæ omninò, quàm miraculo omninò, aut partim naturę partim miraculo. Deus enim ſecundum Auguſt. ſic res adminiſtrat, vt eas proprios motus agere ſinat, nec vnquàm facit nouum miraculum, niſi finis alius ſpecialis ſit, quàm naturæ adiutorium in ſua operatione, vt non ſit hic neceſſe ponere, ꝙ in corruptione naturali ſpecierum materia tranſubſtantiata eadem numero per creationem, aut reuerſionem qualencunque ſub ſpeciebus illis habeatur, aut ꝙ aliqua alia de nouo ſub ipſis creetur, aut ab extra addatur, in cuius potentiam cedunt accidentia cum corrumpuntur, & forma alia cum ſuis proprijs accidentibus generetur, vt in eodem inſtanti fiant hæc tria. ſ. accidentium poſt præcedentem alterationem corruptio, & materiæ adiunctio, & formæ de ipſa productio. Quęcunque autem harum opinionum teneatur non reprobo, nec prædictam opinionem omninò aſſero. Eſt autem alius modus ponendi magis congruus. ſ. ꝙ ſpecies illę non ſolum ſunt in potentia ad formam, ſed per ſe ad cōpoſitum ex materia & forma, & in potentia ad ſubſtātiam materiæ producendam in eſſe, ſicut & ad ſubſtantiam formæ, & ſic naturaliter abſque omni miraculo, & noua creatione vermis iſte generatur. Nec eſt hic difficultas in aliquo, niſi quo ad hoc, ꝙ ſubſtantia materiæ eſſe reciperet nouum in compoſito, ſicut & ſubſtātia formæ, quod non contingit in alijs generationibus naturalibus.

Ad primum in oppoſitum, ꝙ ex non ſubſtantia non fit ſubſtantia, dicendum, ꝙ verum eſt nullo præſuppoſito miraculo. Præſuppoſito tamen ꝙ per miraculum non ſubſtantia, vt ſola accidentia habeant omnem vim, & efficaciam ſubſtantiæ, benè poſſibile eſt ex non ſubſtantia generari ſubſtantiam. Aliter enim nec ipſæ ſpecies alterari poſſent nec omninò corrumpi, niſi deſitione in non eſſe, cum in eo, ꝙ ſunt quantitas ſeparata non habeant omninò contrarium. *Ad primum principale.*

Ad ſecundum ꝙ nihil generatur, niſi de potentia materiæ, reſpondendum eſt eodem modo, nullo. ſ. præſuppoſito miraculo, quo non materia habet omnem vim materiæ, quo præſuppoſito ex nō potentia materiæ, ſed ex eo quod habet omnem vim potentiæ materię, vt in propoſito, benè poteſt fieri purè naturalis generatio. Dico quantum ad productionem formæ in eſſe actu de non eſſe actu, ſed in potentia tantùm abſque omni creatione, & etiam quantum ad conſtitutionem vnius per accidens, licèt non quantum ad conſtitutionem vnius compoſiti ſecundum ſubſtantiam quod eſt per ſe generatum in naturalibus, aut ſecundum aliam poſitionem quātum ad generationem compoſiti ex materia, & forma. *Ad ſecundum.*

Comment. in Quæſtionem XXXVI. quæ eſt,

Vtrum ex ſpeciebus Sacramenti poſſit generari vermis.

ITVLVS intelligendus eſt de ſpeciebus ſacramenti Euchariſtiæ. Et not. ꝙ quæſtio, etſi ponatur de poſſibili, de facto tamen fortè id accidiſſe notum eſt negligentia cuſtodum, vel alio caſu. Difficultas tamen eſt propter argumenta ex Philoſopho adducta in fronte quæſtionis. Sed tamen facilis eſt totius negotij reſolutio, intellecta reſolutione quæſtionis 36. quarti quodlib. Vbi determinatum eſt ſpecies huiuſmodi nutrire. In corpore igitur eſt concluſio affirmatiuè reſpōnſiua quæſito. Videlicet ꝙ poteſt vermis generari.

Concluſio hæc habetur tanquam nota, ſed ob argumenta contraria, & ſuppoſitionem fidei declaratur Quòd ſpecies illæ tametſi ſint accidentia, tamen habent eandem prorſus vim, quam habebant etiam in ſubiecto, quod tum ad actionem, cùm etiam ad paſſionem. Et probari pòſſet ſic. ſicut ſpecies poſſunt nutrire, ita & generare, ſed ſpecies nutriūt, igitur &c. Maior patet, quoniam ex eodem eſt nutritio, & generatio, vt patet per Philoſophum. igitur &c.

Videtq quæſt 36. quarti. Et in hac nota, quòd vermis generatio ex illis ſpeciebus non eſſet miraculoſa, ſed potius naturalis. Miraculum autem eſt, quod ſpecies illæ ſeiunctæ ab accidente habeant eandem vim, quam habebant coniunctæ.

Not. hanc cauſam generationis non eſſe communiter ab omnibus aſſignatam. Sed aliæ cauſæ ab alijs aſſignantur. Quibuſdam dicentibus id, quod generatur, non generari ex ipſis ſpecibus, ſed ab aere circunſtante. Quibuſdam verò dicentibus, quòd redit ſubſtantia panis, vel vini, & ex illa ſubſtantia generatur vermis, vel etiam aliquid aliud quæ opiniones rectiſſimè confutantur à D. Thoma 3. par. quæſt. 77. art. 5. & a Richardo, potiſſimum ſecunda, quam dicit fuiſſe Innocentij lib. de off. miſſ. p. 3. de fractione. Et quidem Richardus etiam opinionem, quam ſecutus eſt Pallud. Quod materia noua creetur, reprobat quarto ſententiarum diſt. 12 quæſt. 2. art. 1 item 2. Et in locis huiuſmodi tùm D. Thomas, cùm etiam Richardus vniformem ſententiam habent cum Auctore noſtro

Not. 8 corum 4. ſententiarum diſt. 12. quæſt. 6. aliquantulum conari, vt Doctorem exagitet, ſed vtiquè id non facit niſi per accidens, confutando ſententiam Egidij. Et ſi aliquid dicendum eſt pro veritate.

Probabilis certè videtur ſententia Scoti, quod eadem ſubſtantia redeat, quoniam ad corruptionem accidentium deſinit Corpus Chriſti ibi, & tunc accidentia ſtare non poſſunt ſine ſubiecto, ſed tamen, quod deinde ex ſubſtantia iſta, quæ rediit generetur vermis, non eſt vllo modo probabile. Quoniam ad hoc conſiderare debet Scotus, quòd ſi tandiu manet Corpus Chriſti in illis ſpeciebus, quandiu integræ manent, ſtatim verò deſinit eſſe, cum corruptæ fuerint, quoniam corruptio vnius eſt alterius generatio, ſequitur quod ad corruptionem illarum ſpecierum ſubitò ſuccedat aliqua generatio, ſiue ſit vermis, ſiue ſit aliquid aliud. Vnde ratio dictat, quòd ſi nunquam Corpus Chriſti deſinit ibi eſſe, niſi cum corrumpantur ſpecies, ratio inquam dictat, quòd inter deſitionem Chriſti, & generationem rei, nihil intercidat, quoniam

desinit Corpus Christi ad corruptionem, ꝛt inter desitionem corporis Christi, & corruptionem specierum nihil prorsus intercidat.

Neque.n. aduentus nouæ substantiæ, quia species corruptæ essent ante corruptionem, quia aduentus substantiæ præsupponit corruptionem, quoniam non desinit esse corpus Christi ante corruptionem. Quod si non intercidit inter desitionem corporis Christi, & corruptionem aduentus substantiæ, sequitur, vt vel intercidat inter corruptionem, & generationem, vel succedat.

Primum non est dicendum, quoniam generatio vnius est corruptio alterius, quare sequitur, ꝛt succedat, & hoc est quod nihil colligit Scotus aduersus Auctorem.

Not. ꝙ inter species sacramentales connumeratur etiam quantitas ipsa, quare si ex speciebus aliquid generatur, profectò ēt ex ipsa quantitate. Sed si ex illa aliquid generaretur, proculdubio etiam corrumperetur, & si non corrumperetur, proculdubio etiam non generaretur ex ea aliquid. Conatur autem Durandus in 4. sententiarum dist. 12. q. 2. probare, quòd quantitas Eucharistiæ corrumpi non possit. Quo facto, sequitur, vt totus iste corruat processus.

Si.n. inquit corrumperetur, aut actione contrarij corrumperetur, aut corruptione subiecti, aut sui diuisione. Non primum, quia quantitas caret contrario. Non secundum, quia quantitas Eucharistiæ caret subiecto. Non tertium, quia haberet terminum in minus, quantitas autem est de diuisibilibus in infinitum.

Cæterum huic argumento non est difficilè respondere, dicendo primò, ꝙ aduertere deberet, quantum spectat ad id, quod dicit, quantitatem non corrumpi, quia caret contrario, ꝙ etiam substantia caret contrario, & tamen corrumpitur. Vnde illa propositio, quæ dicit, omne, quod corrumpitur à suo contrario corrumpitur, debet rectè intelligi, s. vel à sibi contrario per expulsionem a subiecto, vel transmutatur à contrarijs in se receptis per transmutationem. Non expellitur quidem quantitas illa a subiecto, sed transmutatur non secus ac transmutaretur coniuncta subiecto, quoniam eandem virtutem tùm actiuam, cùm etiam passiuam retinet à subiecto seiuncta, quam habebat coniuncta. transmutatur autem, quoniam annexa subiecto est susceptibilis contrariorum ratione subiecti, cum sui mutatione, igitur & eodem pacto ratione virtutis sibi relictæ, quo ad actionem, & passionem est susceptibilis contrariorum cum sui mutatione.

Secundò dicimus, quod etsi careat subiecto, non tamen caret virtute subiecti, secundum quam est susceptibilis contrariorum, ꝛt dictum est. Sed etiam aliter corrumpitur, vt dicit Pallud. & refert in quarto Soncinas, &c.

QVAESTIO XXXVII.

Vtrum ignis possit infrigidari, vel frigefieri.

Arg. prin. CIRCA quartum arguitur quòd ignis possit infrigidari, & hoc ab agente naturali, ꝛt quando ex igne generatur aqua per actionem naturalē aquæ in ignē quam necessariò præcedit alteratio, qua aqua ignem alterat infrigidando, & humectando, & si agens naturale hoc potest facere aliqualiter, vt. s. remittatur in calore, & aliqualiter fiat frigidus. ergo agens supernaturale hoc potest simpliciter, & facere, ꝛt ignis simpliciter sit frigidus.

In oppos. Contra. ignis quia est primum calidum formaliter, oportet, ꝙ caliditas eius sit in summo, quare nec potest remitti igne manente, & sic nec infrigidari quoquo modo.

Resolut. q. Dicendum est ad hoc, ꝙ generatio naturalis si propriè accipitur, inquantum consistit in formæ substantialis ꝛnius productione ad compositum constituendum, & alterius corruptione ad alterum compositum destruendum, non est nisi in termino alterationis, quæ necessariò præcedit generationem per alterationem omnium accidentium congruentium formæ corrumpendę, vt incongruē tia fiant ei, & congruentia formæ generandæ, ita ꝙ in instanti in quo omninò facta sunt incongruē tia vni formæ, & congruentia alteri, forma præcedens corrumpitur, & forma succedens generatur, ita ꝙ per totum tempus alterationis materia est actu sub forma corrumpenda, quæ in dicto instanti vltimo corrumpitur, & simul alia generatur, quod est medium instans inter esse materiæ sub forma priori, & posteriori. Ita ꝙ in esse prioris formæ non sit dare vltimum instans, sed posterioris tantùm. secundum determinationem Philosophi in 8. Physic. Huiusmedi alterationem in dimensionibus benè exponit Auer. cum dicit in primo cap. de substantia orbis. Forma caliditatis aeris quando agit in aquam, incipit aqua augeri, & crescere in dimensionibus, & vicinari dimensionibus aeris. Cum ergo peruenerit ad magnam quantitatem aquæ, tunc subiectum denudatur à forma aquæ, & à qualitate, & quantitate dimensionum aquæ, & propriam formam recipit aeris, & quantitatem etiam dimensionum propriarum formæ aeris. Et similiter facit forma frigiditatis in aere. s. ꝙ omnes dimensiones aeris non cessant diminui, donec expellatur materia à sua forma, & recipiat formam aquæ.

Et sicut est de alteratione secundum dimensiones quantitatis, sic est & de alteratione secundum dispositiones qualitatis, ꝙ scilicet forma caliditatis aeris, quando agit in aquam incipit aqua calefieri, & exinde augeri & crescere in caliditate, & vicinari caliditati aeris. Cum ergo peruenerit caliditas ad magnam quantitatem intensionis in aqua, tunc subiectum denudatur à forma aquę, & à caliditate & intensione caliditatis aquę, & propriam formam recipit aeris, & intensionem etiam caliditatis propriam formæ aeris. Et similiter facit è contra frigiditas aquæ in aere, scilicet ꝙ intensio caliditatis aeris non cessat remitti, donec expellatur à materia forma aeris, & recipiat formam aquæ.

Et se-

Et ſecundum Auerr. ibidem, materia nunquàm denudatur à dimenſionibus non terminatis, nec dimenſiones ſimplices denudantur à prima materia, ſicut nec alia accidẽtia communia corporibus contrarijs. Propter quod dicit Philoſophus in 2. de generatione, ꝙ accidentia ſymbola, quæ erant in corrupto manent in generato. Sed ſingula accidẽtia, vt ſunt determinata cuique formæ, cum ipſa corrupta corrumpuntur, & cum ipſa generata generantur, ita ꝙ omnia accidentia formę generandæ citrà talem intẽſionem, qua propria ſunt formæ generandæ, non contrariantur, nec penitus repugnant formæ corrumpendę, immò ſimul ſunt cum ipſa in materia, & in compoſito ex materia, & forma ſunt accidentia, & in ipſo exiſtentia. Et ſicut hæc contingunt in generatione aeris ex aqua & è conuerſo, ſic & vniuerſaliter in omni naturali generatione, & corruptione, vt ibidem determinat, licèt de aqua, & aere ſolùmmodo exẽplificat. Quemadmodum ergo prædictum eſt in generatione aeris ex aqua, & è conuerſo, ſic oportet cõtingere in generatione ignis ex aqua, & è cõuerſo, ꝙ forma caliditatis ignis quando agit in aquam, incipit aqua calefieri, & exinde augeri, & creſcere in caliditate pertranſeunte per caliditatem quaſi propriam aeris, & congruentem eidem, & vicinari caliditati ignis. Cum ergo peruenerit caliditas exiſtens in aqua ad magnam quantitatem intẽſionis, tunc primò ſubiectum denudatur à forma aquę, & à caliditate, & intenſione caliditatis aquæ, & propriam formam recipit ignis, & intenſionem etiam caliditatis propriam formæ ignis. Et ſimiliter facit è conuerſo frigiditas aquæ in igne. ſ. ꝙ intenſio caliditatis ignis nõ ceſſat remitti donec expellatur à materia forma ignis, & recipiat formam aquæ.

Reſpenſio. Et ſecundum hæc dicendum eſt ad quæſtionem, ꝙ ignis manens in forma ignis infrigidari poteſt naturaliter, citra tamen intenſionem frigiditatis propriam formæ aquæ, aut terræ naturaliter, aut etiã formæ aeris accidentali. Cũ enim de igne fit aqua, & ho per alterationem præcedentem, agente frigido aquæ in calidum ignis naturaliter, & aſſimilante ſibi paſſum, quia paſſum licèt in principio ſit contrarium in fine eſt ſimile, vt dicitur 2. de anima; & omne agens Phyſicũ in agendo patitur, neceſſarium eſt, ꝙ quantuncunque ignis ſit actiuus per calorem, ꝙ patiatur à frigido aquæ intantum, ꝙ quo ad aliquid intenſio caloris in igne remittatur. aliter enim in nullo pateretur à frigido aquæ, neque frigidum aquæ in aliquo ſibi aſſimilaret materiam ſub forma ignis exiſtentem. Et pro quãto remittitur caliditas ignis, pro tanto mouetur motu infrigidationis, & infrigidatur, & tendit ad medium, vt attingat extremum. Non eſt enim motus ab vno extremo in medium, niſi per commixtionẽ alicuius, quod eſt alterius extremi. Eſt enim medium ſecundum Philoſophum 5. Phyſic. vtrũque extremorum reſpectu vtriuſque, ita ꝙ motus ab extremo in medium, & è conuerſo reducatur ad motum ab extremo in extremum. Propter tamen violentam reactionem calidi ignis in quodcunque frigidum corruptiuum eius, & determinationem formæ ſubſtantialis ignis ad intenſionem caloris, minimam latitudinem in remiſſione caloris ſecum compatitur, aliquam tamen. Cum tam alia elementa minus ſunt actiua, latitudinem magnam compatiuntur in remiſſione qualitatis ſibi propriæ. Ita etiam ꝙ vltra medium, in quo conſiſtunt, extrema per æqualitatem compatiuntur ſecum qualitatem ſui contrarij. Propter quod etſi alia elementa poſſint eſſe actu ſub diſpoſitione qualitatis ſibi contrariæ, vt aer frigidus, & aqua calida, ignis tamen nequaquàm frigidus actu eſſe poteſt, ſed nec tepidus ab agente naturali, immò citrà teporem in aliquo gradu calidi ignis exiſtens non patitur forma eius ipſum magis infrigidari, ſed fit materia improportionalis formę ignis ſi amplius infrigidetur, & proportionalis formæ aquæ, vt ſimul perfecta frigiditas cum forma aquæ introducatur. dicente Auguſt. 3. ſuper Geñ. in principio, Cum poſſint feruere cętera elementa, ignis frigeſcere non poteſt. Intelligo intantum, vt frigidus fiat ſecundum actum procedente infrigidatione vltra tepidum medium inter calidum & frigidum. Vnde continuè exponendo ſe ſecundum hoc ſubdit. Facilius quippè extinguitur, vt ignis non ſit, q̃ frigidus maneat, aut ſit alicuius frigidi contractu tepidior. Etſi enim neceſſariò aliquantulum remittitur in calore contactu frigidi, & hoc neceſſitate naturalis actionis, qua vt dictum eſt neceſſariò omne agens naturale quantuncunq; excellens in agẽdo patitur, non tamen vſque ad gradum illum in quo poſſit dici tepidus, vt licèt poſſit per actionẽ frigidi corrumpentis dici factus aliquantulum minus calidus, ex hoc nõ dicitur factus tepidior, quia nec nunc, nec prius omninò tepidus fuit. Prius enim, quàm ſic remittatur in calore, vt non mereatur dici calidus, ſed tepidus corrumpitur. iuxta qđ dicit verſus finem ſecundi Solilo. Ignis ſi calore careat, nec ignis quidem erit. Et Philoſophus dicit in prædicamen. ꝙ contraria nata ſunt fieri circa idem, niſi alterum naturaliter inſit, vt igni calidum. Et cum quatuor ſint qualitates elementorum, calidum, frigidum, humidum, ſiccum, ita ꝙ quodlibet elementorum habet vnam ſibi propriã, & aliam communem cum alio elemento: Eſt enim ignis calidus per ſe, & principaliter, ſiccum autem habet commune cum terra: Terra autem ſicca per ſe, ſed frigidum habet commune cum aqua, quæ principaliter frigida eſt, & habet humidum commune cum aere, qui principaliter humidus eſt, & calidum habet commune cum igne: Dicunt aliqui ꝙ quodlibet elementum ſecundum ſuam propriam qualitatem non poteſt alterari, vt ſit ſub contraria diſpoſitione.

Et ſecundum hoc dicit Auicen. quòd aqua pura non calefit, ſed partes terræ cum ipſa admixtæ.

Alij etiam dicunt, ꝙ aqua non calefit, sed ignis generatus est cum ea ex materia pro quanto habet de calore. Sed hoc vltimum apertum est impossibile, quia aqua non tantum est extinctiua ignis ratione frigiditatis, sed humiditatis. Propter quod impossibile est in eodem esse calidum ignis cum humido, & frigido naturali aquę. Secundum qualitatem autem communem potest alterari, vt fiat sub contraria dispositione, quemadmodum ponit terram posse calefieri, & aerem frigefieri. Et secundum hoc licèt ignis non posset infrigidari, posset tamē humectari, & verum est, ꝙ potius pateretur humectationem, q̃ infrigidationem. Quia tamen calidum naturaliter sibi associat siccum, & siccum secundum Philosophum est lima caloris: idcirco licèt quātum est ex parte formæ substantialis, ignis secundum se posset potius humectari, q̃ frigidari, propter tamen associationē caloris summè intensi humectari non potest vltra congruum gradum caloris, cum quo saluatur forma ignis, & vlterius nequaquàm.

Ad argu. princ. Per dicta patet quomodo benè procedit primū argumentum ostendēdo, ꝙ infrigidari possit ignis quo ad hoc, ꝙ aliquantulum in suo calore remittatur, non tamen quo ad hoc, vt aliquantulum frigidus fiat excedendo medium, quod est in tepore, & hoc per agens naturale, nec etiam per agens supernaturale, si tamen forma ignis substantialis sic tenet ligatam potentiam ad frigiditatem, ꝙ impossibile sit eam ire in actum sub forma ignis, tunc enim posito, ꝙ ignis esset frigidus secundum actū, contradictoria concurrerent in eodem, s. ꝙ frigidus esset, & ꝙ impossibile esset ipsum esse frigidū. Aliàs autem ab agēte supernaturali, sine omni inconuenientę posset poni esse frigidus. Quod mihi videtur verius. potest enim agens supernaturale tenere formam substantialem in materia, & dare dispositionem aliquam supernaturalem, vt teneatur in ea sub illa improportionalitate, qua necesse esset eam corrumpi, aut separari ab agente naturali si non esset in illa dispositione, quemadmodum corpora damnatorum tanto calore calefient, quantum non posset sustinere anima manēs in corpore.

Ad argu. in oppos. Ad secundum in cōtrarium, ꝙ ignis est calidus in summo, verum est, sed illud summum non est ita proprium ei, quin forma ignis compatiatur secum eius remissionem aliquam, vt patet ex iam dictis, & hoc aliquo in ipso naturaliter agēte ad corruptionem ignis, & contrarij generationem, ita etiam ꝙ omninò infrigidari posset per agens supernaturale.

Finis Disputationis de Quolibet Octauo Magistri Henrci à Gandauo.

Comment. in Quæstionem XXXVII. quæ est,

Vtrum ignis possit infrigidari, vel frigefieri.

IN titulo not. ꝙ subaudiendum est ab agente naturali. Amplius not. ꝙ per ignem intelligimus ipsum subiectum per se calidum, non autem ipsam caliditatem. Nam ꝙ caliditas fiat frigiditas est impossibile, vt manifestissimè conuincit Plato in Phędone. Ait. n. similiter & ignem subintrante frigore, aut subterfluere, aut extingui, nec vnquam posse, aut suspicere frigus, & simul esse ignem, sicut prius erat, & frigidum. Vbi considerandum est, ꝙ in hoc negotio Plato respicit ideas. Vnde quoniam videt non posse esse, vt idea calidi fiat idea frigidi, s. idea caliditatis fiat idea frigiditatis, sic caliditas non fit frigiditas. Secus autem dum loquimur de caliditatis subiecto. Est autem duplex subiectum caliditatis, alterum per se, & per essentiam, alterum verò per participationem. Solus ignis primo modo, cætera calida secundo modo, nempè substantiæ præsertim compositæ, hęc autem secundariò subiecta, ꝙ transmutentur ita, vt fiant de calidis frigida prorsus, & è contra, notissimum est, & de his quæstio non est, sed de subiecto caliditatis per se, s. de igne. Vtrum frigefieri possit ab agente naturali. Sed & hoc intelligi multipliciter potest.

Primò quidem, ꝙ ignis ita frigefiat, ꝙ aliquantulum remittat calorem.
Secundò, ꝙ ita frigefiat, vt amittat omnem calorem, & induat frigiditatem.
Tertiò vt taliter amittat calorem, vt fiat tepidus, & secundum has omnes intelligentias, resoluitur in corpore quæstio.
In corpore igitur tribus conclusionibus satisfit quæsito, quarum
Prima est. Ignis frigefit primo modo ab agente naturali.
Secunda est. Ignis non frigefit secundo modo ab agente naturali.
Tertia est. Ignis non frigefit ab agente naturali tertio modo.
Prima patet, quia nisi ignis in sua caliditate aliquantulum remitteretur, non fierent rerum generatio.
Secunda, & tertia probantur ex Aristotile in litera, & Augustino.
In responsione ad primum not. ꝙ quicunque tenent caliditatem esse formam ignis vel substantialem, vel taliter annexam formæ substantiali, vt impossibile sit alteram sine altera reperiri, neque ab agente diuino dicerent ignem posse frigefieri, & rectè, quia implicaret contradictoria, & hoc est illud, quod intendit Plato in Phędone. Si verò altera sine altera consistere possunt, vt non sit implicatio contradictionis, potest frigefieri ab agente diuino.

Explicit Octauum Quodlib. ad laudem Dei, & B. Virg.

MA-

MAGISTRI HENRICI A GANDAVO

DOCTORIS CELEBERRIMI

QVAESTIONES QVODLIBETALES

Cum Commentarijs, seu Adnotationibus R.P.D. Vitalis Zuccolij Abbatis Ordinis Camaldulensis Theologi Clarissimi.

Quodlibet. Nonum continens Quæstiones trigintaduas.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum omnis relatio inter Deum, & creaturam sit, quia ipsa creatura refertur ad Deum, & non è conuerso.



ONA disputatio nostra de Quolibet cõtinet Quæstiones.xxxij. Quarũ quædam sunt de Deo, sed in comparatione ad creaturas. Quædam verò sunt de ipsis creaturis. Circa primum erãt duo de relatione Dei ad creaturas. Vnũ in generali de relatione simpliciter inter Deum, & creaturas. Vtrum.s. omnis relatio inter Deum, & creaturam sit, quia ipsa creatura refertur ad Deum, & non è conuerso. Alterum in speciali de relatione Dei ad creaturas per rationes ideales. Vtrum.s. Deus potuisset plures creaturas secundũ species produxisse, si non esset in ipso pluralitas idearum.

Arg. prim. Circa primum arguebatur, ꝙ omnis relatio inter Deum, & creaturam est, quia creatura refertur ad ipsum, & non è conuerso.

Primũ. Primò sic, relatio alicuius ad aliud, quia illud aliud refertur ad ipsum, est in illo alio secundum rem, & non secundum rationem tantùm, vt patet de relatione inter Deum, & creaturam secundum Dominium, & seruitutem, qua Deus vt Dominus refertur ad creaturam, vt ad seruam, & est in creatura secundum rem, & in Deo secundum rationem tantum. Sed in Deo ad creaturam nulla est relatio secundum rem, sed secundum rationem tantum, quia aliter esset mutabilis, aut mutatus ex de non Domino factus est Dominus, aut è cõuerso si cessante omni creatura ab esse de Domino factus esset non Dominus. ergo &c.

Secũdũ. Secundò sic. relatio inter Deum, & creaturam est relatio commensurationis, secundum Philosophum. 10. Metaph. in qua secundum eundem. 5. Metaph. mensura refertur ad mensuratum, quia mensuratum refertur ad ipsam, ergo &c.

Tertiũ. Tertiò sic. Deus essentia sua inquantum continet perfectiones creaturarum in essendo, non refertur

fertur ad ipsas, nisi quia illæ referuntur ad ipsum. Aliter enim Deus realiter referretur ad creaturas, non quia creaturæ referrentur ad ipsum. Deus autem in cognoscendo, & volendo non refertur ad creaturas nisi essentia sua inquantum continet in se perfectiones creaturarum in essendo. ergo &c.

In oppos. Contra. Ideæ sunt æternæ rationes in mente diuina secundum August. 83. q. q. 46. quibus refertur ad creaturas, non quia ipsæ referuntur ad illū, quia nullius æterni in Deo pōt esse ratio aliquid quod est in creatura. ergo &c.

Resp. Dicendum ad hoc, quod secundum Aug. 7. de Trinit. cap. 1. Omnis essentia, quæ relatiuè dicitur, etiam aliquid est excepto relatiuo, sicut homo dominus: si enim nō esset homo, ideſt aliqua substantia, non esset qui relatiuè dominus diceretur, quapropter vt dicit, quod non est aliquid ad seipsum, nō est omninò quo relatiuè dicatur ad aliud: creatura ergo nullam habet relationem ad Deum nisi sit aliquid ad se, vel per se.

Ad se autem non est aliquid, neque secundum essentiam, neque secundum existentiam à seipsa, sed ab altero tantùm, à quo est id, quod est. vt possit quoquo modo dici ad eam illud Apostoli. 1. ad Corinth. 4. Quid habes, quod non accepisti? Ad nihil ergo neque etiam ad Deum dicitur relatiuè, nisi ab alio sit aliquid ad se, & hoc non nisi à Deo. Ipsa autem à Deo non est aliquid nisi ordine naturæ quodam existente inter illum à quo est, & illud quod est, vt ille primum, & istud sit secdm. Quoniam etiam in diuinis vbi est simplicitas æternitatis, quia filius nihil habet nisi quod accipit à patre per generationem, ideò ordo quoniam naturæ est inter patrem, & filium, & inter generare quo pater dat, & generari quo filius accipit, quod expo suimus in quæstionib. nostris ordinariè disputatis. Quare cum relatio, quæ est inter primum & secundum, qua se habent sicut à quo est aliquid, & quod est aliquid, non est nisi quia primum quoquo modo. i. secundum rationem saltem, refertur ad secundum, & non è conuerso: relatio ergo omnis inter Deum, & creaturam, quæ consistit inter Deum & creaturam, quia creatura est à Deo id quod est, siue secundum essentiam, siue secundum existentiam, necessariò est inter ipsos potius, quia Deus refertur, & ordinem habet ex ratione sui intellectus, & voluntatis ad creaturam, vt à quo est id quod est, q̄ è conuerso, quia ipsa creatura refertur ad Deum, licèt aliqua alia sit inter ipsos, quia creatura refertur ad ipsum, & non è conuerso, vt iā patebit in soluendo argumenta. Vnde concedendum est argumentum ad istam partem: procedit enim de relatione inter Deum, & creaturam in essendo ab ipso id quod est per essentiam, sicut iam patebit in parte, & perfectius in dissolutione quæstionis sequentis.

Ad primum ergo in oppositum, quòd si inter Deum & creaturam est relatio, quia Deus refertur ad creaturam, illa est in Deo secundum rem. Dicendum, quòd non oportet in duplici modo relationis Dei ad creaturas.

Ad cuius intellectum oportet scire, quæ est relatio secundùm rem, & quæ secundum rationem, & vnde & quot modis habeat esse, & primò de relationibus secundum rationem, de quibus nunc principaliter est sermo, deinde de relationibus secundum rem, vt per hoc tàm de istis, quàm de illis sciamus, quæ habent esse in Deo, & quot & quomodo respectu creaturæ, & quæ non. Est autē relatio secundum rationem tantùm, quę non fundatur in re absque consideratione, & operatione intellectus circa illam, & hoc dupliciter. Vno modo ex consideratione sola, & operatione intellectus circa rem, causando relationem in vtroq; extremorum. Alio modo ex consideratione intellectus, & operatione eius circa rem, causando respectum circa vnum extremorum in ordine ad alterum, in quo est relatio secundum rem, & vtroque modo dupliciter. Secundum primum enim modū vno modo intellectus operatur relationes diuersas habentes diuersitatem ex natura rei aliquo modo diuersa. Alio modo circa extrema habentia diuersitatem ex sola cōsideratione intellectus absq; omni diuersitate rei. Primo modo relationes rationis sunt genus, & species circa hominē, & aīal. Secundo modo relatio rationis est identitas circa idem re bis acceptum secundum rationem. Secundum modum verò secundum operatur intellectus tationem circa vnum extremum in ordine ad alterum, & ad relationem, quæ est in altero. Vno modo, vt circa illud, quod ex se non prætendit aliquam habilitatem, vt intellectus circa illud operetur relationem, quēadmodum operatur dextrum, aut sinistrum circa columnam in ordine ad dextrum & sinistrum, quod secundum rem est in animali. Alio modo, vt circa illud, qđ ex se habet aliquam habilitatem, vt intellectus circa illud operetur relationem. Sed hoc dupliciter. Vno modo, ꝙ relatio illa, quæ est secundum rem, præexistat in altero extremo, & secundum eius correspondentiam formetur in alio, vt per hoc relatio illa secundum rem quodammodo est ratio causandi illam, quæ est secundum rationem, vt contingit vniuersaliter in relatione, quæ est mensuræ ad mensuratum, & quæ sunt Dei ad creaturas ex tempore. Alio verò modo, ꝙ relatio illa, quæ est secundum rationē natura sit prior in illo in quo est, & secundum eius correspondentiam habeat esse id, quod est alterum extremum, & relatio realis in illo, vt per hoc relatio illa secundum rationem quoquo modo est ratio causandi illam, quæ est secundum rem, vt cōtingit vniuersaliter in relationibus, quę ab æterno sunt in Deo ad creaturas, & ex parte diuini intellectus, & diuinæ voluntatis.

Ex consideratione enim diuini intellectus circa diuinam essentiam, vt est intellecta ab ipso, sunt in ipso rationes ideales secundum modum exponendum in sequēti quæstione, quæ sunt relationes ex

hoc

hoc in Deo secundum rationem ad ipsas essentias creaturarum, quæ ex hoc sunt aliquid secundum essentiam, ꝙ respondent rationibus idealibus in Deo existentibus, & ratione ipsius essentiæ earum habent relationem realem ad Deum. Ex complacentia autem diuinæ voluntatis in diuinam essentiam cognitã à suo intellectu, vt in se habet rationes ideales, & per hoc in essentias creaturarum, vt per suas ideas cognitæ sunt ab intellectu diuino, est in Deo relatio secundum rationem ex parte voluntatis, qua dicitur creatiuus, & ipsa essentia creaturæ dicitur creabilis. Vnde non ens, quod nõ est aliquid per essentiam, nec habet rationẽ idealem in Deo, nullo modo est quod creabile. Vlterius autem ex determinatione diuinæ voluntatis, qua ab æterno electione liberi arbitrij determinauit has essentias se esse creaturum ex tẽpore in esse existentiæ, & fortè alias non, habet ex parte volũtatis relationem ad illa, quæ est creaturus, qua dicitur creaturus. & ipsa essentia creaturæ dicitur creanda. Et differt hæc ab illa secundum rationem in hoc, quòd respectu creabilium nõ creandorum dicit ordinem habitualem ad mutationẽ, qua creatura nata est creari: respectu creandorũ autem dicit ordinem actualem ad mutationẽ, qua creatura aliquando actualiter creabitur.

Vlterius autem ex hoc, ꝙ Deus voluntate sua essentias creat secundum actum in esse existentiæ, habet relationem ad illa creata, qua dicitur creator à suo actu creandi, & illa dicuntur creata à sua creatione passiua. Sed solummodò secundum rationem differunt illa tria in Deo, & sunt idem respectus secundum rationẽ, differentes solo nomine, quo dicitur creatiuus creaturus, & creans: licet enim nominatio illa, qua dicitur creans, siue creator, cõueniat ei ex tempore quo creatura est creata, & ita quia creatura refertur ad ipsum: ipse tamen respectus æternus est, & est ipsius ad creaturam, non quia creatura ad ipsum, sed potius è conuerso, quemadmodum creare actiuè potius est ratio eius, quod est creari passiuè, quàm è conuerso. Passio enim vt dicitur in 6. principijs est effectus illationoq; actionis. Et est ille actus, quo Deus creat æternus, quia suum velle est æternum, licèt passio, qua creatura creatur noua sit, & ex tempore, quo creatura prolilit de nouo in esse ex æterno velle, & æterna, atque antiqua determinatione voluntatis. Vnde ꝙ illa creatio dicitur actio noua, noua nominatio est actionis antiquæ ab ipsa noua passione. Vlterius autem ex hoc, ꝙ creatura habet vlteriorem relationem realem ad Deum, qua dicitur serua ex tempore circa Deum, correspondet ei relatio secundum rationem, qua dicitur Dominus, quæ dicitur relatio in Deo ex tempore, quia creatura refertur ad ipsum, vt serua: ipsa verò dicitur serua, non quia ipse refertur ad illã, vt Dominus. Et non est propriè noua relatio, sed noua nominatio antiquæ relationis: eadem enim relatio, qua ab æterno dictus est dominatiuus, & dominaturus creaturæ, dicitur dominus, siue dominãs ex tempore, secundum quod iam dictum est de creatiuis creaturis, & creare. Et differt relatio, quæ denominatur à dominio, ab illa, quæ denominatur à creatione, quemadmodum differunt actus creandi, & actus conseruandi creatum. Vnde relationes quas consuetum est dicere esse in Deo ex tempore, quia creatura est ad ipsum, non sunt propriè relationes, sed nouæ nominationes æternarum relationum, quibus ab æterno secundum iam expositum modum Deus secundum rationem habet referri ad creaturam, non quia creatura refertur ad ipsum, sed potius è conuerso. Hinc est, ꝙ August. huiusmodi relationes ex tempore potius vocat nouas nominationes, siue appellationes, quàm nouas relationes: dicit enim August. 5. de Trin. c. vlt. Non moueat, quòd spiritus sanctus cum sit coæternus patri & filio, dicitur tamen aliquid ex tempore, veluti hoc ipsum, quod donatum est: nam sempiternæ spiritus donum, temporaliter autem donatum: nam etsi Dominus non dicitur nisi cum habere incipit seruum, etiam ista appellatio relatiua ex tempore est Deo. Non enim sempiterna creatura est, cuius ille est dominus. Sequitur. Ille sempiternè non dominaretur, nisi & iste sempiterno famularetur. Et distat multum ista relatio noua ex tempore, qua Deus, vt dominus refertur ad creaturam, quia creatura refertur ad ipsum vt serua, & illa qua columna, vt dextra refertur ad animal, quia animal refertur ad ipsam, vt sinistrum. In columna enim nulla omninò præfuit ex se relatio ad animal, qua per hoc, quòd animal sibi factum est sinistrum, noua appellatione dicatur dextra, nec similiter aliquid, super quod ex natura rei relatio, qua appellatur dextra fundetur, propter quod cũ noua appellatione sibi aduenit noua relatio, sed secundum rationem, & intellectus operationem: & ideo præter columnæ omnimodam mutationem. In Deo autem præfuit relatio ad creaturam secundum iam dictum modum, quæ per hoc ꝙ creatura de nouo facta est sibi serua, noua appellatione dicitur dominium, quæ prius dicta est in Deo dominatiuum & dominaturum, sicut & in essentia creaturæ erat relatio, qua ab æterno dici potuit seruitiua, siue servilis, aut seruitura, & hoc quemadmodum iustus, qui cum in æterna Dei prædestinatione potuit dici amicabilis, siue amicaturus Deo, & ex tempore de nouo dicitur amicus Dei, quãdo de nouo incipit amare Deũ, & sic per suã mutationẽ. Deus autem ab æterno potuit dici amicatiuus, siue amicabilis, aut amicaturus creaturæ, propter æternum amorem quẽ haauit ad ipsam, & ex tempore de nouo dicitur amicus non propter aliquem nouum amorẽ quem habuit ad ipsam, & ex tempore de nouo dicitur amicus non propter aliquẽ nouum amorem ad ipsam in Deo, sed propter nouũ amorem in creatura. Et ideo est in Deo illa noua denominatio absq; sui mutatione, quia nulla aduenientе noua relatione, sicut aduenit columnæ,

licèt

licèt ſecundum rationem, vt dictum eſt. Propter quòd multo minus ſine ſua mutatione recipit appellationem nouam ſecũdũ relationem, q̃ colũna. Et licèt relatio, qua columna dicitur dextra poſſit aliquo modo dici accidere, & mutabiliter conuenire columnę ſecundum rationem, quia temporaliter ei aduenit: nullo tamen modo relatio huiuſmodi Dei ad creaturã potuit dici accidere Deo, aut mutabiliter conuenire eidem ſecundum rationem, quia æternaliter ei conuenit. Per quod ſoluit Auguſt. quæſtionẽ quomodo Deus ex tempore de nouo poteſt dici amicus & dominus: cum tamen hæc non accidant ei, ſicut accidunt creaturæ, dicẽs in 5. de Trinit. c. vlt. Quomodo obtinebimus non ſecundum accidens dici dominum, niſi quia ipſius naturæ nihil accidit quo mutetur? Vt ea ſint accidentia relatiua, quæ cum aliqua mutatione rerum de quibus dicũtur, accidunt, ſicut amicus relatiuè dicitur, ſupple homo, & hoc accidentaliter, vnde ſequitur continuò. Neque enim eſſe incipit (ſ. amicus) niſi cum amare cœperit. Fit ergo aliqua mutatio voluntatis, vt amicus dicatur. Et infra. Quòd ergo temporaliter dici incipit Deus, quod ante non dicebatur, manifeſtum eſt relatiuè dici, non tamen ſecundum accidens Dei, quod ei accidit, ſed planè ſecundum accidens eius ad quod dici aliquid Deus incipit relatiuè. Et ꝙ amicus Dei iuſtus eſſe incipit, ipſe mutatur: Deus autem abſit vt aliquem temporaliter diligat quaſi noua dilectione, quæ in ipſo Deo non erat, apud quem nec præterita tranſeunt, & futura iam facta ſunt. Ita, ꝙ omnes ſanctos ſuos ante mundi cõſtitutionem dilexit, ſicut prædeſtinauit, ſed cum conuertuntur, & inueniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicũtur, vt eo modo dicatur quo poteſt ab humano affectu capi, quod dicitur. Quia igitur actus amandi abſolutus idem eſt, & immutabilis, quo Deus amat ſe, & creaturas, & antequam erant & cum ſunt, tam cum ipſum non amant, quam cum ipſum amant, ſeu amare incipiunt: actus autem quo dicta eſt creatura amatura Deum antequam eſſet, & Deum amare cum eſt in eius amore exiſtens, licèt ſit idẽ: tamen mutatur creatura ſecundum eum, cum incipit amare Deum: ideò relatio quæ eſt Dei ad creaturas ſecundum rationem voluntatis ſuæ, qua dicitur amicatiuus, aut amicaturus, aut amicus, fundata in actu amationis eius, quo amat creaturas, omninò eſt eadem immutabiliter ei conueniens. Relatio verò, quæ eſt creaturæ ad Deum ſecundum rem, qua dicitur amicatiua, aut amicatura (vt ſic liceat fingere nomina) aut amica, fundata in actu amationis eius, quo amat Deum, licèt omninò ſit eadem re, differens ſola ratione: tamen mutabiliter conuenit ei ſecundum omnes rationes: eadem enim mutatione, qua nunc creatur, prius erat creanda, & poſtmodum eſt creata. Et ſimile eſt de amare, amaturũ eſſe, & amauiſſe ex parte creaturę, & ſimiliter de amari, amandam eſſe, & amatam, quantum eſt ex parte ſua; quia cum ex tempore incipit amare, ſicut commutabiliter incipit amare cum prius nõ amauit, ſic mutabiliter incipit eſſe amica cũ prius non fuit, & mutabiliter deſinit dici amatiua, aut amatura cum prius talis dicebatur. Et ſicut eſt de iſta relatione, qua dicitur creatura amicabilis, & amica, ſic eſt de illis, quibus dicitur creabilis creãda & creata, & vniuerſaliter de oĩbus, quibus realiter refertur ad Deum, & ſimile eſt de omnibus, quibus ſecundum rationem voluntatis ſuæ Deus refertur ad creaturas. Et eſt vna relatio ſecũdum rem, quæ eſt ex parte creaturæ, diuerſa ſecundum rationem reſpectu Dei qualitercũque diuerſimodè nominetur, & ſimiliter ex parte Dei reſpectu creaturæ eſt vna ſecundum rationem quantũ eſt ex parte Dei. Vnde & quia Deus vnica actione rẽ creat dando ei eſſe, & in eſſe dato conſeruat, vna eſt relatio, qua reſpectu creaturæ dicitur creator, & conſeruator, & ſicut vnicum eſſe eſt, quod habet mutabiliter per creationem, & in quo conſeruatur eadem relatione ſecundum rem, differente ſolũmodo ſecundum rationem, refertur ad Deũ vt creata in eſſe, & vt cõſeruata in eſſe. Sicut enim ex parte Dei eadem actio eſt creare, & conſeruare, ſic ex parte creaturæ eadem paſſio eſt creari, & conſeruari. Sed paſſio iſta dicitur creari pro inſtanti mutationis, quo creatura nunc primò profilit in eſſe, & ſimiliter dicitur actio Dei creare. Dicitur autem conſeruari paſſio, & conſeruare actio, pro toto tempore reſiduo. Diximus tamen in primo noſtro Quolibet aliã actionẽ, qua Deus res creat in eſſe, & qua creaturas conſeruat, connumerãdo in creatione paſſiua mutationem, ſine qua res per actum creationis non profilit in eſſe, quę non manet in conſeruatione rei in eſſe. Et ratione mutationis illius annexæ actui creationis, & ipſi cõnumeratæ, non annexæ actui conſeruationis, nec ei connumeratæ: re vera alius eſt actus creationis.

Præter dictos autem modos relationum ſecũdum rationem, quibus Deus refertur ad creaturas modo intellectus, & voluntatis, eſt adhuc tertius, quo refertur ad ipſas modo menſuræ, de quo inferius erit ſermo iam. Relatio verò ſecundum rem, ſiue realis eſt ſecundum quod alibi expoſuimus, quę in re fundata eſt, & hoc præcisè ex neceſſitate naturę ipſius ſuper quam fundatur, abſque omni conſideratione, aut opere intellectus, vel voluntate circa ipſam vt iam præexiſtentem.

Ex neceſſitate autem naturæ rei abſque conſideratione intellectus poteſt relatio fundari dupliciter. Vno modo ex præciſa natura ipſius rei abſolutè, ſuper quam habet fundari abſque omni ordine ſuo ad rem aliam abſolutam. Alio modo non abſque tali ordine. Primo modo ſunt relationes reales in Deo ad intra fundatę in ipſa diuina eſſentia, ſiue natura. Propter quod diuinæ relationes non referunt naturam, ſed cum natura conſtituunt ſuppoſita, quę ipſis relationibus inter ſe referunt, ſecundum modum in alijs quęſtionib. aliàs

à nobis

à nobis expoſitum. Et hoc modo impoſſibile eſt, ꝙ in alia natura, vel eſſentia fundetur aliqua relatio realis. Hoc enim prouenit ex infinitate, & illimitatione ipſius diuinæ eſſentię, ſecundum quod hoc declarauimus diſputando de emanationibus diuinarum perſonarum. Vnde in creaturis relationes reales habent eſſe tm̃ ſecundo modo, vt propterea habitudo relationis neceſſariò in creaturis ſit fundata in pluribus, ita ꝙ non fundatur in vno abſoluto abſq; alio abſoluto ſibi correſpondente, in quo ſimiliter fundatur, ſm̃ quod in tertia quęſt. ſequ. amplius declarabitur. Et ideò relatio realis in creaturis requirit mutuum ordinem inter ſe illorum ſuper quæ fundatur. Propter quod etiam præſupponit ſuppoſita, quæ ſubſiſtunt, in quibus ſunt naturæ, ſuper quas relationes fundantur, & non conſtituunt ea, ſed referunt: non autem ipſas naturas ſuper quas fundantur. Et eſt ipſa relatio ordo quidam inter relata, & inter illa, in quib. fundatur, cum in diuinis relationibus nõ ſit ordo, niſi inter ſuppoſita, quæ referuntur, & quæ conſtituũtur per ipſas relationes. Ordo autem iſte, quia naturalis eſt, & à natura rei, & non relationis ab opere intellectus, aut voluntatis: aliter enim talis relatio rationis eſſet, vt patet ex iam dictis: ideo neceſſariò procedit ex naturali dependẽtia vnius naturæ ad alteram, qua ſeſe mutuò expectant, vt in ipſis fundetur relatio. Non enim fundatur ſimilitudo in vno albo, niſi coexiſtat aliud album. Et ex hoc ipſa relatio talis non ſolum eſt habitudo quędam & ordo, ſed cum hoc eſt quædam dependentia: cum tamen relatio in diuinis conſiſtat in ordine quorundam relatorum, ſed abſque omni depẽdentia, quia natura ſuper quam fundatur, vt in ipſa fundetur non expectat quicquam extra ſe. Vnde & quia in diuinis nihil exiſtit, qđ expectat aliquid extra vt fundetur, aut exiſtat in eo aliquid quod naturaliter habet exiſtere, aut fundari in eo: ideò talem ordinem. ſ. naturalem, nullo modo põt habẽre Deus, vel aliquid quod eſt in eo ad id, qđ eſt extra ſe, etiam ſi per impoſſibile: immò per incompoſſibile ponatur eſſe ſine omni depẽdentia. Et quia ſine iſto ordine, vt dictum eſt, non eſt relatio ad extra realis: idcirco impoſſibile eſt omninò, quòd Deus realem relationem habeat ad creaturas, quæ ſunt extra eum. Sed ſi aliquem ordinem habeat ad illas, ille erit rationis tantùm, quia per intellectum & voluntatem, vt dictum eſt iam, aut modo menſuræ, vt iam dicetur. Et ſic ordo naturalis, qui debet eſſe inter relata adinuicem, quæ ſunt extra ſeſe, impedit ꝙ Dei ad creaturas nulla eſt relatio realis in Deo, etſi pręcludãtur alia, quæ in creaturis ſunt rationes creatiuæ ordinis. Ipſe.n. non poteſt eſſe extremum alicuius ordinis naturalis, & realis inter ipſum & creaturas, ſed eſt extra omnem ordinem reſpectu creaturæ.

Creaturæ enim ex hoc dicuntur eſſe eiuſdẽ ordinis, quòd ſcilicet ſunt extrema ordinis eiuſdem naturalis, & ſimiliter quòd habent ordinem naturalem ad Deum, vt ad primum efficiens formale, aut finale, vt iam dicetur: ideò enim ad ipſum neceſſariò habent relationem realem. Ante iſtam autem radicẽ præcedunt aliæ. ſ. dependentia, mutabilitas, & imperfectio, propter quas etiam dicuntur eſſe reales relationes creaturarum inter ſe tanquam conditiones naturæ creatæ, quibus naturaliter, & ex ſe abſque intellectu & volũtate operante habet in ipſa fundari relatio, quæ realis dicitur ex hoc. Propter quas adhuc amplius repugnat Deo habere relationem realem ad creaturas, quia mox Deo repugnat, quòd ſit dependens ad aliud, aut ex ſe imperfectum, aut ꝙ aliquid per aliud ei acquiratur, & per hoc ſit tranſmutabile. Vnde quia Philoſophi in Deo relationes reales ad intra non poſuerunt propter eius ſimplicitatem, ſed omninò eſſe in ipſo negauerunt, & ponebant aliquas relationes reales ad intra ſolummodo in creaturis materialibus compoſitis, ſecundũ quod dicit Simplicius in fine ſuper capitulum de relatione. In materialibus quidem propter diſtentionẽ, & propter materialem diuerſitatem habitudo ſubſiſtit. In his autem, quæ ſunt ſine diſtentione, & immaterialia, & impartibiliter coniuncta, quomodo vtiq; erit habitudo? Niſi fortè (quod quidam dicebant) ſicut & diſtinctio ibi dicitur, ita & diuerſitas. Quare etiam in Deo, & in immaterialibus nõ poſuerunt relationes reales ad extra, & hoc propter accidentalitatem quam important, & tranſmutabilitatem, quam in ſubiecto ſupponunt, ſicut in tertia quæſtione ſeq. declarabitur, ſecundũ quod de primo dicit ibidem Simplicius. Nulla eſt ibi habitudo, neque intelligitur. In quibus enim nõ eſt alterum in altero, vt habitudo inſubſtantiis, hoc quidem aliud: illud autem aliud, vt adinuicẽ aliquo modo ſe habeant, quomodo poſſibile eſt in iſtis ipſum ad aliquid conſiderari niſi ſecundum aliquam analogiam, ſicut & cauſas dicimus ibi & cauſata? De ſecundo verò dicit in fine. Adhuc autem ſi ſuperuentiriam naturam habere dicũtur ipſa ad aliquid, & adnaſcentiæ aſſimilari, & eſſentiam à tranſmutatione extrinſecorum dependentem habent, quomodo in illis conſiderari iſta poſſibile eſt? quaſi dicat nullo modo. Idcirco Philoſophi omninò in Deo, & ſubſtantijs immaterialibus, quas deos poſuerunt, nullo modo ponebant relationes reales ad Deum. Sicut autem ordinem naturæ neceſſariò præcedit dependentia, vt relatio dicatur ordo dependentię, ſecundum quod dictum eſt, ſic dependentiã neceſſariò præcedit mutabilitas: nihil enim ad aliud dependet niſi per illud ſibi aliquid habeat acquirere, & hoc per mutationem. Et quia non eſt aliquid natum acquirere quicquam per mutationẽm niſi propter ſuam imperfectionem: idcirco mutabilitas neceſſariò pręſupponit imperfectionem, qua res non habet perfectum eſſe naturæ ſuę, & hoc propter ipſius limitationem, quæ eſt prima radix omnium: limitatio enim eſt cauſa imperfectionis, & per conſequens

omnium aliorum. Quia enim creatura limitata est: ideo imperfecta est, & quia imperfecta, ideò est mutabilis, & quia mutabilis, ideo est dependens, & quia dependens, ideò ordinem habet naturalem ad id, à quo dependet, vt quoquo modo perficiatur per illud.

Quia in relationibus proportionalium id super quod fundantur, puta album; in altero similium non habet toraliter in se rationem albedinis, sed solum participationem eius: idqò dependet ad aliud album, quia perfectius secundum rationem speciei habetur in duobus, quam in altero illorũ. In actiuis etiam necessitate naturæ, quia aut non habet, nisi formam producendam in passiuo participatam, vt calefactionem, aut non nisi virtute, vt sol formam vermis: ideò etiam dependet ad suam perfectionem habendam ab ipso passiuo, & multo fortius è conuerso.

In mensuris etiam planum est, quòd mensuratum respectu mensuræ quid imperfectum est, & habet suam perfectionem à mensura, licèt è conuerso nequaquam.

Ad secundum, quòd relatio in Deum, & creaturas est relatio commensurationis, in qua non refertur Deus ad creaturam, nisi quia creatura refertur ad ipsum.

Dicendum, quòd Deus non solùm refertur ad creaturas secundum commẽsurationis rationem, sed etiam secundum rationem proportionis, & secundum rationem actionis. Ad cuius intellectum sciendum, quòd secundum Philosoph. quinto Metaphys. cap. de relatione, tres sunt modi relationum secundum triplex genus causæ formalis, efficientis, & finalis: ad quos omnes relationes habent reduci, & illæ quæ sunt secundum rẽ, & illæ quæ sunt secundum rationem. Sed Philosophus proponit eos in relationibus realibus, & est primus eorum in proportionibus.

Proportionalia enim relationem habent inter se secundum rationem vnius, & multi. Propter quod Philosophus vocat eum ibidem modo numeri. Vnum enim, vt dicitur decimo Metaphysico. habet idem & simile & æquale, & multum habet diuersum, & dissimile, & inæquale, & vt dicit in quinto æquale & simile, & idem dicuntur secundum vnum modum, quia referuntur ad vnũ, hoc est secundum Comment. quòd proportio in eis est eadem in vtroque extremo.

Per quod intelligit, quòd in eorum contrarijs inæquale dissimile, & diuersum dicuntur secundũ eundem modum etiam, quia referuntur ad multum, eo quòd proportio in eis est diuersa in vtroque extremorum ab altero tantùm. Et est in omnibus istis relatio secundum genus causæ formalis, quia non est nisi eorum, quæ conueniunt in forma generis, aut speciei. Sunt enim æquale, & inæquale in quantitate, idem & diuersum in substantia, simile & dissimile in qualitate, sed dissimile inter diuersa specie secundum qualitatem: simile verò propriè inter eadem specie. Et dicuntur inæquale, dissimile, & diuersum in communicando eadem forma difformiter, æquale simile, & idem in cõmunicando eadem forma conformiter. Secundus autem modus est in actionibus: actiua autem & passiua sunt relatiua per potentiã actiuam, & passiuam in eis.

Dispositionem enim relationis vnum eorum non acquirit nisi respectu alterius, vt calefaciens respectu eius, quod calefit, vt habetur quinto Metaphysicæ. Et est iste modus secundum genus causæ efficiẽtis manifestè. Et in istis duobus modis est relatio secundum rem in vtroque extremorum, dicente Philosopho in quinto Metaphys. Omnia quæ dicuntur modo numeri, & potentiæ, sunt relatiua, quia essentia eorum dicitur ad aliud, & non quia illud aliud dicitur ad illa. Commenta. id est nõ quia alterum eorum intrat in relatione per se, sed supple vtrunque. Tertius verò modus est in commensurationibus, secundum quem mensuratum dicitur ad mensuram. Et est secũdum istum modum relatio secundum rem in mensurato: secundum rationem verò in mensura, dicente Philosopho ibidem. Intellectum & scitum dicitur relatiuum, quia ad illud dicitur aliquid aliud, vbi dicit Commentat. Relatio est duobus modis, aut in substantia vtriusque relatiui, aut in substantia alterius tantùm, & in altero propter istud. Et est iste modus secundum genus causæ finalis: illi enim quod primo est vnum, quod est mensura, hoc nomen accidit ei per complementum, quia scilicet est aliquid in se perfectum, & completum, quod rationes perfectionis, & completionis omnium aliorum in se continet.

Circa primum istorum modorum, qui consistit in proportione secundum formam, sciendum est, quòd communicantia in forma possunt communicare ea, puta similia, quadrupliciter.

Vno modo simpliciter, & absolutè nulla prærogatiua secundum formam existente in vno super alterum.

Alio modo in altero eorum existente secundũ formam aliqua prærogatiua, & hoc tripliciter, vel secundum rationem intensionis, vel secundum rationem imitationis, vel secundum rationem productionis.

Primo modo dicuntur similia æqualiter alba.

Secundo modo magis album, & minus.

Tertio modo exemplar, & exemplatum.

Quarto modo producens, & productum. Et primis duobus modis istorum quatuor nõ est aliqua relatio Dei ad creaturas, quia creaturæ non participant formam Deitatis secundum rationem, qua est in Deo, neque secundum æquale, neque secundum magis & minus, sicut minus album participat eandem formam cum magis albo, sed creaturæ participant formam deitatis secundum rationem cuiusdam imitationis, quod pertinet ad primum modum relationis,

Et illam

Et illam rationem imitationis participant, quo ad esse existentiæ secundum rationem productionis. Sed hoc pertinet ad secundum modum relationis. Iuxta primum istorum quatuor modorum in diuinis tres personæ sunt æquales, & similes in substantia. Iuxta secundum modum nulla est relatio in diuinis, quia in illis non sunt magis & minus. Iuxta tertium modum est relatio filij in eo, ꝙ est imago ad patrem. Iuxta quartum modum est relatio filij ad patrem, & spiritus sancti ad vtrũque. Tertius autem modus principalis relationis, qui est commensurationis, nullo modo cadit in diuinis inter personas, quia nulla persona habet formam Deitatis participatam ad mensuram, sed æqualiter illimitatè est in qualibet persona diuina. Sed est inter Deum & creaturas, inter quos etiam sunt alij duo modi principales relationis, sed differenter, quoniam secundum respicit solùmodo creaturarum existentiam, primus verò, & tertius respiciunt earum essentiam, sed differenter, quoniam primus respicit essentiam simpliciter, vt est essentia, tertius vt est determinata quantitate in gradu naturæ. Sed primus modus non respicit essentiam creaturæ sub ratione, quę est essentia simpliciter, & absolutè absque omni relatione immitationis, qualiter secundum primum modum sese respiciunt æqualiter alba, & magis & minus album, sic enim non est relatio, nisi inter illa, quæ habent eandem rationem formæ, sed relatio Dei ad creaturas secundum primum modum relationis respicit essentias creaturarum sub ratione imitationis. Sic enim essentiæ creaturarum habent similitudinem ad Deum. Et est inter Deum, & creaturam relatio secũdum genus causæ formalis, quę est inter exemplar & exemplatum, & est secundũ rationes idealis, à quibus formaliter licèt non effectiuè sunt creaturarum essentiæ id quod sunt ad se aliquid per essentiam. Et ideò Philosophus ponendo mundum esse ęternum, & illa quæ sub Deo existunt secundum speciem in vnico individuo nõ esse ab alio productiuè, nec formaliter, sed esse ex se formaliter quædam necesse esse, licèt secundum formam inferioris gradus nullam posuit relationem realem aliorum ad primum, nisi fortè secundum rationem mensurati tantùmmodo. Vnde si qui adhuc nituntur dicere, ꝙ nulla est relatio inter Deum, & creaturam, nisi secundum rationem mensuræ, negant inter ipsos esse aliquem respectũ secundum rationem causæ efficientis, & formalis exemplaris, & per consequens negant Deum se habere ad creaturas in triplici genere causæ, quia non est genus causę in aliquo secundum quod non habetur habitudo, & relatio inter ipsam, & causatum.

Nos ergo, qui debemus ponere, ꝙ nec creaturæ sunt etiam vt obiecta cognita existentia in diuina cognitione id quod sunt ad se aliquid per essentiam, nisi ab alio, & id quod sunt per essentiã aliquid existẽtia in sola cognitione, non est ab alio effectiuè secundum genus causæ efficientis, quia illud solùm respicit rerum existentias, necesse habemus ponere ꝙ est ab alio, sed secundum genus causæ formalis exemplatis tantùm, & hoc à rationibus idealibus, secundum ꝙ exponetur in quæstione sequenti. Et sic ex parte intellectus secundum rationes ideales Deus habet relationem ad creaturas secundum primum modum relationis, sed secundum rationem tantùm, quemadmodum in Deo idea est aliquid sm̃ rationem tãtùm. Et est ista relatio in Deo ad creaturam non quia creatura est ad ipsum, sed magis è conuerso. Et enim scięntia Dei ex sola se est causa rerum non quo ad ipsarum existentiam, sed quo ad ipsarum essentiam tantùm. Et cum secundum hunc modum creatura est à Deo id quod est per essentiã, quia est hoc ipsum secundum limitationem, necessariò est ad ipsum, vt mensuratum secundum gradum naturæ determinatum, ex quo habet relationem ad Deũ secundum rationem mensurati ad mensuram suã. Est enim essentiam creaturæ dupliciter considerare. Vno modo secundum id quod est per essentiã. Alio modo secundum quantitatem, & gradum ipsius essentiæ.

Primo modo refertur ad Deum vt ad exemplatum quid causæ formalis. & hoc quia exemplaris, vt forma refertur ad ipsum, & hoc secundum primum modum relationis per quandam reductionem.

Secundo modo refertur ad Deum, vt mensuratum eius, Deus ad ipsam, vt mensura, & hoc non nisi quia ipsa refertur ad ipsum, & hoc secundum tertium modum relationis. & quomodo hoc, amplius exponetur in quęstione sequenti. Et sunt isti duo modi relationis fundatæ in essentia creaturæ ad Deum absque ordine eius ad existentiam, ita ꝙ relatio Dei ad essentiam creaturæ secundum primum modum, & rationem formæ, præsupponitur relationi creaturæ ad Deum secũdum tertium modum, & rationem finis. Et isti duo præsupponuntur relationi Dei ad creaturam in ordine ad earum existentiam extra diuinum intellectum, quæ est ex parte voluntatis, & pertinet ad secundum modum relationis, & rationem efficientis.

Ad tertium, ꝙ Deus essentia sua inquantum cõtinet perfectiones creaturarum in essendo, nõ refertur ad creaturas, nisi quia ipsæ referuntur ad ipsum; Aliter enim in Deo esset relatio realis ad creaturas, quia realiter cõtinet illas perfectiones: non quia creatura refertur ad ipsum: Dicendum, ꝙ benè verum est, ꝙ Deus secundum tertium modum relationis, qui consistit in cõmensationibus, essentia sua refertur ad creaturam, quia creatura refertur ad ipsum, quoniam sua essentia ratione qua est essentia simpliciter, est vnica mensura omnium creaturarum, & id quo simpliciter quantitas, & gradus essentiæ earum habet cognosci, & hoc per se & ex se. Quod in ipsa essentia diuina, vt mensura per se cognoscitur determinatè quan-

titas essentiæ creaturæ secundum gradum determinatum, hoc non est, nisi inquantùm continet perfectiones earum, secundum q̃ hæc patebunt in quæstione sequenti. Sed tamen vtroque modo non refertur secundum tertium modum relationis ad creaturam, nisi quia creatura refertur ad ipsum, quia ratio perfectionalis pertinet ad genus causæ finalis, secundum q̃ non est relatio finis ad aliquid, nisi quia illud ad ipsum. Quod autem assumitur, q̃ Deus in cognoscendo, & volendo non refertur ad creaturas, nisi essentia sua, inquantum continet in se perfectiones creaturarũ in essendo: Dicendum, quòd in diuina essentia eędem rationes sunt perfectionales, & ideales differenti ratione. Sunt autem eędem rationes, quia vt sunt perfectionales, & vt sunt ideales non sunt in essentia ex natura essentiæ absolutè, nisi virtute tãtùm, sed solùmmodo ex consideratione intellectus, vt patet de ipsis inquãtum sunt ideales, & iam amplius patebit in sequenti qõne, vbi etiam declarabitur quomodo sunt in essentia secundum actũ ex cõsideratione intellectus, inquantum sunt perfectionales. Differunt autem sola ratione, quemadmodum forma eadem est principium essendi, & cognoscendi, vt forma, & principium perficiendi, vt finis. Quia inquantum sunt rationes ideales pertinent ad Deum, vt est causa formalis creaturarum, inquantum verò sunt perfectionales, pertinent ad eundem, vt est causa finalis. Et inquantum sunt rationes ideales, refertur Deus ad creaturas per ipsas, vt ipsæ creaturæ sunt aliquid per essentiam ad se, & vt ipsę ideę sunt rationes cognoscendi illas, & hoc secundum primum modum relationis. Inquantum verò sunt rationes perfectionales refertur Deus ad creaturas per ipsas, vt ipsæ creaturæ sunt aliquid limitatum in gradu quantitatis naturæ, & vt illæ sunt rationes mensurandi gradũ quantitatis in essentia creaturæ, & hoc secundum tertium modum relationis.

Et primo modo relationis non refertur Deus ad creaturas per intellectum, & voluntatem, quia creaturæ referuntur ad ipsum, sed è conuerso potius, sed secundo modo, secundum quod ista patebunt iam ex sequenti quæstione.

IN

IN QVODLIBET. NONVM.

Quodlibet Nonum duas ſupra triginta continet Quæſtiones de more attinentes tùm ad Deum ipſum, cùm etiam ad creaturas, ſecundum quòd initio plurium Quæſtionum Auctor ipſe in progreſſu notificat.

Comment. in Quæſtionem Primam, quæ eſt,

Vtrum omnis relatio inter Deum, & creaturam ſit quia ipſa creatura refertur ad Deum, & non è conuerſo.

IN titulo ſupponitur eſſe relationem inter Deum & creaturas, & quidem relationem, quâ Deus refertur ad creaturas eſſe rationis, non realem, non autem omnem relationem eſſe rationis, qua creaturæ referuntur ad Deum. Quæritur autem an omnis relatio, qua refertur creatura ad Deum ſit realis, ita vt quoniam refertur, ideò rationis relatione referatur Deus.

In corpore eſt concluſio. Non omnis relatio inter Deum, & creaturam eſt, quia ipſa creatura refertur ad Deum.

Not. autem ante omnia, quòd hoc dicere eſt idem ac ſi dicatur, aliqua relatio eſt inter Deum & creaturam, in qua non refertur ad ipſam Deus, quoniam ad ipſum refertur creatura; ſed contrà ideò refertur creatura ad ipſum, quoniam ipſe Deus refertur ad illam. Vbi aduertenda eſt illa regula æquipollentiarum, Quòd ſi alicui ſigno vniuerſali proponatur negotio, æquipollet ſuo contradictorio. Ad illam ſiquidem quæſtionem ſequitur ſecundum reſolutionem talis concluſio: Non omnis relatio, &c. cui cum correſpondeat contradictoria quæſtionis, eſt idem ac ſi dicatur quædam relatio, non &c.


Probatur concluſio modò ex argumento contrà in fronte quæſtionis; quoniam ideæ, &c. Quod totum eſt ex Auguſtino. quæſt. 46. octogintatrium.

Secundò probatur pariter ex fundamento D. Auguſtini, quòd omne, quod relatiuè dicitur ad alterum, habet aliquid, quo dicitur ad ſe, ſed creatura nihil habet, quo dicatur ad ſe, quia totum eſſe habet à Deo. Ergo vel nullo modo refertur ad Deum, vel ſi refertur, refertur ſicut poſterius ad prius, & ſicut ſecundum ad primum. Iam verò poſterius refertur ad prius, & ſecundum ad primum, quia prius refertur ad poſterius, & primum ad ſecundum. Igitur &c. ſe habet enim Deus ſicut prius, vel primum; creatura ſicut ſecundum, atque poſterius.

Not. dubium ſuper illud fundamentum Auguſtini. Videtur enim non eſſe ad aures Philoſophi, qui vult relatiua eſſe, quæcunque hoc ipſum quod ſunt aliorum eſſe dicuntur. Quod ſi hoc verum eſt, illud non eſt neceſſarium, quòd primò ad ſe dicantur relatiua, & habeant aliquod eſſe, quia totum eſſe ipſorum conſiſtit in relatione ad alterum.

Ad euidentiam autem huius rei, not. quòd omnis relatio accidens eſt, licèt Deo non ſit accidens. Eſt profectò accidens ipſa relatio aduenies creaturis, quod etiam Auctor, & omnes dicunt. Et licèt Boetius dicat, quòd omnia, quæ de Deo dicuntur, tranſeunt in diuinam ſubſtantiam præter relationem; tamen non eſt, quòd relatio retineat accidentalitatem, quaſi ſit in Deo tanquam in ſubiecto, hoc. n. nefas dictu eſſet. Sed vtique in nobis, ac cæteris creaturis eſt accidens. Vt autem primum loquamur de nobis, deinde communiter de relatione vt conuenit tùm Deo cùm nobis, conſiderandum, quòd cum relatio accidens ſit, oportet vt ſit in ſubiecto, & quidem abſoluto, nè relationis ſit relatio. Vnde ſi paternitas relatio eſt, oportet vt ſit in aliquo abſoluto, quod amota paternitate ſit aliquid ex ſe. Vnde cum dicit Philoſophus, quod relatiua ſunt quæcunque hoc ipſum quòd ſunt aliorum eſſe dicuntur, Eſto. v. g. Pater. In patre duò ſunt. Paternitas, & fundamentum, ſiue ſubiectum paternitatis. Paternitas relatio eſt, fundamentum ſubſtantia eſt, puta homo, nunc autem homo iſte dum refertur ad filium, aut refertur quatenus homo, vel quatenus pater. Non quatenus homo, vt dicit Philoſophus manifeſtè in cap. de relatione. Igitur eſſe hominis non conſiſtit in eſſe alterius, ſed quatenus pater, quare eſſe patris conſiſtit in eſſe filij. Pater igitur habet, & quò refertur ad aliud, & quo dicitur ad ſe. Vt autem loquamur communiter omnis relatio, ſiue in diuinis, ſiue in his inferioribus, eget fundamento. Vt in diuinis, fundamentum paternitatis eſt Deus, ſic filiationis. Nunc autem Deus quatenus Deus nequaquam refertur ad filium, ſed quatenus pater. Vnde eſſe patris conſiſtit in eſſe filij, ſed vltra remanet eſſe Dei, quod dicitur ad ſe, & non ad aliud. ſic itaque patet quomodo, qđ ad aliud refertur habet eſſe, quo ad ſe dicitur. Cæterum quoniam creatura nullum prorſus habet eſſe niſi dependẽs reſpectu Dei, illud ſequatur oportet, vt non poſſit referri ad Deum, niſi ſub ratione, qua dictum eſt.

In reſponſione autem ad primum argumentum laborandum aliquantulum eſt. Agit. n. ſatis diligenaer Auctor de relationibus tùm rationis, cùm etiam realibus, vt manifeſtet, quænam, & quo ordine ſint in Deo, & creaturis, inter quæ nonnulla dicit, in quibus non acquieſcit vllo modo Scotus, vt videre erit. Interim quæ habet Auctor in hac reſponſione curabimus breuiter ad facilem formam redigere, vt facilius quoque diſputationem aggrediamur.



Hac forma sententiam Doctoris credimus maxima ex parte manifestatam esse. Tenemur tamen quasi ad principium redeũtes considerare conclusiones positas ex mente Doctoris.

De prima igitur si attendamus vnde oritur, cognoscere possumus, ꝙ non conuenit Deo, atq; creaturis mutuò, vt modo qõ est. Quippe pro quanto prouenit à primo membro, ideò relatio talis non conuenit Deo, & creaturis mutuò, qm̃ tunc alterum eorum se haberet veluti genus, alterum verò vt species, sicut animal, & homo, quod nõ est de Deo, atq; creatura. Vt verò prouenit à secundo membro, sequeretur, ꝙ inter Deum, & creaturam esset identitas, quæ concedenda non est vllo modo. Et profectò, vt & nos manifestamus in Parmenide Platonis, non est Deus sibi, nec alteri idem, vt nullam prorsus identitatem patiatur. Et de hac conclusione non est difficultas.

De secunda conclusione etiam non est difficultas. Quòd, n. referatur Deus ad creaturam, subintelligitur relatione rationis, notum est apud omnes. Quòd etiam sine sui mutatione patet, quia Deus nunquam mutatur.

Not. autem, ꝙ inter exponendum huiusmodi conclusionem Auctor habet, ꝙ est eadem relatio prorsus noua, & antiqua, vt noua relatio, quæ dicitur ex tempore, potius ita appelletur, quàm ꝙ re vera sit noua. Et in hoc immorandum aliquantulum est. Quippè hic oritur Quæstio, Vtrum de Deo dicatur aliqua relatio ex tempore. Auctoris autem conclusio in hac quæstione inter respondendum ad hoc argumentum, & in 7. Quolib. qõ. 1. est. Quòd de Deo nulla dicitur ex tempore relatio, hoc est de nouo. Probatur. Quia sicut actio est eadem, licet diuersimodè considerata, vt in aptitudine, vt in potentia, vt præsens, vt præterita, vt futura, ita relatio fundata super actionem sic, & sic considerata est eadem relatio, igitur &c. Et præsertim in hac parte habet, ꝙ sunt eadem relatio, differentes secundum aliam, & aliam denominationem, quæ est minor differentia, & huius denominatio alia est propter nouam passionem in creatura, ergo

eandem

eandem relationem dicit in Deo ipsum esse creatiuum. Sed æternaliter fuit creatiuus, ergo cum dicitur creans non est in eo relatio noua, sed noua appellatio relatiua.

Confirmatur per Augustinum 5. de Trinitate cap. vlt. vbi hanc potius appellat nouam appellationem, quàm relationem.

Contra autem hanc determinationem in primis est Scotus 1. sententiarum dist. 30. q. 1. Et quidem.

Primò arguit. Quòd si in Deo non est relatio noua, ergo nec erit in creatura, consequens falsum, ideò & antecedens. Consequentia patet, quia aptitudinali in Deo correspondebat aptitudinalis in creatura, & actuali actualis. si ergo aptitudinalis, & actualis in Deo sunt eadem, erunt eadem etiam in creatura. Falsitas consequentis patet, quoniam nulla essentia ediet noua, quod videtur absurdum.

Secundo. Intellig bilia distincta secundum rationem arguit intellectiones distinctas ratione in intelligente, sed creatum, & creabile sunt duo intelligibilia distincta à Deo intellecta, vt patet de Antichristo, qui aliter intelligitur, vt creabilis, aliter vt creatus. Igitur & intellectiones plures distinctæ. Ergo plures relationes distinctæ secundum rationem erunt in Deo respectu creabilis, & creati. Non ergo est eadem relatio in Deo ab æterno, & noua secundum rationem, &c.

Confirmatur, quoniam creabile non est nisi in potentia, & quidem est tale secundum quid, & verò creatum est, in actu est, & simpliciter. Sed hæc non possunt eadem prorsus intelligi intellectione, ergo distincta, ergo &c.

Tertiò arguit contra id, quod Auctor dicit, hanc potius dici debere ex Augustino nouam appellationem, quam relationem, sic. In quocunq; eadem forma habet idem esse, videtur eodem modo posse appellari ab illa. Quia. n. forma talis est, & in tali, ideò tale appellatur ab ipsa, & non è conuerso. ergo si relatio erit eadem, & vniformiter ad creaturam ex parte Dei, non videtur quare non posset Deus semper vniformiter ab ea appellari. Quod. n. forma sit in aliquo, & tamen quod non possit ab ea denominari, vt dicatur habens formam, contradictio est, quia non differunt concretum & abstractum formæ, nisi in sola denominatione subiecti, ergo & creatio actio sit in Deo, & tamen quòd non possit ab ea denominari. contradictio est.

Quartò etiam D. Thomas videtur contra huiusmodi determinationem in 3. sententiarum dist. 30. art. p. q. p. Sic arguens. Omnis respectus consequens actionem Dei transeuntem secundum modum significandi in creaturam requirit ipsam creaturam esse. Sed aliqui respectus Dei ad creaturam sunt huiusmodi, vt illi, qui significantur per hæc nomina, creator, gubernator, &c. Ergo tales respectus non possunt verè dici de Deo, nisi creatura sit, sed creatura est ex tempore. ergo &c.

Quintò contra suppositum huius conclusionis, nempè & in Deo est relatio rationis ad creaturam, arguit Aureolus loco citato. Quicquid refertur secundum rationem est eiusdem ordinis secundum rationem, cum eo, ad quod refertur; sicut quicquid refertur secundum rem est eiusdem ordinis secundum rem; sed Deus non est eiusdem ordinis secundum rationem cum creatura, cum semper sit super omnem creaturam, ergo non refertur ad creaturam secundum rationem.

Hæc sunt præsertim, quibus Auctoris nostri sententia in hac parte valdè exagitatur a Doctissimis viris, vt necesse sit illis obuiam ire, nonnullis prius, tametsi paucis, adnotatis.

Not. itaq; quid nam sit illud, qđ in Deo est creatiuum, creatum, & creãs, & sic communiter quid factiuum, facturũ & faciens. Profectò igitur nulli dubium est, quod est diuina voluntas tribus in Trinitate personis communis; Deus n. noster in cælo omnia quæcunq; voluit fecit. Nunc autem sicut diuina voluntas est factiua, factura, & faciens, ita & nostra voluntas huiusmodi est. Cæterum de nostra voluntate loquendo, aut est eadem factiua, factura, atq; faciens, aut diuersa. si eadem prorsus; quid repugnat, & non sit eadem etiam diuina voluntas factiua, factura, & faciens? Certè quæcunque nobis perfectionis conueniunt, & Deo ipsi conueniunt, sed excellentiori modo. Ac esto quod voluntas nostra diuersa sit, profecto vel est diuersa realiter, vel ratione. Non profecto realiter, quia voluntas vnica est, & non plures in quolibet realiter. hoc. n. esset dicere, & esse plures formas in eodem eiusdem speciei, quare erit diuersa ratione; sed hoc esse non potest sine sui mutatione, quoniam si de factiua fit faciens, necesse est vt mutetur. In Deo autem nulla mutatio est, sed eadem voluntas semper manet eadem ab æterno. Quòd cùm maneat eadem, profecto nihil noui ei accidit. Quod rectè intelligendum est. Certum est. n. & Deo nihil accidens est. Et tamen contra determinata realiter dicitur creator, & dominus ex tempore. Hanc autem appellat ex Augustino nouam denominationem. cum contra velit Scotus, & D. Thomas appellari nouam relationem. Sed oportet negotium intelligere. Verum illud est, & Deus sua voluntate est conditor omnium, & & voluntas eius æterna est, & immutabilis. Sed distinguere oportet de relatione, qua Deus refertur ad creaturam, & duplex est. Altera, qua Deus refertur ad creaturam, quia creatura refertur ad ipsum. Altera, qua Deus refertur ad creaturam, non quia creatura refertur ad ipsum. Dum accipimus hoc secundum, tunc relatio re vera est potius in conditore Deo, immò principaliter in Deo, quam in creatura, & dicitur vera relatio in Deo, & quidem æterna. Cui si comparatur altera relatio, potius existens, & prius in creatura, respectu Dei non dicitur vera relatio, Vbi hoc considerandum, quod dum dicitur, quòd est noua appellatio, non tollitur, & hæc noua appellatio vocetur relatio. Immò conceditur, & est relatio. Sed quæ relatio? Non relatio, qua creatura refertur ad Deum, quia Deus refertur ad ipsam. Sed è contra, Deus refertur ad ipsam, quia creatura refertur ad ipsum. Vnde hæc relatio non determinat vtrunque extremum, sed alterum, scilicet creaturam. Et ideò secundum suam determinationem appellatur relatio vera in creatura, in Deo verò non ita propriè dicitur relatio, sed potius, vt dictum est, noua appellatio. Contra verò altera relatio, qua creatura refertur ad Deum, quoniam Deus refertur ad ipsam, verè, ac propriè dicitur relatio in Deo. Et ex his possumus facilè soluere quælibet argumenta.

Ad primum igitur dicimus, & in Deo esse relationem nouam capitur dupliciter; primò quatenus determinat vtrunq; extremum, secundò quatenus alterum tantùm. Concedimus in Deo esse relationem nouam determinantem alterum extremorum, non autem vtrunque, & de determinante alterum distinguimus, & vel intelligitur determinare ipsum Deum ità, vt adeò creatura referatur ad ipsum, quia Deus refertur ad ipsam. Vel determinat ipsam creaturam ita, & ideò Deus refertur ad ipsam, quia ipsa refertur ad Deum. Et tunc concesso hoc vltimo, primum negamus Quippè relatio determinans ita Deum, æterna est, & sine mutatione. De secunda verò relatione loquentes, concedimus libenter, & sit noua relatio, & ex tempore, & dici in Deo, relatio noua, sed non propriè, quia propriè magis dicenda est noua appellatio.

Ad secundum. Diligenter attendendum, & dum diuinus intellectus intelligit creabile, & creatum, falsum est, quòd sit diuersa ratio intelligendi, quia Deus vocat ea, quæ non sunt tanquàm ea, quæ sunt. Vnde relatio intelligentis ad intelligibilia, hæc intelligentis inquam, Dei, vel intelligitur, vt prius determinare intelligentem, quatenus intelligibilia referuntur ad intelligentem, quia intelligens refertur ad ipsa, & tunc dicimus, & est vnica prorsus relatio, nullo pacto differens. Vel intelligitur determinare ita intelligibilia, quòd ideò intelligens ad ipsa refertur, quoniam intelligibilia referuntur ad intelligentem Deum, & tunc concedimus libenter relationem nouam esse, & differentem ab illa æterna, quæ tamen magis propriè in Deo dicitur noua appellatio, quàm noua relatio, quia propriè hæc sit creatura. Et idipsum dicimus ad confirmationem. Quippè concedimus, quòd tale in potentia sit tale secundum quid, & ideò relatio determinans id, quod est in potentia, & id, quod actu, quatenus obiecta scibilia sunt rescibilia, vt dictum est, relatio dicitur noua realiter in ipsis, secundum rationem in Deo, sed non propriè. Vnde notanter Auctor non negat absolutè dici relationem, immò dicit, eam secundum consuetudinem vocari relationem, sed magis propriè dici nouam appellationem.

Ad tertium propterea concedimus, quòd possit Deus appellari ita, quòd hæc dicatur noua relatio in Deo. Immò dicit Auctor consuetum esse appellari relationes ex tempore, sed dicit, quòd non sunt propriè relationes, sed denominationes æternarum rela-

rum relationum. Quod autem vniformiter debeat dici relatio, ſicut æterna, hoc falſum eſt. Et ad hoc aduertere debet Scotus, quòd hæc relatio quam Auctor vult appellationem nouam potius appellari non eſt in Deo tanquam forma quædam, vel ad ſimilitudinem formæ, ſicuti æterna relatio, quoniam quod eſt in aliquo, ſicut forma, determinat illud, & quidem relatio dum eſt, vt forma in aliquo determinat illud, quod refertur ratione ſui ad illud, cui refertur. Atqui relatio ex tempore non determinat ita Deum, vt ratione ſui referatur ad creaturam, ſed vt dictum eſt determinat creaturã.

Vnde potius eſt in creatura tanquam forma, quam in ipſo Deo.

Ad quartum ex ſupradictis patet reſponſio. Nam concedimus, quòd relatio ex tempore ſit in Deo, ſed non tanquàm determinans ipſum Deum, ſed creaturam. Et certè hanc credimus eſſe intentionem etiam D. Thomæ. Vnde cum loquitur Sanctiſſimus vir de relatione ex tempore, non dicit eam eſſe in Deo, ſed dici de Deo. Immò & mirum, quod & Scotus ſub hoc titulo loco citato, quærit vtrum aliqua relatio dicatur de Deo ex tempore. Aliud autem eſt dici de Deo, aliud eſſe in Deo. Porrò dici de Deo relationem ex tempore non negat Auctor, ſed potius, quòd dici debeant relationes, ſi in Deo dicantur eſſe, Vel igitur nulla eſt lis, vel in verbis tantum.

Ad quintum, negatur propoſitio minor, quam etiam negaret Auctor, qui plures ordines manifeſtat inter Deum, & creaturam, inter quos ſaltem ille eſt, quòd ſe habent ſicut prius atque poſterius, primumq; atq; ſecundum, vt viſum eſt. ſe habet quoq; veluti menſura ad menſuratum, quod etiam dicit Ariſtoteles in metaph. Dicere autem, quòd Deus eſt ſemper ſuper omnem creaturam, eſt oſtendere in Deo non eſſe relationem realem, qua referatur ad creaturas. Quippè cum ſit ita ſupra omnem creaturam, nullam habet communicationem in natura ipſius creaturæ, quæ communicatio neceſſaria eſt ad faciendam relationem realem. Vnde creatura, quoniam particeps eſt diuini eſſe, ideò realiter refertur ad Deum. Contrà verò Deus, quoniam nihil eſt particeps creaturæ non refertur realiter. &c. Et ideò tametſi ſine opere noſtri intellectus Deus dicatur dominus, creator, &c. tamen non refertur realiter ad ſeruum, & creaturam, quia non communicat illis cum natura. Refertur verò pater realiter ad filium in diuinis, quia communicant in natura. &c. præter alia neceſſaria ad relationem reale m.

Ex his igitur patet quod dictum eſt ab Auctore verum eſſe, & ſimul iam ex his tùm tertia, cùm etiam quarta concluſio manifeſtæ ſunt. Nam quo ad tertiam patet, quoniam relatio noua in creatura, quæ realis eſt, cauſa eſt relationis rationis in Deo, ſi tamen dicenda eſt relatio, quæ viſa eſt non propriè dici relatio. Sed de nominibus non curandum. Cum autem cauſa ſit, ideò Deus dicitur referri, quia creatura refertur, ſcilicet ideò Deus hanc nouam habet appellationem, quia nouiter creatura refertur ad ipſum.

Quantum autem ad quartam etiam patet, quoniam è contrario, relatio rationis Dei, qua ab æterno refertur ad creaturam, eſt cauſa relationis realis ipſius creaturæ, quia quod eſt cauſa rei, eſt etiam cauſa accidentium eius. Et ideò creatura refertur ad ipſum, quia Deus refertur ad illam. Et ſecundum hæc non eſſet difficile refellere omnes rationes, quas ad ſuam concluſionem adducit Scotus. Sed quoniam etiam concluſio ipſa reſpondet pro noſtro Auctore, ad alia tranſire deſideramus. Air. n. Scotus ibi Reſpondeo ad quæſtionem. Quòd relationes creaturarum ad Deum ſunt nouæ. Quam concluſionem gratis concederet Auctor. Sed vtique relationes creaturarum ſunt illæ, quibus creaturæ referuntur ad Deum. Auctor autem loquitur de relatione, qua Deus refertur ad creaturam, quam vtique relationem dicit antiquam eſſe. Sed diligens lector diligenter aduertat, & inueniet litem non eſſe niſi in verbis.

Quo igitur ad quintam concluſionem, cum duas partes habeat; ſciendum eſt, q circa primam partem, quædam dicit Auctor præſertim in ſumma, quæ ſufferre non põt Scotus, quæ tñ dimittimus ne limites noſtros tranſeamus. Quo verò ad ſecundam partem, quædam in præſenti quæſtione dicit Auctor, circa quæ exagitatur a Scoto.

Not. tamen q concluſio quo ad vtranq; partem vera eſt, & communiter a Theologis tenetur, ſed his eſt circa rationes, quæ aſſignantur. Eſt autem ratio Auctoris ad hanc concluſionis partem, ea, quæ adducitur à Scoto in 1. ſententiarum diſt. 30. q. 2. Nempè q realiter relatum eſt, eſt realiter ordinatum, ſicut albedo; quæ eſt ratio referendi realiter ad aliam albedinẽ, eſt realiter ordinata ad illam pro eo, quòd aliquam perfectionem habet iſta ab illa, inquantum in eis eſt natura perfectior ſimul, quàm in altera earum. Omne autem naturaliter ordinatum dependet ab illo, ad quod naturaliter ordinatur, pro quanto ſ. expectat illud, vt in ipſo fundetur relatio ad illud, & ſi dependet. Igitur eſt mutabile, quia dependentia non eſt ſine potentialitate ad actum, & ſi mutabile, igitur imperfectum, quia carens illa perfectione ad quam mutatur, & ſi imperfectum, igitur limitatum, ergo de primo ad vltimum ſi realiter relatum, ergo limitatum.

Hæc eſt Auctoris ratio breuiter à Scoto collecta, & quidem ſatis fideliter, quam vt intelligas, notato, quòd relatiua, quæ ad ſe inuicem realiter dicuntur, & referuntur, habent profectò mutuò talem ordinem, quod natura vnius dependet à natura alterius ſui correlatiui. Vnde eſto pater, qui refertur realiter ad filium, & filius ad patrem, profectò oportet quòd natura patris realiter dependeat à natura filij, & è contra, ſi de illis debet verificari relatiuorum diffinitio, quòd hoc ipſum, quod ſunt aliorum eſſe dicuntur. Et hoc quo ad naturam relatiuorum, & relatorum, vnde natura patris pendet à natura filij, & natura filij dependet à natura patris. ſi ergo realiter referatur Deus ad creaturam, profectò oportebit, quòd natura Dei dependeat à natura creaturæ. Cum autem dependens non poſſit ſuapte natura excedere illud à quo dependet, neceſſe eſt, vt ſi creatura ſit limitata, finita, atq; terminata, quòd pariter talis ſit Dei natura, & per conſequens non ſit, vt dicitur, illimitata, infinitaque, & omni prorſus perfectione gaudens. Quòd ſi hoc falſum eſt; profectò falſum quoq; eſt, q dependeat, & conſequenter, q realiter non referatur ad creaturam. Nec obſtat, q ſit relatio in diuinis, contra Simplicium, & alios, qui id negauerunt, vt patet in litera, quoniam dependentia patris in diuinis, vel filij, mutua, nullam dicit limitationem, quia vterque illimitatus eſt, & infinitus, ac infinitè perfectus.

Cæterum Scotus loco citato contra ea, quæ pro ratione dicit Auctor, & recitat ipſe Scotus arguit.

Primò quidem ſic. Si ponantur duo albiſſima illa erunt perfectè ſimilia. Quod declaratur. Quia modo perfecta ſimilitudo, & æqualitas eſt in perſonis diuinis. non. n. tollitur perfectio ſimilitudinis propter infinitatem fundamenti, ſed magis ponitur, & ſi per impoſſibile eſſent ibi duo fundamenta, eſſet ſimilitudo realis, quia modo non ponitur eſſe rationis, niſi propter intellectum comparantem illam magnitudinem vnam. Igitur ibi eſſet perfectiſſima ſimilitudo, & tamen neutrum ordinaretur ad alterum, vt a quo haberet perfectionem.

Secundò arguit. Agens creatum naturale non agit inquantum eſt imperfectum, quia agere, ſibi cõpetit inquantũ eſt in actu, & agere ſummè cõpetit Deo, & tñ agens tale, inquantũ ſic agens, ponitur habere relationẽ realẽ ad creaturã, ergo non eſt neceſſe realiter oẽ relatũ, inquantũ tale dependere ad aliud. licet. n. agens creatũ ad aliquid dependeat, non tñ vt depẽdere ad aliquid, q cauſat, nec inquantũ potentiale, & mutabile, & imperfectũ cauſat illud, ſed inquantũ eſt in actu, tunc ſic agẽs agit inquantũ perfectũ, ſed inquantũ eſt agens referẽ realiter, ergo nõ oẽ relatũ inquantũ realiter relatũ eſt imperfectum.

Tertiò ſi, a, inquantũ referẽ ad, b, realiter dependet ad ipſum, pari rõne ſi relationis mutuæ ſint, b, depẽdet ab, a, inquantũ referẽ ad, a, & ita erit dependentia circularis, a, ad, b, & è cõuerſo, q vt impoſſibile, quia in nullo ordine eſſentiali eſt circulus.

Hæc Scotus ad hanc partem, quibus non difficile eſſe iudicamus reſpondere, prius quibuſdam ad memoriam quaſi reuocatis, & not. Not. itaq, rurſum quod habet Ariſtoteles in cap. relatiuorum. Habet quippè inter alia, quòd relatiua ſunt ſimul natura, & intellectu. Amplius, quòd ea ſunt, quibus hoc ipſum eſſe eſt ad aliud quodammodo ſe habere, & hæc eſt propria diffinitio relatiuorum. Iterum habet, quod ſi quis diffinitè nouerit vnum, diffinitè noſcet & reliquum. Quæ omnia profectò dependentiam vnius ad alterum manifeſtant, ita quòd nequaquàm eſt relatio ſine dependentia.

Neque

Neque enim pater refertur ad filium, nisi quia esse patris dependet ab esse filij, & è contra. Iam verò cum esse dicat semper perfectionem, videntur relatiua ab alio recipere perfectionem, vnde paternitas recipit esse à terminante illam, hoc est à filiatione. Nam paternitas est quidem in patre, tanquam in subiecto, sed in filio est tanquam in termino, & è conuerso. Et sic in omnibus, Termini autem est determinare, & quod terminat, rationem obtinet formæ, & hoc profectò perfectionem tribuit, & esse perfectum in suo genere. clarum est propterea, & relatiua se se mutuò perficiunt, quoniam sibi inuicem tribuunt esse, ex quo sequitur, vt mutuò alterum ab altero dependeat. Cæterum illud considerare oportet, quòd aliter procedendum est, in relationibus realibus, aliter in relationibus, secundum rationem. Vbi inter alia exigitur, quod extrema sint realiter distincta inter realia, quæ conditio non exigitur ad relationem secundum rationem, vbi realiter distincta expressè videntur terminare dependentiam mutuò. His sic breuiter decursis accedamus ad argumenta.


Ad primum dicentes, quòd non aduertit Scotus, quòd similitudo in duobus prædicamentis reperitur, nempè in qualitate, & in relatione. In qualitate quidem est peculiaris proprietas, sicut æqualitas in quantitate. In relatione verò, quatenus recepta in duobus fundamentis realiter distinctis mutuò se se referuntur. Vnde si sint duo albissima, vt ipse dicit. Profectò, vel considerantur esse similia similitudine existente in qualitate, vel similitudine existente in relatione. si primo, tunc nulla requiritur dependentia. si secundo; negatur, quod non requiratur dependentia, & quidem mutua, qua sint verè relatiua, quibus hoc ipsum, quod sunt aliorum esse dicuntur, & consequenter non sunt relatiua, quia non sunt relatiua, quibus non competit relatiuorum diffinitio. Quòd si conuenit illis similibus, profectò dependentiam includuut, quã si negat, profecto negare etiam habet quod sint relatiua. Nos autem loquimur de relatiuis. Quod si concedit relatiua esse, & dependentia, necesse habet etiam concedere, quòd mutuò se perficiunt, quia recipiunt esse, vt dictum est. Et cum dicit, illa supponuntur perfecte similia, dicimus quòd possunt supponi quantum ad prædicamentũ qualitatis spectat, quantum verò ad prædicamentum relationis, nequaquam nisi vt respectiua, & dependentia, & mutuò sibi dantia perfectionem, vt dictum est.

Ad secundum. Primò illud, quòd dicit Deum velut agens realiter referri ad creaturam, falsum est, quia quæ referuntur ad aliud realiter communicant in natura, hoc autem falsum est de Deo; sed etiam quomodocunque exponat potest secundò vniuersaliter responderi, quòd verum est agens naturale non agere tanquam imperfectum. Immò addimus nos ex Philosopho, quod in hoc cognoscitur agentis perfectio, cum agere potest, sed in agente duo est considerare scilicet esse absolutum, & se respectiuum, secundum esse absolutum est quidem perfectum, & sua perfectio non dependet ab alio: esse autem respectiuum non est perfectum nisi quatenus dependet ab alio. Vnde tunc agens exponitur, & nomine causæ referentis se ad effectum appellatur. Et tunc si causa debet referri ad effectum, oportet & effectus determinetur, & determinet causæ dependentiam, & è contra. Vnde Callias generat v. g. filium, & efficitur pater. Tunc Callias ideò genuit filium, quia potentiam habuit ad generandum. Illa autem potentia dicit perfectionem, sed hæc perfectio non dicitur propriè relatiui, sed absoluti, quoniam si relatiui vtique vel patris, vel causæ. Iam verò nec pater dicitur, nec causa, nisi subintellecta potentia huiusmodi, quę cum fluat à principijs naturæ absolutæ, non videtur habere dependentiã sed statim cum consideratur agens sub esse relatiuo, oportet & habeat correlatiuum ad quod referatur, vbi si ambo sint relatiua, oportet vt sint quibus hoc ipsum, quod sunt aliorum esse dicit, vt videlicet esse vnius dependeat ab esse alterius.

Ad tertium, conceditur totum. Et cum dicitur, quod est inconueniens, quia in essentialiter ordinatis non datur circulus, dicimus & verum est, quantum ad esse simpliciter, & absolutum: non autem quantum ad esse relatiuum. vnde cum dicitur, patrem esse causam filij, & filium patris causam; causalitas ista non dicit terminum essendi simpliciter, sed dependentiam terminorum. Quod vtique totum patet ex eo, quod dicitur tùm a Porphirio, cùm etiam ab Aristot. quòd in relatiuis necesse est vtrunque rationibus vti, nempè alterum per alterum mutuò diffinire. Vbi not. & non ponitur in diffinitione correlatiuũ tanquam pars essentialis eius, quod diffinitur, quoniam relatiuum, & correlatiuum sunt realiter, & essentialiter distincta, & oppositа; sed vtique ponitur in eius diffinitione tanquam terminus dependentiæ ipsius relatiui, nimirum talis dependentia non cognosceretur aliter perfectè. Aliud igitur est accipere a, & b, materialiter, aliud formaliter, aliud essentialiter, aliud relatiuè; sic itaque patet difficultatum omnium huiusmodi solutio, & quid iam pro quinque conclusionibus dicendum sit.

Quo ad sextam. Prima pars patet eadem ratione, qua & superius probatum est. Et quia omnis ordo Dei ad creaturas non est nisi rationis. Secunda pars etiam manifesta est, quoniam inter creaturas est huiusmodi ordo realis.

In responsione ad secundum, vt facilè percipias omnia, scito, quod concedit argumentum, sed negat quod solum Deus referatur ad creaturam sicuti mensura, quia refertur etiam alijs modis, vbi cognoscitur intentum; vt autem sententiam Doctoris facilè percipias accipito illam in tabella subscripta.



QVAESTIO SECVNDA.

Virum Deus potuisset plures creaturas secundum species produxisse si non esset in ipso pluralitas idearum.

Arg. prim. CIRCA secundum arguitur, ꝙ si in Deo non esset pluralitas idearum, sed vna tantum, aut nulla, ipse non potuisset plura produxisse, quia ipse aliter non cognosceret plura alia à se, quia rō producendi præsupponit rationem cognoscendi, & idem secundum idem, cuiusmodi esset Deus si nō esset i eo pluralitas idearum, non facit nisi idem, sicut non cognoscit nisi idem: consequens est falsum, ergo &c.

In oppos. primum. Contra. In libro de causis scribitur. Quāto aliquid est magis simplex & vnicum, tantò ad plura se extendit. ergo etsi in Deo esset tanta simplicitas, quòd in ipso nō esset omninò rationum idealiū pluralitas, ad plura posset se extendere in agendo, & cognoscendo. Item agens artificiale ex vno habitu simplici plura producit: ergo multò fortius Deus ex vna ratione, quæ est in ipso.

Secūdum. *Resolut. q.* Hic oportet videre quomodo Deus non intelligit perfectè aliud à se nisi per rationes ideales, & quomodo propterea oportet in Deo plures ponere ideas, & per quem modum. Est igitur primo sciendum, quòd nihil intelligit aliquid nisi id, qđ est per se obiectum virtutis, qua cognoscit, vel id cuius illud per se obiectum est ratio cognoscendi, quia virtus, qua intellectus intelligit, quæ est intellectus eius, passiua est, quæ non mouetur ad actū intelligendi, nisi à per se obiecto. Obiectum autē intellectus communiter sumendo rationem obiecti, potest esse dupliciter. Vno modo potentiam intellectiuam informando actu intelligendi sua actione.

Alio modo ipsum actum intelligendi terminando sua cognitione. Primo modo nihil est obiectum per se diuini intellectus nisi ipsa diuina essentia, vt est intelligibile quoddam habens rationem veri, quoniam vt dicit Philosophus in 12. Metaphys. secundum expositionem Commentar. intellectum est perfectio intelligentis, scilicet inquantum mouet ipsum ad suam perfectionē, quæ est intelligere. Et sic si aliud à sua essentia esset per se obiectum informans diuinum intellectum actu intelligendi, tunc substantia sua non esset nobilissima omnium, quia nobilitas non est ei, nisi quia perficitur per aliud, quod aliud necesse est, vt sit nobilius eo. Secundo modo contingit aliquid esse obiectum intellectus dupliciter. Vno modo primarium. Alio modo secundarium. Obiectum primarium non est nisi obiectum informans aliquid ad actum intelligendi, & non est nisi ipsa diuina essentia, quę p se intelligitur à Deo, & nihil aliud ab ipso, secundum determinationem Philosophi ibidem. Obiectum autem secundarium est aliud à se: si enim nullo modo aliud à se esset obiectum cognitum ab ipso, tunc esset insipientissimus, vt dicit Philosophus primo de anima contra Empedo. Sed aliud à se, vt obiectum secundarium suæ cognitionis potest cognoscere dupliciter. Vno modo cognoscendo de creatura id, quod ipsa est in Deo. Alio modo cognoscendo de ipsa id, quod ipsa habet esse in seipsa aliud à Deo, quamuis nō habeat esse extra eius notitiam. Primo modo cognoscitur Hercules cognoscēdo Herculis imaginem, secundum qđ est res quędam, non secūdum quod est imago. Hoc modo Deus cognoscit alia à se, vt sunt in sua essentia idem quod ipsa, & sic non vt alia, quoniam vt sic sunt in eo, sunt vnam simplex cum eo omnibus modis. Secundo autem modo cognoscit alia à se verè, sine quo non esset in eo perfecta notitia, quemadmodum nunq̄ cognosceret aliquis perfectè Herculem in imagine sua nisi cognosceret imaginem sub ratione, qua est imago. Sic aūt sua essētia, qua cognoscit se cognoscit alia à se, non dico sua essentia, vt est simplex essentia, secundū quam rationem sua essentia se solum cognoscit, & non alia, nisi vt sunt in ipso id quod ipse, sed vt ipsa essentia est ratio, & habet rationē respectus, quo respicit alia à se, non vt quæ sunt per existentiam aliquid extra in seipsis, sed vt quę sunt per essentiam aliquid in diuina cognitione, videlicet in eo, ꝙ diuina essentia est ratio, & forma exēplaris illorum, & vt forma, & causa, & principium formale exemplatorum, vt supra tactum est. Et vt puto secundū rationem talis causalitatis Cōment. super 12. Metaph. intellexit Deū cognoscere alia à se cum dixit. Et veritas est, quòd secundum quod scit se tantum, scit entia in esse, quod est causa esse eorum. Et scientia æquiuocè dicitur de scientia sua, & nostra: sua enim scientia est causa entis: ens autem est causa scientiæ nostrę.

Illa aūt ratio in diuina essentia secundū quā sua essētia est ratio, qua cognoscit alia à se, nihil aliud est, q̄ imitabilitas, qua ab alijs imitetur, quam vocamus ideā, quæ est talis ratio, hinc respectus in diuina essentia non ex se, vt essentia est secundū se, & absolutè, nisi in virtute, & quasi in potentia, sed vt est iam cognita, & obiectū primū intellectus diuini secundū actum. Et per hoc secundum actum habet ratio illa esse in essentia ex cōsideratione intellectus circa eam in comprehendendo eam sub ratione imitabilis, vt secundum hoc idea nihil aliud sit de ratione sua formali, quàm respectus imitabilitatis ex consideratione intellectus in ipsa diuina essentia, & hoc nō vnicus tantum, quo imitabilis sit à creatura simpliciter, & in vniuersali: sic enim Deus non cognosceret alia à se, nisi cognitione vniuersali, & vt vnum, sicut respectus ille esset vnus, & sic sciret singula entia non nisi in potentia, sed est plurificatus secundum essentias

absolutas

absolutas rerum secundum specialissimas species, & hoc ab opere intellectus. Intellectus enim diuinus, quia perspicacitatis est infinitæ, totam virtutem suæ essentiæ intelligendo penetrat. quemadmodum (vt vtar exemplo Comment.) qui scit naturam caloris secundum ꝙ est calor simpliciter, non dicitur nescire, immò scire naturam caloris existentis in rebus calidis, & hoc per hunc modum. calor enim existens in rebus calidis est in illis participatus secũdum diuersos gradus caloris, qui omnes continentur virtute, & sub indistinctione in calore simpliciter. Qui autem sciret caloris naturam, secundum ꝙ est calor simpliciter, omnes gradus illos secundum quos sunt plura extra existentia attingeret in vno simplici cognito, in quo non habent esse, vt plura, & secundum gradus, sed vt vnum, secundum diuersas rationes virtute in illo existentes, & hoc attingendo per cognitionẽ secundum actum omnes illas rationes, nõ vt quędam obiecta cognita, sed vt rationes quasdam cognoscendi alia, vt obiecta secundariò cognita. illa, quę sunt extra secũdum gradus existentia; quorum sunt rationes. Consimiliter est in proposito, ꝙ Deus cognoscendo naturã entis in eo ꝙ est ens simpliciter, quod est ipse, cognoscit naturam entis in quolibet ente extra, quod est in illis participatum, licèt secundum aliam naturam in essentia, & inferiorem, quàm sit diuina essentia, & secundum diuersas naturas specificas, secundum quas sunt diuersi gradus in ipsis participantibus. In hoc enim non est simile exemplum de calore, quia omnis calor existens in rebus secundum diuersos gradus idem est in natura specifica cum calore simpliciter, & ibi inuicem. Cognoscit autem Deus in eo, ꝙ cognoscit ens simpliciter quod est ipse, naturam cuiusque entis secundum gradum suum extra existentis, quia ens existens extra secundum omnes gradus suos continetur virtute in ente simpliciter quod est ipse, non autem vt in aliquo vniuersali, sed vt in aliquo singulari, quod virtute est omnia vnice in vnico simplicissimo. Et quia in ente simpliciter, quod est ipse, cõtinentur virtute secundũ omnes gradus suos entia, quę sunt extra: ideò sciẽdo naturam entis secundum ꝙ ens simpliciter qđ est ipse, omnes gradus entis existentis extra per cognitionem attingit in vno simplici cognito, in quo non habent esse, vt plura & secundum gradus, sed vt vnum secundum diuersas rationes virtute in illo existentes. & hoc attingendo per cognitionem secundum actum omnes illas rationes, nõ vt obiecta cognita, sed vt rationes quasdam intelligendi ipsa obiecta, vt secundariò cognita, quę sunt extra secundum gradus existentia, quorũ sunt rationes. Et hoc maximè, quia huiusmodi rationes in Deo non sunt, nisi respectus quidam, quibus ipse, vt forma exemplaris relatiuè se habet ad essentias rerũ extra, sicut ad quædam exemplata relatiuè se habentia ad Deum, in eo ꝙ id quod sunt aliquid per essentiam exemplata quædam sunt. Cognoscens enim distinctè vnum rela iuorũ, necessariò simul cognoscit & aliud. Est tabs hæc Dei cognitio in cognoscendo se secundum rationem formæ exemplaris, à quo secundum rationem causæ formalis habent esse aliquid per essentiam ipsa exemplata in esse suo cognito. & hoc quemadmodum intellectus noster entia facta ab ipso constituit in esse cognito, quę sicut sunt diminuta entia respectu aliorum existentium, quorum intellectus noster non est causa, neque ꝙ habent esse simpliciter, quia ꝙ sic habent esse non habent nisi à Deo, neque ꝙ habent esse cognitum, quia ꝙ sunt in esse cognito intellectus nostri, huius ipsa potius sunt causa, q̃ ipse intellectus noster, quia non sunt in cognitione intellectus nostri, vt obiecta cognita, & operata ab intellectu, sed vt obiecta agentia intellectum, & facientia, vt intellectus noster sit intellectus secundum actum, per quod seipsa faciunt esse in esse cognito intellectus, quod non facerent, nisi ex se secundum actum essent entia vera: respectu quorum intellectus quodammodo est ens in potentia. Sic enim ista eadẽ entia respectu entis, quod Deus est, sunt diminuta entia, nõ tamen sic diminuta sicut sunt entia operata ab intellectu nostro, quia illa nullo modo nata sunt habere aliquod esse vere extra intellectum præter esse cognitum, quod habent in intellectu. Ista autem non sunt sic diminuta respectu entis, quod Deus est, & existentia in esse cognito, quin in illo esse sint aliquid ad se per essentiam, quod natum est Deo efficiente etiam existere extra diuinum intellectũ præter esse cognitum in esse existentię, quod est esse verum, & perfectũ. Vnde cum secundum Philosophum 6. Metaph. Ens diuiditur in ens diminutum, quod continet omne ens constitutum ab intellectu in esse cognitum, quod non habet aliud esse præter istud, nec potest habere, & in ens verum & perfectum, & illud subdiuidit in ens per accidens siue in accidẽte, & in ens per se siue essentialiter. Ens essentialiter intelligit quicquid ad se est aliquid natum existere in esse vero, & perfecto extra intellectum, licèt habeat prius esse in solo intellectu. Et ens istud subdiuidit in decem prædicamenta, quia ad rationem prædicamenti, & ꝙ aliquid dicatur esse res prædicamenti, nihil requiritur, nisi ꝙ sit aliquid per essentiam, non ab opere intellectus nostri. Est enim prædicamentum contentiuum talium rerum non secundum quod sunt in esse cognito, neq; secundum quod sunt in esse vero, sed secundũ quod sunt aliquid simpliciter, per indifferentiam se habens quantum ad illud quod est per essentiam, ad vtrumque illorum esse, dicente Simplicio exponẽdo intentionem libri prædicamentorum. Ipsa dictio substantiæ symbolum est existens substantiæ, quæ est in entibus suis, siue sit in hypostasi, siue penès intellectum existat. nihil enim hoc quantum ad prędicamentum differt. non enim secundum ꝙ in hypostasi, sunt res significatæ à p̃dicamento, sed sũ ꝙ concipiunt vel existẽtes, vel tanq̃ existentes.

His visis descendendo specialiter ad quæstionem dico, quòd si in Deo diuina essentia non haberet nisi rationem essentiæ, & absoluti absq; omni ratione respectus, & imitabilis ad extra, nihil Deus cognosceret nisi suam essentiam, & seipsum, & illa, quæ intra se sunt ipsa essentia, & nihil eorum, quæ sunt extra, nisi secundum quod sunt in ipsa, & id ipsum cum ipsa, quod non esset aliud q̃ cognoscere ipsam, vt ipsa est, & alia ab ipsa, vt alia sunt ignorare. Vlterius si non esset in ipsa, nisi vna ratio imitabilitatis, & respectus ad creaturam simpliciter, non cognosceret per suam essentiam alia à se nisi in vniuersali, & scientia vniuersali, scilicet inquantum sunt simpliciter entia, & esset cognitio sua in cognoscendo alia à se imperfecta, & in potentia, vt enim dicit Comment. 12. Metaphys. super capitulum de scientia Dei, illud cuius scientia est vniuersalis scit particularia, quæ sunt in actu, & in potentia. Vlterius si non essent respectus imitabilitatis in ipsa, nisi secundum numerum generum, aut specierum subalternarum, adhuc nõ haberet scientiam nisi vniuersalem ipsarum specierum, quæ super formam communem generis addunt proprias formas differentiarum. Vnde quia indiuidua non addunt formam super formam speciei specialissimæ, sed solummodo determinationem eius secundum quod alibi declarauimus, ita q̃ òdd in cognitione rerum secundum suas formas specificas perfecta notitia eorum consistat, ad perfectam notitiam rerum oportet in Deo ponere tot respectus imitabilitatis, siue ideas, quot sunt species specialissimæ rerum illarum, quarũ sunt ideę, & per ideas illarum cognoscit ea, siue sint simplicia, siue composita, & in illis ipsa componentia, & iuxta illas ea, quæ eis accidunt, & nõ habent ideas proprias, vt sunt relationes reales, & ea quæ sunt rationis circa ipsa ab anima, & similiter ea, quæ sub eis sunt, vt singula indiuidua sub ipsis speciebus, secundum quod alibi declarauimus. Non.n. ponimus cum Comment. quòd quia particularia sunt infinita, ideò non determinantur à scientia Dei: licèt enim non ponamus, quòd scientia Dei sit vniuersalis, aut particularis, tamen suis ideis quę sunt rationes specierum vniuersalium specialissimarum æquè perfectè cognoscit & ipsas species, & singula indiuidua sub ipsis. Et sic dico, q̃ oportet ponere ideas esse in Deo, & hoc propter quatuor, vt perfectè explicemus necessitatem ponendi eas.

Primò enim oportet eas ponere ad cognoscendum alia à se perfectè secundum rationem, qua alia, & plures ideas in Deo secundum dictum modum, vt omnia alia à se perfectè cognoscat. Si quidem, vt dicit August. in quæst. de ideis, tanta in eis vis constituitur, vt nisi his intellectis sapiens esse non possit. s. cognitione illa, qua habet cognoscere alia à se. Et quia vt dictum est talis scientia de rebus ex parte Dei est causa exemplaris rerum, vt sint ad ę aliquid per essentiam: ideò secundò propter creaturas plures specie differentes, vt sint aliquid per essentiam, est necesse ponere ideas plures in Deo, quibus in notitia sua habet præsentialiter, vt in mundo archetypo singula præsentia ab æterno: & quæ nunquam futura erant in existentia: possibilia tamen fieri, & quæ erant futura, & hoc in esse suo quidditatiuo, quòd sunt per suã essentiam per diuinam scientiam constitutam.

Deus enim non perfectè se ab æterno cognosceret, nisi se cognosceret vt principium aliorum constitutiuum: sciendo enim se in sua cognitione, vt quædam cognita, ipsa scita alia à se habent esse id, quod sunt per suam essentiam, & aliquid ad se. Et hæc est perfectissima scientia, & modus perfectissimus sciendi alia à se: à scientia enim tali ipsa scita alia habent esse id, quod sunt.

Primò enim ab huiusmodi scientia habent esse id quod sunt per essentiam in cognitione interiori, vt à causa exemplari, & deinde per voluntatem, per efficientiam, vt à causa efficiente in existentia exteriori, secundum formam, & modũ quo habent esse in scientia interiori, secundum quod dixit Boetius tertio de consolatione. Tu cuncta superno Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipse Mundum mente gerens, similiq̃ imagine formans. Et Ben. Syluester. Sua prior rerũ natiuitas diuina celebratur in mente. Secunda est, quæ sequitur actione, & infra. Ad æternas inspiciens notiones germana proximante similitudine rerum species reformauit, & infra. In qua vitę viuentis imagines, notiones æternæ, mundus intelligibilis, rerum cognitio præfinita. Erat igitur videre velut in speculo certiori quicquid generationi, quicquid operi Dei secretior destinauit affectus, illic in genere, in specie, in indiuidua singularitate conscripta quicquid hylo, quicquid mundus, quicquid parturiunt elementa, illic exarata superni digito depictoris textus temporis, fatalis series, dispositio sæculorum, illic lachrymæ pauperum, fortunæq̃ regum, illic potentia militaris, illic Philosophorum fœlicior disciplina, illic quicquid Angelus, quicquid ratio comprehendit humana, illic qnicquid cœlum sua complectitur curuatura. Et Seneca, ad Lucilium Epistola 68. Plato exemplar ideam vocat: hoc est enim ad quod aspiciens artifex id, quod destinauit effecit. Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra se habet: numerosque vniuersorum, quæ agenda sunt, & modos mẽte cõplexus est, plenus his figuris quas Plato ideas appellat immortales, innumerabiles, infatigabiles. Itaque homines pereunt ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet. Quibus concordat August. 83. q. q. 46. sic inquiens. Ideas Primò Plato appellasse perhibetur, non tamen si hoc nomen antequam ipse institueret non erat, ideò vel ipsæ res non erant quas ideas vocat, vel à nullo erant intellectæ, sed alio atque alio nomine ab alijs, atque alijs nuncupatæ quæcunq; res sunt. Rem videamus, quæ maximè considerandæ, atque

noscenda

noſcenda eſt. Ideas igitur latinè poſſumus formas vel ſpecies dicere. Sunt nanque ideæ principales quædam formę, vel rationes rerum ſtabiles, atque immutabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt, atque p hoc æternæ, ac ſemper eodem modo ſe habentes, quæ diuina intelligentia continentur, & cum ipſę nec oriantur, nec intereant: ſecundum eas tamen formari dicitur omne, quod oriri, & interire poteſt, & infra. Quod ſi rectè dici, & credi poteſt, reſtat, vt omnia ratione ſunt condita, nec eadem ratione homo, qua equus: hoc enim abſurdum eſt æſtimare. Singula igitur proprijs ſunt condita rationibus. Et ne aliquis peruersè exponeret dicendo, quòd verum eſt ex parte conditi, vt alia ratione, quæ eſt in homine, conditus ſit homo, & alia quæ eſt in equo, conditus ſit equus, quia ſecũdum aliũ gradum naturę ſubſiſtunt iſtę, & illę; ideò continuò ſubdit; Has autem rõnes vbi arbitrandũ eſt eſſe, niſi in ipſa mente creatoris? Non enim extra ſe quicquam intuebatur, vt ſecundum id cõſtitueret, quod conſtituebat. Cui etiam concordat Plato, cuius ſententiam prædicti defendunt. Dicit enim in principio ſecundi Timæi. Mens cuius viſus contemplatioq́ue intellectus eſt, genera idearum contemplatur intelligibili mundo. Sed vtrum Plato cum ſequacibus ſuis ideas appellabat reſpectus quoſdam imitabilitatis in diuina eſſentia, vel ipſas rerum eſſentias in diuina cognitione exiſtentes, non ſatis clarum eſt ex dictis ſuis. Quia tamen ideam ignis ignem appellat, & ſic de cæteris, ſecundum quod dicit verſus finem Timęi, mouendo dubitationem de poſitione idearum ſic inquiens. Eſt ne aliquis ignis ſeorſum poſitus: iterum cęterę ſpecies, quas concipientes mente dicimus ſeparatas à cœtu corporearum ſpecierum fore archetypa exemplaria rei ſenſibilis, an hæc ſola ſunt, quæ videntur, quæq́ue corporis intentione ſentimus, nec præter hæc vlla ſunt vlpiam, ſed fruſtra præſumitur eſſe intelligibiles ſpecies, quarum ſunt imagines ſenſibiles, eaſq́ue nihil aliud eſſe q̃ verba? & reſpondet poſt aliqua interpoſita: Fatendum eſt eſſe huiuſmodi ſpeciem ſemotã à ſenſibilibus, & cætera: magis apparet, quòd poſuit ideas ipſas rerum eſſentias in diuina notitia, q̃ ipſas rationes in diuina eſſentia. Quod maximè patet ex hoc, quod dicit Auguſt. in dicta quæſtione. Ideas latinè poſſumus, vel formas, vel ſpecies dicere, vt verbum è verbo transferri videatur. Si autẽ rationes eas vocamus, ab interpretandi proprietate diſcedimus: rationes enim Græcè logoi appellantur non ideæ, & conſtat, quòd eſſentiæ rerum in diuina notitia propriè dicuntur formæ, aut ſpecies: non autem rationes, ſecundum etiam quod Auguſt. vt iam habitum eſt, eas vocat res dicens; Tamen quiſquis hoc vocabulo ratio vti voluerit, à re ipſa non abhorret; ſunt nanque ideæ &c. vt ſupra iam. Sunt enim eſſentiæ rerum, vt ſunt in diuina cognitione exemplaria ſuiipſius, vt habent fieri in exiſtẽtia quodammodo, quemadmodum diuina eſſentia ſecùndum rationes ideales eſt forma exemplaris, qua eſſentiæ creaturarum ſunt id qd ſunt vt quædam exemplata. Modus tamen theologorum magis cõſuetus eſt appellare ideas ipſas rationes imitabilitatis, ſecundũ quod expoſitũ eſt. Sed poſitionem idearum, ſecũdum quod eſſentię rerum appellatur ideæ, quo ad naturas eſſentiarũ ſecundũ quod eſſentiæ ſunt, optimè exponit Auicenn. in ſua Metaphyſ. ſecundum quod alibi tactauimus. Sed poſitionem idearum contra Platonem multum nititur improbare Ariſtot. quaſi poſuiſſet ipſas eſſe ſeparatas à rebus exiſtentibus & extra intellectum diuinum, & fortè etiam intẽdebat oſtendere, quòd nec ponendum eſſet eas ineſſe in diuino intellectu ſine notitia, quia eſſẽtias ſecundum ſpecificas non poſuit niſi quaſdam exiſtẽtias, & quædam neceſſe eſſe ex ſe, nec effectiuè, nec formaliter à Deo, vt iam dictum eſt. Sed q̃ Catholici in hoc nituntur eum ſequi negando ideas & rerum eſſentias in diuina notitia fuiſſe, vt quædam cognita ab æterno, hoc ſatis mirabile eſt illi, cui p tent prædicta, maximè cum hoc ſit vnum eorum in quibus Auguſt. docet dicta Platonis magis concordare cum ſacra doctrina, q̃ dicta Ariſtot.

Tertio verò neceſſe eſt ponere, ideas licèt non ſub ratione idearum, quia neceſſe eſt ponere in eis rerum perfectiones, quibus eſt rerum ſingularum propria menſura. Differunt enim ſola ratione, rei idea, & perfectio in Deo. Ad cuius intellectum ſciendum circa rationem menſuræ, in qua conſtitit tertia ſpecies relationis, quòd ſecundum Philoſophum in 10. & 5. Metaphyſ. Menſura eſt illud per quod cognoſcitur quantitas rei. Et eſt trãſumptum hoc nomen menſura ab vno numerali quod eſt menſura numerorũ ad quodlibet eorũ quæ dicuntur menſurare, ſicut eſt tranſumptum hoc nomen quantitas à quantitate numerali. Vnde quantitas hic numeranda appellatur gradus rei in dignitate naturæ, & eſſentiæ, & menſura appellatur in vnoquoque genere illud, quod eſt per ſe cognitum in quantitate naturæ, & eſſentiæ ſuæ, & ratio cognoſcendi quantitatem aliorum, quemadmodum in menſuris, quæ ſunt ab inſtitutione, vnciæ quantitas nota eſt ex ſe, & ideò eſt menſura omnium ponderum, & inter menſuras, quæ ſunt à natura rei vnitas, cuius quantitas notiſſima eſt in diſcretis menſura eſt otium numerorum. Vnde ſi aliquid ponatur mẽſura, quod habet aliud notius eo, quo habet menſurari, ſemper reducendum eſt ad aliquod primum, quod eſt ſimpliciſſimum, & notiſſimum in ſuo quanto, quod aliorum poni debet menſura, dicente Philoſopho 5. Metaphyſic. cap. de vno. Prima mẽſura eſt principium, & illud quod primò ſcimus apud nos eſt prima menſura in quolibet genere, vt dicit Comment. & oportet, vt omne menſurans primũ in omni genere ſit primum in eſſe, & cognitione, cum per illud cognoſcimus menſuratum, ita quòd licèt in ſingulis generibus ſint ſingulæ menſuræ tales: tamen in gene

Comment.

re entium vniuersaliter sit mensura aliorum vnũ ens primum, & prima substantia. Quam vt dicit Comment. intendebat Aristot. esse primum motorem, qui non solùm est principiũ sicut motor, sed sicut forma, & finis.

Et est aduertendum, quòd talis mẽsuræ triplex est genus, & secundum hoc triplex est ratio mensurandi tali mensura. Est enim quædam mensura, quæ à mensurato exceditur semper, & ideò non mensurat, nisi replicatione. Est verò alia, quę qñdoque excedit, quandoque exceditur, quandoque æquatur, & ideò quandoque mensuratur replicatione, quandoque explicatione, quandoque absolutè. Est verò tertia, quæ mensuratum semper excedit, & ideò mensurat sola explicatione. Verbi gratia. Primò enim modo mensurandi vnitas, quę primum est, & simplicissimum in numeris, & ex se nota in sua quantitate, non mensurat numeros, nisi sua replicatione. Vnitate enim tantus cognoscitur esse numerus, quotiens in eo cognoscitur replicari vnitas. quantitas enim binarij cognoscitur ex hoc, quòd in eo cognoscitur vnitas non nisi bis replicari, & quantitas ternarij, quòd non cognoscitur in eo, nisi ter replicari, & sic deinceps.

Secundo autem modo mensurandi motus diurnus cœli est primum, & simplicissimũ in motibus, quia vniformis est, & in termino quodam consistit sine additione, & diminutione ab eodem in idem, & ideo notissimus in sua quãtitate. Qui motus inquantum includit mensuram sibi intrinsecã, quæ est tempus, alios quos excedit mensurat explicatione alicuius partis, quam in se continet indistinctam à toto, & ita quodammodo virtute, & in potentia. Motus verò, qui ipsum excedunt mensurat seipso cum partis sui replicatione, vel replicatione sui ipsius super se semel, vel pluries. Motus verò æquales sibi mensurat seipso simpliciter absque replicatione, aut explicatione. Si enim videre voluerimus quantum viator itinerauerit, cognoscendo mensurã quantitatis motus eius (dico qua mensuratur secundum durationem, secũdum quã motus cęli diurnus est mensura aliorum motuum, aliam enim rationem mensuræ habet motus secũdum spatium, de qua nihil ad præsens) nos aspicimus ad motum cœli diurnum applicando illum per intellectum motui mensurando. Quemadmodum si quis velit mensurare pannum, applicat ei cubum, & si inuenitur mensura excedens, mensurat explicando, & determinando, atque signando aliquam partem in ea, quæ illi ęquatur, & secundũ illam cognoscitur quantum sit mensuratum, vt motus mensuratus si sit semidiurnus, vel quartam partem quantitatis diurni motus continens, & sic secundum cęteras proportiones in plus vel in minus continendo, q̃ semidiurnum. Si verò inueniatur, quòd mensura exceditur, tũc mensuratur replicando, vel seipsum, vel partem eius, & dicitur esse diurnus, & quartam partem quintam, vel sextam, vel aliquam huiusmodi continens, aut bidiurnus, aut tridiurnus, & sic de cæteris proportionibus. Si verò inuenitur, quòd mensura non exceditur, iudicatur motus ille diurnus simpliciter.

Tertio verò modo mensurandi Deus est mensura omnium entium, quia est primum, & simplicissimum, & inquãtum est ex se notissimum in natura sua. Sed quantitate naturæ suæ eo, quòd illimitata, & infinita est perfectione non priuatiuè, sed positiuè, secùndum quòd alibi declarauimus, est mensura excedens omnium aliorum entium, eo ꝙ omnia limitata sunt, & finita in quantitate, & gradu naturæ suæ. Ita ꝙ si Deo, vt mensura debeat cognosci quantitas, & gradus determinatus alicuius entis creaturæ, hoc non potest esse seipso simpliciter, sed solùmmodo explicatione alicuius quantitatis virtualiter contentæ in Deo, vt in mensura excedente, quæ propriè respondet quantitati rei mensurandæ, & sic ęqua est illi secundum quandã correspondentiam, etsi non simpliciter, quemadmodũ motus diurnus seipso, vel replicatione, aut explicatione adęquat cuilibet alteri motui. Quantitas autem illa virtualis in Deo explicanda, quæ ęqualis debet esse quantitati rei mensurandæ per quandam correspondentiam etsi non simpliciter, cum non habet esse in Deo secundum rem, siue signata, & distincta actu, quemadmodum in denario secundum rem sunt, & actu signata sex à quatuor & distincta abinuicẽ, vt si denarius esset propria mensura numeratorum, senarij explicatione mensuraret quędam, & alia explicatione quaternarij, siue nec signata nec distincta, quemadmodũ in motu diurno secundum rem sunt semidiurnum diurni, &c. huiusmodi, sed non signata, aut distincta abinuicem secundum actum, sed signantur per intellectum, cum alium motum mensurat alicuius partis sui replicatione, oportet igitur, ꝙ sit in Deo sola ratione, aut nullo modo ipso, vt mensura poterit cognosci rei mensurandæ quantitas.

Sola autem ratione non habet esse in eo, nisi ex sola consideratione intellectus. Quare cum singulis gradibus in essentijs creaturarum debeant respondere singulæ rationes prædictæ in Deo: oportet ad hoc ꝙ Deus sit omnium mensura, vt qua cognoscitur rei gradus, & quantitas in sua essentia, ꝙ sola intellectus consideratione habeant ibi esse rationes illæ diuersæ, & hoc tanquãm propriæ rationes singulorum, & mensuræ proprię, & propria principia cognoscendi quãtitates earum, vt Deus ipse simpliciter consideratus sit mensura omnium communis & excedens, rationes verò istæ singulæ sint mensuræ singulorum per quandam correspondentiam coęquatæ. Quæ quidem rationes eędem sunt cum rationibus idealibus: & differunt sola ratione, quia ideales dicuntur inquantum sũt rationes cognoscẽdi essentias rerum, vt sunt essentiæ simpliciter, secundum præexpositum modum.

Dicuntur verò rationes perfectionales inquantum sunt rationes cognoscendi præcisè quantitatem, & gradum in essentia, & natura cuiuslibet

entis

entis creati. Et habet Deus referri per huiusmodi rationes ad creaturas ratione essentiæ earum simpliciter inquantum sunt ideæ penès primum modum relationum, non quia creatura refertur ad ipsum, sed è conuerso magis secundum ꝙ prædictū est. Inquantum verò sunt rationes perfectionales habet referri ad easdem ratione quantitatis earū, penès tertium modum relationis, quia creaturæ referuntur ad ipsum, & non è conuerso, vt sit ordo iste, ꝙ cum scientia Dei secundū rationes ideales sit causa rerum cognitarum causando secundū rationem causæ formalis secundum prædicta id quod sunt ex se, necessariò ordine causalitatis & principij, & quasi quodam ordine naturę prius est ratio idealis in Deo, q̄ sit in creatura id quod est ad se per essentiam, & ideò Deus refertur ad creaturam secundū ideas, non quia creatura refertur ad ipsum, sed è conuerso magis. Ex eo aūt ꝙ creatura à Deo per rationes ideales habet id quod est à se per essentiam alienam, necessariò habet eam secundum determinatam quantitatem, & gradum naturæ, quem determinat in ea secundum rationē causæ formalis propria ratio idealis. Quæ quidem quantitas licèt in se sit determinata à causa sua quantus tamen sit gradus eius ex se non cognoscitur determinatè quousq; applicetur ei per intellectum sua mensura, quemadmodum motus, quo quis itinerauerit in die, licèt in se sit quantitatis determinatæ secundum durationem, cuius tamen gradus sit non determinatè cognoscitur, nisi per applicationem eius ad motum diurnum. Et ideò tertio essentia rei sua quantitate secundum rē refertur ad Deum, vt ad mensuram, qua cognoscatur. & hoc vt ipse Deus est essentia prima simpliciter simplicissima, & notissima ex se, sicut debet esse per se mensura. Et enim si determinatè ipsa diuina essentia, vt essentia est non cognoscitur gradus determinatus rei, sed solùm vt in ea consideratur ratio perfectionalis illi correspondens, non tamen dicitur per se mensura, nisi ipsa essentia, vt est essentia simpliciter, qa ipsa sola ex se nota est, non autem ratio perfectionalis, sicut nec ex se habet esse in ipsa essentia, sed solùm consideratione intellectus, quemadmodum etiam motus particularis non dicitur mensura, nisi motus diurnus simpliciter non ratione partis explicatæ, quia motus diurnus ex se notus est in sua quantitate, non autem pars eius, sicut nec ex se habet esse actu in illo, sed sola consideratione & significatione intellectus. vt sic Deus ratione essentiæ suę, vt est essentia non refertur vllo modo ad creaturam, nisi quia creatura refertur ad ipsum. Secundum primum enim modū relationis, quo Deus refertur ad creaturam, non quia creatura refertur ad ipsum, non refertur ad ipsam ratione suæ essentiæ simpliciter vt est essentia, sed solùm modo ratione ideæ, & ratione qua est idea. Secundum verò modum tertium relationis, quo Deus refertur ad ipsam creaturam, quia creatura refertur ad ipsum, ipsa creatura refertur ad ipsum ratione essentiæ Dei simpliciter, vt essentia est, etsi non determinet quantitatem creaturæ, nisi secundum rationem perfectionalem, & vt ratio perfectionalis est. Et sic quarto essentia Dei, vt essentia est, refert ad creaturam, quia creatura refertur ad ipsam, & similiter vt ratio perfectionalis est, sed essentia secundū ꝙ est essentia, vt est mensura vniuersalis & excedens, secundum verò ꝙ est perfectio siue ratio perfectionalis, vt est mensura propria, & æquata quodammodo. Et secundum hunc modum licèt relatio secundum rationem commensurationis non ponat ex se in mensura rationem causalitatis, nisi secundum genus causæ finalis, semper tamen præsupponit in eadem causalitatem secundum alterum genus causæ, qua secundum aliud genus relationis refertur ad idem prius. Vt enim dicit Comment. super præassumptum verbum de. 5. Metaphys. oportet vt omne mensurans primum sit in omni genere in quo inuenitur primum in esse, & cognitione. Ita ꝙ licèt secundum illud genus relationis quod est in ratione mensuræ secundum genus causæ finalis, non refertur ad aliud, nisi quia illud refertur ad ipsum, tamen secundum aliud genus relationis secundum aliud genus causæ benè refertur ad illud, non quia illud refertur ad ipsum. Verbi gratia, vnum quod est mensura numerorum, est primum in esse numerorum, ipsos constituendo secundum genus causæ materialis. Numeri enim non mensurātur primo & essentialiter nisi per primum, quod est eis indiuisibile, ex quo componuntur, vt dicit Comment. ibidem. Similiter scibile, quod est mensura scientiæ, est principium in esse eius ipsam ad generando in scite secundum genus causæ efficientis. vt secundum hoc id qđ est mensura refertur ad id qđ est mensuratū ſm̄ genus cāæ, qua est causa eius in esse, nō quia illud refertur ad ipsum, sed potius è cōuerso. Secundum verò genus causæ finalis, & mensuræ, qua solùm est causa eius in cognitione, nequaquā refertur ad illud, nisi quia illud refertur ad ipsum. Ita tamen quòd nihil refertur ad aliud secundum tertium modum, quia aliud refertur ad ipsum, qđ non prius refertur ad illud, non quia illud refertur ad ipsum secundum alium modum relationis. Et est semper relatio secundum rationem mensuræ, secundum rationem in mensura, & secundum rem in mensurato. Relatio verò secundum aliud genus causæ, & alium modum relationis præsupposita benè est secundum rem in vtroque extremorum.

Scibile enim in creaturis inquantum est causa efficiens scientiæ in scito secundum modum secundum relationis refertur ad scientiam, & est relatio realis in vtroque extremorum, sed in Deo siue in eius scientia inquantum est causa formalis exemplaris scibilis, est relatio secundum rationem,

nem, & in ſcibili ſecundum rem, vt patet ex dictis.

Quartò, & vltimò neceſſe eſt ponere in Deo ideas propter productionem rerum in exiſtentia actuali, quia non poſſet plura diuerſa & diſtincta producere, niſi ſic eà producenda cognoſceret, vt proceſſit primum argumentum. cognitio autem talis ſecundum prædicta non eſt niſi per ideas. Vnde Philoſophus quicunque non poſuit in Deo pluralitatem idearum, vt ſunt rationes imitabilitatis in eſſētia Dei, licèt poneret ideas, vt eſſentias rerum in ſua cognitione, ſicut poſuit Auicen. non potuit ponere plura produci à Deo ęque immediatè, quia productio iſta non eſſet niſi ſecundum ordinem, quem creaturę haberent ad Deum ſecūdum naturas ipſarum, non quem Deus haberet ad ipſas ſecundum determinationem ſuæ voluntatis, vt patet ex dictis Auicenn. alibi à nobis pertractatis.

Ad primū in oppoſit. Sic ergo breuiter dicēdum eſt ad quæſtionem, ꝙ ſi in Deo non eſſet idea, non poſſet aliquid extra ſe, vt aliud eſt ab ipſo cognoſcere, & per conſequens, nec aliquid omninò extra ſe in eſſe producere, & ſi in Deo non eſſent plures ideę, non poſſet ſcire plura extra ſe, nec per cōſequens producere. Vnde ponere ipſum Deum eſſe, & ideas non habere, eſt ponere nihil extra ſe cognoſcere, aut producere, & ita nec Deum eſſe.

Ad primum in oppoſitum, quantò aliquid eſt magis ſimplex, tantò ad plura ſe extendit, benè verum eſt, ſed non ſine rationibus reſpectuum, qui ſimplicitati eius non repugnant, ſed magis conueniunt. hoc enim ſecundum Auicen. eſt de natura ſimplicis, ꝙ quantò ſimplicius eſt, tantò plures negationes, & plures reſpectus habet. ſicut alibi expoſuimus. Vnde ponere ſimpliciſſimum, & ſine pluribus reſpectibus, eſt ponere antecedens, & negare conſequens. Eſt enim ponere naturam, & negare proprietates naturales conſequentes naturam.

Ad ſecundum. Ad ſecundum ꝙ agens artificiale eadem arte facit plures domos. ergo &c. Dicendum ꝙ plures domus aut ſunt quaſi ſpecie differentes ſicut circularis, quadrata, & huiuſmodi, aut ſunt quaſi ſolo numero differentes, vt omnes circulares, & rotundæ inter ſe. De domibus differentibus quaſi ſolo numero verum eſt, ꝙ eadem arte facit eas, & ſic Deus eadem idea cognoſcit, & facit plura indiuidua ſub eadem ſpecie, ſecundum ꝙ alibi expoſuimus. De pluribus differentibus quaſi ſpecie non eſt verum, ꝙ artifex eadem arte facit plures domus, niſi loquendo de arte communi exiſtente in habitu; Immò ad faciendum eas oportet, ꝙ de communi arte habituali educat per intellectum diuerſas artes ſpeciales, quæ ſunt diuerſæ domus in anima, de quibus diuerſæ domus ſecundum ſpeciem producuntur extra. Et per hunc modum Deus non niſi diuerſis ideis producit extra diuerſa ſecundum ſpeciem.

Comment. in Quæſtionem Secundam, quæ eſt,

Vtrum Deus potuiſſet plures creaturas ſecundum ſpecies produxiſſe ſi non eſſet in ipſo pluralitas idearum.

ITVLVS ex pluribus de ideis iam ſuperius dictis clarus eſſe videtur. Nam in Deo eſſe ideas dictum eſt, & ideas ſpecierum eſſe, atque principia, tùm eſſendi, cùm etiam cognoſcendi.

In corpore duo habemus. Primum eſt Quomodo Deus non intelligit perfectè aliud a ſe, niſi per rationes ideales. Secundum eſt, circa cauſas, ob quas ponendæ ſunt ideę in Deo. Hæc autem duo in vnum veniunt, quia primum enumeratur inter cauſas, vnde in Deo ſunt ideæ ponendæ. Igitur intentio Doctoris noſtri in hac quæſtione nulla alia eſt, niſi manifeſtare cauſas, ob quas ideæ ſunt in Deo ponendæ Igitur enumerans cauſas eas quatuor eſſe dicit.

Prima eſt, vt Deus intelligat alia à ſe perfectè.

Secunda eſt, vt creaturæ ſint plures in ſpecia, atque aliquid in eſſentia.

Tertia eſt. Quia neceſſe eſt ponere in Deo rerum perfectiones, quibus eſt rerum ſingularum propria menſura.

Quarta eſt, propter productiones ipſarum creaturarum in exiſtentia actuali. Vbi nota, quòd ſecundum has cauſas Deus refertur ad creaturam. In tribus quidem cauſis tanquam principium, in alia verò tanquam menſura. Quippè idea eſt principium intelligendi res, producendi que ùm in eſſe eſſentiæ, cum etiam in eſſe exiſtentiæ. Idea autem idem eſt, quod diuina eſſentia, & hæc idem, quod Deus. Quo fit vt Deus dicatur principium cognoſcendi, & eſſendi rerum omnium. Hoc autem pacto ita refertur ad creaturas, quòd vtique non refertur ex eo, quòd creatura refertur ad ipſum, ſed contrà creatura refertur ad ipſum, quia Deus refertur ad creaturam. Vt autem eſt menſura ipſa idea omnium rerum, etiam Deus dicitur huiuſmodi, *ſed vtique quatenus menſura eſt, ita refertur ad creaturam, quoniam creatura refertur ad ipſum.*

Quo igitur ad primam cauſam ſpectat, vt nota tibi ſit Doctoris ſententia, accipe hoc principium, quòd Deus excellentiſſimo modo intelligēs eſt, & quidem ſuo diuiniſſimo intellectu, non intelligit autem niſi quòd eſt obiectum eius. Sed notato figuram diſtinctionum obiecti, & concluſiones, vt tibi nota ſint omnia.

Obiectum

Obiectum intellectus diuini, aut est

Potentiam intellectiuam informans actu intelligendi sua actione.

Ipsum actum intelligendi terminans cognitione sua, & hoc obiectum, vel est

Primarium, quod est informans aliquid ad actum intelligendi.

Secundarium, quòd cum sit creatura de ipsa cognoscitur, vel

Id, quod ipsa est in Deo.

Id quod habet esse in se ipsa aliud à Deo, quamuis nõ habeat esse extra eius notitiam.

Prima concl. Nihil est obiectum diuini intellectus, nisi diuina essentia.

Secunda concl. Nihil est tale obiectum diuini intellectus, nisi diuina essentia.

Tertia concl. Deus cognoscit alia à se, vt sunt in seipso.

Quarta concl. Deus cognoscit alia à se secundum q̃ sunt alia ab ipso.

Quo ad primam harum conclusionum, probatur. Quoniam si aliud esset obiectum taliter diuini intellectus, tũc perficeretur ab intellig bili alio à se, quod est inconueniens, quia Deus est nobilissima omnium substantia ex Aristotele, & comment.

Not. omne agens dicere perfectionem, quia dum agit informat; forma autem semper dicit perfectionem. Vnde necessariò perficeretur Deus. si obiectum aliud à se sua actione informaret diuinum intellectum.

Quo ad secundam conclusionem. Videtur sic posse probari de mente Auctoris. Omne informans perficit, sed obiectum primarium terminans cognitione sua informat aliquid ad actum intelligendi, ergo &c. si igitur aliud à Deo est tale obiectum, profectò perficietur, vt prius ab alio à se diuinus intellectus, quod est inconueniens.

Quo verò ad tertiam conclusionem probatur primò vniuersaliter, qm̃ si non intelligeret alia à se, esset insipientissimus omnium ex Aristotele contrà Empedoclem. Particulariter autem potest probari, quia cognoscit se ipsum perfectissimè, ergo omnia, quæ sunt in seipso.

Not q̃ hucusque non videntur ideę necessariæ, nisi fortè quatenus dicuntur perfectiones, potissimum verò apparebunt necessariæ ob quartam conclusionem.


Quo ad quartam itaque conclusionem considera quõ sunt res ipsæ aliæ in Deo, sunt profectò inter se differentes, & plures essentialiter secundum speciem, & sic cognoscit eas. Considera insuper, q̃ & eas cognoscit cognoscendo essentiam suam, quia omni modo sunt in essentia diuina, & per essentiam suam diuinam cognoscit omnia Deus. Sed hic diligenter considerare oportet, quod essentia diuina dupliciter consideratur, primò quidem vt simplex prorsus essentia est, & absoluta, sine aliqua ratione respectiua. Secundò consideratur, vt cum ratione respectiua, & tunc accipitur essentia diuina vt imitabilis. Si capitur primo modo, tunc contemplando Deus essentiam suam cognoscit creaturas sm̃ tertiam conclusionem de qua satis dictum est. Si capitur secundo modo, tunc cognoscit Deus per essentiam suam creaturas sm̃ quartam conclusionem, videlicet vt sunt imitationes essentiæ diuinæ, & tunc probatur pluralitas idearum in diuina essentia. Plures sunt imitationes essentiæ diuinæ in specie, ergo sunt plures imitabilitates, sed imitabilitates non sunt nisi rationes, quibus diuina essentia est imitabilis, & hæ rationes sunt ideę igitur in Deo sunt plures ideæ. Antecedens notissimum est ad seipsum. Consequentia verò probatur. Quia esto, quod non sit nisi vna ratio imitabilitatis non cognosceret Deus res, nisi in vniuersali, non autem in specie, & si nec talem rationem imitabilitatis haberet nihil cognosceret Deus nisi seipsum, & essentiam suam. Ergo sequitur, vt sint plures rationes, & non genericæ, quia adhuc non cognosceret nisi in vniuersali, sed specificæ, & specialissimæ quidem. ergo &c. Quod autem rationes imitabiles sint ideę, notum est ex Augustino.

Not. q̃ Auctor vult ideò Deum cognoscere alia à se distinctè cognoscendo essentiam suam, vt imitabilem, attingendo videlicèt in essentia sua omnes illas rõnes imitabiles, non quidem tanq̃ obiecta cognita, sed tanq̃ rõnes cognoscendi obiecta secundaria, quæ sunt ipsæ creaturæ. Quam sanam legimus quoq; D. Thomæ esse. Verumtamen contra Scotus 1. sententiar. dist. 36. q. j. intendit manifestare, q̃ ideæ nihil aliud sint nisi creaturæ ipsæ relucentes obiectiuè in Deo, & arguit ita. Omne quod fit, fit ab vniuoco ex. 7. diuinorum 28. Sed ideatum fit ab idea, vt domos exterior, à domo interiori, ergo ideatum est vniuocum ideæ. Sed diuina essentia non est vniuoca creaturæ, ergo non est eius idea.

Ad hoc dicimus q̃ miramur in primis, q̃ assumit exemplum, quod contra se est. Non. n. verum est, q̃ domus exterior, & interior sint vniuoca, si uera est diffinitio vniuocorum, q̃ habent non solùm commune nomen, sed ẽt communem substantiam. Vbi est communitas substantiæ inter id, quod mere spirituale est, sicut domus interior, & materiale, vt exterior? Præterea. an dicet fortè tot genita ex putrescente materia agente sole, fieri ab vniuoco? certe plurium est agens sol, & plura ab ipso proueniunt, nec tamen est causa vniuoca. De Deo pariter est notissimũ. Meminerit ergo, q̃ illa Aristotelis propositio in agentibus naturalibus proximis, non aũt in remotis. libenter verò negamus, q̃ ideatum sit ab idea, tanq̃ à causa proxima, quippè sit tanq̃ à remota. Hinc est, q̃ in eo te xtu Aristoteles ideò potuit illud principium, quia intendit excludere formas separatas, nempè ideas, quia nouerit formam proximam rem constituentem vniuocam esse, non autem separatam, quoniam generatio naturalis quatenus naturalis etiam respectu agentis sumit terminum à forma singulari vniuoca cum forma agentis, si agens sit proximum. &c. Et hæc dicta sint de prima causa.

Quo ad secundam causam, non est, q̃ aliquid dicere debeamus, quando illam pluribus auctoritatibus probet satis ex se notis in litera. Vt Boetij, Bernardi, Senecæ, Augustini, atq; Platonis. Tu eas legito, &c.

Quo ad tertiam, notato, q̃ vnaquęq; creatura hẽt suã aliquã perfectionẽ, quã hẽt à Deo, & qua refertur ad Deũ perfectissimũ. Et tunc creatura refertur hac sua perfectione ad Deũ, vel vt ad causam finalẽ illius perfectionis, vel vt ad causam efficiẽtem eiusdẽ. Si hoc sm̃, tunc relatio est imitationis ad rem imitabilem, & ad Deũ creatura refertur, quia Deus refertur ad ipsam, non è contra. Si primum, tunc refertur ad Deũ, sicut mensuratũ ad mensurã, & profectò, non quia Deus refertur ad ipsam, sed è contra, ideò Deus refertur ad creaturã, quia creatura refertur ad ipsum. Vt aũt cognoscatur quõ Deus sit mẽsura oĩum creaturarũ, s. quõ pfectio diuinæ essentiæ sit mẽsura pfectionũ creaturæ, notat figura distinctionis de mẽsura sit.



Quo autem ad primam conclusionem, ipsa patet, quoniam Deus nunquam exceditur, nec æquatur creaturæ, nec quandoq; tantùm excedit.

Secunda conclusio patet, quoniam Deus sua perfectione semper excedit quancunque creaturam.

Not. autem, quòd non eadem ratione excedit suæ perfectionis hanc creaturæ huius perfectionem, vel illius, sed pluribus rationibus, sicut patet de pluribus imitabilitatibus. sunt. n. vnum, & idem rationes ideales rerum, & rationes profectionales rerum in Deo, sola ratione distinctæ. Sed inquantum sunt rationes ideales sunt in causa, ꝙ ideò creatura refertur ad Deum, quia Deus refertur ad ipsam. Contrà verò inquantum dicuntur rationes perfectionales sunt in causa, ꝙ ideò Deus refertur ad creaturam, quoniam creatura refertur ad ipsum. In prima. n. consideratione Deus est principium rerum. In secunda autem est mensura. Et ideò de tertia causa satis.

Quo ad quartam, eam probat Auctor priori argumento in fronte quæstionis adducto. legito ibi. cætera clara.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum circumscripta re sui fundamenti relatio possit signari per nomen primæ impositionis.

Arg. prin. SEQVVNTVR quæsita de creaturis secundum se. Et quærebatur vnum pertinens vniuersaliter ad omnes creaturas. Deinde plurima alia pertinentia ad diuersas creaturas particulariter. Illud vnum erat de prædicamento relationis communiter in creaturis. Vtrum circumscripta re sui fundamenti relatio possit signari per nomen primæ impositionis. Et arguitur ꝙ sic. quia est aliquid à natura rei, nomen autem secundæ impositionis est illius, qđ fit ab opere intellectus.

In oppos. Contra. relatio solùmmodo habet realitatem alterius, vt sui fundamenti. aliter enim poneret compositionẽ in diuinis personis, quæ constituuntur ex substantia cum relatiua proprietate. quod autem ex se nullam habet realitatem, nõ habet ex se nomen nisi secundæ impositionis. ergo &c.

Resolut. q. Hic implicantur difficultates circa prædicamentũ relationis, circa quas opottet videre, si relatio sit aliquid circumscripto fundamento, & quid sit. Quia enim esse debile habet, visum est aliquibus, ꝙ præter fundamentum non sit aliquid in rebus extra, sed solùm in anima & ab anima. quoniam vt eis videtur, tunc mortuo patre maneret relatio, quæ est filiatio in filio, cum ex morte patris nulla omninõ sit transmutatio circa filium, & ideò nihil secundum rem variatur in ipso. & sic de omnibus relationibus sequeretur, quòd manerent nõ mutato eo cuius sunt, quacunque mutatione existente in quocunque alio. Alijs vero videtur contrarium, videlicet ꝙ relatio sit aliquid secundum rem præter rem fundamenti, & præter modum, qui est ad aliud esse, qui quòquo modo etiam reperitur in diuinis. Quorum ratio est, ꝙ relatio est vnum decem prædicamentorum, prædicamentum autem quodlibet quantum ad id quod principaliter importat, non solùm dicit modum rei, sed etiam rem veram. aliter enim esse in, cum sit modus essendi circa id quod est in alio, vt accidẽs eius, eadem ratione constitueret vnum prædicamentum sicut & esse ad aliud circa id quod est ad aliud, cum non sit secundum positionem istam, nisi modus circa illud. Quod etiam arguunt ex eo quod Boetius dicit, ꝙ decem prædicamenta sunt decem genera prima rerum signatiua, & vt dicit Simplicius in expositione æquiuocorum, hic do primis dictionibus, quæ sunt primarum, & simplicium rerum significatiuę proponit dicere, sub quibus omnia alia habent reduci. Siquidem vniuscuiusque rei vnum proprium nomen sub vna categoria. rebus enim, vt dicit, & totidem generibus differunt. Relatio autem non est res, nisi accidentis. & sic præter modum existendi ad aliud est aliquid secundum rem in subiecto existens.

Vt ergo omnia ista occasione quæstionis propositæ perfectius prosequamur, sciendum est, ꝙ Simplicius in expositione cap. de relatione dicit, secundum ꝙ iam tactum est, ꝙ aliqui dubitant an relatio siue habitudo secundum se prẽter fundamentũ sit hypostasis & res aliqua præter rem fundamenti, vel nomen solùm prolatum simul cũ existentibus rebus, quæ sunt fundamẽta habitudinis, cum dr̃ hoc quãtum est duplũ, illud verò dimidiũ.

Et re

Et re vera dicere, ꝙ ſit nomen ſolùm, vanum eſt. ſic enim habitudo ſiue relatio nihil omninò neq; res, neque modus, neque in anima, neque extra eſſet in entibus, quod abſurdum eſt dicere. Secundum enim ꝙ dicit Simplicius in exponendo illud, Eorum, quæ ſecundum nullam complexionem dicuntur, & vox vana eſſet, & nomen inane, ſi nihil entium eſſet, quod ſignificatur, & concipitur cum dicitur duplum aut dimidium. Quod ſpecialiter ſuper prædicamentum relationis de quibuſdam relationibus declarat dicens ſic: Quòd quidem non omnem habitudinem interimendum, ponendo ſecundum ꝙ omninò ſit, palam ex eo, ꝙ oportet ſicut ſubſtantiam, & quantitatem, & aliorum generum vnumquodque, ita & habitudinem inter entia poni, cum multam opportunitatem ipſa exhibeat. neque enim genera, neque quę ſub ipſis ſunt communionem habebunt aliquam adinuicem, niſi aliquid ſit ratio habitudinis in entibus. Inconueniẽs autem & harmoniam interimere. Interimeretur autem & commenſurabile, & ęquale &c. Si igitur vt concludit hæc ſunt inconuenientia multum, eſt aliquid habitudo. & infra. Hæc enim communitas eſt per omnia penetrans, & per contraria, & per qualitercunque differentia, & per ea, quæ ſub ipſis ordinantur, ꝙ ſi non adeſſet diſtraherentur vtiq; omnia ab omnibus.

Suppoſito ergo, ꝙ relatio non ſit vox ſola, ſed aliquid in entibus ſignatum per vocem, cum dicitur duplum, dimidiũ, & huiuſmodi, aliqui vt ſtoici ponebant, ꝙ relatio præter ſuum fundamentum non eſt aliquid in entibus exiſtens à natura in rebus extra animam, ſed in anima tantùm, vt ꝙ ſimilitudo nihil aliud ſit, q̃ conceptus mentis ex collatione habita circa duas qualitates conformes puta circa duo alba. dicente Simplicio ſuper capitulum de relatione. Simile vel ęquale aiũt nihil eſſe prętter id, quod in vtroque quale vel quantum, quæ quidem præexiſtunt antè habitudinem. Quod ſtatim improbat dicens. Habitudo itaque erit quoddam indicium operantis, quæ à ſeipſis ſunt, & dicentis, ꝙ hoc & hoc eandem magnitudinẽ habent, & eandem proprietatem. Ad omnia autem talia (vt dicit) obuiare oportet, dicendo. ſ. prout continuo ſubdit: Quòd ſi quidem mentitur iudicium, & vanus eſt intellectus, qui ſcilicet iudicat ſe aliquid intelligere, quod eſt extra in re, nihil vtique erit habitudo. ſ. in re extra, ſed in anima ſolùmmodo. Si autem verum dicit, & aliquid. ſ. in re extra intelligimus ipſum ſimile & ęquale, & rationi credere oportet, & intelligentijs noſtris tanq̃ entia ſpondentibus. ſ. eſſe ipſa ad aliquid, poni oportet eorum, quæ ſunt habitudinẽ, & ipſum ad aliquid in propria hypoſtaſi. quale enim & quantum ſecundum ſe quidem ſunt, ſimilia autem & æqualia dicuntur, & participare his, quæ ſecundum hoc habitudinibus. Intelligit autem per propriam hypoſtaſim propriam realitatem in rebus extra animam, & quomodo hoc iam infra videbitur.

Simpliciter ergo concedendum eſt, ꝙ relatio ſiue habitudo præter ſuum fundamentum ſit aliquid in rebus extra animam, & non ſolùm nomen aut conceptus mentis, ſecundum iam dictum modum. Eſt igitur intelligendum, ꝙ quędam relationes non ſunt nomen ſolùm, ſed aliquid extra animam exiſtens, vt ſunt relationes reales. Aliæ autẽ ſunt nomen & conceptus mentis ſolùm circa id quod denominant, abſque eo ꝙ ille conceptus ſit ab eo ſolo, quod denominat, vt ſunt relationes ſecundum rationem, ſicut dextrum, aut ſiniſtrum in columna. Tertiæ verò ſunt nomen, & conceptus mentis antiquus, aut voluntas antiqua circa id qđ denominant, ſiue illud nomẽ fuerit nouum in denominando, ſiue antiquum. Nouum, ſicut relationes attributæ Deo de nouo, & ex tempore ſunt nomen ſolùm impoſitum antiquæ relationi ſecundũ rationem, vt dictum eſt ſupra. Non enim concipit intellectus aliquid noui circa Deum, quo dicitur Dominus, ſed ſolùm concipit illum antiquum reſpectũ, quo prius dicebatur dominatiuus, & quia de nouo creatura realiter facta eſt ſerua, idem reſpectus iam nominatur alio nomine, quo Deus dicitur dominans vel Dominus. Non ſic autem aliquid antiquum circa columnam dicitur dextrum, vel ſiniſtrũ, ſed ſolũmodo reſpectus formatus circa columnam, vt eſt intellecta in ordine ad ſiniſtrum, aut dextrum animalis, ſecundum expoſitũ modum, dicitur dexter aut ſiniſter, à quo ſic dicto denominatur columna dextra, aut ſiniſtra. Eſt igitur relatio realis, de qua eſt ſermo in quęſtione, aliquid prætter fundamentum ſuum extra animam, vt quemadmodum verum ſit dicere illud, quod dicit Auguſt. 7. de Trinit. Omnia eſſentia, quæ relatiuè dicitur, & eſt aliquid excepto relatiuo, &c. vt habitum eſt ſupra in principio reſponſionis ad primam quæſtionem, ſic verum eſt dicere, ꝙ omne relatiuum, quo aliquid relatiuè dicitur, etiam aliquid eſt excepto illo, & de illo aliquo intendit præſens inquiſitio quid ſit. Et quęro an ſit aliquid vnũ ſimpliciter, an aliqua plura, vt quemadmodum id quod relatiuè dicitur eſſe aliqua plura, puta quod dicitur ſimile ſecundum albedinem, eſt habens albedinem, ita quòd in ipſo ſint aliud, & aliud ipſa albedo, & ſubiectum in quo eſt, à quo habetur, ſic & ipſa relatio ſit aliqua plura, puta ſimilitudo, quorum vtrunque pertineat ad prædicamentum vnum relationis. Sed quòd ſint plura æqualiter rationem rei habentia hoc eſt impoſſibile, quia tunc non poſſent vnum prædicamentum conſtituere, quia vt iam dictum eſt. x. genera ſunt primarum rerum ſimplicium ſignificatiua. Neceſſariò ergo ſe habent ſicut res vera & modus eius. Quod multi concedunt ponentes rẽ illam eſſe verum accidens inhærens, quæ non transfertur manens ad diuina, ſed ſolũmodo modus ille. Sed tunc non verè trãſferretur prædicamentum relationis ad diuina manens in eis, ſecundum quod de hoc habitus eſt ſermo in quæſtionibus diſputatis ordinariè. *Reſponſio.*

Prædicamentum enim in quo aliud est res, aliud modus, verè consistit in re ipsa non in modo, vt patet de prædicamento substantiæ. Præterea cum modus ille relationis sit ad aliud esse, sicut modus substantiæ est per se esse, & accidentium realium est in alio esse, rei autem illi de prædicamento relationis secundum positionem, quæ est alia à modo isto, non conuenit modus iste, vt substantiæ, qđ habet esse ad aliud, quia illud quod ad aliud dicitur, non est nisi suppositum, vt album, vel quantũ ad aliquid huiusmodi, oportet igitur, ꝙ modus ille ei conueniat, vt fundamento, à quo radicaliter fluat, & oriatur, nisi sit aliquid secũdum rationem solùm, de quo videbitur infra. Hoc autem falsum est, cum modus ad aliquid in simili, & æquali fundetur in qualitate, & quantitate, aut eadem est illa res cum qualitate, & quantitate, & sic non est de prædicamento relationis, aut idem modus secundum numerum essendi ad aliud habebit plura fundamenta siue mediatè, siue immediatè, quod est impossibile, sicut impossibile est, ꝙ idem modus, qui est esse in alio secundum numerum, sit in pluribus accidẽtibus. immò sicut albedini seipsa præcisè conuenit modus essendi in alio, vt ei quod habet esse in alio, sic albẽdini seipsa conuenit modus essendi ad aliud, vt ei quo aliquid habet esse ad aliud sicut per fundamentum. Sic ergo ponere oportet, ꝙ omne relatiuum, quo aliquid dicitur relatiuè, excepto eo quod relatiuè dicitur, non est nisi aliquid vnum simpliciter. Ad percipiendum autem differentiam inter relationem huiusmodi, & suum fundamentum, & quomodo est aliquid vnũ & simplex extra animam præter suum fundamentum, & quomodo nõ, & quomodo modus & quomodo res, & quod horum vel quid horum verius: Sciendum est, ꝙ cum secundum Simplicium ex sola habitudine ad alterum oriatur: immò relatio est ipsa habitudo, qua vnum eorum mutuò est ad alterum, & quasi medium inter ipsa, dupliciter habet considerari ipsa relatio. Vno modo, vt est quasi medium, & interuallum habentium inter se habitudinem. Alio modo, vt est fundata in ipsis non separata ab eisdem. Primo modo relatio vna est duorum. Sic enim habitudo est vna inter duos fratres, & similiter inter patrem & filium, & inter quæcunque adinuicem se habentia. Secundo autem modo pluralificatur secundum pluritatem relatorum & ipsorum fundamentorum. sic enim in duobus fratribus duæ sunt fraternitates, & habitudo, quæ est vna inter patrem, & filium, in patre est paternitas, in filio vero est filiatio. Et secundum hoc sicut in alijs prædicamentis dicimus singulariter & pluraliter, vt substantiam, & substantias, & quantum, & quanta; ita & in ad aliquid, & ipsum ad aliquid, & ipsa ad aliquid & singulariter & pluraliter dicimus, non solùm pluraliter, vt quidam putauerunt, ficut dicit Simplicius. Et primo modo est purus modus, & ratio essendi ad aliud aliquorum, quę sunt ad aliud, & fundamentorum per quę sunt ad aliud, quemadmodum esse in, purus modus essendi est alicuius, quod est in alio. Et quantum est ex se ad aliud esse nullam recipit distinctionem, aut diuersitatem, siue fuerit in diuinis, siue in creaturis, siue in relationibus secundum rem, siue in relationibus secundum rationem, nec vllo modo penès ipsum sumit realiter genus, aut species in prædicamento relationis. Secundo autem modo contrahit realitatẽ à fundamentis characterizantibus ipsam habitudinem, penès quam in relatione realiter sumuntur genus, & species in relatione. Et primo modo est in solo intellectu non ab intellectu existens operatum in ipso, sed vt modus in cõmuni acceptus ad modos distinctos, & quasi abstractus ab illis, sicut vniuersale à particulari. Secundo autem modo per fundamenta habet esse in ipsis relatis participantibus habitudinẽ & sic extra intellectum, & diuersa secundum diuersitatem fundamentorum à quibus abstrahitur, vt est medium & interuallum. Hinc est ꝙ dicit Simplicius. Sicut qualitates secundum suam naturam, sine corporibus intellectæ incorporeæ sunt, ita & habitudines secundum suam naturam præter composita intellectæ incorporeę sunt. Nam habitudo est ratio secundum se, & hoc quo ad primum modum considerandi eam. proprietatem autem ratio ista habet substantialem propriæ differentiæ adiunctione ad alterum. & hoc quo ad secundum modum. Vt enim subdit continuè, differentiam sumendum non secundum ipsum ad aliquid, sed à quali & subiectis: si enim secundum se habet differentiam, assimilatur alijs generibus. s. absolutis. Est igitur secundum hæc dicta Simplicij in relatione duo considerare. Primò rationem illam, quæ est habitudo sola, & modus quidam, siue consideretur secundum se vt est medium, & interuallum voum, siue consideretur, vt est in participantibus ea, & pluralificatur secundum illa. Quæ ratio conuenit prædicamento ad aliquid ex ratione sui generis, immò est ratio & modus illius generis differens à modis & rationibus aliorum generum, quibus genera distinguuntur abinuicem, præter distinctionem, quam habent à rebus, secundũ quas sumuntur genera, & species in singulis prædicamentis. Secundo verò est in relatione considerare rationem differentiæ, quam ab illis contrahit, in quibus fundatur per quandam characterizationem ab eis, secundum quam realiter sumuntur in prædicamento relationis genera, & species distinctæ. Ex quibus duobus. s. ex modo & realitate, quam habet per characterizationem à fundamento integratur. Et in eisdem consistit hypostasis relationis. dicente Simplicio. Quod quidem in his, quæ ad aliquid cum proprio charactere habitudo consubsistit, ab omnibus concessum est. & infra. Non enim habent naturam subsistendi secũdum se. ad alterum enim habitudo. necesse ergo ipsam in eo, qui secundum differentiam characterę existere. Character autẽ iste alicubi quidem qua-

litas

litas est, alicubi autem quantitas, alicubi autē motus, alicubi autem tempus, alicubi autem locus. Itaque habitudo semper coexistis characteribus, & vnum simul vtrunque, & infra. Quodcunque.n. defecerit horum non saluatur tale prædicamentū: non.n. habitudo nuda secundum se est, neque differentia siue habitudine facit hoc prædicamentū, &c infra. Secundum ambo igitur habent hypostasim ad aliquid talem, qualem diximus ex differentia simul & habitudine consistentem, &c infra. Aliud enim ipsum æquale præter ipsum quantū, & aliud ipsum simile præter ipsum quale: habens etiam hypostasim non superuentitiā, quemadmodum scilicet habent alia sex prædicamenta, quæ dicuntur accidentia extrinsecus aduenientia, de quib. determinatur in libello, qui dicitur sex principiorum, sed principalem cum principalibus genetibus, secundum æquale quidem quantis: secundum simile verò determinatis qualibus nō ponēs assistentes habitudines, scilicet ab extrinseco aduenientes in illis sex, sed secundum principales naturas ipsorū entium, vel coexistentium cū ipsis. Quod tamen non sic debemus intelligere, ꝙ intelligamus, quòd res fundamenti secundum qđ huiusmodi cadat in significato relationis cum habitudine, vt posuerunt aliqui: sequitur enim eos, vt dicit Simplicius, inconueniens. s. composita facere genera ex prioribus, & secundis, vt ad aliquid ex quali, &c ad aliquid. Vt enim dicit super post-prædicamenta exponendo capitulū de oppositione, aliud est vnum vnunquodque, aliud participans ipsi, sicut æquale: ipsum quidem enim est de numero eorum, quæ sunt ad aliquid, quæ autē sub ipso, quanta sunt, in quibus est æquale.

Sed illud sic debemus intelligere, quòd habitudinem, quæ nuda est secundum se, & non nisi modus quidam, ipsum fundamētum inquantum fundatur in ipso characterizat: cōmunicans ei quodammodo per hoc realitatem suam, in eo videlicet ꝙ habitudinē, quæ circunscripta realitate fundamenti, vt in se, &c per se consideratur, purus modus essendi ad aliud est, in quo nulla cadit distinctio, aut differentia, aut determinatio, siue in diuina fundetur essentia, siue in creata, siue ex natura rei, siue ex opere intellectus, ipsum fundamētum inquantum super ipsum fundatur secundum conditionem suæ realitatis determinat, vt alia & alia sit habitudo secundum rem, secundum quod aliud & aliud est suum per se fundamentum, &c hoc quemadmodum curuitas, quæ de se dicit cōmunem, & indeterminatam rationem incuruationis cum habet esse in naso nasus dat ei propriam rationem curuitatis, qua dicitur simitas habens p hoc proprię differentiæ rationem à suo subiecto. Propter quod & in definitionibus propriarū passionum cadit id, quod est secundum se loco generis, & subiectum loco differentiæ, vt cū dī simitas est curuitas nasi, curuitas quia est qd indeterminatū est loco generis, & nasus ipsā determinās est loco differētiæ. Et ē oinò simile hincinde, nisi ꝙ curuitas sm se rem veram, & absolutam signat determinatam secundum rem generis determinati, quę sua est, & qua est aliquid in essentia: habitudo autem non nisi modum rei omninò determinatum, &c secundum rem generis, & secundum rem speciei, quia nullum ex se habet, aut importat, neque secundum genus generalissimum in relatione, neque secundum aliquam speciem contentā sub ipso, quia quòd realitatem habet prædicamentum relationis, & secundum genus, & secundum speciem, hoc non est ex aliqua propria realitate, quę ei debetur ex se, sicut contingit in prædicamentis absolutis, sed quam solùmmodo ex suo fundamēto contrahit, in quo prędicamētum relationis dissimilatur alijs prædicamentis. Quam quidem realitatem contractam à fundamento respectu habitudinis indeterminatæ, Simplicius appellat differentiam, quam si secundum se haberet, assimilaret alijs prædicamentis, vt iam dictum est secundum Simplicium. Propter quod sæpius alibi diximus, ꝙ relatio realitatem suam contrahit à suo fundamento, & ꝙ ex se nō est nisi habitudo nuda, quæ non est nisi modus quidā rem habendi ad aliud, & ita non res quantum est ex se, sed solùmmodo modus rei, nisi extendendo rem, vt etiam modus rei dicatur res, secundum quod alibi exposuimus. Propter quod etiam dicit Simplicius, ipsum ad aliquid aliquid esse, si secūdum solam habitudinem pensetur non concipientibus nobis res quarum est habitudo.

In qua quidē habitudine nuda conueniunt omnes modi relationū, tàm in genere generalissimo q̄ in speciebus specialissimis, & in indiuiduis sub ipsis, non quòd in ad aliquid cōmunitas generis generalissimi sumatur à nuda ratione habitudinis: distinctio autem specierum sub ipso per differentias à ratione characterum, quam secundū qđ dicit Simplicius, characterizant alicubi quidem qualitas, vt in eo, quod est albius, alicubi autem tempus, vt in eo, quod est senius: alicubi autē locus, vt in eo, quod est superius: habent.n. vt dicit relationes secundum res multas differentias, quæ nihil differunt secundum illud vnum habitudinis genus, sed quòd modus ille essendi ad aliud, qui importatur nomine habitudinis secundum se sit propria ratio generis relationis, secundum quam distinguitur genus relationis à genere substantiæ inquantum illius est modus proprius essendi p se: habet enim quodlibet genus prædicamenti proprium modum essendi, secundū quem distinguitur ab alio præter rem suam.

Realitas autem, quæ principaliter sub illo modo constituit prædicamentum, &c secundum genus generalissimō, & secundum omnes species cōtentas sub ipso, sicut est in prædicamentis absolutis substantia, quantitate, & qualitate ex se non ab alio, sic in prædicamēto relationis, & etiam in alijs sex extrinsecus aduenientibus ab alio, vt infra declā-

clarabitur, & in prædicamento relationis ſpecialiter à ſuis fundamentis, à quibus contrahit habitudo realitatem, quæ primo diſtinguit ſpecies ſpecialiſſimas in relationes non ſecundum differentias fundamentorum.

Sic enim plus differrent in prædicamento relationis ſimile, & æquale, quæ pertinent ad eundem modum relationis, cum tamē fundentur ſuper res diuerſorum prædicamentorum, quantitatis ſcilicet, & qualitatis, quàm ſimile & calefactiuū, quæ pertinent ad diuerſos modos relationis, cum tamen fundentur ſuper res eiuſdem prædicamenti: ſimile enim fundatur ſuper qualeſcunque res prædicamenti qualitatis generaliter: calefactiuum autem, & quæcunque pertinent ad ſecundum modum relationis, pertinent ad ſecundum, & tertiū genus qualitatis, quia fundantur ſuper naturalem potentiam & impotentiam, & paſſibilem qualitatem, ſiue in agendo, ſiue in patiendo. Sed differunt ſecundum ſpecies ſpecialiſſimas ſecundū diuerſos modos fundandi relationes ſuper ipſas res. Vnde quia ſimile ſecundum eundem modum fundatur ſuper vnum, & multum in qualitate, ſicut æquale, & inæquale ſuper vnū, & multum in quātitate: ideò magis vniuntur in genere ſubalterno, aut ſpecie ſimile, & æquale, quam ſimile, & calefactiuum.

Diſtinctis autem diuerſis ſpeciebus ſpecialiſſimis in genere relationis ſecundū diuerſos modos fundandi reſpectus ſuper ſua fundamenta ab illis abſtrahūtur genera vſque ad generaliſſimū inclusiuè, quod continet intentionem communiſſimā realem illius generis ſub ratione habitudinis ſimpliciter dictæ, ſine quibus duobus, vt iam dictū eſt ſecundum Simplicium, non conſiſtit prædicamentum relationis. Illa autem intentio realis communiſſima ſub ratione habitudinis ſimpliciter dictæ ſecundum differentias ſpecificantes illam realitatem communiſſimam vſque ad vltimas differētias non autem ipſam rationem habitudinis contracta deſcendit in diuerſas ſpecies ſpecialiſſimas cōſtitutas ex genere, & differentijs realibus, non propria realitate, ſicut contingit in prædicamentis abſolutis, ſed contracta ab alijs prædicamentis, vt dictū eſt. Hic dicit Simplicius. Oportet autem genus eſſe ipſorum ad aliquid ex quo diuiduntur diuerſitates, quæ ſecundum ſpecies conſiderantur. Sed ratio habitudinis eadem in omnib. intelligitur: multæ autem ſpecies ſecundum ſubſiſtentiam habitudinis, & in quibus habitudo cōſideratur, quę propriæ dicuntur ad aliquid ſecundum ipſam habitudinem: non autem ipſa habitudo ad aliquid dī, dicente Simplicio, Non eſt poſſibile de habitudine ipſa dicere ad aliud aliqualiter ſe habere, ſed aliud ad aliud aliqualiter ſe habere ſecundū hanc conſideratur, ſicut & ipſum habere prædicamentum dicitur non in habendo aliquid ipſum, ſed in habendo aliquid aliud. Secundum hoc ergo relatio eſt aliquid extra animam præter ſuum fundamentum, vt modus, & habitudo, ſed nihil reale quin habeat à fundamento. Quod tamen reale ſecundum quod infra exponetur non eſt diuerſa res à modo, ſed ſolummodo quędam ipſius modi characterizatio, vt dictum eſt. Vnde cum prædicamentum relationis transfertur ad diuina, tota habitudo, vt eſt habitudo nuda transfertur ratione habitudinis: non autem ratione characterizationis, ſed in diuinis habet aliam characterizationem, ſicut & aliud fundamentum. Sic igitur patet, ꝙ circunſcripta re fundamenti relatio, ſiue in Deo, ſiue in creaturis non eſt niſi modus quidam eſſendi ad aliud, ſicut eſſe in alio non eſt ſimpliciter aliquid niſi modus quidam eſſendi. Qui cum in relationibus realibus non eſt fundatus niſi in re, & hoc abſq; omni conſideratione intellectus, vt ſæpius diximus reſpectu talis in ordine ad ſuum fundamentum poteſt conſiderari dupliciter. Vno modo præcisè, vt fundatur in illa. Alio modo, vt fundatur in illa recipit ab ipſa characterizationem. Et ſecūdum hoc deſcendendo ad quæſtionem, à reſpectu nudo relationis poſſumus intelligere circunſcribi rem ſui fundamenti dupliciter. Vno modo circunſcribendo ipſam ſecūdum intellectum, ſiue per poſſibile, ſiue per impoſſibile, ſiue per incompoſſibile præcisè, vt fundatur in ipſa: non autem vt characterizatur ab ipſa. Alio modo circunſcribendo ipſam non ſolum, vt fundatur in ipſa, ſed etiam vt characterizatur ab ipſa. Si primo modo, ſic dico, ꝙ relatio eſt nomen primæ impoſitionis, ſicut & generaliſſima aliorum prædicamentorum abſolutorū. Prętęr hoc ꝙ nomina aliorum prædicamentorum abſolutorū imponunt rebus, quę ex ſe pertinēt ad propria prędicamenta, & non ipſi modo ſiue rationi, quę propria eſt ipſi prędicamento, quemadmodum generaliſſimum ſubſtantiæ imponitur rei quę ſubeſt modo, qui eſt eſſe per ſe, & non ipſi modo. Nomen verò relationis, vt eſt nomen prędicamenti imponitur ipſi modo, qui eſt ratio huius prędicamenti, non ſecundum ſe, ſed vt characterizatur à fundamento ſuo, & eſt nomen prædicamēti, & primæ impoſitionis non ratione ipſius modi ad aliud, ſed ratione ipſius characterizationis, in quo differt à prædicamentis abſolutis ſecundum Simplicium. Si ſecundo modo, ſic dico, ꝙ relatio eſt nomen ſecundæ impoſitionis, & non nomen prædicamenti, ſed præcisè modi ipſius prædicamenti. Nomen enim prædicamenti non eſt niſi vt modus iſte characterizatus eſt à re fundamenti. Et ſic formando quæſtionem de prædicamento relationis, ſecundum quod propoſita fuit, abſq; omni diſtinctione dicendum, quòd eſt nomen primę impoſitionis non ſecundæ. Relatio tamen, vt præcisè importat modum illius prædicamenti nō eſt niſi nomen ſecundæ impoſitionis.

Ad cuius ampliorem intellectum, vt cognoſcamus, quod nomen, & cuius debet dici primæ impoſitionis, & quod, & cuius debet dici ſecūdę impoſitionis.

Scien-

Sciendum, ꝙ quicquid cõcipitur ab intellectu, aut concipitur vt res præcisè, aut vt modus præcisè, aut vt modus characterizatus à re. Quod concipitur primo modo inquantum huiusmodi semp est nomen primæ impositionis, & hoc siue fuerit vera res naturæ: sic enim sunt nomina primæ impositionis nomina trium prædicamentorum absolutorum. ſ. ſubſtantia, qualitas, quantitas, siue fuerit ficta à ratione: sic enim nomina figmentorum sunt nomina primæ impositionis, vt chimæra, tragelaphus, siue fuerit abnegatio veræ rei: sic em̃ nomen primæ impositionis est hoc nomen nihil. Quod verò concipitur secundo modo inquantum huiusmodi semper est nomen secundæ impositionis, quemadmodum hoc nomen indiuiduum est nomen secundæ impositionis circa sortem, vel secundum quòd cursus dicitur esse nomen, & currere verbum, nomen & verbum sunt nomina secundæ impositionis, vel secundum quod dicendo homo currit, homo dicitur esse subiectum, & currit prædicatum, subiectum, & prędicatum sunt nomina secundæ impositionis. Quod verò concipitur tertio modo inquãtum huiusmodi semper est nomen primæ impositionis, & hoc propter characterizationem, non propter modum, sicut dictum est, & hoc siue fuerit modus ille characterizatus à re extra animã circa quã est, quemadmodum simile, & dissimile nomina sunt primæ impositionis, quæ characterizantur à qualitatibus, quæ sunt in illis circa quæ sunt, vel circa quam non est, quemadmodum calceatum esse, & vestitum esse, & vniuersaliter illa, quę sunt de prędicamento habere, sunt nomina primæ impositionis, quæ characterizantur non ab aliquo, quod est in habẽte circa quem sunt, sed solùmmodo ab eo, qd habet, vt infra dicetur, siue fuerit characterizatũ à re existente in anima, quẽadmodum dextrum, aut siniſtrũ circa colũnã sunt nomina primę impositionis, non characterizata ab aliquo, qđ est in colũna, sed ab eodẽ, à quo characterizant dextrum, & siniſtrum in animali inquantũ concipiuntur ab intellectu, & secundum illa intellectus formãt dextrum, & siniſtrum circa columnam. Et cum his modis iam dictis distinguuntur nomina primæ impositionis, & secundæ, illa sola, quæ signant præcisè modos rerum, vt per vocem exprimuntur, dicuntur esse nomina nominum. Cætera verò omnia dicuntur esse nomina rerũ, & hoc largo modo sumẽdo rem, & appellando rem omnẽ modum, qui est circa rem secundum se, siue vt in re extra existit, siue vt est in solo intellectu, vel ab ipsa re, vel ab ipso intellectu secundum iam tactũ modum. Similiter illa omnia nomina, quæ signant modos præcisè, quocunq; modo illos signent, illa sola dicũtur esse nomina secundarum intentionũ. Cætera verò omnia dicuntur esse nomina primarum intentionum.

Ad argu. princ.

Per hæc patent argumẽta ad vtranque partem propositæ quæstionis. Quod ergo arguitur primò, ꝙ relatio circunscripto fundamentò est aliquid ex natura rei; ergo est nomen primæ impositionis quia nomen secundæ impositionis non est nisi illius, quod fit ab opere intellectus. Dicendum secundum prædicta, ꝙ verum est si intelligatur circunscripta characterizatione: circunscripta dico non cointelligendo rem fundamenti, siue per possibile, siue per impossibile, siue p incompossibile. Quamuis enim ista circunscriptio non fit, si tamen possit fieri hoc non est nisi opere intellectus: tamẽ modus ille sic intellectus nõ habet esse aliquid ab intellectu nisi vt intelligitur in circunscriptione dicta, quemadmodum id, quod species est, vt homo licèt circunscribi non habet à Sorte, & Platone, nisi opere intellectus: non tamen est aliquid ab opere intellectus: immò intellectus inquantũ est secundum actum intelligens, est aliquid habẽs esse ab ipso, secundum ꝙ intelligibile secundum actum est causa intellectus secundum actum. De illo autem modo relationis vtrum illud quod est, sit aliquid intelligibile aliud à re fundamenti, sciẽdum, ꝙ sicut in sensibilibus est aliquod sensibile per se, & primo, vt sensibile proprium, quemadmodum lux aut color visui, calidum aut frigidum tactui, est aliud sensibile per se, sed non primò, quemadmodum sensibile cõe, puta figura, quæ simul sentit cũ sentitur sensibile proprium, nullo aũt modo circũscripto sẽsu sensibilis ꝓprij. aliter .n. esset p se, & primo sensibile, sic in intelligibilib. est aliquod intelligibile per se, & primò, vt quæcunque sunt aliquid absolutè, & aliquid intelligibile per se, sed non primò, vt modus rei quicũque. Et propter hoc non intelligitur, nisi simul cum intelligitur intelligibile absolutum, vt res sui fundamenti; aliter enim esset intelligibile per se, & primo modo: nullo autem modo circunscripta re sui fundamenti, vt secundum hoc non propriè dicatur intelligibile, sed cointelligibile.

Argumentum autem ad oppositum concedendum est. Difficultates autem tactę in principio solutionis ad quæstionem, contrariæ videntur iam determinatis, propter quod eis respondere oportet, & ipsas exponere. Qđ ergo primo opponebatur, ꝙ relatio non sit aliquid in rebus extra, sed tm̃ in anima, & ab anima, qa aliter maneret in extremo nõ transmutato ad transmutationem alterius extremi, quod non est verum; Dicẽdum, ꝙ verum esset si relatio secũdum quod relatio esset aliquid absolutum in subiecto: quod enim tale est nõ corrumpitur in subiecto per cuiuscunque corruptionem, aut trãsmutationem in alio, sed solùmmodo per propriam corruptionem sui in subiecto absq; omni trãsmutatione, & corruptione cuiuscunque alterius extra suum subiectum, nisi illud sit tale, ꝙ esse & generatio ipsius ab illo dependeat, quẽadmodum dependet esse luminis in medio à præsentia corporis luminosi. Nunc autem relatio etsi aliquid sit extra animam ex natura rei secundum qđ iam expositum est, & in re extra secundum quod

iam

iam exponetur infra; nihil tamen est absolutũ, sed respectiuum solùmmodo vt habitudo quædã, quæ licèt id, quod est secundum se sit vnum aliquid p̃ter extrema, & prẽter fundamenta in illis, vt interuallum inter illa, sicut inter participantia habitudine, est tamen in diuersis inquantum in illis characterizatur, & per hoc diuersificatur, vt patet ex iam dictis. Et sic non est in aliquo illorum, nisi in ordine ad alterum, vt idcirco licèt vna sit habitudo inter duos fratres: duo tamen sunt in ipsis fraternitates, sicut dicit Auic. & vna habitudo inter generantem, & generatum, quæ in generante est paternitas: in genito verò est filiatio. Propter quod transmutato eo secũdum relationem, & habitudinem vt est in eo, ad quod aliquid relatione sua dicitur relatiuè, & ipsum necessariò simul secundum relationem suam transmutatur, quia habitudo, quæ fundatur in ipso, non minus fundatur in illo alio, ita quòd ipsa habitudine deficiente, & corrupta in vno per corruptionem sui fundamenti in illo, ipsa necessariò simul deficit, & corrumpitur in alio absque corruptione sui fundamenti in illo, & hoc quia habitudo nõ est nisi in diuersis, & ad alterum, nec in vno nisi in ordine ad alterum, in quo habet esse similiter. Et est hęc transmutatio propria relationi, & subiecto secundum ipsam in creaturis, quæ nisi ei cõueniret, aut nata esset conuenire, nullo modo esset accidens in creaturis, sicut nec in diuinis, dicente August. 5. de Trinit. cap. 4. Accidens dici non solet, nisi quòd cum aliqua mutatione eius rei, cui accidit amitti potest, & hoc, vel cum mutatione secundum id, in quo fundatur accidens, vel cum mutatione secundum ipsum accidens solùmmodo, secundũ quod subdit continuò, quo ad vtrunque modum. Nam vt dicit si quædam dicuntur accidentia inseparabilia sicut plumæ corui niger color, amittit eum tamen: non quidem quandiu pluma est, sed quia non semper est pluma.

Sequitur. Quamuis & accidens, quod separabile dicitur mutatione amittatur, sicut est capillis hominum nigredo, q̃diu capilli sunt possunt albescere, & qualitas coloris verti, atque mutari. Et ad primum modũ mutationis transmutatio relationis pertinet, quando transmutatur in aliquo subiecto ad mutationem sui fundamenti in eodẽ. Ad modum verò mutationis secundum pertinet transmutatio relationis quando transmutatur in vno absque transmutatione secundum suum fundamentum ad transmutationem suã in alio transmutatione sui fundamenti: licèt sit in hoc magna diuersitas, quoniam secundum accidentia absoluta non fit mutatio penes secundum modũ nisi vno accidente corrupto simul generetur contrarium, aut medium, secundum relationem autem benè fit corruptio absque omni generatione contrarij, vt si duo alba sint similia, si alterum corrumpatur in nihilum, in manente corrũpitur similitudo absque omni generatione cuiuscunque.

Sed fortè ex hoc arguet aliquis, q̃ relatio sit res aliqua vera extra animam in subiecto existẽs præter rem sui fundamenti, quia non fit transmutatio in aliquo nisi secundum id, quod est res aliqua in ipso, quia & ipsa transmutatio non est nisi res aliqua. Illud ergo quod corrumpitur, & transmutat in aliquo absque omni transmutatione, & corruptione secundum aliquid aliud in illo existens necessariò est res aliqua in illo præter illud, & alia ab illo, quia si esset eadem cum illo secundũ vnũ & idem idipsum simul & semel esset transmutatũ, & non transmutatum, quia cùm secundum relationem sit mutatio eius in eo, in quo est fundamentum, absque omni mutatione eius secundum rem fundamenti, relatio ergo est aliqua res vera in subiecto existens præter rem sui fundamenti, & non purus modus, quia secundum illum non fit per se transmutatio.

Et est dicendum, quòd secundum Simplicium aliud est genus mutationis, quo respectus, siue relatio, vt habitudo mutatur in subiecto, vel vt verius loquar, fundamentum, aut ipsum subiectum secundum relationem, & aliud est genus transmutationis, quo res aliqua absoluta, vt res fundamẽti transmutatur in subiecto, aut subiectum secundum ipsum, secundũ quòd Boetius de Trini. c. 1. prius genus relationibus tribuit, & secundum remouet ab eisdem, dicens. Stet aliquis, ei igitur si accedam dexter, ille erit sinister ad me comparatus, non quòd ille ipse sinister fit, sed q̃ ego dexter accesserim. Rursum ego sinistet accedo, iterũ ille fit dexter, non quòd ille ita sit per se dexter, vt lut albus & longus, sed q̃ me accedente fit dexter, atque id quidem à me, & ex me: minimè verò ex sese. Vel loquendo de secundo genere transmutationis dicit Philosophus in prædicamentis, q̃ sola substantia per sui transmutationem est susceptiua contrariorum: oratio autem & opinio nequaquã, sed solum per mutationem alterius, scilicet rei, de qua est oratio, vel opinio. Quod tamen nõ fit absque transmutatione sua de secundo genere. Quamuis ergo, vt dicit Simplicius, ipsa ad aliquid nihil secundum se patiantur intelligi secundũ primum genus: fundamentis tamen, vel subiectis illorum trãsmutatis (intelligo, vel in vno extremo, vel in ambobus) & ipsa ad aliquid simul transmutantur, & hoc simpliciter per accidens in illo, in quo non fit transmutatio secundum fundamentum. Si ergo (vt dicit Simplicius) transmutantur, sicut nata sunt transmutari: eius igitur, vt dicit qd est à dextris, & Patris, & Filij scimus trãsmutationem secundum quod talia. Patris enim transmutatio est Filij alteratio, & in omnibus ad aliquid eadem sufficit ratio. Si enim natura eorũ in altero est, & ad alterum: illo altero transmutato, & ipsa simul transmutantur. Turbat autẽ multos (vt dicit) quòd non vident circa ipsa ad aliqd secundum se transmutationem: hoc autem nõ est dignum exquiri. Non enim inquantum secũdum

se sunt,

se sunt, sed inquantum ad aliquid oportet considerare circa ipsa transmutationem. Si enim entiũ sunt, quia sunt ad alterum, quid mirum si illius alterius transmutatio, & alteratio sit ipsius transmutatio, quod se habet ad aliquid? Non enim inquantum qualis, nec inquantum quantus, considerandum ipsius transmutationem, quia & sic corrumpuntur cum alteratione, & trãsmutatione fundamentorum, sed cum ea, quæ sibi conuenit, secundum quod postea patebit. Sic ergo patet, ꝙ secundum quod iam dictum est in dissolutione præcedẽtis rationis, non potest argui, ꝙ habitudo non sit aliquid extra intellectum, quia non manet in eo, in quo est nullo corrupto in eodẽ, sed in alio: hoc enim naturæ suæ est, qua differt à natura absolutorum, quæ non corrumpuntur in subiecto corrupto alio extra. Vnde aspiciendo ad secundum genus transmutationis quasi respectu illius nihil reputando transmutationem secundum primum genus, ipsam vocat vocabuli amissionem Boetius cũ dicit de Trinit. cap. 13. Si auferas seruum abstulisti quoquo dominum. Si auferas albedinem, abstuleris quoq; album. Sed interest, ꝙ albedo accidit albo: & ideò albedine sublata perit album: at in domino si seruum auferas, perit vocabulum, quo dominus vocatur. Aspiciendo verò ad primum genus transmutationis subdit. Sed nõ accidit seruus domino, vt albedo albo, sed potestas quædam, qua seruus coercetur à domino, quæ quoniam sublato seruo deperit, constat non eam per se domino accidere, sed per serui quodammodo extrinsecus accessum. Appellat autem ibi potestatem nõ aliquod absolutum de genere qualitatis, sed respectũ fundatum super illud, absolutum enim manet pereũte respectu. Ex quo continuò à relationibus remouet transmutationem penes secundum genus subdens. Non ergo dici potest prædicatione relatiua quicquam rei, de qua dicitur secũdum se addere, vel minuere, vel mutare, quæ tota non in eo, quod est esse constitit, sed in eo, quod est in comparatione, & infra. Quare, quæ secundum rei alicuius in eo, quod ipsa est proprietatem non faciunt prædicationem, nihil alterare, vel mutare queunt, nullamque omninò variare essentiam. Nec tamen è contra ex huiusmodi genere transmutationis potest argui, ꝙ relatio sit res alia à suo fundamento inhærens subiecto, & præter modum essendi ad aliud: ipsi enim modo in eo, ꝙ modus est, propria est ista transmutatio, & circa subiectũ, & circa fundamentum manens. Quod patet in modo essendi accidentis in subiecto. Cum enim in substantia panis primum habent esse accidentia, quæ manẽt in sacramento altaris, & non sunt in aliquo substantia panis transubstantiata in corpus Christi, nulla transmutatione alia facta circa illa accidentia, facta est transmutatio circa ipsa secundum modum essendi in, quia iã non sunt in, quę prius fuerũt in. Et si iterum per aliud miraculũ reuerteretur substantia panis, vt prius, iam esset transmutatio circa illa accidentia de nõ esse in ad esse in. Et sic ex tali modo transmutationis secundum relationem potius potest probari, ꝙ ex se præter realitatem fundamenti relatio non sit aliquid nisi modus purus, quàm cõtrarium. Si enim esset aliquid aliud, secundum illud per se fieret transmutatio secundum primum genus transmutationis iam dictum, & secundum ipsum modum ad aliud per accidẽs secundum secundum genus transmutationis. Quòd etiã transmutatio isto secundo genere trãsmutationis non arguit relationes reales in creaturis esse aliquid secundum rem præter rem fundamenti, & præter modum essendi ad aliud, qđ etiã nec arguit eam esse aliquid extra intellectum, hoc planè patet ex hoc, quòd talis transmutatio est in relationibus, quæ sunt secundum rationem tantũ, & in intellectu opere intellectus. Ad trãsmutationem enim animalis secundum locum mutatur columna à dextro in sinistrum: non autem è conuerso, non sic transmutatio secundum dextrum, & sinistrum in animali ad quancunque transmutationem in columna. Tunc autem ista transmutatio arguit solùmmodo relationem secundũ rem in vtroque extremo, quando vice versa, & mutuò ad trãsmutationem cuiusq; illorum per se secundum fundamentum, & relationem nata est fieri transmutatio in altero, secũdum relationem solum. Sicut.n. non manet pater secundũ habitudinem, licèt maneat secundum substantiam mortuo filio, sic è conuerso patre mortuo non manet filius secundũ habitudinem, licet maneat secundum substantiam. Sed quando ad transmutationem vnius secũdum fundamentum, & relationem fit transmutatio in vno, & non è conuerso, vt dictum est de columna, & animali, tunc in illo est relatio secundum rem, ad cuius transmutationem transmutatur alterum secundum relationem: in reliquo verò secundum rationem solùm. Et secundum hoc generale fuit apud Philosophos, ꝙ relatio secundum rem nõ est nisi in transmutabilibus. Et ideò Philosophi, quia secundum ipsos intellectualia separata à materia nullam in se omninò nata sunt recipere transmutationem penes secundum genus trãsmutationis, eo quòd nullam in essentia sua secundum ipsos habent compositionem, & ꝙ propterea eis nihil potest accidere, nulla omninò relationem realem posuerunt, neque ad intra, neque ad extra, vt dictũ est in tertia quæstione præcedenti. Sed in hoc errabant circa relationes reales in Deo ad intra, quę fundantur in eodem simplici, quod est in diuina essentia: & ideò absque omni transmutabilitate, & accidentalitate, vt iam amplius infra videbitur. Sed non errabant circa relationes Dei extra ad creaturas, quin verum sit, quòd illæ non possunt ex parte Dei esse secundum rem, sed secundum rationem tantùm, quod benè declarat in Deo circa relationes, quæ dicuntur ex tempore, Aug. in li. 5. de Trinit. dicens. Quomodo obtinebimus, &c. vt habitum est supra in quæstione prima.

Ad

Ad illud verò, quod arguebatur relationē esse aliquid in re præter fundamentum, & modum, qui est esse ad aliud, eo ꝙ est vnum decem prædicamentorum. Dicendum secundum prædicta, ꝙ relatio prædicamentum non solùm est modus, sed res propter characterizationem. sed non alia realitate, quàm quę sui est fundamēti, & quam habet ab illo. Nec aliam realitatem habent sex prædicamenta, quę dicuntur extrinsecus aduenientia, licèt non eodem modo characterizandi. Prædicamentum enim habere non dicit nisi respectum habentis ad id, quod habetur, & hoc propter accessum, siue applicationem eius, quod habetur ad habentem, & non è conuerso. Vnde & characterizationem suam contrahit non ab habente, sed ab eo, qđ habetur, secundum quod species prædicamenti dicuntur calceatio, vestitio, & huiusmodi, ab illis, quæ habentur scilicet à calceis, & vestibus, & huiusmodi: ita quòd prædicamentum habere quantum est ex parte habentis non nisi modum purum importat. Et in hoc quodammodo contrario modo se habent prædicamentum relationis, & prædicamentum habere. In prædicamento enim relationis relatio ex ordine ad id cuius est, habet realitatem, & ex ordine ad id ad quod est, habet rationem modi tantùm.

In prædicamento autem habere respectus ex ordine ad id cuius est, non est nisi modus tantùm: ex ordine verò ad id ad quod est habet realitatē. Et cum assumebatur, quòd modus purus, qui est esse in, licèt sit circa rem veram, non ex hoc habet realitatem, vt constituat prædicamentum, quare neque modus essendi ad aliud, nisi relatio haberet aliquam propriam realitatem præter istū modum. Nec petit argumentum aliud, quàm rationem, quare esse in non constituit prædicamentū sicut esse ad. Et est dicendum, quòd generalem artem discernendi quis modus essendi habet constituere prædicamentum, & quis non, docet nos Simplicius exponendo prædicamentum quando, in respondendo quæstioni quam ibi mouet, sic inquiens. Cum multa sint ea, quæ in aliquo, duo sola, scilicet quæ in tempore, & quę in loco, propria prædicamenta faciunt. Dicitur autem in aliquo, sicut accidens in subiecto. Si enim aliud est album, & aliud corpus, & aliud esse album in corpore: est autem proportionale album quidem Socrati, corpus quidem tempori: esse autem album in corpore ei, quod est Socratem esse in tempore, propter quid ergo non secundum hoc proprium prædicamentum extitit? propter quid & non qđ est in vase aliud faciet prædicamentum, & quod in materia aliud, & quod in toto pars, & quod in partibus totum, & quod genus in speciebus, & quod species in genere? & ita essent nobis plura prædicamenta. Et respondet subdens.

Igitur dicendum, quòd nō omne quod in aliquo, dignum est speciali prædicamento, sed sola illa, in quibus hoc quidem continet: hoc autem continetur, vtroque suam naturam seruante, & neutro alterius parte facto, neque complente alterum. In his enim solum illud, quod est in aliquo, natura quædam determinata fit præter habitudinem ipsam subsistens, veluti quod est in loco, aut in tempore corpus esse. Ab hoc enim particulari tēpore, & loco separata, quę in ipsis erant, subsistunt adhuc. Alia verò signata eius, quod est in aliquo hæc quidem completiua sunt, vt partes & totum, & genera, & species, & principans, & principata: hæc autem non possunt seorsum subsistere, vt quod in materia & species, & qđ in substantia accidens, quod quidem & forma subiecti fit, propter quod & subiectum appellatur secundum illud pura album.

Quomodo itaq; erit alterum in altero propriè, neque abinuicem separata secūdum hypostasim, sed secundum intellectum solum? quę verò in tēpore, & in loco immò aliàs fiunt in alio, scilicet tēpore, & loco eadem numero: in subiecto autem alias in alio, idem secundum numerum fieri impossibile est.

Patet igitur ex dictis Simplicij, quòd ratio circa id, quod est esse in, quare quandoq; constituit proprium prædicamentum, est quia scilicet illud, quod est in alio non est completiuum eius, in quo est, & quòd possit subsistere separatum sine illo, in quo est. Altero enim eorum deficiente, esse in non constituit proprium prædicamentum, & hoc ideò, quia tūc esse in essentiale est illi, quod est in, & hoc, vel tanquàm completiuum eius, vel tanq̄ inseparabile ab ipso. Sic enim parti essentiale est ꝙ sit in toto, & è conuerso toti, ꝙ sit in partibus, & generi, ꝙ sit in specie, & speciei, quòd sit in genere & formæ, ꝙ sit in materia, & accidenti, quòd sit in subiecto, & similiter secundum omnes alios modos essendi in, præter esse in tempore, & esse in loco, in quib. esse in omninò accidit ei, quod est in, quia scilicet quod est in non est completiuum eius in quo est, & potest subsistere separatum ab eo in quo est: Consimiliter dico in proposito, ꝙ esse ad in creaturis, quia omninò est accidentale ei, quod est ad, quod quidem participat habitudinem essendi ad, eo ꝙ non est completiuum eius ad quod est, & pōt subsistere sine illo. Quatuor enim, & duo nō secundum quod quatuor, & duo sunt ad aliquid: sic enim vnum eorum est in altero, vt pars in toto, & totum in partibus, per quod vnum eorum est cōpletiuum alterius, & pars totius, & vnum eorū est inseparabile ab altero, vt totum à parte, sed sunt ad aliquid scdm quòd considerantur, vt quidā excessus maioris, & minoris. Secundum hoc.n. vnum eorum non est cōpletiuum alterius, sed ab eo separatum, vt in eis scdm aliud consideretur esse ad, & scdm aliud esse in. Seipso.n. duo inest quatuor, sicut & seipsa albedo inest corpori, sed non seipso duo est subduplum ad quatuor, neque quatuor duplum ad duo, sicut neque seipso album vnum est ad aliud album sine aliquo coalbo.

Ipsa

Ipsa enim subiecta, neq; secundum se, nec vt subsunt fundamentis relationum, non sunt ex se, aut per se ad, sed solùmmodo ipsa habitudine, qua participant, nisi per coexistens, dicente Philosopho 5. Metaphysicæ cap. de relatione. Et relatiuorum quoddam dicitur modo accidentali, sicut homo, qui est relatiuus, quia accidit ei esse duplum alicuius; & hoc est relatiuorum, & similiter accidit eidem, vt sit album & duplum etiam. Vbi dicit Comment. Homo enim secundum q̃ homo neq; est duplum neque album. Quia igitur ei qui conuenit esse ad, omninò accidit ei ad, quia potest esse & non esse ad: idcirco dico q̃ esse ad est aliquid præter illud cuius est, existens extra intellectum subsistens in hypostasi, & constituens prædicamentum, sed non sine characterizatione ab eo in quo fundatur secundum q̃ dictum est. Esse autem in, quod conuenit accidenti, quia ipsum accidens secundum naturam inseparabile est à subiecto, ita ét q̃ si per miraculum separetur, naturalé habet dependentiam & inclinationem ab subiectum, idcirco omninò est ei secundum naturam essentiale, q̃ sit in. Et propterea huiusmodi esse in nõ est extra intellectum aliquid subsistens in hypostasi, nec cõstituit prædicamentum sicut facit esse ad, q̃ q̃ neutrum eorum ex se sit aliud, q̃ purus modus essendi. Vnde ipsa albedo, & suum esse in, ambo accidunt corpori secundum eandem rationem accidentis, & secundum eandem rationem denominant corpus. Idem enim est corpus esse album, quod albedinem esse in corpore, propter quod ad idem prædicamentum pertinent. Vnde sicut habere albedinem non pertinet ad prædicamentum habere, sed solum ad prædicamentum qualitatis ad quod pertinet albedo, sic & albedinem esse in, non pertinet ad aliud prædicamentum, q̃ ad quod pertinet albedo. propter quod inoleuit vsus dicendo & benè, q̃ accidentis esse est inesse, quàmuis ipsum inesse sit modus quidam ipsius rei, quæ est accidens, quo respicit subiectum, & esse eius, siue secundum essentiam, siue secundũ exist ẽtiam sit modus alius eiusdem, quo. s. respicit Deum, vt causam essentiæ suæ secundum formam, vel existentiæ secundum efficientiam, vt habitum est supra. Esse autem in separato, vt in loco, aut tempore, & habere aliquid separatum puta tunicam in dorso, vel galeam in capite, pertinent ad diuersa prædicamenta. Non enim idem est esse albũ & esse simile, siue ad aliud, quia non est nisi ad separatum, & sine quo potest esse quod est ad illud, nec eò est album, quò est ad aliud. Vnde esse ad quod conuenit rei ipsa non alterius participatione, quemadmodum vni albedini, q̃ essentialiter sit similis alteri, ad idem prædicamentum pertinet cum eo, quod est ad. Vnam enim albedinem esse similem alteri, idem est quod vnam esse secundum speciem eandem alteri. Esse autem hanc illi eandem specie, nihil aliud est, q̃ hanc & illam esse albedinem simpliciter, quæ est eadem secundum speciẽ super ytranque, vt in qua habẽt esse idem, & esse simpliciter sicut inferius in superioti, aut indiuiduum in specie. quod reducitur ad modum essendi speciem in genere, quod esse in non separat prædicamentum, vt dictum est. Sed hic aliquis obuians dicet, sicut albedo seipsa est ad, cum dicitur similis alteri albedini, sic album ipsa albedine sua est ad, cum dicitur simile alteri albo, quia sicut ibi esse ad non pertinet ad aliud prædicamentum, q̃ ad quod pertinet albedo, sic nec hic pertinet ad aliud prædicamentum. Et est dicendum q̃ non est ita, secundum q̃ alibi magis exposuimus. quoniam esse ad, quo album dicitur esse ad quando dicitur album esse simile albo, non conuenit ei ratione albedinis, vt est albedo, sicut albedini conuenit esse ad ratione qua albedo est, cũ dicitur albedo esse similis albedini, immò illud esse ad conuenit albo ratione albedinis, vt est subiecto inhærens. Vnde non refert albedinem sicut refert cum vna albedo dicitur similis alteri, sed refert ipsum album. Et sic istud esse ad omninò est accidentale illi, quod est ad, & ratione fundamenti, & ratione subiecti illius, & ratione compositi ex vtroque, sed aliter accidit fundamento, aliter subiecto eius, aliter verò composito ex vtroque, vt iam infra videbitur. Propter quod refert non fundamentum, sed vel subiectum eius, vel compositũ ex vtroque. & siue hoc, siue illud, siue vtrunque referat, licèt diuersimodè, vt patebit ibidem, tñ illud non refertur seipso, aut ipso fundamento, puta albedine, quemadmodum ipsa albedo seipsa absque alicuius alterius participatione refertur ad aliam albedinem cum dicitur ei similis, sed refertur participatione accidentalis habitudinis. Vnde ista est per se secundum primum modum dicendi per se, duplum est ad aliud: ista verò, quantum est ad aliud, est per se secundum modum dicendi per se. Duplum enim duplicate est ad aliquid, sicut homo humanitate est animal, & est prædicatum de ratione subiecti, & forma eius. Quantum verò quantitate est ad aliquid, sicut homo humanitate est risibilis, & est subiectum causa prædicati. ista autem, homo est ad aliquid, est per accidens. Est autem sciendum ad maiorem declarationem iam dictorum, & eorum, quæ in quibusdam alijs Quolibet. diximus, q̃ relatio super formam absolutam habet fundari tripliciter. Vno modo super formam accidentalem, vt hẽt esse in subiecto, puta simile super albedinem, vt est in corpore. Alio modo super formam substantialem, vt habet esse in suppositò, & super humanitatem, tm̃ q̃ habet esse in Sorte & Platone. Tertiò super hanc aut illam, vt secundum se consideratur prẽter esse in subiecto, aut suppositò. Primo modo est relatio omninò accidentalis subiecto. Secundo modo est substantialis suppositò pro quanto forma speciei est substantialis suppositò, sed solùmmodo accidentalis pro quanto accidit formæ, q̃ sit in suppositò. & neutro modo denominat suum fundamentum, sed solùmmodo subiectum aut suppositum.

Non enim dicimus ſecundùm hos modos, ꝙ albedo, aut humanitas ſit ſimilis, aut ſimilitudo, ſed ſolùmmodo dicimus, ꝙ album eſt ſimile albo albedine, & vnus homo alteri humanitate. Relatio tertio modo eſt omninò eſſentialis, & nullo modo accidentalis ratione ipſius fundamenti, etſi fortè aliquid accidentalitatis habet, quia non habet ab vna illarum formarum cauſari, aut ſecundum actū fundari ſuper ipſam niſi per coexiſtētiam alterius, ſed illa accidentalitas nō facit ꝙ pertinet ad aliud prædicamentum, ſicut neque accidentalitas eius, quod eſt eſſe in, licèt ſeparari poteſt ab accidente in ſacramento altaris. Quod verò proponebatur vlterius, ꝙ ſecundum Boetium, & Simplicium decem prædicamenta ſunt decem prima genera rerum ſignantia ſiue primarum & ſimplicium rerum ſignificatiua, vt ſecundum hoc totidem rebus diſtinguantur quot ſunt genera: Dicendum, ꝙ ipſi accipiunt ibi rem largè pro omni eo, quod eſt aliquid extra animam ſubſiſtens in hypoſtaſi, vel natum ſubſiſtere. & hoc largiſſimè ſumendo hypoſtaſim & ſubſiſtere ad id, quod habet realitatem propriam exiſtens per ſe, & ex ſe, & in ſe, quod proprium eſt ſubſtantiæ, cui proprijſſimè conueniunt ratio ſubſiſtendi, & ratio hypoſtaſis, & ad id quod habet realitatem propriam exiſtens in alio, quod conuenit accidentibus abſolutis. ſ. quantitati & qualitati ſolùmmodo, & ad id quod eſt modus illius, quod non eſt completiuum alterius, & poteſt ſubſiſtere ſeparatum ab eo, & hoc inquantum recipit characterizationem ab alio. Secūdum iam dictum modum, vt dictum eſt, non ſolùm conuenit prædicamento relationis, ſed alijs ſex extrinſecus aduenientibus, quemadmodum ſecūdum differentias loci, & temporis characterizantur prædicamentum vbi & quando, & ſecundum differentias fundamentorum characterizantur quando & vbi, quod adhuc in parte iam amplius patebit inferius. Et ꝙ vltimo aſſumitur ꝙ relatio præter modum ad aliud, & rem fundamenti non poteſt eſſe, niſi res aliqua inhærens alteri, vt ſubiecto: Dicēdum, ꝙ negare, quin prædicamentum relationis realis ſecundum totum accidens ſit in creaturis. ſ. & ſecundum rationem illam, qua modus eſt ſecundum ſe, & qua habet characterizationem à fundamento, licèt alio & alio modo, vt iam videbitur, omninò abſurdum eſt. dicente Auguſt. 5. de Trin. cap. 4. Nihil in Deo ſecundum accidens dicitur, quia nihil ei accidit. Nec tamen omne quod dicitur ſecundum ſubſtantiam dicitur. In rebus enim creatis, atque mutabilibus, quod non ſecundum ſubſtantiam dicitur, reſtat, vt ſecundum accidens dicatur. Omnia enim accidunt eis, quæ vel amitti poſſunt vel minui, & magnitudines, & qualitates, & quod dicitur ad aliquid, & ſitus & habitus, & loca & tempora & opera, atque paſſiones. Dicit autem amitti poſſunt vel minui, quia amiſſio vel minutio, cum ſint mutationes, ſigna ſunt & indicia ꝙ quæcunq; talia ſunt ꝙ amitti poſſunt vel minui accidentia ſunt illius à quo amitti, & in quo minui poſſunt. Propter quod dicit cap. 16. Nihil accidit Deo temporaliter, quia non eſt mutabilis. & infra. Vt ea accidentia ſint, quæ cum aliqua mutatione rerum de quibus dicuntur accidunt. E contrario autem eſſe accidens in aliquo, eſt cauſa mutabilitatis ſecundum illud in eodem. Iuxta illud quod dicit cap. 2. Deo aliquid accidere non poteſt, & ideò ſola eſt incommutabilis ſubſtantia vel eſſentia, quæ Deus eſt. & cap. 16. Ipſius naturæ nihil accidit, quo mutetur. Hic ergo oportet videre quomodo relatio ſit accidens, & quomodo differat ab accidentibus abſolutis, & quomodo ſit aliquid in ſubiecto exiſtens, & quomodo nō. Ad cuius intellectum ſciendum eſt, ꝙ omnes relationes reales oportet ponere accidentia eſſe in creaturis, & hoc tàm ratione habitudinis, ſiue modi, quem importāt, quàm ratione characterizationis, licèt aliter & aliter. ex quibus, vt dictum eſt, integratur prędicamentum relationis, vt ſecundum hoc verè totum prædicamentum relationis dicatur eſſe prædicamentū accidentis. dicente Simplicio in expoſitione. Eorum autem quæ ſunt, habemus decem prædicamentorum diuiſionem in duo. Nouem enim ſub accidente comprehenduntur, & ſubſtantia prima aliorum numeratur. Et hoc verum eſt generaliter appellando accidens omne diuiſum ex oppoſito contra ſubſtantiam. Vt enim ſtatim ſubdit, quæcunque non ſunt accidentia omninò ſubſtantiæ ſunt. appellando. ſ. accidentia quæcunque ſubſtantiæ, & alijs præexiſtentibus in ſubſtantia ſuperueniunt. Modis tamen diuerſis accidentia dicuntur prædicamēta abſoluta, quantitas. ſ. & qualitas, & illa prædicamenta ſeptem, quæ habitudines important. Simplicius ſuper illud, Eorum quę ſecundum nullam commixtionem dicuntur, diſtinguit prædicamenta ſic. Exiſtentiarum hæ quidem ſecundum ſe habent eſſe, quas omnes ſubſtantia comprehendit, hę autem in alijs ſubſiſtunt. Et harum hæ quidem ſecundum habitudinem conſiderantur, hæ autem ſine habitudine ſunt. & earum quæ ſine habitudine, hæ quidem ſecūdum formationem conſiderantur, & ſunt omnes ſecundum quale. hę autem ſecundum diſtenſionem, quę ſunt ſecundum quantum. Earum verò, quæ ſecundum habitudinem, hæ quidem dñr conuerſa, quas oēs continet ad aliquid prædicamentum, hæ aūt dñr non conuerſa. Per quod intelligit, ꝙ illa de prędicamento relationis mutuos habent reſpectus ſm quos æqualiter dicuntur adinuicem, illa verò alia ſex nequaquàm, ſed in illis reſpectus ſolus eſt in vno in ordine ad alterum. dicēte Simplicio. In vbi & quando non accipitur temporis & loci habitudo ad id quod eſt in loco & tempore, ſed eius qđ eſt in loco ad locum, & quod eſt in tempore ad tempus, & ſic de alijs vnde nec ad ſe mutuò dicuntur. Expreſſius autem differentem accidentalitatem in iſtis ſeptem poſſumus diſcernere hunc in modum. Cum enim generaliter dicuntur

acciden-

accidentia, quæ alijs præexistentibus superueniunt, aut ergo superueniunt eis totaliter ab intra, & dicuntur accidentia omninò intrinsecus aduenientia, vt sunt quantitas & qualitas, quæ ex sola natura absoluta eius cui aduenitũt, vt subiecto, accidunt eidem, aut superueniunt totaliter ab extra, & dicũtur accidentia sex omninò extrinsecus aduenientia, quia ex solo respectu eius cui superueniunt ad alterum, vel alterius ad ipsum aduenitũt illi. Vnde ista vel aduenium ex ordine alterius ad id cui aduenium, vel è conuerso. Primo modo est vltimum prædicamentum. s. habere, quod habenti aduenit ex ordine eius quod habetur ad habentẽ. dicit enim respectum, quem habet habens ad id quod habetur, quia illud applicatum est ei. Secundo modo sunt quinque alia prædicamenta extrinsecus aduenientia. aduenium enim ei cuius sunt ex ordine ipsius ad aliud. Propter quod inter prædicamenta omninò extrinsecus aduenientia solùm prædicamentum habere dicitur acquisitum, tanquàm magis extrinsecus aduenies, propter quod & vltimo ordinatur. dicente Simplicio in expositione prædicamenti habere. Aristoteles quod ex seipso omne principalius existimat esse eo quòd extrinsecus aduenit, & acquisito. quoniam alia quidem omnia genera, vel in substantia, vel in habitudinibus quibusdam existẽtia à se ipsis partem quandam ad esse conferunt, habere autem extrinsecus totum & acquisitum circa nos fit. Propter quod vltimò ponit ipsum. à seipsis intelligo. i. ex eo ꝙ ex sola natura eius cuius sunt, hoc habent Talia enim sunt actio, passio, quando, vbi, & situs. Actio enim & passio aduenium motui in passo ab agente, quia super motum nihil addunt, nisi respectus diuersos, quibus inter se distinguuntur. Ambo eĩ fundantur in motu, qui ab agente præterit in passum. Actio enim formaliter dicit respectum fundatum in motu, vt habet esse & procedere ab agẽte. Passio verò formaliter dicit respectum fundatum in eodem motu, vt ipse recipitur in passo. In quo differunt prædicamentum actionis, & passionis ab alijs tribus, qm̃ actio & passio hñt in passo fundamentum immediatum, scilicet motum elicitum ab agente in passo. Alia verò nihil ponunt in eo in quo sunt, nisi respectum purum immediatè fundatum in illo. Quãdo verò aduenit ei quod est in tempore ex ordine illius ad ipsum tempus, & formaliter dicit respectum quendam eius, quod est in tempore ad ipsum tẽpus ex hoc ꝙ est in ipso. Vbi autem superuenit ei, quod est in loco ex ordine eius, quod est in loco ratione totius ad locum. formaliter enim dicit respectum totius existentis in loco ad ipsum locum ratione totius loci adæquati locato, & hoc ratione eius quod sic est in illo. Situs verò superuenit toti, quod est in loco ratione suarum partium ordinatarũ in loco, & hoc ex ordine ipsarum ad partes diuersas loci, in eo videlicet ꝙ diuersimodè situantur, siue disponuntur in illo. Prędicamẽtum verò relationis medium est inter prædicamenta omninò intrinsecus, & omninò extrinsecus superuenientia. Habitudo enim in qua consistit, partim est intrinsecus aduenies, partim verò extrinsecus. Relatio enim vt est prædicamentum secundum prædicta, duo habet in se, & rationem modi ad aliud, & rationem characterizationis. Et ratione vtriusque habet accidentalitatem, sed diuersimodè, quia accidẽtalitatem characterizationis omninò habet ab intrinseco. s. ab ipso fundamento. Accidentalitatem verò modi, quæ est nuda habitudo, partim habet ab intrinseco, vt à suo fundamento, & partim ab extrinseco, vt ab aliquo sibi correspondente extra. Vt propterea relatio, q̃q̃ media sit inter accidẽtia intrinsecus & extrinsecus aduenientia, magis tamen ab intrinseco aduenit, q̃ ab extrinseco, & magis numeratur cũ accidentibus intrinsecus, q̃ cum extrinsecus aduenientibus. Propter quod etiam vocatur relatio habitudo cognata, cum aliorum sex habitudo vocetur simpliciter aduenientia. dicente Simplicio. Præordinentur, quæ secundum se his, quæ ad aliquid. Factis pluribus necesse est aduenire habitudinem ad aliquid. Post hoc autem alia prædicamenta non secundum cognatam habitudinem, sed secundum aduentitiam. Fundamento enim similitudinis, vt albedini, quantum est de se, essentiale est, ꝙ super ipsam fundetur secundum actũ, & nata sit fundari habitudo similitudinis, & essentiale est albedini quantum est de se, ꝙ secundum eam album dicatur simile. Sed non habet hoc ex se sola perfectè, & secundum actum, sed solùmmodo ex coexistentia alterius albedinis in alio subiecto. dicente Simplicio. Videntur autem, quæ ad aliquid, simul esse natura. Non enim habitudo est in vno, sed alterius semper ad alterum. Oportet igitur ambo coexistere si debeat habitudo in ipsis saluari. altero solo manente non erit habitudo. Vnde quia reliquum vel potest coexistere, vt secũdum actum sit habitudo, vel non coexistere, vt nõ sit secundum actum habitudo, & hoc præter ipsius fundamenti corruptionem & ipsius subiecti, ideò secundum definitionem accidentis, quæ est quod adest & abest præter corruptionem subiecti, prædicamentum relationis omninò est accidens, quia non solùm adest, & abest præter corruptionẽ subiecti, sed etiam præter corruptionem fundamenti. Et propter hoc mutatio fit secundum ad aliquid in vno ad mutationem secundum rem absolutam in solo altero. Sed est aduertẽdum ꝙ licet totum prædicamentum relationis, vt dictum est, accidens sit, & ratione modi & ratione characteris, ꝙ in̄ est alia, & alia rõ accidentalitatis hincinde, & alia atque alia ratio eius cui accidit. Ratione.n. characteris tribus modis solet assignari habitudinis characterizatio. Vno modo, vt ipsum fundamentũ ponatur cum ipsa habitudine cõstituere prędicamentum, & hypostasim relationis, quemadmodũ si figura, quę est in sigillo cupreo character cupri, esset in cæra applicata eadem numero character cæræ.

Alio modo ꝟt non ipſum fundamentum ſit character habitudinis, ſed aliquid à fundamẽto quaſi impreſſum habitudini, quemadmodum ſigillum non ſuam figuram imprimit cæræ, ſed eius ſimilẽ. Tertio modo, vt nihil aliud intelligatur habitudinis characterizatio, quàm determinatio ad illud in quo fundatur, quæ ex ſe indeterminata eſt, quẽadmodum ſimitas eſt curuitas determinata naſo, quæ ex ſe indeterminata eſt ad naſum & ad alia. Et iſte eſt modus quem tẽtigimus ſupra, & ſecundum illum modum ex diuerſa determinatione per diuerſa fundamenta habitudo diuerſificaretur ſecundum ſpeciem & genera ab illis abſtracta. Et ſecundum hoc cum habitudo fundatur ſuper vnũ in qualitate, vt ſuper duo alba, dicitur ſimilitudo, quando verò ſuper multa in qualitate, dicitur diſſimilitudo. non ꝙ aliquid præter modum ſiue habitudinem ſit de prædicamento relationis, ꝟt videlicet res fundamenti ꝟel aliquid ab ipſa, quod eſt in ipſa habitudine, & aliud ab ipſa. & hoc quẽadmodum ſi diceremus motum non eſſe de prædicamento actionis & paſſionis, ſed ſolùm reſpectus quoſdam diuerſimodè fundatos in motu & determinatos per ipſum, & ſic de cæteris prædicamentis, quæ conſiſtunt in habitudine, vt nihil dicamus eſſe de prædicamento illorum niſi nudam habitudinem diuerſimodè determinatam ſiue characterizatã in hoc ꝙ reſpectus illorum aliquo determinatur: vt iſta determinatio dicatur realitas prædicamenti relationis. Iſtud videtur multum probabile. Per huiuſmodi enim characterizationem etſi prędicamentum relationis non contineat in ſe rem fundamenti, ꝟt ꝙ ſimilitudo non ſignat albedinem in qua fundatur, quaſi tamen ipſam ſignat inquantum per ipſam determinatur.

Secundus verò modus videtur mihi habere falſam imaginationem & impoſſibilem. Non enim character, qui eſt aliquid ſecundum rem abſolutũ in aliquo ſecundum ſimile ſibi characterizat aliud ſibi coniunctum, niſi dans characterem ſe habeat, vt ſeparatum ab illo, & corporale ſicut ipſum, quemadmodum cæra corporalis eſt, & ſeparata à cupro, cuius ſimilitudinem characterizatione recipit. Nunc autem habitudo, cum ſecundum Simplicium ſit corporale quid & inſeparatum à ſuo fundamento, non ſic ſe poteſt habere ad album. Propter quod non videtur mihi, ꝙ illo ſecundo modo poteſt characterizari, vt ponat in habitudine aliquid re diuerſum omninò, & ab ipſo modo ad aliud, & ab ipſo fundamẽto, ſecundum ꝙ de hoc habitus eſt ſermo ſupra. Primus modus, ꝟt videtur mihi, eſt ille quem tenet Simplicius, vt patet ex ſupra dictis ſecundum ipſum, & non obuiat huic poſitioni, niſi ꝙ idem eſſet in diuerſis prædicamentis, quod ſimiliter videtur Simplicius negare de relatione, ꝟt ſupra habitum eſt. Sed huic reſpondetur de facili, dicendo ꝙ res alterius prædicamenti puta albedo, quæ qualitas eſt, ſecũdum ꝙ habet eſſe in, eſt de prædicamẽto qualitatis, ſed ſecundum rationem characterizandi habitudinẽ non eſt inconueniens ꝙ ſit de prædicamento relationis. dicente Simplicio in expoſitione capituli de actione, & paſſione. Ad aliquid ſecundum ſe ſecundum ſolam habitudinem conſideratam in alijs prædicamentis habet eſſe. Habitudo enim ſecundum ſe non eſt. Sicut igitur in quali eſt ſecundum ſimile, & diſſimile, ſic & in quanto ſecundum æquale & inæquale. Et nihil inconueniens idem eſſe ſub duobus prædicamentis penes eam, quæ ſecundum ſe hypoſtaſim, & penes habitudinem adinuicem. & hoc quemadmodum ſecũdum aliquos motus, qui ſecundum ſe eſt de genere quantitatis, aut illius prædicamenti in quod eſt motus, eſt tamen in generibus actionis, & paſſionis inquantum reſpectus ſecundum quos diſtinguuntur iſta duo prædicamenta fundantur circa motum. Si igitur aſſignetur characterizatio relationis primo modo, manifeſtum eſt ꝙ relatio ratione ſuæ characterizationis nullam aliam importat accidentalitatem, quàm eam, quæ eſt ſui fundamenti, & ſic ſicut fundamentum ſuum accidens eſt ſubſtantiæ, puta albedo hominis, & inhærens eidem vt ſubiecto, ſic & ſimile, ſed per fundamẽtum; nullam autem habet accidentalitatem reſpectu ſui fundamẽti, immò magis identitatem & conſubſtantialitatem. Vnde ſi fundamentum nõ eſſet accidens, nec ipſa ſimilitudo accidens eſſet, ſicut nec relatio in diuinis accidẽs eſt ratione ſuæ characterizationis, quia ſuper diuinam ſubſtantiam & eſſentiam fundatur immediatè. Et tamen differentia eſt in characterizando relationem hincinde, quia in diuinis relatio fundatur ſuper ſubſtantiam ſimpliciter, vt ſubſtantia eſt, propter quòd benè dicitur, ꝙ Deitas eſt paternitas. In creaturis autem non fundatur relatio, quæ accidens eſt, ſuper accidens abſolutum, niſi ratione ſuæ inhærẽtiæ in ſubiecto. propter quod in illis non dicitur ꝙ albedo eſt ſimilitudo. Et in hoc plus conuenit relatio in diuinis cum relatione eſſentiali, vt cum ſimilitudine, quæ fundatur in albedine ſimpliciter, quia de illa benè dicitur ꝙ albedo eſt ſimilitudo, vt dictum eſt ſupra. differunt autem in hoc, ꝙ relatio non denominat in diuinis.

Non enim dicimus, quòd Deitas eſt pater denominatiua prædicatione, vt Deitas intelligatur referri paternitate, ſicut dicimus ꝙ albedo eſt ſimilis. Et in hoc plus conuenit relatio diuina cum ratione accidentali. Illa enim non denominat fundamentũ. Non enim dicimus accidentali relatione, ꝙ albedo eſt ſimilis, ſicut nec dicimus, ꝙ Deitas eſt pater, vt iam expoſitum eſt, ſed & hic & ibi relatio denominat ſolum ſuppoſitum, dicendo in diuinis, generans eſt pater, & in creaturis, homo vel album eſt ſimile. Si verò aſſignetur characterizatio relationis. Tertiò modo, ſic idem ſentiendum eſt de relationis accidentalitate cum eo, ꝙ iam dictum eſt de primo modo, quia quaſi ſecundum idem currunt iſti duo modi.

Sed

Sed quocunque modo dictorum trium ponatur fieri characterizatio præter rationē modi ad aliud, nullam realitatem habet relatio, nisi à suo fundamento etiam largissimè accipiendo realitatem, secundum ꝙ determinatio similitatis dicitur sua realitas. ita ꝙ quæcunque relationes super idem fundantur eádem habent realitatem. In diuinis enim omninò est eadem realitas omnium relationū diuinarum, quia fundantur in eadem essentia, & in creaturis, cum idem secundum eandem albedinē est similis alij albo, & dissimilis nigro, similitudo & dissimilitudo inquantum fundantur super eandem illam albedinem, habent eandem realitatem. Vnde tàm in diuinis, quàm in creaturis ꝙ relationes sint reales hoc habent à suo fundamento, sed ꝙ sunt diuersæ, hoc habent ab eo, ꝙ sunt ad obiecta diuersa. Vnde simililudo, & dissimilitudo fundatæ super eandem albedinem sunt diuersæ relationes, quia similitudo est ad similitudinem fundatam in alia albedine, & dissimilitudo ad dissimilitudinem fundatam in nigredine. & consistit in ista diuersitas relationum fundatarum super idem nō nisi ex parte ipsius modi ad aliud, qui diuersus est secundum diuersitatem terminorum eádem existente realitate in eisdem. Vnde & ꝙ fit transmutatio in relationibus per trāsmutationem realem absolutam in alio absque omni transmutatione absoluta in suo subiecto, illa fit penes modum, non autem penes characterizationes, nisi valde per accidens, inquantum nō potest manere characterizatio sub rōne characterizationis corrupto modo in quo habet esse. Vnde quia talis accidentalitas non existit in relatione, nisi ex accidentalitate sui fundamenti, ideò accidentia, quæ sequuntur fundamentum vt magis & minus, etiam sequūtur huiusmodi relationem. dicente Simplicio. Sine alio prędicamento neque intelligi possunt ipsa ad aliquid. cōsubsistunt enim semper in alijs. Propter hoc ergo quando accipiuntur in prædicamento habente contrarietatem, habebunt & ipsa contrarietatem. Sin autem, non habebunt. Quæcunque enim insunt generi subiecto, insunt & ad aliquid. Habent enim contrarietatem secundum ꝙ qualia, sed non secundum ꝙ ad aliquid. Sed neque vna habitudo intensionem & remissionem suscipit. Quòd enim ad alterum se habent, similiter se habent, & non secundum ꝙ habitudo & ad aliquid, sed secundum ꝙ talis, & secundum ꝙ qualitas magis & minus suscipiunt. Secundum ꝙ talis, & secundum ꝙ qualitas intelligo. i. secundum ꝙ determinata est qualitate fundamentaliter subiecta, & per hoc characterizata ab ipsa secundum modum aliquem prædictorum.

Si ergo loquamur de accidentalitate relationis ratione modi ad aliud, cum secundum prędicta ille partim oriatur ab intrinseco. s. à fundamento, partim ab extrinseco. s. à sibi correspondente, inquātum oritur ab extrinseco nullam omninò habet accidentalitatem respectu sui fundamēti, quia essentiale est ei quantum est ex se ꝙ incommutabiliter fundetur in ipsa, vt dictum est. quemadmodum etiam in diuinis relationes nullam omninò habent accidentalitatem respectu diuinę essentię, sed inquantum huiusmodi accidentalitatē habent ad subiectum siue suppositum, quod referunt, & hoc non nisi per fundamentum, quia. n. fundamētum accidit subiecto, & modus ad aliud fundatus in ipso, ideò accidens denominat subiectum sicut & ipsum fundamentum inquantum est cōcretum subiecto, & vnum per accidens cōstituitur ex accidente & subiecto, quod est per se subiectum relationis, licèt secundum aliud genus accidentis. Sed in hoc differt modus iste in creaturis, & in diuinis. In diuinis. n. est essentialis suppositio quod refert, & denominat, quia est constitutiuus ipsius. Hic autem non substantialis, sed accidentalis, quia supponit suppositum, vt constitutum in esse. Vnde penes modum ad aliud inquantum habet oriri à suo fundamento, non fit transmutatio in suo subiecto, nisi ad transmutationem eius secundum fundamentum. Si verò consideretur modi illius accidentalitas inquantum oritur ab extrinseco, hoc non contingit secundū ꝙ iam dictum est, nisi quia illud extrinsecum potest coexistere & non coexistere. Et sic non ponit huiusmodi accidentalitatē per se in respectu ad id, cui modus ille natus est in esse per se, vt fundamento, & mediante fundamento cuidam alteri, vt subiecto secundum dictum modum, sed solùm in respectu eius ad quod habet esse, nec per se illud extrinsecū, siue adsit, siue absit, ponit aliquid inesse, vel non inesse subiecto, aut fundamento, sed solum cum adest ponit adesse, & cum abest ponit abesse, & ideò si ex tali trāsmutatione arguatur accidēalitas in relatione: illa non potest argui, quo ad eius esse in, sed solùmmodo quo ad eius esse ad. Non. n. ex hoc subiecto, vel fundamento ineſt, vel non ineſt, quod non infuit, vel infuit, sed solùmmodo ex hoc subiectum per fundamentum est ad aliud ad quod prius nō fuit, vel non est ad aliud ad quod prius fuit. & sic re vera secundum modum supra expositum secundum relationes fit mutatio, non secundum aliam rationem esse in, sed solùmmodo secundum rationem esse ad, & secundum eundem modum in creaturis relationes per se habent rationem accidentis & sunt accidentia secundum rationem qua sunt ad aliud, non secundum rationem qua sunt in alio, siue vt in fundamēto, siue in subiecto, & sic secundū talem transmutationem secundum relationem transmutatur subiectum, aut fundamentum, quo ad esse ipsorum ad aliud, vel non esse ad aliud, nō autem quo ad aliquid eis ineſſe, vel non ineſſe, nisi per accidens, inquantum non adest nouus modus esse ad aliud, nisi de nouo sit fundatus in fundamēto, & per fundamentum insit subiecto. Neque deficit quo ad esse ad aliud, nisi deficiat quo ad esse in. Et per hunc modum relatio etiam secundum ꝙ dicit purum modum siue habitudinem nudam et-

ſendi ad aliud, accidens eſt in creaturis, & ſecundum ipſam fit tranſmutatio in ſubiecto, & circa fundamentum, ſed non eſt propriè accidens fundamenti, quia non fundatur in ipſo ratione ſuę eſſentiæ ſecundum ſe, ſed ſecundum rationem ſuæ inhærentiæ. ſed tamen non ineſt, niſi per ſubiectū. Quia.n. fundamentum ineſt ſubiecto, ideò & illud quod ei ineſt, vt fundamento, per illud etiam ineſt ſubiecto & ſic per illud ēt eſt accidens ſubiecti. Propriā īn & per ſe inhærētiam in ſubiecto, ſicut hīt accidentia abſoluta, nequaq̄ habet. Vnde cū dicit Philoſophus in prædicamentis: Eorum quæ ſunt quædam ſunt in ſubiecto, & dicuntur de ſubiecto, vt accidentia vniuerſalia, quædam verò ſunt in ſubiecto, & non dicuntur de ſubiecto, vt accidentia particularia, inter qualia accidentia ſtatim cōnumerat ad aliquid, ibi ſumit ſubiectum largè, & pro ſubiecto quo inferius in linea prædicamentali ſubiectum eſt ſuperiori, quando dicitur, quædam dicuntur de ſubiecto, & pro ſubiecto, quo aliquid ſubijcitur accidenti quoquo modo, quando dicitur, quædam ſunt in ſubiecto. Sed ſubiectum & eſſe in, ęquiuocè conueniunt accidentibus abſolutis, & reſpectiuis. quoniā abſoluta per ſe ſunt in ſubiecto per inhærentiā, reſpectiua verò ratione habitudinis nequaquàm, ſed per ſe, & primō non ſunt niſi in ſubiecto fundamentaliter non inhærēnter, vt ipſum fundamentum appelletur ſubiectum propter talem modum eſſendi in, ſm̄ q̄ ſtatim ſupra dixit Simplicius. Quæcunq; inſunt generi ſubiecto inſunt, & ad aliq̄d. vbi expreſsè fundm̄ appellat ſubiectum. per ipſum autē fundamētum, vt dictum eſt, ſecundariò ineſt ſubiecto cui ineſt fundamentum. Talem autem accidentalitatem nullo modo poſſunt habere relationes in diuinis, quia nō fundantur niſi ſuper idem. Et propter hoc in Deo nullo modo poteſt ſecundum relationem eſſe quæcunque tranſmutatio, ſicut eſt in creaturis, niſi ponatur in ipſo tranſmutatio ſecundum ſubſtantiam. ſicut in creaturis non poteſt eſſe trāſmutatio ſecundum relationem, niſi ponatur tranſmutatio ſecundum fundamentum in altero extremorum, vel in vtroque. In ad aliquid enim per ſe omninò non fit tranſmutatio, ſecundum Philoſophum 5. Phyſic. Ex his vt ęſtimo poſſunt patere quæcunque obſcura reliquimus circa relationes, maximè in creaturis de quibus per intentionem loqui non ſumus alicubi niſi in quæſtionibus de Quolibet.

Comment. in Quæſtionem Tertiam, quæ eſt,

Vtrum circumſcripta re ſui fundamenti relatio poſſit ſignari per nomen primæ impoſitionis.

IN titulo. prima impoſitio eſt nomen rei, ſecunda verò nomen nominis, vt ſubſtantiæ animatæ ſenſitiuæ, nomen rei, & primæ impoſitionis, eſt vt animal. nomen verò nominis, & ſecundæ impoſitionis, eſt vt genus, ſubiectum, prædicatum. &c. Vel dicito ſecundum Auctorem, q̄ res ipſa, vel modus characterizatus ab ipſa re concipitur ſub nomine primæ impoſitionis, ſeu intentionis; modus verò rei nudus eſt attinens ad ſecundam intentionem. Eſt autem ſecundum D. Thomam modus quid conſequens ſubſtantiam rei, vt per rem intelligas eſſentiam rei abſoluram, vel abſolutæ per modum ◠ verò quid conſequens ipſam. Quo fit vt ſi relatio ſit modur tantùm ſimpliciter, atque præcisè, erit profectò nomen ſecundæ impoſitionis, ſeu intentionis. Si verò ſit res quædam, ◠ vel modus rei characterizatus à reipſa, ſ. deſignatus, & ◡ notatus ab ipſa re, tunc ſpectabit ad primam intentionē, ſeu impoſitionem Et nota q̄ in hac quęſtione ſermo eſt de relatione reali, quæ ſupponitur eſſe aliquid in creaturis diſtinctum à ſuo fundamento, ◠ vt vilum eſt in quæſtione ſexta quinti quodlib. vbi ſententiam Doctoris noſtri defendimus oſtendentes quomodo ſit quid diſtinctum ratione, & ◡ intentione in creaturis à fundamento, tametſi non diſtinguatur realiter. Et nunc quæritur an circumſcripta re ſui fundamenti, mereatur habere nomen primæ intentionis, quod non eſt præcisè idem quærere an diſtinguatur realiter à ſuo fundamento, ſed ſuppoſita determinatione habita in loco citato, ſ. in quæſtione ſex a quinti quodlibeti, hæc inducitur quæſtio.

In corpore duo præſertim. Primò quidem determinat relationem eſſe aliquid in entibus per ◠ vocem ſignatum. & non ſolam ◠ vocem, & quidem extra animam, contra ſtoicos. Amplius opiniones circa quæſtionem determinatam in quinto quolibet loco citato, quaſdam enumerat cum ſuis fundamentis, quæ tamen omnia breuiter, ac faciliter tangit. Vnde de hoc primo non eſt, quòd aliquid dicere debeamus. Secundò autem ◠ vna diſtinctione, atque duabus concluſionibus quæſito ſatisfacit.

Diſtinctio eſt de circumſcriptione fundamenti relationis, ſcilicet quòd aut circumſcribitur res ipſa per intellectum tantùm, ſiue per poſſibile, ſiue per impoſſibile, ◠ vt relatio fundatur in ipſa, non tamen ◠ vt characterizatur ab ipſa. Aut circumſcribitur vtroque modo.

Hæc diſtinctio declaratur per aliam diſtinctionem, quæ eſt de reſpectu, & ◡ ordine relationis ad ſuum fundamentum. ſ. q̄ ◠ vel conſideratur relatio quatenus fundatur in re ſui fundamenti præcisè ſine opere intellectus. Vel ſecundò, quatenus nè dum fundatur, ſed etiam recipit à re ipſa characterizationem ◡.

Not. ◠ vocabulum hoc venire à verbo Græco χαραχτηρίζω. Quod ſignificat notare, ſiue deſignare, hoc autem loco accipitur pro communicare. Vt ideò, characterizetur relatio à fundamento, ſcilicet vltra quod denotatur, & ◡ deſignatur, vult ſignificare, quòd fundamentum illi communicat, & impartitur realitatem ſuam, ita quod res cum ſuo modo accipitur, quā modus eſt ipſa relatio.

Prima concluſio. Relatio circumſcribens fundamentum ſecundum intellectum ſiue per poſſibile, ſiue per impoſſibile, aut per incompoſſibile, præcisè vt fundatur in ipſo fundamento, ſed non quatenus characterizatur ab ipſo eſt nomen primæ impoſitionis.

Secunda concluſio. Relatio circumſcribens fundamentum non ſolùm quatenus fundatur in ipſo, ſed etiam quatenus characterizatur ab ipſo, eſt nomen ſecundæ intentionis.

Probatur prima concluſio. Nomen rei eſt prima impoſitio, ſed relatio circumſcribens, &c. eſt nomen rei, igitur eſt prima impoſitio. Maior patet per diffinitionem primæ intentionis ſecundum omnes. Minor patet, quia quatenus deſignatur relatio, ◠ vel à fundamento illi communicatur realitas, rem immediatè ſignificat. Ideò eſt nomen rei.

Probatur

Probatur secunda conclusio Modus rei est secunda intentio, sed relatio circumscribens eo pacto est simpliciter modus rei, igitur est secunda intentio. Maior patet, quia modus rei est nomen nominis rei, sed nomen nominis rei est secunda intentio. igitur &c. Minor verò proposito per multa dicta Simplicij ad hoc tendentia probatur. Vt in relatiuis, siue in relatione sit res, & modus. Modus est ipsa nuda habitudo. Res est ipsa communicata realitas à fundamento, hæc autem communicata realitas si circumscribatur non remanet nisi modus.

Not. autem pio notitia huius negotij in primis illud, quod Aristoteles habet in 7. diuinorum, quòd accidentia non sunt entia nisi quia entis, quod certè illud dicit ex hoc, quod omne accidens alteri aduenièns illi est modus aliquis. Quo fit vt substantiæ aduenies accidens, illi accidens sit modus aliquis. Quippè accidens modificat substantiam. Non est autem, quòd cum accidens dicatur modus, ex se non dicatur aliquid, & ens, sed vtique taliter ens, vt non realiter ens, sed formaliter tantùm; realitatem namque sumit ab eo, in quo est, per characterizationem, videlicet per communicationem realitatis suæ. Characterizari namque accidens, vel modum à modificata substantia, est accidens recipere realitatem à substantia, quæ ideò characterizat accidens, quia illi communicat realitatem suam, & hinc est rursum, quod Aristoteles dicit, accidentia non esse entia nisi quia entis. Nunc autem cum relatio accidens sit, procul dubio & ipsa substantiam modificat, cui aduenit. Et ideò ab ea recipit realitatem per communicationem. Cæterum hic aduertendum est, quòd aliter, & aliter dicitur relatio modificare, & quodlibet aliud accidens. Quippè relatio modificat substantiam, tùm immediatè, cùm etiam mediatè. Cætera verò accidentia immediatè tantùm, quia etiam immediatè aduenium ipsi, quod vtique intelligendum est sicut declaraturi sumus. Sciendum itaque, quòd relatio non solum modificat substantiam immediatè, sed etiam qualitatem, quantitatemque immò & motum. quando in qualitate sit similitudo, quæ modificatur à relatione, & virtus, & vitium, & scientia, & ignorantia, & cætera, quæ ad inuicem referuntur. sic in quantitate adest æqualitas, duplum dimidium, &c. & sic de alijs, quæ omnia modificantur, quatenus in ipsis fundatur ipsa relatio, ab hisque omnibus characterizatur, hoc est recipit realitatem ab illis communicatam. Verum quoniam, vt dictum est, accidentia non sunt entia, nisi quia entis, neque quantitas, neque qualitas, neque cætera huiusmodi sunt entia, nisi quia entis, scilicet non sunt entia, nisi per realitatem communicatam illis a substantia, illud sequatur oportet, vt relatio dum modificat quantitatem, qualitatem, &c. immediatè, vtiq; mediatè modificet substantiã, i. substantiam quantã, qualẽ, mobilem, & .si non ergo characterizetur à fundamẽto suo ipsa relatio pròcul dubio est nomen nois, si vero characterizetur est nomen rei. Est nomen nominis primò, qm tũc præsupponitur nullam realitatem habere sui fundamenti, & ideò nomine suo non exprimere rem aliquam, sed tm nomen rei. nomen autem exprimens tantum nomen rei, est nomen nominis rei, quia nomen rei non exprimit nomen rei, sed rem. Est verò nomen rei secundò, quoniam dum habet realitatem communicatam a suo fundamento est idem quod nomen rei, quia tunc exprimit non tantum modum, & nomen sed ipsam rem, & sic credimus totum hoc negotium intelligi debere.

In responsione ad primum pro opinione priori, tangitur illud, quod relatio realiter non differt à fundamento, circa quod. iam satis disputatum est in quinto quol. quæst. 7. Ibi legito. In præsentia autem collige plura ad pauca, & responsionem tene ad argumentum. Quod illa propositio, quæ dicit, id, quod ad corruptionem alterius externi corrumpitur, est ens in anima, non autem extra animam; valet in his, quæ absoluta sunt, quoniam eorum esse consistit in vno. Non valet autem in respectiuis, vbi eorum esse non potest in vno consistere, sed in pluribus. Vnde numero plurali diffinit Aristoteles ipsa relatiua. Adde, quòd falsum est. Patris esse quid externum esse ipsi filio, immò est illi internum, quippè relatiua sunt, quibus hoc ipsum, quod sunt aliorum esse dicuntur Quo fit vt esse vnius consistat in esse alterius, esse patris consistit in esse filij. cætera verò diligenter in litera considerato.

In responsione ad primum pro alia opinione, collige plura ad hoc vnum, quòd prædicamenta sunt quidẽ omnia entia realia, quatenus contradistinguitur reale ab eo, quod est ens rationis purè fabricatum. ab intellectu, sed deindè ens reale diuiditur in eo, quod habet realitatem suam à se, & in eo, quòd habet per characterizationem, hoc est, per communicationẽ alterius. Vnde præsertim relatio est quidem prædicamentum, & ens reale, quatenus reale contradistinguitur ab eo, q est ens rationis Sed tamen non ita est ens reale, q suam realitatem habeat sine characterizatione fundamenti sui, vt dictũ est. Cætera autem, quæ quasi episodialiter adduntur ab Auctore ad hoc tendunt, vt manifestent, quomodo non omnis habitudo ad, constituit prædicamentum, sicut non omne, quod est in, constituit prædicamentum, sed solũ omnis habitudo, ad, constituit prædicamentum, vbi alterum extremorum est completiuum alterius. Vnde notillud, quod sæpè diximus, esse vnius consistit in esse alterius. Et hoc sicut omne id quod est, in, tanquàm in subiecto. non tanquàm pars. &c.

In responsione ad secundum, pro eadem opinione, nota illud, quod & alibi determinatum est, scilicet quomodo relatio in Deo accidens non est, ideò non recipitur in diuinis tanquàm in subiecto, quo fit vt si præter modum, & rem fundamenti est in alio tanquàm in subiecto, sermo debet esse de relatione creaturis adueniente. Sed quoniam totalis essentia realis, relationis completur à modo, & characterizatione, oportet, quod sm vtrunq; sit accidens in creaturis. cum igitur assumitur, quod præter modum, & rem fundamenti est aliquid inhærens subiecto, hoc negatur, quoniam essentia relationis completur in his, quæ dicta sunt, & secundum hæc dicitur esse in subiecto, adde tu vel mediatè, vel immediatè, vt declarauimus. Quomodo autem hoc verum sit ad longum declarat Auctor, quẽ diligenter necesse est legere, iterum hæc satis.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum scientia sit aliquid compositum in intellectu.

SEQVVNTVR quæsita pertinentia ad diuersas creaturas specialiter. Primò pertinentia ad creaturas intellectuales. Secundò ad creaturas non intellectuales.

Circa primum quærebantur quædam pertinentia ad intellectuales communiter tàm Angelicam, q̃ humanam, & vnum circa creaturam angelicam tm, & plurima circa creaturam humanam tãtùm. *Arg. prin.*

Circa primum proponebatur vnum ex parte intellectus: Vtrum scientia sit aliquid compositũ in intellectu & duo ex parte voluntatis. Quorum primum erat de voluntate, quo ad seipsam: vtrum voluntas moueat seipsam. Secundum verò erat de voluntate respectu intellectus: vtrum imperare sit actus voluntatis, an rationis siue intellectus.

Circa primum arguitur q scientia sit aliquid compositum in intellectu.

Primò sic. sciẽtia successiuè acquiritur. ergo habet partes, quarum vna acquiritur post aliam, oẽ aũt habens partes est cõpositum ex illis. ergo &c.

Secundò sic. per scientiam assimilatur homo cõposito scito. compositio autem non assimilatur, nisi per aliquod compositum. ergo &c.

Contra.

In oppos. Contra, non componitur ex materia & forma, quia non est nisi forma, nec ex accidente, & subiecto, quia non est subiectum alicuius, qui sunt duo modi compositionis, ad quos alij habent reduci. quare &c.

Responsio. Dicendum secundum ꝙ alibi exposuimus, loquendo de simplicitate Dei, ꝙ est quædam compositio, qua aliquid componitur alteri, & est quædam compositio, qua aliquid componitur ex alijs. Loquendo de primo modo compositionis, clarum est ꝙ scientia est compositum quid, quia componitur intellectui scientis, sicut accidens subiecto. Loquendo vero de secundo modo compositionis, cum ille multiplex sit, vt ibi est expositum, aliquis illorum conuenit scientiæ, & aliquis non. Est enim compositio, quæ est ex diuersis secundum rem in nullo conuenientibus, cuiusmodi est illa, quæ est ex materia, & forma, de qua vt procedit secundū argumentum, patet ꝙ scientia non est composita, quia est forma accidentalis non habens materiam ex qua, sed in qua tantùm, & non est dubitatio de scientia, nisi an sit composita ex partibus formalibus, vt scientia sit vna forma cōposita ex plūribus formis, & est causa dubitationis expressa in primo argumento. Et est dicendum, ꝙ omnis forma, quæ per agens naturale, aut modo naturali, transmutatione, quę motus est, educitur de potentia ad actum, partes habet in quibus successiuè esse aliud, & aliud sibi acquiritur, differens secundū compleūt & incompletum, proficiscendo ab incōpleto ad completum, ita ꝙ vnum eorum procedat de altero, vt de eo, quod est in potentia, & incompletum id quod est in actu, & completum, vltimo stando in aliquo simpliciter perfectò & completo secundum naturam illius formæ. Quarum partiū diuersitas tripliciter potest intelligi, aut secūdum rationem, aut secundum intensionem, aut secundum rem.

Primo modo partes habet omnis forma acquisita per motum intensionis, & remissionis, quia procedit de imperfecto ad perfectum in eadem forma specifica. Magis enim & minus in forma nunquàm differunt specie, sed numero tantùm, sicut magis album, & minus album, licèt accidentaliter magis differunt magis album & minus albū, quàm æqualiter alba. Quin ergo scientia sicut & albedo, & quælibet alia forma recipiens intensionem & remissionem partes habeat in sua essentia, quemadmodum & omnis forma alia recipiēs magis & minus, negare non possumus, immò expresse concessimus & exposuimus quomodo huiusmodi partes habeat talis forma in quæstione quadam de formarum intensione & remissione. Sed ex talibus partibus talis forma non est dicenda esse cōposita, quia secundum declarata in iam tacta quæstione, partes formæ recipientis intensionem, & remissionem non manent in eadem distinctæ abinuicem secundum suos gradus, in quibus natæ essent stare in diuersis, nisi secundum rationem tantùm, semper minus intenso manente in magis intenso virtute solùm, ita ꝙ essentia formæ eiusdem consideratæ secundum rationem intensi, & remissi semper existit simplex, non habens partes differentes re aut intensione inquantum huiusmodi, sed ratione tantùm. ita ꝙ in quocunque gradu fiat, gradus alij, qui virtute sunt in illo, non sunt differentes ab illo, nisi secundum rationem solùm. Quare cum differentia aliquorum in aliquo secundum rationem solùm non ponat compositionem in eodem, quemadmodū pluralitas rationum perfectionalium in Deo nullam compositionem ponunt in ipso: idcirco dico, ꝙ scientia in intellectu nullo modo dicenda est esse composita ex talibus partibus quànquàm successiuè acquirātur, quia. s. non manent, nisi in eodem simplici, in quo non habent distinctionem nisi secundum rationem solū. Aliter tamen secundum rationem sumitur hic differentia, & in Deo secundum rationes perfectionales, quia hic secundum rationem accipiūtur diuersi gradus in ipsa forma existētes virtute, qui sibi in eadem forma nati sunt succedere & seorsum stare, ibi verò secundum rationem in forma Deitatis non concipiuntur rationes perfectionales, vt diuersorum graduum, quia gradus in forma Deitatis nullo modo possunt esse nec intelligi, neque imaginari, nisi falso, sed solùmmodo vt diuersę rationes, quibus respondent in alijs formis diuersi gradus stantes seorsum in diuersis, differentes secundum rem. Vnde in Deo concipiuntur rationes perfectionales, vt differentes secundum rationem tantùm, & non secundum intensionem, nec secūdum gradus. In formis recipientibus intensionem concipiuntur partes essentiales, vt differentes secundum rationem, & gradus.

Secundo modo partes habet omnis forma, quæ species est sub genere, & sunt partes illæ genus & differentia, ex quibus componitur, non vt ex differentibus re, sed intensione tantùm. Et sunt aliqui qui ponunt, ꝙ licèt idem sint secundum rem, differentia sola intensione, genus, & quæcunque differentiæ eius existentes in eodem bruto, puta in eodem animali corporeum viuens spirans, & sensibile, in generatione tamen primò extenditur qđ generatur ab esse substantiali in esse corporeum, & ex corporeo in viuum, & ex viuo in spirans, & ex spirante in sensibile, & sic de cæteris, siue plura siue pauciora ponantur intermedia, vt sicut ex parte generationis non est medium mutationis simul cum principio, nec idem ipsi, nec finis simul cum medio, nec idem ipsi, sic nec ex parte formæ generatæ non simul generatur medium cum primo, nec vltimum cum medio, nec est idem ipsi secundum intensionem. Quàmuis enim, vt dicunt, in fine & vltimo habent esse vnum constitutum in substantia, si tamen simul habent illa diuersa esse substantiæ, quæ per motum recipiunt & complete, non habent nisi in vltimo. Qui sic dicunt generationem naturalem dicunt esse motum & formarum

tum inchoationes in materia: ita ꝙ de veritate formæ nihil acquiritur per generationem, sed solum esse aliud & aliud, secundum quod alibi plenius pertractaui. Vbi declaraui quomodo mihi visum est, quòd generatio non sit motus, sed mutatio in fine motus alterationis præcedentis præparantis subiectum secundum accidentia, vt sit materia necessitas ad generationem formæ, quæ tota secundum substantiam, & omne esse suum educitur de potentia materiæ. Sed quocunque modo se habeat, de hoc planum est, quòd id quod sic habet partes, siue successiue generatas, siue simul, est compositum ex diuersis non secundū rem, sed secundum intensionem generis, & differentiæ, sed talem compositionem ex partibus possumus ponere in scientia, quia partes secundum intensionē differentes habet, sicut albedo, & quæcunque alia forma substantialis existens in specie specialissima.

Tertio modo partes formales secundum rē habere aliquid in se contingit intelligere dupliciter, vel quod partes huiusmodi sint eiusdem rationis in toto, vel alterius, & alterius. Primo modo linea est composita ex diuersis partibus, quarum quælibet linea aliqua est, quas successiuè intelligunt lineam in se acquirere per motum, qui intelligunt punctum fluentem lineam facere. Talis compositio nullo modo est in scientia, quia non est nisi in simplici anima. Sed si aliquo modo intelligi possit esse composita, hoc erit quemadmodū si intelligamus geometriam vnum habitum scientiæ cōpositum ex diuersis habitibus diuersorum principiorum, & diuersarum conclusionum, vt videlicet quodlibet principium, & quælibet conclusio habeat proprios habitus i anima re diuersos, ex quibus integratur vnus. Et de isto modo prætendit, vt credo, quæstio suam difficultatem. Et est sciendum, ꝙ cum scientia sit habitus cognitiuus, qui cū habitu affectiuo continetur in prima specie qualitatis, quæ ex opposito distinguitur cōtra alias species qualitatis sub eodem genere, quę est qualitas: genus autem non descendat in species nisi per differentias, ex quibus cum genere cōponuntur species, necesse est ponere, quòd habitus simpliciter, qui est vna species qualitatis subalterna, componatur ex genere, & differentia. Cumque habitus cognitiui, & affectiui non sint eiusdem potētiæ, neque eiusdem rationis, necesse est ponere, quòd descendat habitus simpliciter in illos per differentias, & sic oportet ponere, ꝙ habitus scientialis simpliciter cōpositus sit ex genere, & differentia simpliciter. Sed quæstio proposita non quærit de compositione, quæ rationis est ex genere, & differētia, sed quærit de compotione reali, an sit composita ex partibus re diuersis, quarū vna acquiritur post aliam, vt primò pars vna, in qua consistit habitus principij: deinde pars alia, in qua consistit habitus conclusionis primæ, & sic deinceps. Quòd si sic scientia intelligatur esse composita, hoc modo scientia simpliciter, quæ in eodem scibile continet omne genus scientiæ, vt Grammaticam, Logicā, Metaphysicam, & cæteras omnes, dicetur esse cōposita ex illis. Et non est hæc compositio aliud, q̄ quędam aggregatio. Sed nec de hac quærit quæstio, quia sic quantuncunq; sunt scientiæ diuersæ, scientia vna posset dici composita, & sic vna ex illis. Sed quærit de scientia illa, quæ secundum veritatem dicitur vna ab vnitate subiecti, & non diuiditur: tamen successiuè acquiritur pars eius post partem. De quibus partibus est quæstio vtrum scientia sit aliqnod compositum ex illis. Et est hic scien dum secundum quòd determinauimus in quęstione: an Theologia sit vna scientia, ꝙ scientia non dicitur vna propter vnitatem realem secundā genus, aut speciem eorum, de quibus considerat, sed propter vnitatē rationis, & modi considerandi circa subiectum vnum, ad quod plura attribuuntur propter vnam formalem rationem considerandi omnibus conuenientem, dicente Philosopho in 2. Poste. Vnius inquantum vnum scilicèt secundū vnam rationē considerandi, vna est scientia. Vnde secundum quod determinauimus in prima quæstione de diuersitate Theologiæ ab alijs scientijs, si sint aliqua sic diuersa, quòd non communicant in ratione considerandi, nullo modo habent vnū habitum scientiæ in anima, vt moralis scientia, & Mathematica. Si verò fuerit subiectum idem secūdum rem: propter tamen diuersas rationes considerandi, illud non habet vnum habitum scientiæ in anima, sed diuersos. Quemadmodum naturalis scientia, & Astrologia, inquantum ambæ considerant motum cœlestium, quia non eodem modo, omninò sunt diuersi habitus in anima. Metaphysica autem, qaæ considerat de primo ente, & ideò de ente simpliciter, & omnibus entibus secundum rationem communem considerandi vt ens, vnicū habitum generat: aliarum autem scientiarū quęlibet secundum propriam rationem considerādi, vnum habitum generat. Et inquantum Metaphysica sub scientia simpliciter diuiditur contra alias, ipsa componitur ex genere, quod est scientia simpliciter, & propria differētia compositione rationis, & aliæ similiter abinuicem distinguuntur speciebus specialissimis, in quibus stat distinctio. Et est quælibet scientia stans in specialissimo vnus habitus, compositione rationis compositus ex genere, & differentia, non diuisibilis vlterius secundum formæ additionem, aut differentiam, sed in indiuidua, vt Grammatica in grammaricam Sortis, & grammaticam Platonis. Et quia quilibet talium habituum scientialium nō simul habetur, sed successiuè acquirendo partem post partem: ideò de vnoquoque talium est quæstio vtrum sit compositus ex illis partibus, & sic vtrum scientia sit composita compositione reali præter compositionem ex genere, & differentia, quæ est rationis.

Et est dicendū, ꝙ quælibet scientia, quæ est habitus in specialissimo scientiæ cōsistens, vnicus est, & simplex in re, carēs omni compositione reali ex

diuersis

diuerſis ſecundum rem vt partibus exiſtentibus,& manentibus in ipſo,& hoc æquali ſimplicitate illi, quam habet quilibet habitus affectiuus,& vniuerſaliter quælibet forma vna recipiens intenſionem, & remiſſionem, & hoc ſecundum modum iam ſupra tactum. Vnde non eſt minor ſimplicitas in habitu ſcientiæ Metaphyſicæ in quocunque gradu habeat eam aliquis, quàm in habitu temperantiæ, & quàm in albedine. Ita, ꝙ per primum actū generatiuum habitus habetur tota realitas habitus, quemadmodum ex primo actu generatiuo albedinis habetur tota realitas albedinis, licèt in gradu imperfectiſſimo, à quo habet procedere per intenſionis motum ad gradum perfectum. Sed habitus quouſq; ſunt ſub determinato gradu imperfectionis debiliter firmati in ſubiecto, & de facili mobiles, non dicuntur habitus, ſed diſpoſitio, quę fit ipſe habitus per profectū ad gradum vlteriorē. Et non eſt differentia, quo ad hoc in formis recipientibus magis, & minus niſi in actibus ſibi reſpōdentibus, quibus diuerſimodè diuerſæ formæ intenduntur, vt de imperfecto in eis fiat perfectum. Propter quod maior videtur eſſe differentia partium in quibuſdam, q̄ in alijs: & ideò maior appareret in eis compoſitio ex illis partibus, q̄ in alijs. Sunt enim de numero talium formarum quædam quæ non niſi ex actibus conformibus, & eiſdem ſecundum ſpeciem generantur, & augmentantur, vt ſunt illæ, quæ ſunt naturales, puta albedo, quæ ab actu infrigidandi generatur, & intenditur in niue, & hoc ſiue à diuerſis infrigidantibus, ſiue ab eodem, modo infrigidando intenſius, modo remiſſius, aut lumen, quod ab actu illuminandi generatur, & intenditur, & hoc ſiue à diuerſis luminoſis eandem partem medij illuminantibus, ſiue ab eodem illuminante modo remiſſius, modo intenſius. Sunt verò aliæ formæ recipientes magis, & minus, quæ generantur, & augmentant ex actibus diſformibus, vt ſunt habitus cognitiui ſcientiarum ſpecialium cōtinentium cognitiones principiorum, & concluſionum, quorum videnť eſſe diuerſi habitus, vt alius ſit habitus principiorum, alius concluſionum, & diuerſi habitus diuerſorū principiorum, & diuerſarū concluſionum, ex quibus componatur ſicut ex re diuerſa, ipſa ſcientia tota horum cognitiua, puta Metaphyſica, aut geometria, quali modo non videntur in ſe habere cōpoſitionem formę naturales nō ex actibus noſtris, ſed ex actibus naturæ generatæ, & augmentatæ. Sed non eſt ita, quia vnius talium ſcientiarum ſpecificatarum non eſt niſi vnicus habitus ſimplex, & non minus ſimplex, q̄ formæ naturales ex actibus vniformib. naturalibus generatæ. Et eſt vnuſquiſque habitus talium ſciētiarum ſpecificatarum generatus ex actibus noſtris cognitiuis, & augmentatus, ex quo etiam conſimiles actus habent elici, quemadmodum & ſingulæ virtutes, quæ ſunt habitus affectiui ſimplices, habitus ſunt elicitiui talīū actuum, ex quibus generantur.

Veruntamen ſi ordine recto acquirendi aliquem talium habituum cognitiuorum procedatur: primò habet generari ex actu cognitiuo, quo cognoſcimus primum principium illius ſcientię, & eſt in gradu infimo, & inquantum huiuſmodi eſt habitus principij primi, quod eſt principium cognoſcēdi alia principia poſteriora, vt ſemper præcedens ſecundum id, quod de habitu generatum eſt ſit principium, & diſpoſitio apud cognoſcentem cognoſcendi ſequens, ita ꝙ ex quolibet actu cognitiuo augetur, & intenditur habitus cognitiuus generatus à primo actu cognitiuo cognoſcendi primum principium ſimpliciter primum. Et ſemper quo ad hoc, ꝙ per ipſum habitus primus eſt intenſus, dicitur ille idem habitus eſſe habitus principij illius, vel concluſionis, cuius eſt actus. Et ſunt iſti actus cognitiui diuerſi, ſicut & ipſa principia cognitiua ſunt diuerſa, quorum quilibet plurificari poteſt ſecundum numerum, & ſic firmare, & intendere habitum, quo ad notitiam illius principij, cuius actus plurificantur, vt per hoc magis vnum principiorum cognoſcatur, q̄ aliud, & non ſolum ſic augmentat habitus in cognoſcendo plura principia pluribus actibus ſecundum ſpeciem differentibus, vel quaſi, ſed etiam in cognoſcendo idē principium pluribus actibus ſolo numero differētibus.

Cumque habitus dictus ſic ſit generatus vſque ad certum gradū ex actibus cognitiuis principiorum: ipſe habitus principiorum eſt principium, & diſpoſitio cognoſcendi concluſiones per actus proprios cognitiuos, qui etiam ſunt augmentatiui habitus præcedentis, & nullius alterius generatiui. Et quo ad hoc, ꝙ per actum cognoſcendi cōcluſionem habitus primus eſt intenſus; dicitur idē habitus eſſe habitus illius concluſionis, & etiā diuerſarum concluſionum, ſecundū quod per actus cognitiuos diuerſarum cōcluſionum augetur, qui ſunt diuerſi inter ſe quaſi ſpecie, & quaſi genere differentes ab actibus, quibus habitus principiorum eſt generatus, & augmentatus.

Quorum quilibet, qui eſt ad eandem concluſionē plurificari poteſt ſecūdum numerum, & ſic firmare, & intendere habitum eūdem, quo ad notitiam illius concluſionis, vt per hoc magis vna concluſio cognoſcatur, q̄ alia, & ſic non ſolum habitus augmentatur in cognoſcendo plures cōcluſiones pluribus actibus, quaſi ſecundum ſpeciem differentibus, ſed etiam in cognoſcendo eandem concluſionem pluribus actibus ſolo numero differentibus. Sed eſt aduertendum, quòd tàm circa principia, q̄ circa concluſiones varij ſunt modi cognoſcēdi, & eſt circa principia triplex. Principia enim cognoſcimus vno modo inquantū terminos cognoſcimus. Et eſt via definitiua, ſciendo quid dicitur per nomen. Principium etiam cognoſcimus alio modo via ſenſus, memoriæ, & expetentiæ. Principia etiam cognoſcimus tertio modo ratione ducente ad impoſſibile. Concluſiones etiam cognoſcimus ſyllogiſmo, ſub quo continetur enthyme-

ma,

nia, & inductione, sub qua continetur exemplum, & hoc vel habendo medium demonstratiuũ, vel habendo medium non demonstratiuum, & omnibus medijs augmentatur habitus in suis actibus, sed non nisi secundum intensionem, & remissionem, semper intenso, & remisso existente eodem simplici secundum rem, differente solum secũdum rationem, vt dictũ est supra de albedine. Cúmque habitus fuerit generatus, ex ipso habent elici actus consimiles eis ex quibus est generatus, & in singulis intenditur habitus, vt perfectius cognoscantur tàm principia, quàm conclusiones. Principia enim perfectius cognoscuntur, cum ex ipsis cognoscuntur conclusiones elicitæ, & cõclusiones perfectius cognoscuntur cum cognoscuntur in principia resolutę, & vnum principium perfectius cognoscitur iuxta alterum cognitũ, & vna conclusio iuxta alteram, & singula cognita iuxta singula, non solum in principijs, & conclusionib. vnius scientiæ, sed plurium, siue sint penitus diuersæ, siue se habeant ut pars & totũ, siue ut subalternãs, & subalternata, de quorũ differentijs alibi lo quuti sumus. Quòd ergo arguitur primo, ꝙ scięti̇a est composita, quia acquiritur pars post partem. Dicendum, quòd nõ oportet hoc de scientia plus, q̃ de albedine. Non enim habet partes plures nisi uirtute, & ratione sola differentes, sicut nec albedo, ut dictum est. *Ad primũ primo.*


Ad secundum, quòd scientia est compositum, quia per ipsam sciens assimilatur composito. Per idem posset probari, quòd Deus esset compositus, quia sua scientia, quæ est, sua essentia assimilatur composito. Ideo dicendum, quòd forma in re cõposita sicut est principium, & ratio essendi, & sui ipsius, ut est aliquid compositi, & totius compositi inquantum est cõpositum, & materiæ, ut est aliquid in ipso, sicut est principium cognoscendi eorundem, & est per se mensura scientiæ, quę habetur de scibili. Et ideò sicut ipsa simplex est, licèt dat esse composito, & materiæ, sic & scientia mensurata secundum ipsam simplex est, licèt per ipsam habeatur scientia de composito. *Ad secundum.*

Comment. in Quæstionem Quartam, quæ est,

Vtrum scientia sit aliquid compositum in intellectu.

IN titulo not. ꝙ non quæritur de compositione scientiæ respectu sui subiecti, neque obiecti, nec conclusionum, &c. sed circa duplicem compositionem resoluitur quæstio, quarum altera est compositio, qua componitur cum intellectu, & altera, qua componitur in sui essentia. Et not. etiam, quòd dum sermo est de compositione secunda, vt videre est in corpore quæstionis, non est sermo de compositione secundum rationem, neque accipitur scientia genericè, sed specificè.

In corpore quinque conclusionibus resoluitur quæstio iuxta membra diuisionis, & membrorum subdiuisorũ. Quæ omnia ad figuræ, vel quasi tabellæ formam redigere curauimus, vt facilius ante oculos poneretur legentis. Esto igitur.



Ex his positis conclusionibus credimus nos ad Auctoris mentem solutam esse quæstionem. Tenemur autem etiam rationes, quibus probantur, & ea quibus declarantur, elicere.

Quo igitur ad primam conclusionem attinet. Probatur. Quod vnitur tanquam accidens suo subiecto, illi subiecto componitur, & est compositum alteri, sed scientia hoc pacto vnitur intellectui scientis, igitur componitur illi, & composita dicitur. Et hæc de prima. Pro subsequentibus autem.

Not. quòd scientia quædam forma est, & si componi debet secunda compositione, oportet, quòd composita sit ex pluribus partibus formæ, & hoc videtur possibile, nempè formam huiusmodi habere partes, quia not. ꝙ hoc loco accipitur scientia pro habitu, & quidem acquisito; hic autem habitus non educitur vnico actu de potentia intellectus, sed pluribus: hi autem actus videntur esse partes ipsius habitus, & quidem essentiales, nam illa ex quibus aliquid generatur videntur esse essentialia: si ergo ex actibus pluribus generatur scientiæ habitus, videtur, quòd illi actus sint partes essentiales.

Probatur modo secunda conclusio. Ex partibus differentibus tantùm ratione, & non realiter, neque secũdum intensionem, non resultat aliquod compositum, sed partes scientiæ, actus, vnde generatur, non differunt nisi secundum rationem, igitur ex illis non resultat compositum, & per consequens scientia non est composita.

Probatur

Probatur minor, quia non differunt nisi secundum magis, & minus, sed quæ differunt hoc passio non differunt realiter; igitur &c.

Not. quòd ad faciendam compositionem, oportet, q̃ partes remaneant in composito secundum suos gradus distinctæ, actus autem, ex quibus gignitur habitus, non manent distincti secundum suos gradus; quia solum intenditur, quod inuenitur.

Quo ad tertiam conclusionem. Probatur ipsa sic: Quod ex partibus differentibus secundum intensionem compositum est, dici potest compositum compositione intensionis, sed scientia est huiusmodi, igitur &c.

Not. q̃ videtur inter hanc, & supra positam conclusionem, quandã contradictionem esse, ad quam tollendam animaduertendum est, q̃ partes, ex quibus aliquid componitur, seu generatur, semper aliquo modo sunt differentes, & cum sint differentes, vel considerantur quatenus differunt secundum rationem, vel secundum intensionem, vel secundum rem, vt dictum est. si considerentur primo modo, tunc posita est secunda conclusio negatiua, quoniam differentia rationis nõ est apta, atque sufficiens ad faciendam compositionem, quæ sit illis partibus, quatenus huiusmodi, correspondens, quoniam videmus semper vnum resultare, quod est simplex secundum rationem, & si in eo resultat aliqua compositio, profectò est, quatenus resultat à partibus acceptis secundum differentiam intensionis, vbi semper actus posterior videtur intensior anteriori, qui & magis habitum intendit, & genus ipsum, atque differentia intenditur. Et not. quod hoc valet tantùm in formis suscipientibus magis, & minus.

Quo verò ad quartam conclusionem, not. quod sumitur scienti à specificè specie specialissima, & hoc ad differentiam genericæ, quæ componitur ex aggregatione plurium scientiarum. Dicitur & reali compositione, ad excludendam compositionem ex genere, & differentia, quæ rationalis est.

Probatur modo conclusio. Scientia non est nisi in simplici anima, igitur nullam habet compositionem, Antecedens notum est: consequentia verò probatur, quia in simplici non potest esse tanquam in subiecto nisi simplex, sed scientia est in anima realiter sicut in subiecto, igitur non potest esse nisi simplex.

Præterea non minus se habet de scientia, ac se habeat de formis naturalibus suscipientibus magis, & minus, vt de albedine, sed albedo quantuncunque genita ex pluribus actibus simplex forma est, & non composita, igitur & scientiæ. Patet assumptum, quoniam & albedo forma est, quæ recipitur in subiecto. Immò fortius videtur argui simplicitas scientiæ, quia si forma naturalis est simplex, quæ recipitur in subiecto composito, scilicet in corpore, quanto magis erit scientia simplex, quæ recipitur in simplicissimo subiecto, sicuti est anima.

Quo ad ultimam conclusionem, patet, quoniam quantuncunque actus, & modi sint diuersi, quibus aggeneratur scientia, vel faciunt nisi, q̃ augent scientiam secundum intensionem, sed quantuncunque forma augeatur secundum intensionem semper est simplex, igitur & scientia.

Cetera clarà uidentur, ut mediocri lectori possint esse nota.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum voluntas moueat seipsam.

Arg. prim. CIRCA Secundum arguitur, q̃ voluntas non moueat seipsam, quia cum ipsa sit simplex, vna, & eadem, tunc idem respectu eiusdem esset simul actu, & potentia, quia mouens in eo, quòd mouẽs, in actu est respectu moti, & motum in potentia est respectu mouentis. Illud autem est impossibile, quia actus, & potentia sunt contraria circa idem quæ sese non compatiuntur.

In oppos. Contra. Graue quod materiale quid est mouet seipsum cessante generante, & non existente prohibente, & similiter animalia in motu progressiuo: ergo multo fortius voluntas, quæ est quid immateriale.

Resolut. q. Hic oportet considerare sex habentia se per ordinem secundum rationem mouendi, quæ secundum ordinem suum, maiorem & minorem differentiam habent inter mouens, & motum. In primo enim minus differunt, quàm in secundo, & sic deinceps, & hoc largissimè accipiendo motũ ad motum secundum rem, & propriissimè dictũ, & ad motum secundum rationem, & improprissimè dictum. Et vniuersaliter verum est in omnib. mouentibus, & motis, quòd virtus, & ratio mouentis, & moti necessariò sunt cõtrariæ, quia vt procedit prima obiectio, virtus, & ratio mouentis est ex dispositione perfectionis, qua est in actu, & fluit in aliud: virtus autem moti est ex dispositione imperfectionis, qua est in potentia, & recipit ad suam perfectionem aliquid ab alio. Et ideò vniuersaliter mouens nullo modo motus, cuiusmodi est Deus, & vniuersaliter motum nullo modo mouens, cuiusmodi est prima materia, summè distant secundum essentiam, quia Deus est purè actus, & summè perfectus: materia verò est pura potentia, & summè imperfecta. Illa autem sex, quæ dicto modo se habent per ordinem secũdum rationem mouendi, sunt ista. Primum est voluntas diuina in volendo. Secundum est voluntas creata in volendo, de qua est quæstio, & propter quam ad maiorem declarationem eius de alijs sermonẽ inducimus. Tertium est intellectus creatus in intelligendo. Quartum est graue, aut leue in mouendo seipsum, de quo procedit secunda obiectio.

Quintum est animal in mouendo seipsum motu progressiuo. Sextum est generans in mouendo aliud extrà se separatum ad alicuius generationẽ. Primum istorum mouet seipsum in volendo siue ad actum volendi. Et non differunt voluntas, vt mouens, & mota, nisi secundum rationem tãtum, sicut & ipsa volitio secundum rationem tantum differt ab eisdem. Vnde & largissimè loquendo, & nomen extendendo, velle siue actus volendi Dei motio, siue motus quidam secũdum rationem dicitur in diuina uoluntate, & secundum rationem uoluntas ipsa inquantum mouens, est quasi perfectum, & in actu: & inquantum quasi motum est quasi imperfectum & in potentia, & ipsa uolitio est quasi motio, & actio existentis quasi in potentia.

Ita ꝙ dicere ꝓ ſecundum ꝙ eſt quaſi in potentia ſit mouens ſeipſum, hoc eſt impoſſibile, ſed ſolùm ſecundum ꝙ eſt in actu mouet ſeipſum ſecundum ꝙ eſt in potentia. Cętera verò mouentia, & mota ſecundum ꝙ ordine naturæ magis recedunt ab ipſo, maiorem habent & minorem differentiam inter mouens & motum. Vnde vltimum mouens & motum in ſexto gradu mouens, & motum differẽtiam habent inter ſe ſecundum ſubſtantiam, & eſſentiam, & diſtant loco, & magnitudine, cũ mouentia & mota in alijs gradibus intermedijs non penitus differant ſecundum ſubſtantiam aut ſecũdum locum. Vnde in quinto gradu vbi animal mouet ſeipſum motu progreſſiuo, mouens & motum partim differunt ſecundum ſubſtantiam, & partim non, & partim diſtant loco & partim non. Et incipiendo à ſummo, Philoſophus in tertio de anima determinat, ꝙ primum mouens ſecundum locum non eſt potentia vegetatiua, quia ipſi non reſpondent organa progreſſionis in plantis, neque intellectiua ſpeculatiua, quia non ſpeculatur agibilia, propter quæ eſt motus, neque intelligentia practica, ſecundum quod determinat. Et ſecundum quod ibi expreſſius dicit Themiſtius, practicus intellectus non eſt dominus motus, quia ępè meditatur dignum fuga, puta terrę motum aut beſtiam, & ſaltat cor, tamen manet in loco animal, & delectabile aliquod particula corporis ſentit, quieſcit tamen totum animal, tanquàm alio exiſtente domino eius quod eſt moueri. At verò neque cõcupiſcentia motus domina eſt, neque ira. Continentes enim irati concupiſcentes quieſcunt. Et concludendo determinat, ꝙ hæc duo mouent appetitus, & intellectus practicus: ſed intellectus non mouet, niſi quia appetitus mouet. Vnde in motu animalium progreſſiuo mouens eſt anima bruti ſecundum appetitum ſenſitiuum, animal verò quod eſt homo inquantum homo, ſecundum appetitum rationalem, qui dicitur voluntas. Totum autem compoſitum eſt motum. Sed quia animal non mouetur niſi organicè, oportet, ꝙ ſit organum aliquod quo anima ſecundum appetitum vtitur ad motum, in quo ponendum eſt id quod apperit vt mouens eſt. Vnde dicit Auerr. Corpus mouetur à primo inſtrumento, ita ꝙ primum inſtrumentum quod mouet, & quod eſt ſubiectum animæ deſideratiuæ, eſt in corpore animalis in vno loco, à quo expelluntur partes quędam, & ad quem attrahuntur partes aliæ, & cum hoc oportet quòd in illo ſit idem aliquid quod principium, & finis motus eſſe poſſit. Omnis enim motus compoſitus ex attractione, & expulſione neceſſe eſt, vt principium à quo ſit expulſio ſit finis ad quem eſt attractio, ſicut motus gyratiuus. Quoniam autem motus animalis compoſitus eſt ex attractione, & expulſione manifeſtum eſt. quoniam quando pars dextra mouetur à nobis, & ſuſtentati ſumus ſuper ſiniſtram, tunc quædam partes illius partis erunt expulſæ ad anterius, vt anteriores, & quædam attractæ, vt quæ ſunt poſteriores, & attractio, & expulſio earum nõ eſt in rectitudine, ſed ſecũdum lineas magis curuas, quàm rectas, & ideò aſſimilatur gyro. Et iſta pars quieſcens eſt per motum attractionis finis, & per motum expulſionis principium. Et ideò neceſſe eſt ibi eſſe gibbum, ita ꝙ lignum medium in gibbo ſit quieſcens, à quo erit principium expulſionis, & in quod erit finis attractionis, & concauum ſit motũ, tàm à dextris, quàm à ſiniſtris. Et ſunt principium & finis in hoc motu diuerſa definitione, magnitudine autem idem, ſicut centrum. & quod tale eſt in animali, eſt cor.

Ad cuius ampliorem intellectum, quia Auerr. nõ viderat dicta Ariſtotelis in libris de motu progreſſiuo, & de cauſis motus animalium, quia non habuit eos tranſlatos, vt dicit in paſſu iſto: Sciendum ꝙ in omni motu animalis ex ſe, generale eſt id quod mouetur & mouet ex ſe habere aliquid fixum immobile in quo figitur & ſuſtentatur, & hoc tàm intra ſe, quàm extra ſe. De eo enim qđ tale debet eſſe intra ſe, dicit Philoſophus de cauſis motus animalium in principio. Omnis motus animaliũ oportet ſi moueatur aliqua particula, quieſcere aliquam. Et propter hoc iuncturæ in animalibus ſunt, quemadmodum enim centro vtuntur iuncturis, & fit tota pars in qua eſt iunctura, & vna & duæ, & recta & curuata, permutatis potentia, & actu propter iuncturam, quod autem in iuncturis potentia, & actu ſunt aliquando quidem vnum, aliquando autem diuiditur. Sed ſemper principium primum inquantum principium quieſcit mota particula, quæ de ſubtus, vtpote brachio quidem moto cubitus, toto autem membro humerus, tibia quidem genu, toto autem ſcaleo vertebrum. Et infra. Quare ſi animal eſſet brachium: hic vtiq; eſſet principium animæ mouentis. & infra. Semper autem neceſſe eſt in medio eſſe amborum principium animæ mouentis. amborum enim extremorum medium vltimum. De eo verò quod tale debet eſſe extra ſe, dicit ibidem inter iam dicta.

Quod quidem igitur vnumquodque in ſeipſo aliquid oportet habere quieſcens, vnde principium eius quod mouetur, erit manifeſtum: ſed omnis, qui in ipſo quies inſufficiens ſi non ſit aliquid extra ſimpliciter quieſcens, & immobile. Quemadmodum enim in ipſo oportet aliquid immobile eſſe ſi futurum ſit moueri, ſic adhuc magis extra animal oportet eſſe immobile, ad quod appulſum mouetur quod mouetur.

Si enim cadit ſemper puta muribus, qui in arena progrediuntur: non procedit ipſum animal, ſi non terra maneat, neque volatio, aut natatio, ſi nõ mare aut aer ſiſtat. Et vt dicit de motu progreſſiuo animalium, ſemper permutatur quod mouetur firmatum ad ſuppoſitum ipſi.

Propter quod siue subtus feratur hoc velocius, q̃ vt firmati quæst quod facit in ipso motum, siue totaliter, neque vnam habet resistentiam his, quæ mouentur: nihil in ipso potest mouere seipsum. Et vt dicit de causis motus animalium necessariũ autem & hoc alterum esse à moto, & totum à toto, & partem nullam esse eius, quod mouetur. & infra. Talia omninò necesse, & in ipsis habere quiescens & extra ad quod propulsentur. Quæ vt dicit ibidem, non solùm necessaria sunt in motis ex se secundum locum, sed in motis secundum inspirationem & respirationem, & alijs motibus ex se. Ad sciendum autem specialiter modũ motus progressiui animalium, qui tactus est in argumẽto: dicit in de mõtu progressiuo. Semper qđ mouetur duabus vtitur organicis partibus quibus facit motum. & hoc distinctis in eodem secundum dextrũ & sinistrum. secundum ꝙ post pauca subdit dicẽs. Vnum corporis secundum locum mutationis principium natura, hoc quidem dextrum. Oppositum autem quod natum est sequi, sinistrum. Et vt dicit de motibus animalium; amborum necesse est in medio esse principium animæ mouentis, sed mouens ambo necesse est vnum esse. Hoc autem est anima, alterum existens à magnitudine tali: his quidem in corde: his autem in proportionali. Et secundum ꝙ determinat in tertio de anima, hic oportet quatuor considerare per ordinem se habentia. Quorum primum est mouens non motum: quod est bonum appetibile cognitum. Secundum est mouens motum, sed alio motu, quàm mouet, quod est vis animæ appetitiua mota ab appetibili cognito, motu alterationis duplicis. & hoc tàm in appetitu rationali, quàm sensitiuo. Bonum enim appetibile, & malum fugibile alterando causant sensus, phantasias, & intellectus. Phantasiæ autem & intellectus habentes virtutes rerum ingerunt passiones potentijs appetitiuis. Phantasiæ enim appetitiuas virtutes, sensitiuas secundum calidum & frigidum in suis organis alterant primo, & statim atque continuò alterant eas motu appetitus, vt de non appetẽte fiat appetens, cumque appetitus sensitiuus sic motus fuerit motu alterationis duplicis, statim impetuosè mouet membrum organicum motu locali duplici, attractionis & expulsionis, vt iam videbitur, tanquàm id quod mouet alia motu consimili. Secundum enim ꝙ dicit Philosophus ante finem de motibus animalium, alterato propter sensum loco, qui circa principium, aut permutato secundum caliditatem, & frigiditatem, aut secundum aliquam aliam talem passionem, cum fiat alteratiõ circa cor: habitę simul permutantur extensæ, & conductę partes, vt ex necessitate propter hoc fiat motus in animalibus. & multam facit corporis differentiam in ruboribus, & palloribus, & timoribus, & tremoribus, & his contrarijs. Intellectus autem operabili cognito alterat passione quadam spiritualis affectionis voluntatem, vt iam infra videbitur, ad quam sequitur alteratio secundum appetitum quando de nõ volente fit volens, & tunc imperio suo mouet organa motu locali, quemadmodum mouet appetitus sensitiuus, vt dictum est.

Vnde tertium est mouens motum, & eodem motu mouens, quo mouet scilicet motu locali. & est membrum, quod est organum virtutis appetitiuæ, & motiuæ in corde vel in proportionali, qđ secundum quod iam dicetur mouetur à vi appetitiua animæ attractione, & expulsione, & motum mouet aliàs partes habitas, & consequenter se habentes ad se, sed vicissim tali motu modo existente in dextra parte modo in sinistra, & non simul in vtraque, quia vna mota necesse est alteram quiescere, vt dictum est, & iam amplius declarabitur.

Quartum verò est motum non mouens, & sunt partes habitæ, & membra animalis exteriora. Alio tamen & alio modo mouetur organum illud secundum partes, dextram scilicet & sinistram, à vi appetitiua attractione & expulsione, quàm ab ipso eodem motu mouentur partes habitæ, vt iam dicetur.

Prædicta autem quatuor Philosophus in fine tertij de anima reducit ad tria dicens sic. Et primum quidem mouens depellit, & non depellitur, vltimum autem solùm depellitur non depellens: medium autem vtraque, multa autem media, & sic mouens & motum reducit ad vnum. Multum tamen ad propositum valet videre distinctionem eorum secundum differentem modum mouendi, vt iam patebit. Et sic, vt dicit ibi Commentator, motio in talibus componitur ex tribus, scilicet primo motore, medio, & postremo moto.

Medium autem potest esse vnum & plus vno. Illud autem organum de quo iam habitus est sermo, est circa principium quod est medium cordis vel proportionalis, in quo principaliter est vis animæ appetitiua & motiua, vt in signo indiuisibili quod ambitur ab ipso organo secundum partes suas distinctas penès dextrum, & sinistrum, antrum & retro, superius & inferius. Principaliter tamen penès dextrum & sinistrum. Et est ipsum organum totum potentia quidem vnum: operatione autem duo, quia altero quiescente in eo puta sinistro, alterum mouetur puta dextum, sed hoc vicissim, secundum quod hæc omnia colliguntur sparsim extra de motibus animalium, quæ omisit declaranda in libro de anima, promittendo ibidem horum declarationem in hoc libello. Et licèt, vt dictum est, vicissim altero dictorum quiescente alterum mouetur: neutrum tamen eorum ab altero mouetur: sed ambo à tertio immobili quod est anima. quia vt dicitur octauo Physicor. non contingit ipsum seipsum mouere sic, quòd vtraque pars moueatur ab vtraque, ita quòd sit motus reciprocus.

Et vt

Et vt dicit ante finem de motibus animalium, loquens de dextro & sinistro & in organo dicto contrarijs mouentur, vt non sit in quiescendo super dextrum moueri sinistrum, neque in eo quod habet illud. Semper autem in superiori amborum principium, & necesse in medio esse principium animæ mouentis. amborum enim extremorum medium vltimum. Et sicut hoc medium est principium motus inter dextrum, & sinistrum, similiter & inter partes secundum alias differentias positionis. vnde continuò subdit. Similiter autem habet & ad alios motus hoc, & ad eos, qui desursum & deorsum: puta eos, qui à capite, ad eos, qui à spina. Nullo igitur modo est hic motus reciprocus existens medium, quod est terminus cõmunis amborum, nisi quo ad hoc, ꝙ vt dictum est, medium illud est terminus vtriusque existens in vtroque, & mouens vtrunque, sed dextrum, vt quiescit in sinistro, & sinistrum vt quiescit in dextro, secundũ ꝙ iam declarabitur, vt secundum hoc quoquo modo dextrum possit dici moueri à sinistro & è conuerso. Vnde quia istæ partes habent moueri, & quiescere vicissim ab anima, & per illas aliæ partes animalis exteriores: ideò dicit circa finem de motibus animalium, ꝙ necesse est illud organum non esse punctum, sed magnitudinem aliquam, & hoc diuisam in dextrum & sinistrum, vt secũdum hoc in animali secundum omnem motum quo mouetur ex se, intelligamus ista tria. Primò signum vnũ indiuisibile in medio dicti organi inter sex differẽtias positionis, quæ sunt dextrum, sinistrum, ante, retro, sursum, deorsum. licèt principaliter inter dextrum & sinistrum, secundum quę principaliter illud organum distinguitur. dicente Philosopho in de motu progressiuo. Oportet esse commune secundum ꝙ continua hæc sunt ad inuicem, & hic existere principium motus vtrarunq; partium similiter & stationis secundum eam, quæ dictarum partium copulationem. Dico autem dextrorum & sinistrorum, & eorum quæ superius & inferius, quæ posterius & anterius, quod signum necessariò est quiescens, quia in omnibus permutationibus fieri oportet inflexionem & rectificationẽ, & principium esse & finem, vt propterea modicus motus in sensibili parte circa illud medium, siue secundũ alterationem, siue sm̃ locum, secundum modum magnitudinis suæ multum & magnũ motum facit in cęteris partibus corporis. quoniam vt dicit de caulis motus, modica permutatio facta in principio multas & magnas facit differẽtias deinceps: veluti gubernaculo secundum aliquid modicum transposito magna prorę fit transpositio. Secundo verò intelligimus partes organi, quæ sunt propinquæ signo, & circunstantes illud per continuationem ad ipsum, quæ principaliter intelliguntur ad propositum esse dextra & sinistra, quarum quælibet habet in se ante & retro, sursum & deorsum. Tertio verò hic intelligimus cęteras partes habitas in animali tàm interiores, quàm exteriores circumstantes illud organum, quæ simul mouentur moto organo. & hoc motu magno ad motum parvum in orgãno, & tãtò maiore quantò partes sunt exteriores, & magis remotę à medio, & ab organo. quemadmodum in corpore orbiculari moto motu reuolutionis maximum habent motum & velocissimum partes, quæ sunt extra in superficie, minimum, verò & tardissimum partes, quæ circa centrum. Quemadmodum etiam si vnico motu simul moueantur rotæ, minor rota in maiori, minor enim rota, vt dicit Philosophus, quasi centrum est maioris. Et non solùm in hoc differunt motus organi, & partium habitarum, quia tunc non esset essentialis distinctio in motu animalis inter organum illud & cæteras partes, vt organum dicatur mouens & motum, cęteræ autem partes motæ tantùm, sed differunt in modo tractus & pulsus, qui sunt principia motus localis. In partibus enim dextris & sinistris dupliciter fiunt tractio, & pulsio, & hoc principaliter, sed eisdem modis etiam in alijs secundum alias differentias positionum. Vno modo in partibus organi: Alio modo in partibus habitis.

Vno enim modo est tractio partis per eius contractionem, & abbreuiationem. quemadmodum videmus in animali, quod vocatur intestinum terræ, quod cum partes anteriores, aut posteriores contrahit ad medium corporis sui extensi secundum longum, rugescit pars cõtracta, & contracta siue retracta breuior facta est.

Alio verò modo est tractio partis absque eius contractione, & abbreuiatione, quemadmodum si quis in curuando genu attrahat tibi tibiam. ex hoc enim tibia nec contrahitur, nec rugescit, aut breuior fit.

Similiter vno modo est pulsio partis eius per extẽtionem & prolongationem, quemadmodum videmus in intestino terræ, quod partem quam primo contrahit attrahendo, deinde in suo progessu extendit quasi extra se pellendo.

Alio vero modo est pulsio partis absq; eius extensione, & prolõgatione, quemadmodum si quis genu incuruatum rectificet, & per hoc pellat à se tibiam: ex hoc tibia in se non fit magis extensa, nec longior.

Primis modis tractus & pulsus fiunt in partibus dextris & sinistris organi, quæ propinquæ sunt dicto principio. dicente Philosopho in fine de motibus animalium. Propter hoc & spiritus complantatus hic videtur existens naturaliter ad hoc ꝙ sit motus & exhibeat virtutem. opera autem motus pulsio, & tractio. quare oportet organum augeri posset & abbreuiari. Talis autem est spiritus natura, qua vtitur anima sicut instrumento in mouendo organum illud.

Alijs autem modis tractus, & pulsus fiunt in partibus habitis: ita quòd in partibus organi fiunt tractus, & pulsus, sicut in sentiente, & animato: anima scilicet vt est in vna parte:

attrahente ſibi aliam, licèt principaliter attrahit, vt eſt in ſigno medio quieſcens. propter quod organum hoc eſt mouens motũ, non tamen quia per ipſam mouentur partes habitæ, ſed quia per vnã alia. quemadmodum contingit in motu partium inteſtini tetræ. Hinc dicit ante finem de cauſis motus. Et rationabiliter accidit. Etenim ſenſitiuum hoc dicimus eſſe, quare alterato pp ſenſum, &c. vt iam ſupra. In partibus verò habitis fiunt tractus, & pulſus non ſicut in ſentiente, ſed ſicut in animato nihil operante ad motum, quemadmodũ manus tenens baculum attracta attrahit ſimul & baculum, nec eſt differentia in hoc propter quod pars habita eſt mota non mouens. Hinc dicit Philoſophus parum ante verbum iam dictum. Quoniam autem cõuenit & ad manum habere aliquid inanimatorum, puta ſi moueat baculum, manifeſtum quia non erit vtique in neutro extremorum anima, neque in extremis eius quod mouetur, neque in altero principio. Etenim lignum habet principium, & finem ad manum. Itaque & propter hoc etſi non in baculo mouens ab anima principium ineſt, neque in manu. Similiter enim habet, & extremum manus ad carpon, & hæc pars ad cubitum. nihil enim differunt, quæ ſunt adnata, ab his quæ non. fit enim quemadmodum auferibilis pars baculus. Et ſic principium mouens ſecundum locum, inquantum mouens nullo modo habet eſſe in partibus habitis, ſed vt motum tantùm. In partibus verò organi habet eſſe, vt motum & mouens. In ſigno verò medio, vt mouens tantùm, & non motum, niſi per accidens, inquantum mediũ ſignum non habet eſſe niſi in extremis motis. Hinc dicit Philoſophus in fine de cauſis motus. Exiſtimandum autem conſtare animal quemadmodum ciuitatem benè legibus rectam. In Ciuitate enim quando ſemel ſtabilitus fuerit ordo, nihil opus eſt ſeparato monarcha, quem oportet adeſſe per ſingula eorum, quæ fiunt, ſed ipſorum quodlibet facit quæ ipſius, vt ordinatum eſt, & fit hoc poſt hoc propter conſuetudinem. In animalibus autem idẽ hoc propter naturam fieri, & quia natum eſt vnũquodque ſic conſtantium facere proprium opus, vt nihil opus ſit in vnoquoque eſſe animam, ſed in quodam principio corporis exiſtente, alia quidem viuere, eo ꝙ adnata ſunt, facere autem proprium opus propter naturam. Quod quidem principium corporis, licèt ſit principaliter in cordis medio reſpectu totius corporis, cum totum corpus mouetur de loco ad locum, eſt tamen etiam quoquo modo in qualibet iunctura, cum manente toto corpore in eodem loco, mouetur pars eius aliqua in ſigno aliquo medio inter quieſcens, & motum reſpectu partis motæ ad partem quieſcentem. Quemadmodum enim centro animalia vtuntur iuncturis, vt habitum eſt ſupra, & fiunt ſemper tractus, & pulſus in partibus habitis, manente in eiſdem eadem figura ſicut & eadem magnitudine quemadmodum contingit in motu inſtrumentorum ſeſe impellentium & trahentium. In partibus verò organi mutata figura ſicut & quantitate, dicente Philoſopho de cauſis motus. Poſtmodũ in automatis quidem & curribus nõ eſt alteratio, etiam ſi fiant minores, quæ intus rotæ, & circulo mouentur. In animalibus autem poteſt & maius & minus fieri, & figuræ permutari augmentatis partibus. Immò licèt in partibus habitis non trãſmutentur ſecundum figuram, aut ſecundum quantitatem, tamen in partibus organi neceſſe eſt ea mutari vtroque modo. Semper enim in eis contrario fit ad ſignum medium quieſcens, non ſecundum lineam rectam, ſed ſecundum curuam partis illius quæ mouetur. Et hoc partibus inquantum mouentur motu cõtractionis motis ab anteriori, & ſuperiori verſus poſterius, & inferius ad ſignũ medium, manente parte quieſcente à motu progreſſus ſecundum lineam rectam per totum motum incuruationis partis alterius. Sed linea illa recta inquantum continuatur ſigno medio inclinatur ad poſterius ab initio, licèt quouſque incipiat incuruari ſemper magis, ac magis declinet ad anterius, vt idcirco tàm propter vnius partis incuruationem, quàm propter alterius rectitudinem ipſum ſignum medium neceſſe ſit tendere ad poſterius, & propterea verſus poſterius facere gibbum inter partes, vt concauum ſit verſus anterius, ita quòd ſi ſimul contrahantur pars dextra & ſiniſtra, eſt quædam incuruatio ad anterius, inter arcus partis dextræ, & ſiniſtræ, & gibbus ad poſterius, in quo eſt ſignum medium, quaſi ſecundum figuram ſemicirculi, quod fit quodammodò in motu ſaltus.

In motu enim à principio ſaltus exiſtente ſigno medio inter dextrum & ſiniſtrum quaſi inter lineas rectas ſecundum figuram triangulatem ſimul fit motus, & incuruatio ſecundum dextrum & ſiniſtrum, & fit ſignũm medium in gibbo inter lineas curuas, & cum iterato ſimul rectificantur fit reuerſio ad triangulum.

Et in iſta contractione, & directione habent partes abinuicem fixionem & reſiſtentiam inter ſe mutuò, præter fixionem ab extra, per quam principium motiuum exiſtens in ſigno medio vtranque attrahit in contractione, & repellit à ſe in pulſione. Et mouetur animal ſecundum totum ſimul in ſaltu.

Hinc dicit Philoſophus in principio de motu progreſſiuo. Quod ſaltat, ad ipſum firmamentum quod deſuper, & ad id quod ſub pedibus, facit ſaltum. habent enim quandam contrareſiſtentiam adinuicem partes in inflexionibus, & vniuerſaliter fixum ad oppreſſum. Propter quod ſaltant plus habentes ſaltarios lapides, quàm non habentes, & currentes velocius currunt contra mouentes manus. Fit enim quædam contrareſiſtentia ad manus, & ad corpus. fit enim in motu ſaltus quemadmodum ſiquis deorſum contra tenentes moueat crura ad anterius.

Si ve-

Si verò pars organi dextra & ſiniſtra non ſimul contrahantur, & extendantur, ſed viciſſim cum vna incuruatur altera rectificatur, tunc extenſa ad anterius in parte inferiore, & ad poſterius in parte ſuperiore continuatur ſigno communi ſecundum lineam rectam, & pars contracta quieſcit ſuper illam, & coniũgitur ſigno medio ſecundum lineã curuam, & figitur in ſua eleuatione & incurua-tione ſuper rectam, & habet reſiſtentiam in ipſa in ſua extenſione. Quod fit ſimpliciter in motu ambulationis greſſibilium, vna parte premente, & alia preſſa, & quæ attollitur præbet ferenti onus, & ſic ordinantur ſecundum figuram ex vna parte habente lineam rectam, ex altera verò curuam. Sed in tali progreſſu dextra pars naturaliter eſt principium motionis, vt primo ſit nata contrahi ſuper ſiniſtram, & in incuruatione ſuper illam eleuari, & poſt eleuationem & contractionem iterum extenditur, vt ſic ex parte dextræ incipiat motus, & præponatur primo pes dexter ad anterius, & & poſtea quieſcente dextra contrahatur ſiniſtrum & incuruatione ſua eleuetur ſuper dextrum, & deinde extendatur & præponatur pes ſiniſter dextro. Et ſic vt dicit Themiſtius ſuper tertium de anima, contrahentia & extendentia viciſſim ſiniſtra, & dextra progrediuntur animalia. Vt enim dicit Philoſophus de motu progreſſiuo, ſtante vnaquaque pondus in hac eſt. Motis etiam in anterius oportet pedem præcedentem leuem eſſe, continuò autem greſſu facto rurſum in hoc pondus ſuſcipere & procedere animal in anterius. Quod autem ſecundum hunc modum, primo, ſcilicet incipiendo motum à dextris, progrediantur animalia, ſecundum q dicit in principio de motu progreſ. ſignum eſt ferre onera in ſiniſtris. Sic em facilius contingit moueri quod fertur, libero eo quod debet moueri primo. Propter quod etiam onus non eſt in motiuo ſcilicet ſuper ſignum medium, ſicut nec in primo moto, ſed ſolùm in mouẽ do oportet imponi. Si enim in mouente & principio motus imponatur, aut totaliter non mouebitur, aut difficilius. Sic ergo patet quomodo partes organi, quia mutantur in motu ſecundum quantitatem, etiam oportet ſecundum diuerſitatem motuum mutari, & ſecundum figuram. Partes verò habitæ, quia non mutantur ſecundum quantitatem, ideò qualitercunque moueãtur, quantum eſt ex ſe non oportet mutari ſecundum figuram, immò quantum eſt ex ſe reſpiciunt ſignum medium ſecundum lineam rectam, ex ſe enim rectæ ſunt, & ſic ſecundum figuram triangularem. Si verò reſpiciunt ſecundum figuram curuam, hoc accidit eis, quia non continuantur illi ſigno, niſi per lineas arcuales organi. Et non ſolùm quæ dicta ſunt contingunt in motu progreſſiuo greſſibilium habentium dextrum & ſiniſtrum patenter diſtincta, ſed etiam in repentibus & alijs non habentibus ea patenter diſtincta, dicente Philoſopho ibidem, loquendo de dextro & ſiniſtro. Hoc autem deartículatum eſt alteris magis, quàm alteris. Quæcunque enim organicis partibus vtẽtia pura pedibus, aut alijs, aut quocunque alio tali, dictam permutationem faciunt circa talia magis dearticulata. Quæcunque autem non talibus partibus, ipſo autem corpore diſtinctiones facientia procedunt quemadmodum, quę ſine pedibus, puta ſerpentes, & quæ vocantur inteſtina terræ, exiſtit quidẽ & his quod dictum eſt, non autem patet ſimiliter. Vnde & in ſaltu vbi quaſi ſimul dextra, & ſiniſtra mouentur dextrum naturaliter prius mouetur, quàmuis imperceptibiliter. Sic etiam contingit in volantibus alis & natantibus pennulis, primo mouẽt alam vel pennulam dextram, quàm ſiniſtram: licèt imperceptibiliter. Propter quod progreſſus illorum magis aſſimilatur ſaltui, quàm ambulationi. Et ſicut prædicta contingunt in habente duos pedes tantùm, ſimiliter & in habentibus plures pedes, vt quatuor. Quia tamen vt dicit Philoſophus principaliter greſſus eorum eſt anterius, poſteriora eorum mouentur ad anteriora ſecundum diametrum. Poſt dextrum enim pedem anteriorem ſiniſtrum poſteriorem mouent, deinde ſiniſtrum anteriorem, poſt hoc dextrum poſteriorem. Eodem autem modo quæcunque plures habent pedes quatuor, faciunt motum: Oportet em quemadmodum in quatuor, quæ deinceps poſteriora ad anteriora moueri ſecundum diametrum. Palam autem in lente motis. Et ſicut contingit in habentibus quatuor pedes aut plures, ſic contingit in piſcibus habentibus quatuor pennulas, aut plures, & contingeret in auibus ſi haberent quatuor alas aut plures, & eſſent in omnibus, tàm pedum, quàm alarum, quàm pennarum motus ad latus, ſicut eſt modo in habentibus duo, vel plura illorum. Speciale autem accidit in motu repentium, vt patet in inteſtino terræ, quod cum fuerit ſuper terram contractum in toto corpore, à medio vbi eſt proportionale cordi, primo extenduntur & prolongantur expulſione partes anteriores, quæ incipit à ſigno quod eſt in medio, licèt primo apparet in parte priore: deinde ſecundo contrahũtur depreſſione, quæ ſimiliter incipit à dicto ſigno. & primo apparet ibidem, & ſimul attractione ab eodem ſigno & apparente ibidem extenduntur partes poſteriores, & poſtquàm fuerint extenſæ, tunc demum tertio contrahuntur ad idem ſignum, & apparet primo in ipſo, & eſt totum animal contractum ſicut prius. & tunc iterum incipit procedere vt prius.

Sic ergo patet quomodo in iſto motu animalium progreſſiuo mouens, & motum non ſunt diſtincta ſecundum totum, & ſeſe ab extra tangentia, ſicut contingit in mouentibus, & motis modo præcedente, ſed anima eadem in toto corpore, & omninò ſimplex quo ad intellectiuam in hominibus, licet extenſa ſecundum partes corporis in brutis, mouet in vnico ſigno indiuiſibilis exiſtens organicè totum animal ſecũdum dictum modum,

& sic quodammodo seipsam, prout est in partibus per se motis, & etiam prout est in signo prædicto mouens licèt per accidens, vt dictum est.

Quæ verò sunt mouentia & mota. s. grauia & leuia in quarto gradu adhuc minus distinguuntur. Cum enim sint corpora simplicia inanimata, non mouentur per appetitū, sed per naturalem impetum, & nulla est distinctio in ipsis sm̄ organa, sicut contingit in animalibus, nullo modo possunt moueri ex se, vt determinat Philosophus. 8. Physic. Intellige vt sint ibi principium inchoandi motum sine causa extrinseca, vt sit mouens per principiū, quod existens in vna parte mouet vicissim alterā. hoc. n. animatorum proprium est, & aliter possent stare in medio motus ex seipsis, vt dicit ibidem. Et quo ad hoc dicit ibidem, ꝙ quæ non mouentur à seipsis, vt grauia & leuia, mouentur aut à generante, & faciente graue aut leue, aut ab impedientia, & prohibentia soluente. Ab altero. n. horū debēt habere ꝙ incipiant moueri, quod cū habuerint, vlterius mouentur ex se prosequēdo motum. & quo ad hoc mouentur ex se per accidens. dicente Comment. super 8. Physic. Ex graui est principium receptionis, vt moueatur ab extrinseco, non principiū actionis nisi per accidens, Ex se. n. mouentur exequendo motū, sed exequi non incipiunt, nisi p aliud, vel per generans dans formā, qua exequitur ex se motū, vel per remouens prohibens, per hoc ponendo ipsa in tali statu, in quo per formam iam habitam possunt exequi motū. Et sic per accidens mouentur à seipsis. non quia in executione motus aliud sit quo moueantur, q̄ ipsa seipsis, nec ꝙ cessante impedimento alio, q̄ seipsis motū inchoant, immò quo ad executionē motus sunt per se causa motus, & generans, atq; remouens prohibēs, sunt causæ per accidens, sed quia non incipiunt se mouere postq̄ non mouebantur prius, nisi quia non erant in dispositione qua possent moueri, vel propter formæ carentiam, vel propter formæ habitæ impedimentū. & quo ad hoc sunt causa motus sui per accidens, & generans, atque remouens prohibens, per se, ita ꝙ si fuerint in locis proprijs, nullo modo ex eis mouentur, nisi per violentiam. In quo differenter ex se mouentur grauia & leuia, & alia, quæ ex se mouentur sine alio mouente, nisi sm̄ rationē appetibilis, quia illa inchoant motum postq̄ prius non mouebantur, & cessant à motu seipsis, qđ non possunt facere grauia & leuia. Vnde dicit Auer. ibidē. Generans est illud qđ dat corpori simplici generato formā suam & oīa accidentia contingentia formæ, quorum vnum est motus in loco. Sed intellige ꝙ non per se, & immediatè dat motū sicut dat formam, sed ꝙ dando formam dat motū, quia forma non impedita est sufficiēs in eis causa motus. Vnde cum perfectam habuit formam extra suum locum naturalem ad absentiam generantis, si cesset prohibens, statim seipso absq; omni alio mouente mouetur ad locum suum. dicente Auer. 1. Metaph. Causa diuiditur in causam essentialem & in causam accidentalem, sed causa accidentalis vocatur causa impropriè, eo ꝙ causatum non prouenit ex ea, sed ex alio, quod non sit causa debita essendi causatum, nisi cum illa. Sicut qui remouet columnam sustinentem tectum dicitur tectum diruere, quod non est verum, eo ꝙ causa ruinæ tecti est eius ponderositas, sed retinetur interim propter sustentationem columnæ. remotio igitur columnæ aptauit illud ad casum, & ruit, quod erat ei. s. graui propria actio. Vel sicut scamonea dicitur infrigidare eo, ꝙ aufert choleram, quæ prohibet naturam infrigidari. natura igitur erit frigescens, sed cum remotum fuerit, quod prohibet, & scamonea erit causa remotionis choleræ non causa infrigidationis, quę sequitur post remotionē choleræ naturaliter. Sic ergo patet ꝙ sicut natura est causa per se infrigidans, & amotio choleræ nō nisi per accidens, cuius amotionis per se causa est scamonea, & per accidens infrigidationis, sic in graui causa per se faciens descensum est ipsum graue per suam formam, & amotio prohibentis, siue ipsum amouens prohibens est causa descensus per accidens. quod quidem amouens est causa amotionis prohibentis per se. Propter quod post prædicta subdit Auer. Potentia verò ad motum, quā accidit inueniri in corpore simplici, quando inuenitur in tempore suę generationis, ꝙ non mouetur ad suum locum naturalem ab aliquo impedimento, quando generatur in loco extrinseco, aut quādo exit à loco suo naturali ab aliquo extrahente, non indiget ad hoc ꝙ exeat in actum motore extrinseco essentiali, cum sit in potentia accidentali. Et cum ita sit & illud quod mouetur essentialiter est illud in quo est potentia vera ad motum. s. potentia receptionis motus: tunc illud quod mouetur in rei veritate hoc motu est materia ex qua generatur corpus simplex, verbi gratia, ꝙ aer qui est in potentia ignis, & superius, est illud quod mouetur in rei veritate, & essentialiter ad superius quando fit ignis, & hoc à generante, vt dictum est, sed cum generatum est, si sit extra locum suum, absque omni alio per se mouetur in ipsum, dicente Philosopho in octauo Physic. Contingit impedimentum non sursum esse, sed si auferatur impedimentum, agit & sursum fit semper, & est per se mouens scilicet forma accidentalis grauis, per se verò motum ipsum corpus graue compositum ex materia, & forma substantiali.

Quæ non distinguuntur, nec loco, nec situ, sicut distinguuntur mouens & motum secundum partes in animali, quo ad motum localem, vt iam dictum est, & etiam quo ad motum augmenti, sed tantùmmodo distinguuntur sicut forma, & subiectum existens in actu per formam, secundum quod Philosophus assignans differentiam inter motum ex se, qui est in augmento, & motum grauium, & leuium: in hoc videlicet quod quo ad aliquid graue, & leue magis habent in se principium motuum suorum, quàm

quæ

quæ augmentant; dicit in tertio cœli, & mundi. Magis autem leue, & graue in seipsis vñt habere principiũ horũ propter propinquissima esse substantiæ eorum. Quod Commenta. exponens dicit ibidem. Totum in graui mouet totum, sed in augmentabili pars una augmentat aliam distinctam ab ea loco. Et alibi super eundem quartum dicit sic. Causa quare graue mouet se remoto impediẽte, est quia motus eius consequitur formam grauis, sicut proprium accidens: & ideò non indiget extrinseco motore. De quo etiam dicit super tertium eiusdem.

Quemadmodum cætera accidentia existẽtia in re generata non existunt in ea, nisi mediante forma generati, ita est de hoc motu, & paulopost. Propter hoc iste motus nõ est primus, & essentialis à motore extrinseco, sed à forma moti: & ideò mouetur ex se graue cum impediens quieuerit. Et etiam secundum istum modum assimilatur ei, qđ mouetur per se: lapis enim mouet se inquantum est grauis in actu, & mouetur inquantum est in potentia deorsum. Causa autem hæc est, quia componitur ex materia, & forma. Forma enim eius mouet inquantum est forma, & mouetur secundum quod est in materia: aliter enim non est in potentia inferius. Est tamen hic aduertendũ, ꝙ circa graue differunt per successionem motus, & mutatio subitò, quoniam quantum est ex parte mouentis, & mutantis graue se per se, hoc est per formã grauis, se mutat subitò faciendo se deorsum si non sit mediũ resistens, & si sit medium resistens, successiuè mouet se deorsum, & hoc vel velocius, uel tardius secundum dispositionem medij, & grauis. Quantum uerò est ex parte moti, vel mutati, graue ex se mutatur deorsum non per violentiã, aut resistentiam mutationis, sed per obedientiam, & hoc absque omni successione motus. Sed ꝙ mouentur deorsum, hoc est ex se, sed non sine medio resistente, & sic mouet se graue accidentaliter. Et cum ita sit, vt dicit Comment. super 4. Cœli, & mundi, necesse est, vt moueat se, quia mouet essentialiter aliud à se. Verbi gratiã, homo non mouet se accidentaliter in naue, nisi quia mouet nauẽ essentialiter, & sic lapis non mouet essentialiter nisi aerem in quo est, & sic sequitur motũ aeris, sicut est de homine & de naue, & in fine capituli dicit. Manifestũ, quòd aer est necessarius in motu lapidis, & est illud, qđ promisimus, & declarauimus in Physicis, sed iste locus est conuenientior. Vnde grauia, & leuia postquam sunt generata in forma perfecta absque impedimento, quodãmodo magis ex se mouent se transeundo ad sua loca naturalia, quàm animalia mouentur ex se ad loca, in quibus inueniuntur sua appetibilia, quia grauia, & leuia non requirunt quiescens, nec intra se, nec extra, dicente Philosopho de causis motus animalium.

De inanimatis autem quæcunq; mouentur, dubitabit vtiq; aliquis vtrum in ipsis est quiescens, & mouens, & aliquid extrinsecorũ quiescentiũ appelli necesse, & hoc autem impossibile, puta ignem, & terram, aut inanimatorum aliquid.

Et præterea si grauia, & leuia non mouerentur ex se, quia à generante, & remouente prohibens habent principium, multò fortius nec animalia, quia non habent formam appetitus, nisi ab appetibili, à quo habent principium motus, vt dictum est, vt propterea, nec liberè moueant se bruta.

In eis verò, quæ sunt mouentia, & mota in tertio gradu, scilicet in intellectu in intelligẽdo, cum intellectus motus fuerit ab intelligibili intellectione simplicis intelligentiæ, virtute sua conuersiua, quam habet naturaliter super se, & suum actũ & suum obiectum, opponit se eis, vt intellectiuum quoddam natũ moueri à seipso, vt à memoria intellectuali informata ipsa notitia simplici circa obiectum, quæ sunt vnum obiectum mouens eundem intellectũ sic conuersum, informando ipsum notitia declaratiua, secũdum quod alibi declarauimus exquisitius. Et sic distinguitur idem intellectus in mouens, & motum. Est enim mouens, vt informatus est notitia simplici, & motus, vt nudus intellectus, & in potẽtia ad notitiam declaratiuã, ita ꝙ licèt non potuit se facere ad primum actum, quia non erat nisi in pura potentia respectu actus intelligendi: potest tamen se facere ad secundum actũ, quia aliquid habet de actu, quod fieri in materialibus impedit materia, quemadmodum exposuimus in quæstionibus ordinarijs. Et est in hoc inter mouens, & motum idcirco minor differentia, quam in precedentibus.

Et sequitur mouens, & motum in secundo gradu, scilicet in voluntate in mouendo seipsum ad actum volendi, de quo est quæstio proposita. Et dicunt aliqui secundũ quod determinat Ansel. & videtur sentire Philosophus in de bona fortuna, ꝙ primus motus voluntatis non põt esse à seipsa, sed à Deo, de quo in alijs Quolibet sufficiẽter declarauimus, ꝙ non est ita. Deus enim etsi oĩa mouet secundũ generalem administrationem, & diuersimodè secundum diuersitatem mobilium, vt grauia deorsum leuia sursum, sic & voluntatem secundũ eius conditionem: non tamen ex hoc motus omniũ debent ei ascribi nisi vt causæ vniuersali, & præter hanc sunt motuum diuersorum inuestigandæ diuersæ particulares causæ, quarum effectus non sunt attribuendi Deo, etsi ab illo sunt vires, quemadmodũ motus grauium nõ debet attribui danti formã grauis, qua mouet, quo ad hoc enim dicit Aug. ꝙ Deus sic res administrat, vt eas proprios motus suos agere sinat. Alij verò dicunt, ꝙ uoluntas mouet à bono cognito, sicut à suo proprio obiecto proprium passibile, quemadmodum à vero cognoscibili mouetur intellectus, sed naturaliter non violenter. Quod non potest stare, qm̃ tunc sicut intellectus præsente intelligibili nõ põt non moueri ab ipso ad actum intelligendi, sic voluntas præsente bono cognito uolibili non potest

non

non moueri ad actum volẽdi, & sic periret liberũ arbitrium, & per conseqùens omnis ratio meriti, & demeriti, & suasionis ac deliberationis, & consiliationis & cæterorum huiusmodi, quæ necessaria sunt ad virtutes.

Ideò dicunt alij, ꝙ forma intellectus est per se principium actionum humanarum, & ꝙ voluntas est appetitus, quãnõ est nisi inclinato quædam sequens formãm intellectus. Sed quia forma intellecta est vniuersalis indeterminatè se habens ad multum, similiter & inclinatio voluntatis, vt non necesse sit ipsam determinatè inclinari ad vnum, sicut nèc voluntatem artificis ad aliquam domum. Sed si sic forma intellectus moueret voluntatem ipsam inclinando, immò sic ꝙ ipsa non esset, nisi quędam inclinatio ad bonum cognitum, quemadmodum formãm grauis cõsequitur inclinatio deorsum, vt non sit aliud appetitus eius essendi deorsum, nisi huiusmodi inclinatio, tunc sicut bonum vniuersale apprehensum mouet ipsam indeterminatè, vt ex hoc non de necessitate appetat aliquod particulare bonum sub illo, sic bonum particulare apprehensum necessariò moueret ipsam, & inclinaret, vt determinatè, & ex necessitate appeteret illud, & periret in hoc liberum arbitrium.

Ideò dicunt alij ꝙ actus voluntatis, qui est velle, dupliciter potest considerari. Vno modo quo ad actus determinationẽ. Alio modo quo ad eius exercitium. quemadmodum in artifice si non habet, nisi vnius domus formam in mente, nõ potest velle facere aliã alterius formæ. Secũdo verò modo determinatur à fine, quẽadmodum artifex nõ habens, nisi vnam formã domus, adhuc potest indifferenter tm illam domum facere, vel non facere. Et primo modo dicunt voluntatem moueri ab intellectu, quia bonum vt intellectum est forma actum volendi specificans, & determinat, vt si quid velit, necesse est, ꝙ illud velit. non autem secundo modo, quia sic eius obiectum est bonum sub ratione boni, & ita finis quem potest indifferenter velle prosequi, & non velle. & sic est voluntatis mouere se, & alias potentias omnes in suas actiones, vel retrahere ab ipsis.

Sed si quo ad actus specificationem qualecunque principium motiuum voluntatis esset intellectus, vt bonum intellectum ponatur mouere voluntatem: tunc quæro de specificatione qua ponitur voluntas moueri. Aut enim est pura ostensio siue oblatio boni facta voluntati ab intellectu recipiente eius impressionem ab obiecto intelligibili, quemadmodum proprium passiuum recipit à suo proprio actiuo naturali necessitate absque omni libertate ipsius intellectus ad non recipiendum, nisi quemadmodum materia potest recipere vel non recipere formam, secundum ꝙ potest esse vel non esse agens imprimens eum. sed hoc non ex libertate aliqua. Aut est aliqua inclinatio facta in voluntate. Si primo modo, tunc voluntas nec à bono intellecto, nec ab ipso intellectu mouetur. quare nihil mouetur ab aliquo, nisi aliqua impressione facta in se ab illo. & ideò si mouetur ipsa voluntas, à seipsa mouetur, & hoc siue moueatur determinando sibi suum actum, & suum obiectum, siue exercendo, aut exequendo suum actum, ita ꝙ vtroque modo maneat plena libertas voluntatis respectu sui actus. Nec operatur intellectus ad hoc ꝙ fiat in suum actum ipsa voluntas, nisi ostendendo, siue offerendo obiectum, & hoc non nisi sicut causa per accidens, & sine qua non. vt secundum hoc si ibi sit aliqua determinatio, illa est ipsius intellectus, qua determinatur passiuè ab intelligibili agente & determinante, qua quidem determinatione sua passiua in ipsa præsentatur voluntati obiectum, nullo modo qua ab intellectu agente determinetur passiuè ipsa voluntas ad actum volendi. Si secundo modo, scilicet sit aliqua inclinatio facta in voluntate, aut ergo illa inclinatio non est aliqua volitio, sed impressio aliqua inclinans ad volendum sicut pondus, quemadmodum ipsum inclinat aliquis habitus existens in ipso, aut est aliqua volitio, siue actus volendi. Si primo modo, tunc non obstante illa impressione inclinante manet voluntas in sua plena agendi libertate, & non agendi secundum illam impressionem, ac si nó haberet eam. licèt non ita de facili possit velle contrarium eius. Et sic si moueatur ad aliquid volendum, à seipsa mouetur, & hoc tàm quo ad determinationem actus & obiecti, q̃ quo ad exercitium actus sicut prius. Si verò secundo modo illa inclinatio sit aliqua volitio, vt huiusmodi inclinatio nõ sit nisi quoddam velle, quemadmodum dicit Augustinus super illud Psalmi. Inclina cor meum in testimonia tua. Quid est inclinatũ cor ad aliquid habere, nisi velle? Sed cum voluntas aliquid vult, illud exequitur nisi impediatur, & si exterius non sit aliqua executio facienda, non est aliud exercitium actus, q̃ ipsum velle, vt sic non sit possibile ponere, ꝙ intellectus dicto modo moueat voluntatem, quo ad actus determinationem, & non quo ad exercitiũ, immò si hoc modo necessitatur quo ad determinationem, similiter & quo ad exercitiũ, quia non potest non velle exequi: Appetitus enim sit operatio, vt ait Philosophus de moribus animalium, & iam declarabitur secundum ipsum: Sic ergo si voluntas moueretur ab ipso quantuncunque modicè, nullo modo posset esse actiuus circa illud ipsum repellendo, sed necesse esset illud exequi siue prosequi, vt adipisceretur. Quod enim semel passiuum est ab aliquo, semper ab eodem passiuum est, & nunquàm actiuum. licèt posset esse actiuum circa aliud, quemadmodum intellectus, qui est passiuus ab obiecto intelligentia simplici, primo sic passus potest esse actiuus in seipsum ad generandum in seipso notitiam declaratiuam, & constituendo noua intelligibilia complexa circa intelligibilia primo cognita. Sic etiam intellectus inquantum est in actu, quo ad cognitionem principiorum agit ad hoc, vt fiat secundum cognitionem

nem conclusionum. Sic & voluntas si esset in actu aliquo volendi aliquid per intellectum, benè posset mouere seipsam ad volēdum aliud ordinatum ad illud, vt volens sanitatem motione intellectus, posset seipsum mouere ad volendum potionem. Nullo modo tamen posset secundum dictam positionem recedere à volendo illud ad quod mota est per intellectum, vt velit, postquàm esset ei determinatum à ratione. Inquantum enim est determinatum, vel est finis, vel includit rationem finis: in hoc videlicet ꝙ sine ipso non posset haberi finis, & ideò de necessitate mouet, vt finis, & bonum secundum omnia particularia, & vt secundum omnem considerationem boni. Quod enim tale est, necessitat voluntatem superando ipsam, quo ad pluralitatem respectu contrarij. Vnde si intellectus proponit aliqua voluntati, vt bona, qualia potest sibi proponere absque omni determinatione, non mouetur voluntas necessariò. nullum enim bonum apprehensum mouet necessariò voluntatem, nisi finis qui est bonum secūdum omnem rationem & considerationem, vel includens rationem finis per hoc quod à ratione fuerit determinatum. Vnde dicit Philosophus de motibus animalium. Mouet primum quod appetibile & intellectuale, non autem omne, sed quod operabilium finis. propter quod bonorum est, quod mouet, sed non omne quod bonum. Inquantum enim gratia huius aliud, & inquantum est finis eorum, quæ alterius gratia existunt, mouet. & hoc de necessitate, non autem inquātum est aliud bonum. ad illud enim non mouet, vt dicunt aliqui, nisi consilio precedente, vt cum aliquis vult sanitatem, de ijs, quæ sunt ad sanitatem incipit cōsiliari, ita ꝙ nihil illorum vult nisi tandem finito consilio. Quod quia liberè potest expetere à ratione vel non expetere, vel expetitum expectare, vel non expectare, vel expectatum & datum à ratione potest sequi, vel non sequi, eo ꝙ consilium est inquisitio quædam non demonstratiua. & in hoc dicunt consistere voluntatis libertatem. Quod tamen si fuerit determinatum à ratione, vt conclusio demonstratiua, & includens rationem finis, dicunt aliqui ꝙ voluntas illud non potest non velle. Si verò non fuerit determinatum à ratione, vt conclusio demonstratiua, sed vt conclusio persuasoria, dicunt ꝙ potest non velle. Sed si velit & eligat illud, necesse est ꝙ motum voluntatis, quo vult illud etiam præcedēte consilio, & similiter motum voluntatis, quo vult consiliari de volendo illud, præcedat alius motus voluntatis non à seipsa sed ab alio, & hoc vel ab appetibili alio intellecto, & determinato secūdum rationem finis, vel si non ab illo appetibili, vt appetibile istud sit primo volitum, licèt non absque consilio præcedente ab aliquo alio, vt à cœlesti corpore, aut à Deo, aut à fato, aut bona fortuna, aut aliquo huiusmodi. Primum verò istorum, s. si fuerit bonum aliquod determinatum à ratione simpliciter, & ita vt conclusio demonstratiua, & vt includens rationem finis, ꝙ voluntas non possit illud non velle, sed ꝙ moueatur ad hoc volendum à bono intellecto, vt passiuū naturale à suo proprio actiuo, videtur esse positio Philosophi. 6. Ethicor. fundata super hoc, ꝙ appetitus est mouēs motum ab appetibili cognito, vt determinat. 3. de anima, & in libro de causis motus animalium, vbi vult ꝙ voluntas ex necessitate mouetur ad consentiendū siue volendum, & ad prosequendum volitum si non impediatur exterius, vt potentia passiua ab appetibili cognito sicut à suo proprio actiuo, quemadmodum intellectus mouetur ad assentiendum, sine asserendum, & ad insistendum cognito à vero intellecto, sicut à suo proprio actiuo, ita vt quantū efficatia demonstrationis mouet intellectum in speculabilibus, vt non possit dissentire concluso, sic & voluntatem in agibilibus. Quod expressius mihi videtur sentire in libro de motibus animaliū q̄ alibi. ibi enim dicit sic. Quemadmodum autem intellectus quandoq; quidem operatur, quandoque autem non operatur, & mouet quandoque, quandoque autem non mouet, videtur similiter accidere, & de immobilibus intelligentibus, & syllogizantibus. si quidem ibi theorema finis. cum. n. duas propositiones intellexerit, conclusionem intellexit & composuit. hæc autem ex duabus propositionibus conclusio fit operatio, vtputa cum intellexerit, quia omni homini ambulandum, ipse autem homo ambulat confestim. Si autem ꝙ nulli nunc ambulandum homini, ipse autem homo statim quiescit. & hæc ambo facit si non aliquid prohibeat. Vbi post aliqua interposita subdit. Quod quidem igitur operatio conclusio, manifestum. potandum mihi concupiscentia dicit, istud autem potabile sensus dicit aut phātasia aut intellectus, statim bibit. In quo nullam facit differentiam in motu appetitus rationalis ab intellectu, & appetitus sensitiui à sensu & phantasia. Quod patet ex eo qđ subdit, continuò. Sic quidem igitur admoueri, & operari aliquando impetum faciunt. vltima quidem causa est eius, quod est moueri appetitu existente, hoc autem facto aut per sensum, aut per phantasiam, & intelligentiam appetentium operari, hoc autem propter voluntatem, hoc quidem faciunt, hoc autem agunt.

Sed quantuncunque dicentes primum prædictorum, scilicet ꝙ si bonum aliquod fuerit determinatum à ratione, vt conclusio demonstratiua, dicunt voluntatem moueri ab intellectu absque violentia, & coactione, quia non mouetur sic tanq̄ naturaliter ad contrarium determinatum, quemadmodum mouetur graue sursum, sed tanq̄ aliqd indeterminatè se habens ad multa, mouetur alio determinante ad vnum illorum, tamē omninò auferunt libertatem arbitrij in volēdo volitum, quæ requirit libertatem absque omni necessitate. Vnde & in diuinis in spirando spiritum sanctum licèt dicimus ipsum à Patre, & Filio spirari libera volūtate, propter tamen necessitatem incommutabilitatis

litatis annexam nō dicimus eum spirari libero voluntatis arbitrio, sicut dicimus à Deo creari creaturas. Sed de hoc alias satis habitū est in alijs quæstionibus de Quolibet: quòd scilicet voluntas sic determinari non potest à quocunque determinato per intellectum citra bonum summum immediatè visum. Vnde in hac vita non potest sic determinari nisi in vniuersali, secūdum quod homo nō potest non velle esse beatus, nec pertinet ad præsentem quæstionem, sed solùm an voluntas in sic volendo ab alio moueatur. Etenim si ad præsentiam appetibilis in intellectu absque omni transmutatione, quam voluntas recipiat ab appetibili cogniro, voluntas liberè seipsam mouendo ad actum volendi feratur in volitum: si tamen annexa sit necessitas, & incommutabilis, & nullius coactionis, vt non possit non velle, quod sic vult, omninò libertas arbitrij auferetur, vt dictum est.

Sed quòd sic volendo voluntas non moueatur ab obiecto cognito ex hoc patet, ꝙ tunc non alia necessitate moueretur appetitus rationalis, qui dicitur uoluntas, ab appetibili cognito per intellectum, q̄ appetitus sensibilis ab appetibili cognito per sentum, & phantasiam. Quod etiam benè expressit Philosophus, ut iam dicetur. Quod falsum est, quia in hoc uoluntas non esset rationalis propriè, non solùm non esset liberum arbitrium, & ageretur magis, q̄ ageret, dicente Damasc. libro 2. Sententiarum cap. 20. In irrationalibus appetitus fit alicuius, & cōfestim impetus ad operationem, & aguntur animalia appetitu, ideò neque uoluntas dicitur irrationalium appetitus. In omnibus enim rationalibus entibus ducit magis rationalis appetitus, q̄ ducitur, & cap. 29. Aut enim non erit rationale, aut rationale ens dominus erit actuū, & infra subditur de irrationalibus. Aguntur magis à natura, q̄ agant, & non contradicunt naturali appetitui, sed simul cum appetierint, & impetum faciunt ad actum, homo rationale ens magis agit naturam, q̄ agatur.

Secundum uerò prædictorum, scilicet ꝙ si bonum aliquod non fuerit determinatum à ratione, vt conclusio demonstratiua, sed ut persuatoria, ad hoc, ꝙ uelit ipsum, aut uelit consiliari de ipso, necessariò præcedit alius motus uoluntatis ab alio à se, etiam si non ponatur alius præcedere à bono cognito sub ratione finis, hoc nituntur declarare ratione tali. Si aliquis uelit aliquod eorum, quæ sunt ad finem, cum prius nō uoluit illud, nec de necessitate uelit, motus ab intellectu hoc non vult nisi præcedente consilio: cōsilium autem non aggreditur, nec petit de necessitate, sed liberè: immò libero arbitrio uoluntatis uolentis super hoc cōsiliari. Cum ergo uoluntas non moueatur in eis, quę sunt ad finem nisi ex consilio, cum uoluntas, quæ nunc vult consiliari, & prius nō uoluit, necessariò ab aliquo moueatur, ut uelit consiliari prius, q̄ uelit illud, quod uolendum est ex consilio, aut ergo ad uelle consiliari mouetur ex se, aut ab alio. Non ex se, quia cum consilium sit eorum, quæ sunt ad finem, necesse est, ꝙ hunc motum uoluntatis præcedat consilium, & eadem ratione illud præcedit aliud, & sic in infinitum, quare cum hoc sit impossibile, necesse est ponere, ꝙ uoluntas moueatur primo motu ad uolendum id, quod est ad finem, & quodcunque uolendum est consilio, ab alio à se. Quod re uera posuit Philosophus, uel à Deo in ijs quę non cadunt sub libero arbitrio, & quę nō sunt in nostra potestate nostræ cognitionis, & præuisionis, ut exposuimus in quæstione de bona fortuna, uel à corporibus cœlestibus in ijs, quæ cadere possunt sub nostra cōprehensione naturali ex sensibus, sed mediante intellectu, ponendo, ꝙ appetitus intellectiuus determinatur, & mouetur à cœlestium impressione, sicut & sensitiuus, & hoc in ijs, in quibus determinatur uolūtas ab intellectu, quia determinationem in uoluntate ab intellectu non posuit, quo ad omnia intellecta. Secundum enim ꝙ dicit uersus finem de motibus animaliū, sensus statim sunt alterationes quędam existentes: phantasia autem, & intelligentia habent rerū uirtutem. Aliquo enim modo species intellecta calidi, aut frigidi, aut delectabilis, aut tristabilis, talis existit qualis quidem, & rerum unaquæque, propter quod timent, & timent intelligentes solum. Hæc autem omnia passiones, & alterationes sunt in corpore. Alteratis autem in corpore hæc quidē maiora, hæc autem minora fiunt, & infra. Principium quidem igitur motus quemadmodum dictū est, quod in operabilibus persequibile, & fugibile, ex necessitate autem consequitur meditationi, & phantasiæ eorum caliditas, & frigiditas; tristabile enim fugibile; delectabile autem persequibile. Sunt autem tristabilia, & delectabilia omnia ferè cum frigiditate aliqua, & caliditate, & infra. His autem accidentibus secundum hunc modum, adhuc passiuo, & factiuo talem habentibus naturam, ut sit hoc quidem factiuum, hoc autem passiuum, & nihil deficit ipsorum, quæ in ratione, confestim hoc quidem facit, hoc autem patitur. Propter hoc autem simul ut est dicere intelligit, quia ambulandum, & ambulat si non aliquid impediat alterum. Organicas enim partes imperant idoneæ passiones: appetitus autem passiones: appetitum autem phantasia: hoc autem fit, aut per intellectū, aut per sensum: simul autem & citò, quia passiuū, & actiuum eorum adinuicem secundum naturam. Vt secundum hoc intelligatur illud dictum. Talis est uoluntas in hominibus, qualem in die ducit pater uirorum. i. cœlum, uerificari loquendo de moueri à cęlo mediatè, quod inducit Philosoph. contra illos, qui ponebant intellectum moueri à cœlo immediatè, & nō esse intellectum aliud, q̄ imaginationem. Nec mirum, quia cum res sensibiles sunt cœli effectus, & secundū illas formantur sensus, secundum sensus intellectus, secundum intellectum voluntas, & hoc modo actiui, & passiui naturalis, etsi anima ponatur uis incorporea, tamen po-

men ponendo, ꝙ naturaliter voluntas eius moueat ab intellectu, ponitur ꝙ mouetur à cœlo, licèt non immediatè, & directè. Vnde Philos. 3. de anima, principium mouens, quod est voluntas nō distinguit ab intellectu, sed comprehendit sub intellectu, & cum intellectu in homine comprehendit pro eodem principio virtutem imaginariam, quā distinguit contra appetitiuam sensibilem. Et secundum hoc distingnendo imaginationem ab intellectu ponit tria mouentia, & computando pro vno ponit duo tantùm, ita ꝙ ponit non moueri hominem nisi conueniant intellectus practicus, & appetitus sensibilis, & cum conueniunt, ꝙ tunc necesse est eum moueri. Et quia quādoque mouent separatim, appetitu vincente appetitum, quia intellectus non mouet, nisi ratione sui appetitus, ideò determinat, ꝙ motus fit ab istis duobus non secundū quod sunt diuersa, sed secundum rationem communem in qua cōueniunt. Aliter enim vt dicit Cōmenta. motus non proueniret ab eis nisi accidentaliter. Sed cum vt dictū est si voluntas moueretur ab alio naturaliter determinaretur ad actū absq; omni libertate, nec posset resilire ab ipso, & ita nō esset domina suorum actuū, nec appetitus, qui est volūtas, haberet potestatem refrenare appetitum in eis, quæ sunt circa visionem vltimi finis, cuius contrarium dicit Damasce. cap. 29. prædicto: simpliciter ergo dicendum, ꝙ voluntas in actum volendi à nullo alio, sed à seipsa sola mouetur.

Quod autem assumitur in ratione iam dicta, ꝙ voluntas in eis, quæ sunt ad finem, non mouetur nisi ex consilio: Dicendum, ꝙ falsum est: immò absque omni consilio determinato à ratione ad vnum ad quodcunque bonum propositum circa finem vltimum manifestè visum potest ex se moueri, & sine motu à quocunque alio, sicut & diuertere ab illo, & sic non valet processus vlterior. Quomodo ergo ponere debeamus, ꝙ volūtas ex se mouetur in actum volendi, considerandum est. Cum enim voluntas virtus sit superior intellectu, & per consequens omnibus mouentibus secundū modos prætactos, & nihil sit propter libertatem eius superius ea prēter Deum, minor differentia requirenda est inter ipsam & suum proprium mobile ab ipsa, q̄ in mouentibus & motis secundum modos præcedentes, licèt minor, q̄ in Deo, in quo non est differentia inter mouens secundum actum intelligendi, & ipsum quod mouetur, & ipsum actum quo mouetur nisi secundùm rationem tantùm, vt dictū est.

Est igitur sciendum, ꝙ in voluntate est considerare potentiam, siue vim receptiuam in se actū volitionis, & libertatem simpliciter, & libertatem arbitrij, vt licèt sint eiusdem potentiæ, non tamē sola ratione differunt, sed quasi vires in ea, & hoc ex natura rei, non ex sola consideratione rationis, vt voluntatem inquantum est potentia intelligamus passiuum, & in potentia ad actum volitionis, sicut est intellectus in potentia ad actum intellectionis. Quod necessarium est ponere à quocunq; mouente voluntas ponatur moueri, quando de non volente fit volens: est enim velle in ea accidens, & operatio in qua consistit sua perfectio in bene esse, quam propter libertatem voluntatis, qua debet esse domina suorum actuum, impossibile est poni, quòd ab aliquo naturali actiuo, vt est natura, vt est receptibilis volitionis, alio à se procedat de potentia in actum: hoc enim omninò repugnat libertati, sicut dictum est, & non minus ageretur appetitus uoluntatis, quàm ille, qui est sensibilis. Vnde & Spiritus Sanctus si à Patre & Filio procederet vt à naturali actiuo, vt natura est, & modo naturæ, non diceretur procedere modo voluntatis, & libertatis, siue liberalitatis, sed quia procedit ab agente, vt est liberum voluntate, quantuncunque concomitatur immutabilitas naturalis necessitatis, dicitur procedere opere voluntatis. Similiter etiam si Deo agente fieret directè, vt de non volente fieret volens, & licèt non esset contra naturam eius, sed præter eam tantùm: non tamen diceretur actus liberalis, nec secundum eum esset laudabilis, nec esset omninò actus virtutis. Quia cum actio eius taliter debet esse in ipso, ꝙ secundū eam voluntas laudabilis dicatur, & virtuosa, oportet, ꝙ à nullo alio moueatur ad actum volendi, sed solum à seipsa directè, licèt aliquo assistente, & cooperante, vt Spiritu Sancto, vel per se, & immediatè, vel in aliquo dono eius, vel vtroq; modo. Vnde & actum volendi, siue diligendi gloriosum in Dei visione aperta non ponimus elici, nisi ab ipsa voluntate, cooperante Spiritu Sancto in se, & in dono suo. Sed aliqui volentes sustinere motum voluntatis sequi informationem intellectus secundum modum in opinionibus iam dictis expositū, licèt nō ponatur moueri ab intellectu, dicerent ꝙ voluntas inquantum libera est, mouet seipsam, vt potentia est actus volitionis receptiua, sed non nisi secundum intellectus informationē, & ꝙ hoc naturale sit ei, & secundum hoc possent exponi modi prædicti; præter hoc, ꝙ intellectus non ponatur mouere uoluntatem. Sed si sic esset, & euitaretur inconueniens conclusum contra dictas opiniones, ꝙ voluntas non esset domina suorū actuū, & magis ageretur, q̄ ageret: sic enim ponendo voluntas ponitur domina sui actus, & agere potius, q̄ agi: non tamen posset euitari, quin omninò precluderetur libertas arbitrij, qua nulla necessitate oportet eum ferri per suum actum in suum obiectū, nisi ponēdo ꝙ pro tāto pōt velle, qd nō vult, & nō velle, qd vult, ꝙ quāto intellectus pōt nō intelligere qd intelligit, vel intelligere, qd nō intelligit, vt libertas arbitrij voluntatis dependeret à ratione, & rationi potius deberet tribui, q̄ volūtati. Ideò adhuc dicerent alij aliter, ꝙ voluntas vt libera est seipsam inclinat ad bonum cognitum secundum quod cognitū est, quod est velle quoddam licèt imperfectum, ut patet ex prædictis secundum Augustū. ut sic quadam necessitate immutabilitatis moueatur à seipsa ad bonum cognitum præpōderans,

rans, maximè post determinationem rationis, non tamen tanta adhæsione quin seipsa, vt est liberi arbitrij posset illum actū repellere, aut prosequi. Sed talis actus licèt liberè eliciatur à voluntate: hoc tamen fit cum quadam necessitatis immutabilitate, in qua nec laus, nec vituperium moris consistit. Esset ergo indifferens, nec laudabilis si esset ad bonum cognitum, quod est simpliciter bonum, nec vituperabilis licèt esset ad bonum delectabile, & apparens tantum: cum tamen primi motus sensibiles secundum quosdam simpliciter vituperabiles esse iudicentur, etsi veniales, vel sic, q̄ non imputentur, vt de eis vindicta exquiratur, vel vt tantùm exquiratur vindicta, quæ peccato veniali debetur, quod apparet magnum inconueniens. Ideò non videtur istud esse tenendum. Sed cum intellectus in nobis practicus ex eo, q̄ est practicus aliq̄d plus operetur circa voluntatem, q̄ speculatiuus, vt eò monstrante bonum operabile sub ratione operabilis aliquid fiat circa voluntatem, quod non fit circa ipsam intellectu speculatiuo monstrante verum non operabile sub ratione veri. Aliter enim non plus voluntatem pro eodem principio motiuo connumerasset Philosophus cū intellectu practico, q̄ cum speculatiuo, nec intellectus practicus potius diceretur principium mouens, q̄ speculatiuus. Dico, q̄ licèt voluntas nullo modo moueatur ab intellectu practico secundum actum volēdi faciendo de non volente (non dico de volente) volentem: mouetur tamen ab ipso secundum passionem aliquam, quæ est velut pondus in ipsa voluntate, vt est libera inclinans ipsam ad modū habitus, vt velit, quemadmodū in sensitiuis passiones secūdum calidum, & frigidum causant appetitus. Sed quia appetitus illi magis aguntur, q̄ agant, & similiter bruta secundum illos, verius dicamus, quemadmodum gratia aliqua à Deo in voluntate inclinat ipsam sicut pondus, vt velit, quæ tamen actum voluntatis non elicit, nec ipsam ad eliciendum compellit, quia non habet elici nisi ab ipsa voluntate libera, sed frequenter nec eliceret eum sine tali pondere inclinãte ipsam, & in eis, quæ pertinent ad rationem meriti nullo modo posset ipsū sine illo meritoriè elicere. Et secundum hoc inclinatio voluntatis æquiuoca est. Vno modo voluntas incompleta, qua imperfectè mouetur in rem, de qua dictum est supra secundum August. q̄ non est aliud, quàm velle. Alio modo pondus passionis ab intellectu practico, vel alicuius doni infusi, vel fortè alicuius impetus facti in voluntate. Secundū primum enim modum graue dicitur inclinari inferius quando incipit moueri, sed lente. Secundū modum secundum dicitur inclinari inferius quando sursum quiescens suo pondere premit illud super quod quiescit, vt descendere possit. Vnde & quando fortior est vis ponderis imprimendo, q̄ sustentantis in sustinendo, tūc depellit sustinens seipso remouendo prohibens & descendit. Et posuit Philosophus esse pondus istud in voluntate ipsum bonum cognitum secundum expositum motum, ita q̄ semper secundum intellectū moueretur animal, nisi esset appetitus contrarius præponderans, quem posuit tanti posse esse ponderis, vt omninò motū voluntatis obrueret, vt illo nullo modo posset quandoque resistere. Quod verum est nisi esset adiutus gratia, quamuis aliqui hæretici posuerint, q̄ ex se omnem motum ex appetitu sensitiuo sufficeret repellere. Hoc tamen verum est, q̄ motus sensitiuus si præponderet vincens motum voluntatis, hoc non est violentiā ei faciendo, sed tanto pondere alliciendo, vt necesse habeat assentire; sed liberè, aut superius adiutoriū requirere faciendo, quod in se est, quod si faceret, illud ei nō deesset, quod cum non facit, allecta libero voluntatis arbitrio consentit. Sed tantam ponderis violentiā non posset voluntati imponere solus intellectus, sed imponit sibi sua propria iniquitas. Vnde aspiciendo ad tantillum ponderis, quod per se imponit ei intellectus. Dico q̄ non est tantum quin voluntas, vt libera arbitrio possit contrarium eius ad quod inclinat velle, quodcunq; sit illud, citra apertam visionem vltimi, & finalis boni, & quantuncunque determinetur ab intellectu, q̄ sit faciendum, uel uolendum. Solum enim finale bouum cognitum per intellectum aperta uisione tantum habet ponderis inclinantis alliciendo non uiolentando uoluntatem, ut liberè uelit illud, q̄ tamen quadam immutabili necessitate non potest non uelle illud. Liberè dico, sed tamen non libero arbitrio, quod non propriè cadit circa finē, sed libertas solum: immò circa ea, quæ sunt ad finem, & hoc secundum Philosophum, non nisi quantum eius electio dependet à iudicio, & determinatione rationis, ut dictum est. Secundum hoc enim distinguit Damasce. lib. 2. cap. 26. aliquid fieri uoluntariè à nobis eligentibus, & aliquid à nobis non eligentibus. Et primum velle non operatur uoluntas sine ratiocinatione, & ideò subitò. Secundum uerò secundum Philosophum non operatur sine ratione: & ideò non subitò, sed solùmmodo præuia sententia rationis. Cum enim maiorem propositionē proponit intelligentia practica tanquam bonum determinatum, & minor nota est intellectu speculatiuo, habita maiore nō insistendo minori pro conclusione sequitur operatio, & hoc uoluntate libera, quia bonū quod allicit in maiori placet, sed liberè, etsi non liberi arbitrij electione, quia non expectat minorē. In uisione enim beata uiso summo bono dicit intellectus practicus, uelle hoc bonum est homini. Intellectu autem speculatiuo notum est cuilibet, q̄ ipse homo est: & ideò non pertractata minore uiso summo bono subitò & immutabiliter uoluntas uult illud absque ratiocinatione, & minoris pertractatione.

Cum uerò maiorem propositionem proponit appetitus tanquam bonum factiuum, ut possibile determinari, & notitia sensus, phantasiæ, aut intellectus habet determinare minorem, habita maio-

re non ſequitur ſecũdum Philoſophum operatio, niſi pertractata minore, & ſic vult concluſionem non tàm liberè, q̃ libertatis arbitrio, & non ſubito abſque ratiocinatione. Hinc dicit Philoſophus de motibus animalium. Propoſitiones factiuæ per duas ſpecies fiunt, per bonum, & per poſſibile, puta ſi ambulare bonum homini, ꝙ ipſe homo non iam immoratur. Propter quod quæcunque non ratiocinantes operamur velociter operamur, ſicut contingit de appetitu ſenſitiuo, qui dicitur concupiſcentia, qui dicit, potabile mihi bonum, iſtud autem potabile ſenſus dicit, aut phantaſia, aut intellectus, ſtatim bibit; ſed non abſque ratiocinatione, & pertractatione minoris præcedente. Sed in hoc vltimo non ſequimur Philoſophũ in duobus. *Contra Philoſ.* In primo quo ad primum. quantuncunque enim proponatur propoſitio factiua per bonum, niſi ſit de ſummo bono apertè viſo, non neceſſariò ſtatim operatur, immò poteſt liberè repellere propoſitũ. In ſecundo quo ad ſecundum, quia quantuncunq; proponatur propoſitio factiua per poſſibile, & minorem dicit ſenſus, aut phãtaſia, aut intellectus non neceſſariò tũc demum operatur, quia quantuncunque tale concluſione demonſtratiua volũtati determinetur, liberè poteſt illud repellere, licèt imponat ei onus, quo inclinetur ad illud faciẽdum, quo incipit voluntati informari conſcientia, ꝙ illud debeat facere; quod tamen non obſtante conſcientia poteſt non facere. Nec poteſt voluntas hoc onus repellere directè, poſtquàm enim reſpectu ipſius ſit naturale paſſiuum, ſemper reſpectu illius eſt paſſiuum, & non actiuum, neque in onus tale augmentando, neq; in directè repellendo. Ipſa tamen voluntas, quæ eſt per huiuſmodi onus receptum in ſe primo paſſiua, non oportet ꝙ ſemper ſit paſſiua reſpectu cuiuſcunque, & nullo modo actiua, immò per hoc ꝙ eſt paſſiua ſecundũ huiuſmodi diſpoſitionem, per eam efficacius ſit actiua ad generandum in ſe aliam diſpoſitionem. Voluntas enim licèt ſe ex ſe poſſet mouere ſecundum actum volendi in bonum cognitum abſq; illo onere inclinante, non tamen ita efficaciter. Eſt etiam voluntas ſecundo actiua ad depulſionem illius oneris indirectè, quia enim illud onus ipſi impreſſum eſt à ratione ex eo ꝙ via ratiocinationis determinauit bonum eſſe volendum, voluntas ſuo imperio rationem ſiue intellectum poteſt impellere ad inueniendum rationem æquè efficacem ad contrarium, vel ſi non poterit, poterit eam compellere ad credendum contrarium: ſi tamen ratio non ſit determinata medio verè demonſtratiuo, & euidenti, ſed tamẽ non ſine aliquali ratione ad illud credendum compellitur. Vel poteſt dici ſm ꝙ alibi determinauimus, etſi tale pondus nõ ineſſet voluntati à determinatione rationis, citra vltimum finem ex ſe poſſet ſe mouere ad quodcunque vellet. *Reſolut. q.* Sic ergo ad quæſtionem dicendum eſt ꝙ voluntatem ad actum volendi non mouet, niſi ipſa ſeipſam ſecundum ꝙ dictum eſt. & hoc liberè in ſummum bonum præſentialiter viſum, & per liberæ volũtatis arbitrium in quodlibet aliud, & in illud idem quod non præſentialiter viſum, niſi in vniuerſali, ſicut in vniuerſali non poteſt homo nõ velle eſſe beatus: & conuenit ei talis vis actiua in ſeipſam, quia eo ꝙ eſt ſeparata à materia ſuper ſe, eſt conuerſiua ad agendum in ſe: ſicut & intellectus ad patiendum à ſe. Multò etiam minus diſtãt hic actiuũ & paſſiuum, q̃ ex parte intellectus, quia intellectus actiuus nõ poteſt eſſe niſi primò patiatur, ita ꝙ non agat aliquid in ſe niſi cum illa diſpoſitione, ſecundum ꝙ in quæſtionibus ordinarijs expoſuimus. Voluntas verò etſi non fuerit primò paſſiua in dictum pondus recipiendo, tamen ad ſolam præſentiam boni cogniti in intellectu poſſet ſeipſam mouere ſecũdum actum volendi illud, & hoc quia non mouet ſe, vt principale mouens, ſed vt mouendi ratio. Senſus enim cuius potentię ſunt intellectus & voluntas, intelligit ipſo intellectu, vt aliquo ſui, & ſimiliter vult voluntate, & ideò intelligendo per intellectum bonum per voluntatem mouet ſeipſum in voluntate ad volendũ illud. ita ꝙ ſi intellectus, & voluntas non eſſent potentiæ eiuſdem nec in eadem ſubſtantia animæ vel naturæ in corpore fundatæ, ſed conſiderarentur, vt quædam diuerſa, quorum vnum ſit per ſe, & principale intelligens, & alterum ſit per ſe, & principale volens, cum voluntatis non ſit cognoſcere, & non contingit velle, niſi cognitum, nullo modo voluntas ſeipſam moueret in actũ volẽdi.

Quod ergo arguebatur primo, ꝙ voluntas non poteſt mouere ſeipſam, quia cum ſit ſimplex, tunc idem reſpectu eiuſdem ſimul eſſet actu & potẽtia: *Ad argu. princ.* Dicendum, ꝙ idem reſpectu eiuſdem ſecundum omnem modum impoſſibile eſt, ꝙ ſit actu & potẽtia, aut mouens & motum, immò ſemper inter illa oportet aliquam eſſe diuerſitatem, diuerſimodè tamen ſecundum diuerſas rationes motuum, & mouentium ac motorum, ita ꝙ non requiratur æqua diuerſitas inter mouẽs, & motum in ſpiritualibus & corporalibus, ſicut neque motus eiuſdem rationis eſt in his & in illis. Vnde vt patet ex prædictis, in voluntate ſufficiens eſt diuerſitas inter mouens & motum tali motione, quæ eſt volitio, quàmuis ſit ſimplex ſecundum rem.

Argumentum ad oppoſitum, licèt propter concluſionem concedendum ſit, tamen mediũ de motu grauis, & leuis ex ſe, & animalium ſecundum locum, non valet ad propoſitum, niſi quo ad hoc ꝙ in illis non ſunt penitus diuerſa, & abinuicem ſeparata mouens, & motum: ſicut neq; hic. maxima tamen eſt diuerſitas, quia in illis re differunt id ratione cuius mouens mouet & ratione cuius mouetur. graue enim mouet ſe ſecundum formam, & mouetur ſecundum materiam, non ꝙ forma moueat & materia moueatur, ſed ꝙ forma eſt quo totum moueat, & materia, quo totum mouetur. Similiter in animali anima eſt, quo mouet vt forma, & quiddã corporis, quod mouet, & mouetur ſicut organũ, vt partes proximę principio formaliter motiuo, & totum reſiduum motum eſt non *Ad argu. in oppoſ.*

mouens, vt patet ex dictis. Hic autem mouens, & motum differunt ſola ratione, & ad plus intentione: & hoc non ſicut diuerſæ potentiæ, ſed ſicut vires vnius potentiæ. Vnde ad probandum ꝙ tale quid quod eſt omninò ſimplex ſecũdum rem poſſit mouere ſeipſum, nullo modo valet dictum modium, immò magis valet ad oppoſitum, quia ſi ex hoc graue, & leue, & animalia mouent ſeipſa, quia in ipſis eſt inuenire diuerſa ſecundum rem quibus diſtingui poſſunt mouens, & motum, ergo ex oppoſito cum talia diuerſa non poſſint inueniri in voluntate, ſequitur quòd nullo modo poſſit mouere ſeipſam, & verum eſt tali motu, quali illa mouent ſe. & è cõuerſo ſi voluntas, quia propter ſuam ſimplicitatem eſt virtus cõuerſiua ſuper ſe, poteſt mouere ſeipſam, vt mouens, & motum omninò ſint idem ſecundum rem, ſequitur quòd grauia & leuia, & animalia, quia ſunt materialia nullo modo poſſunt ſe mouere, vt mouens & motum ſint omninò idem ſecundum rem; ita quòd ſi voluntas haberet materiam, & eſſet compoſitum ex materia, & forma ſiue ipſa ſiue id cuius eſt, vt anima vel Angelus: vel ex quibuſcunq; alijs diuerſis ſm̃ rem; nullo modo poſſet mouere ſe ſicut modo mouet.

Comment. in Quæſtionem Quintam, quæ eſt, *Vtrum voluntas moueat ſeipſam.*

IN titulo fortè adnotare nil aliud debemus, quàm qđ notet Gaetanus ſuper art. 3 quæſt. nonæ p. 2. D. Thomæ nempè ꝙ abſolutè quæritur, an voluntas moueat ſeipſam, ſ. reducat ſe de potentia ad actum, ſiue hoc ſit quo ad aliquem actum, ſiue quo ad omnes, determinatur autem in corpore.

Not. etiam, ꝙ Auctor in hac quæſtione plura facit quam promittat, ſiue proponat in titulo, quia videtur tractare de differentijs omnibus, quæ ſunt inter mouentia, & mota, quia cognitis huiuſmodi differentijs, profectò cognoſcitur quidnam moueatur à ſeipſo, quidnè propriè ab alio. Vbi enim eſt differentia realis inter mouens, & motum, quod mouetur, profectò non mouetur à ſeipſo. Vbi verò eſt differentia tantùm rationis, notiſſimum eſt, ꝙ illud, quod mouetur, à ſeipſo mouetur. Videtur autem hæc quæſtio non multum faciliter pertracta, curabimus verò, vt ad faciliem formam, & breuem eam reducamus propoſita prius Doctoris noſtri ſententia in forma tabellæ, vbi quaſi pingamus omnia, quæ à ſe, vel ab alio mouentur.

In corpore igitur ſex habere videtur concluſiones ſecundum numerum eorum, quæ mouent, atque mouentur, inter quæ præſertim ad quæſtionem motam diſputat aduerſus aliorum opiniones. Eſt igitur talis Doctoris ſententia.

Quę ſe habent per ordinem ſecundum rationem mouendi ſunt.

Voluntas increata in volendo.	*Voluntas creata pariter in uolendo.*	*Intellectus creatus in intelligendo.*	*Graue, & leue in mouendo ſeipſum.*	*Animal in mouendo ſe ipſum motu progreſſiuo.*	*Generans in mouendo aliud extra ſe ſeparatum ad alicuiuus generationem.*
Prima concl. Inter mouens, & motum nulla eſt differentia, niſi rationis.	*Secunda concl.* Inter mouens, & motum nõ eſt differẽtia niſi rationis.	*Tertia concl.* Inter mouens, & motũ nõ eſt differentia niſi rationis.	*Quarta concl.* Inter mouens & motum eſt differẽtia realis.	*Quinta concl.* Inter mouens, & motũ eſt differẽtia realis, & partim rationis.	*Sexta concluſ.* Inter mouens, & motum eſt differentia realis.

His concluſionibus credimus ſolutam quæſtionem, quas tamen de more conſiderare tenemur ad Auctoris mentem, vt facilè poſſit ſtudioſus lector omnia percipere.

Not. aũt ante omnia, ꝙ tametſi eas concluſiones ſic ordinauimus, vt apparet in ipſa tabella, alio tñ ordine eas cõſiderat Auctor, quippè conſiderata priori, accedit ad vltimã, procedens ad quintã, ac deinde ad quartã, & poſtea ad tertiã, & tandè ad ſecundã, quæ eſt propria qõni. Cur aũt id facit, nõ eſt difficilè conſiderare. Primũ enim id facit, qm̃ cũ intẽtio ſit manifeſtare, ꝙ quanto magis diſtẽrũt mouens, & motũ, tanto magis dr̃ motũ ab alio moueri, contra verò quanto minus, tanto minus ẽt ab alio moueri. decebat propterea, ꝙ cũ hæc ſex ita ſe haberent, quòd ſextũ maximè diſter à primò, cætera verò minus ſm̃ acceſſum, manifeſtato vno oppoſitorũ, benè erat alterũ manifeſtare, & deinde intermedia declarare hoc ordine, vt videretur, quæ nã accederent magis & minus ad primũ, ſicut ſi quis ageret de coloribus exactè, primò albũ cõſideraret, deinde nigrũ, & quidẽ ſicut albũ conſideraret prius, quia perfectius, ita conſiderari debet prius diuina voluntas, quia ſicut ab albo procedunt oẽs colores, ita à diuina voluntate procedunt cætera. Et ſicut rectè poſt conſiderationẽ de albo accederet ad nigri conſiderationẽ, qm̃ oppoſita iuxta ſe poſita magis elucẽſcunt, ita in hac cõſideratione accedere debebat poſt volũtatis increatæ contemplationẽ, ad vltimũ, qđ ipſi maximè vr̃ oppoſitũ in hac pr̃ertim cõſideratione. Deinde verò cõſideràs colores, qm̃ albũ maximè lucis eſt particeps, nigrũ aũt expers, particeps verò lucis oẽs intermedij ſm̃ magis ac minus, accederet ad eos, qui propinquiores ſunt nigro, vt ad alurgũ, vel ſimilẽ, vt minus lucis participẽ, vſq; dũ accederet ad viciniores albo, maximè poſt ipſum lucis participes. ſic procedit Auctor, vt videre eſt, accedens à maximè diſtantibus à diuina voluntate, ad ea, quæ potiſſimum in comparatione, & quantum ad hoc propoſitum ſpectat, accedunt ad ipſam.

Amplius hunc ordinẽ ſeruauit, qm̃ ſi quinq; iam concluſiones proponit, atq; conſiderat in gratiã ſecundæ, quæ eſt propria qõnis propoſitæ, decebat vt prius hæc pertractarentur, nec quidẽ alio ordine, niſi vellet confuſionẽ parere, quemadmodũ videretur, ſi proceſſus eſſet à primo ad tertiũ, atq; deinceps. Quo igitur ad primã concluſionẽ attinet, patet, quia diuina voluntas mouet ſeipſam, ita, ꝙ tñ nulla ſit differentia inter mouens, & motum, niſi ſm̃ noſtrum modum cõcipiendi.

Not. ꝙ ſi eſſet diſtinctio realis inter motũ & mouens, tunc voluntas diuina in primis nõ eſſet ſimplex ſicuti eſt. Amplius in ea eſſet id, qđ eſt in potentia realiter, & ideò aliquid realiter imperfectionẽ patiens, quæ oĩa cũ ſint reijcienda à Dei volũtate, illud ſequitur, ꝙ non ſit ibi diſtinctio, niſi rõnis, ſ. ſm̃ noſtrũ modũ concipiendi, qui accipimus diſtinctionẽ inter mouens & motũ ſm̃ potentiã & actum. Quo ad ſextam concluſionem, patet ipſa, qm̃ quæcunq; diſtant ſm̃ ſubſtantiam, eſſentiam, locum, & magnitudinem, differunt realiter; ſed mouens & motum in ſexto gradu ita diſtant, igitur realiter differunt. Propoſitiones ſunt notæ, quia taliter ſupponitur gradus, atque ad ſenſum id manifeſtum eſt.

Not. aũt, ꝙ ad hanc ratiocinij concluſionem, ſequitur, ꝙ tale motũ non moueatur à ſeipſo, quia mouens ſecũ eſſet, & non differret niſi rõne, & ꝙ dicimus in hac concluſionẽ, dicere debemus in oĩbus, ſicut & prius, quod ad realẽ differentiam ſequitur, ꝙ motum non moueatur à ſeipſo, ſed ab alio realiter diſtinctio. ſicut ad dr̃iam rationis non ſequitur, niſi quod moueatur à ſeipſo, quoniam non eſt diſtinctio ſubſtantiæ, eſſentiæ, loci, magnitudinis inter mouens & motum.

Quo ad quintam concluſionem attinet, ipſa patet.

Not.

Not. autem primò, quòd animal dicitur moueri à seipso, sed tamen distinguuntur mouens, &c. motum realiter, si pro motore accipiamus animam, pro moto autem corpus. notum est. n. Quòd hæc duo differunt realiter, quia differunt plusquam genere corporeum, & incorporeum. Iam verò si per motum accipiamus totum compositum ex anima, & corpore, videbimus animam mouere seipsam, & tunc diuidendum, colligendumque mouens, & motum in anima ipsa non differunt substantia, nec essentia, nec loco, nec magnitudine. Attendendum insuper, quod si per mouentia, &c. mota in animali membra, & organa accipiamus, secundum quod quædam mediante anima mouent, quædam verò mouentur. Nunc autem etsi videantur secundum substantiam distingui mouens &c. motum, forte non videbuntur distare loco, sed circa hoc ad anathomistas recurrendum est. In præsentia. Animali ita accepto, quod diuidatur in animam & corpus, & illa quidem intelligatur mouens, &c. hoc motum, vult Auctor, quòd inter mouens & motum sit distinctio realis; patet, quia corporeum, & incorporeum maximè realiter distant, &c. differunt, sed anima est incorporea, igitur &c. Animali autem ita accepto, vt mouens quidem sit anima, motum autem totum compositum, vult Auctor, quòd partim differentia sint, partim non. Sint quidem respectu animæ mouentis, & corporis moti, vt dictum est, & probatum. Non sint autem respectu animæ, quæ mouet seipsam. Probatur, quoniam anima vnica est, ergo in se non est differentia substantialis, &c. essentialis. si ergo est differentia, non est nisi rationis. Animali autem tandem accepto tertio loco, ita, vt in motu progressiuo, quædam sint organa mouentia, quædam verò mota; vult quod sit distinctio realis, scilicet secundum substantiam, licèt non sit distantia secundum locum, quia se tangunt, contigua videlicet sunt. Et quidem circa motum animalium plura dicit Auctor ex Philosopho, & Comment. quæ à nobis enarrari nec debent, nec declarari, cum satis ab ipso declarentur Auctore, & enarrentur. Patet autem manifestè, quod organum ab organo substantialiter differt, vnde & mouens, & motũ.

Not. autem, quòd inter loquendum de huiusmodi conclusione inuestigans Auctor quis nam in animali sit motor, cum reiecerit vegetatiuam facultatem, vtpotè quę cum sit in plantis, eis tamen non dat motum progressiuum, cum iterum reiecerit intellectum vtrunque, & concupiscentiam, & etiam communiter sensum, concludit, quòd mouens in animali bruto est appetitus sensitiuus. In rationali verò appetitus rationalis, nempe voluntas. Vt communiter ipsum mouens sic appetitus. Quod tamen rectè intelligi debet. Quatuor. n. sunt necessaria ad motum animalium, & quadruplex re vera est motor in animalibus.

Primus motor dicitur excitans. Secundus est dirigens. Tertius est exequens. Quartus verò famulans. Nunc autem Doctoris nostri sententia verificatur de motore exequente, non de cęteris. Si quidem motor excitans est obiectum, videlicet appetibile, quod Plato in Liside manifestat, & Aristoteles quoque. Motor dirigens est ipsa phantasia in brutis, & in homine quidem complicata cum mente. Tandem verò motor famulans multiplex cum sit, diffunditur per organa. Vt idcirco organa sint motores famulantes animæ, quibus de motoribus, plura, vt diximus, habet Auctor, vt videre est in litera. Patet igitur de quo motore, &c.

Quo ad quartam conclusionem spectat, de graui, & leui, probatur. Graue, & leue aut mouentur à generante, aut à remouente prohibens, aut à propria forma. Sed à quocunque mouentur horum trium, inter mouens & motum est realis distinctio, igitur &c. Prior propositio patet, quia mouentur à generante, tanquàm ab imprimente vim ad motum, secundum suam naturam. Mouentur à remouente prohibens per accidens, & mouentur à propria forma tãquam à principio interno. Nunc autem pro secunda propositione, patet de generante, q̃ distinguatur realiter à genito ex sexta conclusione. Patet de remouente prohibens, quia causa motus per accidens differt a materia. Sed not. q̃ cum grauia dicuntur moueri à forma, hoc rectè intelligi debet; non. n. ita intelligi debet, quasi forma sit sola mouens, &c. materia mota. Immò vtrunque est mouens & motum. Sed ita intelligendum, q̃ mouentur secundum quod materia, mouent verò secundum quod forma. Cętera verò clara sunt in litera.

Quo ad tertiam propterea conclusionem spectat, nota. q̃ hoc loco non consideratur intellectus, quatenus dicitur moueri ab obiecto, sed quatenus dr moueri à seipso, vbi mouens est est intellectus vt informatus est notitia simplici, motus verò vt nudus intellectus, & in potentia ad notitiam declaratiuam. Et tunc sic probatur conclusio. Intellectus, vt informatus, & nudus non distinguuntur nisi ratione, igitur differentia inter mouens & motum in eo non est nisi rationis. Patet antecedens, quia intellectus vnicus, &c. simplex est. Patet consequentia, quia vt informatus est mouens, vt nudus est motus.

Hæc sunt, quæ præmittit Auctor, antequam veniat ad conclusionem actiuam ad propositam quæstionem, quę prima facie probatur sic. Voluntas simplex est, igitur in ea non est differentia realis. Igitur si diuidatur in mouentem, & motam, nulla alia differentia est, nisi rationis inter mouens, & motum.

Not. q̃ si inter mouens voluntatem, & motam voluntatem nulla est differentia, nisi rationis, illud sequatur oportet, quòd voluntas à seipsa prorsus mouetur, & hæc est conclusio quæsito responsiua de mente Auctoris. Quæ probari videtur per rationes, quibus excluduntur aliorũ conclusiones. Quatuor. n. conclusiones vnr ab alijs ponit contra positam conclusionẽ.

Prima quarum est. Quòd voluntas mouetur à Deo.

Secunda. Quòd mouetur ab intellectu.

Tertia. Quòd quo ad actus determinationem mouetur ab intellectu, quo verò ad exercitium mouetur à seipsa.

Quarta. Quòd mouetur à bono cognito sicut à proprio obiecto.

Not. autem, q̃ prima conclusio est D. Thomæ, præsertim prima secundæ, quæst. 9. art. 6. Tertia verò, quæ est declaratiua secundæ, habetur à D. Thoma eadem quæst. art. 1. conclusionem verò Auctoris art. 3. vt vel sibi contradicat S. Thomas, q̃ non credimus, vel non discordet prorsus à Doctore nostro, tamersi argumentetur Auctor cõtra huiusmodi conclusiones.

Quarta item conclusio est D. Thomæ eadem quæst. art. 4. & etiam Heruei, & aliorum.

Contra primam verò conclusionem arguit Henricus. Omnis motus creaturæ est a Deo tantùm vt à causa vniuersali, ergo non vt à causa propria. Probatur hic discursus ex Augustino in litera. concedit propterea Auctor, q̃ voluntas moueatur à Deo, tanquàm à causa vniuersali.

Not. q̃ Thomistæ soluere volunt rationem Doctoris, & maximè Capreolus, quem sequitur Soncinas 2. sententiar. dist. 25. q. vnica. Respondent igitur negando consequentiam, quia aliter primus motus voluntatis est à Deo, quam alij nempe volunt, q̃ actus Dei, quo mouet voluntatem, sit primus ita, vt ei non accedat secundus. Cętèrùm cum hæc dicant, non aduertunt in primis q̃ consequentiam probat D. Thomas cum proponit quartam conclusionem, quippè si voluntas mouetur etiam ab obiecto, profectò vel sub ratione mouentis vniuersalis, vel sub ratione mouentis particularis. Non primum, quia Deus ille est, vt in art. 6. manifestat ipse D. Thomas. Igitur tanquàm motus particulare, actus autem eius, quo mouet necesse est succedere actui primo Dei.

Accedit, q̃ D. Thomas in secunda, & tertia conclusione, cum velit moueri voluntatem ab intellectu, idipsum argui potest, Amplius patet in ar. 6. in secunda ratione ad conclusionẽ, q̃ ex sui mente Deus est mouens vo luntatẽ, vt mouens vniuersale. Cum. n. Deus sit vniuersale bonum, & voluntas ordinetur ad vniuersale bonum, sequitur, q̃ voluntas à Deo moueatur, vt ab vniuersali bono. Quantum igitur spectat ad vniuersale mouens concordia est inter D. Thomam, & Henricum, sed Henricus loquitur de particulari.

Quo ad secundam, & tertiam conclusionem, sciendum, q̃ Auctor eas reprobat, quo ad hoc, quod moueri vult voluntatem à seipsa tanquàm à proximo, atque proprio mouente. Decet autem audire breuiter eius rationes, vt quæ ab alijs dicuntur aduersùs rationes etiam consideremus.

Primò igitur arguit sic, si voluntas mouetur ab intellectu, ergo non potest illud obiectum repellere, sed necesse est illud exequi, quod est falsum, quia periret liberum arbitrium. Probatur consequentia, quia quod semel passiuum est ab aliquo, semper ab eodem passiuum est.

Secundò, Ista, inquit, positio fundatur in propositione Philosophi comparantis appetitum sensitiuum ad apprehensionem sensitiuam, & intellectum ad intellectiuum, sed hoc est falsum, cum aliter, & aliter se habeant isti appetitus.

Tertiò, Si voluntas moueretur ab alio non esset domina suorum actuum, hoc est falsum, igitur &c.

Contra quartam verò conclusionem. Primò sic arguit. Intellectus necessariò mouetur à verò, ergo si voluntas mouetur à bo no mouebitur necessariò, & sic peribit liberum arbitrium.

Secundò contra eandem, & primam partem tertiæ. si obiectum specificat actum voluntatis, aut ergo illa specificatio est pura ostensio obiecti, aut aliqua impressio facta ab obiecto in voluntate.

Hæ sunt rationes Auctoris formatæ ab illis, qui volentes Doctorem discordem esse à D. Thoma, illis quoque, vt tantur D. Thomam, conantur satisfacere.

Notamus autem nos ante omnia de Doctore nostro, quod nequaquam credimus contra sententiam esse D. Thomæ, sed potius contra malam interpretationem, quæ positis conclusionibus dari posset.

Mouemur autem ad hoc dicendum in primis, quia vt patet ex 15. quæst. primi quodlibet non negat Auctor voluntatem moueri ab ipso intellectu, quippè velit eligere, & promere actum suum non posse volũtatem ante actum intellectus, quod est profectò moueri ab intellectu. Vt verò patebit ex nona xiij. quodl. etiam obiectum voluntatis mouet volũtatem, quia omne obiectum habet virtutem mouendi. Cæterum sciendum est, quòd triplex est motus.

Motus directionis, motus excitationis, & motus executionis. si loquamur de motu directionis, non est dicendum, quod voluntas à seipsa moueatur nec diceret Auctor, sed vt patet ex primo quolibet loco citato, mouetur ab intellectu, ac mẽte proximè, & etiam à Deo vniuersali motore, subaudiendum, de lege ordinaria de gratia verò speciali, etiam proximè potest mouere. Si loquamur de motu excitationis, profectò mouetur voluntas ab obiecto, ipsum quippè cum sit bonum excitat ipsam voluntatem. At dum loquimur de motu executionis, procul dubio voluntas mouetur à seipsa, & de hoc motu credimus Auctorem loqui, & hanc eandem sententiam habere D. Thomam. Ita vt ambo velint voluntatem à nullo exteriori cogi, atque moueri, quantum ad executionem. Igitur quantum spectat ad primum argumentum, ad hoc tendit, vt probet, quod illud sequeretur, quod periret liberum arbitrium, si voluntas moueretur ab intellectu motu executionis, quo esset passiua prorsus, & cogeretur ad executionem. Quo fit, vt responsio Soncinatis vana sit, cum neget consequentiam, quia dum rationem negationis inducit, consequentiam probat ad aures Auctoris, qui non vult ab intellectu moueri quo ad executionem, siue exercitium, de quo motu inducit consequentiam, quam si negat, probatur statim per ipsam conditionem libertatis, quæ scilicet exigit, nè moueatur id, quod liberum dicit motu executionis, & si moueri possit motu excitationis, & directionis.

Sic pariter responsio ad secundum facit potius pro Auctore, quam quod illi officiat. Quippè sufficit quòd appetitus rationalis, scilicet voluntas non moueatur motu executionis ab intellectu, nec ab obiecto, sicut sentitiuus ab obiecto. Quod si sumatur propositio Philosophi pro quanto vterque quo ad motum executionis moueatur ab alio, id esse falsum dicit Auctor, & illi, qui habent talem opinionem, errant.

Quantum pariter ad tertium attinet, cum neget consequentiam Soncinas, perperam id facit, intelligendo de motu executionis, si.n. exequitur ob aliud, nempè necessitata ab alio in genere efficientis, profectò non est libera, quod patet ex conditione libertatis. Et quòd ab alio, tamen alijs motibus moueatur, dictum est ex ipso Auctore.

Quo verò ad primum, ad aliam conclusionem, attendere debent, qui negant antecedens, vt Soncinas, & quòd nec intellectus, nec voluntas mouentur necessariò ab obiecto. Quantum ad primum, probatur antecedens. Potentia ad vnum determinata necessariò mouetur ab obiecto, sed intellectus ad vnum determinatur, igitur necessariò mouetur ab obiecto. obiectum autem intellectus est verum.

Quod verò quo ad exercitium moueatur, probari potest, quia sicut se habet sensus ad sensibilia, ita intellectus ad intelligibilia, sed sensus mouetur necessariò ab obiecto, quod patet insensu tactus cui cum in debita distantia erit calidum, vel frigidum approximatum necessariò mouetur ab illo, ergo & intellectus. Cum igitur Auctor subsequitur, & ait. Ergo si voluntas mouetur à bono, mouebitur necessariò. Vult inferre quòd non ita se habet voluntas sicut intellectus, quoniam libera hæc sit, & non determinetur ad vnum sicut.n. sensus non potest non sentire. Cum habuerit obiectum approximatum vt patet de calido respectu tactus, sic intellectus non potest non intelligere, cum habuerit verum in debita distantia. Atqui voluntas, licut potest velle bonum, ita ex se potest non velle bonum. Ergo non eodem modo mouetur ab obiecto, sicut intellectus. Sed intellectus mouetur effectiuè ab obiecto, ergo voluntas non mouetur hoc pacto, aliter periret liberum arbitrium. Huc tendere credimus rationem Auctoris.

Quo verò ad vltimam, non ita nudè recitanda erat, sed ea addere, quæ addit ipse Auctor. Nempè, quod non primò, quoniam tunc non mouetur voluntas necessariò nec ab intellectu, nec ab obiecto, ergo secundum, ex quo sequitur, quod sit aliqua inclinatio, qua vel obiectum excitat voluntatem, & hoc conceditur, vel facit necessariò volitionem; quo pacto oportet dicere quod moueatur ab alio, etiam quo ad executionem, & sic peribit liberum arbitrium. Vnde vanè negat consequentiam Soncinas, quoniam ratio negationis, quam adducit, præsupponit malam Doctoris intelligentiam. Quippè & ipse Auctor, vt diximus vult moueri voluntatem ab intellectu in ratione finis, & ab obiecto, quo ad excitationis motum. Quo fit vt ab obiecto, & intellectu inclinetur voluntas. s. excitetur ab illo, dirigatur ab isto, non autem inclinatur effectiuè, &c.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum imperare sit actus rationis, vel voluntatis.

Arg. prim.  IRCA tertium arguitur, quòd imperare sit actus rõnis non voluntatis, qa imperare nihil aliud est, q̃ aliquid faciendum alteri intimare. hoc autẽ est rationis respectu uoluntatis. ergo &c.

In oppos. Contra, imperare semper pertinet ad id quod est supremum, & liberum dominium magis habẽs. tale nõ est nisi uoluntas in toto regno aĩę. ergo &c.

Responsio. Dicendũ, ꝙ cũ imperare sit actio alicui directa ad aliq̃d exequẽdũ, cuius sit actio, vt imperãtis hic oportet pscrutari ex tribus adinuicẽ cõparatis. s. ex habitudine, q̃ debet imperãs habere ad illũ cui dirigitur imperiũ, & ex cõditione actus, q imperat, & ex dispõne eius, cui ĩperat, qbus pscrutatis planè patebit, ꝙ actus ĩperãdi dẽt attribui volũtati & nõ intellectui. Primò ergo ꝙ imperare sit actus uolũtatis nõ intellectus cõsiderat ex habitudine ĩperãtis ad

tis ad illum cui imperium dirigitur. Quia enim imperans ad eum cui imperium dirigitur habitudinem ſuperioris ad inferiorẽ debet habere, quo ad aliquem gradum: par enim in parem nullum habet imperium, & multò minus inferior in ſuperiorem, cum igitur quæſtio eſt de imperare in homine ſimpliciter tàm ſuper ea, quę ſunt intra ſe ſecundum ꝙ in ipſo debet eſſe aliqua virtus, quæ cæteris imperat, quàm ſecundum ea, quæ ſunt extra ſe: ſi enim in homine ſit virtus aliqua quæ cæteris imperat, quæ ſunt intra ſe: illi etiam attribui debet imperium ad ea, quæ ſunt extrà ſe, talem autẽ virtutem vnam cæteris principantem oportet ponere in homine. dicente Philoſophio. 1. Pol. Quæcunque ex pluribus conſtituta ſunt, & fiunt vnum aliquod commune, ſiue ex coniunctis ſiue ex diuiſis: in omnibus videtur principans & ſubiectum, & hoc non niſi reſpectu alicuius operis qđ à principante debet imperari ſubiecto. Propter quod præmiſit ibidem. Vbi autem hoc quidem principatur, hoc quidem ſubijcitur, eſt aliquod horum opus. Iſta ergo quæſtio, quo ad hoc multum dependet ab illa, qua quæritur, quę ſit virtus ſiue potentia ſuperior in homine. ſemper enim ſuperiori, & principaliori debet attribui principatus & imperium, ſiue dominiũ. vt enim dicitur primo Pol. natura melius eſt principans principato. Quæ autem potentiarum in homine ſit ſuperior, & principalior, ſuper hoc non eſt dubitatio, niſi de intellectu & voluntate. Propter quod dicentes intellectum eſſe potentiam ſuperiorem dicunt ꝙ intellectus eſt imperare, & ꝙ voluntatis eſt ei obedire, & imperium ſuſcipere. Imperans enim vt dicunt ordinat eum cui imperat ad aliquid agendum, & hoc intimando. & denunciando, vt imperare nihil aliud ſit, quàm ordinare, ſiue actus rationis ordinantis aliquid agendum cum quadam intimatiua motione, non per modum conſilij, & ſuaſionis ad opus volendum, ſecundum ꝙ intimatio exprimitur per verbum indicatiui modi: dicendo hoc eſt tibi faciendum, ſed per modum præcepti, & compulſiõnis ad opus exequendum, ſecundum ꝙ intimatio exprimitur per verbum imperatiui modi, dicendo fac hoc: ita quòd quando perfectè imperat ratio voluntati, vt velit, tunc iam vult, & quòd aliquando imperat & non vult, hoc eſt, quia imperfectè imperat, vtpotè cum fluctuat ratio inter duo. Et ſic imperare rationis eſt, vt dicunt, quia ordinare eſt proprius actus rationis, qui ſicut non eſt in brutis, nec imperium, quàmuis primum mouens ad exercitium huius actus ſit volũtas, quemadmodum eſt primum mouẽs in omnibus viribus animæ ad exercitium actus earum, vt ſic fiat in virtute voluntatis, & preſuppoſitione actus eius, quia ſecundum mouens non mouet, niſi in virtute primi mouentis, & virtus prioris actus manet in actu ſequẽte, & ſic quòd ratio mouet, hoc eſt in virtute voluntatis, & imperare eſt actus rationis præſuppoſito actu voluntatis, in cuius virtute ratio mouet per imperium ad exercitium actus, licèt non ad ipſius actus imperandi determinationem, quemadmodum etiam dicunt, quòd ad exercitium actus quo voluntas vult aliquid, voluntas mouet intellectum, licèt non ad illius actus determinationem, ſed magis è conuerſo, vt ſecundum illum modum ſecundum quod dicunt ratio poſſit ordinare de actu voluntatis, & ſicut poteſt iudicare, quòd bonum ſit aliquid velle, ita poſſit imperare, quòd ipſa velit illud. & ſic actus voluntatis poſſit eſſe imperatus à ratione, & ſimiliter actus ſuus proprius poſſit eſſe imperatus ſibi, quia ratio eo, quòd ſupra ſeipſam reflectitur, ſicut poteſt imperando ordinare de actibus aliarum potentiarum, ſic & de actu ſuo. Suppoſito autem ex alijs quæſtionibus, quòd voluntas eſt potentia ſuperior, quàm intellectus, dico quòd quantum eſt ex parte ſuperioritatis potius ponẽdum eſt, quòd voluntatis eſt imperare, & intellectus, & omnium aliarum potentiarum obedire, atque imperium voluntatis ſuſcipere. Voluntas enim & velle contra dictamen rationis poteſt & ipſam rationem cogere, vt recedat à ſuo iudicio, & per hoc ipſam ad contentiendum ſibi & omnes alias potentias ſuo imperio conſtringere, quia ad actum imperij à voluntate præuium oportet eſſe actum intellectus, quia incognita velle non poſſumus, qui inclinandõ voluntatem modo prædeterminato ad imperandum volitum voluntati determinet quaſi intimatiua motione, quæ non eſt imperium, ſed ad imperium diſponit, quod imperium vel iuſſio dici non poteſt, quia voluntas illi motioni per intellectum aſtringi non poteſt, quod tamẽ vt iam uidebitur, in eo cui fit imperium, neceſſariò requiritur. Quod ſi aſtringeretur dicere, non eſſet aliud imperium, quàm rationis intimatiua motio, quod non ſolùm eſſet motio, ſed ad obediendum compulſio. Et quia ſic ratio diſponit ſua intimatiua motione ad uerum imperium uoluntatis, ideò ſua motio ſiue compellat, ſiue non, etſi imperium propriè dici non poteſt, dicitur tamen iuſſio, quæ quandam rationem imperij habet, & tamen uerum imperiũ ſoli uoluntati tribuitur. Iuxta illud Damaſcen. de duabus naturis in una perſona Chriſti.

Dicimus ipſum rationalem appetitum ope rationis, quia liber arbitrio eſt ſub poteſtate habens irrationabiles paſſiones, & iudicans, & gubernãs, & freno ducens has iram, & concupiſcentiam, & ſenſum & ſecũdum progreſſum motum. Hæ enim obedientes & ſuaſibiles ratione ſunt irrationabiles paſſiones, natæ enim ſuaderi à ratione, & ſubordinari, & mouet ut ſtique iubet ratio in his, quæ ſecundum naturam hominibus, & infra. Coniungantur igitur intelligentia, & appetitus in homine, ut non inuoluntariè patiamur, quæ irrationalium rationales exiſtentes. Ecce quòd in homine diſtinguit appetitum, & intelligentiam, & appetitui tribuit gubernare, & ſub freno ducere, qđ non eſt niſi principaliter imperantis.

Intelligentiæ autem tribuit ſecundum rationem in ſuadendo iubere, ſed non impellendo ad actū ſicut facit voluntas. Et ſecundum hunc modum loquendi poſſet exponi illud, quod de intelligentia ſpeculatiua dicit Philoſophus 3. de anima. Non iubet autem timere quaſi ad intellectum practicum hoc pertineat. quod non eſt verum, quia vt dicit ibidem Themiſtius, practicus intellectus non eſt dominus motus. dominus autem motus eſt ille cūius eſt principaliter iubere, atque præcipere. Et ſic intellectus non propriè dicit fac hoc, niſi per modum conſilij, nec eſt ipſius ordinare principaliter niſi conſulendo. In exequendo autem & imperando ſolius voluntatis eſt ordinare, ſed intellectus ſubordinare, vt dicit Damaſ. & hoc ſecundum modum, quo ei conuenit iubere vt dictum eſt. Nec eſt voluntas ſolùmmodo in imperando primum mouens, quo ad exercitium actus exequendi ab intellectu, vt perueniat ad determinandum illud quod debet imperari, ſed proximum quo ad impoſitionē actus illis viribus à quibus debet per imperium exequi, licèt hoc quodammodo fiat in virtute intellectus ſecūdum dictum modum. Et ſecundum hoc nullo modo actus voluntatis poteſt eſſe imperatus à ratione, ſicut nec aliquis alius ſiue ſuus proprius ſiue alterius, ſed quicquid imperatur intus & extra à voluntate imperatur. Et hoc conuenit ei ſecundum iam dicta ex ordine ad intellectum, & ſimiliter ad omnes alias vires animæ, quia ſuperior omnibus alijs eſt. Et ſic primò conſideratur, ꝙ imperare ſit actus voluntatis non intellectus ex habitudine imperantis ad illum cui imperium dirigitur.

Secundò autem idem conſideratur partim ex habitudine eius cuius eſt imperare ad illum cui dirigi debet imperium, partim ex conditione eius qd imperatur, quoniam imperans ſic debet eſſe ſuperior illi cui imperatur, ꝙ compellere poſſit aliquo modo infectiorem ad exequendum imperatū, quia imperio in ſuperiore reſpondet obedientia in inferiore, quæ ſi non reſpondet naturaliter, non habet imperium naturali ordine ſuper illud. Quæ in inferiori non reſpondet qeandoq; quidē, quia nō eſt in ſua poteſtate actus imperatus. Non enim intellectus poteſt obedire volūtati ſi præcipiat intelligere, quod eſt ſupra ſuam poteſtatem, vt veritatem ſupernaturalem, vel ſi præcipiat ei diſſentire concluſioni demonſtrationis manifeſtæ, licèt eum ſuo imperio poſſit retrahere, ne de illa cogitet. Secundum quem modum voluntas viribus vegetatiuæ nihil habet imperare, quia nō ſunt natæ obedire. Quandoquē verò non reſpondet obedientia in inferiori perfectè quia partim eſt in ſuā poteſtate, & partim non, quemadmodum appetitus ſenſitiuus partim dependet à diſpoſitione organi, & ſic nō eſt in poteſtate illius obedire Imperio rationis, qui etiam ex hoc aliquando nō poteſt præueniri à ratione, partim verò dependet à vi animæ, & ſic cum inſtat voluntas & ſuadet ratio, neceſſe habet obedire. Propter quod dicit Philoſophus primo Pol. ꝙ ratio dominatur irascibili, & concupiſcibili principatu politico, qui eſt patris ad liberos, ſed membris dominatur principatu deſpotico, qui eſt domini ad ſeruos, in quo non habet locum contradictio, & hoc inquantum motus membrorum regulatur à viribus ſenſitiuis, ſicut regulatur in motu ſecundum locum, vt patet ex dictis in præcedenti quæſtione. Vnde quando motus multò plus eſt à diſpoſitione organi, qnàm à vi animæ ſenſitiua in aliquibus membris, illa membra in quibus habent eſſe huiuſmodi motus, quo ad illos motus non ſunt nata obedire rationi, ſed mouentur motu inuoluntario, aut non voluntario. De quibus dicit Philoſophus in fine de cauſis motus animalium. Quomodo mouentur motibus voluntarijs animalia, & propter quas cauſas, dictum eſt. Mouentur autem & aliquibus inuoluntarijs quædam partium, pluribus autem non voluntarijs.

Dico aūt inuolūtarios, vtputa eū, qui cordis, & eū qui pudendi. Mouent enim apparente aliquo, nō ſi vidente intellectu mouentur. Non voluntarios autem vtputa ſomnum & vigiliam, & reſpirationem, & quicunque alij tales ſunt. Nullus.n. dominus eſt horum ſimpliciter, neque phantaſia, neque appetitus. Nota ꝙ non loquitur de motu cordis in attractione, & pulſione ad cauſandum motum progreſſiuum, de quo habitum eſt ſupra, ille enim purè voluntarius eſt, & cadit ſub imperio voluntatis, & appetitus, ſed de illo qui fit in pulſu, qui purè eſt naturalis, nec à phantaſia motus, aut appetitu, vel de eo, qui fit prēter imperium voluntatis, ſed præuenit ipſum naturaliter. de quo dicitur in 3. de anima. Multotiens cogitat intellectus in aliquo timoroſo, aut in aliquo delectabili, ſed non propter hoc erit timor aut delectatio. cor autem mouetur.

De quo etiam dicit de cauſis motuum. Phantaſia autem & intelligentia habent rerum virtutem, &c. vt in quæſtione præcedenti. Vnde & cauſam huiuſmodi motuū poſt ſupradicta in eodem aſſignat dicens. Cauſæ autem motuum, caliditas, & frigiditas, quædam foris, & quædam intus exiſtentes naturales. Et præter rationem vtiq; facti motus dictarum partium alteratione incidentē fiunt, & hoc vel præter phantaſiam, & intellectum præcedentes, vel excitati à phantaſia & intellectu inquantum ſunt factiui paſſionum offerendo ſpecies factiuorum, vt in præcedente quæſtione tactū eſt. Et vt dicit rectè in fine de cauſis motus, qñq; eadem intelligentibus fit motus, qui præter rationem in partibus, qñque aūt non; cauſa qñque ineſſe paſsiuā materiā, qñq; aut non tantam aut talē. Debet ergo imperans eſſe tale, ꝙ ille cui imperatur neceſſe habeat ei obedire ad explendum illud quod imperatur. Quare cum illud quod ex ſe habet libertatē arbitrij nulli aſtringitur ad obediēdū, ſed illi potius omnia alia, & libertas arbitrij volū-

tatis

ratis conuenit ex se, ita ꝙ non alijs, nisi eius participatione quemadmodum virtus primi mouentis manet in mouente secundo, secundum ꝙ alibi sufficienter declarauimus: ex consideratione igitur habitudinis imperantis ad eum, cui imperatur patet secundò, ꝙ imperare sit actus voluntatis. Vnde quod dicunt aliqui, ꝙ radix libertatis sicut causa est ratio, siue intellectus, licèt subiectū eius sit voluntas, vt ex hoc solo voluntas liberè possit ad diuersa ferri, quia ratio potest habere diuersas conceptiones boni, absit hoc, quod alibi ostendimus non posse stare, immò voluntas & est subiectum libertatis, & radix prima, à qua per participationē ad imperium, & impressionem eius inuenitur in actibus rationis, & aliarum virium, sicut & virtutes, prout alibi declarauimus. Vnde quando intellectus sua actione præuenit voluntatem, actio voluntatis habet ab intellectu, ꝙ sit rationalis, non ꝙ libera arbitrio. Quando verò è conuerso actio voluntatis præcedit intellectum, actio intellectus habet à voluntate, ꝙ sit libera arbitrio: non autem ꝙ sit rationalis. Et quia intellectus naturaliter prior est sicut & operatur, quia nō possumus velle nisi cognita, ideò rationale, quod est proprietas intellectus, naturaliter prius est, quàm liberum arbitrium, quod est proprietas voluntatis, & naturaliter prius habet voluntas ab intellectu, ꝙ sit rationalis, q̄ intellectus, ꝙ sit liber arbitrio. Propterea quàmuis omne rationale est liberum arbitrio, & è conuerso, & omne intelligens est volens, & è cōuerso secundum Damascen. tamen vt dicit lib. 1. cap. 29. in principio, in quibus est rationale confestim concomitatur liberum arbitrium. Est igitur rationale precedens, liberum arbitrium concomitans, & non è conuerso. Et secundum hoc vbi libertas arbitrij attribuitur actionibus voluntatis, & rationis, per se debet intelligi in actionibus voluntatis, per participationem verò in actionibus intellectus. Similiter vbi rationabilitas attribuitur actionibus voluntatis & intellectus, per se debet intelligi in actionibus intellectus, p participationē verò in actionibus voluntatis. Vnde cum dicit Damasc. lib. 2. sententiarum cap. 24. Voluntas est rationalis, & liber arbitrio naturalis appetitus, liberè. n. in arbitrio, & ratione mouetur, intelligo in arbitrio. i. in uolūtate, in rōne. i. in intellectu, vt possit cōsimiliter dici è conuerso. rationabiliter. n. in ratione, & arbitrio mouetur. i. in intellectu & voluntate. Et similiter cū subdit dicēs. Libero ergo arbit. appetit, & lib. arbit. vult, & lib. arb. inquirit, & lib. arb. scrutat, & lib. arb. iudicat, & lib. arb. disponit, & lib. arb. eligit, & liber. arb. impetū facit, & lib. arb. agit, & operatur semper in his, quæ secundum naturam sunt, in his propter liberum arbitrium adiunctum aliquæ actiones propriæ intellectui attribuuntur rationi, ita etiam ꝙ si intelligamus aliquas illarum esse voluntatis, & alias intellectus, illas quæ sunt voluntatis intelligemus attribui libo. arbi. essentialiter, & illas quæ sunt rationis per solam participationem. & consimiliter è conuerso si dicamus sic. Intellectus est liber arbitrio, & rationabiliter naturalis sensus: Rationabiliter enim in ratione, & libero arbitrio mouetur: rationabiliter ergo appetit, & rationabiliter vult, & rationabiliter inquirit, & rationabiliter scrutatur, & rationabiliter iudicat, & rationabiliter disponit, & rationabiliter eligit, & rationabiliter impetum facit, & rationabiliter agit, & operatur in his, quæ secundū naturam. Et secundum hoc tàm Theologi, quàm Philosophi frequenter confundunt simul intellectum & voluntatem, & eorum operationes & modos operandi, sed diligens lector debet singula distinguere. Vnde cum dicit Damasc. de duabus naturis, & vna persona Christi: Irrationabilia non libero arbitrio mouentur ad appetitum, naturaliter enim moto in ipsis appetitu non habentia imperantem rationem ducuntur à natura huiusmodi appetitu victa: vnde confestim mouentur ad actionem, nisi ab altero prohibeantur, propter qđ non sunt libera arbitrio, sed sub potestate, procul dubio cum dicit non habentia rationem imperantem, confundit sub ratione intellectum & voluntatem, quæ expressè continuò distinguit dicens. Rationalis autem natura potestatem habet succumbere naturali appetitui, & non succumbere, sed vincere. & ostendit vitæ desiderium naturale, & existens & succumbens rationi. Multi enim duce ratione vtentes voluntariè processerunt ad mortem, & à cibo appetitum retraxerunt, & somno & reliquis, ducentes naturam libero arbitrio. Ecce quomodo distinguit primò dicens duce ratione. s. in consulendo: deinde dicens ducentes naturam. s. in appetitibus naturalibus, libero arbitrio, scilicèt imperādo viribus inferioribus, & eas subtrahendo ab eis, quæ appetierunt. Sic igitur sicut subdit Damasc. post aliqua interposita, rationalis omnis irrationalis creaturæ rex conditus est homo, & rationalis & intellectualis existens appetitiuè intelligit, & ratiocinatur, & rationalis & intellectiuus libero arbitrio appetit.

Tertiò apparet ꝙ imperare sit actus voluntatis specialiter ex conditione eius, quod imperatur ei cui ab imperante dirigitur imperium. Id enim qđ imperatur est aliquis actus exequendus ab illo cui imperatur. Vnde nulli habet fieri imperium de dispositione, quę non habet causari ab ipso, sed tantùm habet fieri ab alio in ipso. Quare cum voluntas non habet uelle, nisi ea quæ pertinent ad exercitium aliarum potentiarum, ut ꝙ uult intellectū considerare, consiliari, & huiusmodi, aut quæ determinat sibi intellectus secundum dictum quorūdam, & primum uelle nullo modo imperatur uoluntati à ratione: sed potius per ipsum uolnntas imperat rationi, ut ipsi concedunt, secundum etiā uelle secundum ipsos non causatur ab ipsa uoluntate seipsam mouente, sed potius ab intellectu, & à bono cognito secundum eos, & ideò uoluntati imperari non potest, nisi communiter sumendo

impe-

imperium, quemadmodum ſit membris corporis principatu deſpotico, nullo igitur modo ponendum eſt, quòd intellectus habet imperare voluntati, ſed alterum eorum neceſſariò habet alteri imperare, cuius eſt imperare ſimpliciter. Simpliciter eſt ergo voluntatis imperare; non autem intellectus.

Per dicta patent obiecta vtriuſque partis.

Comment. in Quæſtionem Sextam, quæ eſt,

Vtrum imperare ſit actus rationis, vel voluntatis.

IN titulo diffiniendum eſſet quid ſit imperare, ſed quoniam in hoc præſertim eſt difficultas, quoniam diffinitio eſt demõſtrationis medium, ex diffinitione eius, quod eſt imperare, facilè quæſtio ipſa reſolui poteſt, ideo colligenda diffinitio relinquitur ex fine quæſtionis.

In corpore eſt concluſio reſponſiua quæſito, q̃ imperare eſt actus voluntatis. Et hanc probat Auctor ex conditione primùm imperantis. ſecundo ex conditione eius, cui imperatur. tertiò ex conditione rei, quæ imperatur. Circa primum hæc eſt conditio ſpecialis eius, qui imperare debet, quòd ſit ſuperior omnibus, quibus imperatur, & hoc quoniam inter parem, & parem non datur imperium, nec inferioris ad ſuperiorem, & quidem ſicut imperator dicitur dominus mundi ex gloſſ. in clem. Paſtoralis. de ſen. & re iudi. in verb. Diſtrictum. Sic quod in homine imperat, qui eſt microcoſmos debet eſſe dominus talis mũdi. Et tunc ſic formatur ratio. Imperare, eſt victus illius potentiæ, quæ eſt domina omnium, & cæteris ſuperior, ſed voluntas eſt huiuſmodi. Igitur eius eſt imperare.

Not. q̃ minor propoſitio aliter ſubſumitur à D. Thoma in p. 2. quæſt. 17. art. 1. Quippe eam ſic aſſumit, ſed intellectus eſt huiuſmodi. igitur intellectus eſt imperare.

Cæterum voluntas quomodo ſit ſuperior, vel intellectus viſum eſt in q. 14. primi quol. Quoniam autem pro minoris probatione illud D. Thom. adducere videtur, q̃ imperare ſit ordinare, & ordinare ſit actus rationis, hoc etiam concedit Henricus: cum verò addit q̃ hoc ordinare eſt cum iuſſione compulſiua, hoc negat Auctor, quia intellectus eſt ordinare quidẽ, & ordinando iubere cum ſuaſione: voluntatis autem iubere cum compulſione. Et ad hoc tota præſertim reducitur difficultas, ſed hanc ſuam poſitionem probat Auctor, quia voluntas compellere poteſt etiam intellectum, vt agat contra dictamen rationis. Probat etiam ex Damaſceno, atque ex Themiſtio, vt patet in litera.

Vt verò dicamus nos quid ſentimus, exiſtimamus facile hos poſſe concordari, quando diligenter inſpiciatur, quod in hoc negotio principaliter habet D. Thom. Ipſe quippè in loco citato, & alibi pluribus in locis, vult quidem intellectus actum eſſe imperare, ſed non abſolutè, verum potius ſuppoſito actu voluntatis. Vnde ſi præſupponatur actus voluntatis, profectò voluntatis actui principaliter datur imperare. Iudicamus idcirco hanc eſſe ſententiam D. Thomæ, vt conſideret in actu imperandi plura concurrere: præſertim autem iuſſio, atque ordo. Vnde qui imperat, ordinat, & iubet, ſi rectè imperat. Nunc autem quantum ſpectat ad ordinem, iudicaremus cum D. Thoma, quod eſſet actus voluntatis, præſuppoſito actu intellectus, ita quod principaliter ſit actus intellectus, ſecundariò voluntatis. Vt verò ſpectat ad iubere, pariter iudicamus cũ D. Thoma eſſe actum intellectus præſuppoſito actu voluntatis, vnde principaliter ſit actus voluntatis, ſecundariò ipſius intellectus. Et contra huiuſmodi ſententiam non eſt Auctor, ſed potius contra abſolutè tenentes imperare eſſe actum intellectus, vt ad illum attineat verum imperium principaliter, quod eſt contra Damaſcenum, & veritatem. Nec dicit id D. Thomas abſolutè, quia quo ad ipſum iubere vult præſupponi apertè voluntatis actum. Et nota diligenter verba D. Thomæ: cum enim dixerit, q̃ in iuſſione, & imperio eſt intimatio, quæ duplex eſt, alia ſuadendo, alia verò præcipiendo, illam non dicit rationis, hanc verò voluntatis, ſed è contra, per quæ verba videtur expreſsè difficultas, & lis inter Auctorem, & D. Thomam, quippè D. Thomas ſuaſionem voluntati, præceptionem rationi tribuit. Sed profectò tota difficultas tollitur ex ſubſequentibus uerbis D. Thomæ. Accipiens enim ſecundum, ſi rationem, ait, cum ergo ſecundum mouens non moueat niſi in uirtute primi mouentis, ſequitur quod hoc ipſum, quod ratio mouet imperando, ſit ei ex uirtute voluntatis. Hæc D. Thom. per quæ manifeſtat apertè, quod primum agens in intimatione præceptiua eſt voluntas, cuius virtute eget ipſa ratio, ſed cur D. Thomas noluit abſolutè proferre, q̃ imperare eſſet actus voluntatis? Prof. cto, quoniam excludere nolebat rationem reſpectu ordinis. Item igitur vel nullam iudicamus, vel in verbis tantùm. Sed de primo ſatis.

Circa ſecundum. Probat Auctor quod ſit actus voluntatis ex conditione eius, cui imperatur. Eſt autem conditio eius, quod poſſit compelli ab alio ad obediendum. Et tunc probatur concluſio. Sola voluntas poteſt compellere ad obediendum ea omnia, quæ nata ſunt obedire, ergo imperare eſt actus voluntatis. Antecedens patet, quia quòd liberum eſt, non niſi liberè compellere poteſt, ſed ſola voluntas libera eſt. Igitur &c.

Non ex Auctore, quod additur in antecedente ea, quæ nata ſunt obedire, cui &, addendum eſt hoc, & in quo ſunt nata obedire. Primum quidem, quoniam voluntas non poteſt impedire motus naturales, vt cordis, & pudendorum aliquando, & motum patiter nutritionis. Secundum verò, quoniam non poteſt rectè præcipere illud, quod eſt ſupra vires illius, cui præcipitur: conſequentia verò probatur, quia compellere ad aliquid agendum, eſt illi imperare. Quæ autem ſint, quibus imperat interius ipſa voluntas, & quibus non imperat, vide in litera.

Not. q̃ inter loquendum circa hoc, excludit Auctor illam opinionem, quæ dicit intellectum eſſe radicem libertatis, quod vtique videtur eſſe contra illud, quod diximus de eius mente in quæſt. 16. primi quol. vbi diximus libertatem eſſe in intellectu, tanquam in radice. Cæterum ſi quis ponderet diligenter verba Doctoris, videbit, quòd non excludit libertatem, eſſe tanquam in radice in ratione, ſed excludit, quod ita ſit ratio radix libertatis, vt ipſius cauſa ſit, vt ſine ipſa non ſit libera voluntas, quod vtique falſum eſt, vt etiam ibi determinatum eſt, vbi dictum eſt, quod principaliter, & formaliter eſt voluntas ipſa radix, & cauſa libertatis. vnde attendendum, q̃ radix libertatis duplex eſt, alia cauſalis, formaliſque, ac principalis: alia verò tantùm occaſionalis. ſi primam attendamus radicem, tunc eſt ſola voluntas, quæ eſt formalis ſedes libertatis. ſi ſecundam ſuſcipiamus, tunc eſt intellectus. Et primum quidem patet ex præſenti quæſt. ex pluribus verbis Damaſceni in litera commemoratis, & iterum hoc, & ſecundum notum eſt ex quæſt. 16. primi quolib.

Circa tertium principale. Probatur ex conditione eius, quod imperatur. Eſt autem conditio, quod ſit actus exequendus à potentijs illis, quæ exequi poſſunt. Et tunc ſic probatur. Ad voluntatem ſolum ſpectat imperare exequutionem actus, igitur imperare eſt actus voluntatis. Probatur aſſumptum. Quia voluntas habet velle, quę pertinent ad exercitium aliarum potentiarum, &c. vnde etiam intellectui imperat, &c. Cætera clara ſunt.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum æuum sit substantia, vel accidens.



SEQVITVR vnum, quod pertinet ad naturam Angelicam secundum se, & erat, Vtrum æuum sit substantia an accidens. Et arguit, ꝙ sit substantia, quia mensura est vnigenea suo mensurato secundū Philosophum 10. Metaph. Æuum autem est mensura substantiæ Angeli, & substantiæ non est vnigeneum nisi substantia. ergo &c.

Arg. prin.

Inopposit. Contra. Proprium est solus Dei, ꝙ sua substātia est sua mensura: cum ergo æuum sit mensura substantiæ Angeli, non ergo est substantia eius. ergo &c.

Responsio. Dicendum, ꝙ cum æuum non est nisi mensura quædam, oportet videre modos mensurarum, & per hoc ex comparatione æui ad alias patebit in parte, cuiusmodi mensura sit æuum. Est igitur sciēdum, ꝙ in qualibet re existente in actu duo est cōsiderare, scilicet eius essentiam, & existentiam, & secundum vtrunque eorum respōdet ei mensura, Ex parte enim essentia mensura Dei est sua immēsitas, quæ sola ratione differt à sua essentia. In essentia autem creaturæ est duplex ratio mensuræ. vna secundum quod est essentia simpliciter: alio modo secundum quod est extensa, vel multiplicata secundum partes. Primo modo quælibet creatura duplicem habet mensuram. Vnam intra, quæ est limitatio in gradu naturæ, & essentiæ. Aliam extra, id quod est primum, & dignissimum, & verissimū ens in suo genere, & vniuersaliter quo ad res omnium generum, id quod est primū ens simpliciter, quod est diuina substantia, quæ est per se mensura omnium, secundum quod est ex se quid absolutum, & non habet inquantū huiusmodi respectum ad creaturam, nisi quia ipsa habet respectum ad illam, vt ex hoc, ꝙ creatnra habeat respectum ad Deum, rationes perfectionales considerentur in Deo, quemadmodum aliqui ponunt, ꝙ rationes attributales non ponantur in Deo, nisi qa per intellectum creaturæ secundum correspondentiam eis, quæ Deo attribuuntur per intellectum, referuntur ad Deum, vt in hoc contrario modo considerentur rationes ideales, & perfectionales. Ideales enim considerantur in Deo non ex hoc, ꝙ creaturarum essentię habent referri ad Deum, sed è conuerso magis, & in iam dictis modis mensurarum nulla cadit accidentalitas, & nullo horum modorum æuum est mensura. Considerando autem mensurā essentię secundum quod est extēsa, sic est mensura eius quantitas continua, sub cuius partibus partes substantiæ materialis sunt extēsæ. Et per istam quantitatem accidentalem intrinsecā conuenit quantitas dimensionalis extrinseca, quæ dicitur locus, quæ similiter accidens est. Secundū verò, ꝙ est multiplicata sic accidit substantijs materialibus numerus. Nec adhuc de natura talium mensurarum est æuum, & sic nihil est omninò in re pertinens per se ad essentiam rei ratione ipsius essentię, sed solummodo est de ratione mensuratū rei ratione sui esse, cuius mensura est duratio in esse, & diuersificatur secundum diuersum modū durandi in esse, & est in triplici genere. Est enim quædā duratio absque omni variatione, & variabilitate, & est solius Dei, quæ dicitur æternitas, & differt sola ratione ab esse, & essentia Dei. Quędam verò est variabilis secundū contrarias dispositiones, & dicitur tempus, quæ est per se mensura motus, & non alterum, nisi inquantum est mutabile secūdum contrarias dispositiones in esse, de cuius natura non est æuum. Est verò quędam alia, quæ est variabilis secundū contradictorias dispositiones tantùm, & est duplex. Quædam transiens, quæ non est nisi mensura eius, quod est medium inter terminos variationis, cuiusmodi est instans, quod est per se mensura mutationis subita, & mutabilis, secundum quod est subiectū talis mutationis. Quædam verò manens, quæ est mensura esse rei manentis in esse potest non esse inquantum manens: possibilis tamen cadere in non esse, qd est simpliciter mensura fixa, & stans absq; innouatione, & successione, sicut & esse. cuiusmodi est mensura substantiæ, cui conuenit esse, & est quid absolutum simplex stans absque fluxu, proportionale instanti respectu mutationis prætei hoc, ꝙ vtrunque istorum non habet esse nisi transiens, & quo ad hoc est minus cognitum, q̄ sit æuum, quod est manens. Sed è conuerso instans est magis cognitū instans, quia est aliquid compositi, vt tempus, & hoc, vel à quo fluit, vel in quod, quod per motum cognoscitur, qui motus est quiddam compositum, & sensibile per se licèt commune, & per hoc nobis magis cognitum, & per motum tempus, similem habens compositionem, & per tempus ipsum instans. Est ergo æuum accidens absolutum reducēdum ad genus quantitatis.

Ad arg. princ. Ad argumentum in oppositum, ꝙ mensura est vnigenea mensurato, hoc solum intelligitur dictum de mensura extrinseca, quæ conuenit rei ratione suæ essentiæ simpliciter. Quod enim sic est mensura substantiæ, substantia aliqua est, & est secundum artem Philosophi in quolibet genere reperire tale, quod est mensura omnium illius generis, vnde non valet ad propositum de æuo, quod est mensura alterius rationis, ut patet ex dictis.

Com-

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem Septimam, quæ est:

Vtrum æuum sit substantia, vel accidens.



ITVLVS satis clarus, vt non egeat expositione.

Not. autem, quòd quæstio non solum resoluitur quantum spectat ad quæsitum in corpore, sed etiam quantum spectat ad primum argumentum in fronte quæstionis, vt ostendatur, quæ nam mensura sit æuum, vnde & resolutio quæstionis habeatur.

In corpore igitur & si breuis admodum sit quæstio: nouem tamen conclusionibus resoluitur prouenientibus à membris diuisionum, & subdiuisionum, quæ dantur in litera. Quæ omnia facilioris intelligentiæ gratia ad hanc formam de more redegimus, vt

Mensura sit vel mensurans

- *Essentiam, quæ est, vel*
  - *Diuinam* — 1. Concl. Æuum nõ est talis mẽsura, sed Dei immẽsitas.
  - *Creatam, in qua ratio mẽsuræ est vel*
    - *Secundum quod est essentia simpliciter & tunc creatura habet mensuram, vel*
      - *Ad intra* — 2. Concl. Aeuũ nõ ẽ talis mẽsura, sd limitatio in suo gradu naturæ, & essentiæ.
      - *Ad extra* — 3. Concl. Aeuũ nõ est talis mensura, sed diuina essentia.
    - *Secundũ quod extẽta* — 4. Concl. Aeuũ nõ est talis mensura, sed locus.
    - *Secundũ qd multiplicata secundũ partes* — 5. Concl. Aeuũ nõ est talis mensura, sed numerus.
- *Esse, quod est duratio, quæ est vel*
  - *Inuariabilis prorsus* — 6. Concl. Aeuum non est talis mensura, sed æternitas.
  - *Variabilis secundũ cõtrarias dispositiones* — 7. Concl. Aeuũ non est talis mẽsura, sed tẽpus.
  - *Variabilis secundum contradictorias dispositiones, & est vel*
    - *Transiẽs* — 8. Concl. Aeuũ nõ ẽ talis mẽsura, sed instãs.
    - *Manẽns* — 9. Concl. Aeuũ est talis mẽsura, & est accidẽs absolutum reducẽdum ad quantitatem.

Per hæc credimus notificatam Doctoris sententiam, notanda autem sunt quædam.

Not. itaque quòd secunda pars nonæ conclusionis respondet quæsito, quæ probari potest per argumentum secundum in fronte quæstionis.

Not. ℣ circa variationem, & successionem æui maxima est difficultas potissimum ex Scoto, quam tamen sustulimus in quinto. quolq 13.

Not. pro prima conclusione, ℣ nihil potest mensurare diuinam essentiam nisi id, quòd æquetur diuinæ essentiæ, non per multiplicatam actionem, sed vnicam, & retineat aliquid rationis mensuræ, & hoc non potest esse nisi immensitas, sicut æternitas mensura est diuini esse, vt duratio est.

Not. pro secunda conclusione, ℣ cum æuum duratio sit, non mensurat nisi esse. Essentia autem ad intra mensuratur per aliquod intraneum, quod non potest esse nisi limitatio in suo gradu naturæ, vt videlicet quælibet species mensuretur à sua propria limitatione. Vnumquodq; autem in sua essentia dicitur limitatum, sicut & in actione, quia nullum creatũ habet essentiam infinitam. Solus autem Deus illimitatus est, quoniam habet essentiam infinitam.

Not. pro tertia conclusione illud, quod dictum est in secunda quæst. huius, maximè vbi sermo est de tertia causa ponendi ideas in diuina mente, vbi ostenditur quomodo Deus mensura sit creaturæ.

Not. pro quarta conclusione, quod essentia extenta, videtur extenta per quantitatem continuam, vnde nascitur corpus, quod propriè est in loco, qui locus est mensura ipsius corporis, vnde Arist. in 4. Physic. locum dicit superficiem corporis ambientis locatum aliud corpus. Et manifestans quomodo sit mensura, ait, quòd tanta est superficies ambientis corporis, quanta est ipsius corporis locati, s. tantæ capacitatis est locus, quantæ est magnitudinis ipsum corpus locatum.

Not. pro quinta conclusione, ℣ essentia multiplicata, non multiplicatur nisi per quantitatem discretam. Ipsa autem principaliter numerus est, qui & mensura est, vnde Philosophus tempus diffiniens, volens dicere ℣ sit mensura motus, dixit ℣ sit numerus, vt ostenderet, quòd numerus sit mensura.

Not. pro sexta conclusione, ℣ ad ipsam comprobandam facit æternitatis diffinitio, maximè cum dicitur, quod sit tota simul, per quod denotatur, quòd sit inuariabilis.

Not. pro septima conclusione, ℣ contrariæ dispositiones dicuntur prius, & posterius, de quibus tamen fortè est difficultas vtrum sint contrariæ dispositiones, & non potius relatiuè oppositæ, sicut sursum, & deorsum. Magnum & paruum. Multum, & paucum, quia sicut idem potest esse respectu diuersorum magnum & paruum, sursum, & deorsum, vt dicit Aristoteles in prædic. quant. ita respectu diuersorum potest esse idem prius & posterius. Sed an sunt contrariæ dispositiones dum sumuntur respectu eiusdem, quod scilicet impossibile sit idem esse prius & posterius respectu eiusdem?

Not. pro octaua conclusione, resolutionem quæstionis illius, quam mouet Arist. 4. Physic. Vtrum sit idem instans in toto tempore. Et concludit, ℣ sit idem materialiter, sed non formaliter. Vnde instans non habet contradictorias dispositiones ipso sumpto materialiter, habet autem sumpto formaliter.

Not. pro prima parte nonæ, quòd æuum est mensura variabilis, non propter successionem, quoniam eam negat Auctor in

quinto

quinto quol. q. 12. vt ibi vidimus, & alijs satisfecimus, sed propter potentiam ad defectum, vnde tametsi actualiter sit inuariabilis natura æui, quoniam sic etiam est id, quod mensurat, quoniam mensuratum potest annihilari de potentia diuina, etiam æuum potentialiter est sic variabile, vt in quinto visum est.

Not. pro secunda parte, quod æuum aliter accipitur in suo fundamento, & aliter vt est mensura: vt enim est mensura profectò refertur ad mensuratum: vt verò in suo fundamento consideratur, quatenus. s. duratio quædam est, est quid absolutum, & profectò accidens, quoniam nulla duratio substantia est nisi ea, quæ est idem prorsus cum eo, cuius est duratio, sicuti est duratio Dei, quæ est æternitas.

Not. autem pro tertia parte, quod propriè non est quantitas. hoc est, non propriè est in quantitate, sed tantùm reductiuè, quatenus duratio est. Tempus enim duratio est, & quantitas est, ad quam reducitur duratio æui, mutatis dispositionibus tantùm contrarijs in contradictorias. Et hæc dicta sint satis.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum dicendo hoc est corpus meum, tenet Ecclesia secundum vsum, & dicta Sanctorum, quòd fiat conuersio panis in substantia animæ rationalis secundum quod dat esse corporeum, an in solam materiam, vt habet partes suas extenas sub partibus dimensionum, an in aliquid compositum ex materia, & forma alia præter animam intellectiuam.

SEQVVNTVR quęsita pertinẽtia ad humanam naturã ſpecialiter & quęrebantur ibi quędã pertinentia ad quasdã personas humanas prærogatiuas ſpecialiter, & quædam alia pertinẽtia ad homines, & humanam naturam generaliter.

Circa primum quærebantur tria pertinentia ad corpus Christi, & sanguinem. Duo ex parte corporis, & vnum ex parte sanguinis. Quærebatur etiam vnum pertinens ad matrimonium, & votum virginitatis gloriosæ virginis matris Dei. Quærebatur etiam vnum pertinens ad sepulturã corporis, & cordis cuiusdã nobilissimi Principis. Quorum primũ erat de sacramẽto corporis Christi ex parte eius in quod fiat conuersio panis, vtrũ scilicet dicendo, Hoc est corpus meum, tenet ecclesia secundum vsum, & dicta Sanctorum, ꝙ fiat conuersio in substantia animæ rationalis, secundum quod dat esse corporeum, an in solam materiam, vt habet partes suas extẽsas sub partibus dimensionum an in aliquod compositum ex materia, & forma alia præter animam intellectiuam. Secundum erat de sacramento eiusdem ex parte eius, quod conuertitur. Vtrum materia panis maneat post conuersionem. Tertium erat de sacramento sanguinis, quo ad formam verborum, quibus fit conuersio vini in sanguinem, vtrum sit hæc. Hic est calix sanguinis mei. Quartum erat, vtrum cum voto virginitatis simpliciter stet verum, & perfectum matrimonium. Quintum, vtrum, qui sepeliuit in sua ecclesia partem corporis illius, qui elegit alibi sepulturam corporis sui simpliciter, teneatur partem illam restituere, & illi apud quos fuit sepultura pro corpore simpliciter electa teneantur illam repetere.

Arg. prin. Circa primum istorum arguitur, quòd conuenienter ponitur ecclesiam tenere conuersionem panis fieri in animam Christi rationalem, secundum quod dat esse corporeum, quia cum tenet, ꝙ conuersio fit in corpus Christi, tenet, ꝙ fiat in id quod dat esse corporeum, sed conuenienter ponitur, ꝙ vna sola forma sit in homine, quæ homini dat, ꝙ sit corpus, siue esse corporeum, sicut & esse viuum, & sensibile, & rationale. ergo &c.

Secunda pars. Quòd conuenienter ponatur tenere Ecclesiam conuersionem fieri in materiam, secundum quod habet partem extra partem sub quantitate, arguitur, quia vt prius cum tenet ecclesia, ꝙ conuersio fiat in corpus, conuenienter tenet, ꝙ fiat in id, qđ verè potest dici esse corpus, sed materia etiã absq; forma substãtiali verè potest dici corpus, quia bruta ex se mouentur, & ideò secundum Philosophũ 8. Physic. sunt diuisibilia necessariò in per se mouens, & in per se motum: per se autem mouẽs est anima, vt dicit in de motu progressiuo, præter quã non est nisi sola materia in bruto, quam oportet esse per se motum, quod autem est per se motum, non est nisi corpus. ergo &c.

Tertia Quòd verò teneat conuersionem fieri in aliam formam arguitur, quia cum vt prius tenet, ꝙ fiat conuersio in corpus, non tenet, ꝙ fiat in aliud, q̃ in id, quod verè possit dici corpus, & quod verè est corpus, sed non est verè corpus à sola materia, qa verum corpus in quod fit conuersio est corpus, qđ est substantia: non enim fit conuersio in ipsas dimensiones panis, quia manent, & cõstituunt corpus quod est quãtitas, corpus autem quod est substantia, cum sit aliquid vt species in genere substãtiæ, non est nisi ab aliqua forma substantiali, quã non tenet ecclesiæ vsus, ꝙ sit anima rationalis, qa ipsa ponitur ibi esse per concomitantiam, sicut & deitas Christi: non autem esset conuersio in verũ corpus, nisi esset in id, quod substantialiter dat esse corporeum. ergo &c.

Resol. q. Quin conuersio substantiæ panis secundum materiam, & formam suam substantialem fiat, vt & materia, & forma eius substantialis conuertantur, de hoc nulla est dubitatio, quia omnes tenent, & semper in sancta Ecclesia tenuerunt. Sed dubitatio est ex parte eius in quod debet fieri conuersio, & hoc quemadmodum quæstio proposita est, non vtrum fiat conuersio in vnum dictorum trium, qđ est quæstio quasi iuris, sed quid tenet secundum vsum suum, & dicta sanctorum super hoc ecclesia, quod est quæstio facti. Sed in idem redit, quia cũ

Eccle-

ecclesia non erret in eo, quòd tenet, tenet quòd in id fit conuersio, in quod fit secundum rei veritatẽ, & in tale quid quod secũdum veritatem est, & qđ debet dici, & quod recta ratio debet iudicare esse verum corpus. Sed quia iudicium rectæ rationis super hoc ex se non est certum, & notũ: ideò proposita est quæstio de vsu ecclesiæ, & dictis Sanctorum super hoc, ex quibus tanquàm ex auctoritatibus illud magis certum nobis esse potest, q̃ argumentis secundum rationem formatis, quæ frequẽter apparẽtia sunt vbi vera esse creduntur. Et ideò magis est nobis securum in hoc, & vniuersaliter in eis, quæ sunt fidei, auctoritati inhærere, q̃ rationi, dicente August. in principio de moribus Ecclesię. Quia cãligantes hominum mentes perspicuitati, sinceritatiq́ue rationis aspectum idoneum intendere nequeunt, saluberrimè comparatum est, vt in lucem veritatis aciem titubantem inducat auctoritas, & infra. Confugiendum est igitur ad eorũ præcepta, quos sapiẽtes fuisse probabile est. Ex dictis ergo illorum, quos probabile est fuisse sapientes, quid de hoc tenendum sit ad præsens inuestigandum est: illis enim adhærandum est.

Quod si ex dictis illorum clarescere nõ possit perspicuè, quousque ecclesiæ auctoritate super hoc aliquid certi definitum fuerit, vel Doctorum discussionibus inuestigatum, in quodam generali, & indistincto standum est, quòd scilicet cõuersio fiat in id, quod est verum corpus Christi, quodcunque sit illud, siue à forma, siue non, siue à qua forma; Definire enim in eis, quę sunt fidei, vbi nec ecclesię, nec sapientium auctoritas, nec ratio perspicua definiuit, periculosum est, quia si falsum esset definitũ, & pertinaciter defensum hæreticũ esset. Sed tale periculum maximè continget appropinquante tempore Antichristi, quando non dicetur expresè Christiano nega Christum, sicut dictum fuit ei tempore martyrum, sed inducetur ad credẽdum aliquid contra Christum, in quo quasi nõ recedendo à Christo, implicitè negat Christum. Vt enim dicit Leo Papa in sermo. 6. de Epiphania, aduersarius, qui in apertis persecutionibus ineffícax fuit, tecta nocendi arte desęuit. Sed quia prior tempestas turbinum conquieuit, & quædam videtur arridere tranquillitas, vigilanter cauenda sunt illa discrimina, quæ de otio ipsius pacis oriuntur, & hoc nostris temporibus, dicente Aug. in originali super Psalm. 39. in principio. Sparsus est sanguis iustus, consequens est tempus simulationis. Hostis ille tunc Leo fuit cùm apertè sæuiebat, modo draco est cum occultè insidiatur, & magis metuendus est cum fallit, q̃ cum sæuit. Illo tempore cogebat Christianos negare Christum: isto autem tempore docet Christianos negare Christum. Videbatur tunc fremens, lubricus nunc. Difficilè videtur docens negare Christum, quasi non videatur recedere à Christo. Re vera post tempora martyrum nulli dictum est nega Christum, sed dictum est ab aliquibus, dic Christum non esse nisi uerbũ & carnem præter animam omninò, vel præter intelligentiã, dicente Augu. super Psal. 29. Apollinaristæ dixerunt hominem quem suscepit sapiẽtia Dei non habuisse mentem humanam, sed tantùm animam sine intelligentia humana, sed ipsum verbum Dei erat in illo homine pro mente. Excłsi sunt isti. Non defuerunt alij, qui dicerent illũ hominem non habuisse nec animam, sed tantum dixerunt verbum, & caro erat, & anima ibi nõ erat, & ecclesia Catholica expellit eos. Confirmatũ est in Catholica fide hominem illum quẽ suscepit sapientia Dei nihil minus habuisse, q̃ cæteri homines, quantũ pertinet ad integritatem naturæ. Per quod Aug. apertè exprimit, ꝙ istos ecclesia repulit, qui Christũ aliquid minus, q̃ cæteri homines, quantum pertinet ad integritatem naturæ humanæ, habuisse dixerunt, in hoc cõsentiendo, ꝙ singula horum Christo inesse putanda sunt secundũ humanitatem. ſ. caro, & anima habens intelligentiam, in quo per Dei gratiam nunc omnes consentiunt, Sed vltetiores opiniones nostris temporibus ortæ sunt, prætactæ. ſ. in argumentis, vtinam non etiam periculosæ, quo ad aliquas illarum. Quarum duæ dicunt, ꝙ de integritate hominis nõ sunt nisi duæ naturæ. ſ. materia, & anima humana, licèt inter se differant in hoc, ꝙ vna dicit hominẽ non dici corpus ex aliqua forma substantiali. Alia verò dicit, ꝙ ex anima humana dicatur quicquid dicitur in esse formali. Tertia verò dicit, ꝙ de integritate hominis sunt tres naturæ, ſ. materia, & forma substantialis corporeitatis educta de potentia materiæ opere naturæ, & anima rationalis ab extrinseco aduenies. In quo timendum est ne illi minus aliquid q̃ oporter, aut isti plus Christo attribuant, q̃ ad integritatẽ humanæ naturæ pertineat. In quibus aliquod existit periculum consimile quoquo modo eis, quę tacta sunt in dictis erroribus. Vna enim pars, vel altera, etsi neutra dicat, negat Christum apertè, vel cogit, vt negetur simpliciter, & absolutè, & dicatur, quòd ille homo quem adorat ecclesia, non sit Christus promissus in lege. Altera tamen earum docet negare Christũ quando suadet, vt credatur Christo quẽ colit ecclesia, vel inesse, quod non inest, vel non inesse, qđ inest. Quod re vera nihil aliud est, q̃ dicere negãdo, ꝙ Christus quem colit ecclesia non est Christus in lege promissus. Propter quod ne periculũ tale incurratur, neutra partiũ pertinaciter defendatur, quousque super hoc ecclesia aliquid duxerit definiendum, vel aliquid euidẽtissima ratione, aut expressa auctoritate fuerit declaratum, sed singula prædicta in Christo homine fore simpliciter confitẽdum, siue secundum duas naturas, siue secundum tres. Et per consequens de conuersione similiter, ꝙ scilicet simpliciter fit in verum corpus Christi quodcunque sit illud, siue materia sola, siue materia cũ forma alia ab anima rationali, siue materia cum anima rationali, inquantum dat esse corporeũ, licèt non inquantum dat esse animatũ.

Sed

Sed in hoc tertio erat specialiter duplex sententia. Vna ꝙ non esset conuersio in substantiam animæ licèt in materiam ſm̃ rationem esse corporei, quod habet ab anima, quę dicit, ꝙ in sacramento altaris non erat substantia animæ, nisi per quandã realẽ concomitantiã, sicut nec Deitas Christi. Alia verò, ꝙ esset conuersio in substantiam animæ, sicut & in materiã, licèt non nisi ſm̃ rationem qua dat esse corporeum, ita ꝙ ſm̃ rationem qua dat esse animatum, non habeat anima esse in sacramẽto, nisi per quandam realem concomitantiam. Quid ergo de prædictis consuevit cõmunius tenere Ecclesia, & quid euidentius de hoc in dictis sanctorum continetur, inuestigandum est, secundũ ꝙ quærit quæstio, & illi re uera magis adhærendum est: etiam licèt non pertinaciter defendendum esset, eo ꝙ non plenè clarum esset, quid de hoc consueuit tenere Ecclesia, & quid sentiant sancti Doctores. Quid ergo de hoc hactenus tenuit Ecclesia quantum potest patere ex vsu communi, & dictis sanctorum, Primò inquirendum est ex parte Corporis Christi: Secundò ex parte conuersionis in ipsum. Ex parte corporis, quid. ſ. debeamus intelligere nomine corporis, aut materiam solam, vt solùmmodo habet partẽ extra partem sub quantitate, aut materiam talem cũ esse corporeo non includendo in ratione corporis ipsam substantiam animæ, vel materiã cum ipsa substantia animæ, vt dat esse corporeum inclusa in ratione corporis, vel materiam cũ aliqua forma substantiali corporea alia à forma, quę est anima. Si autẽ aſpiciamus ad vsum, non credo ꝙ vnquàm nisi nouiter fuit auditum loqui de pluribus modis corporis, q̃ de Mathematico, & de naturali, & ꝙ corpus Mathematicum non est dictũ nisi materia, vt est sub forma corporeitatis & dimensionibus quantitatis abstractis à qualitatibus sensibilibus. Naturale verò non est dictum nisi materia cũ forma naturali, vt est sub dimensionibus existentibus cum qualitatibus sensibilibus. De materia aũt secundum se ꝙ diceretur esse corpus in habendo partem extra partẽ, auditum non est. Vnde Philosophus. 8. Metaph. nõ distinguit, nisi dictos duos modos materiæ, vbi dicit. Materia per se non cognoscitur, & quædam materia est sensibilis, & quædã intelligibilis. Sensibilis, vt cuprum & lignum. Intelligibilis, vt illud quod est in sensibilibus. non secundũ ꝙ sunt sensibilia vt Mathematica. Et sicut nunquàm fuit vsus appellare nudam materiã corpus, quantuncunq; intelligatur habere partem extra partẽ, sic nec credo, ꝙ in aliquo dicto authentico ipsa sit appellata corpus. Aliquam tm̃ apparentiam dedit illa imaginatio partis materiæ extra partem, ad vocandũ materiam nudam corpus quoquo modo, secundũ ꝙ pertractauimus in prima disputatione nostra de Quolibet, qñ positio illa recens erat non tm̃ perscrutata quantũ modo. propter quod nec eam ibi reprehendimus, sed eam solùmodo cum alijs exposuimus nihil definiendo. Similiter ꝙ materia habens esse corporeum exclusa substantia animæ sic, ꝙ non includatur in ratione corporeitatis, vnq̃ fuerit appellata corpus nisi nostris temporibus, nõ credo, quia talis corporeitas sine substantia animæ non includit nisi puram intentionem, & rationem considerationis, quæ non constituit aliquid vt speciem de prędicamento substantiæ, quale debet poni corpus hominis secundũ ꝙ corpus est. Vnde nec in dicto aliquo authentico antiquo tale quid appellatum est esse corpus, licèt ponentes animam esse in sacramento per solã concomitantiam, & non esse aliam formam in homine, nec materiam vt est habẽs partem extra partem esse corpus, necesse habent hoc ponere. Propter quod multò conuenientius est dicere, ꝙ corpus est materia informata anima inclusa in ratione corporis quo ad eius substantiam, in quantum dat esse corporeum. per quod in aliquo corrigitur dictũ immediatè præcedens. Sed nec dici corpus in homine ab anima rationali absque alia forma inter ipsam & materiam vsitatũ est diu, nec recolo ꝙ hoc vnquàm viderim in aliquo scripto antiquo, nec hoc ponere est secundum Philosophiam Aristot. qui animam intellectiuam, quã isti solam ponunt esse in homine, non posuit esse formam, & actum materiæ, cum posuerit eam vnam esse in omnibus, secundum ꝙ de hoc infra dicetur. Vnde nec artistæ posuerunt vnquàm, ꝙ secundum Philosophiã Aristot. homo reponeretur in specie animalis distinctus à brutis per animã intellectiuam, sed per aliquam sensitiuam nobilem eductam de potentia materiæ, quæ secundum non ponentes gradus formarum in formis eductis de potentia materię etiã dat esse corporeum, & secundũ suam substantiam est aliquid corporis. Vnde quantum mihi videtur, vsus antiquus obtinuit maximè apud Theologos corpus hominis dici corpus ab aliqua forma naturali educta de potentia materiæ alia ab anima intellectiua, quæ est ab extrinseco, licèt illi formæ naturali non attribuant vires animæ vegetabilis, aut sensibilis, eo ꝙ ponũt aĩam rõnalem cũ illa esse actũ & formã corporis, sicut ei attribuerunt has vires non sequẽtes Philosophũ Arist. telẽ: eo ꝙ ipse nõ posuit aĩam rõnalẽ cũ illa forma corporeitatis esse actũ & formã corporis, sed posuit separatã ſm̃ rõnẽ actus, & solũ coniunctã nobis per nm̃ phantasticũ ſm̃ rõnẽ motoris, ſm̃ ꝙ exponit ipsum Cõmẽ. super 3. de aĩa. Ex eo. n. ꝙ Theologi posuerũt ꝙ aĩa rõnalis esset actus corporis, & ꝙ singulorũ corporũ essent singulæ aĩæ, posuerũt ponere ꝙ forma corporeitatis educta de potẽtia materiæ nõ haberet vires aĩæ, quia cõuenienter ipsi aĩæ rõnali ꝑñt attribui, vt ipsa ex se hẽat aliquid, quo cõuenimus cũ brutis, & aliqd quo differimus ab eisdẽ, sed in eadẽ substãtia, licèt ex se nõ hẽat quo cõueniamus cũ corporalibus inaĩatis. hoc. n. est contrariũ suę naturę, cũ sit aliqd incorporeũ, qa sicut cõtrariũ nõ põt esse rõ formalis sui cõtrarij, sic nec incorporeũ põt esse rõ formalis corporei, dãdo es-

se corporeũ, in cuius ratione ipsa realiter includatur. Quod re vera videntur sentire tractatores Catholici, dicente Damascen. libro secundo Sententiarum 23. capit. Deus ex visibili, & inuisibili natura condidit hominem, ex terra quidem corpus plasmans: animam autem rationalem per insufflationem.

Si corpus ex terra plasmatum, non ergo ab anima est corpus, quia tunc, quod esset corpus potius esset inflatum, quam plasmatũ: non enim est plasmatio sumere de terra nudam materiam, cui anima esset coniungenda dans esse corporeum, vnde subdit cap. 14. Communicat enim inanimatis quidem secundum corpus, & concretionem, quæ est ex quatuor elementis.

Constat autem, quòd si anima daret esse corpori, non esset ibi aliqua forma mixti ex elementis, nec esset alterius naturæ in homine alia forma, qua est corpus à forma animæ, cui contradicit Damascen. libro tertio, cap. tertio. Impossibile est inquit vnius naturę dicere animam, & corpus adinuicem comparata. Vnde propter istam diuersitatem dicit, cap. sexto. Vnitum est carni per medium intellectum Dei verbum. Quam diuersitatem magis explicat, capitu. 16. dicens, Singularis homo ex duabus naturis compositus est, anima & corpore: seruat enim alterutra, & post vnionem naturalem proprietatem. & infra: Quare necesse est hominem dicere ad minus ex quinque compositum esse naturis, id est ex quatuor elementis, & anima. Intelligo ex quatuor elementis non manentibus quatuor, nisi virtute tantum, scilicet in forma mixti, vt uerè non dicatur compositus, nisi ex duplici natura, scilicet ex mixto, & anima, vel ex triplici, scilicet ex materia, & duplici forma, quarum vna est forma mixti, alia anima rationalis, quoniam secundum quod subdit, omnis compositio ex his, quæ proximè composuerunt composita dicitur esse. Ita & in Domino Iesu Christo non partes partium intuemur, sed quæ proximè componunt, ideſt, deitatem, & humanitatem. Amplius hominem duarũ naturarum dicentes, tres in Christo dicere cogemur. Propter quod in symbolo Athanasij dicitur, Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus: & constat, quòd in Christo duæ naturæ sunt vnius suppositi Deus, & homo: ergo & in homine anima & caro, aut nihil esset, quod dicunt de homine. Hinc dicitur de spiritu & anima. ca. 13. Mira societas carnis, & animæ, spiritus vitæ, & limi terræ, sicut scriptum est, fecit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, dans ei sensum, & intellectum, vt per sensum limum sibi sociatum viuificaret, & per intellectum regeret. & infra. Plenum fuit miraculo, quòd tàm diuersa, & tam diuisa abinuicem, adinuicem potuerunt coniungi, nec minus fuit mirabile, quòd limo nostro Deus seipsum coniunxit, vt sibi inuicem vnirentur Deus, & limus, tanta sublimitas, & tanta vilitas. Item de spiritu, & anima cap. penult. dicitur, Dicimus corpus per coniugij copulam seminari: Dei vero iudicio coagulari in vulua, & compingi, atque formari, ac formato iã corpore animam creari, & infundi, vt viuat ex vtero homo ex anima constans, & corpore.

Non duas animas credimus esse in homine, vnã animalem, qua animat corpus, & alteram spiritalem, qua rationem ministret, sed dicimus eandẽ esse animam in homine, quæ & corpus sua societate viuificet, & semetipsam sua ratione disponat. Ecce quòd clarius quam dicere iam formato corpore animam creari, & infundi: non autem formatum est nisi aliqua forma. Hinc etiam dicit Richard. de Sancto Victo. quarto de Trinit. cap. 16. Proprium est hominis habere substantiale esse ex propagatione simul, & procreatione: nam anima procreatur, corpus propagatur. Proprium est brutorum habere substantiale esse ex propagatione sola. Proprium est Angelorum habere substãtiale esse ex sola procreatione.

Si autem propagatur secundum corpus, propagatio non est solius materiæ ministratione, sed alicuius formæ ex materia productione, quod propagatio dicitur. Vnde super illud Psalm. Filij tui sicut nouellæ oliuarum, dicit Amb. Generauit te pater communicando carnem suam, creauit te Deus adhibendo potentiam suam. Aliter enim non esset propagatio, nec parentes aliquid agerent in propagatione, vnde verè parentes dici possent, nec Maria vera mater Christi posset dici, si non verè secundum carnis substantiam eum procreasset. Hinc Augustin. super Ioann. par. 1. serm. 8. contra quosdam qui Mariam veram matrem Christi esse negabant, dicit; Mater erat carnis, mater humanitatis. Vnde Damasc. libro tertio, cap. 5. loquẽs de Christo dicit; Confinxit sibi ex castis, & purissimis sanguinibus carnem puram, & c. 12. Existentia verò carnis in ipso verbo per Dei genitricem. Et hb. 4. c. 5. Virginis puros, & immaculatos sãguines sibi ipsi visceraliter carnem substituit. Corpus enim vnitũ est diuinitati, quod ex virgine corpus. De quo generalius loquẽs Boetius dicit de duab. naturis. c. 6. Post primũ hominem caro oĩs humana ex humana carne deducitur. Vnde differentem modum productionis hominis primi secundũ corpus & secũdũ animam explicat scriptura, cũ dicit Gen. 1. Formauit hoiem de limo terrę, hoc quo ad corpus. Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, hoc quo ad animam. Quod exponens Ambros. super illud, Beati immaculati. Manus tuæ Dñe fecerunt me, & plasmauerunt me, dicit, Hic ergo homo gemine substantiæ est. Alia enim est facta substantia, alia figurata. Et vt dicit August. 6. libro super Genes. ad literam, visibiliter in corpore, inuisibiliter in anima, constans ex anima, & corpore. Vnde & Ezech. Propheta. trigesimoseptimo capit. loquẽs de corporũ reparatione in gloriosa resurrectione, vt dicit Gloss. dicit, Accesserunt ossa ad

ossa

ossa vnunquodque ad iuncturam suam, & ecce super ea carnes, & nerui ascenderunt, & extensa est in eis cutis desuper, & spiritū non habebant. Gloss. Iacebant tantùm humana corpora non habentia spiritum. Et super illud, quod sequitur. Et ingressus est in ea spiritus, & vixerunt. Gloss. Vt quomodo in prima productione hominis sufflauit Deus in faciem eius, & factus est homo in animam viuentem, sic & secunda conditio, id est resurrectio mortuorum insufflante spiritu viuificetur. Exercitus grandis, id est congregatio mortuorum. Ecce, quòd in primi hominis creatione, & in vltima omnium reparatione describat scriptura aliā corporum formationem, quàm per animarū coniunctionem, de quo Ambros. super illud, Manus tuæ Domine fecerunt me. Accepit Deus puluerem de terra, & plasmauit hominem, vbi puluis, ibi plasmatio, quod de limo est resuscitatur: terra enim in terram redit. Sed fortè dicet aliquis, quòd homo est ex corpore, & anima, non quòd corpus sit aliquid seorsum ab anima, nisi ratione materiæ, sed quod corpus sit aliquid ratione eius, quod est forma, qua est corpus, & hoc nō est nisi ab anima. Per hūc enim modum asinus potest dici esse compositus ex anima, & corpore, quia etiam de anima bruti dicitur in secundo de anima, quòd ipsa est actus corporis. Constat autem, quòd ipsum est compositum ex actu, & eo cuius est actus. Quod videtur sensisse Augustinus etiam de anima rationali, vbi dicit in fine de immortalitate animæ. Anima non localiter iungitur summis illis æternis rationibus prior, quàm corpus: quantò etiam corpore melior: nam ista propinquitas non loco, sed naturæ ordine dicta sit. Hoc autem ordine intelligitur à summa essentia species corpori per animā tribui, qua est in quantuncunque est. Per animam ergo corpus subsistit, & eo ipso est, quo animatū, siue vniuersaliter, vt mundus, siue particulariter vnunquodque animal intra mundum. & infra. Manente quippe anima corpus per illam subsistit dantem speciem non adimentem. & infra. Tradit enim speciem anima corpori, vt sit corpus inquantum est. & infra. Quia non nisi traditione speciei fit corpus per animam. & infra. Corpus enim nullū fit nisi accipiendo per animam speciē. Quod totum plenè retractat explicando, quòd non erat de intentione sua esse corporeum in homine esse ab anima, licèt aliquando hoc ei visum fuit. Sic enim dicit in lib. retractationum, retractādo iam dicta à se in libro de immortalitate animę. Illud temerè dictū est, à summa essentia speciem corpori per animam tribui, qua est inquantū est. Per animam ergo corpus subsistit, & eo ipso est, quo animatur, siue vniuersaliter, vt mundus, siue particulariter, vt vnunquodque animal intra mundum. Hoc totum prorsus temerè dictum est.

Quòd si sic: ergo contrarium discretè dictum est, corpori speciem non per animam tribui, qua est inquantum est, & quòd non per animam subsistit inquantuncunque corpus, & quòd non eo est inquantum corpus quo animatur, & cætera huiusmodi. Et hoc intellexit Augustinus proculdubio retractando hoc generaliter, tàm de anima mundi, quàm posuit Plato, quàm de anima hominis, sed de anima hominis solūmodo, quo ad hoc, ꝙ dicit eam corpori dare esse corporeum.

De anima verò mundi quo ad hoc idem, & quo ad hoc, ꝙ videtur asserere, quod mundus habet animā, sed hoc non, quia sentiret hoc esse falsum. Sed quia non certitudinaliter nouit hoc esse verum secundum quod retractationem hāc quo ad illam clausulam. Siue vniuersaliter vt mūdus, exponit in libro retractationum, retractando quædā dicta in libro Musicæ, dicit sic, Animal esse istum mundum sicut Plato sensit alijque Philosophi plurimi, nec ratione certa indagare, nec diuinarū scripturarum auctoritate persuaderi posse cognoui. Vnde tale aliquid à me dictum, quo id accipi possit, etiam in libro de immortalitate animæ temerè dictum notaui, non quia falsum hoc esse confirmo, sed quia nec verum esse comprehendo, ꝙ sit animal mundus. Vnde quia dictæ clausulæ retractationem factam in libro de immortalitate animæ exposuit; alia autem retractata ibidem de eo, ꝙ dixit animam humanam dare esse corporeum, omninò non exposuit, nec super eam reuersus est; cum tamen æquè occasionem habuit reuertēdi super vnum, sicut supra alterum, vt patet ex eis, quæ de proximo præcedunt iam dicta, clarum est, & dilucidum, quòd retractationem illam, quo ad dicta de anima hominis omninò ratam habuit, nec eam in aliquo exponendam putauit. Quod dico propter aliquos illud dictum iam. Non quia hoc falsum confirmo, volentes retòrquere etiam ad retractationem dictam de anima hominis, quod nequaquàm possunt, quia expresè ly hoc præcisè demonstrat id, quod notauit temerè dictum, quo ad illam clausulam, siue vniuersaliter, vt mundus, vt patet aspicienti.

Nec potest aliquis dicere, quòd Augustinus intelligit animam dare speciem corpori, do dare speciem, quemadmodum Auicennas posuit intelligentias dare formas, quia vt patet inspicienti, intendit probare, quòd anima non potest conuerti in corpus proprium, de quo magis videretur, per hoc scilicet medium, quòd dat ei formam se ipsa, quæ nullo modo per corpus potest ei adimi, ex quo dat eam illi.

Vnde etiam expresè dicit. Quo corpus est, est ipsa anima, qua animatur, quod non est nisi dando formam, quæ ipsa est, vt secundum mentem Augustin. idem sit hic animam dare formam corpori, & ipsam se ipsa esse formam corpori.

Aliter enim esset aliqua alia forma media inter animam, & corpus, qua ipsum corpus informaretur actione animæ sumentis illam, & imprimentis eam corpori, quod expresè negat subdens post verba præposita.

Nec inuenitur aliquid inter ſummam vitam, quæ ſubſtantia, & veritas eſt incommutabilis, & id qđ vltimum viuificatur. i. corpus, niſi viuificans anima. Ex quo concludit intentum ſubdens. Quòd ſi tradit ſpeciem anima corpori, vt ſit corpus inquãtum eſt, benè vtique ſpeciem tradendo adimit? Adimit autem anima in corpus tranſmutando. Non igitur anima ſiue per ſeipſam corpus fit, quia non niſi manente anima corpus per eam fit, ſiue per aliam, quia non niſi traditione ſpeciei fit corpus per animã, & adeptione ſpeciei anima in corpus conuerteretur. quod nullo modo ſequitur, niſi anima corpus informare ſeipſa intelligatur. Quod re vera ranq̃ temerariè dictum retractauit, vt dictũ eſt. Quia verò Auguſt. interponit. Siue vniuerſaliter vt mundus, ſiue particulariter vt vnumquodque animal intra mundum, volunt aliqui concludere, ꝙ eſſet contra Auguſt. bruta habere formas quibus ſunt corpora à ſuis animabus. Sed manifeſtum eſt ꝙ ibi non loquitur, niſi de anima rationali. Vnde animal non poteſt ibi ſupponere, niſi pro animali rationali. Nullo enim modo eſt intẽtio ſua de probando animam irrationalem non poſſe conuerti in corpus, & per hoc ipſam eſſe immortalem, ad quod rñ probandum hoc inducit interimendo per hoc vnum membrum diuiſionis, cuius membra interimit ex hoc concludendo, ꝙ anima omninò eſt immortalis, à quo intitulauit totũ librum dando ei nomẽ De immortalitate animæ. ſecundum ꝙ hæc patẽt inſpicienti progreſſum libri. Vnde & adiungit probationem ex abundanti, ꝙ nec anima rationalis poſſit conuerti in animam irrationalem, cum dicit. Hoc de irrationali anima, &c. Quare cum non poſſit eſſe corporeum qđ ponit hominem in ſpecie ſubſtantiæ ſubalterna, niſi ab aliqua forma, relinquitur ergo de mente Auguſt. fuiſſe, in homine eſſe aliam formam præter animam rationalem, quę dat eſſe corpori ſecundũ ꝙ eſt corpus ſimpliciter, quod ab anima ſumit eſſe viui animati. dicente eodem Auguſtin. de verbis Apoſtoli ſerm. 16. Si Dominus noſter Ieſus Chriſtus tñmodo animam humanam ſuſciperet, mẽbra eius non eſſent niſi animæ noſtræ, quia verò & corpus ſuſcepit, profectò illius membra ſunt, & corpora noſtra. Et infra. Præſentia animæ tuæ caro viuit. Eſt enim anima vita quædam, qua viuit caro. & infra. Spiritus Dei habitat in anima, & per animam in corpus, vt & corpora noſtra templum ſint Spiritus Sancti. Quia ergo ad integritatem naturæ humanæ pertinent, vt aliqua duo ſecundum formã, corpus. ſ. & anima: ideò Chriſtus ambo accepit nunq̃ alterum eorum dimiſſurus. dicente Damaſcen. de duabus naturis in Chriſto. Quod quidem animam humanam habuit, ait ipſe: Poteſtatem habeo ponendi animam meam. Quod autem corpus habet, teſtis Ioſeph qui perijt Corpus Chriſti. Et ne credatur dictum ſecundum cõmunem vſum loquendi, ſicut dicitur de alijs mortuis corporibus, corpus illud mortuũ dici Corpus Ieſu: ſubdit. Quoniam autem & ab anima animales operationes, & paſſiones aſſumpſit: teſtes ſunt quæ per corpus non corrumpendum omninò ſanctæ ipſius animæ operationes. Vidit enim &c. Et infra. Non enim vidit omninò ſecundum corpus corruptionem, ſed deciſionem, & fluxum naturaliter ſuſtinuit. Corruptio enim eſt in ea, ex quibus eſt corpus reſolutio, & ante omnia ipſa vita, quæ eſt animalis operatio prima, ex anima tradita corpori eſt. Ecce quia Chriſtus Corpus habuit non corrumpendum, quod nec ſeparata anima vidit corruptionem, cui præſentia animæ vitam tribuit, quod non eſſet, ſi corpus illud ab anima corpus eſſet. Illud enim corpus cuius anima eſſet, vt pars eſſentialis, & quod eſſe corporeum haberet ab anima, neceſſariò corruptum eſſet, quo ad rationẽ corporis, licèt maneret ſecundum rationem materiæ anima ſeparata. Propter quod diximus in noſtro primo Quolibet. ꝙ magis conſonum eſt fidei, quæ ponit Propheram dicendũ corpus Chriſti non corrumpendum, ponere quòd corpus dicitur in homine à partibus materiæ, quàm ponere, quòd dicitur corpus à forma corporeitatis alia ab anima. quæ eſt putredinis de nouo introducta, & etiam q̃ ponere ꝙ dicitur corpus à forma corporeitatis, quæ manet in ea anima ſeparata, ſi ponatur ire in corruptionem, ſicut forma putredinis. Idem enim inconueniens ſequitur vtrunque modum ponendi, ſ. quod contra dictũ Propheræ corpus Chriſti videret corruptionem, quod nõ ſequitur ponentem corpus dici à partibus materiæ. Sed poſtq̃ ponimus illam formam corporeitatis manentem ſeparata anima rationali, ſed diuino miraculo detineri, ſecundum quòd poſtmodum in alijs Quodliber. declarauimus, ad hoc non ſequitur vllo modo dictum inconueniens, quia manet in eadem diſpoſitione, qua erat ſub anima, propter quod & eandem operationem habet, quam habebat ſub anima. Habet enim eſſe in materia virtute miraculi dans ei eſſe ſubſtantiale corporeum, & conſeruans eam, atque compoſitum ex ipſa, & materia, nullo autem modo diſponens ad putrefactionem, aut vltimatam corruptionem, neque diſpoſitionem, ad quam ſtatim ſequitur neceſſariò actus putrefactionis, aut aptus eſt ſequi. Et ſic ponere quòd talis forma ſic ponitur conſeruari, nullo modo eſt ponere, quòd forma aliqua ponatur in ſuo proprio poſſibili, ſine propria operatione, quod neceſſariò ſequeretur ſi prædicta forma putredinis ſuperinducta poneretur, quia illa forma non eſt nata dare eſſe materiæ, neque conſeruare eam aut compoſitum ex ipſa & materia, niſi vt eſt in via ad putrefactionem & vltimatam corruptionem, quam ſtatim & neceſſariò cõſequitur actus. Et ſic ponendo quòd corpus eſt homo à dicta forma, ſaluatur quòd idem Corpus Chriſti erat viuũ & mortuum, manens omninò idem & incorruptũ. Idem dico non ſolùm ſecundum rationem diuini ſuppoſiti, ſed ſecũdum rationem formæ naturalis.

Quod

Quod non potest saluari ponendo, quòd homo dicatur corpus ab anima rõnali, quia hoc ponens nõ põt saluare Corpus Christi non fuisse corruptum ſm̃ veram rõnem corporis. In quo illam positionem ꝙ corpus in homine dicatur à partibus materiæ extra partes, commendaui comparatiuè respectu alterius positionis, quæ dicit ꝙ corpus in homine dicitur ab anima rationali: Et hoc quo ad articulum de Corporis Christi incorruptione, cui nõ est contrarium illum eundem articulum postmodum improbare simpliciter, maximè quia in illa quæstione nullam dictarum trium positionum cõmendaui, nisi comparatiuè, sed nullam earum absolutè tenui, aut sustinui sicut patet inspicienti. Sic igitur vt mihi videtur clarum est ꝙ ſm̃ dicta sanctorum homo Christus sicut & cæteri est ex corpore & anima, corpore existente seorsum aliquid ab anima, non ratione materiæ tm̃ & partium eius existentium extra partes, sed etiam rõne formæ substantialis corporeitatis alterius à forma, quæ est anima. Quali modo non potest dici asinus cõpositus ex corpore & anima, quia in ipso non est corpus aliquid seorsum ab anima, nisi ratione materiæ. sed ꝙ est corpus, hoc nõ est nisi à forma, quæ est ipsa anima bruti. Vnde quemadmodum materia nuda se habet ad animã bruti, sic materia sub forma corporeitatis siue ipsum corpus simpliciter ad animam hominis. est enim vtrunque eorum potentia vitam habens abijciens animam, siue à quo anima dans esse est ablata per intellectum. Dicuntur.n. ambo potentia vitã habentia quemadmodũ semen hẽt potentiã vt viuat. Corpus aũt organicũ in vtrisq; eodẽ modo se hẽt ad aĩam vtranq;. Est .n. in vtrisq; qđ organicum est potentia vitam habens non abijciens aĩam. Dicitur.n. in vtrisq; qđ organicum est potentia vitam hñs, quia hẽt iam aĩam qua agat, & patiatur, sed in illo tpe quo dr̃ potentia vitã habens, nec agit nec patitur, sed est sicut animal dormiens. Et dr̃ in potentia in tpe in quo non agit, cui rñdet actus secundus egrediens ab actu primo qui est anima, vt nõn sit hoc modo aliquid hñs vitam in potẽtia, nisi actu aĩatum anima, quæ est principium secundorum actuum vitę, quos respicit illa potentia. Et est dr̃ia in essendo aĩam actum corporis organici in bruto & in hoĩe, quo ad hoc. Primò quia aĩa bruti nõ solùm est forma & actus corporis organici ſm̃ quod est organicum, dans organico inquãtum est organicum, esse organicum, includendo substantiam animæ in rõne organici corporis, sed ẽt forma & actus corporis simpliciter secundum quod est mixtum absolutè, sed secundum aliam & aliam intẽtionem, quia est forma & actus corporis simpliciter, vt est mixtum, rõne qua est forma simplex hñs vim formæ mixti, immò verè existens forma mixti. Est verò forma & actus corporis organici, ratione qua est forma, quæ est anima, & est illa intentio prior, & imperfectior, ista verò posterior & perfectior. Vnde & includit illam in eodẽ simplici secundum rem. Sed illa perfectior distinguitur in duas, quia secundum intentionem vegetabilis est perfectio organici nutritiui inquãtum nutritiuum est, secundum verò intentionem sensitiui est perfectio organici sensitiui, nec hẽt vlteriorem intentionem. Et secundum hoc hẽt anima talis tres intentiones: quarum vltima includit alias in eodem, & hẽt eas secundum idem simplex in re. Sed aliæ duæ stant in planta sine tertia, & prima stat in lapide sine alijs. Anima verò hominis non est forma & actus corporis simpliciter secundum quòd est mixtum, sed tale est ab alia forma secundum prædicta, in qua conuenit cùm lapidibus, sed est solum forma & actus corporis organici secundum quod est organicum, dans ei esse organicum, includendo substantiam animæ in rõne corporis organici. sed secundum duas intentiones, quia secundum rõnem siue intentionem vegetabilis est perfectio organici nutritiui inquãtum nutritiuum est, in quo conuenit homo cum plantis. secundum verò intentionẽ sensitiui est perfectio organici sensitiui. Et hoc nõ solùm secundum substantiã aĩæ, sed secundum potentias organicas consimiles in hoc potentijs organicis brutorum. Sed hẽt vlteriorem intentionẽ .s. rõnabilem siue intellectualem, secundum quam est perfectio hoĩs inquantum homo est, & corporis organici, vt hoĩs est. & hoc secundum substantiã, sed nõ ſm̃ eius potentiam, quia potentia ista separata est non organica, quia hẽt operationem intelligendi non vt in organo existens, qđ perficit potentia illa, quemadmodum potẽtia visiua perficit oculum, licèt indigeat organis sensitiuis & eorum operibus ad suam operationem. Vnde quo ad rõnem vegetabilis, & sensibilis, definitio illa Anima est actus corporis organici potentia vitam habentis, omninò vniuocè conuenit aĩæ hoĩs & bruti, inquantum aĩa hoĩs perficit ſm̃ rõnem vegetabilis & sensibilis. Licèt.n. ista educta est de potẽtia materiæ, & substantialiter extensa ſm̃ eius extensionem, illa verò nequaq̃, hoc non refert ad rõnẽ actus, ſm̃.n. omnem eundem modum & eandem rõnem aĩa hoĩs, & aĩa bruti perficiunt corpus organicum ſm̃ rõnem vegetabilis, & sensibilis ita ꝙ non aliter anima perficit modo ſm̃ has rõnes, q̃ si esset educta de potentia materiæ. Inquantum verò anima hoĩs perficit secundum rõnem rõnalis siue intellectualis, licèt quãtum ad naturam substantiæ animæ vniuocè perficit sp, quantum tm̃ ad rõnem ipsius potentię rõnalis, purè ęquiuocè perficit cum alijs potentijs. Et ideò dicit Cõmen. post principium super secundum de aĩa. Si possibile est definiri aĩam definitione in vniuersali, nulla definitio est magis vniuersalis, q̃ ista, nec magis conueniens substantiæ aĩæ. Et induxit hunc sermonem sub forma dubitationis cum dixit. Si igitur aliqđ vniuersale dicendum est in omni anima, dicemus quòd est prima perfectio corporis naturalis organici, excusando se ab æquiuocatione accidente in partibus huius definitionis.

Perfectio enim in anima rationali, & in alijs virtutibus animæ, ferè dicitur pura æquiuocatione, quonjam vt dicit inferius, non latet, sed manifestū est ex hac definitione, ꝙ impossibile sit ꝙ anima sit abstracta à corpore, aut secundum omnes partes, aut secundum aliquam eius. Apparet enim ꝙ quædam eius virtutes sunt perfectiones partium corporis, secundum ꝙ formæ naturales perficiuntur per materiam. & tale impossibile est, vt sit abstractum ab eo, per quod perficitur. Sed hoc non est manifestum in omnibus partibus eius, cum sit possibile, vt aliquis dicat ꝙ quædam pars eius non est perfectio alicuius membri corporis. Et in hoc solo restat, ꝙ definitio prædicta sit purè æquiuoca. Propter quod dixit ferè. Nos autem qui ponimus ꝙ anima secundum suam substantiam est forma & actus corporis: multò maiorem necesse habemus ponere vniuocationem, q̃ posuit Auer. Et licèt in homine sint duæ formæ secundum prædeterminatum modum, quia tñ vna perficit secundū rōnem corporis simpliciter, alia sm̃ rationem organici, & sic perfectio ab vna materialis est respectu perfectionis ab alia: ideò verè vnum naturale compositum est homo ex corpore organico, vt est brutum, in quo non est nisi vnica forma. & hoc ab vnitate formæ vltimæ, quia compositum ex materia & forma præcedēs non est aliquid in actu perfecto respectu formæ vltimæ, sed solùm in potentia sicut materia. Aliter enim compositum non diceretur vnum, sicut non diceretur vnum compositum ex materia & vnica forma, si materia esset aliquid in actu in composito, nisi sicut dñr vnum illa, quæ sunt vnum per contactum & ligamen. Nunc aūt quia quod est materia respectu animæ in homine: licèt in se sit cōpositum, non comparatione ad ipsam nisi sicut materia ad formam: ideò cōpositum qd est homo non dr̃ vnum nisi quia sua forma vltima est vna. Propter qd non est propriè dicendum, ꝙ homo est corpus & anima, nec ꝙ est anima vtens corpore, sed ꝙ est verè compositum naturale ex corpore & anima, vt ex materia & forma. quæ licèt non dat esse corporis secundum ꝙ est corpus simpliciter: dat tñ esse corporis secundum ꝙ est organicum, vt patet ex determinatis. Vnde Augustꝰ. qñ dixit in libro de immortalitate animę, speciem corpori per animam tribui qua est in quantuncunq; est: per animam ergo subsistit, & eo ipso est quo animatur, & cętera huiusmodi: procul dubio verum dicit loquendo de corpore sub ratione, qua est organicum, quia ipsa anima dat esse organicum, nec ipsum est abijciens animā, vt dictum est. Falsum aūt est loquendo de corpore sub rōne qua est corpus simpliciter, vt patet ex dictis. Et quia Augustꝰ. super hoc nihil distinxerat in lib. de immortalitate animæ, ideò retractando dixit totū illud temerè esse dictū, maximè respiciēdo ad illud qd dixit, in quantūcunq; est. Qno procul dubio implicauit ꝙ anima homini dat speciē, & esse corpori sm̃ quācunq; rōnem in esse corporis cōsiderātur, qd non est verū vt dictum est, pp qd illud benè indiguit retractatione. Ex quibus solūitur argumentatio aliquorum dicētium, ꝙ si anima hominis non perficeret hominem sm̃ ꝙ est corpus simpliciter, sed alia forma, quæ non est anima educta de potentia materiæ, duplex inconueniens & impossibile sequitur. Vnum, ꝙ tunc corpus simpliciter in homine non possit nutriri, aut augeri, quia nutritum & augmentatum agit in nutrimentum sua forma, ipsum in se conuertendo, in fine faciendo simile quod in principio est cōtrarium, sm̃ Philosophum 2. de anima, & 1. de generatione. Forma aūt dicta puta caro. Vnde caro cum nō est anima, sed mixtum simpliciter, ista nullo modo habet agere actiones nutritionis, & augmenti, quia non sunt actiones formæ nisi quæ est anima, sm̃ Philosophum 2. de anima. Aliud verò, ꝙ cū omnis forma, quæ est anima nobilior est, q̃ illa quæ non est anima, sicut & viuens nō viuente, & forma qua brutū est corpus simpliciter & mixtū, est anima si in bruto non sit ponere gradus formarum. Forma verò, qua homo est corpus simpliciter, & mixtum, non est anima nec dans vitam. Nobilius ergo mixtum est corpus bruti, quàm corpus hominis.

Et est dicendum ad primū, ꝙ sicut in bruto materia in nutritione & augmento non agit, neq; rōne sui, neq; rōne formæ bruti, sm̃ ꝙ dat esse mixti, licèt nutritio non hēt esse in ipso, aut augmentatio, nisi per conuersionem in ipsam principaliter, sm̃ quòd est aliquid in forma mixti: licèt principaliter agit organicum forma sua sm̃ rationem vegetabilis, quæ sm̃ substantiam, & sm̃ potentiam vegetabilis est actus totius mixti, quod sm̃ quod mixtum in potentia est ad vegetabile in planta & in bruto, licèt non secundum aliam formam, secūdum rōnem tñ alterius intentionis & potentiæ perfectibilis ab eadem forma, & per hoc nutritionem & augmentum recipit corpus vt mixtum est in planta, & in bruto, non tñ agendo forma mixti, secundū quod præcisè est mixti, sic dico in proposito, quòd licèt in homine in nutritione, & augmētatione non agit forma mixti educta de potentia materiæ, quàmuis in ipsum principaliter hēt fieri conuersio nutrimenti quo fit nutritio, & augmentum, quia tñ forma hois, quæ anima est, sm̃ suam substantiam, & potentiā siue intentionē vegetabilis, est perfectio illius mixti inquātum organicum est sm̃ iam dicta, forma sua inquantum organicum est, agit mixtum illud in nutrimentum, & conuertit ipsum assimilando formæ mixti. Licèt enim sit secundum eam alia forma, quæ est anima, & alia quæ est mixti in homine, & non in bruto, tantundem tamē anima ratione potentiæ suæ vegetatiuę vim hēt assimilandi nutrimentum mixto nutriendo & augmentando secundum quod mixtum est, quantum habet forma bruti potentia, & intentione vegetabilis. Nec refert ad propositum siue vis illa vegetatiua sit in eadem forma re cum forma mixti: siue non.

Per

Per idem patet in parte ad ſecundum: dicendū eſt enim ſecundum Comment. ſuper 7. Metaphyſ. quòd ſemina ſunt illa, quæ dant formas rerum generatarum ex ſeminibus per formas, quas dederūt ſemina generantia, quæ ſunt virtutes naturales diuinę, generantes ſibi ſimilia, ſecundum quod artes generant artificiata. Et ideò dixit Ariſtotel. in libro de animalibus, quòd iſtæ virtutes aſſimilantur intellectui, quia agunt actione intellectus, non per inſtrumentum corporale. Et in hoc differunt à virtutibus naturalibus, quæ in corpore animalis agunt per inſtrumenta determinata, ſed vniuerſaliter non agit niſi per calorem, qui eſt in ſemine. Semina ergo, quę deſcinduntur ab homine, & brutis, & plantis in calore naturali habent impreſſas virtutes formarum perfectarum illorum, à quibus deſcinduntur, & in virtute illarum ſemen, ſecundum Philoſophum 2. Phyſic. & 5. Metaphy. actiuū eſt & mouet ad generationem ſimilis ſecundū formam, ita quòd ſi in materia ſeminis tota forma eius, à quo ſemen deſcinditur eſt in potentia, ipſam perfectè totam educit de potētia in actum, & generat ſimile in ſpecie, & forma perfecta, vt plantam ex ſemine plantæ, & brutum ex ſemine bruti. Si verò in materia ſeminis non fuerit in potentia tota forma eius, à quo deſcindit', ſed aliquid eius: agit tamen tranſmutando, ac ſi totam poſſet educere de potentia materiæ in actum, & quia totam non poteſt, producit quod ex materia eſt producibile ſecundum eādem perfectionem formæ, qua nata eſt eſſe in eo, à quo ſemē deſcinditur, & quo ad illud perfectè aſſimilat. Quamuis ergo forma bruti ratione, qua eſt anima, ſcilicet ratione vegetabilis, aut ſenſibilis intentionis nobilior ſit forma mixti in homine, vt mixti eſt, quemadmodum quo ad hoc forma inferioris vermis nobilior eſt forma cœli, ſi non eſt ſubſiſtens per animam, & viuens: ratione tamē qua eſt forma mixti ſimpliciter, multò nobilior eſt illa forma mixti generanda in homine de potentia materiæ, & eſt multò nobilior mixtio, quàm in quocunque alio, quantò nobilior eſt vis generatiua animæ hominis imprimentis virtutem in ſemine, qua ſemen eſt actiuum, quam vis generatiua cuiuſcunque alterius creaturæ, dicente Alga. 5. Metaphyſ. Ex omnibus commixtionib. illa eſt perfectior, quæ fit ſperma hominis, quod habet aptitudinem recipiendi formam humanam. Licèt enim hoc non exprimat: exprimit tamen Auic. cuius expoſitor fuit, vt dicetur iam, à quo etiam nunquam diſcordabat aliquis Philoſophorum. Qui enim ponebant, quòd intellectus eſſet vnus in omnibus, & non forma, ſed motor corporis tantum, planè ponebant, quòd homo non erat in genere entium abſque aliqua forma prēter animam. Qui etiam ponebant, quòd in diuerſis eſſent diuerſi, etiam ponebant corpora propagari, & præparari à generante naturali, & tunc anima à creatore infundi. Dicit enim Auicenn. 4. Metaphyſicæ ſuæ. Non poteſt eſſe, vt ei, quod permaneat exiſtens per ſe non in ſubiecto, nec de ſubiecto, vllo modo ſit eſſe poſt non eſſe, ſed oportet, vt pendeat aliquo modo à ſubiecto ad hoc, vt ſit. Cum autem fuerit, non eſt res, quę eſt exiſtens per ſe, ſed eſt ex aliquo, vel cum. Primum eſt, ſicut corpus, quod eſt ex hyle, & forma. Secundum eſt, ſicut animæ rationales cum generatione corporū. Et tunc pluralitas ſui eſſe pendebit ex illo. & infra. Igitur cum ſit corpus, verbi gratia, ſicut ignis non eſt pluralitas ſui eſſe, niſi vt fiat ex materia, & forma: igitur pluralitas ſui eſſe habet ſubiectum, & hoc eſt materia. Igitur res ex qua fit primum eſt forma, quæ fit in materia, & fit corpus ex coniunctione eorum. Anima quoque non prouenit niſi per eſſe ſubiecti corporalis, & pluralitas ſui eſſe in illo eſt exiſtēs per illud propter hoc, quòd illa materia appropriatur ſibi. Et quia anima non habet eſſe poſt non eſſe, niſi cum fuerit eſſe corporeum, ſecundum modum commixtionis, per quam adaptatur fieri inſtrumentum eius, per quam diſcernatur certitudo ſuæ nouæ inceptionis, non quòd certitudo eius ſit in illa tunc, cum fuerit in illis corporibus pluralitas huius commixtionis, tunc erit pluralitas eſſendi animam. Hoc etiam re vera ſenſerūt antiqui Doctores. Vnde dicit Magiſter Guiliel. Altiſſ. in ſumma ſua. In generatione hominis primò eſt materia ſub vili forma, ſcilicet ſub forma ſeminis, poſtea recipit meliorem formam quo uſque habilitata ſit habilitate vltima, ſiue organizatione ad receptionem animæ. Et ſecundum hoc aliàs determinauimus, ꝙ ſimul in eodē inſtāti iſta forma mixti generatur, & anima creatur, & dat illa forma mixta eſſe corporeum, vt ſit compoſitum ex hyle, & materia, quod eſt pars vna hominis, & anima eſt pars alia, dicente Auic. 5. Metaphyſ. Dicimus, ꝙ corpus dī genus hominis, & dicitur materia hominis: cū autem fuerit materia hominis, ſine dubio eſt pars eius. Impoſſibile eſt autem partem prædicari de toto. Quod nullo modo eſſet verum ſi corporeitas eſſet à ſubſtantia animæ rationalis, tunc enim corporeitas non eſſet niſi intētio, in qua fundatur ratiō generis, quod vt confuſum, & indeterminatum prædicatur de eo, cuius eſt, vt de determinato. Nec eſſet aſſignare differentiam inter corpus, quod eſt pars, & inter corpus, quod eſt genus, plus in homine, quàm in brutis. In bruto enim ſecundum ponentes vnam formam in ipſo prēter hyle, non eſt accipere partes, niſi ſecundum intentionem generis, & differentiæ, vt in bruto, vt ſecundum rationem differant corpus, vt eſt pars, & corpus, vt eſt genus. In hoīe autem corpus vt accipitur ſicut quid determinatum in forma naturali corporeitatis differentis à corporeitatib. exiſtentib. in alijs, cui aduenit forma alia prēter corporeitatē addita illi, & in ea ſuſtētata, ſic eſt pars. Vt verò accipitur ſicut quid indeterminatū incorporeitate, quę in bruto aliqua differentia propriæ corporeitatis determinatur, & in hoīe aliqua alia nobiliori differentia corporeitatis determinatur,

diffe-

differentibus solùm inter se determinato, & indeterminato, sicut intentiones, non sicut res diuersę, sic corpus est genus hominis, sicut bruti, quod descendit in homine per nobiliorem differentiã corporeitatis. Et est illud compositum secundum rationem ex intentione generis, & differentiæ, includens in se materiam corpus, quod est pars hominis; illi enim aduenit anima rationalis, vt differentia, qna constituitur in specie specialissima, & in qua habet triũ differentiarum intentiones, quibus distinguitur à vegetabilibus, & brutis, & Angelis, vt differentia propriæ corporeitatis propriè differat ab inanimatis: differentia proprię vegetabilitatis à plantis: differentia propriæ sensibilitatis à brutis, differentia rationabilitatis ab Angelis. Est enim confinium homo corporalium, & incorporalium creaturarum, differens suo rationali à brutis sic ab irrationalibus. Hinc dicit Auic. de corpore, quod est genus. Prædicatur de composito ex corporeitatę, quæ est sicut materia, & ex anima. Collectio enim horum substantia est, quamuis sit coniunctio ex multis. Vnde si vegetatiuum in homine esset forma corporeitatis educta de potentia materiæ, sicut in brutis: & anima rationalis cum sola potentia rationali, siue intellectuali esset ab extrinseco, tunc consimili modo animal vno modo esset genus hominis, alio modo pars, & esset homo compositus ex animali, & anima rationali, dicente Auic. Si accipiatur animal tali conditione, vt non sit in sua substantialitate nisi corporeitas, & vegetabilitas, & sensualitas, & vt id, quod est præter hoc sic præter ipsum, tunc non erit longè quin sit materia homini, & subiectum, cuius forma est anima rationalis. Ex quo claret multũ, quomodo brutum nullo modo potest dici compositũ ex corpore, & anima, sicut homo. Patet ergo reuertendo ad propositum, ꝙ licèt secundum rationem vitæ vermis nobilior est cęlo: secundum tamẽ aliam rationem formæ suæ, qua. s. est generatiua formæ vermis, est multo nobilior, q̃ sit vermis, aut aliquid inferiorũ, quæ generari habent à cęlo. Semper.n. agens præstantius est patiente, & producẽs producto in ordinatis essentialiter, scdm quod ordinantur cœlũ, & ista inferiora ab ipso generata.

Sic ergo patet q. d ex parte corporis Christi potius tenendum est secundum vsum hactenus obseruatum, & secundum dicta sanctorum, signari nomine corporis. Et sequitur inquirendum quid potius tenendum est ex parte ipsius conuersionis in corpus Christi, in quid. s. tota substantia panis, & secundum materiam, & secundum formam ponẽda est conuerti, quia supponendũ est, ꝙ nihil substantiæ eius permaneat completa conuersione, qa cum verũ corpus Christi cõuersione perfecta ponendũ est ibi esse, & vetè esse, licèt non vt in loco, vel sicut subiectũ sub accidentib. qd̃ proprijs accidentib. cõmensuratur loco, nec sicut in signo tm̃, sed quodã modo huic sacramento proprio. Et nõ est ibi p aliquam loci mutationẽ, quia tunc descẽdens de cęlo non maneret in cęlo. Secundum.n. ꝙ dicit Magister Guiliel. Alissi. in summa sua, sine aliquo descẽsu, & motu est corpus Christi in altãri, & sine aliquo ascensu forma panis desinẽte esse est corpus Christi in cęlo, vnde simul est in altari, & in cęlo. Corpus aũt vnum non põt localiter esse in diuersis locis, vt infra videbit. Aut ergo erit ibi scdm modum propriũ huic sacramẽto, aut erit ibi per conuersionẽ alterius in ipsum illo nõ manẽte, quod cõuersum est, licèt non annihilato. Si.n. aliquid qd̃ erat, aliud fuerit effectum, non vtiq; oĩnò non erit. Si.n. oĩnò non esset p annihilationem, vel oĩnò esset manendo id, qd̃ prius, non esset cõuersio, neq; per illam transubstantiationem esset ibi aliquid, qd̃ prius ibi non erat. Et dependet pars ista omninò à parte præcedẽti. In id.n. quod scdm vsum ecclesiæ, & dicta Sanctorũ obtentum est appellari verum corpus Christi, tenendum est fieri cõuersionem panis. Vnde sicut non est obtentũ appellare corpus purã materiam habẽtem partẽ extra partem, nec tenendum est, ꝙ in illã solam fiat cõuersio, maximè cum tenet vsus, vt dictum est, ꝙ tota substantia panis, & scdm materiam, & secundum formam conuertat, quia si alterum maneret hoc fieret speciali miraculo, vel ponendo materiã sine forma substantiali, vel è conuerso: cum tm̃ hoc non est cõsuetum poni nisi miraculũ cõuersionis, & p illam corpus Christi esse vbi prius non fuit, & accidẽtia p se subsistere. Si autẽ & materia panis, & forma eius substãtialis cõuerterent in materiã, cum minus esse habeat materia, q̃ forma substantialis, tunc habẽs magis, & verius esse cõuerteret actione diuina in habẽs minus esse, qd̃ est inconueniens. Quia sicut scdm Aug. 83. q. Deus nõ est causa tendẽdi in non esse, sic nulli est causa tendẽdi in minus esse, quia vterq; modus est tẽdere in defectum. Similiter sicut nõ est obtẽtum appellare corpus materiã scdm rationem esse corporei absq; re ipsius formę inclusę i rõne corporis, sic nec est obtentum, ꝙ fiat cõuersio in tale corpus, maximè cũ tale esse absq; re ipsius formę nõ est p̃ter materiã nisi ratio, seu intentio pura, & sic non esset cõuersio in corpus verum reale, sed rationis, vel intẽtionis solùm. Similiter sicut nõ est obtẽtum appellare corpus materiã cum aĩa rationali inclusa in ratione corporis, sic nec ab antiquo obtẽtum est cõiter, ꝙ fiat cõuersio in tale corpus, vt materia panis cõuertat in materiã Christi, & forma panis in animã Christi, sicut neq; ꝙ in diuinitatẽ Christi. Dico nõ solum in animam, vt est aĩans, sed nec in rem, q̃ est aĩa rationalis. Sed hoc ponit quædã positio nouissima, dicens, ꝙ ãnima est forma corporis dãs ei totum esse perfecti. s. esse corporeũ, & esse aĩatum, & sic de alijs. Cõuertitur ergo fm̃ istos forma panis in formã corporis Christi. s. in animã rationalem, fm̃ qd̃ dat esse corporeum: non autem fm̃ qd̃ dat esse aĩatum tali aĩa. Quẽadmodum si quis poneret quod vegetatiuum, & sentitiuũ sint potẽtię q̃ dam in forma mixti, eductæ de potentia materiæ, sicut

contingit

contingit in brutis, secundù negantes gradus formarum in ipsis: diceret ꝙ conuersio fieret in formam illam, quæ esset anima sensibilis secundum ꝙ dat esse corporeum: non autem secundum ꝙ dat esse animatum tali anima. Sed si ita esset, tunc non esset conuersio in corpus generatum de Virgine, quia anima rationalis secundum nullam rationem est generata. Quod falsum est. dicēte Ambros. Præter naturæ ordinem generauit Virgo, & hoc quod cōficimus corpus de Virgine est. Quem sequens Guiliel. Alti. dicit. Intelligitur in hoc sacramento Corpus Christi verum, quod traxit de Virgine. Præterea cum corpus non habet esse à forma, nisi secundum ꝙ est in materia, cum in triduo mortis anima nō fuerit in corpore, nec in materia Corporis Christi, non potuit dici ꝙ Corpus Christi fuit in sepulcro nisi secundum materiam, quare nec in triduo potuisset facta fuisse cōsecratio, nisi in nudam materiam, & non in corpus, quia deficit conuersionis terminus, eo ꝙ corpus, vt dicunt. non est corpus nisi ab anima in ratione corporis inclusa. ita ꝙ secundum ꝙ dicunt in illo triduo non fuit idem corpus mortuum, quod prius viuum, nisi vnitate diuini suppositi. Et sic pro eodem corpore vnitate corporeitatis secundum se non fuissent tunc vera ista verba consecrationis: Hoc est corpus meum, pro quo erant vera ante triduum. immò nec omninò erāt vera in triduo, quia nec erat vere corpus vt dictum est. Præterea si Hostia consecrata ante mortem continens in se sacramentum Corporis Christi ex cōuersione materiæ panis in materiam Christi, & formæ panis in substantiam animæ, secundum ꝙ dat esse corporeum, fuisset reseruata, cum in triduo mortis anima fuit separata à materia, & per hoc non mansit corpus vt dictum est, tunc manentibus speciebus defeciisset sacramenti res, & non fuisset Corpus Christi sub speciebus, etsi fortè partes fuissent sub ipsis separatæ. Quare cum hæc sint inconuenientia, nec possint euadi secundum ꝙ mihi apparet, nisi ponendo Corpus Christi ab alia forma, quàm à forma animæ secundum prædictum modum: idcircò licèt non velim damnare opinionem aliam, nullo modo tñ videtur mihi securum, sed summè periculosum tenere illam. Vnde sicut secundum hunc modum consuetum est appellari corpus, secundum eundem modum teneri debet (quantum mihi videtur) ꝙ in tale corpus fit cōuersio, quod semper mansit etiam in triduo mortis, vt dictum est. Et sic corpus consecrari potuit in triduo mortis idem quod prius, & prius consecratum remansisset sicut prius, nisi ꝙ hora mortis Christi in cruce mortuum fuisset per solius animæ separationē, quod prius erat viuum. dicente magistro Guiliel. Alti. Si ponatur ꝙ aliquis ex discipulis reseruasset Corpus Christi in pyxide per totum illud triduū, ista concedenda est, Corpus Christi moritur in pyxide per violentiam corpori illatam in cruce, separatur anima ab eodē corpore Christi, quod est in pyxide. Cum autem conceditur ista: Corpus Christi moritur in pyxide, non intelligitur aliqua noua proprietas aduenire, sed is est sensus: anima Christi incipit non esse hic. Et sic nec est ponendū ꝙ maneat materia nuda sine forma, nec ꝙ aliqua forma cadaueris noua introducatur. Et secundum hoc stat quod semper consuetum est poni, ꝙ Deitas & anima Christi quo ad rem, quæ ipsa est, non habent esse in sacramento ex vi consecrationis. sed solùmmodo ex reali concomitantia, vt. s. Deitas sicut semper erat coniuncta Corpori Christi, sic semper fuit, est, & erit in sacramentō. Et similiter anima, quando fuit in corpore. Sed in triduo quando anima fuit separata, si fuisset cōsecratum non fuisset anima Christi sub sacramento. quemadmodum si Sanguis Christi fuisset omninò in triduo extra Corpus Christi, tunc consecrato corpore solo non fuisset ibi sanguis per concomitantiā. Et si Hostia prius consecrata qñ sanguis, & anima fuerunt in corpore, fuisset conseruata in tempore qñ ambo erant separata à corpore, tunc qñ secundum rem separabantur à corpore, non remanebāt diutius sub sacramento corporis. sed hoc non propter defectum aliquem in sacramento, vel in verbis consecrationis eius, sed solùmmodo secundum rei variationem vt dictum est. Sed quod moderni qui tenent, ꝙ conuersio fiat in animam Christi secundum quod dat esse corporeum, dicunt sepius animam non esse sub sacramento ex vi conuersionis, & formæ verborum, sed per solam realem concomitantiam, quia vbi est vnum naturaliter coniunctorum ibi est & reliquum, debet exponi quòd anima non est ibi, nisi per quandam concomitantiam, inquantum dat esse vegetabil s sensibilis aut rationalis, sed solùm ibi ex vi conuersionis inquantum dat esse corporeum secundum dictum modū. Quemadmodum si in corpus bruti virtute diuina fiat alicuius cōuersio, dicendo, hoc est corpus bruti, est ibi ex vi verborum anima bruti inquantum dat esse corporeum, sed per concomitantiam inquantum dat esse vegetabile, & sensibile. Sed si subtilitatem istam intellexerint antiqui, Deus nō uit, ad minus in docendo Ecclesiam de ipsa nullā penitus faciebant mentionem quantum apparet ex scriptis antiquis, immò potius faciebant mentionem de contrario. sicut dicit Prepositus in summa sua, auctoritatem inducens Doctorum sui temporis. Magistri nostri dicunt quòd sub vtraq; specie tantùm panis transubstantiatur in corpus, & tantùm vinum in sanguinem. Quod dicitur ergo vtrùnque esse sub specie panis: Respōdetur quòd ibi est corpus, & ibi est sanguis, quia corpus non habet esse sine sanguine, alioquin esset inanimatū corpus. nam & anima est ibi. Nō tñ dicimus quòd panis in animam transubstantiatur. Ecce quòd nō ponit animam esse cum corpore per transubstantiationem, sicut neque sanguinem, ambo tñ ibi esse cum est viuum, & quòd ambo possint abesse eidem cum fuerit mortuum.

Hinc

Hinc etiam dicit magister Guiliel. Quamuis panis transubstantiatur in Corpus Christi, & vinũ in sanguinem, tñ sub vtraque specie est Christus integer. non enim Corpus Christi est sine sanguine & anima, nec sanguis sine corpore & anima. Sed non valet hæc argumentatio, sub forma panis est Corpus Christi & Sanguis ex transubstantiatione. ergo aliquid est transubstantiatũ in sanguinem. Et patet instantia in anima Christi, quæ ibi est ex transubstantiatione, nihil tñ transubstantiatum est in eam. Intelligo sicut neque in sanguinẽ, quia aliter non esset instantia in anima, nec esset eodem modo per concomitantiam cum sanguine, & cum corpore, in quo tñ nullam differentiam insinuat, immò conuenientiam magis, vt patet inspicienti.

Mihi igitur ex iam declaratis magis videtur tenendum, quòd homo sit corpus ab alia forma præter animam, & ꝙ in corpus ex materia, & illa forma compositum sit conuersio, ita quòd semper in formam, quæ dat esse corporeum, terminatur conuersio, vt ipsa habeat esse in sacramento ex vi consecrationis & non per concomitantiam. Vnde cum in bruto non est forma dans esse corporeum nisi eius anima, si virtute diuina fieret conuersio alicuius in corpus bruti dicendo hoc est corpus bruti, anima bruti esset ibi vi verborum, & nõ per concomitantiam, quo ad id quod est secundum rem, licèt bene quo ad rationem vegetabilis & sensibilis, vt dictum est. aut non esset conuersio in corpus, sed tantùm in materiam, & partes eius, quæ corpus non appellatur, vt visum est.

Ad argu. prime. Ad primum, quòd conuenienter ponitur, quòd sola anima sit in homine, quę dat esse corporeum: ergo &c. Patet responsio ex dictis, quomodo conuenienter ponitur, & quomodo non. Licet. n. sola anima dat esse corporeum organicum, non tamen dat esse corporeum simpliciter. Nunc autem conuersio non fit in corpus secundum quòd est organicum, hoc enim non est nisi ab anima præsente in corpore, sed solùmmodo secundum quod est corpus simpliciter, quod est ab alia forma, in quo separata anima non manent organa inquantum organa, sed figuræ organorum tantùm.

Vnde cum vt dicit Damascen. de duabus naturis Christi, Christus habuit instrumentalem formationem: testes, quæ caput vnguento, & pedes rigauit lachrymis, & claui, quí fixi in palmis & plãtis pedum, lancea quæ aperuit latus, & recumbens super pectus discipulus, lingua quæ dixit: Si quis sitit veniat & bibat: os quod tradidit sanctum spiritum: dentes & guttur diuidentes Pascha, & stomacho transmittentes hoc, & hepar in sanguinem conuertens & cętera huiusmodi: Horum omniũ veram figuram retinuit verum Corpus Christi manens idem numero in triduo mortis: Et hoc propter vnitatem formę corporalis manentis, non solùm propter vnitatem suppositi verbi retinentis vnionem cum corpore quam prius. Non tñ retinuit in illis organorum rationem, quam non dedit nisi præsens anima in Christo, sicut neque in alijs hominibus. Propter quod in triduo mortis organa & corpus inquantum organicum ex organis constitutum ęquiuocè erant, & in mortuo & viuo, & non erant idem numero, nisi secundum materiam & formam mixti solùm in Christo, & verbi suppositum. Oculus enim quando non potest in propriam operationem, & formam suam quæ est vis visiua, amisit: de qua dicit Philosophus 2. de anima: Si oculus esset animal, visus esset eius anima: etiã in viuo homine oculus æquiuocè est. Quamuis enim sit membrum viuens à substantia animę, & vi nutritiua, non tamẽ est sentiens, nec organum sensus. Et sic non est inconueniens idem manere ęquiuocè ratione formę amissæ, & vniuocè ratione formæ manentis, qua manet idem numero. Et sic huiusmodi partes organicæ manent eędem numero non solum secundum materiam remotam, quæ nihil aliud est, q̃ materia, sed etiam secundum materiam propinquam, quæ est simpliciter constans ex carnibus, ossibus, musculis, neruis & cæteris huiusmodi homiomeris, in quibus oĩbus est vna forma mixti, quæ solùmmodo differunt sm̃ diuersas passiones coagulationis ex calido, & frigido, vt habetur ex fine quarti Meteororum. Propter quod omnia huiusmodi vniuocè, & eadem numero ex sua forma erant manẽtia in corpore Christi viuo & mortuo, & in ipsa fit conuersio. Vnde sub specie panis totum verum Corpus Christi constitutum ex carne osse neruis, & huiusmodi continetur ex vi sacramenti. Quod enim Christus sacramentum hoc potius exprimit nomine carnis, hoc non facit, nisi aspiciendo ad vsum sacramenti. Io. 6. Caro mea verè est cibus. quoniam homines potius solent manducare carnes, quàm ossa.

Ad secundam partẽ Ad secundum, quòd conuenienter ponitur verè dici corpus à sola materia: dicendum quòd nõ est verum. secundum enim prædicta non dicitur corpus substantia, nisi ab aliqua forma substantiali, nõ à solis partibus eius. Et quòd assumitur bruta quæ ex se mouentur, diuiduntur in animam, vt per se mouentẽ, & in materiã, vt per se motam, & non est per se motum, nisi corpus: ergo materia verè potest dici esse corpus: Dicendum secundũ supra determinata de motu animalium, ꝙ licèt in motu locali animalium per se mouens sit anima, & hoc secundum ibi exposita non nisi vt habet esse in signo determinato organi motus localis, per se tñ motum non est materia. Nec similiter totum animal est motum per se ratione materiæ, quemadmodum contingit in motu grauis & leuis secundum prædeterminata. Non enim animal motum localiter ex se mouens ratione animæ, æque primò ꝙ per se mouetur secundum omnes partes suas. quod cõtingeret si ex se moueretur per se ratione materiæ, sicut per se mouet ratione animæ. Graue enim ex se mouens se ratione formæ, & ex

se mo-

se motum ratione materiæ, æque per se, & primò mouetur secundum omnes partes suas, & hoc multò verius, q̃ graue mouetur per violentiam sursum æqualiter secundũ omnes suas partes. Proijciens enim graue, principaliter pellit partem, quam immediatè tangit, & per continuationem ad illam simul pellit alias. forma autem grauis mouens æqualiter mouet in qualibet parte grauis, & materiæ. Sed in motu animalis secundum locum anima vt existens in signo determinato, & requiescens in vna parte, pellit à se aliam, vt requiescens in sinistra pellit à se dextram versus anterius, & viciſſim è conuerso requiescens in dextra secundum modũ supra expositum. Et sic licèt per se mouens sit anima, hoc non est anima secundum se, sed vt se tenet cum parte quiescente, per se autem motum nõ est nisi pars altera, & hoc viciſſim. Propter quod totum animal per se mouetur secũdum partes, sed per accidens secundum totum. & sic est diuisibile in duo, quorum vnum est per se motum, vt est aliqua partium eius sub in differentia modo vna modo altera, & aliud per se mouens; vt est anima existens in signo quiescente in parte altera. Sed quia non mouet, nisi per alterius partis quietem, vt dictum est supra, potest dici q̃ per se mouens sit anima cum parte quiescente, quæ per se potest dici moueri ratione animæ mouentis, vt in ea quiescit: quemadmodum sacramenta nouę legis dicuntur causa gratiæ, quia Deus, vt in eis existit, confert gratiam, secundum q̃ alibi exposuimus. Et è conuerso pars mota per se potest dici moueri ratione materiæ, vt secundum hoc animal ex se motum dicatur diuidi in duo, quorum vnum est per se mouens, sed hoc ratione alicuius, quod est in eo forma, vt est altera partium eius, & alterum per se motum, sed ratione alicuius quod est in eo materia, vt pars reliqua, & hoc viciſſim. Non tamen ita principaliter motum dicitur moueri ratione materiæ, sicut mouens dicitur mouere ratione formæ. Forma enim est, quę in quiescente existens principaliter mouet, non autem ipsum quiescens, ita q̃ dicendum est partem quiescentem mouere, quia anima mouet, & non è conuerso. E conuerso autem materia existens in moto non principaliter mouetur, sed pars in qua est, ita q̃ dicendum est partem totam per se moueri, & non materiam, nisi quia est in parte & aliquid eius. Per se enim subiectum motus secundum locum nõ est, nisi subiectum existens in actu dimensionatum. Per se autem agens motum istum est ipse actus existens in parte quiescente. Vnda non dicitur pars quiescens mouere per animam sicut per instrumẽtum, quemadmodum dicitur ignis calefacere calore, sed si comparemus animam ad totum animal, vt est mouens & motum, tunc ipsum animal simpliciter est per se mouens vt agẽs principale, sed anima existente in parte quiescente, vt instrumento naturali, licèt non sit per se motum, sed solùm per partem, vt dictum est.

Tertium concedendum est, & vt arbitror firmiter tenendum.

Comment. in Quæstionem Octauam, quæ est,

Vtrum dicendo hoc est corpus meum, tenet Ecclesia secundum vsum, & dicta Sanctorum, quòd fiat conuersio panis in substantia animæ rationalis secundum quod dat esse corporeum, an in solam materiam, vt habet partes suas extensas sub partibus dimensionum, an in aliquid compositum ex materia, & forma alia præter animam intellectiuam.

IN titulo not. quæstionem hanc habere tres partes, & in vnaquaque intelligere conuersionem factam ex vi verborum, non autem per concomitantiam. Et quidem præsertim ad primam partem alibi resoluta est. Quippè visum sit, q̃ conuersio sit ad corpus, anima verò & diuinitas ad sint in Sacramento non vi verborum consecrationis, sed per realem concomitantiam. Vide quæstionem quartam secundi quolib. secunda autem pars in hac parte reijcitur, quoniam non datur tale corpus, quod sit tantùm materia habens partes, &c. nisi corpus mathematicum, de quo non est instituenda quæstio, quæ versatur circa corpus naturale. Vnde tota difficultas est circa tertiam partem, an verum sit, q̃ terminetur conuersio ad corpus tertio modo sumptum, nempè informatum aliqua forma præter animam rationalem.

Not. autem, q̃ quæstio duplicem etiam habet partem, quarum prima est, vtrum re vera detur, quod corpus humanum sit corpus per formam corporeitatis. Altera est. Vtrum dato hoc an conuersio ex vi verborum tantùm fiat ad tale corpus, an etiam ad animam intellectiuam, seu absolutè animam, & diuinitatem. Et not. q̃ prima quæstionis pars in superioribus discussa est, in primo quolib. quæst. 4. & quolib. 4. quæst. 13. Alibi verò aliqualiter etiam secunda pars. Hoc tamen loco vtraque determinatur non ratione, sed auctoritate maximè Sanctorum, & Philosophorum.

In corpore igitur, quo ad primam quæstionis partem. Conclusio est. Quòd corpus humanum corpus sit per aliquam formam corporeitatis ab anima distinctam.

Probatur hæc conclusio per plura dicta Damasceni, Augustini, Richardi, Altissiodorensis, Boetij, Ezechiæ Prophetæ, Glos. & Philosophorum, vt videre est in litera.

Quo ad secundam quæstionis partem. Conclusio est, quod ex vi verborum conuersio terminatur ad tale corpus, per concomitantiam autem ad animam quoque & diuinitatem.

Probatur hæc conclusio, & simul reprobatur opinio, quæ tenet formam panis ex vi verborum terminari ad animam rationalem ex Ambrosio, Altissiodoren. &c.

Amplius reprobatur illa opinio, quia in Triduo mortis Christi non esset facta conuersio nisi in nodam materiam. Et consecrato corpore reseruato, in triduo defecisset res sacramenti, manentibus speciebus. Quod est inconueniens. Vide quæst. quintam secundi quolib. cum autem ex his, & alijs in quæstionibus citatis patere possit hæc quæstio, hæc dicta volumus esse satis.

QVAE-

HENRICI A GANDAVO

QVAESTIO NONA.

Vtrum materia panis maneat post conuersionem.

Arg. prim. CIRCA secundum arguitur, quòd materia panis post conuersionem maneat, quia non habet aliquid corrumpens, eo quòd non habet cõtrarium, & tale manet, eo ꝙ est symbolũ, quod in transmutatione naturali manet, eo quòd non habet cõtrarium corrumpens.

In oppoſit. Contra. tunc non esset conuersio aut transubstantiatio, quod falsum est. ergo &c.

Reſponſio. Dicendum, ꝙ aliud est quærere vtrum materia maneat post conuersionem, & vtrum aliquid maneat absolutè in hoc sacramento. Hæretici enim aliqui non ponentes aliquam conuersionem, aut transubstantiationẽ fieri in hoc sacramento, ponebant, ꝙ in hoc sacramento tota illa substantia panis manet post consecrationẽ. Putabant enim illud Luc. 22. Hoc est corpus meum, spiritualiter esse intelligeudum, & non esse sic dictũ, nisi vt in signo, & figura, moti ex hoc, ꝙ cũ Christus dixisset Iudæis. Ioan. 6. Nisi manducaueritis carnẽ filij hominis, & biberitis eius sanguinẽ &c. & dictũ est ei. Durus est hic sermo. respondit eis. Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quicquã. quasi diceret, quicquid de corpore meo, & sanguine dico intelligatis spiritualiter. Sed fide firma tenendum est in sacramento esse verũ Corpus Christi sicut verba sonant quibus dicitur Hoc est corpus meũ. vt non sit hic veritas sicut in solo signo, sicut erat in sacramentis veteris legis. Vnde illud Matth. vlt. Vobiscũ sum vsq; ad consummationẽ sęculi, intelligere debemus de veritate corporalis præsentiæ in sacramento, vt corpus quod est vno modo essendi præsens solũmodo in cœlo, alio modo essendi præsens nobis est in sacramento. & hoc in veritate eadem eiusdẽ corporis essendo præsens ibi & hic. quod sola fide deprehenditur. Secundum. n. ꝙ dicit August sursum est dñs: ĩ hic nobiscũ est dñs. Corpus. n. in quo resurrexit vno in loco esse oportet. Veritas aũt eius vbique diffunditur. Vnde istud: Hoc est corpus meũ nullum requirit spiritualẽ intellectũ. Sed illud. Nisi manducaueritis, quodãmodo literalem, quodãmodo spiritualem requirit. Literalem quo ad id quod manducatur, quia ĩm Ambrosium de sacra. sicut verus est Dei filius Dñs Iesus Christus, ita vera Christi caro est quam accipimus. Spiritualem quo ad modum manducandi, quia dicit August. super Psal. 4. exponens verbum prædictum spiritualiter. quę locutus sum, quia. s. non in propria specie dentibus laniando carnẽ Christi manducamus, quemadmodum Iudæi intellexerunt manducationẽ, cum dictum est eis, Nisi manducaueritis. Hoc enim modo caro non prodest quicquàm, sed sub specie sacramenti manducandũ corporaliter, illud verum corpus manducando spiritualiter. Propter quod dicit August. super Ioan. Vt quid paras dentes, & ventrem? crede & manducasti. Vnde manducando sacramentum corporaliter, corpus Christi manducandũ est in fide spiritualiter. Sic enim spiritus est. qui viuificat. Quare cum oporteat ipsum Corpus Christi verũ sub specie panis esse in sacramento, & vt iam dictum est supra, non habet ibi esse per aliquam loci mutationem, oportet ꝙ hoc fit per alicuius mutationem, quod prius ibi erat. quemadmodum ignis per corruptionem aquæ incipit esse vbi prius non erat. ꝙ si nec sic, nec per loci mutationẽ illuc adueniret, nullo modo esset ibi. & tunc habet locum dubitatio magis generaliter, q̃ proposita est. s. vtrũ post conuersionem maneat substantia panis tota, vel aliquid eius, vt materia, de qua proposita est quæstio. Et erat opinio aliquorũ ꝙ non manet: reputantium conuersionem vnius naturæ in aliã fore impossibilem. Cum. n. necesse habebant ponere ĩm iam dicta, ꝙ sub speciebus sacramenti erat verum Corpus Christi, & ꝙ non conuersa substantia panis, & manente non posset ibi esse verũ Corpus Christi absque loci mutatione illius, quã non ponebant fieri, necesse habebant ponere ꝙ substantia panis non maneret, & per eius absentiam statim ibi fieret Corpus Christi. Quorum aliqui poluerunt ꝙ substantia panis non manet, quia omninò adnihilatur. Alij verò quia resoluitur in primam materiã. Primum horũ non potest poni, quia Deus immediatè & solus est causa per se eius, quod fit in isto sacramento. Ipse aũt vt dicit August. 83. quæst. nullius est causa tenendi in non esse. Præter ipsum non est causa aliqua sufficiens ad hoc. Similiter ĩm non potest poni. quia resolutio in materiã primã non est nisi formæ, quæ erat in potentia in illa. Ista ergo resolutio non potest esse nisi formæ panis in materiam panis, ita ꝙ ipsa materia panis existat sine forma panis, quia materia vlterius in materiã resolui nõ potest. In illa ergo materia resoluta forma panis ipsa materia aut manet intra species illas, aut exit. Quod exiẽs de sub illis speciebus, siue fiat sub alijs speciebus, siue non, siue materia maneat sine forma substantiali, siue non, hoc nõ potest poni, quia hoc est respectu specierum sacramenti purus defectus & priuatio, qui ex se nullius est positiuus. Per hoc ergo nõ posset poni ibi de nouo esse Corpus Christi. Si verò materia illa manet sub illis speciebus, aut ergo in illa fit alia forma sub speciebus illis, aut non. Si sic, tunc erit idem impedimẽtum quod prius, ne possit ibi de nouo esse Corpus Christi, quia resolutio formæ panis non est causa essendi ibi nisi illius alterius formę, quia corruptio

vnius

vnius formæ, quam concomitatur generatio alterius, non est causa nisi generationis illius. Si autem non sit alia forma in illa materia sub illis speciebus, adhuc ipsa sola tantùm impediet præsentiam corporis Christi quantùm si fieret sub noua forma, quia sic manere forma resoluta in ipsam non est nisi purus defectus, qui ex se nullius positiuus est, neque ex aliqua virtute procedit, sed potius ex virtutis defectu. Præsentia autem corporis Christi sub speciebus panis debet esse agente virtute illa, quæ agit ꝙ sub speciebus panis nihil habet esse substantiæ panis. Nec est ergo dicere ꝙ substantia panis, aut annihilatur, aut in primam materiam resoluitur. Propter quod alij omnes ponunt substantiæ panis couuersionem in corpus Christi: & per illam ibi esse de nouo corpus Christi, & ꝙ ad hoc nulla alia transmutatio circa substantiam panis sufficeret, quemadmodum nulla sufficeret transmutatio vt sub speciebus symbolis aeris cum igne fieret ignis, quàm generatio ignis ex aere. Sed dicunt aliqui, ꝙ ista conuersione facta non manet substantia panis conuersa, licèt non annihiletur. sicut non sequitur, ꝙ si aer ex quo generatus est ignis nõ sit ibi vbi erat, sed aliud vice ipsius: ꝙ sit annihilatus. sed cum non maneat, in eo ꝙ nõ manet, aliquo modo ad minus est non ens, quia si nullo modo esset non ens factum, omninò maneret ens non annihilatum, aut in eo ꝙ non annihilatum, ad minus aliquo modo est ens.

Aliter enim esset omninò nihil factum, & ideò annihilatum. Non est ergo dicendum simpliciter ꝙ ista conuersione facta substantia panis non manet, sicut nec est simpliciter dicendum ꝙ manet, sed est dicendum, ꝙ quodammodo manet, & quodammodo non manet. Et quia quod sic manet vt dicunt aliqui, non potest manere secundum rationem formæ, sed tantùm secundum rationem materiæ: Materia enim quia est ens in potentia, medium est inter non ens simpliciter, & omninò ens actu, secundum Philosophum secundo Metaphycæ: idcirco dicunt ꝙ forma panis resoluitur in suam materiam, & materia ipsa sic vnitur materiæ corporis Christi, vt fiat vna materia cum illa, virtute diuina vniente materiam panis cum materia corporis Christi, quemadmodum fit vna materia nutrimenti cum materia eius quod nutritur, conuersione facta virtute agentis naturalis. Hoc nõ potest stare, quo ad primum articulum. s. quòd forma panis resoluatur in materiam, quoniam nõ est tenendum quòd hic fiat aliqua transmutatio, nisi virtute verborum, quibus dicitur, Hoc est corpus meum, quæ non signant conuersionem fieri, nisi in id quod demonstratur per ly hoc. Quare cum per ly hoc demonstratur vniformiter compositum, aut demonstrationi præsupponitur nõ tàm materia panis, quàm forma, vniformiter ergo fit conuersio tàm materiæ in corpus Christi, quàm formæ. Non ergo resoluitur forma in materiam, nec vlterius materia panis in materiam corporis Christi vnitur, sed totum conuertitur, immò totum toto. Illud enim repugnaret formæ verborum qua dicitur, Hoc est corpus meum. Corpus enim vt dictum est non puram materiam, sed formam cum materia signat. Quo ad secundum autem articulum, quòd sit cõuersio materiæ panis in materiam corporis Christi manente materia panis, sic ꝙ vna fiat materia ex illis, incõueniens est, quia tunc sequeretur quòd Christus materia panis aduenientc nutriretur, aut saltem augeretur, aut aliquid haberet virtute sacramenti de substantia sua, quod prius non habuit, & esset in ipso plus de materia, quàm prius, & sic semper toto tempore quo sacramentum hoc conficitur, materia Christi esset habens plus, & plus in substantia, vel aliquid quod prius non habuit, & esset mutatio realis ex hoc sacramento circa Christum. quod vt credo hæreticum est dicere. Ideò videtur mihi esse dicendum, quòd tota substantia panis, & secundum materiam, & secundum formam conuertitur in corpus Christi, non ambo in materiam solam, nec ambo in formam solam, quia hoc est contra formam verborum quibus dicitur, Hoc est corpus meum. Corpus enim non signat materiam tantùm, nec formam tantùm, sed compositum ex materia & forma, non forma in materiam, quia tũc esse formæ panis innouaretur quodammodo, vt dictum est iam supra. Relinquitur ergo ponendum, quòd materia panis cõuertatur in materiam corporis Christi, & forma in formam, & quòd neutrum illorũ manet id quod erat prius, ita tñ ꝙ neutrum eorum desinat esse simpliciter. immò vtrunque illorum desinendo esse id quod erat in se, iam conuersum est in aliud, & hoc quemadmodum dicit Augustinus loquendo de conuersione, seu conuertibilitate animæ rationalis in corpus. dicit enim ante finem de immortalitate animæ. Videtur effectum esse ratiocinatione hac vt animus ad nihilũ peruenire non possit, conuerti autem in corpus forsitan possit. Si enim quod erat animus in corpus fuerit effectum, non vtique omninò non erit. Et sic secundum quod dicit magister Guilielmus Altiss. panis transit in corpus Christi, ita quòd nihil de pane remaneat, sed transit in id quod prius erat, in quo non annihilatur.

Quorum vtrunque bene inuenitur sigillatim in creaturis, licèt non ambo simul.

Primum enim, vt dicit, inuenitur in transitu formarum, quia nihil de transeunte manet.

Secundum non, quia non fit transitus in id qd erat, scilicèt quo ad eius esse completum respectu esse eius quod non manet in se, sed in alio, quod tamen prius non erat. propter quod non annihilatur. & hoc secundum ponentes in eodem gradus formarum modo prędicto in quęstione de compositione scientiæ.

Cum enim, vt dicit, in generatione hominis

primo est materia sub vltima forma.s.sub forma seminis, postea recipit meliorem formam quousque habilitata sit habilitatione vltima siue organizatione ad receptionem animæ, ibi manifestum est ꝙ forma transit in formam, & tamen nihil de forma transeunte remanet. Secūdum verò inuenitur in nutrimento. Nutrimentum enim transit in corpus quod erat, sed primum non inuenitur, ꝙ aliquid de nutrimento relinquitur in nutrito. Vnde ista duo simul non inueniuntur in naturis, sed in differentijs quo ad conuersionem dictam, & fit illa conuersio sic, ꝙ in toto tempore prolationis verborum substantia panis est id quod prius erat in se, sed in vltimo instanti conuersa est in aliud non manēs aliquid, quod ipsa prius erat, aut quod iam facta est, sed tm̄ manet in aliquo.s.in quod iā conuersa est. Et conuenit ista transmutatio cum alijs ꝙ est in ea ordo huius post hoc, sicut & in alijs. Est enim sub illis speciebus Corpus Christi postq̄ sub eis fuit corpus panis, sicut in creatione id quod prius non est postea est, & in generatione quod prius est aer, postea est ignis. Et cōuenit ista cōuersio cum creatione, quia in neutra est aliquid commune subiectum præexistens in actu, & subsistens ambobus terminis. In quo ambo differunt à transmutatione naturali, quę non est sine communi subiecto. Propter quod cum dicitur in generatione naturali, quod prius erat aliud modo est hoc ly quod supponit pro subiecto communi. Cum verò dicitur in creatione, quod prius nō erat nec est, ly quod supponit pro essentia, quæ est quasi commune ad esse & ad non esse. Cum autem dicitur in ista conuersione, quod prius erat substantia panis modo conuersum est in Corpus Christi, ly quod primo suppouit substantiam panis pro substantia panis secundum se: secundo supponit substantiam panis non pro substantia panis, sed pro eo in quod est conuersa, quod est Corpus Christi, & non est substantia panis. Et sic sicut in creatione de eo qđ est nihil in existentia actuali, fit aliquid, sic in hac conuersione id quod est aliquid secundum se, cōuertitur in aliud, nec fit annihilatio eius: non tamen mediante aliquo eius quod prius in se erat. Et differunt specialiter in hoc termini huius conuersionis, & generationis naturalis, ꝙ in hac conuersione terminus transit in terminum, vt panis in Corpus Christi, ibi verò non transit terminus in terminum vt aer in ignem, sed subiectum commune transit ab vno in alterum. In quo conuenit quodammodo hęc conuersio cum generatione naturali, ꝙ hic accidentia communia modo habent sub se vnam substantiam modo aliam, sicut ibi subiectum modo habet in se vnam formam modo aliam. Differt autem specialiter à nutritione, quia in nutritione aliquid corrumpitur in potentiam materiæ, vt forma nutrimenti, & aliquid manet in alio vt materia in nutrito: hic autem nihil corrumpitur in potentiam materiæ, nihilque manet substantiæ panis, nec ipsa manet aliquid omninò, vel quod prius erat, vel quod postea facta est, nec tamen annihilatur, quia manet in aliquo, quia in eo in quod est conuersa, quod tamen nec prius erat: nec postmodum facta est.

Ex prædictis sequitur modus prædicandi inter terminos, quia enim se habent per ordinem, vnus eorum non prædicatur de alio absolutè per verbum essendi. Non enim dicimus ꝙ panis est Corpus Christi, aut è conuerso, sicut nec, ꝙ ens est non ens, aut aer est ignis, vel è conuerso. Prædicatur tamen vnum de altero mediante præpositione ex, dicendo ex pane factum est sub speciebus Corpus Christi, vt tamen omnem transmutationem intelligamus circa panem, & nullam circa Corpus Christi. & hoc per ly ex denotando ordinis circunstantiam non subiecti circa istam conuersionem. Quæcunque enim circunstantia connotans subiectum manens, non admittitur in prędicatione huius conuersionis aut creationis. Vnde nec in hac cōuersione sicut nec in creatione dicitur, ꝙ vnum potest esse aliud, inquantum ly potest est nota subiecti, sicut dicitur in generatione, ꝙ aer potest esse ignis. & eadem ratione nō recipitur in istis prędicatio per de, dicendo de pane fit Corpus Christi, sicut recipitur illa: de aere fit ignis. nec similiter prædicatio de præterito, aut futuro, dicendo Corpus Christi fuit panis, vel panis erit Corpus Christi, sicut dicitur aer fuit ignis, vel erit ignis. Similiter nec per verbum fieri, dicendo panis fit Corpus Christi, vel factus est Corpus Christi, licèt propter accidentia communia aliquo modo prædicationes hic possent recipi, quæ ibi recipiuntur propter commune subiectum. Magister tamen Guilhelmus Altiss. concedit prædicationes, quæ fiunt per ly fit, dans talem regulam. Omnes locutiones, quæ signant transitum concedendæ sunt, sicut hæ: panis transit in corpus Christi, vel transfertur, vel transubstantiatur, vel mutatur, vel fit Corpus Christi. Omnes illæ negandæ sunt, in quibus non signatur transitus, sicut istæ, panis est corpus Christi, panis erit corpus Christi, panis potest esse corpus Christi. Sed mirum est, ꝙ concedit illam, panis fit corpus Christi, quia fieri non dicitur aliquid nisi sicut terminus ad quem, quem admodum dicitur creatura fieri cum creatur, vel sicut subiectum commune manens, vt dictum est. Non autem dicitur fieri terminus à quo, nisi sumēdo fieri ordinaliter, sicut si diceremus, ꝙ mane fit meridies.i.post mane. Et sic fortè concedit illam, panis fit corpus. Sed ordinaliter non solet poni ly fit nisi mediante præpositione, dicendo ex mane fit meridies. Et secundum hoc sumendo ly ex ordinaliter, & non subiectiuè, quidam concedūt istas, ex pane fit corpus Christi, corpus Christi factum est ex pane, & hoc tota transmutatione importata per fieri intellecta circa panem, & nulla circa corpus Christi, vt dictum est.

Ad

Ad argu. princ.

Ad primum in oppositum, ꝙ substantia vel materia panis manet, quia non habet cõtrarium corrumpens: Dicendum ꝙ verum esset si ista conuersio fieret actione naturæ, quæ non fit sine cõtrario corrumpente quod non manet. Nunc autem, quia fit actione supernaturali, licèt non sit proprie corruptio: tamen benè potest non manere in se, quia manet quoquo modo in opposito termino, quod in nulla alia transmutatione contingit. Et ꝙ assumitur, materia panis est symbolum commune pani & corpori Christi: Dicendum ꝙ in transmutatione naturali, quia fit per contrarium, non fit alicuius corruptio, nisi quatenus est contrarium. Nunc autem secundum Philosophum 5. Metaph. Contrarium est vel extremum extremo, vt calidũ frigido, vel medium extremo. Quorum primum est per se contrarium formaliter. Propter quod non cessat forma agentis quousque illud omninò corrumpat. Secundum verò non est contrarium, nisi propter dispositionem intensi vel remissi in forma. propter quod cessat forma agentis à corrumpendo, cum intensum vel remissum ad æquale, & sibi proportionale perduxit. Talium enim neutrum ab altero natum est pati, aut corrumpi, sed potius conseruari. non enim corrumpunt nisi excellentiæ. Quare cum materia nulli habet contrarietatem, nec primo modo, nec secundo, oportet ꝙ maneat in omni actione agentis naturalis, quale non est agens in ista conuersione, sed supernaturale, quod potestatem habet super totam substantiam, propter quod potest ipsam substantiam panis in substantiam Corporis Christi cõuertere, nè maneat id quod erat, aut aliquid eius, non tamen annihiletur. quia tunc nõ conuerteretur, nec per eius annihilationẽ inciperet esse Corpus Christi vbi prius non erat. & quia non annihilatur, manet quoquo modo in eo in quod conuertitur, vt propterea videatur posse dici, quod tamen nõ assero ꝙ ly hoc, dicendo, Hoc est corpus meum, nõ solùm demonstrat quod est sub speciebus pro instanti finitæ prolationis & conuersionis factæ, vt ipsum Corpus Christi in quod facta est conuersio, secundum ꝙ alias exposuimus, sed ꝙ pro toto tempore prolationis demonstrat substantiam panis pro ipsa, & in dicto instanti demonstrat eam vt iam conuersa est in Corpus Christi, & sic non pro substantia panis, sed tantùmmodo pro eo in quod iam conuersa est, & in quo manet quo ad hoc ꝙ non annihilatur. Ex hoc enim solo ꝙ manet in illo, quoquo modo dicitur non annihilari, & per hoc demonstrat ipsum Corpus Christi in quod facta est conuersio, pro quo & verificat locutionem, nullatenus annihilato aliquo quod prius erat de substantia panis, nec tamen aliquo eius permanente, sed totaliter in Corpus Christi conuerso, & hoc potestate diuina, cui in hoc obediens est omnis creatura, vt in quamlibet conuerti possit pro libito suæ voluntatis absque omni annihilatione, & cuiusquam permanentia conuersi.

Argumentum in oppositum concedendum est.

Comment. in Quæstionem Nonam, quæ est,

Vtrum materia panis maneat post conuersionem.

ITVLVS videtur satis clarus, vt tamen adnotandum, sit illud, quod initio quæstionis adnotat Auctor etiam. Nempè quòd aliud sit quærere vtrum maneat materia panis, an vtrum maneat aliquid.

In corpore, quoniam primus articulus quæstionis multipliciter acceptus est, id multipliciter etiam reijcitur. Pro secundo verò habet Auctor conclusionem quæsito responsiuam. Vt autem facilè intelligatur Doctoris sententia, adnotandæ sunt nonnullæ propositiones, quæ ponuntur super primum articulum, & secundum.

Prima est substantia panis manet post consecrationem, ita quod in pane consecrato non est nisi corpus Christi figuratiuè.

Secunda est. Substantia panis non manet, quia annihilatur.

Tertia est. Substantia panis non manet, quia resoluitur ad materiam primam.

Quarta est. Forma panis transit in materiam panis, quæ in materiam Corporis Christi transmutatur.

Quinta est. Materia panis conuertitur in materiam Corporis Christi, manente materia panis sic quod vna fiat materia ex illis.

Sexta propositio est. Substantia panis non manet post conuersionem, non tamen annihilatur. Ita vt possit dici, quòd manet atque etiam non manet.

Istæ sunt propositiones, quæ de hoc negotio formatur in hac quæstione. quarum prima tanquam hæretica reijcitur per verba Euangeliorum, quæ interpretantur Augustinus & Ambrosius. Vt patet in litera.

Not. autem quod hanc præsertim propositionem secuti sunt impijssimi Berengarius, Vuitcleff, Vss. Hieronymus de Praga. Oecolampadius, Armeni maxima ex parte, cum Valdensibus, & Luthero, qui omnes in Sacris Concilijs condemnati fuerunt. & quidem nouissimè in Concilio Trident. reprobata est prorsus, & condemnata illa propositio, atque sententia. sess. 13. can. 9. & 2.

Secunda autem propositio reijcitur ab Auctore in præsentia. Quia Deus immediatè, & solus est causa per se eius, quod fit in isto sacramento. Iam verò Deus secundum Augustinum, nullius rei est causa tendendi in non esse. Quo fit vt panis non annihiletur.

Not. q̃ eandem propositionem reijcit etiam D. Thomas 3. p. quæst. 75. art. 4. & 4. sententiarum dist. 11. quæst. 1. ar. 2. &c. in 4. contra gent. cap. 68. & alibi, hac ratione. Quòd omnis annihilatio propriè terminatur ad nihil, sed conuersio panis, seu eius mutatio non terminatur ad nihil, igitur non annihilatur.

Cæterum contra huiusmodi sententiam est Scotus in 4. sententiarum dist. 11. quæst. 4. &c. arguit multipliciter, vt positam positionem reiectam ab Henrico, & D. Thoma tueatur.

Primò igitur arguit. Substantia panis præfuit; ergo annihilatur. Antecedens probatur, quia totum totaliter transit, materia in materiam, forma in formam. igitur &c.

Secundò. Panis præfuit, &c. modo nihil est nec in se, nec in alio. ergo annihilatur. Probatur antecedens, quia tunc Corpus Christi augeretur.

Tertiò. Terminus ad quem huius transitus est nihilitas panis, ergo secundum illam propriam rationem illa desitio est annihitatio, licèt concomitetur Corpus Christi.

Confirmatur. Tùm quia corruptio erit mutatio positiua, quia eam concomitatur generatio; tùm quia concomitantia Corpus Christi est per accidens; tùm quia si panis annihilaretur, eodem modo penitus se haberet, vt nunc, quando conuertitur in Corpus Christi, tùm quia terminus illius nouæ desitionis est noua negatio panis.

Quartò contra eandem sententiam arguit Durandus. Illud, quod non est magis in alio nunc, quàm prius, non est magis conuersum in aliud nunc, quàm prius, sed si panis non manet post conuersionem non est in sacramento tunc plus, quàm ante, vel prius. ergo &c.

Not. hoc argumento vnum è duobus colligere, vel q̃ materia panis remanet in Sacramento, vel quòd si illud sit inconueniens, annihilatur prorsus.

Quintò. Ille ipse arguit. Omnis terminus actionis fit per actionem, sed in conuersione panis in Corpus Christi, Corpus Christi est terminus, ergo per talem actionem attingitur. Sed si nihil fit in ipso, qualiter attingatur non est intelligibile.

Hæc in primis viri Doctissimi habent contra oppositam propositionis illius secundæ, quod est Doctoris, ac D. Thomæ conclusio. Quibus quoniam teneretur Auctor respondere, vice eius id nos in præsentia facere tenemur.

Not. autem, quòd oppositum illius propositionis est etiam propositio sexta, quam Auctor habet vt conclusionem quæsito responsiuam. Contra quam decet audire quid Scotus dicat in quolib. decimo. Ante omnia autem audire fas est, quomodo probet eam Henricus in præsentia. sua autem ratio est.

Panis non annihilatur, ergo panis non est nihil, ergo est aliquid. vbi not. q̃ intendit Henricus probare, q̃ panis post conuersionem non est nihil, sed aliquid.

Antecedens igitur probat, quia aliquitas panis manet in aliquitate Corporis Christi. Consequentiam probat ex oppositi consequentis. Et ex hoc probat vtrunque consequens. Panis non est aliquid, quod præfuit, quia panis conuersus est. Nec est aliquid extra terminum ad quem, s. extra Corpus Christi, quia tunc non esset conuersus in Corpus Christi, sed in illud, in quo esset, ergo est in Corpore Christi. Ergo est id, in quo conuersus est, s. in Corpus Christi, ita q̃ aliquid conuertitur in aliquid, s. panis in Corpus Christi.

Confirmat id ex Augustino, &c. Altissiodo. Vbi colligitur, quòd illud met Corpus panis post conuersionem est Corpus Christi, idcircò non est nihil, sed aliquid.

Cæterùm citato loco Scotus arguit contra hoc, quod dicit Auctor panem post conuersionem esse aliquid.

Primò sic. Quod nullo modo aliter se habet in se post conuersionem, quàm prius se habuit, nec aliquid in se aliter habet, nõ habet aliquam aliqualitatem, quàm prius non habuit. Sed Corpus Christi in se post conuersionem panis nullo modo aliter se habet, sed in se eodem modo, quo se habebat ante conuersionem panis, & post eodem modo se habet. Ergo sicut ante conuersionem corpus Christi non habuit in se aliqualitatem panis, nec aliquitas corporis aliquo modo in se erat aliquitas panis, ita nec post conuersionem.

Secundò. Esse termini ad quem conuersionis requirit non esse termini à quo. Ergo terminus ad quem conuersionis vt talis non habet in se entitatem, vel aliquitatem termini à quo consequentia patet. Antecedens probatur, quia si termini sint oppositi, esse vnius oppositi excludit esse alterius oppositi.

Hæc præsertim Scotus, quibus, &c. alijs respondere volentes adnotamus, quòd tota difficultas in hoc cõsistere videtur, quid sit hoc aliquid, quod manet. oportet. n. vt sit vel termini à quo, vel termini ad quem, vel quid intermedium, quod dari nõ potest, nec termini à quo, quoniam esset aliquid panis, quod etiam est contra fidem Catholicam, vt ex Concilio Sacro Tridentino videre licèt can. 2. vbi supra. Idcirco oportet vt sit aliquid termini ad quem, qui terminus cum sit corpus Christi, sine vlla prorsus substantia panis, videtur q̃ ibi nihil èst de eo, quod erat, & hoc videtur capi non posse. Quod tametsi intimius consideretur, videbitur panis aliquid esse post conuersionem, & quod hoc aliquid nihil aliud est nisi totum corpus Christi, vnde est terminus ipse ad quem, qui cum sit aliquid, sequitur q̃ panis ille sit aliquid, nempè corpus Christi. Panis. n. ille est, qui conuertitur in corpus Christi, conuertitur aut in nihil, aut in aliquid. Primum non est dicendum, quia Corpus Christi esset nihil, quoniam in ipsum conuertitur. Ergo in aliquid. Quod si conuertitur in aliquid, viderur contradictio; quòd sit panis conuersus in aliquid, &c. annihiletur. Quemadmodum cum aer conuertitur in aquam, non est dicendum, quod annihiletur aer, sed conuersus aer est aqua, sic conuersus panis est corpus Christi. Non est igitur adeò periculosa hæc Henrici opinio, quam sequitur etiam D. Thomas, vt vidimus; quemadmodum quidam dicunt, vt Hieronymus Gadius, qui scripsit in quolib. Scoti. Neque. n. laudat, vt existimat iste illam propositionem, qua dicitur. Panis fit corpus Christi, immò dicit Auctor se mirari quòd Altissiodo. eam concesserit, vt videre est in calce quæstionis ante responsionem ad primum. Nunc ergo respondeamus argumentis prioribus. dicentes.

Ad primum. Falsam esse consequentiam quod id quod præfuit. s. substantia panis non annihilatur, sed conuertitur, aliter non diceretur transubstantiatio. Si autem non ponit differentiam inter conuerti & annihilari, concedimus totum, sed nihil ad nos. Verum ponenda maximè est differentia, vt patet.

Ad secundum dicimus aliquid esse in alio, s. in corpore Christi. Et cum dicit, ergo corpus Christi augeretur. negatur consequentia, quoniam aliud est in alio, vel per additionem, vel per conuersionem in illo. Concedimus, q̃ si panis, qui præfuit esset primo modo in corpore Christi, q̃ corpus Christi augeretur, sed secundo modo negatur.

Ad tertium negatur antecedens. Quia terminus ad quem est panis in Christi corpus conuersus, &c. transubstantiatus. Panis. n. ille met, qui præfuit, conuertitur ita, quod substantia panis efficitur substantia Christi, materia panis efficitur materia corporis Christi, & forma forma pariter. Et certè si terminus ad quem esset panis annihilatio, ista non esset conuersio, atque transubstantiatio, sed potius ordo quidam, atque successio, nempè q̃ pane annihilato succederet corpus Christi. Quod non sentit secundus Canon Concilij Trident. vbi sup.

Ad confirmationem, primò dicimus, differentiam esse inter generationem &c. transubstantiationem. Quòd generatio est ex ente in potentia, ex appetibili formæ, &c. præsupponit corruptionem. Transubstantiatio autem nihil horum exigit. Vnde falsum est primum assumptum.

Secundo

Secundò dicimus falsum est, quòd concomitantia illa sit per accidens, quoniam terminus ad quem transmutationis proprius est per se, quoniam in omni transmutatione requiruntur termini huiusmodi à quo, & ad quem per se. Est autem terminus ad quem corpus ipsum Christi, qui respectu transubstantiationis ex vi verborum est per se, ex immutabili ordinatione diuina, & hoc Vniuersaliter, tametsi particulariter respectu agentium particularium possit esse per accidens, sed tunc ipsa transubstantiatio est per accidens.

Tertiò dicimus, quòd falsum est, quod tertio loco assumitur, ex supposito falso; supponit nanque quòd esset conuersio, & staret transubstantiatio cum annihilatione, quod falsum est, vt supra diximus, quia nihil non potest esse subiectum alicuius transmutationis.

Quartò pro quarto, q ad negationem non sequitur annihilatio, quoniam etiam quando ex aere fit aqua, aer desinit esse ita, vt de ipso possit formari propositio negatiua, dicendo, aer non est, videlicet aer, qui præfuit, non est amplius aer, sed ad hanc negationem non sequitur annihilatio, nam si aer non est aer, est tamen aqua, sic si panis non est amplius panis, est tamen corpus Christi.

Ad aliud, quod est primum Durandi, concedimus non solum materiam panis, sed etiam formam panis remanere, sed conuersam in materiam, & formam corporis Christi, sicque transubstantiatam, mutatamque in totum corpus Christi, vt idcirco dici possit, quòd manet, & non manet. Non manet vt panis est; manet verò vt corpus Christi est. Alio ergo modo manet quàm prius, non eodem modo. Eodem autem modo nequaquam manet.

Ad vltimum Durandi. Attendat Durandus quis nam sit terminus conuersionis. Est quidem corpus Christi, sed non simpliciter, verum quatenus in ipso conuertitur substantia panis, secundum quod attingitur ipsum corpus Christi. Vnde si nihil fit circa corpus Christi per virtutem actionis, tamen fit circa panem, qui conuertitur, ad quod per quandam concomitantiam sequitur attinctio ad corpus Christi.

Hæc excogitauimus, vt prioribus argumentis, respondere mus, quicunque alias autem responsiones desideraret, petat Thomistas, maximè Capreolum, & Soncinatem in 4. Accedamus modo ad alias Scoti rationes.

Ad primamque dicamus, quòd est eadem, quam format Durandus primo loco. Vnde fortè Durandus eam assumpsit à Scoto, quocirca eadem responsione possumus satisfacere etiam ipsi Scoto in præsentia. Sed tamen secundò dicendum est, q non valet argumentum, ab esse corporis Christi ad esse panis, quoniam illud mutatum non est: hic autem mutatus est, vnde aliter & aliter se habet. Prius quidem cum esset in termino à quo erat panis simpliciter: in termino verò ad quem panis quidem, sed non simpliciter, sed in corpus Christi mutatus, atque conuersus, resinens ad hoc nomen panis, iuxta illud: Panis quem ego dedero, caro mea est pro mundi vita. Et, Ego sum panis viuus, & qui manducat hunc panem. & panis dicitur Angelicas &c. Et si ergo corpus Christi aliter & aliter nequaquam se habet, post conuersionem, quam prius; tamen panis aliter & aliter se habet, quia panis sit quidem prius, vt ita dicamus, terrestris, ac temporalis, deinde post conuersionem sit panis cœlestis, atque diuinus.

Ad secundum, concedimus antecedens, quòd esse termini, &c. sed tamen terminus ad quem non requisit non esse simpliciter existentis in termino à quo, sed solùmmodo quatenus est in termino à quo, vnde esto aer conuertendus in aquam, si est aer, est in termino à quo, in hoc autem si permanebit nunquam fiet aqua; si recesserit fiet aqua, & tunc perdet esse, non simpliciter, sed esse in termino à quo, sic in proposito. Terminus ad quem huius conuersionis est corpus Christi, qui requirit non esse termini à quo, scilicet existentis in termino ad quem, non simpliciter, sed quatenus existentis in illo termino, à quo cum recedit conuertitur in corpus Christi, sic itaque patet quomodo intelligenda sit tum secunda propositio, cum etiam sexta, quam habet certa conclusione, eodem prorsus modo, quo & Richardus eam tenet in 4. Sentent. dist. 11. quæstionibus prima, secunda, & tertia prioris articuli.

QVAESTIO DECIMA.

Vtrum hæc sit forma consecrationis sanguinis. Hic est calix sanguinis mei, &c.

Arg. prim. TERCIA tertium arguitur, q in his verbis, Hic est calix sãguinis mei, consistit forma sanguinis, quia nisi verbis istis prolatis iam facta esset conuersio, & ibi esset sanguis falsa esset ista prolatio, consequens falsum est. ergo &c.

In oppos. Contra. Luc. 22. dicitur, Hic est calix noui testamenti in meo sanguine, vbi aliquid interponitur, nec magis determinatum de dicto vnius Euãgelistæ, quam alterius, in quo forma verborũ consecrandi consistat. ergo &c.

Responsio. Dicendum, q generaliter in illis, quæ pertinẽt ad fidelium obseruantiam, inquantum in facto cõsistit, maximè vbi simpliciter nihil certi determinat scriptura, tenendus est vsus ecclesiæ, qui ab Apostolis deriuatur, qui multa in obseruantijs dimiserunt ecclesiæ, quæ in scriptis authenticis non redegerunt. Quare cum forma verborum consecrationis in facto puro consistit, & ad obseruantiam pertinet eorum, quæ Christus fecit, & facienda instituit, nec de illa aliquis Apostolorum certũ quid expressit, eo quòd verba in quibus consistit forma, & per quæ habet fieri conuersio, à diuersis Euangelistis, quibus in hac parte exhibetur auctoritas, diuersimodè exprimuntur, & in numero & in ordine, & qualitate verborum, de forma igitur verborum consecrationis in hoc sacramento tenendus est firmiter vsus ecclesiæ super hoc, qui in Missali conscriptus est, qui creditur traditus esse ab Apostolis, & hoc secundum formam secundum quam viderunt, & audierunt Christum consecrasse. Sed cum plurima verba contineantur, vbi certum est contineri formam verborum super consecratione sanguinis, quæ connexa sunt, cum dicitur vt habetur in Missali, Hic est calix sanguinis mei noui, & æterni testamenti mysterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remissionem peccatorum; certum tamen nõ est vtrum omnia verba hęc sint de forma, vt non nisi omnibus prolatis sub vno contextu fiat consecratio, an aliqua illorum. Vnde quia in dubijs secundum Augustin. semper tenendum est certum, & dimittendum incertum, & hoc præcipuè in fa-

facto, quànquàm propter aliquas persuasiones potius videatur verum minus certum: idcirco in cõsecratione sanguinis cum summa diligentia, & intentione omnia verba prædicta sub vno contextu sunt proferenda, quia certum est, ꝙ tunc consecratum est, cum oia dicta sunt, nec est super hoc tanta certitudo parte aliqua verborum prolata. Æstimatur tamen ab aliquibus ꝙ illud vltimum. Qui pro vobis &c. potius pertineat ad effectum sacramenti iam consecrati per præcedens, quàm ad formam, & necessitatem consecrationis. Vlterius arbitratur ab aliquibus, ꝙ pars illa, Noui & æterni testamenti mysterium fidei, potius exponit virtutem sacramenti, q̃ pertineat ad formam eius, & ad consecrationis necessitatem, vt secundum hoc in solis verbis illis, Hic est calix sanguinis mei, consistat forma verborum, quibus completè dictis sta tim consecratum est. & hoc quia verba, quæ sunt de forma huius sacramenti, non tantùm sunt significatiua, sed & effectiua eius quod significant, & hoc per assertionem, quæ exercetur in ipsis. Quare cum verba dicta non sunt assertiua eius quod pertinet ad veritatem huius sacramenti, nisi quo ad illa, Hic est calix sanguinis mei, totum autem residuum potius asserit conditionem sacramenti quo ad eius virtutem, & efficaciam, in illis solis ergo verbis, Hic est calix sanguinis mei, vt videtur tota forma verborum consistit. & hoc nõ minus, quàm in consecratione corporis forma verborum præcisa consistit in his verbis, Hoc est corpus meum, vt secundum hoc plena sit conformitas verborum cõsecratiouis & corporis & sanguinis Christi. Quod ego potius arbitrarer si in tanto mysterio aliquid liceret arbitrari. Sunt tamen aliqui qui dicunt, ꝙ omnia, quæ sequuntur dicta verba, Hic est calix sanguinis mei. illa, Noui & æterni &c. sunt etiã de substantia formæ, ea videlicet ratione ꝙ sunt quædam determinationes sanguinis, & ideò pertinent ad integritatem locutionis, & ad integritatem consecrationis, licèt per prima, Hic est calix sanguinis mei, significetur ipsa conuersio vini in sanguinem, eo modo quo in forma consecrationis panis. Sed planum est, ꝙ illa ratio falsum supponit: Illi enim genitiui Noui & æterni non sunt adiectiua huius substantiui sanguinis, sed illius scilicet testamenti, vt patet ex verbis, quæ ponit Lucas, assumptis in argumento contra. Quod etiam patet costruenti & punctanti post illa verba Noui & æterni. Tunc enim nullius sensus perfectionem importarent verba sequentia, Testamenti mysterium &c. Et construuntur ambo illi genitiui sanguinis testamenti, cum illo nominatiuo calix tranſtiuè, subintellecta copula, & post ly mei, & ly mysterium construuntur cum illo nominatiuo calix specificè. Et quod addunt ꝙ per prima verba, Hic est calix sanguinis mei, significatur conuersio vini in sanguinem eo modo, quo in forma consecrationis panis, dicendo, Hoc est corpus meum, patet ꝙ aperta est contradictio. Cum enim, vt dictum est verba ista non solùm sunt significatiua, sed & effectiua eius, quod significãt: si ergo per illa verba, Hic est calix sanguinis mei, significatur conuersio vini in sanguinem, sicut per illa, Hoc est corpus meum, significatur conuersio panis in Corpus Christi: ergo illa efficiunt conuertionem vini in sanguinem, sicut ista panis in corpus. Quod si sic, nullum ergo verborum consequẽtium est de forma, vt dictum est.

Argumenta pro & contra nõ habent efficaciam nisi probabilem. maior tamen efficacia videtur esse in primo, quàm in secundo, quia procedit secundum pertractationem iam dictam, probando ꝙ in illis solis verbis, Hic est calix sanguinis mei, sit tota forma. Potest tamen responderi ad medium, cum dicitur, nisi in his verbis forma consisteret, falsus esset sermo ille, Hic est calix sanguinis mei, quia in veritate non esset ibi sanguis ipsis prolatis. Et est dicendum, quòd secundum ꝙ aliàs dictum est, & iam tactum est supra de forma verborum in consecratione corporis ly hoc non demonstrat aliquid pro tempore suæ prolationis, sed pro termino prolationis totius sermonis, & secundum hoc veritatem habet ille sermo, Hoc est corpus meum. Sic dico in proposito, ꝙ demonstrat ly hic nõ pro tempore in quo profertur nec solùm pro tempore in quo profertur illud, Hic est calix sanguinis mei, sed etiam pro tempore in quo profertur totum residuum. Et similiter ꝙ ille sermo, Hic est calix sanguinis mei, non significat & asserit aliquid pro tempore, in quo ipse profertur præcisè, sed pro toto tempore in quo ipse cum toto residuo profertur. Vel potest dici ꝙ ly hic non demonstrat nisi substantiam vini, vt est aliquid quod est in se vsque ad prolationem totius, & toto prolato demonstrat sanguinem Christi, & vinum non nisi pro eo quod habet esse in illo, sicut iam supra dictum est de demonstratione ly hoc circa substantiam panis. & secundum hoc verba illa prima nihil significant vel asserunt perfectè vsque ad prolationem totius, & ideò nec prius aliquid efficiunt.

Ad argu. princ.

Ad secundum ꝙ Lucas aliquid apponit quod non posuit alius Euangelista, qui ponit præcisè illa verba, Hic est calix sanguinis mei. Dicendum ꝙ etsi aliquid apposuit Lucas, hoc non fecit ad exprimendum aliquid quod erat de forma, sed potius pertinens ad expositionem virtutis & efficatiæ sacramenti, vt dictum est.

Ad secundum.

Comment. in Quæstionem Decimam, quæ est,

Vtrum hæc sit forma consecrationis sanguinis. Hic est calix sanguinis mei, &c.

ITVLVS clarissimus. Not. tamen ꝙ quæstio hæc pertractari potest dupliciter. Primò quo ad certitudinẽ. Secundò quo ad veritatem, vt secundum certitudinem quæratur, an hæc sit certa forma, ita vt aliquo verborum ipsius dimisso adhuc certa sit forma. Et not. diligenter, ꝙ subaudienda sunt cætera omnia verba secundũ ꝙ sunt in Ecclesiæ vsu prolata. Iuxta verò alteram quæstionẽ est ac si quæratur, an omnia illa verba verè pertineant ad formam eius, ita vt non possit aliquod ipsorum dimitti.

In corpore duplex conclusio iuxta duplicem quæstionem, &c. reiectio oppositarum opinionum.

De primo. Prima conclusio communis cum Scoto, D. Thoma, Richardo, ac alijs pluribus est; certa forma consecrationis sanguinis consistit in omnibus illis verbis, ita vt aliquo dimisso non esset ita certa forma consecrationis.

Probatur hæc conclusio. Ea, quæ in puro facto consistunt, & à Christo præcepta sunt, &c. non præcisè expressa, certa magis non sunt, quam ex vsu continuato Ecclesiæ. Sed consecratio sanguinis est eorum, quæ &c. Igitur in ea tenendus est vsus Ecclesiæ. Iam verò ex vsu Ecclesiæ forma est. Hic est calix sanguinis mei noui, &c. æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis, &c. pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Quæ consecrationis forma diligentissime declaratur à Gabriel. Biel. lect super can.

Secunda conclusio. Vera forma consistit in illis verbis. Hic est calix sanguinis mei.

Not. ꝙ hanc conclusionem non probat Auctor, nisi per hoc, ꝙ si in tanto misterio licèt aliquid arbitrari, ea videtur verior, quia conformior illi, qua consecratur panis, quæ est. Hoc est corpus meum.

Not. ꝙ ad hanc sententiam veniunt etiam D. Bonau. Alensis, Albertus Magnus, &c. Gabr. Biel. quorum ratio est, ꝙ illa sunt vera verba attinentia ad veram formam, per quæ fit transubstantiatio, sed dicendo. Hic est calix sanguinis mei, hæc verba sunt, per quæ fit, &c. cætera verò sunt declaratiua quarundam conditionum, quibus sacramenti huius excellentia manifestatur, & effectus sanguinis in hoc sacramento contenti, & in cruce effusi, & nihil significant ad transubstantiationem pertinens. igitur &c.

Contra autem D. Thomas 3. p. quæst. 78. art. 5. tenet oppositum, quam sententiam tùm Auctor, cùm etiam cæteri reijciunt, quia nolunt illa verba omnia esse partes illius orationis, vt puta illa noui, & æterni testamenti, dicit Auctor, quòd sunt attinentia ad testamentum, non ad sanguinem.

Sed certè quicquid sit de hoc, vnum id est omnibus commune, ad quod fortè potissimum respexit D. Thomas, &c. Scotus. Quod valde periculosum esset dimittere aliquod verborum consecrationis, quando hæc illa videatur, qua vsus est Christus in sacra cœna.

QVAESTIO VNDECIMA.

Vtrum cum voto virginitatis stet perfectum, & verum matrimonium.

Arg. prim. CIRCA quartum arguitur, ꝙ cũ voto virginitatis simpliciter non stat verum, & perfectum matrimonium, quia tradens marito potestatem plenam sui corporis, consentit in carnalem copulam, quia ad illam tradunt corpora sua in matrimonio mutuo inter se cõtrahentes. hoc autem repugnat voto virginitatis simpliciter, dicente Hier. Vouentibus non solùm nubere, sed velle nubere damnabile est, sed sic tradit potestatem sui corporis marito contrahens verum & perfectum matrimonium. ergo &c.

In oppos. Contrarium apparet in Dei genitrice Virgine Maria, quæ verum & perfectum matrimonium cõtraxit cum Ioseph, & habuit votum Virginitatis simpliciter.

Respons. Hic solet distingui de tempore emissi voti, quia aut emissum est ante matrimonium contractum, aut post. Et dicunt ꝙ si primo modo (ut dicunt aliqui) ꝙ cum uoto uirginitatis simpliciter emisso non stat uerum matrimonium, nec post tale uotũ potest aliqua persona sine peccato consentire matrimonio, tũ quia periculo, immò necessitati amittendi virginitatem se exponere vellet in dando viro potestatem plenam corporis sui, tùm quia per hoc in carnalem copulam, & virginitatis amissionem quoque modo consentiret, ad minus implicitè. Sed cum voto virginitatis simpliciter, & solemni emisso post matrimonium, & ante copulã, benè stat verum, & perfectum matrimoniũ absq; omni peccato, & discrimine. Vnde dicunt, quòd Maria sciens vtrũque bonum magnum, virginitatem scilicet, & fœcunditatem, vtrunque illorum amabat & desiderabat, sed virginitatem tanquam optimum, & Deo acceptissimum præferebat, dicẽte August. in sermo. quodam de natiuitate virginis. Hæc duo ipsa iucundius amabat, virginitatẽ scilicet & fœcunditatem. Virginitatem, quia hanc Deo per omnia placere intelligebat. Fœcunditatẽ, quia sine hac maledictum legis, quæ adhuc carnaliter custodiebatur, incurrere metuebat. Vicit tamen amor in ea seruandæ virginitatis. Virgo igitur totam intentionem suam, totum amorem suũ, totum studium suũm ad hoc intendit, vt corpus suum, & animam Deo virginitate perpetua consecraret. Sciebat, quia quantò sanctius eam conseruaret, tantò sublimius ei, qui omnium castissimus; immò, qui ipsa castitas est, appropinquaret. Et ꝙa sic virginitatem præferebat, studium habuit, atq; desiderium ipsam consecrandi per votum, & solẽne votũ, quia sciebat opera perfectionis esse perfectiora, & magis laudabilia, cum ex voto celebrant. Verùm, quia lex Moysi adhuc carnaliter obseruabatur, vt oporteret tàm viros, quàm mulieres carnali generationi insistere per matrimonium: ideo-

quo

que ipsa maledictum legis si non contraheret, & generationi prolis ex viro vacaret, metuebat incurrere, non creditur (vt dicunt) vouisse virginitatē antequàm desponsaretur Ioseph, licet eam in desiderio habuit, quod tamē diuino arbitrio committens, vt legis maledictum euaderet se Ioseph matrimonio copulauit, secundum ꝙ mores illius tēporis exigebant, sed postmodum simul cum eo votum virginitatis emisit. Alijs verò videtur, ꝙ ante matrimonium vouit, sed tantùmmodo voto simplici expresso in corde, cum firmo proposito tenēdi ipsum. & hoc non absolutè, sed sub conditione, nisi Deus aliter ordinaret. Et ideò diuinitus certificata ex speciali Spiritus Sancti consilio ꝙ Ioseph erat in consimili proposito, virginitatem suam Deo committens, Ioseph se matrimonio coniunxit, & potestati eius tradidit, & consensit simpliciter & absolutè in copulam coniugalem; trādendo alteri corporis sui potestatem, in quo consensu consistit verum, & perfectum matrimonium quantum est de prima perfectione rei quam attingit ex forma sibi essentiali, & ex fine suo intra. Forma enim essentialis matrimonij non est, nisi indiuisibilis coniunctio animorum in traductione potestatis corporum, per quam coniuges sibi mutuo fidem cōseruare tenentur. In copulam autem carnalem (vt dicunt) non consensit simpliciter & absolutè, sed solummodo sub conditione, si Deo placeret, ꝙ. s. copularetur carnaliter, qd & Deo non placuit, sed vt vouerat consensum viri obtinuit, qui in consimili desiderio erat, & sic post contractum matrimonium cum ipso solenne votum virginitatis emisit. Et est opinio magistri sententiarum lib. 4. dist. 30. cap. Præmissis. vbi dicit sic. Sane credi potest non solùm Mariam, sed etiam Ioseph apud se disposuisse seruare virginitatem, nisi Deus aliter iuberet, eosq; sic consensisse in coniugalem societatem, vt vterque de altero reuelante Spiritu Sancto intelligeret ꝙ virginitatem seruare vellet, nisi Deus aliter inspiraret. Sed illam voluntatem verbis non expressērant, postea verò expresserunt, & in virginitate permanserunt. Consensit ergo Maria in maritalem societatem, sed non in carnalem copulam, nisi de ea Spiritus Sanctus præciperet, cuius consilio in maritalem consensit copulam, &c. Quod confirmat ibidem auctoritate Augustī. Vnde si prolem diuinitus non concepisset, matrimoniū illud non fuisset perfectum quantum est de perfectione rei secunda, quam attingit exercendo opus debitum formæ, quo consequitur finem suum extra. Opus enim extra est carnalis copula, quo proles, quæ finis est extra, procreatur. Quæ quidem copula, quia non erat consecuta, quo ad hoc non fuit perfectum matrimonium. Sed quia in actu, qui est propria rei operatio non consistit rei perfectio, nisi quia per ipsum assequitur finem, ita ꝙ si absque omni operatione res aliqua finem suum consequitur, non est ex hoc imperfectior, immò multò perfectior, q̄ si operatione illam attingeret, dicente Philosopho in 2. cœli & mundi, ꝙ quędam sunt res imperfectæ, quæ nulla operatione perfectionē possunt attingere, quædam verò pluribus operationibus suam perfectionem attingunt, quædam verò paucioribus, aut vna, & modica, quæ ideò perfectior est: quædam verò habet suam perfectionē absque omni operatione, & illa est perfectissima, licèt ergo matrimonium Mariæ cum Ioseph operatione copulę carnalis perfectionem non habuit: non minus tamen perfectum fuit. dicente Ambrosio in libro de virginitate, vt habetur 27. quæst. 2. cap. Cum initiatur. Defloratio virginis non facit coniugium, sed pactio coiugalis. Denique cum coniungitur viro coniugium est, non cum viri admixtione coniungitur. Super illud Pactio est. Glos. scilicet consensus de præsenti. Sed hoc maximè in matrimonio Mariæ, quia licèt matrimonium inter ipsam; & Ioseph ex matrimonio per carnalem copulam non habuit prolem progenitam, tamen prolem habuit matrimonialiter à Maria & Ioseph educandam, & idcirco simpliciter perfectionem matrimonij, quo ad bonum prolis, & finem eius, licèt absque copola carnali, & ideò perfectius habuit. Omne itaque (vt dicit Augustinus primo de nuptijs & concupiscentia) nuptiarum bonum impletum est in illis parētibus Christi, proles, fides, & sacramentum. Prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum. Fidem, quia nullum adulterium. Sacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptiarum concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine vlla cārnis concupiscentia. Vnde & per talem prolem hic cōceptam virgo Maria maledictum legis euasit. dicente Augustino in sermone prædicto. Dedit ergo ei ut & virgo, quod magis optabat permaneret, & ut nemo illam à maledicto legis liberrimam dubitaret, fœcunda fieret. Et unde fœcunda? fœcunda Spiritu Sancto, qui omnia fœcundat. ut secundum hoc edictum legis quantum ad intentionem Legislatoris de matrimonium contrahendo non erat, nisi propter prolem habendam ex copula, ita ꝙ si posset aliqua haberi proles sine copula, casum istum intellexit Legislator exceptum, vt simul existens perfectus Legislator & Epieices, ut talis mater intelligeretur excepta à legis maledicto & edicto si nec matrimonium contraxisset, sicut nec copulam sustinuit. Vnde in edicto legis & maledicto non erāt nisi sterilitas & subtractio partus voluntaria. Deuteron. 6. & 7. Non erit apud uos sterilis utriusque sexūs. Propter quod causa contrahendi matrimonium in Maria non fuit proles ex matrimonio generanda, sed educanda, & ut suspitio tolleretur, qua de incestu genuisse suspicaretur. Sic ergo dicunt ꝙ uotum Mariæ, quia simplex fuit, uerum matrimonium contraxit, quia nō uotum simplex, sed solenne impedit matrimonium contrahendū, & quiq sub conditione fuit, super qua reuelatione diuina certificata erat, & in illa conditione con-

tinebatur implicitè dispositio Dei de eius consensu in matrimonialem copulam: ideò nō peccauit. & licèt non consensit in carnalem copulam, quia talis huiusmodi consensus non fuit appositus & expressus, ideò matrimonium nō impediuit, quia expressus impediuisset, quia. s. est contra bonum matrimonij. s. prolem procurandam, & omnis talis cōditio apposita omninò tollit matrimonium. & sic nec implicitè in carnalem copulam consensit, quia nec super hoc consilium Spiritus Sancti habuit. Quo ad hoc ergo, ꝙ dicunt aliqui Mariam ante matrimonium affectasse, & desiderium habuisse seruandæ virginitatis, benè verum est, quia fortè non cōtinuò post habitam discretionem habuit deliberationem de virginitate perpetuò conseruanda, nisi statim habuisset reuelationem Spiritus Sancti, quam fortè non habuit. Ex deliberatione enim virginitatem se seruaturam, sine reuelatione, aut aliqua certificatione nō disposuit, aut voluntate etiam absque voto firmauit, quoniam si absolutè vouisset, aut disposuisset custodire perpetuam virginitatem absque aliqua certificatione, aut reuelatione super hoc habita, & maximè si voluntatem suam super hoc voto etiam simplici cōfirmasset, quàmuis sub cōditione tali, nisi Deus aliter disponeret, & inspiraret ei, ꝙ eam vellet consentire in copulam, tñ quantum est ex se, simpliciter copulam abnegauit. Talis enim conditio de voluntate superioris pro non adiecta habetur.

Et sic quantum est de se legi contrariaretur voluntate, etsi non voto solemni expresso verbis, & voluntate etiam absque omni voto, siue contrahens matrimonium siue non contrahens peccasset, & non minus absque voto, quàm cum voto, & sine matrimonio, q̃ cum matrimonio, quia si cum matrimonio, tunc cum hoc ꝙ contrariaretur legi per voluntatem, periculo cōtrario voto se exponeret. Propter quod dicitur. 27. quæst. 2. in §. Sed quare. Quia nunq̃ se cognituram proposuerat, sed cōtra suum propositum postea consensit in carnalem copulam, rea facta est voti virginalis mente, etsi non corpore violati. quod de ea sentire nefas est. Propter quod quæstioni respōdendo inducit cap. Augustin. Beata Virgo proposuit se seruaturam virginitatem, nisi Deus aliter reuelaret. Committens ergo virginitatem suam diuinæ dispositioni cōsensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed diuinæ inspirationi in vtroque obediendo. Gloss. super illud. Reuelaret. Inde est, ꝙ licitè potuit cōtrahere matrimonium Deo reuelante, etsi vouisset etiam solemniter, quia votum fuit sub conditione. Immò quantuncunque absolutum sit votum, semper intelligitur excepta auctoritas maioris, vt extra de iureiuran. Venientes. Si ergo vt mihi videtur, Beata Virgo etsi ante matrimonium affectum & desiderium seruandæ virginitatis habuit absq; reuelatione, aut certificatione, nihil super hoc firmauit siue voluntate simplici, siue voto. Sic ergo necesse est ponere, ꝙ reuelationem, aut certificationem habuit de præseruantia in virginitate antequàm super hoc aliquid voluntate firmauit, aut vouit, postquàm autem talem certificationem habuit; æqualiter voluntate firmare, & vouere etiam solemniter quantum est ex se potuit. Quare cum huiusmodi certificationē æqualiter potuit habuisse ante matrimonium, & post: æqualiter ergo ante & post potuit vouisse etiam solenniter quātum erat ex se. Quòd autem dicta opinio dicit secundū prædictum modum Mariam prius se matrimonio Ioseph coniunxisse, q̃ vouisse, non videtur mihi tenendum. quia Augustin. in principio de sancta virginitate videtur significare eam primo vouisse, deinde contraxisse, & tertio filium Dei concepisse. dicit enim sic. Prius quàm conciperetur iam Deo dicatam de qua nascaretur elegit. Hoc indicant verba, quæ sibi fœtum annunciāti Angelo Maria reddidit. Quomodo (inquit) fiet istud, quoniam virum non cognosco: Quod profectò non diceret nisi Deo se virginem ante vouisset. Ecce quia ante vouit q̃ concepit. Quod verò ante vouit, q̃ nupsit, indicat quod immediatè sequitur. Sed quia hoc Israelitarum mores adhuc recusabant, desponsata est viro iusto. Sed ne aliquis posset dicere, verum est, sed prius q̃ vouit, sequitur continuè. Non violenter ablatura, sed potius contra violentias custoditura quod illa iam vouerat non violenter ablaturo. s. nec à viro volente eam violare, violaretur, vt Christus de ea virgine existente conciperetur. secundum ꝙ præmisit ante verbum præassumptū dicens. Ideòque virginitas eius gratior & acceptior, quia non eam conceptus Christus viro violaturo, quam conseruaret, præripuit, sed prius q̃ conciperetur &c. vt iam supra. Non præripuit voto castitatis post coniugium emisso, sed iam Deo dicatam ante. s. coniugium elegit. Quod benè indicat Augustin. in eo ꝙ addit. Iam illa vouerat. Quid inquam vouerat de præterito, nisi ꝙ propter Israelitarum mores desponsanda esset viro iusto non eam violaturo, sed custodituro. Quod eam vouisse prius nullo modo erat opportunū, nisi vt prius q̃ sciret ꝙ Christus de ea nasceretur voueret libere absque alterius consensu ante contractum matrimonium, ne iam contracto matrimonio de eius consensu voueret, vt de cætero non haberet necessitatem seruiendi ei in copula carnali etiam si vellet. & in hoc exemplum esset virginum futurarum, vt scilicet ante matrimonium vouerent. & sic gratiosior esset Virginitas. Mariæ dependens ex absoluta electione propria, non ex consensu viri & necessitate seruiendi eidem. vt sic secundum Anselm. virgo tanta puritate polleret, qua maior sub Deo esse non posset. Vnde & ꝙ filium Dei esset concepturā nō prius nouerat, q̃ ipsi iā in matrimonio existenti hoc Angelus nunciauit. Hinc Augustin. cōtinuè post uerba prædicta. Quod ipsa iam nouerat, subdit. Quànquàm etiam si hoc solùm dixisset. s. quomodo fiet istud, nec addidisset quoniam uirum non cognosco, non quæsiuisset utique promil-

missum sibi filium quomodo fœmina paritura esset si concubitura nupsisset. Poterat & nubere & Virgo permanere, in qua Dei filius formam serui congruenti miraculo acciperet, sed exemplum sanctis futura uirginibus, ne putaretur sola Virgo esse debuisse, quæ prolem etiam sine concubitu concipere meruisset, uirginitatem Deo dicauit: cum adhuc quid esset conceptura nesciret, ut in terreno mortalique corpore cœlestis uitæ imitatio uoto fieret, non præcepto, amore eligendi, non necessitate seruiendi. Itaque Christus nascendo de Virgine, quæ antequàm sciret quis de illa fuerat nasciturus, uirgo statuerat permanere, uirginitatem sanctam approbare maluit, q̃ imperare, & sic etiam, ut in ipsa fœmina in qua formam serui acciperet, uirginitatem esse liberam uoluit. Vnde quia multò liberius est uotum uirginitatis non dependens ex consensu uiri post matrimonium, & multo purior non consentiendo simpliciter in copulam carnalem, q̃ sub quacunque conditione, etiam sub illa si Deo placeret, quæ semper intelligeretur, etsi non apponeretur, & sic ut dupliciter esset exemplum futura sanctis uirginibus, uouit ante conceptum partus cœlestis, ne putaretur sola Virgo esse debuisse, quæ prolem sine concubitu concipere meruisset, & etiam ante contractum coniugium, ne putaretur consimili ratione nulla Virgo esse debuisse quin prius coniugio copularetur. Sic ergo dicendum ꝙ Maria ante matrimonium uouit, sed non nisi certificata de perseuerantia sua in uirginitate. Quod etiam intellexit Augustin. per id quod dixit supra: Quod ipsa iam nouerat. Propter quã certificationem contraxit absq; omni periculo de uirginitate amittenda, & non cõsensit in copulam carnalem, nisi sub conditione nisi Deus aliter ordinaret, quam apposuit non quia dubitauit se uirginem perseueraturam: secundum.n.ꝙ dicitur in §. sed quare. nouit se Maria Virginem perseueraturam. Vnde Angelo ait. Quomodo fiet istud quoniam uirum non cognosco, sed illam cõditionem apposuit, quia illam certitudinem à se ipsa non habuit. Sed est intelligendum ꝙ in carnalem copulã potest esse consensus dupliciter, uel quo ad actum copulæ, uel quo ad potentiam copulandi. Et propter ueritatem matrimonij secundum legem celebrandum, ut dictum est, consensit simpliciter in potentiam copulandi si maritus petere uellet, & hoc uel implicitè uel explicitè. Implicitè enim illa consensit, quæ nec omninò in contrahendo de copula cogitauit. Sed propter voti integritatem non consensit in actum copulæ carnalis, nisi sub conditione dicta, sciens ꝙ nunquàm peteret, aut si peteret ꝙ Deo disponente nunquàm ad actus executionem perueniret. & propter simplicem consensum in potentiam, & cõsensum in actum, licet sub tali conditione expressum, verum erat & perfectum matrimonium modo prædicto. Vnde qui per sponsalia promisit se contracturum matrimonium, si propter promissum implendum contrahit de præsenti, & nulla apponatur conditio expressa, & non consentiat in actum copulæ omninò, verum contrahit matrimonium, si tamen consentiat in potentiam tradendo se simpliciter potestati mulieris, licèt cum firmo proposito sese statim subtrahendi propter ingressum religionis. Est tamen in proposito perfectum votum circa actũ, quia illa conditio votum non impedit, & apponere eam necessarium non fuit. Licèt enim conditio dependens à voluntate humana apposita impedit votum simpliciter, vt si qua voueat virginitatem si placet matri suæ, illa tamen quæ pendet omninò à voluntate diuina, non impedit, nec votum diminuit, quia subintelligitur semper etsi non apponatur. Vnde siqua alia sub lege vouisset sicut Maria vouit, non certificata, ipsa contra legem egisset & peccasset, nec votum valuisset. Si qua verò modo post edictum Ecclesiæ, ne valeat matrimonium post solẽnitatem voti, quam instituit Ecclesia, post votum tale contrahat matrimonium non consentiendo in actum copulæ, sed in alia & etiam in potentiam ad copulam: modo quo beata virgo consensit, etsi fortè matrimonium cõtraheret verum, sicut & beata Virgo contraxit, tamen si non esset certificata de actu, ꝙ sic à domino prouideretur sibi ne vnquàm veniendi ad actum haberet necessitatem, ipsi sic velle nubere damnabile esset, quia contra edictum Ecclesiæ faceret, & periculo faciẽdi contra votum se exponeret, & sic etiam implicitè in copulam consentiret facto, licet explicitè dissentiret animo. Sed vbi est certitudo de voluntate diuina, consensus in potentiam nullo modo ponit consensum in actum, nec ét implicitè, quia tunc non dependet sic potentia à voluntate viri ꝙ possit reduci ad actum stante illa certificatione. quemadmodum prædestinatus licèt absolutè potest damnari, actum tamen impossibile est poni stãte prædestinatione. Vnde quando cõsensus in potentiam propter certitudinem nullo modo implicat obligationem ad actum, nullo modo derogat voto quia votum non est, nisi respectu actus, & intentionis exercendi actum. E conuerso autem dissensus in actum nullo modo derogat matrimonio, quia petere vel non petere actum, relinquitur voluntati contrahentium. Possunt enim ex consensu superueniente se obligare ad non petendum. Quia vt dicit August. sanctiora sunt connubia pari voto continentium, in Epistola ad Editiam. Et similiter ex consensu precedente eadem ratione, dum tñ sit in vtroque potentia, vt actum non excludat necessitas, sicut contingit in spadonibus, cum quibus non contrahitur matrimonium, sed voluntas, sicut contingit quando ambo sufficientes essent ad copulam si vellent. Sed quid dicemus ad August. cuius literam inducit magister ad cõfirmationem suæ opinionis: Ad cuius intellectum sciendum, ꝙ circa votum Beatæ Mariæ est considerare triplicẽ conditionem. I. affectum siue desiderium de continendo, & votum simpliciter emissum per se Deo,

siue mente sola, siue etiam voce emissa inter se, & Deum: & votum solemne verbo expressum in præsentia Ioseph ex communi cõsensu vtriusque. Affectum autem siue desiderium tale non est dubium quin semper habuit postquam ad annos discretionis deuenit, quod tamen non vouit, nec voluit, siue disposuit firmato proposito quousq; certificata prædicto modo fuit, vnde in §. prædicto, Virum non cognoscebam. i. me non cognituram proposui. Neque enim quia tunc virum non cognoscebat, necesse est inquiri quomodo posset habere filium, sed quia nunquam se cognituram proposuerat. Intelligo quantum erat ex se, nisi lex ad hoc constringeret. vnde dicit glos. Sic ergo patet, ꝙ Maria non vouebat continentiam, sed proposuerat vouere, & virginitatem conseruare, intelligo quantum in se erat ex parte electionis suę, nec tamen simpliciter proposuit, quin propter legis necessitatem disposuit cõtrahere, quæ prolem suscitare præcepit. Votum autem occultum simpliciter factum inter ipsam, & Deum, secundum prædicta, emisit ante matrimonium, quando etiã quantum ex se erat potuisset ipsum solemnizasse, si qua forma solemnizandi tunc fuisset, quod fortè & fecit, vt esset perfectius votum: volens tamen satisfacere legi quantum potuit consentiendo in matrimonium, secundum prædictum modum, quod demum postquam Christum concepe rat, vnà cum marito solemnizauit quantũ potuit. Et de tali solemnizatione voti loquitur August. in cap. quod Magister inducit pro se, & planè constat per eundem, quòd sic ex mutuo consensu amborum solemnizauit. Ioseph enim erat in consimili proposito, cum Maria, quod fortè ei Ioseph reuelauit: si tamen aliter super hoc certificata non fuit de sua virginitate, vt iam supra habitum est, ꝙ votum aliquod simpliciter emisit priusquã sciret, quòd filium Dei conciperet. Vnde litera Augu. sic legenda est. Beata Maria proposuit se perseueraturam virginem etiam ex voto occulto simplici, quod tamen non excluditur per propositum, sed includitur, & respicit voti solemnizationem cum marito futuram. Cætera exponantur secundum prædicta, vsque ibi. Postea verò, vbi sequitur in litera magistri. Simul cum viro labijs expressit, & vterque in virginitate permansit. Et magister intelligit, quòd prius nullum votum simpliciter expressit, quod non est verum. Magister ibi literam omittit, qua August. intelligit quando votum illud labijs expressit, quam exprimit decretum, in quo integrè ponitur dicta auctoritas. §. prædicto, dicit enim sic. Postea verò quàm filium genuit, quem corde cõceperat simul cum viro &c. Ad qd etsi non esset auctoritas, ratio innitens auctoritati hoc declarat ex parte Ioseph, quoniam licèt ipse quantum erat ex parte sua erat in simili desiderio vouendi virginitatem cum Maria, cum tamen ꝙ illo tempore non minus erat astrictus legi ad prolem in matrimonio procreandam, quàm Maria, quare nec volũtate firma, nec dispositione, nec voto debuit se astringere ad virginitatem custodiendam potius, quàm Maria, quare cum illa sine peccato non disposuisset, vel vouisset custodiam virginitatis, nisi super hoc habuisset specialem reuelationem, aut certitudinem, nec similiter Ioseph. Quare cum supponendum sit, quòd sine peccato simul vouit cum Maria, quia scriptura dicit eum virum iustum fuisse, supponendum est, quòd votum illud non fecit simul cum Maria sine speciali super hoc reuelatione, aut certitudine, sicut nec fecit Maria. De Ioseph autem dicit Ambros. super illud Psal. defectio tenuit me. Ioseph, cui desponsata erat Maria, cum eam grauem vtero vidisset, cum esset iustus noluit eam traducere, & vtique nullum adhuc audierat oraculum, ergo ante conceptum nullum habuit oraculum, siue reuelationem. Si ergo ex reuelatione vouit cum ipsa, non vouit nisi post Christi conceptum, & quod Ambr. dicit; Quia nullum adhuc audierat oraculum, intelligatur de Christi conceptu. Quòd si aliam ante habuerat de vouendo, aut ergo sciuit, ꝙ Maria simile habuit oraculum, aut non. Si non, dimisisset eam vouere cum iustus esset, quia vt dictum est peccasset. Si verò sciuit, quòd oraculum de vouendo habuit: nullo ergo modo suspitionem de adulterio contra ipsam habuisset, quam tamen habuit, vt ibidem textus Ambrosij insinuat. Reuelationem ergo de vouendo cum Maria nullo modo habuit ante oraculum, quo ipsam de Spiritu Sancto impregnatam cognouit. Verum est ergo, ꝙ istud votum Maria cum Ioseph tam solemniter non fecit, nisi postquam filium genuit intus in vtero. Sed præter istud expressè ponit August. aliud præcessisse de sancta virginitate, vt dictum est, de quo est dubitatio an fuerit ante matrimonium an post. Et eadem dubitatio manet in litera Magistri, quia propter eius truncationem non determinat tempus. Sed tẽpore determinato, sicut est in Decreto, de illo voto non manet dubitatio, & sic nihil valet ad probandũ propositum suum. Ex quo patet, quòd Hugo, cuius sententiam in quæstione proposita Magister sententiarum tenuit, Bedã, qui tenuit Mariam ante matrimoniũ vouisse, minus iustè reprehendit, sic inquiens in sentẽtijs suis. Beda in expositione super Lucam videtur affirmare Beatam Mariam, antequàm iniisset cum Ioseph cõiugium, decreuisse, qd vitam duceret virginalẽ. Quod equidem à veritate videtur deuiare, cũ beata virgo prudentissima esset, & nouisset quæcunq; piè promitterentur esse fideliter persoluenda, verisimile est, quòd ab adolescentia se Deo toram commiserat, parata siue ad nubendum, siue ad cõtinendum, quemadmodum Deum velle cognosceret, quod testatur August. in lib. de nup. & concupisc. his verbis. Illud credendum est, quod beata virgo mente duntaxat. i. consensu mentis fuerat coniunx Ioseph, & quòd proposuisset permanere in virginitate si placeret Deo, & aliter agere si ipse

ipse vellet. Ex hac auctoritate, & ex hoc, ꝙ ipsa non tenuit desponsari, manifestè apparet eam antequàm desponsaretur continentiam non vouisse, quam tamen certum est eam, & virum eius postea promisisse, ex quo vtrique mysterium dominicæ incarnationis Angelo reuelante innotuit. Re vera prudentia virginis fecit eam præeligere virginitatem, vt dictum est, & certificauit eam, vt etiam ante coniugium voueret, vt iam dicetur, parata cum hoc ad nubendum, secundum quod prudentia sua Deum velle cognouerat, & prius, quàm certificata erat, & ante coniugium potius in virginitate permanere ꝓposuit, licèt aliter ageret si Deus vellet. Vnde ex auctoritate August. & quia certificata nō renuit desponsari, nullo modo eam apparet antequàm desponsaretur continentiam non vouisse. Certum etiam est ex dictis eam vouisse absque viro prius quàm mysterium incarnationis alicui eorum innotuit, etsi ipsa postmodum cum viro uotū sub maiori solemnitate iterauit. Dicta autem auctoritas quam Hugo imponit August. de nup. & concup. non est in illo libro, vnde nescio an sit August. & vnde eam sumpserit. Sic ergo Mariæ cum Ioseph simpliciter uerum, & perfectum erat matrimonium propter prolem, & consensum, ut dictum est, & simpliciter uotum uirginitatis etiam ante matrimonium propter reuelationem, & certificationē, nec matrimonij ueritati, & perfectioni est derogatum per præcedēs uotum, quia erat sub conditione stante ex certificatione super hoc habita, aut reuelatione. Nec ipsum uotum in aliquo est uiolatum per sequens matrimonium, quia non erat in copulam carnalem. Nec restat ergo dubitatio nisi de modo quo Maria super prædictis fuit certificata, & dicūt aliqui, quòd Maria super prę missis certificata fuit speciali Spiritus Sāncti cōsilio. Cui non contradico ex parte virginis, quia contra hoc expressam auctoritatem non vidi, sicut nec dicentem hoc. Videtur tamen mihi, quòd alius modus certificationis eius conuenientior, & sufficiēs sine illo potest sumi ex verbis August. in prędicto sermone, quibus dicit sic. Vicit amor in ea seruandæ virginitatis, & exclusit ab ea timorem incurrendæ maledictionis, & infra post illa, quæ superius sunt posita in principio.

Amplectendo igitur, quod acceptabilius esse cognouit domino legis sperauit, & credidit se plenè euasuram maledictum datæ legis, reputans secum illum tantæ bonitatis, tantæ sapientiæ, vt dū se nullatenus iuxta conscientiam suam melius scire, aut posse facere, quàm faciebat aduerteret, certum consilium, ne quid peccati in istis subreperet inueniret. Nec, decepta est, quis enim sperauit in Domino, & derelictus est ab eo? Denique vbi tā sanctam intentionem eius, tam castum propositū eius, tam firmam fidem, & constantem spem, & indeficientem vidit charitatem eius, eo misericordiæ suæ intuitu eius circa illam, vt nec sanctitas intentionis eius frustraretur, nec castitas propositi eius violaretur, ne aut firmitas fidei infirmata, aut spei constantia titubaret, aut charitatis in ea plenitūdo deficeret. Dedit ergo ei, vt & virgo, quod magis optabat permaneret, & vt nemo illam à maledicto legis liberrimam dubitaret, fœcūda fieret. Sic ergo ex iudicio rectæ rationis adiuta gratia vi ginitatem melius quid iudicauit fœcunditate ex copula matrimoniali. Et vt August. dicit ibidem, licèt per reuelationē Spiritus Sancti Apostoli edō cti fuerint omnem veritatem, incomparabiliter tamen manifestius, ac eminentius ipsa per eundem spiritum ipsius veritatis intelligebat profunditatē & hoc quantum pertinet ad propositum, quo ad distantiam inter bonum virginitatis, & fœcunditatis ex matrimonio, propter quod deliberata electione amplexata est eam, tanquam sciens per eā magis Deo placere, & ex hoc confidens de eius sapientia, & bonitate, quod ei prouideret, vt virgo permanens maledictum legis effugeret. Et sic domino ante matrimonium castitatem vouit absque omni alia speciali reuelatione, illuminata sapientia naturalis industriæ, & gratiæ, & mota ad hoc faciendum voluntate bona, fide firmata, spe roborata, & charitate inflammata præ cæteris mortalibus sub Deo. Propter quod liberius, & gratiosius eius votum erat, & ideò magis Deo placuit, quàm feciſſet si motum, & instinctum, aut reuelationem magis specialem ad hoc habuisset. Vnde & p hoc prius Christum concepit mente, quam corpore, dicente Augu. libro de virginitate. Materna propinquitas nihil Marię profuisset, nisi fœlicius Christum fide, quàm carne gestasset. Ipsa quoque virginitas eius ideò gratior, & acceptior, &c. vt habitum est supra. Sic enim eum primo concipiendo promeruit quātum in se erat, vt eum postmodum conciperet carne, dicente August. in ser. prædicto. Nec summi sapientia Dei vllam in massa generationis humanæ viam inuenit, per quam vt dispoſuerat in mundū veniens luctuosæ perditioni subueniret, donec ad istam, de qua loquimur virginem ventum esset, sed hæc mox, vt in mundum p humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute, atque constātia perfectè resplenduit, vt ipsa Dei sapientia verè dignum iudicaret per q̄ in hominem veniens sola præ cūctis mediatrix efficī meruit. Et sic quia Maria erat confinium veteris, & nouę legis, & virgo erat, & nupta, vt inchoatio consilij de virginitatis obseruantia ab ipsa inciperet ex libertate nouæ legis, & nuptiæ virginum ex necessitate veteris legis in ipsam terminarentur, vt de cætero damnabile sit ex propria voluntate post votum nubere, siue fuerit simplex, siue solemne, cuius solemnizatio secundum certos actus in quibus votum cauſetur, solemnizari instituta est ab ecclesia, & statutum ne de cætero post talē solemnizationem possit contrahi matrimonium, & impeditur omninò ne contrahi possit. Sed ante solemnizationem ab ecclesia institutā, nulla erat voti solemnizatio: licèt enim vnum potuit fuisse

magis

magis publicè factum, quàm aliud, nõ erat in hoc, nisi accidentalis differentia, quemadmodum modo est votum simplex, siue fiat priuatim, siue publicè, præter actus illos, in quibus ecclesia ordinauit votum solemnizari: ita quòd quomodocunque fuisset factum, siue tempore legis Mosaicæ, siue tempore Euangelij, præter actus solemnizandi quos statuit ecclesia, semper tenuisset matrimonium sequens, sicut & modo tenet, licèt peccasset contrahens post votum simplex. Vnde si hodie cõiuges ex communi consensu vouent voto simplici, & alter coniugum velit frangere votum, tam firmum est vinculum matrimonij, ꝙ alter debet reddere debitum, quod potest sine peccato, licèt non possit petere, propter quod periculosum est coniugibus vouere voto simplici.

Ad argum. Quòd ergo argüitur, quòd votum virginitatis simpliciter non stat cũ perfecto matrimonio, quia tradens plenam potestatem corporis sui viro, consentit saltem implicitè in carnalem copulam, qui consensus repugnat voto virginitatis simpliciter, quia post tale votũ talis consensus damnabilis est: immò etiam omninò tollit matrimonium, ne possit fieri: Dicendum secundum prædicta, quòd tradens plenam potestatem corporis sui viro consentit in carnalem copulam, dum nõ est certificata, ꝙ sic prouideretur sibi à Deo, ne vnquam veniret ad actum: certificata autem nequaquam consentit in actum copulæ carnalis, licèt consentiat in potentiam, quod non repugnat voto virginitatis simpliciter, vt dictum est. Sicut enim virginem posse in actum copulę carnalis non repugnat voto virginitatis simpliciter: dum tñ perfectè non vult actum, sic dare alteri posse super corpus suum ad copulã non repugnat eidem; dum tamen certitudo adsit, ꝙ nunquam actus continget. Talẽ autem certitudinem habuit virgo Maria iam dicto modo, sciẽs, ꝙ etsi Ioseph nõ fuisset sic iustus quin voluisset petere ab ea actum copulæ, quod potuit pro illo tempore fecisse sine periculo amittendæ iustitiæ, ꝙ tamen Dominus sic disponeret, ꝙ nunquam ad actũ perueniret, absq; tamen suo peccato in denegãdo. Vnde ꝙ sciret, & certa esset Ioseph fuisse in proposito simili cum ipsa seruandi virginitatem, & nunquam petendi actum copulæ, hoc non erat necessarium, vt sine peccato virginitatẽ simpliciter voueret cum proposito contrahẽdi propter legis necessitatem, sed sufficit alia prædicta.

Nunc autem ista debet esse nobis regula, ꝙ ad id, quod potest fieri vnico non requiramus plura, nec hoc, quod potest fieri sine miraculo, imponamus miraculo, nec id, qd potest fieri ex dono naturæ imponamus dono gratiæ, nẽc id, quod potest fieri dono supernaturali dato modo communi, tribuamus dono supernaturali dato modo speciali. Vnde cum ex scientia naturalis industriæ cum dono gratiæ datæ modo cõmuni, quo alijs solet dari, licèt in maiori abundantia, potest poni Maria certam fuisse secundum dictum modum, ꝙ Deo prouidente nunquam ueniret ad actũ copulæ carnalis, licèt non fuisset certa ex speicali modo revelationis sibi factæ super hoc, & licèt non fuisset certa de Ioseph, quòd sic iustus erat, ꝙ esset in consimili proposito cum ipsa, talem reuelationem sibi factam fuisse, vt ante matrimonium simpliciter voueret, & postmodum perfectum matrimoniũ contraheret, non oportet ponere. Si tamen sciuit, ꝙ Ioseph esset sic iustus, vt eam nõ esset violaturus, sed tantummodo custoditurus, sicut dicit August. ad hoc benè requirebatur specialis reuelatio. Propter dictam igitur certitudinẽ non erat Mariæ damnabile matrimonium dicto modo cõtrahere. Quòd tamen modo post votum simpliciter facti aliqua contraheret, non liceret, sed secundũ Hier. velle nubere esset ei damnabile, quia matrimonio modo, nec in præcepto, nec in consilio, sed in sola permissione, quia post simplex votum etsi teneret matrimonium, contrahens peccaret, quia non faceret hoc, nisi quodammodo in actum carnalis copulæ consentiret, vt dictum est: post votum autẽ solemne similiter peccaret. Et quanquam apud Deum nõ minus obligat simplex, quàm solemne, tamen propter ecclesiæ interdictum post votũ solemne matrimonium non tenet. Vnde quòd sub noua lege virgo contraheret post votum, ad hoc nihil omninò posset eam mouere, nisi specialis reuelatio diuina, aut auctoritas ecclesiæ, cuius esset in hoc dispensare, quia ad damnationem suã quoquo modo in actum carnalis copulæ consentiret & periculo sustinendi illum se exponeret, quod non sic erat de Maria, quia erat confinium vtriusque legis, vt dictum est.

Propterea enim nulla speciali reuelatione indiguit (quantum mihi videtur) sed solum certificatione prædicta ad faciendum quod fecit, vt patet ex dictis. Quin tamen cum tali certificatione reuelatio, quam multi ponunt, ei fuerit facta non penitus abnego, quia hoc in puro facto consistit. Sed siue ex tali reuelatione, siue alio modo certificata fuerit, siue post matrimonium vouerit, siue non, de quo nihil est ponendum, nisi secundum quod dictant recta ratio, & dicta Sanctorum factum fuisse perfectius, quod ipsam præsumendum est fecisse: tamen ex dictis patet, quòd licitè ante matrimonium perfectum subsecuturum potuisset vouisse simpliciter absolutè.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem Vndecimam, quæ est,

Vtrum cum voto virginitatis stet perfectum, & verum matrimonium.



ITVLVS clarus. Adnotandum tamen, quòd potest dupliciter intelligi quantum ad votum, vt videlicet accipiatur tanquam præcedens ipsum matrimonium, vel tanquam subsequens. Et quidem de hoc secundo non videtur dubitatio, quoniam votum subsequens non dirimit contractum matrimonium, & plures id fecerunt, inter quos legimus D. Alessium, qui post contractum matrimonium vouit cum sponsa sua votum virginitatis. Sed dubitatio est de primo, præsertim hoc tempore, in quo statutum est ab ecclesia, eos, qui virginitatem vouerunt, nubere non posse. Et quoniam hæc quæstio præsertim inducitur ob beatam Virginem, quæ matrimonium contraxit, & virgo fuit, vt creditur etiam voto: dubium est adhuc maius, qm legis edictum vrgebat, quod oēs nubere debuissent, nisi maledictū legis incurrere voluissent. Resoluitur idcirco quæstio hæc loquendo de B. Virg. propter quam inducta est. In corpore duo præsertim habentur. Primum reprobatur duplex opinio. Secundò respondetur quæsito.

De primò, prima opinio distinguit de voto ante contractum matrimonij; & post. si primò, habet hanc conclusionem, quòd non est perfectum matrimonium. Probatur, quia post tale votum non potest aliqua persona contrahere sine peccato, quia exponit se periculo fractionis voti. si secundum; opinio habet hanc conclusionem. Quòd matrimonium est perfectum. Et sic colligit hæc opinio, quòd matrimonium beatæ Virginis fuit perfectum, quoniam, post contractum matrimonium emisit votum, non ante.

Addit opinio primò, quòd contraxit nè maledictum legis incurreret. Secundò, quòd votum vouit, quia sciebat acceptius esse Deo bonum voto firmatum.

Secunda opinio est, quam sequitur magister sententiarum, & maxima ex parte D. Thom. 3. par. q. 29. art. 2. Quòd B. Virgo ante matrimonium votum vouit Domino virginitatem, non quidem voto solemni, & expresso, sed tacito, ac simplici, cum firmo proposito perseuerandi, nisi Deus aliter ordinaret. Et ideò consensit in matrimonium, post quod contractū, ambo, Maria, & Ioseph expresserunt, & solemnizarunt votum suum.

Secundò addit, quòd in matrimonio duplex est perfectio, prima, & secunda. Vnde non fuit quidem perfectum matrimonium perfectione secunda, quæ pertinet ad effectum copulæ carnalis, & generationem prolis, sed fuit perfectum prima perfectione, quæ consistit in mutuo consensu. &c.

Confirmatur autem hæc sententia auctoritate Augustini, ut patet in litera.

Tertiò addit, quòd tamen ex prole habita perfectio natum est, ita vt non minus esset perfectum, quàm quodlib. aliud, & si prolem non habuerit ex copula carnali, cui consensit, non illam appetendo, sed diuinæ inspirationi obediendo. Et hæc addita auctoritatibus confirmantur, vt videre est in litera.

Not. autem, ꝙ quantum ad id, quod est cōe vtriq; opinioni, reprobatur ab Auctore: cōe autem est vtrique opinioni, ꝙ Maria non potuit vouisse solemniter ante contractum matrimonium, sed prima quidem neque simplex votum emisisse, secunda verò tantùm simplex votum tacitè, & cum conditione.

Particulare autem huius secundæ opinionis est, ꝙ non sit perfectum matrimonium, quoad secundam perfectionem, cui tamen videtur respondere ex Ambros. gloss. &c. quod tametsi non ex copula habuerit prolem, tamen habuit aliò, vt non sit minus perfectum, quod quidem videtur inductum præsertim contra D. Thomam, quem tamen non erraſſe iudicamus, quoniam respexit ad perfectionem, quæ habetur ex vi, & ratione matrimonij, quæ consistit in habenda prole ex copula carnali. vnde si respiciamus simpliciter prolem, quomodocunque habitam, non est minus perfectum. si verò modum, non est perfectiua, quia non est ex copula matrimoniali.

Sed cæteris omissis, in hoc Auctor videtur reprehendere, quod cōmune est vtrique opinioni, ponens hanc conclusionem. Non minus potuit vouisse Beata Virgo virginitatem ante matrimonium, quam post. Probat hanc conclusionem. Nihil super virginitate sua voluntate simplici firmauit, aut simplici voto, neque solemni, nisi habuerit reuelationem, aut certificationem, de perseuerantia, & præseruantia virginitatis, sed hanc reuelationem, aut certificationem ita potuit habere ante, quàm post matrimonium. Igitur non minus potuit vouere ante, quàm post. Assumptum primum patere videtur, quia aliter, beata virgo fuisset, vel imprudens, vel legis præuaricatrix, quod non est existimandum: sciebat enim ꝙ nubere debuisset, ne maledictum legis incurreret.

Ex his primò sequitur, ꝙ non ita tutè de facto tenendum, quòd Maria prius contraxit, deinde vouit, quia id illi non erat necessarium, nisi tantùm post, & non habuerit reuelationem, aut certificationem. Vtrum verò post tantùm vouit, quia est certificata, sciri non potest nisi per dicta Sanctorum, qui fortasse, vt credi debet, Spiritus Sancti instinctu verā scripserunt. Quo fit, vt Auctor ad hoc quod prima opinio dicit de quolibet voto habet, quod nō nouit B. Virgo, nisi post contractum matrimoniū. Secunda aūt opinio de voto solemni reprobatur per dicta Sanctorum. Et primò per Augustinū, in principio de sancta virginitate, ex quo multa inducit Auctor ad hoc tendentia, quod B. Virgo prius vouit, deinde contraxit, quia prius etiam certificata fuerit de perseuerantia.

Sententia igitur Auctoris est, quòd perfectum fuerit matrimonium inter Mariam, & Ioseph ex vtraque perfectione. Ex prima quidem, quoniam adfuit perfectus consensus. ex secunda, quoniam adfuit pariter proles. Non obstante voto virginitatis, quomodocunque, & qualitercunque emisso, præsuppositā diuina reuelatione, etq; certificatione, quæ omnia per multa dicta Augustini comprobantur in litera.

Cæterum si licèt aliqualiter aliquid apponere, quod sentimus, circa prætactas opiniones, & maximè circa secundam. Iudicaremus Auctores suos voluisse resoluere quæstionē non ita particularius, sicut facit Auctor, qui tametsi proponat quæstionem sub tit. vniuersalis, quæst. tñ resoluit circa particularem. Vnde si licèt id Auctori facere, certè non minus erit licitū præsertim D. Th. proponere titulum particularem, & vniuersaliter resolnere. Ex vniuersali. n. resolutione facilè elicitur particularis. Diceremus itaque, quod si vniuersaliter loquamur, voto solemni præmisso non debet succedere matrimoniū, neq; pōt ritè. Quod certè si posset succedere, ecclesia non statuisset votum huiusmodi contractum dirimere, & contrahendum impedire. Quod patet in c. vnico de voto. l. 6. secus aūt de simplici, vt ibid. patet. Et hoc est cōe ad oēs. Qđ si B. Virgo ante vouit, & tenuit cōtractū, & nō impediuit cōtrahendum, hoc est particulare donū, nō vniuersale, & ex diuina dispēsat.

Not. ēt, ꝙ fortè quæstio hęc nō est ꝑ oīa recta, cum quædā supponat ex vtraq; parte, pro ut tractata est, quæ nō vñr rectè supposita. Quippè supponitur, vel ante, vel post B. Virg. solēne votum virginitatis emisisse; cum tñ, vt probat Richard. 4. Sent. dist. 38. ar. 7. q. 2. & 3. ex illo extra, qui clerici vouentes, & in glo. Nō solēnizatur votū continentię. n si per susceptione ordinis sacri, aut ꝑ promissionē in religione factā modo debito, aut per susceptionē habitus, qui professionibus dari consueuit. Non vr aūt B. Virg. ita solēnizasse votum suū, sed vtiq; soli Deo promisisse, nisi fiat differētia inter votum solēne, sicut fit inter votum affectu, & effectu, vt illud sit simplex, hoc solēne. Illud fiat voluntāte, desiderioq;, hoc præter hæc ēt verbis expressis. Amplius cōtra id, qđ dictum est in illa opinione magistri, ꝙ votum simplex non impedit contrahendum, vt talium ex illo loco extra. Qui clerici vouentes. & gloss. Et probat Richard. q 1. vt sup tametsi nō dirimat cōtractum. Quo circa totū, qđ gestū est in B. V. siue emiserit solēne votū, siue simplex, speciale priuilegium est, qđ tanq; regula cōis fieri nequit pōt.

QVÆSTIO

QVAESTIO XII.

Vtrum qui sepeliuit in sua Ecclesia partem corporis illius, qui elegit sepulturam corporis simpliciter teneatur partem illam restituere, & illi, apud quos fuit sepultura pro corpore simpliciter electa, teneantur illam repetere.

Casus.

CIRCA quintum ponatur propter obiecta, & ad maiorem intellectum quæstionis casus talis. Rex quidam potentissimus peregrè proficiscens cũ filio hærede suo successuro in regno, sepulturam corporis sui simpliciter elegit faciendam in ecclesia quorundam Monachorum. Mortuo autem rege prędicto in regione longinqua, visum est filio suo iam succedenti in regno onerosum, & periculosum corpus deferre cum intestinis ad locum sepulchri electum, & intestina extracta destinauit sepeliri in ecclesia quorũdam fratrum, sed ad instantiam Archiepiscopi loci, & canonicorum ecclesiæ matricis procurato, quòd intestina in ecclesia eorum sepelirẽtur, quidam de ordine fratrum prædictorum procurauit erga dictum hæredem, quòd cor ei conferretur ad sepeliendum in ecclesia sua non multum distante ab ecclesia dictorum Monachorum, quo facto, & córde cum corpore delato vsque in ciuitatem regiam: Abbas dictorum Monachorum cum suo cõuentu constanter petijt sibi cor cum corpore tradi ad sepeliendum, quod cum eis denegaretur constanter ab hærede iam nouo rege, tãdem per proborum intercessionem post multam contradictionem licèt inuiti dixerunt dicti Abbas, & Monachi, quòd sustinerent hoc, quod rex de corde faceret, ex quo præsumebat rex ipsos adhibere cõsensum, vt cor sepeliretur in ecclesia dicti fratris, & confratrum suorum, quod & sic factum fuisse propositum erat, super quo est quæstio, vtrum fratres illi cor illud tenerentur dictis Monachis restituere, & an Monachi teneantur illud repetere.

Arg. prim. primum.

Et arguitur, quòd sic, quia dicitur 12. quęst. 2. §. Nunc quæritur. in glos. Si quis autem in casu nõ concesso receperit corpus alienum, etiam sepultũ reddere cogetur cum omnibus, quæ à corpore ipsius receperat. Quare cum eadem sit ratio in parte, & in toto: cor ergo illud, quod erat dictis fratribus alienum, quia à defuncto cum corpore fuit collatũ Monachis, nec erat aliquo iure concessum fratribus, vt ipsum ad sepulturam acciperent, quia mortuus, nec pro corpore, nec pro corde sepulturam apud fratres elegerat: fratres ergo cogendi sunt, vt restituant cor Monachis, etiam cum omnibus, quæ à corde receperant, & si illi tenentur restituere, Monachi tenentur illud repetere, quia aliter in hoc iniuriaretur ecclesiæ eorum, & ipsi tenentur repetere ea, in qeibus ecclesiæ eorum iniuriatur.

Item si alicui legentur decem, & subtrahatur vnum, subtrahẽs tenetur illud restituere, & si sint legata ecclesiæ, tutor ecclesiæ tenet repetere, quia in hoc ecclesia illa est defraudata: ergo cum dictis Monachis corpus simpliciter fuit legatum ad sepulturam, & in corpore simpliciter legato legatur quicquid est de integritate corporis. ergo &c.

Secũdum.

In oppos. primum.

In contrariũ arguitur multipliciter. Primo sic. Quod in nullius vergit detrimentum, & alicui proficit, & cultum diuinum augmentat, licitum est, factum in sepeliendo cor est huiusmodi, quia ex hoc Monachi nullum passi sunt detrimẽtum, quia non pauciores habuerunt oblationes, aut emolumenta pro solo corpore, quàm si cor fuisset simul cum corpore sepultum apud eos, & hoc multum profecit fratribus, & animæ defuncti, diuinus est cultus augmentatus est, quia plures Missæ celebrãtur pro defuncto propter hoc, quàm si simul esset cor sepultum cum corpore apud Monachos; ergo factum fratrum in sepeliendo cor licitum fuit, ex licitè facto, nulla restat restitutio, aut repetitio. ergo &c.

Secũdum.

Secundò sic, qua ratione Monachi à dictis fratribus tenerẽtur repetere cor & fratres restituere, eadem ratione tenerentur alia intestina repetere à prædictis Canonicis, & illi ipsa restituere Monachis: cum ergo hoc fallum sit. ergo &c.

Tertium.

Tertiò sic, secundum iura ciuilia, vbi sepultum est caput ibidem censetur locus religiosus, ac si totum corpus ibi esset sepultũ, etiam si membra alia alibi fuerint sepulta: ergo multò fortius vbi caput cum humeris, & brachijs, & alijs membris nobilioribus est sepultum, & corpus simpliciter eẽ sendum est esse sepultum, quare cum hæc sepulta sint apud Monachos, corpus simpliciter apud eos censendum est esse sepultum; nihil autem aliud, quã corpus simpliciter legauit eis sepeliendum defunctus. ergo &c.

Quartũ.

Quarto sic, in iure ciuili cautum est, quòd Princeps potest mutare tumulos, quòd si sic, ergo multò fortius potest non tumulatum corpus diuidere, & partem eius in tumulo seorsum ponere, cum ergo fratres, quod fecerunt tumulando cor, auctoritate Principis fecerunt; ergo &c.

Quintũ.

Quintò sic, reges prædecessores eius, cuius auctoritate, & collatione fratres sepelierunt cor, consueuerunt intestina patrum, & vxorum suarum partiri, & tradere sepelienda vbi voluerunt quando in remotis partibus moriebantur, sed consuetudo dat ius maximè Regibus, & Principibus. ergo &c.

Sextum. Sextò sic, quòd possunt aliqui tumulare alicubi, post q̃ eis datum est, possunt deferre, & tumulare alibi vbicunque, quare cum fratribus dicti ordinis data fuerunt omnia intestina, & potuissent ea simul in Ecclesia sua sepeliuisse, si nõ fuisset aliter ordinatum: ergo potuissent illa, vel aliquã partem ex eis detulisse, & in ecclesia fratrum, vbi nũc cor sepultum est, sepeliuisse. Quare consimiliter, & frater ille, qui obtinuit cor sepeliẽdum apud dictos fratres, licitè potuit illud deferre, & apud illos sepelire. ergo &c.

Septimũ. Septimò sic. Qui potest aliquid tumulare potest illud alteri ad tumulandum dare, vel alter de illius consensu, quare cum cor cum intestinis datum fuit dicto Archiepiscopo, & capitulo suo, ipsi potuerunt illud alteri ad sepeliendum alibi dare, vel aliquis alter cum eorum consensu, quare cum rex de eorum consensu, quibus data erant intestina dedit fratri cor ad sepeliendũ, vbi modo sepultum est. ergo &c.

Octauum. Octauò sic. Qui potest dare integrum, & partẽ ex illo, cùm ergo rex potuit integrè intestina dedisse ad sepeliendum non accapto corde, sicut dedisset canonicis, nisi frater cor petuisset, & dederat confratribus illius, nisi Archiepiscopus se opposuisset: ergo & cor potuit dare fratri illi ad sepeliendum vbi nunc est sepultum. ergo &c.

Nonum. Nonò sic, quòd fit parte consentiente, & auctoritate superioris assistente super aliqua discordia, licitum est, sed in sepultura cordis facienda apud fratres pars consensit, scilicet Abbas, & Monachi ad preces, & voluntatem hæredis: auctoritas etiã superioris, vt legati de latere Papæ, & Episcopi loci, qui cor ad ecclesiam fratrum attulerũt, & proprijs manibus tumulauerunt. In quo ambo facto adhibuerunt auctoritatem sepeliendi ibi cor, qd non minus erat immò maius, quàm adhibere auctoritatem verbo tantùm. ergo &c.

Responsio. Dicendum est ad hoc, quòd factum istud dupliciter possumus considerare. Vno modo secundum naturam suiipsius in se. Alio modo secundum qd ei superuenit dispensatio auctoritate superioris, & de ipso hoc secundo modo erit sermo in dissolutione vltimi argumenti. Si ergo loquamur de ipso primo modo, sciendũ ꝙ ĩm quod scribitur 13.q.2. vltima voluntas modis omnibus conseruetur. Glo. cum est rationabilis: cum ergo vltima volũtas fuerit regis defuncti, quam & proprijs verbis expressit, scilicet vt corpus suum simpliciter sepeliretur, & ad hoc Abbati, & conuentui suo ipsum dedit, sicut positum est in casu, qui autem simpliciter dicit nihil excipit, & qui simpliciter dat aliquid, de dato nihil dandum alteri retinet: vltima ergo voluntas Regis, quo ad sepulturã corporis sui fuit, ꝙ integrè nulla parte excepta alibi sepeliẽda, aut alteri danda, quare sic implẽda fuit. Sed ꝙ voluntas Regis in hoc rationabilis fuit patet, & ex parte loci, in quo elegit sepulturã, & ex parte corporis sepeliendi. Ex loco, quia ibi sunt sepulchra patrũ suorũ, & vt ꝓbatur plurib. exẽplis. 13.q.2. Ebrõ, & ibidem cõcluditur, in sepultura parentum filiorũ corpora collocanda sunt, vbi dicit glo. ꝙ hoc consilium est, & ideò ex electione morientis dependet: quia tũ consilium ex ratione procedit, melius, & rationabilius est facere id, quod iure cõsulitur, q̃ contrariũ. Idcirco rationabilis fuit regis voluntas in eligẽdo ibi corporis sui sepulturã, & melius fecit alijs eisdẽ existentibus ibi eligendo, q̃ alibi: illud. n. fuisset ei quodãmodo ignominiosum: secundum. n. ꝙ dicit glos. super prędictum ca. Ioseph moriens in Ægypto rogauit fratres suos, vt tpe visitationis suę ossa sua secum deferrent, & in sepulchrum patrũ suorum ea collocarent, quia ignominiosum erat tũc, ꝙ aliquis nõ sepeliretur in sepulchro patrũ suorũ. Vnde est vnus casus, in quo locum sepulchri à iure determinatum potest aliquis dimittere: ĩm. n. ꝙ ibidẽ dicit glos. super §. Nũc quęritur. quilibet debet sepeliri in ecclesia vbi audit diuinum officiũ, vt extra de sepulturis. In nostra, nisi in trib. casib. si velit transire ad Episcopalem Ecclesiam. vt 13. q.2. Vbicunq;. vel si eligit sepulchrum in loco magis religioso, vt extra de sepulturis Fraternitatem, vel si velit sepeliri in sepulchris patrũ suorum, vt 13.q.2. Placuit. Ex parte verò corporis sepeliendi similiter rationabilis fuit regis voluntas, in hoc. s. ꝙ corpori suo sepulturã in certo loco elegit simpliciter nullam partẽ excipiendo, vel separando ad alibi eam sepeliendum.

Est enim multùm rationi consonum, vt corpus quanto integrius potest sepeliatur. Apostol. enim Ro. 12. diuersis membris in corpore comparat diuersas personas in ecclesia, in hoc videlicèt, ꝙ sicut in idipsum pro inuicem sollicita sunt membra in corpore, sic debẽt esse personæ in ecclesia. Solicitudo ergo, q̃ debent habere psonæ in ecclesia diuersę pro inuicem ex voluntate illa, debet esse ad instar sollicitudinis, quã habent inuicẽ membra in corpore ex natura. Cũ ergo sic laudabile, & rationabile desiderium voluntatis est inter sese amantes, vt mẽbra corporis ecclesiæ quantum possibile est fieri morientes eligant sepeliri in sepulchris amicorum suorum, maximè patrum, & cõsanguinitate, aut affinitate coniunctorum, vt patet ex iam dictis, vt parati sint ad simul resurgendum in nouissimo die, vnde hoc pro causa assignando, quare Ioseph voluit ossa sua sepeliri in sepulchro patrum suorum, dicit glosſ. super prædictum cap. Vel quia in spiritu viderat, quia Dominus resurgere deberet ibi: naturale ergo desiderium, & laudabile est in membris vnius corporis, vt simul, & quantò magis coniunctæ possint sepeliantur simul expectãtes resurrectionem, vt magis quãtum est in se parati ad illam per hoc. Et est tale desiderium per naturam magis in membris corporis, quàm per voluntatem in membris Ecclesię, maximè ex hoc, ꝙ vnũ mẽbrum non poterit resurgere nisi alteri cõiunctũ, qd pót ibi p.ona quęlibet q̃cunq; sit ab alia separata, quare cũ

ratio

ratio, & voluntas in homine ad hoc sunt, ꝙ laudabile, & naturale desiderium corporis sui debēt implere, quo ad id, in quo deficit natura, vt ratio pro quolibet membro disponat, & voluntas eligat, & pro posse naturale, & laudabile desideriū membri impleat: multùm ergo laudabile, & rationabile est, quòd quilibet moriens corpori suo prouideat, vt integrè sepeliatur, quantū hoc fieri valeat, & hoc vt dictū est maximè in sepulchris patrum suorū. Vnde vt puto nullo modo placuisset Iacob, ꝙ aliquod ex membris suis, vel interioribus, vel exterioribus, filij sui postquam simpliciter elegit sepulturam in sepulchris patrum suorū, sepeliuissent alibi. Præsumendum est ergo cum sit rationabile, & laudabile, quòd eligens sepulturā corpori suo simpliciter in aliquo loco, integrè velit illud ibi sepeliri, nisi superueniat rationabilis causa, quam si præuidisset moriens, secundum illam de corporis sui sepultura aliquid specialius ordinasset, quēadmodum Ioseph cum moriebatur, quia vidit, quòd fratres sui non sufficerent ad deferendum corpus suum in sepulchrum patrū suorum sine magno periculo, & grauamine, q̄q̄ desiderauit ibi corpus suum sepeliri, tamē non præcepit nisi quòd ossa sua secum sepeliēda in sepulcro patrum deferrent, & carnes manerent incineratæ in Ægypto propter huiusmodi necessitatem. Iacob autem sciens, quòd per potentiam Ioseph sine grauamine corpus suum integrū statim posset deferri sepeliendum in sepulchro patrum suorum, non præcepit filijs suis tantum de sepultura ossium, sed corporis sui simpliciter. Vnde filij sui ex tali præcepto patris pręsumentes integrum corpus suum vello deferri, & in sepulchro patrum sepeliri, non inuenitur, quòd aliquid, vt intestina corporis subtraxerint sepelienda in Ægypto, vel in aliquo loco intermedio, sed quòd corpus simpliciter conditum aromatibus sepeliendum detulerunt, & sepelierunt. Cum ergo voluntas regis rationabilis fuit in eligēdo sepulturam suam apud dictos Monachos, & hoc pro corpore suo simpliciter, in quo præsumitur, quòd integraliter, dico, quòd voluntas regis quo ad duo, scilicet, & quo ad hoc, ꝙ corpus suū sepeliretur apud dictos Monachos, & etiam quo ad hoc, quòd ibi integraliter sepeliretur, adimplenda fuit, nisi fortè causa rationabili superueniente, pro qua præsumendum est, quòd aliquid specialius de corporis sui sepultura ordinasset, quàm ordinauit, si illam præuidisset. Quare si fortè non superuenit rationabilis causa propter quam cor regis sepeliri debuit, & potuit apud fratres, de qua iam erit sermo in solutione argumentorum, & ipsi fratres cor alienum receperunt sepeliendum, & sepelierunt: ideò cor sepultum reddere cogendi sunt cum omnibus, quæ ab ipso recederunt, & tenentur cor restituere, & similiter Monachi illud repetere, cum rex sepulturam apud eos elegit simpliciter: non tàm in fauorem ipsorum, quàm patroni, & Sanctorum ecclesiæ, & sepulchri patrum suorum, quod apud illos est, vt licèt aliquid factum in iniuriam alicuius eorum personalem dissimulare possent, non tamē tale quid, quod factum est in iniuriā ecclesiæ suæ, & Sanctorum eius, & patrum prædecessorum regis, & quod posset in posterum vergere in maximū detrimentum ecclesiæ, vt iam videbitur. Secundū hoc ergo concedenda est prima ratio, & similiter secūda, quia nihil concludunt nisi iā exposita.

Ad argumenta autem in oppositum vsque ad vltimum, in quo prosequemur secundum membrum distinctionis propositæ in principio, respondendum. Et primò ad primum dicendo, ꝙ sepultura cordis apud fratres in nullus vergit detrimentum: Dicendum, quòd non est verum: immò per occasionem potest vergere in maximum detrimentum Monachis: ex hoc enim facto, quia principalius secundum fictionem iuris naturæ debet apud fratres iudicari corpus regis esse sepultum ꝓpter cor, quam apud Monachos propter totum residuum, sicut iam dicetur, facilius rex filius suus posset inclinari ad eligendum sepulturam suam apud fratres, & ad eius imitationem successores, & alīnes sui, & consimiliter illorum posteri, & fieret tumulus regum, quo ad omnes succedētes apud fratres, qui apud Monachos permansisset fortè, si talis occasio ex cordis sepultura data non fuisset, qđ esset eis summum detrimentum, sicut patet consideranti. Et quod assumitur, quòd factum illud alicui, vt fratribus proficit, verum est temporaliter in oblationibus, & quæstu temporalium: obest tamen multùm eis in spiritualibus, quia fidem, & charitatem, quam deberēt habere erga proximos amittunt; si tamen absque causa rationabili, & in casū nō concesso cor sepeliendum receperunt, secundum quod procedit primum argumentum inductum contra fratres. Si autem rationabilis causa superuenit, propter quam licitè cor concessum eis fuisse potuit, secundum quod concludam in solutione vltimæ rationis, tunc secus est, & solā secundum hoc argumenta ad oppositum. Et quod assumitur tertio, ꝙ per factum illud cultus Dei augmentatur: dicendum, quòd etsi augmentatur quo ad substantiam facti; non tamen quo ad modum faciendi, quem plus Deus respicit, intantum ꝙ non placet Deo factum, nisi pp modum faciendi, & è cōtra: factum ēt de genere bonorum displicet pp indebitum modum faciendi. Propter quod dī Gen. 4. Respexit Dñs ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain verò, & ad munera eius non respexit. Glos. interl. Qui mentē offerētis non oblationem intendit, quę placet ex munditia offerētis. Si ergo fratres nō modo competenti cor sepeliendum receperunt, & perseuerant in hoc simpliciter nō restituendo ablatum, quia secundum Aug. aliter nō dimittit peccatum nisi restituatur ablatum, quicūq; diuinus cultus ex tali modo faciendi procedit, ꝙ non plenè placet Deo, diuinus cultus non est reputandus, de qualibus dicitur 13. qō. 2. §. Sed alius.

Contra Melchiadis Papæ auctoritatem nititur, qui vanis persuasionibus illectus sepulturam suorum parentum contemnit. Ait enim. Leo Episcopus seruus seruorum Dei fidelibus in Christo per totam Italiam. Relatum est auribus nostris esse quosdam peruersè agentes, qui subuertere nituntur, atque diuidere conantur Ecclesiæ vnitatem, videlicet Abbates, Monachique, qui non studio charitatis, sed zelo rapacitatis inuigilant, & docēt atq; seducere nō cessant sæculares, quos illaquearē possunt, vt res suas atque possessiones, siue in vita, siue in morte monasterijs illorum tradant, & Ecclesijs quibus subiecti esse videbantur, & à quibus baptismum, pœnitentiam, & Eucharistiam recipiunt, nihil de bonis relinquunt.

Ad secundum. Ad secundum, quòd dicti Monachi eadem ratione alia intestina deberent repetere à dictis Canonicis, & illi ea restituere: Dicendum, quòd non est simile. quia si secundum quòd dicitur 13. q. 2. cap. Placuit. nullus proprij arbitrij temeritate aliā Ecclesiam, nisi cui vsus antiquorum parentum canonica institutione subiacere perhibetur, sepulturæ causa adire audeat, nisi infirmitatis causa impeditus in aliam regionem fuerit quocunque negotio progressus, consimiliter nullus hæres sepulturæ cordis patris sui, qui pro eo sepulturam in aliqua Ecclesia elegit, cui vsus antiquorum parētum rationabili consuetudine subiacere perhibetur, aliam Ecclesiam adire audeat, nisi necessitatis causa impeditus in longinqua regione. Vnde etsi necessitatis causa. s. quia oneroſum erat, & periculosum portare corpus regis defuncti cum intestinis ad sepulcrum patrum suorum, quod elegit rex hęres superstes pro intestinis sepeliendis potuit adire aliā Ecclesiam. Si enim defunctus præuidisset, hoc recta ratione ordinasse debuisset, quemadmodum ordinauit Ioseph de solis ossibus suis in sepulcris patrum sepeliendis, vt dictum est. Et ideò hęres sicut bonus epieices, quod pater omisit supplere potuit. iuxta artem Philosophi in 5. Ethic. Si nō non reputaret huiusmodi onus, & prouideret periculo condimentis aromatum, ne fortè sentiretur fœtor, & asportari faceret corpus integrum cum intestinis vsque propè locum sepulturæ ad opus corporis electæ, nō posset diuidere intestina à corpore, & dare alteri Ecclesiæ ipsa ad sepeliendum, quia cessante causa cessare debet effectus. & sicut de totis intestinis, sic de parte eorum: vt de corde. Quia postquàm cor fuit asportatum cum corpore vsque propè locum sepulturæ, & sic hæres facere disposuit, non licuit ipsum cor dare sepeliendum alteri Ecclesiæ: nec etiam prius dare alicui. vt sic deferretur ad sepeliendum alibi, nec licuit ad hoc regem iuuenem inducere. immò si commodè potuisset absque summa necessitate corpus integrum cum intestinis detulisse, hoc facere debuisset, voluntatem patris sui extremam charitatiuè adimplendo, nec expensis ad hoc faciendum pepercisse. quemadmodum Ioseph nō legitur intestina de corpore patris sui Iacob extraxisse, quàmuis inter diem mortis Iacob, & diē sepulturæ fluxerunt dies plurimi. secūdum enim ꝙ legitur Gen. l. præcepit Ioseph seruis suis medicis, vt aromatibus condirēt patrem, quibus iussa complentibus transierunt. xl. dies, & fleuit eum Ægyptus septuaginta dies: & hoc antequàm Ioseph acciperet iter asportandi corpus in terram Chanaan, quæ benè distabat ab Ægypto itinere. xl. dierum.

Ad tertiū. Ad tertium, ꝙ secundum iura ciuilia ibi censetur locus religiosus & videtur corpus simpliciter esse sepultum vbi sepultum est caput: ergo multò fortius vbi caput cum multis alijs membris: Dicendum, ꝙ hoc dictum est secūdum fictionem quandam iuris ciuilis. sed sicut ius ciuile habet suā fictionem, sic & ius naturale. Ius enim ciuile, quia iudicat principaliter secundum ea, quæ apparent publico iudicio humano, & quia in capite sunt sensus omnes: ideò secundum ius ciuile magis nobile & principale membrum totius corporis iudicatur, & corpus censetur esse sepultum vbi sepultum est caput, nec reputat residui corporis sepulturam. Iuxta hoc quod dicit Ambros. super illud Psal. Vide humilitatem meam & eripe me. Reciso capite reliqui corporis truncus bestiarum corpori comparatur. sepelitur enim sine decore corpus. In capite etenim vigor vitæ. In capite est gratiæ vonustas. & hoc quia in eo primo apparent opera vitæ & sensus, & apparenter ab ipso procedunt nerui, & venæ. Iuxta illud quod dicit Ambro. ibidem. Caput est quod fouet membra omnia, & dirigit, atq; implet sensus, inde ductus venarūm, eatusque spiritus: sanguinis vires in totius corporis partes deriuantur. Ius verò naturale, quia iudicat secundum dictamen naturæ, & in corde principiū est & sedes animæ secundum ꝙ dicit Philosophus in de animalibus. Membrum diuinum est cor, & eius inhabitator est anima, & à corde est primum principium vitę & motus & sensus, quo vita manifestatur in viuentibus, & in ipso vltimo deficiunt, & primo formatur, & post ipsum cętera membra quæ fundantur in ipso, vt lineæ ductæ ad circunferentiam in centro, & ab ipso oriuntur venæ, & arteriæ, quæ sunt delatrices in sanguine spirituum & virium animæ ad cætera membra corporis, vt determinat Philosophus ibidem: idcirco secundū ius naturale magis nobile, & principale membrū est cor, & corpus censendum est potius secundum fictionem iuris naturalis ibi esse sepultum, q̄ vbi sepultum est caput, & reputari debet residui corporis sepultura absque corde fore sine decore. Vnde & potius censendum ꝙ ibi resurget homo vbi cor sepultum est, delato ad cor toto residuo corporis, & eidem compaginato ibidem potius, q̄ è conuerso. vt enim dicitur Ezech. 37. vbi loquitur Prophota de resurrectione, in commotione dici nouissimæ dicitur. Ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa, vnunquodque ad iunctuam suam, & est illa iunctura in corde sicut in centro, in quo vi-

get

get anima, & à quo inchoatur motus animalium progressiuus, vt habitum est supra, & sic secũdum fictionem iuris naturalis potius consendum est corpus regis esse sepultum apud fratres, quàm apud monachos.

Ad quartum. Ad quartum, ꝙ secundum iura ciuilia princeps potest mutare tumulos, &c. Dicendum, ꝙ argumentum falsum supponit, quia non inuenitur in iure ciuili, ꝙ princeps possit mutare rationabilem voluntatem defuncti, vel totum corpus, vel partẽ corporis alibi sepeliendo. Sed si corpus iam sepultum debet transferri de loco ad locum, hoc debet fieri auctoritate principis vel rectoris prouinciæ. & Glossa ordinaria exponit id est Papę vel Episcopi. Et quicquid dicant de hoc iura ciuilia, hoc est contra iura canonica, quæ districtè prohibent ne personæ sæculares disponant de rebus Ecclesiasticis. Quare cum in omnibus rebus corporalibus nihil habet Ecclesia preciosius, q̃ reliquias fidelium, quos omnes sanctos reputamus postquàm in fide Catholica decessisse creduntur, quia illas resurrecturas resurrectione gloriosa credimus resumptis animabus, & per animas gloria perfrui sempiterna, nihil ergo circa reliquias corporum fidelium defunctorum in Ecclesia vel in cimiterio sepultorum habent omninò principes disponere, nec corpora tumulata propria auctoritate de tumulo in tumulum transmutando, sicut nec corpora non tumulata eorum, qui certas sepulturas elegerunt, partiendo, & diuersis Ecclesijs ea tumulanda tradendo.

Ad quintum. Ad Quintum. reges prædecessores noui regis intestina prædecessorum suorum & vxorum in longinquis partibus morientium partiri consueuerunt, &c. Dicendum ꝙ si decedentes elegerunt sepulturam pro corpore suo in certo loco, nisi magna necessitate, & rationabili de causa intestina à corpore separare alibi sepeliendo nec debuerunt, nec potuerunt, nec quæcunque consuetudo in hoc daret eis ius super hoc, quia non esset consuetudo sed corruptela, intromittendo se de rebus Ecclesiasticis disponẽdis, nisi in casibus à iure vel ex priuilegio sibi commissis. Quæ rationabilis causa si superueniret, posset simul secũdum ꝙ superius tactum est, sepelire in vna Ecclesia intestina, vel in diuersis partiendo ea. Si tamen contingeret ea vel partem eorum asportare propè locum electum sepulturæ corporis sui simpliciter, ius haberent, & habuissent personæ illius Ecclesiæ petendi asportatum, & illi apud quos inuentum esset tenerẽtur restituere. Quòd si aliquas expensas in asportãdo fecissent, fortasse possent agere ad interesse, vel erga hæredem defuncti si suis expensis non fuisset asportatum, vel erga personas illius Ecclesiæ.

Ad sextũ. Ad sextum, ꝙ intestina tota, postq̃ data erant fratribus ad tumulandum, sicut potuissent ea licitè tumulasse nisi consilium mutatum fuisset, sic potuerunt ea vel partem eorum, vt cor deferre ad tumulandum vbi modo tumulatum est: Dicendum ꝙ non est verum, quia dicta intestina non fuerunt eis data nisi ad certum actum. s. tumulandi ibi, & statim, & hoc propter eandem causam, qua extracta sunt ex corpore. propter quod non potuerunt ea vel partem eorum deferre vel conferre ad alibi tumulandum.

Ad septimum. Ad septimum respondendum est per idem.

Ad octauum. Ad octauum patet per idem & per prædicta, ꝙ re vera rex iuuenis potuit dare cor ad tumulandũ vbi alia intestina sunt tumulata, vel per se tumulandum in alia Ecclesia ex rationabili tamen causa, vel simul cum alijs intestinis, sed ad defendũ propè locum, vbi pater suus elegerat corpora simpliciter suam sepulturam, non potuit dare, quia tunc cessasset causa, quare deberet alibi sepeliri ipsum aut alia intestina. si enim possent defendi sine magno grauamine & periculo, ipse teneb̃atur ea deferre vsque ad locum sepulturæ electæ, sicut dictum est.

Ad nonũ. Ad nonum, ꝙ Abbatis & Monachorum consensus interuenit & auctoritas superiorum. Dicendum resumendo secundum membrum distinctionis propositæ in principio, ꝙ si liberalis consensus eorum interuenit, & auctoritas superiorum liberaliter, si tamen cum hoc habuerunt auctoritatem commutandi ordinationem defuncti, re vera licitè factum est quicquid super cordis sepultura factum est, nec ipsi tenentur cor restituere, nec monachi possunt aut tenentur ipsum repetere, quia supponendum est, ꝙ si fecissent liberaliter, legitimam rationem dispensandi in hoc illi superiores habuissent. aliter enim non fuisset legitimè factũ coram Deo, & periculũ delicti immineret, quod in hoc esset commissum, illis superioribus, & illis qui eos ad hoc induxerunt quicunque erant.

Ad primũ principale. Et per hoc respondẽdum est ad primam rationem quæ dicit. Si quis autem in casu non concesso & c. dicendo ꝙ in hoc verbo explicatur solutio, consensu enim libero partis interuenientis & superiorum dispensatione legitima, faciunt casum in quo fratribus conceditur sepelire cor.

Ad secundum. Per idem patet ad secundum, quòd subtrahens vnum de. x. quæ legata sunt, tenetur istud restituere. Verum est nisi fiat de consensu illius cui subtrahitur, & hoc in rebus Ecclesię ex auctoritate superiorum super hoc potestatem habentium, sicut secundum positionem contingit in proposito. Si verò consensus Abbatis & Monachorũ fuit non liberalis, sed coactus, & metu amittendi bona iam habita, vel non adipiscendi bona adipiscenda, illicitũ erat coram Deo quicquid erat factum, nisi superiores ex legitima causa habuissent potestatem in hoc mutandi voluntatem defuncti, etiam contra voluntatem Abbatis & Monachorum. Potuerunt tamen per talia verba expressisse suum cõsensum: licèt contrarium habuissent in mente, ꝙ tali consensu adueniente auctoritate superiorum, Abbas & Monachi nullam fortè haberẽt potestatem eor repetendi, neq; fratres tenerẽtur ipsum restituere.

Dico

Dico quantum ad forum Eccleſiæ militantis, licèt coram Deo & in conſcientijs totum eſt contrariũ. Si verò fuiſſet conſenſus illorum omninò liberalis, & non ſuperueniſſet auctoritas ſuperioris, credo, ꝙ non valuiſſet conſenſus illorum in præiudicium Eccleſiæ, in cuius fauorem rex elegit ſepulturam, & tenerentur monachi repetere cor, & propterea illi reſtituere, vt 23. quæſt. 12. Si is qui. vbi dicitur. Ea quę in nobis committuntur facilè poſſumus remittere, ea verò quæ in Deum ſunt commiſſa, cum magna diſcretione. vbi dicit Gloſſa. Sed nunquid Epiſcopus poteſt remittere iniuriam illatam Eccleſiæ? Non credo, ꝙ poſſit ſolus Epiſcopus remittere. Nam Epiſcopus procurator dicitur Eccleſiaſticarum rerum, vt 12. quæſt. 1. c. vlt. Vnde cum ſit procurator conditionũ Eccleſiæ, nõ poteſt facere deteriorem, vt extra. de donationibus, cap. 2. quare multò minus, nec Abbas cum conuentu, & ſic tenerentur Monachi repetere cor, ſi tamen ſine ſcandalo fieri poſſet. 23. quæſt. 4. Non poteſt. l. d. Vt conſtitueretur. Similiter ſi ſuperiores metu, qui cadere potuit in conſtantem virum, inducti fuiſſent ad adhibendum conſenſum verbo vel facto cordis ſepulturæ, non valuiſſet fratribus coram Deo, quin tenerentur reſtituere, licèt fortè ab Eccleſia ſuperioribus habentibus ratũ factum ſuum non cõgerentur reſtituere, nec monachi poſſent repetere. Quid autem ſuper hoc veritatis ſit, quo ad hæc quæ in mero facto conſiſtunt, ipſi per quos actum eſt viderint.

Comment. in Quæſtionem XII. quæ eſt,

Vtrum qui ſepeliuit in ſua Eccleſia partem corporis illius, qui elegit ſepulturam corporis ſimpliciter, teneatur partem illam reſtituere, & illi, apud quos fuit ſepultura pro corpore ſimpliciter electa, teneantur illam repetere.

RESPONDEO maxima ex parte declaratur ab Auctore in corpore quæſtionis, & in initio. In ſimilo quidem ex caſu dato, in corpore verò ex ſuppoſitionibus. Quippè ſupponitur, ꝙ locus electus ſit ſepulchrum patrum ſuorum, nempè illius, qui elegit, quodq; vergati in detrimentum, & in iniuriam Eccleſiæ electæ. & ꝙ nulla rationabilis cauſa fuerit, propter quam vel cor, vel aliam partem quis ſepeliuit in Eccleſia ſua.

Not. quoque, quòd in corpore ſoluitur quæſtio circa hoc factum, inquantum ipſum factum accipitur ſecundum ſe, non autem quatenus diſpenſatione, auctoritate, atque conſenſu id geſtum eſt, de quo formo habetur in calce quæſtionis, vt ipſe Auctor dicit.

In corpore igitur quæſtionis, ſuppoſitis illis, eſt concluſio affirmatiuè reſponſiua quæſito. ſ. quod & illi repetere debent, & iſti reſtituere. Probatur. Voluntas rationabilis adimplenda eſt. Sed voluntas, puta regis ſimpliciter eligentis ſe ſepeliri in Eccleſia tali, rationabilis eſt, igitur adimplenda ſimpliciter eſt. Iam verò tunc ſimpliciter adimpletur, cum ſicut elegit ſepeliri, ſepelitur, ergo. Eſt autem ſepeliri ſimpliciter, integrè ſepeliri.

Quòd autem voluntas taliter eligentis ſit rationabilis. Probatur tùm ex parte loci, in quo elegit ſepulturam, cùm etiam ex parte corporis ſepeliendi. Ex parte loci quidem, quoniam ibi ſupponitur eſſe ſepulchrum patrum ſuorum. In ſepulchro autem patrum ſuorum ſepeliri videtur rationabile, quando & id tanti fecerint antiqui Patriarchæ amici Dei. Vt patet de Iacob, & Ioſeph, & pluribus pariter alijs. Ex parte corporis etiam patet, quia ſit magis conſonum rationi, ꝙ corpus integrum ſepeliatur. Quod ex Apoſtolo patet in litera. & quidem omnia clara videntur. Probatur etiam de mente Auctoris hæc concluſio, duobus prioribus argumentis in fronte quæſtionis, ſuppoſitis ſupponendis, vt patet in eorum ſolutione, quæ quoniam ſatis faciliter prolata ſunt, ſinamus ea ibi legenda lectori.

Not. illud, quod D. Thomas in 4. ſententiarum dicit diſt. 45. quæſt. 2. art. 3. Quòd Sancti patres procurauerunt ſepulturam pro ſuis corporibus ſepeliendis, vt oſtenderent ea pertinere ad Dei prouidentiam, & reſurrectionem. Vbi ex his D. Thomæ verbis duo habentur, ſ. quòd ſit rationabilis ex parte loci voluntas eligentis, quia ſic voluntas eligentis conformatur diuinæ prouidentiæ. ex parte verò corporis, quia voluntas tendit ad ſpem beatæ reſurrectionis, quod tangitur etiam à Doctore in corpore quæſtionis.

Vide Armil. in verbo ſepult. num. 22. vbi accepto facto in ſe eandem concluſionem de toto videtur habere. ex c. Fraternitatis. de ſepult. &c.

QVAESTIO XIII.

Vtrum gratia, & gloria ſint idem.

SEQVVNTVR illa, quæ pertinent ad humanam naturam, & ad homines generaliter. Vbi quærebantur quædam ex parte animæ, quædam verò ex parte corporis, quædam verò ex parte coniuncti ex corpore, & anima. Ex parte animæ quærebatur vnum pertinens ad ſtatum eius ſupernaturalem: vtrum gratia, & gloria ſint idem. Et duo pertinentia ad ſtatum eius naturalem. Vnum ex parte ſuæ ſubſtantiæ, vtrum ex fundamentis Ariſtot. poſſit oſtendi, ꝙ intellectus in omnibus ſit vnus numero, an contrarium poſſit demonſtrari. Aliud ex parte operationis eius, vtrum in nobis ſit aliquod intelligere abditum.

Circa primum arguitur, ꝙ gratia, & gloria non ſint idem, quia eiuſdem habitus idem eſt actus. ſed non eſt idem actus gratiæ, & gloriæ, quia ſi eſſent idem; cum actus gloriæ ſit immediatè videre Deũ per eſſentiam, tunc idem actus eſſet gratiæ, & habens *Arg. prim.*

bens gratiam videret Deum immediatè per essentiam licèt incompletè, sicut gratia esset habitus incompletus respectu gloriæ, siue gloria incompleta, si gratia & gloria essent idem. consequens falsum est. ergo & antecedens.

In oppos. Contra, vnus est habitus eliciens actum beatitudinis in diligendo Deum ex parte voluntatis, & hic, & in futuro, vt est habitus charitatis. ergo & similiter in cognoscendo. quare cùm habitus, quo ipsum in præsenti cognoscimus sit gratia quædam, & quo in futuro eum cognoscemus erit gloria. ergo &c.

Responsio. Dicendum, ꝙ quàmuis aliquando solet appellari gloria obiectum in quo beati gloriantur, ſm ꝙ dicitur in Psal. Gloria mea tu es: Aliquãdo actus videndi siue cognoscendi Deum. Hiere. 9. Qui gloriatur in hoc glorietur, sciret nosse me: Aliquando delectatio consequens. Esa. 66. Delitijs affluatis ab omnimoda gloria eius, hic tamen solùmmodo sumitur pro habitu, & hoc principaliter ex parte intellectus, de quo est maior dubitatio, q̃ de habitu ex parte voluntatis. Ex parte enim voluntatis habitus est charitas, quo diligimus Deum, & in præsenti, & in futuro, non sic autem ex parte intellectus est aliquis habitus, quo in præsenti Deum videmus, & in futuro videbimus. Vnde est quæstio utrum sit in futuro aliquod lumẽ gloriæ beatis infusum differens per essentiam à gratia, quæ habetur in præsenti sine tali lumine, quod gloria appellatur. Esa. 60. Venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Et est hic supponendum ſm ꝙ alibi determinauimus, ꝙ gratia gratum faciens existens per se in essentia animæ ipsam in benè esse supernaturali perficiens, & reddens Deo gratã, ab essentia redundat in potentias, & eas perficit ſm diuersitates potẽtiarum, ſm diuersas rationes diuersarum virtutum, quemadmodum lux infundens se in in substantiam nubis sub ratione lucis p diuersam dispositionem in diuersis partibus eius diffundit se sub ratione diuersorum colorum, vt patet in iride. Vt secundũ hoc in re gratia, & virtus gratificans sint idem, & differant sola ratione. Et est donum charitatis, vt perficit voluntatem ad actum supernaturalis voluntarij amoris, & intellectum ad actum supernaturalis intellectualis cognitionis. Et hoc posuimus ibi. quia ad hoc quod fieri potest qer pauciora non sunt expetenda plura. Finaliter non restat hic videre, nisi an gratia perficiens totam animam secundum dictum modum sufficiat ad perficiendum eam in patria sicut hic in via. Quia si sic, ponendum est, ꝙ gratia & gloria sint idem. Sin autem, ponendum est, ꝙ sint diuersa. Et dicunt aliqui ꝙ cognitio Dei in via, & in patria omninò alterius, & alterius rationis est. Potentia autem cognitiua, quæ dispositione eget ad actum cognoscendi sicut indiget intellectus ad cognoscendum Deum, secundum diuersitatem actuum diuersimodè debet disponi. debet ergo esse alia dispositio intellectus in via & in patria. Cum ergo dispositio patriæ est gloria, & dispositio viæ est gratia, gloria igitur, & gratia nullo modo possunt esse idem.

Quemadmodum ergo diuersi sunt habitus scientiales, quibus ex diuersis scientijs habentur diuersa media ad cognoscendum eandem conclusionẽ, puta terræ rotunditatem per medium naturale & geometricum, sic sunt diuersi habitus gratiæ quibus disponitur intellectus ad cognoscendum Deũ, non nisi sub ænigmate in præsenti, & reuelata facie in futuro. Et quia voluntas sequitur intellectum: ideò etiam requiritur in voluntate diuersus habitus ad diligendum in patria, alius ab eo quo diligit in via. Et dicunt, ꝙ quemadmodum gratia existens in essentia animæ redundat in potentias animę, & sic totam animam perficit in præsenti, sic habitus gloriæ est in substantia animæ redundans in omnes potentias animæ, pro quanto sunt participes beatitudinis. & sic perficit totam animã. Sed si ita esset, sicut in vita præsenti non habentur in anima habitus gloriæ, quia superfluerent, cũ actus eius in præsenti non habeat exerceri, sic in vita futura non haberẽtur in anima habitus gratię: quia eius actus non haberentur ibi, & superfluerent ponere habitus vbi non possunt exerceri actus. Præterea qualitercunque res se habeat ex parte intellectus, non sic se habet vt dictum est ex parte voluntatis. actus enim diligẽdi nõ est alius, & alius in quocunque statu, quia non est virtus ab obiecto passa, sed seipsam faciens in obiectum, vt habitum est supra. Et ideò sicut quantum est ex parte sua non est alterius rationis, quo ad informari actione volitionis, & quo ad id quo seipsam habet informare, sic nec est alia & alia actio volendi obiectum qualitercunque in intellectu præsentetur siue in ænigmate siue apertè.

Vnde etsi voluntas sequitur intellectum in hoc ꝙ non potest velle nisi cognitum, non tamen ad diuersum genus cognoscendi sequitur diuersum genus volendi. & differt solum penes perfectum, & imperfectum, vt bonum perfectius cognitum perfectius diligatur. Si ergo ex parte intellectus ponitur habitus gloriæ diuersus ab habitu gratiæ, nisi propter diuersum genus cognitionis, ideò è contra ex parte voluntatis non debet poni alius, & alius, sed sufficit idem propter idem genus volendi, & differens solum sicut perfectum & imperfectum, vt sicut charitas imperfecta in via, quæ voluntatem imperfectè eleuat, & assistẽte & cooperante principaliter Spiritu sancto, vt charitas increata elicit actum volendi gratuitum licèt imperfectum, sic charitas perfecta in patria uoluntatem eleuet perfectè, & Spiritu Sancto principaliter operante eliciat actum uolendi gloriosum perfectum.

Ex parte autem intellectus secus uidetur, quoniam licèt ex parte uoluntatis non inueniatur nisi dictum est nisi unus modus uolendi, ex parte tamen intellectus inuenitur triplex modus cognoscendi, scilicet

ſcilicet credendo per fidem, intelligendo per ſapientiam, nomine ſapientiæ cõprehendendo omnes habitus cognitiuos, & uidendo per Deitatis claram præſentiam. Quare cum actui credendi, qui non manebit ſicut nec fides propter repugnãtiam eorum ad apertam uiſionem, ratione imperfectionis ex parte ænigmatis ei annexæ, ſuccedet actus uidendi, ad quem non ordinatur elicitiuè habitus ſapientialis, quia eſt per ſe ad eliciendum actum intelligendi, & idem habitus non eſt ad diuerſos actus elicitiuè, cum omnis actus maximè ſupremus, & nobiliſſimus requirat habitum diſponentem potentiam & aptantem ad actum: ſi.n. requiritur in actibus inferioribus propter eorum excellentiam, qua excedunt ſtatum naturæ, multò fortius in actu ſupremo, qui ſummè excedit ſtatũ naturæ, neceſſe eſt ergo ponere habitum manentẽ euacuata fide, diſponentem & eleuantem intellectum ad uiſionem glorioſam, qui ſit lumen aliqd ſupernaturale, quod appellatur lumen gloriæ, ut ſecundum hoc propter actum intellectus lumen iſtud non ponatur in ſubſtantia animæ, qua ſufficienter diſponitur per gratiam, & aptatur ad omnem perfectionem recipiendam per actus in ſuis potentijs, ſicut uoluntas ſufficienter diſponitur habitu creatæ charitatis, ſed ponatur ſolùmmodo in potentia intellectiua ad perficiendum ipſam ſecũdum dictum modum. Et ideò quia à radice gratię exiſtentis in ſubſtantia animæ non redundat lumẽ iſtud in intelligentia, ſed immediatè illi à Deo infunditur, propterea dicunt, ℘ gloria, & gratia non ſunt idem.

In dicto iſto non uideo aliquam neceſſitatem. cum enim lumen iſtud non intelligitur poni, niſi propter actum uidendi, conſtat autem, ℘ actus uidendi non elicitur in intellectu ex habitu aliquo, quia habitu vti poſſumus quando volumus, & ſic abſque præſentia diuinæ eſſentiæ ſe manifeſtantis ex habitu illo poſſet elici actus videndi, quod falſum eſt: immò ipſa ſola præſentia luminis increati elicit in intellectu actum hunc videndi, ſecundũ ℘ alibi euidentius declarauimus, & ſic lumẽ iſtud gloriæ non oportet ponere ad diſponendum potentiam in eliciendo actum videndi: ſi ergo ponere ipſum ſit neceſſe, hoc non erit niſi ed diſponendum potentiam in eleuando eam, per hoc eam aptando, vt præſentia diuinitatis eliciat in ea actũ videndi. Ad quod faciendum vt videtur ſufficit habitus ſapientiæ, quemadmodum ex parte voluntatis ſufficeret habitus charitatis ad eleuandum, etſi non ſufficeret ad eliciendum, nec etiam in eliciendo aliquid cooperaretur. Nec vt videtur propter aliud oportet ponere habitum ſapientiæ in patria. actus enim intelligendi credita pro ſtatu viæ, quia non erat niſi ex fidei ſuppoſitione in fundamento, vt alibi declarauimus, non manet in patria, ſicut neque fides, licèt maneat actus intelligẽdi naturalis, niſi ponatur habere alium actum intelligendi in patria, quem habuit in via ex fundamento fidei aut fortè eundem ſecũdum alium modum. Vnde licèt habitus ſapientiæ non ordinatur ad actum videndi in patria in eliciendo, neque ad actum intelligendi eliciendum, quem eliciebat in via, aut non ſecundum eũdem modum, ordinatur tamen ad actum videndi in eleuando potentiam, & aptando eam vt ſit idonea ad recipiendum illum, etſi in eo ℘ ordinatur vel ordinabilis eſt ad actum aliquem eliciendum alium ab actu videndi, vocetur habitus ſapientiæ, in eo tamen ℘ ordinatur eleuatiuè ad actum videndi, non nominatur, niſi habitus gloriæ. Quod mihi videtur potius ponendum, & ſecũdum hoc dicendum, ℘ idem ſunt gratia, & gloria, quia gloriæ lumen non eſt niſi perfectus habitus ſapientiæ, quæ non eſt niſi gratia redundans de eſſentia animæ in potentiam intellectiuam. Si tamen cum hoc ponatur lumen ſuperius, quod gloriæ lumen appellatur, non pertinaciter reſiſto, neceſſitatem tamen non video. & ſecundum hoc concedendum eſt ſecundum argumentum.

Ad primum in oppoſitum ℘ gratia, & gloria non ſunt idem, quia actus glorię non eſt actus gratiæ. Dicendum, ℘ actus dicitur gloriæ, vel quia eſt actus, qui eſt ipſa gloria, vel quia eſt actus à gloria elicitus. Et ſimiliter poteſt dici actus gratiæ dupliciter. ſumendo actũ gloriæ primo modo eſt ipſum videre, quia ipſe actus eſt ipſa gloria ſecundum vnum modum, vt iam ſupra dictum eſt, & actus gratiæ illo eodem modo non eſt videre, vt procedit obiectio, ſed ſolùmmodo gratificare animam Deo, & ſic verum eſt, ℘ actus gloriæ, & gratiæ non ſunt idem, nec gratia & gloria. Actus gloriæ ſecundo modo ſumendo ly gloriæ dicitur ipſum videre, quia eſt habitus, qui dicitur gloria ſecundum aliũ modum ſupra tactum. Iſto autem modo gloriæ idem eſt actus gloriæ & gratiæ, quia idem ſunt habitus cuius actus eſt videre nõn elicitiuè, ſic enim per gratiam in præſenti videremus Deum, licet imperfectè, vt procedit obiectio, ſed eleuatiuè ad quẽ eleuat imperfectè ad videndum Deum in præſenti imperfectè, & in tranſitu, ſi ſe vellet manifeſtare, quemadmodum viſus fuit à Paulo in raptu. Sed perfectè eleuat in uita futura ad uidendum Deum perfectè in permanentia, quemadmodum uidetur à beatis.

Ad argu. princ.

Com-

QVAESTIO XIII.

Vtrum gratia, & gloria sint idem.

IN titulo intelligitur de gratia communiter non distinguendo, sed tamen aliter resoluitur quæstio, vt dicetur. Vtrum sit idem realiter cum gloria, s. cum lumine gloriæ, quod habetur in patria, & nota, quòd quæstio est de gratia in hac vita habita, quæ in alia non videtur euacuari, & quidem quæritur vtrū hæc habita gratia sit idem cum illo lumine gloriæ in patria habito.

In corpore duò habemus. Primum est reprobatio opinionis, quam quidam dicunt esse D. Thomæ. Secundum est conclusio responsiua quæsito.

De primo, opinio est. Quod gratia, & gloria differant, quia hæc tantùm disponit ad videndum Deum ænigmaticè, gloria verò disponit ad videndum Deum apertè. ex quo sequitur, ꝙ cum voluntas sequatur intellectum, aliter diligit homo Deum per gratiam, hoc est alio habitu per gratiam, & alio per gloriam.

Hanc opinionem reprobat Auctor. Primò, quia tunc euacuaretur habitus gratiæ in patria, quia actus elicitus ex tali habitu non videtur esse in patria, quia ibi Deus videtur apertè, & perfectissimè diligitur. Vbi autem actus non est, nec habitus est, sed ꝙ euacuetur falsum est, igitur.

Secundò. Quomodocunque se habeat ex parte intellectus, non ita se habet ex parte voluntatis. Probatur. Quoniam quo ad actus voluntatis circa vltimum obiectum non sunt diuersi nisi secundum perfectum, & imperfectum, vt pura imperfecti in vita, vel in via. perfecti vero ijdem in patria. Sed actus intellectus sunt diuersi, quia est actus videndi per fidem, & actus per donum sapientiæ, & per præsentiam diuinitatis. Horum autem in patria sola fides euacuatur. Non euacuatur autem habitus sapientiæ, qui eleuat in patria mentem ad cognoscendum, & ordinatur ad lumen gloriæ ita, quod est idem cum ipso.

De secundo hæc est conclusio, quod gratia, & gloria sunt idem. Probatur. Quia lumen gloriæ est perfectus habitus sapientiæ, sed iste habitus est gratia redundans de essentia animæ in potentiam intellectiuam.

Quicquid sit de illa opinione, siue D. Thomæ sit, siue non. Credimus vel laborem in æquiuoco esse, vel litem non esse, nisi verbis. Quantum siquidem videre licèt, distinguendum est de gratia, ita vt alia sit secundum omnes gratis data, alia gratum faciens. Et tunc aliter resoluenda est quæstio de vna, & aliter de altera. si sermo sit de gratia gratum faciente. D. Thomæ sententia est rectissima, ꝙ tùm differat à gloria, cùm etiam non differat. Nam si accipiatur gratia, secundum quod eam accipit 22. quæst. 24. art. 3. ad 2. ipsa prorsus differt à gloria, quia sit inchoatio quædam gloriæ in nobis. Iam verò si accipiatur, vt accipitur prima sec. quæst. 3. art. 3. ad secundum, & 3. sententiarum dist. 13. quæst. 1. & alibi. pro gratia consumpta, tunc re vera non differt à gloria, quod ipse dicit ibi. Non est autem quod velit aliam gratiam esse, quia ibidem vt gratiam viæ, & patriæ eandem esse numero. Sed variari tantùm secundum perfectionem & imperfectionem, non respectu dantis Dei, sed recipientis creaturæ. Sed non videtur Auctor ad hanc gratiam gratis. s. datam respexisse. sed vtique ad gratiam gratum facientem, ad quam reducitur habitus sapientiæ, Dona. n. Spiritus Sancti gratuita sunt, & gratis data, pertinentia ad gratiam gratis datam, de qua cum loquimur, idipsum videtur dicendum, quòd de alia gratia dictum est. si. n. de habitu sapientiæ loquamur, quo cognoscimus Deum; nulli dubium est, quod idem est prorsus in via, & in patria, respectu quidem dantis Dei, sed non respectu recipientis creaturæ, in qua variatur secundum perfectum, & imperfectum. Vt in hac quidem vita habitus sapientiæ gratis datus sit quidam diuinæ visionis, in patria verò sit aperta visio superueniente lumine gloriæ. siue hoc lumen sit idem quod ille habitus, siue aliud quiddam. Vbi not. ꝙ si sit idem, tunc apertissimè gratia & gloria sunt idem. ita tamen vt habeatur recta consideratio, ꝙ in patria, & via variatur, non respectu dantis, sed recipientis, vt dictum est. si verò non sit idem, sed lumen gloriæ est quid superadditum, non ita videtur idem gratia atque gloria. Quòd autem sit distinctum nec recipit Auctor, nec spernit, vel reijcit. Id clarum est, quòd exigitur gloriæ lumen, etiam secundum Clement. de hæret. c. ad nostram. Vbi damnantur illi, qui huiusmodi lumen negarent.

Not. ꝙ in responsione ad argumentum contra, videtur Auctor loqui de gratia gratum faciente, non de gratis data, quod tamen nihil refert, quoniam idem dicendum est, sicut prius.

Not. ꝙ ex declaratione apparet, ꝙ responsio, quam dedimus Scoto ad primum illud in 4. quolib. quæst. 10. negantes identitatem gratiæ, & gloriæ, non contrariatur huic conclusioni, quoniam non ita verificatur, quin possit oppositum dici ab Auctore. Quod etiam apparet in responsione ad argumentum ex eodem Auctore. Quod si modo argueret Scotus, quod ei sufficit, aliquo pacto esse idem. negabitur gloriam non esse in essentia, quia ex Auctore lumen gloriæ est ipse habitus sapientiæ perfectus redundans de essentia animæ in potentiam intellectiuam.

QVAESTIO XIIII.

Vtrum ex fundamentis Aristotelis possit ostendi, quòd intellectus sit vnus numero, an contrarium possit demonstrari.

Responsio. CIRCA secundum nullum proponebatur argumentum. Dico tamen non dubitando, quin singulorum sint intellectus, siue animæ rationales, sed dubitationem supra sententiam Aristotelis circa hoc, alijs dicentibus, ꝙ sensit unum intellectū esse in omnibus, alijs, ꝙ multos, pertractando. In primis mihi uidetur non esse mirum, ꝙ homines dubitabant, quid sensit Aristoteles super his duobus. s. an intellectus sit forma, & actus corporis, & an sit idem numero in diuersis, an singulis singulis. Immò ut arbitror ipsemet semper super illis in dubio fuit, nec unquàm pro suppositio quasi principio habuit, ꝙ intellectus unus in omnibus fuit, neque ꝙ diuersi in diuersis, neque ꝙ esset forma, & actus substantialis corporis, neque ꝙ non esset, sed inter utrunque horum fluctuans, modo pro una parte modo pro alia, apparentia protulit. secundum ꝙ quidam expositorum eius tàm Græcorum, quàm Arabicorum exponunt eum in omnibus dictis suis pro una parte, & alij pro alia. quia enim

enim dubitans fluctuat, non tantùm dicit pro una parte, cui fortè magis adhæret, quin cum hoc plurima alia dicit, quæ apparent esse pro parte contraria ipsa veritate contrariante coactus. Vnde nec ex nudis propositionibus, quæ modo videntur sonare pro vna parte magis, modo pro alia, nec ex dictis expositorum eius, sed ex fundamentis eius de quibus nulli dubium est, quin ea per intentionem statuit, inspiciendum est quid super præmissis sentiat, aut saltem cui parti magis cõsentiat, etsi de altera parte certus non fuerit. Vbi est aduertendum, ꝙ consideratio de anima humana ad duplicem scientiam in Philosophia pertinet. s. ad naturalem, & ad Metaphysicam. secundum enim ꝙ dicit in 2. Physic. Physicum oportet cognoscere speciem quemadmodum Medicum neruum, & fabrũ æs, vsquequo causa vniuscuiusque, & circa hoc, quę sunt separatæ, quemadmodum species, in materia autem, homo enim generat hominem & sol, quomodo autem hæc separabilis, & quid sit, Philosophiæ primæ determinare opus est. Hoc est dicere, ꝙ naturalis Philosophus considerat formam separatam, in materia tamen existente vsque ad terminum aliquem determinatum secundum causam finalem intentionis suę, quemadmodum Medicus considerat neruum inquantum pertinet ad sanitatem, quæ est finis eius, & similiter faber æs inquantum pertinet ad artificiatum ex illo. Et est ille terminus Philosophi naturalis circa formam partim separatam, & partim in materia existentẽ, cuiusmodi est anima rationalis, quæ est forma hominis secundum ꝙ est terminus generationis dãs homini esse, & quo ad hoc pertinet ad considerationem naturalis. Inquantum verò est separata secundum virtutẽ intellectus, qui proprius est homini, pertinet ad considerationem Metaphys. ſm ꝙ dicit 12. Metaph. Causæ mouentes sunt, quæ præcedunt. hæc autem sunt simul. sicut homo est sanus, sanitas & homo sunt simul. Si autem aliquid remanet in postremo, quęrẽdum est de hoc. Si enim anima talis est dispositionis non tota, sed intellectus, totam enim fortè est impossibile. Hoc est dicere, ꝙ causæ mouentes præcedunt generatum, forma autem est simul cum eo, quia nõ prius habet esse homo sanus, quàm hẽt esse sanitas eius, sed si aliqua remanet sine eo cui° est forma de hoc quærendum est. s. in Metaph. Nota ꝙ dicendo si talis, non asserit ꝙ sit talis, & ꝙ maneat post hominem, licèt asserat, ꝙ non præcedat, supposito tñ quòd sit forma, & actus substantialis materiæ.

Ex quo primò euidens est ipsum nõ asserere quòd in homine sit aliqua forma, quæ manet homine corrupto. Quod ergo quærit. 3. de anima. Vtrum autem intellectus separatus à magnitudine intelligat aliquid separatum, sub dubio proponit, sicut & illud primo eiusdem. Si est aliquid animæ operum aut passionum proprium, cõtingit vtique separari. si verò nullum est proprium ipsius, non vtique erit separabilis.

Secundo verò euidens est ex eodem ipsum nõ asserere intellectum esse formam & actum materiæ. Ex quibus tertiò vlterius non est euidens, an posuerit intellectus plures plurium, vel vnicũ singulorum. Si enim sensisset, ꝙ non esset actus, & forma materiæ, sed oĩnò ab ea separatus, ex fundamento suo, quod indubitanter posuit, quòd sub eadem specie non plurificantur indiuidua, nisi per materiam, vt iam declarabitur, necesse habebat ponere, quòd singulorũ non sint singuli intellectus, sed vnicus omnium, & è contra si sensisset quòd esset actus, & forma materiæ, ex fundamento quo posuit, quòd species existens in materia, vt forma & actus eius plurificatur secundum plurificationẽ materiæ, vt iam declarabitur, necesse habebat ponere, quòd singulorum singuli sint intellectus. Quare cum euidens est, quòd non asseruit intellectum esse formam, & actum materiæ, nec etiam negauit, similiter euidens est, quòd nec asseruit intellectum esse vnicum omnium hominum, nec singulos singulorum. Vnde nullus potest certitudinaliter coniecturare, si Aristot. conclusionem concessisset, aut rationi respondisset qua probatur, quòd non sint singuli intellectus singulorum, quia cum intellectus proprius manet secundum veritatem quolibet homine corrupto, & secundum Aristotelem ponentem mundum æternum, infiniti homines præcesserunt: ergo nunc essent infiniti intellectus simul manentes & existentes. Nec potest aliquis supponere quid Aristot. respondisset, quia non habetur ab ipso, quòd assertiuè posuerit intellectum esse actũ materiæ, & plurificari per ipsam atque manere in postremò, quia si hoc posuisset, necesse est ipsum concedere conclusionem; si autẽ non posuisset, negasset illam, quę dicitur, quòd homine corrupto manet aliquis intellectus proprius eius post ipsum. Conclusionem autem dictam nõ concederet, nisi ſm modum quo dicit Algazel in Metaphysica sua, ꝙ in quo fuerit multitudo sine ordine. s. essentiali, infinitas non remouetur ab eo, sicut nec à motu cœli, nec ab animabus manentibus post corpora. quoniam eo quòd vna earum non est causa esse alteri, non est ordo earum essentialis, quo remoto anima desinat esse anima, sed simul sunt in natura in essentijs suis secũdum quòd sunt essentiæ, licèt accidentaliter vna præcedit alteram secundum tempus creationis suæ. Sed re vera modum istum non poneret Aristot. quia nihil talium poneret esse nouum, vt iam videbitur. Vnde vt arbitror licèt Aristot. in ordinatis accidẽtaliter nullum esset inconueniens successiuè in infinitum ire siue ante siue post, sicut non est inconueniens diuisionem continui procedere in infinitũ secundum diuisionem & augmẽtum per diuisi appositionem, magnum tamen esset inconueniens ei ponere huiusmodi infinita simul esse in actu, sicut est ipsi inconueniens ponere continuum actu esse diuisum in infinitum, & esse aliquid actu infinitũ ex illorũ appositione. 3. Physic. Ex quo clarè patet

quòd

quòd Aristot. nunq̃ in Philosophia naturali assertiuè posuit, quòd anima separabilis esset forma hominis, quia si hoc in naturali Philosophia posuisset, nunq̃ in Metaphys. in qua supponit determinata in Philosophia naturali, sub conditione proposuisset.

Vlterius, quia ex quibusdam alijs fundamentis suis claret, ꝙ forma non est vna specie, & plures numero, nisi per materiam, dicente ipso 12. Metaph. Vnum numero plura, habet materiam, & 8. eiusdem. Omne quod non hẽt materiam, vnumquodq; eorum statim est vnum. Nec põt dici ꝙ ipse definitè posuit multiplicari per materiam, nõ quæ est aliquid essentiæ suæ, hoc.n. expressè negauit, sed cuius ipsa est actus, quemadmodum Auicen. determinat animas pluralificari secundum corpora, quia vt dictum est, nec ipse planè determinat ꝙ ipsa esset actus corporis. Vnde quia hominis actus non esset intelligere, nisi quia intellectus in anima esset forma eius, sicut Aristot. hoc non asseruit, iuxta illud. Dico autem intellectum, quo intelligit anima, si autem est aliquod primum, quo intelligamus, &c. sic nec planè determinauit quomodo homo intelligit. Vnde & cum tres sint vires animæ principales, vegetatiuum, sensitiuum, intellectiuum, vtrum intellectus differat ab alijs subiecto, vt.s. non sint in eadem substantia animæ, an sit idem illis subiecto, & sint sicut trigonum in tetragono: indeterminatum reliquit. Hinc & qñ definiens animam dixit, ꝙ anima est actus primus corporis organici, dicit non determinando de intellectu sic esse, nisi si fortè esset actus corporis, sicut sunt aliæ vires in brutis, & vegetabilibus. propter quod subdit. Si oportet aliquid commune in omni anima dicere, &c. vt supra. vbi expositum est quomodo in veritate sic est ponendum intellectiuam animam esse formam substãtialem hominis. Quàmuis.n. Aristot. non definiuit, an anima sit forma substãtialis hominis, in qua sunt vegetatiuum, sensitiuum, intellectiuum, sicut trigonum in tetragono, & quæ per substantiam suam est forma, & perfectio corporis organici, sensitiuo & vegetatiuo perfectio organorum existens, & ideò non separabilis, intellectiuo verò nullius organi existens perfectio, & ideò secundum hoc separabilis, omnia tamen quæ determinat de anima humana, determinat ac si esset de sua mente certissimè, ꝙ est vera forma substãtialis hominis, & tot animę quot homines. Quia tamen nihil certi de hoc tenuit de anima cuius potentia est intellectus, licèt certissimè tenuit, ꝙ in homine esset anima, cuius potentia esset vegetatiuum, & sensitiuum, siue in eadem anima in qua cum illis est intellectiuum, siue in alia, non existente anima forma hominis in qua est intellectiuum, sed si habeat aliquem ordinem ad hominem, hoc est sicut nauta ad nauem, totũ sub conditione dixit. sicut est illud. Quod quidem igitur nõ sit anima separabilis à corpore, aut partes quędam ipsius, si partibilis apta nata est, non immanifestum. quarundam.n. partium actus est ipsarum. At verò ſm quasdam nihil prohibet, propter qđ nullius corporis sunt actus. propter quod subdit inferius. De intellectu autem & perspectiua potentia nihil adhuc manifestum, sed vr̃ genus alterum esse. & hoc non ſm ꝙ dicit Comment. ꝙ dicta definitio æquiuocè conueniat animæ intellectiuæ cum alijs, sed vt subdit, propter contingere separari hoc sicut perpetuum à corruptibili, & hoc nõ solùm cum anima in qua est à corpore, sed ab alijs partibus animæ, ne separatæ cum anima habeant actus suos sicut hẽt intellectus suum. propter qđ subdit. Reliquæ aũt partes animæ manifestum, ꝙ non separabiles sunt. Sed de separatione ea, ꝙ illę non sint in eadem substantia animæ cum intellectu, an ꝙ sint in eadem, differẽtia sola ratione, hoc relinquit sub dubio, vbi dicit. De intellectu aũt & perspectiua potentia nihil adhuc manifestum. & cum subdit inferius. Siue separabili existente. ſ. ab alijs partibus, siue non separabili secundum magnitudinem, sed secundum rationem, & determinat differentiam, quantum ad modum operandi intellectus ab alijs quodlibet membrorum ponatur, vt paret inspicienti literam, vt dubitationẽ omnino dimittat insolutam.

Ex dictis igitur mihi vr̃ planè respondendum esse ad quæstionem pro prima eius parte dicendo quòd ex dictis suis in eis, quæ determinat de anima, vt naturalis Philosophus, benè posset ostendi, quòd intellectus sit actus, & perfectio corporis, & in veritate iudicandum esset, quòd hoc opinatus fuisset Aristoteles, nisi sub conditione proposuisset suam determinationem, quam indeterminatã relinquit. suppositio.n. quòd est actus corporis uniuocè sicut aliæ potentię, præter hoc quòd illæ sunt eductæ de potentia materiæ, intellectus aũt ab extrinseco, ueritatẽ tetigit in eis, quæ de aĩa dixit, & quod talis esset suppositi in tota sua determinatione, licèt non determinauit. Re uera debuit supponere, si aliquid de intellectu determinaret aliter sicut naturalis Philosophus nõ debuisset de intellectu determinare. Quare cum non posset poni intellectus forma substantialis hominis uel corporis, nisi ipsi appropriaretur, sequitur illis suppositis, quòd ex dictis suis posset eadẽ rõne ostendi, ꝙ singuli sint intellectus diuersorũ, nisi ex cõditione & suppositione determinationẽ suã proposuisset, quia si actus corporis esset, p corpus indiuiduari posset. Si uerò respiciamus ad alia fundamẽta sua magis generalia, uidelicet de mundi æternitate, & horum infinitate præcedentiũ, & intellectus incorruptionẽ, & permanentiã post corpus, ex quo sequitur ꝙ iã essent infiniti intellectus simul existentes qđ ut dictũ est, nullo modo æstimo ipsum posuisse, considerando ẽt ꝙ firmiter ponit, ꝙ nihil noui põt fieri in mundo, nisi mediante motu cœlesti, & ꝙ animæ humanæ non generantur ex materia naturaliter mediante motu cœlesti, nullo modo potuit ponere aliquã aĩam nouã, licèt corpora sint noua.

Responsio existentialis.

Et sic si anima esset actus corporis, & singuli haberent singulas animas, oporteret ꝙ infinitæ animæ præcessissent ab æterno omnia corpora humana genetata per motum cœlestem. vt sicut essent modo infinitæ simul quæ fuerunt ∿nitæ: sic essent modo infinitæ vniendæ, quæ nunq̃ erunt ∿nitæ, quæ omnia mihi videntur apud ipsum fuisse incõuenientia. Vnde quod dicit in 12. Metaph. Si anima maneat in postremo, vt iam supra habitum est: hoc sub conditione dixit, quia de mente sua non fuit aliquid posse esse perpetuum ex parte post, quin etiam fuerit perpetuum ex parte ante, vt planè patet ex fundamentis eius primo cœli, & mundi, de generabili & corruptibili. Nec similiter potuisset absolutè posuisse animam manere post corpus. quoniam an aliquæ substantiæ separatę essent sine proprijs corporibus, quæ manerent, nihil certudinaliter determinauit. hoc.n. habuit pro principio, ꝙ nihil fuit ei visum determinandum, nisi quantum ex sensibilibus, & ex motu conijcere potuit. & quia ex sensibilibus, & ex motu non potuit ei apparere, ꝙ haberent aliquem vsum in mundo, nisi mouerent corpora, quia nullum ∿sum earum percipere potuit, nisi ex motu procedenti ab ipsis in corporibus sensibilibus, propterea in 12. Metaphys. ex motu quandam probabilem rationem assumpsit, qua concluſit ꝙ si essent substantiæ separatæ sine corporibus proprijs, ꝙ essent otiosæ. Nunquàm ergo posuisset per intentionem animã semper manere post corpus, quin etiam posuisset eam fuisse semper ante corpus. Cum ergo absolutè determinat formam nõ præcedere id cuius est, sed sub dubitatione, & conditione de anima dicit ꝙ maneat in posttemò non tota, sed intellectus. & addit dubitatiuè. Tota enim fortè impossibile propter vegetatiuum & sensitiuum, de quibus omisit sub dubitatione, an sint idem subiecto cum intellectiuo, & tunc manerent saltem in substantia animæ rationalis, vt in radice, an differant subiecto, & tunc procul dubiõ non manerent: Ex alijs eius fundamentis magis liquet, ꝙ in alteram partem magis declinat. Videlicet ꝙ intellectus si manet in postremò, prefuit in ante. immò ꝙ in postremò maneat, hoc magis pro certo habuit quando dixit hoc separari, ergo magis habuit pro certo, ꝙ ante præfuit, & sic ꝙ nec ante fuit actus corporis, licèt in hoc certus non fuit, & vlterius ꝙ secundum numerum plurificari non potuit. quam plurificationem sine materia partibili qualis est in generabilibus & corruptibilibus non potuit, vel quæ sit pars essentialis rei, quæ madmodũ posuit plurificari in eadẽ specie illa eadẽ, quę cõposita ex materia & forma habent materiam partem essentię suę, vel quæ sit subiectũ essentiale ipsius formę, quem admodum posuit in eadem specie plurificari accidentia materialia. Vnde in perpetuis & corporalibus, & spiritualibus non posuit, nisi vnicum individuum in specie vna. Propter quod dicit 12. Metaph. Si plures cœli fuerint sicut homines erunt. s. vnum specie & plures numero, & generabiles & corruptibiles propter materiam, vt patet ex litera ibidem. Quia ergo Aristot. quęcunq; de anima rationali in libris naturalibus tractauit, ex suppositione, & cõditione dixit si esset forma & actus corporis, vt ex illis nullo modo sequatur ꝙ ipsam esse formam & actum corporis asseruerit: ex alijs autem fundamentis eius, quæ simpliciter posuit, sequitur ꝙ anima non sit actus corporis, & ideò ꝙ non plurificetur secundum pluralitatem corporũ, vt patet ex iam dictis: Idcircò sentiendum est simpliciter, ꝙ de intellectu, an sit actus, & forma corporis, & an sit ꝑm homines plurificatus, nihil certi dixit ꝑm se, aut determinauit. ꝙ tñ magis declinauit sequendo sua principalia fundamenta, ꝙ forma & actus corporis non sit nec plurificatus ꝑm plurificationem corporum. Nec tñ fundamentis suis intãtùm credidit ꝙ illud quod ex eis sequitur expresè asserere voluit, sed ne de facili reprehendi posset in dubio reliquit, quia rationes alias efficaces habuit quibus certitudinaliter respondere nesciuit, quin intellectus esset forma & actus corporis, & ideò secundum pluralitatem corporum plurificatus, licèt fundamentis suis, q̃ rationibus illis magis adhæsit. Ex quibus vt respondeamus ad secundam partem quæstionis, certissimè demonstrari potest, ꝙ anima sit forma & actus corporis, & etiam per consequens ꝑm corpora plurificabilis, quarum vna principalis est, quòd in nobis experimur actum intelligendi. Actus aũt nulli conuenit, nisi à forma cui debetur, aut quia ipse est ipsa forma, aut quia forma est aliquid eius. Primo.n. modo intelligit Angelus vel intelligẽtia, quia est quędam forma separata à materia. Secundo modo intelligit homo anima, si est forma & pars aliqua in eo. Si aũt primo modo homo intelligeret, tunc nõ esset homo, nisi anima vtens in actibus suis corpore, & non esset corpus de substantia hominis, vt posuerunt aliqui, & maximè Platonici, cuius contrarium suppoſuit. dicit enim 8. Metaph. In rebus naturalibus homo generat hominem. Manifestũ est igitur, quòd non oportet ꝙ sit aliqua forma quasi exemplar, sed vt pater possit agere, & sit causa formæ in materia, i. vt generet formam, quę est in istis carnibus, & in istis ossibus, & vt generet Sortem & Calliam, & vt generet alium propter materiam, & vt idem sit ꝑm formam, q̃m forma non diuiditur, Sed an ista forma de qua loquitur sit intellectus non determinat∽. Vnde sequitur multum infra∽. Sed difficile est, vt hoc sit separabile intellectu, vt forma hominis, quæ semper vꝫ in carnibus & ossibus, & partibus istis. vbi dicit Comment. Impossibile est.n. hominem intelligere sine carnibus & ossibus. Oportet ergo ∿vt homo dicatur intelligere secundo modo, & sic oportet ꝙ anima sit pars aliqua hominis, & per hoc homo erit cõpositum ex anima & corpore, & iste homo ex ista anima, & isto corpore, ꝑm ꝙ subdit. Congregatũ si fuerit modo simplici aĩa & corpus, tunc ista aĩa, & istud corpus

erunt∽

erunt ſicut vniuerſale & particulare. Sed quid ſup hoc ſentire debeat quo ad aïam rõnalem, relinquit ſub dubio. Vnde ſequit in trãslatione Boetij. Vtrum autem præter materiam, talium aliquorũ, perſcrutandum. Et licèt philoſophus ſupponit, quòd homo non ſit, niſi compoſitum ex anima, & corpore, etſi illa ſit intellectiua, ſupponit tamen ꝙ ſit verius anima, quàm corpus, non autem ꝙ ſolùm. ſecundum ꝙ dicit 10. Ethic. Proprium homini, quæ ſecundum intellectum vita. ſiquidem maximè hic homo. Ra vera ratio iſta neceſſaria eſt, & ſufficiens in ſe, ſed non eſt ſufficiens ſuppoſitis fundamentis prędictis Ariſtot. propter quę non fuit ei ſufficiens. & ideò licèt ipſa, & aliæ conſimiles fecerunt eum dubitare, ne ſuper prædictis aliquid certi determinaret, magis tamen fundamentis ſuis adhæſit pro vna parte, vt dictum eſt. Vnde nobis, qui fundamenta eius tanquàm falſa, & erronea negare debemus, ex ratione ſulta fide, certa debet eſſe demonſtratio tenendi contra fundamenta Ariſtot. ꝙ forma aliqua poteſt manere in poſtremò ſine corpore, quæ tamen non inciperet eſſe niſi in corpore, & plurificari plurificatione corporis, in numero tamen finitò, quia ponimus mundum incepiſſe, & generationem hominum quandoque ceſſare.

Comment. in Quæſtionem XIIII. quæ eſt,

Vtrum ex fundamentis Ariſtotelis poſſit oſtendi, quòd intellectus ſit vnus numero, an contrarium poſſit demonſtrari.

ITVLVS clarus, bipartitam habens quæſtionem, vt patet.

In corpore duplex concluſio iuxta duplicem partem quæſtionis.

Prima concluſio pro prima parte. In hoc anceps fuit, & indeterminatus, magis tamen ad ponendam pluralitatem, quàm vnitatem.

Prima pars probatur, qñ pluralitas ſequitur ex hoc fundamento, quòd ſi intellectus ſit forma informans corpus organicum humanum, ille plurificatur. Sed circa hoc ſemper locutus eſt conditionaliter, & nunquàm abſolutè, vtendo hac dictione, ſi, cuius probatio eſt in litera ea pluribus textibus citatis.

Secunda pars concluſionis probatur, quia cum poſuerit mundum æternum, ſi intellectus eſſent plures, & illi quidem immortales, vt dicit, tunc darentur infiniti intellectus, quod eſt contra fundamenta in tertio Phyſicorum.

Not. ꝙ hæc eſt ratio, quam formae etiam Ioannes Grammaticus contra Proclum, vt deſtruat æternitatem mundi, quam tamen ſoluere conatur ſimplicius, ſed fortaſſis in vanum.

Not. de hoc negotio maximè locutum Marſilium Ficinum in ſua Platonica Theologia, & nos in commentarijs noſtris in Timeum.

Secunda concluſio eſt, ꝙ demonſtrari poteſt oppoſitum, ſcilicet quod intellectus non eſt vnus omnium, ſed plures ſunt intellectus.

Not. ꝙ intendit ſimpliciter, non autem ex fundamentis Ariſtotelis. Et quidem demonſtrationis medium eſt. Actus intelligendi quem ſinguli homines experiuntur habere. Eſt autem actus intelligendi fluens à forma cui debet. Ita quòd ratio formari ita debet.

Actus plures intelligendi plures formas à quibus fluunt argumentantur, ſed actus ſunt plures, ergo & formæ plures, à quibus fluunt, ſcilicet intellectus, qui ſunt huiuſmodi formæ. Maior probatur, quia vnius formæ vnicus eſt actus. Ergo plures actus arguunt plures formas. Eſt aũt intellectus aut forma ſeparata, aut alicuius forma, non primò, quia intellectus, qui eſt forma ſeiuncta, eſt Angelus, nunc autem loquimur de intellectu hominis. Ergo eſt forma alicuius, & non niſi corporis organici potentia vitam habentis, ſed talis forma non poteſt non plurificari ad plurificationem corporis. igitur &c.

Not. ꝙ hanc rationem dicit eſſe efficacem, & neceſſariam, non ſuppoſitis fundamentis Ariſtotelis.

Quod declaratur, nam illis ſuppoſitis ſequetur in primis illud inconueniens, quod dabitur infinitum. Secundò quod erit eductus de potentia materiæ, quia forma informans eſt huiuſmodi apud ipſum. Tertiò, quod erit corruptibilis ſecundum ipſum. Quartò quod non de foris venit, vt dicit ipſe. Et alia permulta ſimilia. At ſi non ſupponantur ſua fundamenta, ſtatim ſequitur neceſſariò pluralitas poſito, vt neceſſe eſt ponere, quod intellectus ſit forma informans hominem.

Not. hanc rationem habere communem cum D. Thoma in p. p. quæſt 76. art 2. Eſt. n. tertia ratio, qua D. Thomas probat pluralitatem intellectus. Probat autem idem etiam alijs duabus rationibus, quarum prima eſt ad mentem Platonis, altera vt dicit ſecundum Ariſtotelem, cum tertia ſit ſimpliciter. Cæterum quantum ſpectat ad Platonem ex Timæo manifeſtiſſima eſt eius ſententia. & ex phædone, phædro, & alijs locis. quando plures animas humanas à Deo creatas ex eodem cratere dicat, & malas apud inferos pœnas dare. Quod autem dicit D. Thomas apud Platonem, animam eſſe hominem, cautè intelligendum eſt, quia eſt quidem homo, ſed interior, quod manifeſtamus in commentarijs in primum Alcibiadem. Tenet tantùm argumentum, quia tunc ſequeretur, quod eſſet vnica anima, quod eſt inconueniens.

Quo verò ad ſecundam rationem, qua in via Ariſtotelis probat pluralitatem intellectus. Quod impoſſibile eſt plura numero habere vnum eſſe, cum autem intellectus ſit eſſe plurium hominum, neceſſe eſt, vt multiplicetur, &c. quia eſſe prouenit à forma, forma hominis eſt anima, cuius potentia eſt intellectus.

Videtur in hoc D. Thomas contrariari Doctori noſtro, qui vult Ariſtotelem ancipitem eſſe, circa hoc vtrum intellectus ſit forma hominis, ſed certè hoc paeum refert. Quippè eſto ancipitem non eſſe in hoc Ariſtotelem ex alijs fundamentis ſuis, ſequitur oppoſitum. diceremus autem, quod etiam hæc ratio potius demonſtratio diceretur ſimpliciter, quia ſuppoſito iuxta veritatem, quòd intellectus ſit forma hominis, quemadmodum ſupponi debet, profectò illud idem ſequatur oportet, quod in ratione communi dictum eſt. Inconueniens autem, quod ſequitur ex æternitate mundi de infinitate animarum, tollitur ab ipſa veritate, negante mundi huiuſmodi æternitatem, quam ſi conetur Ariſtoteles probare, non adducit tales rationes, quibus non facilè ſit reſpondere, vt videre eſt in noſtris commentarijs in Timæum, vbi loquimur de mundi æternitatem quàm vanè autem Auerroiſtæ conentur extorquere huiuſmodi demonſtrationes. Vide apud Gaetanum vbi ſupra ſuper D. Thomam.

HENRICI A GANDAVO

QVAESTIO XV.

Vtrum in nobis sit ponere aliquod intelligere abditum, quod est absque phantasmate.

Arg. prim. CIRCA tertium arguitur, ꝙ in nobis sit ponere aliquod intelligere abditum, quod est absq; phantasmate. quia hoc dicit Augustinus. de Trinit. cap. penult. & 14. cap. 12.

In oppos. Contra. In fine secundi posteriorum dicitur. Impossibile est nos habere nobilissimos habitus, & nos lateant. ergo & multò fortius nobilissimos actus, eo ꝙ minus latent, quàm habitus, cuiusmodi sunt intellectus abditi, qui tamen nobis omninò latent. ergo &c.

Responsio. Dicendum, ꝙ quæstio ista mouetur ad intelligendum dicta Augustini. super hoc, qui memoriam, intelligentiam, & voluntatẽ ponit in abdito quodam mentis. sic enim dicit. 14. de Trinit. cap. 7. Admonemur esse nobis in abdito mentis quarundam rerum quasdam notitias, & tunc quodammodo procedere in medium, atque in aspectu mentis velut apertius poni quando cogitantur. tunc enim seipsa mens & meminisse, & intelligere, & amare inuenit, vnde etiam non cogitabat quãdo aliud excogitabat. Sed an ponat illa tria in solo habitu, vel quoquo modo in actu, non est clarum ex dictis suis. videtur enim ꝙ in solo habitu ex eo, quod dicit in principio capituli ad dicti sui confirmationem. Consideremus aliud esse rem non esse, aliud non cogitare, fierique posse, vt nouerit homo aliquid quod non cogitat, quando non inde cogitat. Duarum vel plurium disciplinarum peritus, quando vnam cogitat, aliam vel alias etiam si non cogitat nouit tamen &c. Et constat ꝙ iste non nouit, nisi in habitu. Vnde expressius dicit. cap. 6. Cum verò non se cogitat, non sit quidem in conspectu suo, nec de illa suus formetur obtuitus, sed tamen nouit se tanquàm ipsa sibi sit memoria sui. sicut multarum disciplinarũ peritus ea, quæ nouit eius memoria continentur, nec est inde aliquid in conspectu mentis eius vnde non cogitat. & infra. Nec quando cogitando intellectam se conspicit, tanq̃ sibi ante incognita fuerit, sed ita sibi nota erat, quẽ admodum notæ sunt res, quæ in memoria continentur. Sed ꝙ hoc non dixit, nisi suadendo non asserendo, patet ex eo quod subdit. Notitia vero cuiusq; rei, quæ inest menti, etiam qñ de ipsa non cogitat, ad solam dicitur memoriam pertinere. Si enim ita esset, non habebit hæc tria, vt & sui meminisset, & se intelligeret & amaret, sed meminerit sui tantùm, & postea cum cogitare se cœpit, tũc se intellexerit atque dilexerit. Vnde habita super hoc diligentiori perscrutatione in proximo cap. dicit. Volui adhibere qualecunq; documentũ quo posset ostendi quòmodo ex ijs, quæ memoria continentur recordantis acies informetur, & tale aliquid gignatur vbi homo cogitat, quale in illa erat vbi ante cogitationem meminerat. Nam si nos referamus ad interiorem mentis memoriam, qua sui meminit, & interiorem intelligentiam, qua se intelligit, & interiorem voluntatem, qua se diligit, vbi hæc tria semper sunt ex quo esse cœperunt, siue cogitantur, siue non cogitantur, videbitur quidem imago Trinitatis, & ad solam memoriam pertinere. Quod intelligo respectu imaginis, quæ consistit in cognoscendo, de qua sequitur confestim.

Vnde dicit. capit. 10. Profectò ex quo esse cœpit, nunquàm sui meminisse, nunquàm se intelligere, nunquàm se amare destitit, ac per hoc quando ad se ipsam cogitatione conuertitur, fit Trinitatis imago, in qua etiam iam verbum potest intelligi. Sic ergo, quia illa ponit tria distincta, quia aliter non esset imago: procul dubio ergo ponit illa in actibus, quia in habitu non sunt, nisi vnum secundum actum. Vnde & ipsam memoriam, quę pars imaginis est, ponit actualem, secundum quòd statim declarat. cap. 11. Hæc autem tria ponit in abdito mentis ab intra omninò accepta, non autem ab extra. secundum quod dicit. cap. octauo. Ecce meminit sui, intelligit se, diligit se, hoc si cernimus, cernimus Trinitatem, non quidem Deum, sed imaginem Dei. Non forinsecus accepit memoria, quod tenet, non foris inuenit quod aspiceret intellectus sicut oculus corporis, nec ista duo velut formam corporis, & eam, quæ inde facta est in acie contuentis voluntas foris iunxit. Quod declarat continuò, inducendo secundum omnes modos quibus notitia potest trahi ab extrinseco, concludendo secundum quod dictum est. cap. 10. quòd semper erant in mente ex quo esse cœpit. Quare cum vt iam dicetur non posuit habitus in anima ab initio sui esse, nullo ergo modo potuit ponere illa tria in solo habitu, sed potius in actibus suis, quos tamen non percipit, nec de eis iudicat impedita. secundum quod dicit cap. quinto. Ipsa se nosse credenda est, sed intenta nimis in eas res, quas per corporis sensus tanto maiore quanto nouiore cœpit delectatione sentire, non ignorare se potest, sed cogitare non potest. Vnde certitudinaliter concludit in fine capituli. Hinc tantùm certos nos esse sufficerit, quòd cum homo de animi sui natura cogitare potuerit, atque inuenire, quod uerum est, alibi nõ inueniet, quàm penes seipsum. Inueniet autem non quod nesciebat, sed unde non cogitabat.

De tali ergo actu intelligendi sciendum, ꝙ sententia Platonis fuit, ꝙ animæ præcedebant corpora in cœlis existendo, & in corpora à comparibus stellis descendendo, & habitus scientiales secum deferendo, sed non considerare secundum ipsos, eo ꝙ occupatione circa corpus & corporalia per sensum amore attrahitur ad sensibilia, ne oculum mentis conuertat ad illa, quæ sunt semper in ea, & ꝙ per studium nihil homo addiscit, sed solùmmodo excitatur ad rememorandum illa, quæ sunt in ea, & quæ aliquando secundum actum nouit, & per molem corporis tradidit obliuioni. dicente Boetio de consolatione. Si Platonis musa personat verum, quod quisque discit immemor recordatur. Quam sententiam August. non tenuit, licèt in multis Platonem secutus est. dicit enim, 12. de Trinit. c. vlt. Plato ille Philosophus nobilis persuadere conatus est vixisse hic animas hominum antequàm ista corpora gererentur, & hinc esse, ꝙ ea, quæ discuntur reminiscuntur potius cognita, quàm cognoscuntur noua. & infra. Sed potius credendum est mentis intellectualis ita conditam esse naturam, vt rebus intelligibilibus naturali ordine disponente conditore subiecta sic ista videat in quadam luce sui generis incorporea, quemadmodum oculus carnis videt, quæ in hac coporea luce circumiacent, cuius lucis capax, eiq; congruès est creatus. Et est ista lux increata, in qua sola August. posuit synceram veritatem posse cognosci, tanquàm in quodam repræsentatiuo omnium cognoscibilium circa creaturas, quæ Deus ab æterno cognouit. Quæ vt sunt obiecta cognita ab ipso ab æterno, Augustinus appellat incorporeas rationes. dicens ibidem cap. penult. Non sic fuerunt vt esse desinerent, aut sic futura quasi nunc non sint, sed id ipsum esse semper habuerunt, semper habitura sunt. Manent autem non tanquàm in spatijs locorum fixa veluti corpora, sed in natura incorporali sic intelligibilia præsto sunt mētis aspectibus, sicut ista in locis visibilia vel contrectabilia corporis sensibus. Non solùm autem rerum sensibilium in locis politarum sine spatijs localibus manent intelligibiles incorporalesque rationes, verumetiam motionum in temporibus transeuntiū, sine temporali transitu. Stant etiam ipsæ intelligibiles non sensibiles, ad quas mentis acie peruenire paucorum est, & cum peruenitur quantumfieri potest, non in eis manet ipse peruentor, sed veluti acie ipsa reuerberata repellitur, & fit rei non transitoriæ transitoria cognitio. Quæ tamen cogitatio trāsiens per disciplinas quibus eruditur animus, memoriæ commendatur, vt sit quo redire possit, quæ cogitur inde transire. Non enim sicut manet, vergit (verbi gratia) quadrati corporis incorporea, & immutabilis ratio, sic in ea manet hominis cogitatio. tamen quod inde rapuerit, etsi transiens mentis aspectus, & quasi glutiens in ventre, ita in memoria reposuerit, poterit recordando quodammodo ruminare, & in disciplinam, quod sic didicerit attrahere. & libro 14. cap. 15. Hinc est quòd impij cogitant æternitatem, & multa rectè reprehendunt, rectèque laudant in hominum moribus. Quibus ea tandem regulis iudicant, nisi in quibus vident quemadmodum quisque viuere debeat? & infra. Vbi ergo scriptæ sunt, nisi in libro lucis illius, quę veritas dicitur: vnde lex omnis iusta describitur? Est ergo intentio Augustini non quòd animæ separatæ erant ante corpora secum deferentes habitus ad quos per sensus anima excitata non addiscens, sed reminiscens deuertitur, vt posuit Plato: sed postquàm intelligibilia rerum sensibilium conspexerit in phantasmatibus per sensus receptis, à sensibus se subtrahit, & phantasmatibus, & per hoc attingit prædictas incorporeas rationes in ipsa veritate incorporea existentes. Sunt enim eadem, cognita & prædicta intellecta in phantasmatibus, & ipsæ incorporeæ rationes in ipsa veritate æterna. non sunt enim aliud quàm ipsæ naturæ, & essentia rerum.

Attingendo autem illas incorporeas rationes illustratione quadam ab illa specie lucis æternæ, etsi non vt obiecto cognito, sed vt ratione cognoscendi, cognoscit de illis synceram veritatem, quā ex sensibus, & phantasmatibus haurire non posset. secundum ꝙ alibi diffusius exposuimus. & per hoc anima habitus veros scientiales acquirit eorum, quæ intelligimus. Qui quidem habitus formantur in mente actibus intellectuis formatis, nec tàm ex sensibus, & phantasmatibus, quàm ex ipsa luce æternæ veritatis, & illustratione rationum æternarum, quæ sunt ideales rationes quibus Deus ab æterno illa nouit. secundum ꝙ dicit loquens de prædicta specie. 6. de Trinit. cap. 10. Ars quędam omnipotentis Dei atque sapientis plena omnium rationum viuentium incommutabilium, & omnes vnum in ea sicut & ipsa vnum, ibi nouit Deus omnia, quę fecit per ipsam. Et ideò cum succedant, & decedan tempora, non decedit aliquid vel succedit aliquid scientiæ Dei. Non enim quę creata sunt ideo sciuntur à Deo, quia facta sunt, ac non potius ideo facta sunt mutabilia, quia immutabiliter ab eo sciuntur. Cum autem abstracti à sensibus, & phantasmatibus veritatem synceram intelligimus, coniuncti illis æternis rationibus statim se opponunt caligines imaginum corporalium, & nubila phantasmatum, & obnubilant serenitatem, quæ primo ictu diluxit, vt dicit libro octauo cap. 3. Manet tamen aliquid in memoria ad quod redeundum est, vnde formatur scientia, vt dictum est, quia vt ait lib. nono cap. 6. regulis supra mentem nostram incommutabiliter manentibus, vel approbare apud nosmetipsos, vel improbare conuincimur, cum rectè aliquid approbamus, vel improbamus. Viget, & claret desuper iudicium veritatis, ac sui iuris incorruptissimis regulis firmum est, & si corporalium imaginum quasi quodam nubilo obtexitur, non tamen inuoluitur, atque confunditur.

Sed interest, vtrum sub illa vel in illa caligine tan quàm à cœlo perspicuo secludat, an sicut in altissimis montium accidere solet, & serenissimam lucem supra, & densissimas nebulas subtus aspiciã. Et sparsim infra: Ipsa verò forma inconcussæ, ac stabilis veritatis luce incorruptibilis syncerissimęque rationis, & mentis meę aspectum, & illam phantasiæ nubem, quam desuper cerno, imperturbabili ęternitate perfundit res quędam menti nũciata per oculos, memoriæque transfusa imaginarium conspectum facit, sed aliud mente conspicio, itaque de istis secundum illam iudicamus, & illam cum cernimus rationalis mẽtis intuitu. & sequitur cap. 7. In illa ergo ęterna veritate ex qua tempora lia facta sunt omnia, formam secundum quam sumus, & secũdum quam in nobis vel in corporibus vera & recta ratione aliquid operamur, visu mentis aspicimus, atque inde conceptam rerum veracem notitiã tanquàm verbum apud nos habemus. Quantum conijcere possum, dictum istud August. est acceptum de Philosophia Platonis, qui posuit formas separatas esse principium cognitionis formarum sensibilium in materia existentium. Vt enim dicit August. (quod & ita arbitror esse) formę sensibiles in materia existentes per sensum nũciatæ memoriæquè transfusæ imaginarium faciũt intellectum mente concipiente intelligibilia in phantasmatibus. Sed cum forma inconcussæ & stabilis veritatis, quæ est ars diuinæ sapientiæ, plena rationum viuentium, perfundit luce incorruptibilis syncerissimæque rationis, & mentis aspectum & illum imaginarium intellectum, quem August. appellat phantasiæ nubem, tunc in illa luce, & per hoc in illa ęterna veritate ex qua facta sunt omnia, mente conspicimus formam, secundum quam sumus, & vniuersaliter formas, secundum quas habent esse illa, de quibus habemus imaginarium intellectum, & secundum illas vt secundum se conspicimus eas, iudicamus de eisdem vt habent esse in materia, & per hoc habemus de eis veracem notitiam, secundũ ꝓ pluribus auctoritatibus in quæstionibus ordinarijs circa principium declarauimus. Et sic per formas, quæ sunt essentiæ rerum, vt secundum se conspiciuntur illustratione lucis increatæ, cognoscuntur vera notitia ipsæ eędem formæ, vt habent esse in materia, quæ conspiciuntur in phantasmatibus illustratione lucis creatæ, quæ est intellectus agentis, secundum ꝓ alibi exposuimus, vt secundũ hoc intellectus agens illustrans mentem ad cognoscendum synceram veritatem formę materialis in conspiciendo vniuersale in essentia formæ secundum se abstractæ, licèt non secundum se existentis, sed in sola mentis notitia primò increatæ deinde creatæ existentis dicatur ipse Deus, quemadmodum intellectus agens illustrans mentem ad cognoscẽdum imaginariam veritatem formæ materialis in conspiciendo vniuersale in phantasmate abstracto à forma particulari existẽte in materia extra, dicitur aliqua virtus creata, vt potentia animæ vel aliquid aliud. Et secundum ꝓ huiusmodi aliud esse habet in materia extra, aliud in sola mentis notitia, secundum hoc ipsa dicitur esse alia & alia, licèt res sit eadem, primo cognita, & non existens nisi in mente sola: deinde cognita & existens extra. Propter quod dixit August. iam supra, ꝓ res per oculos nunciata imaginarium facit conceptum, sed mente aliud conspicio, licèt nõ sit aliud re. licèt differat intellectus agens, qui est Deus, & qui est potentia animæ rationalis. Agens enim qui est Deus agit sicut ars, quæ ponit formã in materia artificij. Agens verò, qui est potentia animæ agit sicut lumen circa phantasmata, secundum ꝓ aliàs exposuimus. Sed in tali sententia Aristoteles multum nititur contrariari Platoni imponendo ei, ꝓ vniuersale posuerit separatum à particulari, quasi aliquid extra mentis notitiam. sic. n. non esset vniuersale, sed singulare, in re enim nihil existit, nisi singulare ens, nec esset principium cognoscendi id cuius est, secundũ ꝓ benè procedunt rationes Aristot. Sed cum Plato nõ sic posuit vniuersale separatum à re cuius est, sed solum in mentis notitia, vbi veram rationem vniuersalis habet non singularis, sic benè secundum dictum modum Platonis, & August. potest esse principium cognoscendi formam particularem existentem in materia, & nihil omninò concludunt rationes Aristot. contra Platonem, vt patet inspicienti eas & prædicta pertractanti.

Responsio.

Descendendo igitur ad quæstionem de intelligere abdito, dico secundum prædeterminata ex verbis August. ꝓ hoc non intelligit August. de intelligere in habitu, sed solùmmodo de intelligere in actu, & hoc non ab extra adminiculo sensus, & phantasiæ, & actus intelligendi ex phantasmate, sed de actu intelligendi, qui præcedit omnem actũ intelligendi ab exteriori, quem operatur in mente illustratio sola lucis ætérnæ, à qua sicut à forma artis cuiusdam vera notitia sui in mente describitur, quæ in ipsam ab arte illa non migrando, sed tanq̃ imprimendo transfertur, sicut imago ex anulo in cæram, & anulum non relinquit, secundum ꝓ dicit de impressione habitus iustitiæ in animam iusti à lege æterna. 14. de Trinit. cap. 15. in fine. Et fit in mente ista impressio ipsa luce, vt ratione manifestandi ipsum obiectum intelligibile, & imprimendi in mentem ipsam veram notitiam de ipsa re intelligibili, quemadmodum si lux præsens oculo cũ specie visibili in opponendo ipsam visui imprimeret in ipsum actum visionis, & hoc secundum magis & minus, secundum ꝓ magis, & minus dispositæ est virtus receptiua. secundum modum, quo dixerunt aliqui Philosophantium, ꝓ à splendore intelligentiæ in animabus nostris describebatur forma notitiæ sic, quòd quantò aliqua earum esset prior & magis abstracta à sensibilibus, & phantasmatibus, tantò plus de splendore intelligentiæ resultaret in ea, & ampliore notitia informaretur, q̃ aliæ. quemadmodum plus de splendore lucis re-

splendet

ſplendet in corpore terſo,& polito,& lęui q̃ in rubiginoſo, & aſpero. Et eſt ille modus cognoſcẽdi animæ naturalis, vt eſt intelligentia quædam naturalis,& recepiſſet homo ſi ſtetiſſet in ſtatu innocentiæ magno ſplendore, ſed poſtq̃ coniuncta corpori corruptibili,quod aggrauat animam, huiuſmodi ſplendor tenebraſcit,& plus phantaſmatibus inuoluitur, & cum per amorem inhęſerit cognitis imaginario intellectu ex eiſdem,à quo tamẽ quodammodo tangitur etiam cum ab illo auertitur, vt dicit in capit. 15. prædicto. Vt enim dicit lib.10.cap.5. multa per cupiditatem prauam tanq̃ ſui ſit oblita, ſic agit. Videt enim quædam intrin ſecus pulchra in præſtãtiore natura,quæ Deus eſt, & cum ſtare debet, vt eis fruatur, auertitur ab eo moueturque, & labitur in minus quod putatur amplius.

Ad argu. in oppoſit. Quod arguitur in oppoſitum, impoſſibile eſt nos habere nobiliſſimos habitus, & nos lateant: Dicendum,quòd iſtud dixit Ariſtoteles cõtra Platonem, qui vt dictum eſt poſuit animas ante corpora ſeparatas, & cum incorporabantur habitus ſecum deferre, quibus ſingulare rememorãdo intelligebant. ſed Auguſt. nõ ponit illos habitus,ſed luce æterna illuſtrati ad conſimilem modum intelligendi generatiuum habituum, qualẽ poſuit Plato ex habitibus generatis. Et cum aſſumitur contra hoc quòd magis impoſſibile eſt ī nobis eſſe nobiliſſimos actus, & lateant nos: Dicendum, quòd actus ſiue motus exiſtentes in intellectu,aut voluntate dupliciter poſſunt ſe habere ad ipſos. Aut em̃ omniuò latentes,.aut aliquo modo patentes, & hoc tripliciter, aut patent, ſed tranſitoriè,aut patent,ſed indiſtinctè,aut patent & diſtinctẽ.

Primo modo poſſunt eſſe actus ſiue motus, & latere propter paruitatem, & tenuitatem motus, quemadmodum decimum milleſimum milij mouet viſum,ſed fallit eum,vt non percipiat motum, ſicut dicitur in de ſenſu,& ſenſato.Quia ergo propter animę indiſpoſitionem poſſunt prędicti actus eſſe minimi,benè poſſunt latere nos.Et eadem ratione ſecundum Platonem poſſent latere ipſi habitus, quia non cognoſcuntur per actus,ſi actus ex ipſis eliciti eſſent tàm tenues, vt laterent mentem.

Secũdo modo latent actus ſiue motus,quia etſi percipiuntur cum fiunt,non tamen ſic imprimuntur vt recordationem habeant quemadmodũ contingit in ſenſu.ſecundum quòd dicit Auguſt.11.de Trinit.cap.10. Memoriam à ſenſu voluntas auertit,cum in aliud intenta non ei ſinit inhærere præſentia. Quod animaduertere facile eſt, cum ſæpè loquentem coram nobis aliquem aliud cogitando non audiſſe nobis videmur, falſum eſt autem, audiuimus enim & non meminimus. Quare quia voluntas ſenſibilibus extra eſt intenta, actus interiores latere neceſſe eſt. Et eadem ratione ſecundum Platonem poſſent latere ipſi habitus.

Tertiò verò latent actus, ſiue motus ex vno mouente,quia non poſſunt diſcerni ab actibus procedentibus ab alio mouente, quemadmodum actus amoris eliciti ex amore charitatiuo, ab actu amoris eliciti ex amore naturali, aut carnali.aliter ẽm homo poſſet certitudinaliter ſcire, vtrum in ſuo actu eſſet dignus amore vel odio. Quia ergo actus intelligendi lumine agentis vnius & alterius prędictorum diſcerni non poſſunt, benè poſſunt ambo non latere omninò,ſed alterum eorum ſic latere, quòd ab altero diſcerni non poſſit, vt ex hoc ambo credantur procedere ab vno.quemadmodũ contingere poteſt in propoſito de cognitione in mente, quam habet de re, ſiue ab agente vno ſiue ab altero,& de alijs à ſe, ſecundum quòd dicit Auguſt. 10. de Trinit. cap. 8. Quid tàm in mente, q̃ mens: Sed quia in his,quę cum amore cogitat ſenſibilibus aſſuera eſt, non valet ſine imaginibus eorum eſſe in ſemetipſa. hinc ei oboritur erroris dedecus dum rerum ſenſatarum imagines ſecernere à ſe non poteſt, vt ſe ſolam videat. quoniam dum ſe ſolam nititur cogitare,hoc ſe putat eſſe ſine quo ſe non poteſt cogitare. Cum ergo præcipitur ei, vt ſe cognoſcat,non ſe tanquàm ſibi detracta ſit quęrat, ſed id quod ſibi addidit detrahat. & infra. Cognoſcat ergo ſeipſam,nõ quòd ſe neſcierit, ſed quòd ſecundum aliud amando cum eo ſe confundit, & concernit quodammodo. Atque ita duum ſicut vnum diuerſa complectitur vnum putauit eſſe,quæ diuerſa ſunt.Quare & actus quibus cognoſcuntur, eadem ratione latere eſt neceſſe, & eadẽ ratione ſecundum Platonem poſſent latere habitus,quia non diſcernuntur actus.

Si verò quarto modo ſint actus patentes & diſtincti, ſic ſecundum Philoſophum incoueniens eſt,quòd ſint in nobis nobiliſſimi habitus,quorum ſcilicet nati ſunt actus eſſe patentes,vt diſtinguant ſuos actus ab actibus aliorum,& lateant nos,quia ſic patent actus,& ſimiliter habitus per actus.Vnde ſuppoſuit Philoſophus,quòd ſi eſſent alij habitus in nobis, quàm acquiſiti ex actibus noſtris, illi nullo modo poſſent eſſe eiuſdem rationis cum acquiſitis, nec actus habituum illorum poſſent eſſe vllo modo latentes.quia enim nihil poſuit,niſi q̃d ex motu & ſenſibilibus poſſet conijci,omninò negauit tales habitus,ſed non bono modo,etſi negãdi ſunt,quia eadem ratione & multò fortius ſecundum quòd procedit obiectio negaſſet actus abditos,quos ponit Auguſtin. qui in veritate ponendi ſunt, in ipſis enim conſiſtit perfectio cognitionis contemplantium modo naturæ, & in ipſis fundatur perfectio contemplantium modo ſupernaturali ſecundum tertium genus viſionis intellectualis eorum,quæ futura ſunt modo prophetico, de quibus nihil ad præſens.

Com-

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem XV. quæ est,

Vtrum in nobis sit ponere aliquid intelligere abditum, quod est absque phantasmate.

IN titulo diligenter ly abditum considera, ꝙ potest adaptari obiecto, &c. potest adaptari potentiæ intellectiuæ. si accommodetur obiecto, tunc incidemus in quæstionem de reminiscentia, &c. quidem ad aures Platonis datur reminiscentia, qua cognoscimus ea, quæ didicimus in alia vita sine vllo prorsus phantasmate, quod quomodo intelligendum sit manifestamus in Menonem Platonis, &c. libenter etiam in præsentia declaratemus, si ad hoc tenderet inducta quæstio, in qua potius ly abditum accommodatur potentiæ, vt tamen adhuc difficultas sit, quoniam cum intelligenti potentiæ accommodatur, non potest illi adaptari, nisi quatenus, vel in habitu est, vel in actu, vt sit quæstio. Vtrum detur intelligere abditum in habitu sine phantasmate, vel vtrum detur intelligere abditum in actu tantùm sine phantasmate. Vnde si primum, tunc oportebit dicere, animam, dum creatur, habere habitus scientiales, quibus in hac vita deò cognoscitur, quoniam reminiscitur. Nimirum noscat ea, quæ per habitus illos nouerit, &c. tunc iterum quæstio erit de reminiscentia. si secundum, tunc erit quærere an detur aliquod intelligere in anima nostra præcedens omnem actum intelligendi ab exteriori phantasmate, quod quidem intelligere præcedens sit actus quidem à luce diuina prouenientis in anima ipsa, atque præueniens omnem actum intelligendi ab exteriori per phantasmata, quemadmodum declarauit Aristoteles, cum dixit, omnia, quæ nouimus intellectu, cognita esse per sensum) &c. ex sensatis ducentibus nos ad cognitionem intelligibilium, via motus, &c. causalitatis, &cæt.

Et not. quòd hæc quæstio non inducitur simpliciter, sed tantùm ad aures D. Augustini, qui cum ponat dari huiusmodi Intelligere abditum, difficultas nascitur vtrum de eius mente hoc intelligere abditum sit in habitu, vel in actu, vt dictum est.

In corpore autem quæstionis habetur conclusio, quòd D. Augustinus intellexit de intelligere in actu, non autem in habitu. Quæ conclusio probari non potest nisi ex dictis ipsius, quæ satis apertè ab Auctore ponuntur in litera, pro vt huiusmodi concernunt negotio.

Not. verò, vt dictum est, quòd iste actus intelligendi nil aliud est, nisi quædam impressio diuinæ lucis, qua imprimitur notitia vera ipsorum intelligibilium. Vtrum autem id sit simpliciter, circunscripta opinione D. Augustini, non tractatur ab Auctore; videtur verò quòd sit, tùm ad aures Catholicæ ueritatis, cùm etiam ad aures Philosophorum Platonicorũ. Ad aures quidem Catholicæ veritatis, quoniam habemus Ioannis primo, quòd diuinum verbum ipsum est, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Per quod apertè monstratur, ꝙ diuina lux ipsa est, quæ verbũ est, quæ illuminat, vt intelligamus, & quidem ante omnem actum existimandum est illuminare.

Ad aures verò Platonis notissimum est ex sexto de Repub. vbi loquens de filio Dei, sub nomine, &c. consideratione Solis, ipsum Solem intelligibilem vult intellectum nostrum prorsus illuminare, quod vtique de diuina mente hanc admirabilẽ lucem infundente in humano intellectu dicunt omnes Platonici. Plotinus Iamblicus & cæteri, ante quos omnes id ipsum testatus est Mercurius in Pimandro. Et Aristoteles in his, quæ scripsit de mistica Theologia, seu Philosophia secundũ Ægyptios. Et quidem præsertim Trismegistus de humana mente loquens. Mens, inquit, omnes notiones in se concipit, bonas quidem, quoties à Deo semen infunditur: contrarias autem cum à Dæmonibus quibusdam spermata iaciuntur.

QVAESTIO XVI.

Vtrum dos impassibilitatis sit dispositio positiua in corpore.

SEQVVNTVR quæsita de homine ex parte corporis. Vbi quærebatur vnum pertinens ad statum corporis humani supernaturalẽ, vtrum scilicet dos impassibilitatis sit dispositio positiua in corpore. Duo verò pertinentia ad statum eius naturalem. Quorum vnum erat ex parte substantiæ corporis. Vtrum videlicet suppositis fundamentis Philosophi sit necesse ponere, quòd semper fuerit homo, & homo ab homine ex parte ante in infinitum. Alterum verò ex parte conditionis trahentis ortũ ex corporis propagatione. Vtrum scilicet nobilitas generis ab initio processerit ab ignobili.

Arg. prim. primum. Circa primum arguitur, quòd dos impassibilitatis non sit aliqua dispositio positiua in corpore, quæ non naturæ elementaris, quia omnis talis dispositio corporalis quid est, & corruptibile per naturã contrarietatis ad aliquod aliud elementare: dos autem impassibilitatis non est corporalis, nec corruptibilis, nec contrarium habet. Item nec est illa *Secũdum.* dispositio naturæ cœlestis, quia illa non aufert naturam elementarem, eo ꝙ non contrariatur ei, & natura elementaris propter cõtrarietatem necessario ponit passibilitatem. Item nec est illa dispositio ab anima, quia anima non tollit naturam elementarem, vt prius. ergo &c. *Tertium.*

In oppos. Contra est illud Apostoli. Mortale hoc induet immortalitatem, & corruptibile hoc induet incorruptionem. Incorruptio autem ponit impassibilitatem. ergo &c.

Responsio. Dicendum, ꝙ duplex est passibilitas, & è contra duplex impassibilitas, secũdum Philosophum secundo de anima. Quædam est abiectio conuenientis ex contrarij receptione, & quædam est receptio conuenientis ex imperfectionis abiectione. Passibilitas primo modo dicitur corruptibilitas in inanimatis, & mortalitas in animatis. Passibilitas secundo modo perfectibilitas quædam est. Sic.n. intellectus patitur in recipiendo scientiam, & in sciendo, & sensus in recipiendo sensationem, & in sentiendo. Hæc secunda passibilitas non tollitur per dotem, nec contrariatur ei, quia pertinet ad perfectionem naturæ, vnde in corporibus sanctorum erunt perfectæ operationes omnium virtũ intellectiuarum, & sensitiuarum.

Volent

Volent enim & scient, videbunt, & audient. & vniuersaliter sentient quæcunque sunt eis, & beatitudini eorum conuenientia, tàm ex parte virium exteriorum, quàm interiorum. Prima verò passibilitas contrariatur doti, & per ipsam tollitur. Vnde non erit in corporibus Sanctorũ, multò minus, quàm in corporibus cœlestibus, de quibus determinant Philosophi, quòd non recipiunt peregrinas impressiones. Et propter hoc oportet ponere in illis dotem impassibilitatis, quam requirit natura animæ humanę, quia quòd sit in corpore hoc est ei naturale, sicut naturale est graui esse in centro, quòd verò sit extra corpus, hoc est contra naturam suam, sicut est contra naturam grauis esse extra centrum. Sicut autem est ei contra naturam, quòd sit extra ipsum, sic contrarium est eius naturæ, quòd aliquid sit in corpore, per quod necesse habet aliquando esse extra corpus, quemadmodum contrarium esset naturæ grauis si aliquid esset in centro, quo aliquando necesse haberet expelli extra ipsum. Quare cum nihil habet esse perfectum quousque sit liberum, & expeditum ab eo, quod est naturæ suæ contrarium, anima igitur humana perfectionem suæ naturæ non habet quousque impassibilitatem secum in corpore suo habuerit. Quare cum anima non est data corpori, nisi vt suam perfectionem habeat in illo, & hoc maximè pro statu glorioso, oportet igitur, quòd gloriosorũ corpora omnia sint impassibilia, & immortalia, qđ cum non possint habere ex puris naturalibus suis, quæ sunt naturaliter cõtraria, & corruptiua, oportet, quòd hoc sit ex aliquo dono supernaturali, quod appellamus dotem impassibilitatis, de quo est quæstio quid sit, & quomodo habet esse, & quid agat in corpore.

Ad cuius intellectum sciendum, quòd immortalitas, siue incorruptibilitas, quæ sequitur impassibilitatem, triplex est. Quarum prima erat in statu innocentiæ hominis, qua potuit non mori per diuinam conseruationem à morte, & corruptione ex esu ligni vitæ, quousque raperetur ad secundã immortalitatem, quæ erit corporum glorioſorum post resurrectionem. Secunda verò immortalitas erit corporum beatorum, qua homo non poterit mori ab aliqua causa intrinseca, vel etiam extrinseca creata agẽte, vel possibili agere ad corruptionem & mortem, qualis nec est in Angelis, nec in cœlestibus corporibus secũdum modum infra declarandum.

Tertia est immortalitas, qua quis nullo modo potest mori, nec à causa intrinseca, nec à causa extrinseca oĩnò, quale solùm est illud, qđ est formaliter necesse esse, & vita, cuiusmodi est solus Deus, respectu cuius oĩa alia sunt mortalia, & corruptibilia in nihilum, nisi manu diuina tenerentur, secundum quod etiã testatur Plato, in hoc multo melius sentiens Aristotele, quando dixit in secundo Timæi, loquens immortalibus, & incorruptibilibus creaturis. O dij deorum, quorum opifex idemque pater ego, opera siquidem vos mea dissolubilia natura: me tamen ita volente indissolubilia. Omne siquidem quod coniunctum est, natura est dissolubile. At verò, quod bona ratione iunctum, atque modulatum est, dissolui velle nõ est Dei, quapropter, quia facti, genitiqúe estis, immortales quidẽ nequaquam, nec omninò indissolubiles, nec tamẽ vnquam dissoluemini, nec mortis necessitatẽ subibitis, quia voluntas mea maior est nexus, & vegetatior ad æternitatis vestræ custodiã, quàm illi nexus vitales, ex quibus æternitas vestra coagmẽtata, atque composita est. Impassibilitatis ergo causam penès naturam non quærimus: illa enim repugnat naturæ creaturę, & propria est soli naturę increatæ, nec illius, penes quam habetur immortalitas primo modo, quia illa non ponit necessitatẽ non moriendi, sed solùm possibilitatem. Sed quærimus causam impassibilitatis tertio modo, penes quam necesse est quantum ex ratione principiorũ intrinsecorum non mori. Nec possumus dicere, q illius causa sit mera voluntas Dei, secundum quod dictum est de immortalitate, & de incorruptibilitate Deorum in auctoritate Platonis, vt ipsa talis impassibilitas sit ipsa dos, quoniam diuina voluntas est causa extrinseca respectu talis impassibilitatis, & respicit propriè finalem corruptionem, qua res decidat in nihilũ. Nec possumus dicere, quòd illius causa sit aliquid tale, quale in dijs Deorum, siue sint Angeli, siue corpora, quia illorum incorruptibilitas est ex puris principijs naturalib. quia est absque omni contrarietate, ratione cuius esset subtracta custodia diuinæ voluntatis, caderent in nihilum, propter quod dixit Plato. Immortales quidem nequaquàm &c. non tamen hoc est propter aliquam necessitatem ex principijs intrinsecis impellentibus ad dissolutionem, qualiter impellunt miscibilia mixtum. Nec possumus dicere, q illius causa est ablatio qualitatum actiuarum, & passiuarũ ab elementis, quia pertinẽt ad pfectionẽ elementorũ, & formæ mixti in corpore humano. Et non est ponendum, quòd aliquid perfectionis naturæ auferetur à corporibus glorioſis. Nec possumus dicere, quòd illius causa est ablatio actionũ naturalium qualitatum actiuarum, & passiuarum, quę sunt calefacere, aut infrigidare, & huiusmodi, quæ non manebunt, eò quòd non sunt de perfectione rei in se propter necessitatem indiuidui, sed propter perfectionem speciei in alio extra, quales actiones non manebunt in corporibus Sanctorũ, sed tantùm actiones, quæ pertinent ad perfectionem rei in se, qualis est calidi calere, in qualibus actionibus conseruabitur mixtio, & forma mixti in corporibus iustorum, quia nec impassibile, & incorruptibile nõ esset corpus beatum ex aliqua dispositione positiua, sed priuatiua tantùm.

Diceretur enim solùm modo impassibile ex defectu agentis, & inferentis passionem, quemadmodum si terra tota quiescens in centro diceretur immobilis, quia deficit virtus fortior expellens ipsã

à centro,

à centro, quàm sit virtus eius propria qua se tenet in centro, secundum quod dicit Auerr. in fine de substantia orbis, quòd terra habet perpetuã quietem, quia habet perpetuã carentiam virtutis mouentis ipsam. Quod autem sic dicitur impassibile, aut immobile, simpliciter est passibile, & mobile quantum est ex se: quod enim tale est natum est pati, aut moueri, licèt nunquam patietur, aut mouebitur: terra enim simpliciter mobile quid est, etsi nunquam habeat mouens. Similiter tale corpus ex se simpliciter passibile, & corruptibile esset etsi deficeret corrumpens. Nos autem cum hoc dotem ponimus aliquid positiuum in corpore super eius naturalia. Nec potest adhuc dici, quòd illud positiuum sit aliquid in mixto, quo conseruatur, ne quantum est ex se ab intra aliqua passione moueatur, quæ omninò præseruat qualitates passiuas à passione quantuncunque agant actiuè, quemadmodum Adam conseruasset quoquo modo esu ligni vitæ. Quod enim sic est impassibile ab intra, non ex hoc præcluditur quin possit pati ab aliquo extra, quemadmodum terra, etsi non solùm quiescat in centro ex carentia causæ mouentis ipsam extra centrum, sed etiam ex virtute positiua eadẽ quiescat in centro, quia mouetur ad centrum: mobilis tamen dicitur & passibilis, quia moueri potest à centro per virtutem exteriorem excedẽtem virtutem quietis eius, dicente Philosopho de causis motus animalium. Oportet virtutem æquare mouentis, & eam, quæ moti. Est enim aliqua multitudo vigoris, secundum quam manet, quod manet, quemadmodum & secundum quam mouet mouens, & est quædam proportio ex necessitate, quemadmodum contrariorum motuum sic & quietum, & æquales quidem impassibiles ab inuicem: sicut enim pellens pellit sic pulsum pellitur secundum virtutem. Si enim aliquis excedat virtute actiua motus terræ quietem, mouebit ipsam à medio. Et virtus hæc, ꝙ non infinita, manifestum: neque enim terra infinita, quare neque grauitas ipsius. Quod ergo hoc modo est impassibile, aut immobile, natum est pati, & moueri, licèt nunquam patietur, aut mouebitur, quemadmodum id, quod in centro terræ visibile est, etsi nunquam videbitur. Oportet ergo dicere, quòd illud positiuum sit aliquid in mixto, quo cõseruatur, ne omainò à quocunque agente, siue interiore, siue exteriore possit pati, præter dictũ casum in nihilũ. Nec potest dici, quòd illud sit aliqua virtus corporis, quia non elementaris, vt dictum est, neque cœlestis, quod aliqui ponunt dominari in corpore humano post resurrectionem, licèt modo dominentur elementa, ita quòd sicut sunt modo corruptibilia propter actionem elementorum, sic tunc erũt incorruptibilia, & impassibilia propter actionem cœlestis corporis. Sed hæc fictio est, quia corpus cœleste secundum substantiam non venit in mixtionem cum elementis, quia non communicant in materia: secundum virtutem autem non immittit, quibus elemẽta impediat in sua actione, sed magis vt expediat. Oportet igitur ponere, quòd illud positiuum sit aliquid superneturale, quod ab omni passione, tàm ab interiore agente, quàm ab exteriore præseruet corpus glorioſum à dissolutione eorum ex quibus componitur, vt dicatur impassibile, & indissolubile, quia necesse est id omninò non dissolui, nec corrumpi: hoc enim in corpore glorioso Apostol. attribuit virtuti Christi. Phil. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, &c.

Et sunt aliqui qui dicunt, quòd illa dispositio non est aliud, quàm gloria animæ, per quam corpus suum erit ei plenè subiectum. Propter quod in corpore glorioso non poterit esse aliqua mutatio, aut passio contra eius dispositionem, quia passio non fit ab aliquo agente in passum, nisi quia dominium formæ debilitatur supra patiẽs. Quod nõ videtur sufficiens, quantuncunq; enim corpus sit subiectum animæ, si nihil receptum sit in corpore per quod ex se sit impassibile, quia ꝙ non patitur hoc est ex illa subiectione, ex hoc ergo, vt prius habetur benè, quòd nunquam patietur: non tamen quin ex se maneat passibile, & quòd potest pati. Nunc autem quærimus causam talis impassibilitatis, qua necesse est ipsum, nec pati vnquam, nec posse pati. Etsi enim nunquam dominium formæ, quæ est anima, potest debilitari super materiam, quæ corpus est, & omnis passio fit per victoriam agentis super patiens, vt propterea materia, quæ est corpus non possit subijci contrario dominanti, tollendo dominium animæ super corpus, vel saltẽ ipsum diminuendo, tamen dominiũ vnius ex qualitatibus actiuis, & passiuis etsi nunquam debilitaretur propter dominium animæ: posset tamen, vt dictum est debilitari: & ideò posset ob hoc fieri passio à qualitate vincente in passum, licèt nunquam fieret, & sic vt prius adhuc esset verè passibile etsi nunquam pateretur. Sed nos quærimus corpus impassibile, quod sic est impassibile, quòd ex se necesse est non pati, nec aliquo modo possit pati, vt dictum est. Vnde ex ista ratione non potest poni corpus impassibile propter animæ gloriam, nisi ponendo, quòd anima in homine dat esse corporeum, vt non sit homo compositus, nisi ex substantia, quæ est anima, & materia prima. Vbi non video aliquam mixtionem, nec formam elementi, nec illam, quæ est ex elementis, nec aliã corruptionẽ, quàm separationẽ animæ à materia. Nunc autem non ponimus separationem animę à corpore, nisi propter dissolutionem imminentem aliquorum in corpore ex quibus componitur, quę per suam præsentiam continet forma illa, quæ est anima quantum potest, vt dicitur in fine primi de anima; Quare si sola anima esset forma in homine, non video causam corruptionis, aut passionis, siue anima sit glorificata, siue non. Quare si corpus humanum ex se passibile sit, & corruptibile secũdum formam aliam ab anima, vt habitum est supra, & debet secundum dictum modum esse impassibile:

passibile: oportet quòd hoc fiat ex aliqua dispositione positiua secundum se præter animam, & manet secundum hoc vniuocè corpus, cum sic fuerit factum de corruptibili, & passibili incorruptibile, & impassibile, & similiter ipse homo de mortali factus fuerit immortalis, nō nouam vitam accipiendo, sed quendam casum, siue passionē vitæ. Ita etiam, quòd si per impossibile anima non gloriosa corpori existenti cum tali dispositione coniungeretur, immortalis esset homo, nec vnquam anima separari posset à corpore, & eadē ratione, nec separāri posset à materia, & esset homo immortalis si esset compositus ex sola anima, & materia, quia ipsa materia ita incorruptibilis est ex se, quantum datum corpus ex dicta dispositione, quàm appellamus dotem. Quæritur ergo à quo est ista dispositio in corpore glorioso. Et est dicendū, quòd radix passibilitatis, quæ est abiectio, & corruptionis naturalis in materialib. est priuatio existēs in materia. Priuatio enim, vt dicit Philosoph. primo Physic. est principium generationis per accidens, & hoc respectu generati, sed tamen necessarium generationi, vt dicit ibidem Cōment. quia vt dicit generatio fit ex non ente per accidens, id est, ex subiecto, cui accidit, quòd in eo sit priuatio rei, quæ generatur, & si priuatio formæ non præcederet in subiecto, non generaretur ex eo. Sed vt dicit Philosophus in fine libri, priuatio multotiens imaginabitur ad maleficium. Commen. Magis destruere, quàm esse, quoniam secūdum quod subdit, qui non concedit priuationem cum materia, non potest dicere, quare appetitus est materiæ ad recipiendum formas post formas, & non solum habet ex priuatione appetitum formæ non habitæ, sed etiam aptitudinem, & potentiam ad illā. Ita quod secundum hoc si qua forma est in materia absque priuatione ad formam contrariam, iam cessat aptitudo ad aliam formam, & potentia, dico inquantum dependent à priuatione, licèt non inquantum dependet à substantia materiæ, & cessat etiam per consequens omnis generatio, & corruptio, & etiā omnis alteratio, quia non est possibilis naturalis alteratio, vbi non est possibilis generatio, vt patet ex primo de generatione.

Dico ergo, ꝙ ex vnione animæ glorioſæ cū corpore mūdo ab omni fomite peccati, quale erat formatum in statu innocentiæ, ex redundantia gloriæ animæ in corpus corpori infunditur quędā dispositio, quæ tollit illam dispositionem defectiuam, quæ erat priuatio, sicut tollitur aduenięte forma, cui erat contraria, ita quòd amota priuatione etiā tollitur omnis appetitus materiæ, & omnis potentia, & aptitudo eius ad aliam formam, quam sit illa, qua est informata. Dico inquantum appetitus potentia, & aptitudo dependent à priuatione, licèt non inquantum dependet à substantia materiæ, & manet sic in materia pura carentia formæ, cuius priuatio prius erat in ea, quemadmodum carentia formæ elementi est in materia corporis cœlestis, si in eo sit materia, præter hoc, ꝙ in materia cœli non est appetitus aptitudo, aut potentia ad formā elementi, neque quantum est ex parte substantiæ materiæ, sicut neque quantum est ex parte priuationis. In materia verò corporis glorioſi, vt dictū est, manent illa quantum est ex parte substantiæ materiæ, licèt non quantum est ex parte priuationis. Et cum dicta dispositio infusa sustulerit illam dispositionem defectiuam, per hoc seipsa ponit immortalitatem, & sic destructa inimica morte induit immortalitatem, & corruptibile induit incorruptionem, secūdum qd dicit Apost. 1. Cor. 15. Ita, ꝙ stante dispositione illa non plus corpus glorioſum est in potentia ad formam elementi, aut alterius mixti, quàm ipsum cęlum, nisi ꝙ cęlum inquantum est ex substantia materiæ suæ, & ex parte priuationis nullo modo habet potentiam ad formam aliam, quam tamen habet aliquo modo corpus glorioſum quantum est ex parte substātiæ materiæ suę, vt in hoc differens sit immortalitas, & incorruptibilitas in cęlo, & in corpore glorioſo. Vnde quia nihil patitur, nisi quòd per priuationē est contrarium, & in potentia: ideò qualescunque sint actiones in tali corpore, siue ab extra, siue ab intra non plus patietur, q̄ modo patitur sphęra Lunæ à calore ignis quem in sua concauitate continet, & per hoc corpus huiusmodi simpliciter factū est impassibile, & incorruptibile, & homo secundum ipsum simpliciter immortalis, & incorruptibilis, non quia vt dicit August. 13. de Ciuit. Dei, cap. 23. Corpus quod de terra factum est non ipsum erit, sed quia dono cęlesti iam tale erit, vt etiā cęlo incolendo nō amissa natura, sed mutata qualitate conueniat. Et vt arbitror dispositio ista qualitas est reducenda ad naturalem potentiam de secunda specie qualitatis, non qua quidē habet agere de facili, à quali denominantur cursor, & pugil lator, nec qua quis habet solū difficile pati, à quali denominatur durum, sed qua habet impossibile pati, vt dictum est. Concedendum est ergo primum argumentum, & similiter secūdum, ꝙ dispositio illa, quæ est dos, non est ab aliqua corporali natura cęlesti, aut elementari. *Ad duo primo dicendum in cipio.*

Ad tertium, ꝙ non est ab anima, quia ipsa non tollit naturam elementarem. Dicēdum, ꝙ verum est quātum ad id, quod est de natura, & perfectione substantię elementaris, quia tunc diminueret perfectionem corporis humani, vt patet ex dictis: benè tamen tollit aliquid, quod est defectus; & imperfectionis naturæ elementaris, & in hoc eam amplius perficit. *Ad tertiū.*

Com-

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem XVI. quæ est,

Vtrum dos impassibilitatis sit dispositio positiua in corpore.

IN titulo decet pro intelligentia videre quotuplex sit dos, vt in qua significatione accipiatur in præsentia, cognoscatur; ac deinde accepta propria significatione diffiniendum est quid sit dos. Tertiò in specie loquendum est de dote impassibilitatis.

Primò igitur dos tripliciter accipitur, nempè, ciuiliter, Physicè, ac supernaturaliter. Primam iuristæ considerant. Secundam Physici. Tertiam Theologi. Prima est illud, quod dat sponsa suo sponso, quando contrahitur matrimonium, vel etiam è contra, quod dat sponsus sponsæ de qua dote nihil est ad propositum, nisi translatiuè. Quippè anima beata efficitur Christi sui sponsa, cui dicitur. Veni sponsa Christi accipe coronam, quàm tibi Dominus præparauit in æternum, quæ corona dos est redundans in corpus. Secunda autem est proprietas ac virtus alicuius rei. Quo fit vt virtutes dicantur dotes, præsertim naturales, à natura donatæ. Et de hac pariter sermo non est. Tertia tandem est illa, de qua in præsentia sermo est, quæ donum est quoddam supernaturale quam dotem D. Thomas in 4. sententiarum dist. 49. diffinit, quod sit ornatus perpetuus datus corpori, & animæ, vitæ sufficiens, in æterna beatitudine consistens. Ab hac diffinitione parum etiam abfuit Petrus de Palibidem quæst. 8 & cæteri pariter, eam ita diffiniũt, vt nulla sit discordia circa dotis diffinitionem. Est autem huiusmodi dos septuplex, seu septem sunt dotes beatorum, tres quidem animæ, quatuor verò corporis. Et quidem animæ sunt clara visio. Fruitio sequens visionem, & tentio perpetua in summum bonum, videlicet Deum. Atqui corporis dotes, sunt agilitas, impassibilitas, subtilitas, & claritas, quæ ex illo sapientiæ tertio deprehenduntur. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Quippè in fulgore claritas, in scintilla impassibilitas, in arundineto subtilitas, & in discursu agilitas denotantur. Cum itaque tot sint dotes tùm corporis, cùm animæ, de sola dote impassibilitatis est quæstio. Pro cuius notitia adnot. q impassibilitas passibilitati contrariatur, vt id, quod est impassibile nequaquàm passibile sit, nequo contra. Cœterum cum duplex sit passibilitas, altera quidem, quæ dicitur corruptiua, & afflictiua, altera perfectiua, vbi ex prima nascitur defectus in patiente, atque corruptio in secunda, succedit perfectio, oportet, q duplex etiam sit impassibilitas, altera, quæ opponitur primæ passioni, nempè corruptiuæ, & altera, quæ secundæ, s. perfectiuæ. Vnde illa tollit quod malum, quod corruptionis, quod afflictionis est. Hæc autem tollit quod bonum est, quodue perfectionis. Nunc autem solùm illa impassibilitas est in corpore glorioso, quæ opponitur corruptioni, & afflictioni, non autem illa, quæ opponitur perfectiuæ passibilitati. Quæ omnia partim Auctor, partim Thomas de Argentina colligunt. Et quidem passibiles sunt etiam beati, ex D. Thoma, sed passione perfectiua. Cum ergo sermo sit tantùm de impassibilitate, quæ propriè dicitur incorruptibilitas, quam beati in patria habebunt in corpore suo, & dicitur etiam immortalitas secundum Apost. p. Corinth. 15. Oportet enim inquit, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum inquam sermo sit de hac huiusmodi impassibilitate, quæritur an sit aliquid positiuum, an potius aliquid priuatiuum, seu negatiuum. Id autem facilè cognoscitur, cum cognoscitur causa. Vnumquodque enim cognoscimus cuius naturæ sit, cum causam nouerimus. Quare si causa proxima impassibilitatis huius fuerit aliquid positiuum, nulli dubium esse debet, q etiam effectus erit huiusmodi. Sin contra aliquod negatiuum, vel priuatiuum erit causa, vtique idem iudicium faciendum erit de effectu. Meritò idcircò transfertur hæc quæstio ad causam huius dotis proximam, & quæritur quæ nam sit.

Not. Vlterius ex Auctore, quòd quæstio est de illa impassibilitate, & immortalitate, qua corpora glorioſa non poterunt mori, nec pati ab vlla causa, siue intrinseca, siue extrinseca. Cum enim triplex sit talis immortalitas. Prima, qua ideò non potest mori, quia à Deo conseruatur, vt fuisset status innocentiæ per reparationem ex esu ligni vitæ. Secunda, qua mori non potest patiendo à causa extrinseca creata aliqua, nec intrinseca. Tertia verò, qua à nulla prorsus causa, quæritur in hoc tertio significato, quia certum est, quod corpora glorioſa erunt impassibilia, ita quòd à nulla prorsus causa passionem subibunt.

In corpore duo fiunt. Primò reprobantur opiniones, quæ de hac re haberi possunt, & etiam habentur ab alijs. Secundò respondetur quæsito.

De primò not q non enumerat omnes opiniones Auctor de hoc negotio, si verò desideres eas videre, reprobatas à Scoto, & breuiter collectas, conferas Auctorem cum Nicolao de Nisa tract. 7. par. 3. port. 3. quæst. 4. Ab Auctore autem in præsenti quæstione reprobantur hæ opiniones. Prima, q causa impassibilitatis sit Voluntas Dei. Secunda, q sit aliquid, quod est in Dijs, &c. Tertia, q sit ablatio qualitatum actiuarum, & passiuarum. Quarta, q sit ablatio actionum naturalium. Quinta, q sit virtus corporis. Sexta, quòd sit gloria animæ.

Quantum ad primam not. q eam reprobat, non simpliciter, sed quatenus non est causa intrinseca, neque extrinseca, secundum quod eam ponit Plato.

Not. q Auctor in hoc non reprobat Platonem, quippè verum sit q omnia deciderent in nihil, nisi à diuina voluntate conseruarentur. Sed ideò reprobatur hæc sententia, quatenus voluntas diuina ita conseruans de mente Platonis non est ita causa impassibilitatis, quod si cessaret esse causa essent passibilia corpora beatorum, quoniam non solùm fierent passibilia hæc, & alia, sed in nihilum cuncta deciderent.

Quantum ad secundam; illam reprobat, quoniam Dij, id est Angeli si sunt impassibiles, sunt etiam huiusmodi ex suis principijs naturalibus, non sic autem corpora beatorum, quia quantumcunque beata, ex elementis contrarijs composita sunt.

Not. q etiam ex Aristotele intelligentiæ, ex principijs intrinsecis, atque propijs sunt impassibiles, quia principia ipsorum materialia non sunt, neque contraria. Nunc autem in corpore glorioso quantuncunq; glorioso manent ipsa principia materialia, & quidem suapte natura contraria. Et ex hoc facilè reijcit etiam tertiam opinionem.

Quantum ad Tertiam igitur, ipsa reijcitur, quoniam qualitates huiusmodi spectant ad perfectionem elementorum. Vt sit argumentum. Perfectio non aufertur alicuius, nisi imperfectius ipsum reddatur. Sed qualitates huiusmodi sunt perfectiones elementorum. Igitur &c. Sed non est ponendum q imperfectiora sint elementa in misto beato. Igitur.

Quantum ad quartam patet ex hoc eius reiectio. Quod ablatis omninò actionibus, mistum non conseruaretur.

Not. q conceditur non ibi esse quantum ad hoc, quod est propter nutritionem, propagationem, generationem, & huiusmodi, quæ sunt de perfectione speciei, sed manebunt quantum spectat ad esse rei in se, in quolib. individuo, vt mistum mistũ remaneat, cuius impassibilitatis causa quæritur.

Quantum ad quintam, reijcitur, quoniam esto, q tale corpus bb virtutem interius existentem non pateretur ab intrinseco, non tolleretur, quòd non posset pati ab extrinseco. cætera sunt nota.

Quantum verò ad sextam, quæ verè tanquam opinio aliorum recitatur ab Auctore, cum cæteræ reiectæ non sub nomine opinionum positæ sint. Scito quòd est opinio D. Thomæ in 4. Sententiarum dist. 44. quæst. 2. art. 1. quam reprobat Scotus in 4. dist. 49. & Auctor in præsentia. Est autem sciendum in primis, q in hoc rectè facit D. Thomas, inquantum assignat

causam

causam positiuam, & ideò cum concluserit Auctor ponendam esse causam positiuam, ponit opinionē D. Thomæ, tenentem, gloriam animæ dominantem supra corpus causam esse huius impassibilitatis, vt impassibilitas sit ex pleno dominio supra corpus, cuius quidem D. Thomæ ratio est. Forma substantialis perfectè dominans suæ materiæ excludit ab ea passionem cuiuslibet agentis ad priuationem talis formæ, &c. inducentis oppositum. Sed post resurrectionem anima perfectè dominabitur suæ materiæ. Ergo &c. Maior patet per exemplum formæ cœlestium corporum, quæ quoniam dominatur, non sinit pati.

Nor. diligenter, quòd non absolutè Auctor reijcit hanc D. Thomæ sententiam. Quippè velit, atque concedat in primis animam per suam gloriam corpori dominari, & ex hoc causari, quod nunquàm patitur corpus per dominium animæ, sed non redditur causa ex parte corporis, quæ quæritur. Et quoniam Thomista diceret causam esse animam ipsam. Sciendū est, quòd vt alibi visum est, cum loquetemur de formarum pluralitate in homine, lis esse videtur inter D. Thom. &c. Auctorem. D. Thoma sustinente, quod anima informata corpus, vt det esse corpori simpliciter; contra verò Doctore tenente, q anima dat tantùm esse corpori organico potentia vitam habenti, cuius ex Aristotele dicitur actus. Præter autē animam datur forma misti, vt visum est. Hinc est, q qui tenent primam opinionem videre non possunt quomodo quærenda sit causa impassibilitatis corporis quatenus huiusmodi seiuncta anima; contra verò qui secundum sustinent, distinguunt de causa impassibilitatis corporis, vt alia sit causa impassibilitatis corporis, vt organici potentia vitam habentis, alia corporis, vt corporis habentis esse à forma misti, vbi concesso primo D. Thomæ, nempè, q corpus vt organicum sit impassibile ab anima, de secundo instituitur quæstio, quod nam statuatur pro causa. Neque enim potest esse anima, quia non dominatur nisi ei, cuius est forma. Sed non est forma corporis vt corporis, igitur. Et ex hoc tantùm dicitur insufficiens sententia D. Thomæ. Quod autem est insufficiens ad totum, non tollitur, quin possit esse sufficiens ad partem. Sed profectò aliter dicere non poterat D. Thomas stante suo illo principio, quòd nullo modo in homine daretur pluralitas formarum. Et hæc de primo dicta sint.

De secundo. Conclusio Auctoris est, q causa impassibilitatis huiusmodi est forma quædam à Deo creata, siue qualitas supernaturalis creabilis à Deo, per quam non est amplius corpus in potentia ad aliquam transmutationem corruptiuam.

Not. q re vera probari non potest conclusio, quo ad hoc, q insit hæc virtus creata à Deo, ratione ostensiua, & id concludente, sed solum sequitur ex exclusione aliarum causarum, quæ possunt assignari, quarum, vt visum est, plures ab Auctore reiectæ sunt, &c. aliæ reijciuntur à Scoto, Soto, Richardo, Thoma de Argentina, &c. alijs.

Amplius probatur conclusio, quo ad hoc, q in existente hac qualitate, à nulla virtute creata, nec increata potest pati. Non à creata quidem, quoniam vel intrinseca, vel extrinseca, sed qualiscunque sit non potest excedere virtutem supernaturalē, scilicet illam qualitatem. Iam verò oportet excedere, igitur. Patet quòd oporteret excedere, quia nihil patitur nisi à prædominante.

Not. q ex hoc sequitur conclusio responsiua quæsito, sicuti iacet, scilicet, q dos impassibilitatis est quid positiuū. Probatur. Quoniam causa est positiua. Reducitur enim ad secundam speciem qualitatis, vt dicit Auctor.

Not. q tametsi Scotus non neget causam esse aliquod positiuum, arguit tamen contra talem assignatam ab Auctore. Ista qualitas supernaturalis, vel est cœlestis, vel elementaris, vel mistionis. Non primum, quia nec est perspicuitas, nec lux aut lumen. Et amplius corpus cœleste non venit ad constitutionem corporis humani. Non est qualitas elementaris, vel propria misti, quia siue sic, siue sic, non impediret omnem actionem, vel passionem, vt patet etiam in exemplo opinantis, quia duritiesiicèt impediat incisionem, non tamen combustionem, vel aliam actionem destructiuam. Et præterea elementum ipsum est simpliciter corruptibile, ac etiam mixtum ex ipso: oportet autem qualitatem magis sequi naturam subiecti, quàm è contra. Nec posset dici illa qualitas spiritualis, cum sit perfectio corporis, & sibi coextensa.

Hæc præsertim Scotus 4. Sent. dist. 49. quæst. 13. contra assignatam pro causa qualitatem. Sed certè mirum prorsus est, q subtilissimus Doctor extraxerit hoc argumentum ab Henrico, nec viderit solutionem datam ab eodem. Quippè hoc est illud primum argumentum, q ponit in fronte quæstionis, cui in calce quæst. Auctor ipse respondet, &c. in cuius responsione stat negatio diuisionis, q non sit sufficiens. Nimirum illa qualitas est quid non naturale, sed supernaturale non extractū ex corpore, neque ex alieno corpore, vel creatura, sed à solo Deo creatum, & inditum illi corpori. cætera clara cum sint dimittantur lectori, qui si abundantius de dotibus corporis cupiat videre, præfatos legat Doctores, vbi supra.

QVAESTIO XVII.

Vtrum suppositis fundamentis Philosophi necesse sit ponere, quòd semper fuerit homo, & homo ab homine ex parte ante in infinitum.

Arg. prin. CIRCA secundum arguitur, q homo habet generari ab hoie in infinitum ex parte ante secūdum fundamenta Aristot. quia dicit in 7. Metaphys. Omne qd generatur, generatur à sibi simili noie, & definitione. Si ergo iste homo generatus est: ergo ab alio hoie generatus est, & ille eadē ratione ab alio, & sic in infinitū.

In oppos. Contra. 12. Metaph. vult, q oīs forma in potentia in prima materia est in actu in primo motore; quod verò est in actu in primo motore, in potentia nūt in materia, motor ex se sine alio pōt ex materia producere. ergo &c.

Responsio. Dicendum, quòd sententia Philosophi fuit, q sicut species rerum non habent esse extra intellectus notitiam nisi in singulari vnico, aut pluribus, sic nec habent causari nisi in eisdem. Et benè dixit in hoc, sed species illas, quæ subsistunt in vnico indiuiduo tantùm, nec generabili, nec corruptibili, posuit æternas, non causatas ab alio, vt à principio productiuo; secundum enim quod dicit 12. Metaphys. Cœlum non habet causam in esse, sed in motu. Species verò generabilium & corruptibilium secundum rationem speciei aliter non posuit producitas, nisi prout habent esse in suis indiuiduis p generationem, quorum causam proximam præter generans particulare in propagatis posuit cœlum, ita quòd species ipsa à Deo nullo modo habeat, q sit causata ab ipso, nisi pro quanto generatur in suis indiuiduis, & hoc non nisi mediante cœlo ex materia indiuiduali determinata, per quam species in indiuiduis indiuiduari habet, & plurificari. Sed à cœlo secundum communem cursum aliter

posuit species perfectorum generari in suis individuis : aliter verò imperfectorum. Quia imperfectorum ex solo cœlo agente in materia vim seminalem absque particulari agẽte simili in specie posuit posse ex materia exire de potentia in actum postquam desierat esse in omnib. suis individuis. Vnde loquendo de tali vi generata in putrefactis à cœlo dicit in quarto Meteorolog. Calor disgregans naturalis cum sit, constare facit disgregata. In cœlo enim contingit aliquando fieri aliquem aspectum, & circulationem, quæ prius non erat, quorum effectus proprius est aliqua species generabilis, & corruptibilis.

Species verò perfectorum non à solo cœlo absque particulari agente simili in specie posuit exire in suis individuis de potentia ad actum. Sol enim & homo generant hominem, vt dicit secundo Physico. Tales autem species posuit Philosophus sempiternas, & nunquam defuisse, sed causatas tamen non abstractas absque individuis, & extra intellectum existentes, non sic quòd singula species subsistat in aliquo individuo sempiterno causata, sicut subsistunt species cœli, & intelligentiæ, sed quia semper vnum individuorum generatum est ab altero semper in præterito, & similiter generabitur in futuro, & similiter species ipsa in quolibet eorum, ita quòd nunquam materia sic cœperit esse, quòd non præfuit, nec desinit esse, quòd non erit in posterum, & quolibet individuorum incipiente esse in ipso, incipit species esse, & desinente esse in ipso, desinit species esse. Et secũdum ipsum hoc modo non sic species incipit esse, quin semper præfuit, nec sic desinet esse quin semper postmodum erit. Equus enim simpliciter etsi incipit esse per generationem huius equi, præfuit tamen in alio generante ipsum, & si desinit esse in vno per mortem eius, manet tamẽ semper in alio generato, vel ab ipso, vel ab alio. Et sic licèt quodlibet individuum sub tali specie sic sit causatum, quòd non præfuit, sed penitus esse incepit, & similiter species in illo : non tamen sequitur, quòd ipsa species sic esse cœperit, quòd penitus nõ præfuit. Falsa est enim illa propositio, quæ dicit, quòd species illa est noua, & esse inceperit cum pœnitus nõ præfuisset, cuius quodlibet individuum in præterito nouum erat, & sic cœpit esse, quòd non præfuit penitus. Licèt enim quodlibet individuum sic esse cœperit, quòd penitus non præfuit : nullum tamen eorum secũdum Philosophum sic incepit esse, quin aliud à quo esse cœpit præfuit.

Species autẽ non habet esse, fuisse, vel fore solùmmodo per esse, aut fore vnius individui, sed cuiuslibet indifferenter : est enim propositio illa similis, quæ dicit, omne præteritum, siue propinquum, siue remotum determinatam distantiã habet ad præsens, quia est aliquod tunc : ergo totũ tempus præteritum est finitum. Cui respondet Aristot. in quarto Physic. dicens, quòd licèt quodlibet tunc siue tempus præteritum sit finitum, quia tamen in tempore est accipere tunc ante tunc & præteritum ante præteritum in infinitum : ideò non est totum tempus præteritum finitum : componitur enim ex finitis quantitate : numero autem infinitis, & ideò in infinitum habuit esse præteritum ante præteritum.

Sic etiam licèt nullum sit hominis individuum quin esse cœperit cum prius non fuisset, quia tamen individuum hominis est ante individuum in infinitum secundum Philosophum, ideò secundum eum homo non incepit esse cum penitus non præfuisset, sicut nec tempus.

Et est simile de partibus temporis, & individuorum hominis, quia sicut tempus præteritum simpliciter habuit esse per quodlibet nunc, & tunc, sic & homo & similiter species quælibet per quodlibet individuum suum. Et ideò secundum Philosophum species equi non sic incepit esse quin semper præfuit, quia nunquam incepit esse vnum individuum eius, quin aliud præfuit in infinitum, quoniam speciei inceptio simpliciter non potest argui ex inceptione vnius, aut cuiuslibet individui sui sm se, cum non præfuisset, sed solùmodo ex alicuius individui eius inceptione, cùm nec ipsum, nec aliud individuum illius speciei præfuisset : cũ præcedenti enim speciei inceptione bonè stat speciei æternitas, licèt nõ cum ista, vt patet ex dictis.

Et sic secundum Philosophum cœlo, & elementis existentibus sempiternis, equus potuit generari ab equo præcedente, & homo ab homine in infinitum absque omni repugnantia naturæ rei, vt non sit omninò ponere primum hominem, aut primum equum. Immò, quòd plus est, secundũ Philosophum impossibile est in quacunque specie aliquod individuum ponere, quod non præcessisset aliud eiusdem speciei, & hoc siue in propagatis, in quibus non potest vnum procedere de potentia ad actum, nisi per aliud præcedens suæ speciei, siue etiam in alijs, quorũ individua produci possunt virtute cœli solius. Cuius ratio est secundum Philosophum, quòd primum agens, & mouens semper est, & semper fuit agens, & mouens.

Ex quo ergo egit, & mouit tempore infinito, impossibile est, quòd habeat nunc aliquam virtutem, aut dispositionem, siue aspectum producendi aliquod individuum, quin prius habuerit consimilem virtutem producendi simile, quod & eadem ratione produxit, & hoc infinities in infinito tempore quod præcessit. Vt ideò secundum ipsum, quæcunque species, quæcunque opiniones, aut leges, religiones, sectæ, aut hæreses sunt modo, infinities præcesserint, & circulariter eadẽ specie reuertentur in futuro, & qualiacunq; nunc sunt, talia infinities futura sunt, & similiter præcesserunt quamuis eorum propter antiquitatem non restat memoria. Et sic si omnes species, quarum individua generantur per propagationem, possent generari à solo cœlo, & species reparari omnibus individuis suis aliquando corruptis,

adhuc

Sententia Auctoris.

adhuc eadem ratione non contingeret ponere primum indiuiduum, quia infinities secundum Philosophum quælibet species talium fuisset corrupta omninò, & iterum reparata.

Sententia Auctoris.

Omnia ista ex falsa suppositione procedunt, scilicet quòd species rerum sunt æternæ, & nulla noua nisi quatenus dependet in esse ab indiuiduis generabilibus, & corruptilibus, quod nec rerum naturæ, nec rectæ rationi concordat: de creatura enim aliàs sæpius declarauimus, quòd non potest fuisse æterna. Si enim potuisset fuisse æterna, absq; inconuenienre ex natura rei poni posset ab æterno fuisse, & si fuisset ab æterno, cum secundum Philosophum in æternis non differunt esse, & posse, impossibile fuisset ab æterno actum distantem fuisse à potentia, & sic impossibile fuisset ipsam incepisse de nouo, quia per infinitum tempus præcedens actus fuisset distans à potentia. Et sic ex alibi determinatis supponimus impossibile, quòd ponantur cœlum, elementa, & cætera, quorum species subsistit in vnico indiuiduo, fuisse semper & ab æterno, de quo non quærit ista quæstio, sed supposito, ꝙ illa fuerint ab æterno, vtrum secundum fundamẽta Aristo. necesse sit ponere, quòd homo genarauit hominem semper ex parte ante in infinitum. Vbi duo sunt consideranda. Primum, si omni homine, aut equo corrupto incendio, vel diluuio, virtute cœli possent reparari de terra. Secundum, si secundum naturam rei possit poni cœlo existente æterno hominem semper fuisse ab homine, equũ ab equo, asque aliquibus primis equis, & primis hominibus, ante quos nulli.

De primo istorum dat Arist. dubiam sententiã, vbi dicit secũdo Politic. in fine. Verisimile primos, siue terrigenæ erant, siue ex corruptione quadam saluati sunt, similiter esse, & contingentes, & insensatos. Et probat per hoc antiquas leges esse mutãdas, eo videlicet, quòd homines illi, per quos primò ciuitates sunt constructæ, & leges institutæ post vniuersalem destructionem viuentiũ vniuersali diluuio ignis, aut aquæ, erant qualescunq; in moribus, & fatui sensibus. Propter quod leges irrationabiles instituerunt, & hoc siue post illã vniuersalem destructionem fuerint illi homines terrigenæ, ideſt, geniti de terra à Sole, quod quærit quæstio nostra, siue ex corruptione vniuersali, in qua totum genus humanum perierat, saluati sunt, sicut Noè saluatus est per arcam tempore vniuersalis diluuij aquæ, & Deucalion per ascensum mõtis tempore diluuij ignis, quod fuit in Grecia. Dicũt autem aliqui tenentes vnam partem, videlicet ꝙ virtutes cœli, & stellarum cõmixtæ viribus elementorum omnia formant, & perficiunt, & ꝙ non indigetur propagantibus, nisi propter cõmodius, & frequentius generari, quemadmodum expertum est de muribus primò generatis de terra, qui postmodum generant propagando. Sed quicquid sit de alijs, hoc nullo modo põt poni de hominibus, quoniam non minus perfecti generantur homines propagatione, quàm generarentur à stellis, quia meliora fomenta interiora dant propagantes, quàm darent stellæ. Sed videmus tantam imbecillitatem in statim generatis à propagantibus, quòd nisi foueantur exterius arte, & ingenio propagãtium, inedia & fame eos mori necesse est, & sic etiam si generarentur à stellis, quia in consimili imbecillitate, aut maiore ab illis generari necesse esset, cum non haberent fouentes, mori eos necesse esset prius, quàm ad perfectionem peruenirent, & sic per generatos à stellis genus humanũ reparari non posset, & quod amplius cum natura secundum Philosophum nõ deficit in necessarijs, si stellis esset indita à natura vis hominum generatiua, prouidisset eis de fouentibus eos post generationem. Quare cum in hoc non prouidit eis, nõ est ponendum, ꝙ habeant naturam generatiuam hominum, & hoc consimili ratione, qua probat Philosophus in fine de anima, ꝙ à vi vegetatiua non habet esse principium motus secundum locum, quia tunc natura prouidisset plantis, in quibus est vis vegetatiua, instrumenta quibus mouerentur localiter. Et eadem ratione probatur, ꝙ nec animalia perfecta plurima, quorum fœtus indigent nutritione parentũ, à stellis generari possent. Propter quod quamuis stellæ sufficienter mouent ad species mixtorum inanimatorum, & terræna-scentium, & plantarum, & similiter animalium in corpore consimilium, vt sunt serpentes, & vermes, & similiter animalium imperfectorum non multũ dissimilium, sicut sunt mures, & vespertiliones: tamen non sufficienter mouent ad species animalium perfectorum, nec in homine ad tam nobilẽ formam mixti, qualem requirit sibi subiectam in corpore, quod debet informare anima rationalis. Propter quod ponendum est, quòd quantuncunque fuerit diluuium aquæ, aut ignis, semper Deus aliquibus hominibus prouidit saluationis remedium, vnde alij propagarentur, & quamuis ponamus nunquam diluuium generale fuisse nisi aquæ tempore Noè, nec futurum esse nisi ignis in die iudicij, & hoc nõ naturaliter, sed potius miraculosè.

De secundo ergo præmissorum restat perscrutandum. Dicendo, quòd Philosophus, quamuis secundum prædictum modum ponat hominẽ ab homine procedere in infinitum ex parte ante: tamen cum hoc ponit, quòd naturaliter, simpliciter, & essentialiter semen potius procedit ab homine, quàm homo ex semine, dicit enim 12. Metaph. in reprehendẽdo illos, qui dixerunt, quòd principia rerum non sunt bonum, aut nobile, quia sunt imperfecta, vt rerum semina, sed bonum, & perfectũ est in illis, quæ sunt ex eis, quia sunt entia perfecta, vt plantæ, & animalia, cõtra quos dicit sic. Non est verum, quod æstimant, quia imperfecta, vt semina non sunt absolutè principia perfectorũ, sed è conuerso. Semina enim ex quibus sunt entia perfecta, sunt ex alijs præcedentibus perfectis. Primum enim, vt dicit non est semen factum, sed

aliquid perfectum. Verbi gratia, hominem oportet esse ante sperma, non illud, quod fit ex hoc, sed aliud ex quo fit semen, vt secundum hoc oporteat hominem esse ante sperma, non illum, qui fit ex spermate, sed alium ex quo fit sperma.

Ex quo patet, quòd quamuis Philosophus iste ex fundamentis suis, quibus principaliter innitebatur non posuit hominem, ante quem nullus, sed semper fuisse hominem ante hominem, & homi nem ex spermate, & sperma ex homine in infinitum: hic tamen ipsa veritate coactus aperte ponit, ꝙ secũdum veritatem, & naturam rei simpliciter, & naturaliter homo prius factus est semine, & hoc essentiali non accidentali ordine, vt licèt hoc semen præcedat hũc hominem factum ab illo, hoc non est nisi quia hoc semẽ præcedit alius homo ex quo habet esse illud semen, vt secundum hoc quẽadmodum iste homo præcedit alius homo, ex quo habet esse illud semen, vt secundum hoc quemadmodum iste homo præcedit illum accidentaliter, & similiter accidentaliter hoc semen præcedit hũc hominẽ, ꝙ factus est ab illo, q̃q̃ homo simpliciter p̃cedat semẽ simpliciter essentiali ordine. Quare cũ ita sit in rerũ natura, & ꝙ primũ ordine essentiali nõ hẽt fieri naturaliter ex posteriore, sed è cõuerso: id enim ex quo fit alterum, inquantum huiusmodi, est principium illius, quod fit ex eo: species ergo hominis, aut equi simpliciter non habet fieri ex semine simpliciter hominis, aut equi, licèt non nisi in indiuiduis eorum, sed è conuerso, exigente hoc ordine essentiali. Quare cum licèt in ordinatis accidẽtaliter processus potest ire in infinitum: in essentialiter tamẽ ordinatis, vt probatur 2. Metaphys. necesse est ponere statum. Quantum est ergo de ratione specierum hominis, & seminis, & indiuiduorum ipsorum simpliciter status est, vt nõ semper procedat homo ex semine, & semen ex homine, sed simpliciter semen ex homine, & hoc in aliquo indiuiduo, hoc semine procedente ex isto homine, qui non processit ex semine.

Simpliciter ergo productionẽ hominis facti ex semine, sicut & productionem seminis reducere oportet ad productionem hominis facti non ex semine: & ideò ex aliqua alia sua causa efficiente immediatè, aut cœlesti corpore, aut aliqua alia non cęlesti corpore, vt iam habitũ est; ergo à Deo, & hoc non secundum speciem separatam, sed in aliquo eius indiuiduo vno, vel pluribus. Sic ergo etsi cęlum, & elementa essent æterna, quæ in singulis indiuiduis facta fuissent à Deo, tamen necesse est ponere aliquem vnum hominem, aut plures immediatè factos à Deo, ante quos nulli, & à quibus cæteri. Quare cum vnus homo, vel plures idẽ numero non potuerunt facti fuisse ab ęterno, quia certa est periodus totius vitæ generabilis, & corruptibilis, necesse est ergo huiusmodi indiuidua à Deo incepisse, cum nec ipsa, nec alia indiuidua hominis præcessissent. Et eadem ratio est de omnib. perfectis, quæ immediatè à cęlo produci non possunt, & sic necesse est species omnium talium incepisse cum prius non fuissent. Non est ergo verum, quod dictum est supra secundum Philosophũ, species generabilium, & corruptibilium non esse cas satas nisi per generationem vnius ab alio, & à cęlo ex potentia materiæ: immò necesse est ipsas immediatè causari à Deo in aliquib. suis indiuiduis, & tunc primo ex semine illorum cum virtute cęli produci indiuidua consimilia in specie ex materia, & aliter non. Et per hunc modum cum in diuersis actus simpliciter præcedat potentiam, licèt potentia in hoc præcedat actum in illo, vt licèt potentia in hoc ouo præcedit tempore actum in gallina ex illo generata, & sic tempore præcedit potentia actum, & actus in hac gallina potentiam in ouo, ex quo alia gallina est generanda: hoc tamen non procedit in infinitum: immò necesse est stare in gallina, quæ nõ habet esse ex ouo, sed quę præcedit omne ouum, & omnem gallinam generatam ex ouo, & sic actus simpliciter necessariò præcedit potentiam tempore. Quod etiam ipse Aristoteles testatur esse necessarium. 9. Metaphys. vbi dicit, ꝙ licèt in eodem secundum numerum, quod de potentia procedit ad actum potentia tempore præcedit actum: idem tamen secundum speciem in aliquo indiuiduo existit in actu prius, quàm aliquod aliorum existit in potentia, dico materię, vt ex qua aliquid procedit de potentia in actum.

Ad argũ principale.

Quòd ergo arguitur primò, quòd secundũ Philosophum homo semper generatur ab homine. Dicendum, ꝙ re vera hoc erat de mente sua, sed non est verum, vt dictum est.

Ad arg. in oppos.

Ad secundum, quod formæ in potentia in materia, sunt actu in motore primo, &c. Dicendum, ꝙ verum est appellando motorem primum Deũ. Omnia enim antequã fiant sunt in actu in eius notitia, & in eius substantia secũdum rationes ideales & perfectionales, vt habitum est supra, & benè potest ex materia omnia producere immediatè, secundum quod produxit, vt habetur Gen. primo. Sed hæc non est intentio Philosophi, qui intẽdit, quòd non potest producere aliquid qualitercunque existat in ipso, nisi mediante motu cęlesti, secundum quod dicit Comment. 8. Phys. Voluntas antiqua nihil nouum facit nisi mediante alio antiquo. s. motu cęlesti. Et sic argumentũ intendit concludere, ꝙ motor primus naturali cursu mediante cęlo posset omnia ex materia producere, vt nõ sit opus hominem semper generari ab homine. Et est dicendũ, quòd licèt omnia sint actu in primo motore, quæ sunt in potentia in materia, non tamen sic quin oportet, vt pfecta sint primo ab ipso producta immediatè, sicut & cęlum, & tunc mediante cęlo, & mediantibus perfectis ex materia producit indiuidua consimilia in specie, vt dictum est.

Com-

Comment. in Quæstinoem XVII. quæ est,

Vtrum suppositis fundamentis Philosophi necesse sit ponere, quòd semper fuerit homo, & homo ab homine ex parte ante in infinitum.

IN titulo subaudiendum, vel ex eisdem fundamentis necesse est ponere, ꝙ inceperint, ita ꝙ de statu quæstio sit. Vtrum sit dare statum in hominibus, vt primus detur, qui non sit ex alio, sed ab ipso alius homo. Et hæc quæstio præsertim resoluitur in corpore.

Not. autem, quod etiam alia quæstio inducitur, an dato, quòd homines per diluuium omnes consumantur, post diluuium à virtute cœlesti posset species humana reparari.

In corpore est duplex conclusio iuxta duplicem quæstionem. Est autem Prima conclusio, quo ad primam quæstionem, suppositis fundamentis &c. datur primus homo, ante quem non est homo.

Probatur, quia si non daretur primus homo, sed omnis homo esset per generationem, tunc necessariò sperma, vel semen præcederet hominem, non è contra, quòd si homo præcedit semen, sequitur vt detur primus homo, non ex semine, sed ex Deo sine semine. Iam verò ex 12. Metaph. illud fundamentum notum est, quòd Philosophus vult hominem præcedere semen, non è contra.

Not. quod eadem ratio militat de omnibus animalibus perfectis.

Not. quòd si constanter tenet Aristoteles, quod omnis homo habet esse per generationem, vt sicut homo hominem generat, ita & omnis homo ex homine genitus sit, vel sibi contradicit, vel intelligendum de omni homine post primum.

Secunda conclusio. Suppositis fundamentis Arist. dubium est, quid dicendum sit ad quæstionem, secundum veritatem in actem dicendum est, quod virtute cœli, & naturæ tantùm non posset reparari genus humanum.

Prima pars patet, secundo Politicorum in fine, vbi dubius est Aristoteles.

Secunda pars conclusionis patet, quoniam quod à natura, & cœlo tantùm non potest conseruari, non potest generari, sed genus humanum non posset genitum statim à natura, & cœlo conseruari, igitur. Patet maior propositio. Minor verò probatur, quoniam non minus perfecti nascuntur per propagationē, quàm nascerentur à stellis &c. sed tanta imperfectio est in propagatis, & subito natis hoibus, ꝙ si cœlo relinquerentur, & naturæ perirent, igitur & qui nascerentur à stellis.

Præterea non est tanta virtus in corporibus cœlestibus, vt ex se Solis corpus ita elaboratum efformare posset, vnde esset habitum cum excellentis formæ, sicut est forma humana.

Not. quod ex hoc vanum est illud, quod fertur quondam Albertum Magnum sine fœmina elaborasse corpus viuens, in loco calido posito spermate hominis cuiusdam &c. Hoc enim credi nec potest, nec debet, & dato, quòd hoc esset verum, supponitur semen humanum accepisse, quod in præsenti quæstione nequaquam supponitur, sed tantum putrefactum, sed certè etiam, quòd ex semine cœlum solum posset hominem producere credendum non est. Et profectò, si aliquid dicere licèt ex alijs fundamentis Aristot. dicemus nos, ꝙ Aristoteles apertè manifestat id nequaquam possibile, vt diceret, quòd Sol & homo generant hominem, vbi hominem vult concurrere. Et existimandum est, quod si cœlum posset ex se homines producere post diluuium, posset etiam hoc tempore, & ante potuisset, quòd nulla dicit realis historia, vnde dato, quòd per diluuium fieret prorsus hominum destructio, nullo pacto repararetur à cœlo genus hominum, sed fortè repararetur à Deo. Verum credimus aliquando ignem consumpturum omnia, nec amplius reparandum hominum genus, &c.

QVAESTIO XVIII.

Vtrum nobilitas generis ab initio processerit ab ignobili.

Arg. prin. ARCA tertium arguitur, ꝙ nobilis semper procedit ab initio ab aliquo nobili, quia causa semper nobilior est suo effectu: ergo quãto quis recedit à primo stipite, tanto est minus nobilis stipite. ergo &c.

In oppoſit. In contrarium est Philosoph. 2. Rhetor.

Reſponſio. Dicendum, quòd secundum Philos. 1. Politic. Nihil aliud, quàm virtus, & malitia determinant seruum, & liberum, & nobiles, & ignobiles. Sed hoc non est tam aspiciendo ad habitus generatos, quam ad naturales dispositiones, quibus homines nati sunt recipere eos, vt habetur secundo Ethic. nec tam aspiciendo ad dispositionem huiusmodi, vt habita est absolutè ab aliquo, quã vt diu tracta est per multos medios ab antiquis progenitoribus nobilibus, qui propter naturalem nobilitatē, qua benè vsi sunt in actus nobiles exercēdo, & per hoc habitus nobiles acquirendo, meruerunt præfici populis, & post hæredes sui fuere hæreditario. Et secundum hoc Philosophus determinat, quòd nobilitas requirit antiquitatem. Cum ergo quæritur vtrum nobilitas generis procedat ab aliquo nobili an ignobili. Dicendum, quòd si loquamur de nobilitate simpliciter secundum naturam sic non oportet, quòd nobilis procedat à nobili: immò ignobilis natura, & moribus benè potest generare nobilem natura, qui bono vsu naturæ fit verè nobilis habitu, sicut è conuerso à verè nobili potest procedere vere ignobilis, vt iam dicetur. Si verò loquamur de nobilitate generis, secūdum quam vulgo solēt appellari nobiles, qui sæpius secundum rei veritatem multum sunt ignobiles, sic nobilitas includit antiquitatem. Et tunc distinguēdum de initio, quia aut est sermo de initio generis, vel de initio simpliciter. Si primo modo, sic dico, ꝙ nobilitas semper procedit à nobili. Nō enim inchoauit genus nobilitatis ab initio in quocunq; genere nobilium, nisi nobilis verè, aut æstimatus: nullus enim ab initio incipit dominari, aut imperare populo, nisi propter aliquam probitatē, quæ præfertur eis: par enim in parem nullum debet habere imperium. Vnde Nemroth, secundum magistrum histo. primo sibi subiecit populum, propter quod dicitur fuisse venator robustissimus, hoc est bellator fortissimus.

Qui si verè nobilis fuit, vt probitate sua primo inceperit dominari in Regno Assyriorum, & accepit vxorē sibi in nobilitate respondentem, nati-

raliter genuerunt prolem, dicente Philos. in 1. Politic. Ex ambobus diuinis, ideſt virtuoſis, & nobilibus progenitricib, radicibus, quis vtique dignificabit aliquid dicere ſeruum. ſ. generari ex illis à q. d. nullus, cuius rationem ſubdit. Dignificant. n. .i. dignum dicunt homines, & iuſtum eſſe quemadmodum ex homine hominem, & ex beſtijs beſtiã fieri, ſic & ex bonis bonum. Et hoc quia mores boni, & nobiles informant nobiliter virtutem imaginatiuam, quæ hora conceptus cum habetur affectio ad prolem generandam, in teneram materiã imprimit ſecundum conditionem imaginationis diſpoſitionem ad procreandum fœtum, ſecũdum naturalem diſpoſitionem reſpondentem nobilitati generantium; & hoc ideo quia anima ſimpliciter non ſolum ſe habet ad corpus vt forma ad materiam, aut vt mouens ad motum, ſed vt artifex ad artificiatum. Sicut enim artifex mediante forma exemplari artis per inſtrumentum cõſimilem ſpeciem imprimit artificiato, ſic anima forma nobili virtutis, & probitatis affecta per virtutem generatiuam in calore naturali, vt per inſtrumentum, ſimilem aut reſpondentem diſpoſitionem corporalem imprimit nato, cuius diſpoſitione habilitetur, & inclinetur ad conſimilem acquirendam, ſecundũ quod oues Iacob, per imagines receptas à virgis conceperunt fœtus reſpondẽtes in colore imaginanti. Quod ibidem in Gloſſ. exponens Auguſt. dicit. Inhæſerat animæ diſcolor phantaſia ex contuitu variarum virgarũ per oculos impreſſa. Hinc dicit Chryſoſt. ſuper Matth. 23. Quales fuerint parentes tales erunt & nati. Et ex hoc procedit, ꝙ filij bonorum, & verè nobilium honorati ſunt à poſteris loco parẽtum veluti verè boni, & nobiles ſimiles parentibus, conſuetudine in hoc conſequente naturam. Nititur enim natura proles aſſimilare parentibus, non ſolum in diſpoſitionibus corporis, ſed etiam animæ, vt pulchri generẽt pulchros, & turpes generent turpes, & iracundi iracundos, manſueti manſuetos, licèt in hoc frequenter propter occurrens impedimentum deficiat. Propter quod continuò Philoſophus ſubdit dicens; Natura autem vult hoc facere: multotiens tamen non poteſt, quia vt dicit in ſecundo Rhetoricæ, quod quidem in pluribus nõ accidit nobilibus, ſed ſunt multi leuis valoris. Vnde dicit Chryſoſt. vbi ſupra. Si autem ambo fuerint æquales, aliquando fit, vt de bonis parentibus mali exeant filij, & de malis boni, ſed raro, quia hoc eſt præter naturę intẽtionem. Vnde continuò ſubdit. Ecce regula eſt humanæ naturæ, vt omnis homo naſcatur duos oculos habens, & quinos digitos, aliquando tamen naſcitur homo ſex digitos habens, aut oculos omninò non habens. Sicut ergo extra naturalem regulam naturæ rarò euenit, vt de formoſa naſcatur deformis, ſic extra regulam naturæ rarò procedit, vt diſſimilis naſcatur filius parentibus. Multotiens tamen accidit, vt per malam conſuetudinem, & praua diſciplinam non ſequantur naturalem diſpoſitionem impreſſam à parẽtibus, & ſibi contrarios habitus adgenerant, vt licèt naturaliter eſſent nobiles, vſu & habitu facti ſunt ignobiles, & ſolùm nobiles ſunt vulgi opinione, & generant proles minus nobiles ſecundum diſpoſitiones corporales, q̃ ipſi erant geniti à ſuis genitoribus, & ſic vadit nobilitas in defectum, ſi filij in prauis moribus imitãtur parentes, ſicut è conuerſo cũ ſequuntur in vſu, nobilitatem, quam acceperunt à parentibus, trãſfundunt in poſteros, & maiorem, quàm habeant in ſeipſis, ſi tamen geniti ſunt à parentibus ambobus nobilibus, quia mixta virtus vtriuſque nititur ſimilem impreſſionẽ facere in fœtum, & nobilitatem amborum genitorum proli immittere, vt ex hoc filij nobilium ſemper ſunt nobiliores parentibus niſi degenerẽt, & tantò nobiliores, quantò magis recedunt à primis radicibus, ſi tamẽ ambo ſem per generãtes ſint nobiles. Propter quod dicit Philoſophus in 2. Rhetoricæ. Longè magis, q̃ propè facta honorabiliora, & magis iactabilia. Si verò alter generantium fuerit verè nobilis, & alter non, tunc vt dicit Chryſoſt. vbi ſupra, ſi pater fuerit bonus, & mater fuerit mala, aut pater malus, & mater bona, interdum filij patrem ſequuntur, interdum matrem, & tunc minus nobiles ſunt, quàm ſi ambo nobiles eſſent & boni. Et quãuis ſic quãdoque ſequuntur patrem, quandoque matrem, tamen ſicut dicit Chryſoſt. frequentius eſt, vt nati patrem ſequantur. Et inde eſt (vt arbitror) quòd nobiles plus reputãt nobilitatem generis paterni, quàm materni. Si verò circa nobilitatem generis loquamur de initio ſimpliciter, ſic ſecundum intẽtionem Philoſophi in quæſtione præcedenti tactã quodlibet genus nobilium infinities potuit ſecundum carnem à nobili, & ignobili ſimpliciter, & ſimiliter genus nobilium præceſſiſſe genus ignobilium, & ſimiliter ſequi infinities, tàm à parte ante, quàm à parte poſt. Poteſt enim ignobilis aliquis procreare verè nobilem & bonum, vt dictum eſt, & ille nobilis incipere genus nobilium, quod terminatur in aliquo ignobili, & ille prior ignobilis potuit proceſſiſſe ab ignobilibus ſecundum genus, & iſte ſecundus ignobilis poteſt incipere vnum genus ignobilium: ita quòd ſecundum Philoſophum genus nobile, & ignobile in eadem linea eſſe generantium infinities poterit variari, & ex parte ante, & ex parte poſt.

Ad argũ principale.

Ad primum probãs, quòd nobilitas ſemper incipit à nobili, quia cauſa ſemper nobilior eſt cauſato. Dicendum, quòd hoc verum eſt in eſſentialiter ordinatis, vt corpus cęli nobilius eſt mixto. In accidentaliter autem ordinatis, ſicut ordinatur homo generans ad generatum non oportet, vt dictum eſt.

Com-

Comment. in Quæstionem XVIII. quæ est,

Vtrum nobilitas generis ab initio processerit ab ignobili.

IN titulo adnotare oportet, quæ sit, & quid sit huiusmodi nobilitas generis. Quatuor gradus communiter dantur nobilitatis, vt prima nobilitas dicatur diuina. Secunda moralis. Tertia naturæ. Quarta fortunæ. Vbi inter huiusmodi gradus, nobilitas naturæ videtur, q̃ sit nobilitas generis, siue generationis. Est autem sententia, quod hæc prima sine alijs consistere possit, & pariter secunda, & tertia tandem omnes. Veruntamen ea, quæ naturæ est, videtur ortum ducere posse à reliquis, vt à diuina, atque moralis dimissa ea, quæ fortunæ dicitur, quando potius sit vmbra nobilitatis, quàm sit vera nobilitas. Tametsi autem, vt Aristoteles vult, nobilitas hæc generis in continuata serie plurium consideratur; potest esse quod aliquis sit ignobilis, & terminus nobilitatis domus suæ, & contra vt aliquis nobilitatis naturalis sit initium; vt tamen, qui initium est talis nobilitatis, nequaquàm dicatur nobilis nobilitate naturæ. Vt fertur de Cicerone, & Clodio, cum. n. Clodius improperasset Ciceroni, q̃ domus ipsius obscura esset, clara verò nobilitate sua. ait Cicero. Ego meæ domus nobilitatis initium, tu verò tuæ terminus, & finis. Laudabilior igitur ego, quàm tu. Constat autem Clodium fuisse nobilem natura. degenerasse verò moribus: Contra verò Cicero ignobilis natura, nobilis doctrina, ac moribus. Sed in corpore negotium quæstionis satis declaratur.

In corpore ergo tribus conclusionibus satisfit quæsito prouenientibus ab aliquibus membris diuisionis, subdiuisionisque, vt videre est in figura suppositâ.

Nobilitas generis est vel

Simpliciter secundum naturam rei.

Secundum quòd vulgo solent appellari nobiles, & tunc vel est sermo

De initio generis.

De initio simpliciter.

Prima Conclusio. Non necessariò nobilis procedit à nobili, immò è contra aliquando euenit.

Secunda Conclusio. Nobis procedit à nobili.

Tertia Concusio. Indifferenter potest nobilis de ignobili & ignobilis, &c.

Quantum ad primam conclusionem patet experientia, quòd ignobilis natura, & moribus potest generare nobilem naturâ.

Not. quòd non procreabit nobilem natura ignobilis, nisi in hoc sensu, q̃ progenitus efficitur ex assuetudine taliter nobilis in moribus, & doctrina, vel armis, quod erit initium nobilitatis naturalis domus suæ, vt dicere possemus de Cicerone, qui ideò dicitur nobilis nobilitate naturæ, inquantum fuit talis nobilitatis initium in domo sua, sicut & de alijs pluribus obseruari potest, qui paucis ab hinc annis erant ignobiles, nunc autem nobiles sunt. sicuti è contra accidit, multos nobiles factos ignobiles, quæ quando experientia nota sunt, nihil amplius dicendum est.

Quantum ad secundam conclusionem, ipsa patet per multa dicta Philosophi in litera adducta, & August. Chrysost. glos. &c.

Not. quòd etsi multi degenerent à generositate, & bonitate parentum, tamen dicuntur nobiles, tametsi vere non sint, & minus filij sui, qui præsertim paternos malos mores imitantur. Quo fit vt debeat considerari, & accipi seorsum ab alijs nobilitatis gradibus, vt sola successio generis consideretur. Non refert autem, vt quis sit nobilis natura, vt nascatur à nobili moribus, vel à nobili pariter natura secundum rei veritatem, sed non secundum leges humanas, quibus dignoscitur, q̃ quantuncunque quis ortus sit à nobili moribus, non tamen dicitur nobilis natura, s. secundum leges, quæ volunt continuatam seriem, & successionem per plures generationes concurrere ad naturalem nobilitatem, cum quibusdam appendicibus. Quippè antiquitas sola non sufficit, sed exigitur antiquitas in nobilitate.

Quantum ad tertiam conclusionem. Ipsa patet ex experientia, q̃ indifferenter nascuntur nobiles à nobilibus, ignobiles ab ignobilibus, ignobiles à nobilibus, & nobiles ab ignobilibus.

Not. autem, q̃ in hac conclusione necesse est confundere nobilitates ad inuicem. Nimirum ignobilis à nobili nasci non potest semper secundum eandem nobilitatem. Vnde si nobilis natura generet filium, generabit nobilem natura. Fortè autem erit ignobilis moribus. sicut de Clodio dicit Cicero. Et tunc non secundum eandem nobilitatis formam ignobilis nascitur à nobili. Sed secundum diuersam, potest autem à nobili moribus nasci ignobilis pariter moribus, vt experientia docet, sed hæc, & alia clara cum sint, hæc sufficiant. De nobilitate scribentem legito Franciscum Picolom. in octauo gradu suæ moralis, à cap. 14. vsque ad 20. inclusiuè.

QVAESTIO XLIX.

Vtrum bonum proprium sit magis procurandum, quàm commune.

SEQVVNTVR pertinentia ad homines communiter ex parte coniuncti ex corpore, & anima, vbi quærebantur quædam pertinentia indifferenter ad omnes homines, & quædam specialiter ad quosdam status hominum.

Arg. prin. Circa primum quærebantur tria. Duo de opere bono, & vnum de opere malo. Quorum primum erat de opere bono simpliciter: vtrum bonum proprium magis sit procurandum, quàm cõmune. Secundum erat de opere bonõ ex genere facti: vtrum largitio eleemosynæ pro defuncto in gratia, ambobus. s. dante eleemosynam, & recipiẽte eam existentibus in peccato mortali proficiat defuncto illi, pro quo fit. Tertium erat: vtrum scandelizans in verbo otioso peccet mortaliter.

Circa primum arguitur, ꝙ bonum commune magis est procurandum, quia est diuinius.

In oppos. Contra ordinata charitas est prius & magis diligere se, quàm proximum, bonum autem propriũ procuratur ex amore sui, bonum commune ex amore proximi. ergo &c.

Responsio. Dicendum, ꝙ hic oportet distinguere de bono, & proprio, & communi. Quia est bonum temporale, quod principaliter pertinet ad corpus, & est bonum spirituale, quod principaliter pertinet ad animam. Similiter est proprium, quod includitur in communi, & est quod non includitur. Si ergo bonum proprium includatur in communi, tunc potius procurandum est commune, quàm proprium, quod includitur in communi, alijs eisdem se habentibus. Si verò bonum proprium non includatur in communi, tunc vtrunque bonorum aut est temporale, aut vtrunque spirituale, aut vnũ temporale, & alterum spirituale.

Si primo modo, tunc aut procurans multum indiget proprio, & proximus modicum indiget cõmuni, tunc proprium magis est procurandum. Aut procurans modicum indiget proprio, & proximus multum indiget communi, tunc commune magis est procurandum. Aut mediocriter indigent, & sic citra extremam necessitatem ambo, tunc vt arbitror adhuc commune est magis procurandum, quia etsi in communi bono temporali nõ includitur proprium temporale, non tamen potest esse, quin proprium spirituale includatur ex merito procuranris, & proprium spirituale magis procurandum est alijs eisdem se habẽtibus, quàm proprium temporale. Si verò vtrunque bonũm sit spirituale, tunc proprium magis est procurandum, quia modicum boni gratiæ, aut gloriæ propter eius æternam perseuerantiam magis debet quilibet velle sibi, quàm maximum proximo, qui admodum debet potius velle solus saluari, & omnes alios damnari, quàm è conuerso. Si verò vnum bonorum sit spirituale, & alterum temporale, aut ergo illud spirituale est proprium, & temporale est commune, aut è conuerso.

Si primo modo, sic magis procurandum est proprium, & multò magis, quàm si commune esset etiam spirituale.

Si secundo modo, aut procurans indiget temporali proprio in extrema necessitate, puta pane ne moriatur, aut non tantùm.

Si secundo modo, sic magis procurandum est commune. Si primo modo, aut commune non procuratum redundat in detrimentum publicum Ecclesiæ in fide, & moribus, aut non, sed aliquarũ personarum tantùm. Si primo modo, tunc magis procurandum est commune etiam si pro defectu proprij temporalis deberet homo mori. Si secundo modo, sic è conuerso.


Ad argu. Per iam dicta patent obiecta in speciem. In casibus enim in quibus proprium magis est procurandum, non est commune diuinius, aut non simpliciter, aut non procuranti. Diuinius autem commune nunquàm est magis procurandum, nisi qñ in ipso includitur diuinius proprium. Diuinius. n. proprium, quod non includitur in communi, semper magis est procurandum, sicut & spirituale propriũ spirituali communi, qñ proprium non includitur in cõmuni, vt dictum est. In casibus verò in quibus cõe magis est procurandum, procurare cõe non tollit, quin charitas à seipsa incipiat, quia hoc non facit, nisi quia in communi includitur proprium.

Comment. in Quæstionem XLIX. quæ est,

Vtrum bonum proprium sit magis procurandum, quàm commune.

TITVLVS satis clarus. Quippe notum sit, quid sit bonum commune, quidvè pariter bonum proprium. supponitur autem, vt quis possit procurare vtrunque bonum, aliter si non posset in pluribus cessaret quæstio.

IN corpore nouem conclusionibus resoluitur præsens quæstio, prouenientibus à pluribus subdiuisionibus, distinctione præmissa de bono proprio, quemadmodum in submissa quasi tabella videre licet.



Hac tabellâ credimus facilè totam quæstionem posuisse ante oculos lectoris, vt facilè eam possit intelligere. Harum autem conclusionum solùm quartam, & quintam videtur Auctor probare, cum cæteræ notæ videantur, nec mediis difficilibus probat eas, vt videre est. Idcircò hæc volumus satisfecisse.

QVAESTIO XX.

Vtrum largitio eleemosynæ pro defuncto in gratia, ambobus, ſ. dante eleemosynam, & recipienti eam existentibus in peccato mortali, proficiat defuncto illi, pro quo fit.

Arg prim. IRCA ſecundum arguitur, ꝙ eleemoſyna elargita exiſtenti in peccato mortali ab illo, qui ſimiliter eſt in peccato mortali, non proficit defuncto, pro quo elargitur, quia datum non placet ex dato, ſed aut ex dãtis animo, aut recipientis. hic non placet ex animo alterius horum, quia nihil quod fit ab animo exiſtentis in mortali placet ratione animi, immò magis diſplicet. dicente Gregor. Cum is, qui diſplicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora prouocatur. ergo &c.

In oppoſit. Contra. Omnis eleemoſyna principaliter datur Deo, qui ſemper paratus eſt reddere, non autem niſi illi pro quo datur. ergo &c.

Reſponſio. Dicendum, ꝙ ſecundum Auguſt. ſuffragia non proſunt defunctis, niſi quatenus merebantur dum viuerent, vt eis proficerent ſi pro eis fierent. Propter quod eleemoſyna elargita non prodeſt defuncto ex animo dantis, aut recipientis, niſi per accidens, ſed per ſe ſolùm modo ex animo, qui fuit in defuncto cum viueret: licèt ſubſtantia facti ex animo facientis eleemoſynam dependeat. Et idcircò dico, ꝙ licèt ambo ſint in peccato mortali, & dans eleemoſynam, & recipiens, tamẽ proficit defuncto, pro quo datur, ſicut & proficeret miſſa illi pro quo ordinata eſt ad dicendum, licèt ſacerdos dicat eam in peccato mortali exiſtens.

Ad arg. pr. Ad argumentum in oppoſitum, ꝙ datum non placet ex dato ſed ex animo: Dicendum, ꝙ verũ eſt ſecundum dictum modum. Cum autem aſſu-

mitur

mitur, ꝙ non proficit, nisi ex animo, verum est. illi cui proficit, oportet, ꝙ ex animo eius proficiat: sed nō oportet, ꝙ profectus iste ex animo alterius dependeat. Vnde si debet eleemosyna proficere danti eam, oportet ꝙ proficiat ex animo eius, qui placet, & ideò danti eam in mortali non proficit, vt probat ratio. proficit tamen defuncto ex animo illius, vt dictum est. Vnde quod dicit Gregor. Cum is qui displicet, &c.

Dicendum, ꝙ verum est, ꝙ contra missum prouocatur, non autem contra mittentem prouocatur, etiam si mittat malum, de quo tamen multum præsumit, ꝙ sit bonus, non prouocatur Dominus contra mittentem, sed potius contra missum, quē præsumit orare cum displiceat. Vnde mittenti prouidendum est qualem amittat, ne tàm contra mittentem, quàm contra missum prouocetur.

Comment. in Quæstionem XX. quæ est,

Vtrum largitio eleemosynæ pro defuncto in gratia, ambobus, s. dante eleemosynam, & recipiente eam, existentibus in peccato mortali, proficiat defuncto illi, pro quo fit.

IN titulo supponitur, ꝙ tametsi defunctus ille sit in gratia, in Purgatorio tamen sit, quia si esset in patria, nihil proficerent illi, sicut nec alia bona. iuxta illud, qui orat pro martire, &c.

In corpore est conclusio affirmatiuè respōsiua quæsito. nempe, ꝙ prodest defuncto illi non per se, sed per accidens.

Prima pars, quod non per se, patet, quoniam per se prodesse deberet ex virtute dantis, sed id fieri non potest propter peccatum mortale. igitur &c.

Secunda pars patet, quoniam prodest defuncto per se non ex animo dantis, sed ex animo, qui fuit in defuncto, dum viueret.

Not. ꝙ duobus diuersimodè dispositis tertium conuenire non potest per se, sed si vni per se, alteri conuenit per accidens, vt in proposito, cum defunctus, & daus eleemosynam sint diuersimodè dispositi, actio vtriusque ex animo respectu finis, non simplicis effectus conuenit vni per se, alteri per accidens. Et quidem ille, cui per accidens est, causa est sine qua non.

Not. ꝙ dum elargitur, quis eleemosynas pro huiusmodi defuncto, actio transfertur ad defunctum, quasi esset ipse largiens, effectualiter verò largiens si esset in gratia prodesset iterum per accidens defuncto in sui comparatione, quia magis sibi pro desset per se. Charitas. n. sicut incipit ab agente, ita prius effectum suum in agente partitur.

Not. quoq; ꝙ tametsi det exemplum de malo sacerdote missante, qui tamen defuncto prodest; non est, ꝙ vndequaque debeat accipi simile, quoniam differentia est inter sacrificium Missæ, & eleemosynam, quoniam Missa prodest ex vtroq; opere, quemadmodum & omnia sacramenta, non sic autem cœtera.

Not. iterum pro conclusione ex Richardo dist 45. art 6. q 2. Quod prodesse alij per accidens bifariam capitur. Primò quidem, quia est purè passiua occasio vtilitatis illius, quia opus illud ex se magis ordinatur ad defectum, quàm ad vtilitatē. Secundò, quia ordinatur ad vtilitatem, & ordinat vtilitatem, quamuis non sit vtile, quod fit suapte natura respectu facientis. Si secundo modo, tunc distinguimus de eleemosynæ largitione, ꝙ vel tunc consideratur ipsa vt opus est quoddam simpliciter bonum, & tunc prodest per se, non per accidens, quia a bono non prouenit nisi bonum. Si vero consideratur in respectu ad facientem, tunc per accidens prodest, vt dictum est. De primo modo autem, non est ꝙ dicamus, quoniam notum est eleemosynam non ordinari ad defectum, & malum, sed vtique ad bonum.

QVAESTIO XXI.

Vtrum scandalizans in verbo ocioso peccet mortaliter.

Arg. prim. IRCA tertium arguitur, ꝙ scandalizans in verbo ocioso peccat mortaliter, quia si quis operam exhibendo tali, in quo esset peccatum veniale, occideret corporaliter, peccaret mortaliter. ergo multò fortius in verbo ocioso, in quo est peccatū veniale scandalizando, quia per hoc occiditur spiritualiter.

In oppos. Contra. Si in verbo ocioso, quis scandalizetur non est scandalum datum, quia non est tale vnde quis deberet scandalizari, sed est scandalum acceptum tantùm, in quo non peccat scandalizans, sed scandalizatus tantùm.

Respōsio. Dicendum, ꝙ omne opus omittendum est de quo præsumi potest, ꝙ scandalum oriatur, nisi talo sit, ꝙ in ipso omisso veritas periclitatur, quæ propter scandalum, quod posset oriri, non est permittenda periclitari. Melius est enim, vt dicit Ber. vt scandalum oriatur, quàm veritas relinquatur, siue vitæ, siue iustitiæ, siue doctrinæ. Vnde & opus aliàs licitum omittēdum est propter scandalum. primæ Corinth. 8. Si esca scandalizat fratrem meum, nō manducabo carnes in æternum, ne fratrem meum scandalizem. Vnde Glos. super principium 9. cap. dicit. Incipit proponere exemplum, vt sicut ipse abstinet à licitis, ita & illi abstineant. Et intelligo, ꝙ quilibet abstinere debet, ꝙ si non abstineat, & periculum scandali percipiat, credo ꝙ mortaliter peccat, & si non ex genere operis, tamen ex circūstantia operantis. Quare & multò fortius si quis consideret, ꝙ ex verbo ocioso, quis scandalizatur, & non abstineat, arbitror ꝙ mortaliter peccat. Si verò debitam diligentiam adhibeat, ne quis infirmus assistat, qui scandalizari valeat, etsi facto peccati venialis operam exhibeat, eo ꝙ nō est peccatum

carum mortale ex genere facti, ſed ex circumſtantia ex parte facientis, non credo, ꝙ mortaliter peccet, quia ex parte operantis non eſſet ſcandalum datum, ſed ſolùm acceptum ex parte ſcandalizati, qui non deberet ſcandalizari eo ꝙ factum non eſt malum mortale de genere ſui, ſecundum ꝙ proceſſit ſecunda obiectio.

Si autem factum eſſet malum de genere ſuo, eo ꝙ tale quantuncunque veniale eſt ex ſe, præbet infirmo occaſionem ruinæ, credo, ꝙ qualitercunq; ex tali facto ſcandalum oriatur, ꝙ mortaliter peccet, ſicut qui rei illicitæ ex genere facti operam adhiberet, quantuncunque eſſet veniale, ſi mors corporalis inde contingeret peccaret mortaliter, vt procedit prima obiectio. Si tamen non eſſet opus malum de genere ſuo, ſed ex ſola circunſtantia ex parte operantis, & adhiberet diligentiam, quam deberet, etſi ſequeretur mors corporalis, non credo, ꝙ mortaliter peccaret.

Comment. in Quæſtionem XXI. quæ eſt,

Vtrum ſcandalizans in verbo ocioſo peccet mortaliter.

IN titulo, verbum ocioſum eſt exponendum, & videndum quale ſit. Eſt igitur verbum ocioſum ex Bonau. Omne illud verbum, quod non ordinatur in finem, &c. quod caret omni vtilitate, dum tamen deberet habere. Et not. ꝙ per hoc intelligitur D. Gregorij dictum. cum ait. verbum ocioſum eſſe, quod caret ratione iuſtæ neceſſitatis, &c. intentione plæ vtilitatis. Quam diffinitionem Gregorij recipit etiam D. Thomas 2. ſententiarum diſt. 4. q. 8. & alibi. &c.

Not. autem, ꝙ hoc loco accipitur pro omni verbo, quod extra charitatem profertur, non autem etiam pro eo, ꝙ eſt contra charitatem. excedit. n. tale verbum. Largo tamen vocabulo, omne verbum, quod non eſt ad honorem Dei, vel vtilitatem proximi poteſt dici ocioſum, ſed propriè pro verbis ocioſis accipiuntur, quæ ſuaptè natura ſunt peccata quidem, ſed venialia. Vnde quatuor ſunt verba. Prima ſunt meritoria, ex charitate prolata. Secunda demeritoria, quæ contra charitatem formata ſunt. Tertia ocioſa ſimpliciter, quæ extra, vel præter charitatem proferuntur, & dicuntur ocioſa &c. ociosè prolata. Quarta præter hæc. Verba ſunt ocioſa non ociosè prolata, vt quæ tantùm ad animi recreationem ordinata ſunt. Eſt autem ſermo in præſentia, de tertio verborum genere, quod ſuaptè natura includit peccatum veniale, & etiam de quarto, quod ocioſum eſt non ociosè. Quæritur autem vtrum ex circumſtantia data ſcandali ob prolationem alicuius huiuſmodi verbi, proferens mortaliter peccet, & hoc in corpore quæſtionis reſoluitur.

In corpore credimus Auctorem reſpondere duabus concluſionibus prouenientibus à membris cuiuſdam diuiſionis de verbo ocioſo, quas ita ſub oculis lectoris ponimus. Vt.

Verbum ocioſum ſit
vel

Suo genere malum, & ideò ſemper illicitum.

Prima Concluſio.
Scandalizans tali ſcandalo propter verbum huiuſmodi, ſimpliciter, peccaret mortaliter, niſi fortè tacendo veritas periclitaretur.

Non ſuo genere malum, ſed aliàs licitum, vt ocioſum non ociosè.

Secunda Concluſio.
Scandalizans tali verbo, adhibita diligentia, nè aliquis aſſiſtat infirmus, qui ſcandalizetur, & non credens periculum de ſcandalo; non peccaret mortaliter. Contra verò ſi eſt periculum, & non adhibita diligentia, &c.

Prima concluſio quo ad primam partem, patet, ex prima ratione in fronte quæſtionis, vt notum eſt in ſolutione.

Amplius, ſi quis non omittit aliàs licitum propter ſcandalum, peccat mortaliter, multò magis, quæ non omittit id, quod ſuaptè natura illicitum eſt. Quòd autem ille ita peccet, videtur colligere velle Auctor. ex Apoſt. Corinth. 8. & ex Gloſſ.

Quo ad ſecundam partem, patet ex D. Bernardo in litera.

Secunda concluſio, quo ad primam partem probatur per ſecundam rationem in fronte quæſtionis, vt ipſe etiam dicit.

Quo ad ſecundam partem patet, quia ſi non ex genere facti peccat, tamen ex circumſtanti operantis erat. Cœtera clara.

HENRICI A GANDAVO

QVAESTIO XXII.

Vtrum potestas Episcoporum sit à Christo immediatè, an mediante Papa.

SEQVVNTVR quęsita circa homines pertinętes ad diuersos status. Et primo pertinentia ad prælatos, deinde pertinentia ad subditos. Circa prælatos quærebantur, tria circa prælatos Ecclesiasticos, circa superiores vnum, & circa alios duo, & quærebantur vnum circa prælatos sæculares. Quorum primum erat, vtrum potestas Episcoporum sit à Christo immediatè, an mediante Papa. Secundum erat, vtrum sacerdos habens competens beneficium possit alij deseruire pro lucro tęporali. Tertium erat, vtrum sacerdos cutatus possit absoluere Parrochianam suam cum qua peccauit, nec illa possit ad alium ire, sine eius obtenta licentia. Quartum erat, vtrum iudex sæcularis possit cogere reum ad confitendum aliquid ad quod sequitur mors corporalis.

Arg prim. primum. Circa primum arguitur, ꝙ Episcopi immediatè habent potestatem à Christo, quia sunt sponsi Ecclesiæ, & hoc non nisi immediatè gerendo vicem Christi veri sponsi. ergo &c.

Secundum. Item actuum 15. super quæstione mota de legalibus veteris testamenti obseruandis, vel non cũ fide Christi, scribitur, secundum ꝙ etiam dicit magister in histor. quomodo Petrus surgens primus ratiocinando ostendit nõ esse imponendum fidelibus iugum legis. Facto autem silentio Iacobus Hierosolymorum Episcopus adhęrens verbis Petri, auctoritate Põtificali protulit definitiuam sententiam dicens. Viri fratres audite me. Simon narrauit & cætera. Propter quod ego iudico & cęter. quasi dicat. meum est proferre sentẽtiam, quia est in diœcesi mea. hoc autem non faceret post iudicium Petri, & in præsentia eius, si iurisdictionem haberet ab ipso Petro, quare nec Episcopi, ꝙ sunt successores Apostolorum iurisdictionem habent à Papa, qui est successor Petri.

In oppos. Contra. Papa est caput Ecclesiæ, à quo alij dependent vt membra. quare cum membra habent virtutem à capite, & Episcopi atque cęteri prælati à Papa.

Reponsio. Dicendum, ꝙ in prælatis super Ecclesiam duplex residet potestas. s. ordinis & iurisdictionis. Illa quæ est ordinis, à Deo æqualiter habet inesse omnibus Papæ, & Episcopis, & à Christo non per hominem delegantem, sed solùm per sacramentum ordinis sacerdotalis. vt dist. 21. In nouo testamento. vbi dicitur. Per Christum à Petro sacerdotalis cœpit ordo. quia ipsi primo Pontificatus in Ecclesia datus est: dicente domino. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Hic ligandi, soluendique potestatem primus à domino accepit. Intelligo in promisso. Cęteri verò Apostoli cum eodem pari consortio honorem & potestatem acceperunt. Intelligo in actu, qñ dictum est ei, pasce oues meas. Ipsis quoque discedentibus in loco eorum surrexerunt Episcopi. Super illud pari consortio. Gloss. Arg. ꝙ omnis Episcopus sit par Papæ quantum ad ordinem ratione consecrationis. Illa verò potestas, quæ est iurisdictionis, dispar est. 24 quæst. prima. Loquitur Dominus. vbi dicitur. Super vnum ædificauit Ecclesiam suam, quàmuis Apostolis omnibus parem potestatem tribuat, tamen vt vnitatem manifestaret, vnitatis eiusdem originem ab vno incipiẽtem sua auctoritate dispposuit. Super illud Super vnũ. Glos. Pares fuerunt in ordine & dignitate consecrationis, secus in administrationis plenitudine, qua satis differt ab alijs. 2. quæst. 7. Puto, vbi dicitur. Quis nesciat illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum 80. dist. In illis. Quoniam nec inter Apostolos par fuit institutio, sed vnus præfuit omnibus.

Circa illa autem, quæ sunt iurisdictionis, duo est considerare, & iurisdictionis acceptionem, & iurisdictionis executionem. Si consideremus iurisdictionis acceptionem illam à Christo in Apostolis prædecessoribus suis acceperunt Episcopi, & non alio medio nisi sacramento consecrationis, & confirmationis suæ electionis, quemadmodum Papa suam in Petro à Christo accepit immediatè, & non alio medio, quàm sacramento consecrationis aut electionis. Et hanc habent, quo ad substantiam potestatis in eisdem, quæ pertinẽt ad regimen Ecclesiæ secundum edicta diuinæ legis, licèt non quo vsus amplitudinem. quoniam Papa potest ea vti non solùm in propria, sed in cuiuslibet Episcopi diœcesi per vniuersum mũdum cum opus fuerit. quo ad hoc enim est omnium iudex immediatus. 9. quæst. vlt. §. Sola Romana Ecclesia sua auctoritate valet iudicare de omnibus, de ea nulli iudicare permittitur. Vbi & in capitulis sequentibus multa de excellentia potestatis Papæ. Ipse etiam potest facere edicta vniuersalia, quæ omnes vbique astringunt, in quibus nullam Episcopi habẽt iurisdictionem, nisi quatenus eis committitur à Papa, & in iure edito ab ipso eis conceditur. Episcopi verò statuta non possunt facere ligantia aliquos extra proprias diœceses. In quibus etiam Papa plenam habet iurisdictionem. Si verò consideremus iurisdictionis executionem, sic dico ꝙ Papa habet iurisdictionem limitandi alijs suam & sibi reseruandi, secundum ꝙ opus sibi visum fuerit. Et licèt Episcopi habeant potestatem nõ à Papa, sed immediatè à Christo tàm eam, quæ est ordinis, quàm eam, quæ est iurisdictionis in ordinãdo Ecclesias secundum instituta legis diuinæ, tñ

iurisdi-

iurisdictionem in ordinando Ecclesias suas secundum edicta à Papa instituta, & in resumendo ea, quæ Papa subtraxit, habent à Papa, & à Deo mediante Papa. Quod ergo arguitur primo, ꝙ omnes sunt ipsius Ecclesiæ: ergo immediatè gerunt vicē Christi, verum est de quolibet Episcopo respectu Ecclesiæ diœcesis, respectu cuius habent potestatē aliquam à Christo immediatè, aliquam Papa mediante, vt dictum est. Solus tamen Papa est spōsus vniuersalis Ecclesię vice Christi. Propter quod habet vniuersalem potestatem super omnes secundū prædictum modum.

Ad primū principale.

Ad secundum, ꝙ Iacobus tulit sententiam post Petri admonitionem ipsō Petro præsente: Dicendum, ꝙ hoc non fecit quasi habens etiam in sua ciuitate parem potestatem cum Petro: Petrus enim si voluisset Iacobo silentium imposuisset, & propria auctoritate sententiam illam protulisset, sed quia congruū est & decens, vt quilibet superior permittat gaudere inferiorem sua potestate ordinaria & vbi eam habet exercere, nisi rationabilis causa subsit, quare debet inferiori subtrahere eius executionem, & eam sibi assumere: idcirco Petrus permisit Iacobo in sententia illa proferenda, vti iure suo, quod non arguit, quin Petrus in eadem sententia proferenda pinguius ius habuerit.

Ad secundum.

Comment. in Quæstionem XXII. quæ est,

Vtrum potestas Episcoporum sit à Christo immediatè, an mediante Papa.

IN titulo, loquendum esset de potestate Episcoporum; sed quoniam id declaratur in corpore, supersedendū. Hoc vnum sit in præsentia dictum, ꝙ sermo est de potestate simpliciter, non distinguendo, quoniam distinguitur in corpore.

In corpore igitur habetur diuisio, & subdiuisio, & iuxta membra conclusio triplex, quæ omnia ita disponi faciliter possunt, distinguentes de potestate sic.

Potestas aut

- *Ordinis est* — *Prima conclusio.* Potestas Episcoporum immediatè est à Christo.
- *Iurisdictionis est, quæ consideratur vel quo ad*
  - *Acceptionem.* — *Secunda conclusio.* Potestas Episcoporum immediatè est à Christo.
  - *Executionem.* — *Tertia conclusio.* Potestas Episcoporum immediatè est à Papa.

Prima conclusio probatur ex sacris can. & glos. vt patet in litera quæstionis.

Secunda conclusio probatur. Quia talis potestas accepta est Episcopis in Apostolis, non alio medio, quàm sacramento consecrationis, & confirmationis, quemadmodum etiam & ipse Summus Pontifex.

Tertia conclusio patet ex plenitudine potestatis eius in ordinando omnes Ecclesias supra omnes Episcopos, &c.

Not. ꝙ ordinatio Ecclesiarum duplex est. alia quidem secundum edicta, atq; leges humanas, alia verò secundum leges humanas Ecclesiasticas, institutas à Papa. Quantum ad primam ordinationem, immediatè à Deo habent Episcopi potestatem, sed quantum ad aliam ordinationem nequaquam. Cætera autem clarà videntur.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum Sacerdos habens competens beneficium possit alij deseruire pro lucro temporali.

CIRCA secundum arguitur, ꝙ sacerdos habens competēs beneficiū non pōt alij deseruire pro lucro tpali, quia hoc est cupiditatis. In contrarium est consuetudo sacerdotum.

Arg. prim.

In oppos.

Dicendum, ꝙ talis sacerdos, aut vocatur à prælato suo ad deseruiendum beneficio tempore, quo caret proprio deseruitore, & hoc propter ipsius beneficij necessitatem, aut ingerit se propter quæstus commoditatem. Primo modo dico, quòd potest, & licitum est ei, & meritorium beneficio alij deseruire, & pro labore emolumentum percipere, & in vsus pios conuertere. Si secundo modo, aut appetit quæstū, vt lautius viuat, aut vt pauperes pascat. Si primo modo, dico quòd non potest sine peccato, nec licèt ei, quia & de proprio beneficio non licèt cuiquam plus accipere, q̄ necessaria ad statum personæ, quia quo ad alia dispensatio sibi credita est: in hoc enim ministri Ecclesiæ dispensatores pauperum dicuntur esse. Vnde quòd lautius viuendo abūdantius expēdunt, in hoc pauperes defraudant. dicente Ber. in Epist. ad Henricū Senonēn. Archiep. Clā aut nudi clamāt famelici, cōquę runtur & dāt; nostrū est, qd effunditis, nobis crudeliter subtrahitur qd inaniter expenditis, nostris necessitatibus detrahit q̄quid accedit vestris vanitatibus. Si verò appetit pro lucro tpali deseruire in alio beneficio, vt pauperes pascat, aut ergo magna necessitate vrgent pauperes, & nō inueniunt subsidiū, aut non. Si primo modo, bene pōt, qa nō solū licitū est, sed summè meritorū. talis.n. de causa vendi pnt Ecclesiæ vasa. Secundo modo ēt si liceat facere, melius tn esset tpe, quo alteri beneficio vacaret, si orationi & contemplationi in suo loco & beneficio vacaret. talis.n. actio non debet esse in desiderio voluntatis, sed solūmodo in ministerio necessitatis. Per dicta patet ad primum.

Respōsio.

Ad sm ꝙ cōsuetudo ex parte platorū institutiū sacerdotes in alio beneficio, nō est, nisi pp illius necessitatē, & ideo bona, & approbanda, licèt cupiditas sacerdotū, q̄ ad hoc eos trahit, sit reprobāda.


Ad arg. In oppos.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæſtinoem XXIII. quæ eſt,

Vtrum ſacerdos habens competens beneficium, poſſit alij deſeruire pro lucro temporali.

TITVLVS ſatis clarus. Immò experientia dignoſcitur id fieri. Nam accidit, ꝙ ſepè curati accedunt ad officiã, &c. In corpore quatuor concluſionibus ſatisfit quæſito naſcentibus à diuiſione, & ſubdiuiſionibus. ſic.



Prima concluſio non probatur ab Auctore, quia habetur tanquam nota, ac manifeſta.

Not. autem, ꝙ probari poteſt ex eo, ꝙ vnus, & idem actus non poteſt eſſe meritorius, & demeritorius. ſi ergo hoc opus eſt meritorium, ſequitur, quòd non peccat, qui illud facit.

Not. ꝙ meritum ſtat in ſeruitio, in tempore, quo neceſſarium eſt, quia eſt opus charitatis, atque amplius opus obedientiæ. Quæcunque autem fiunt ex charitate, & obedientia, meritoria ſunt. Quòd autem propriè non peccet reſpicit emolumentum acceptum. Vbi ſciendum, ꝙ recipere emolumentum ex opere, de ſe nequaquam eſt illicitum, immò licitum, iuxta illud, dignus eſt operarius mercede ſua. & ſi fiat illicitum, hoc eſt ex circunſtantia, vt patet in alijs concluſionibus. In hoc autem caſu circunſtantia nequaquam facit illud illicitum.

Not. etiam pro eo, quod tetigimus in titulo, ꝙ tunc accedere debet, vel ſe ingerere, ſeu vocatus apertè, ſeu interpretatiuè, qñ ſua propria Eccleſia nõ pateretur detrimẽtũ. Prima. n. charitas à ſeipſo incipere debet. &c. Vocatio tñ prælati cũ ſana diſcretione præferatur.

QVAESTIO XXIIII.

Vtrum Sacerdos poſſit abſoluere Parrochianam ſuam, cum qua peccauit, nec illa poſſit ad alium ire ſine eius obtenta licentia.

Arg. prim. SIRCA tertiũ arguitur, ꝙ ſacerdos poſſit abſoluere parrochianam ſuã cum qua peccauit, nec ipſa alium adire ſine eius licentia, quia ex peccato ſuo non amiſit poteſtatem ſuper Parrochianam.

In oppoſit. Contra. ſacerdos non põt minuere virtutem ſacramenti, ſed minueret ſi eã audiret & abſolueret, quia cõpellendo eam nõ poſſet adire alium, & ſic tolleret eius erubeſcentia, quæ eſt magna pars ſatisfactionis, quæ eſt vna pars principalis pœnitẽtię. Quin ſacerdos licèt eſſet perſeuerans in peccato ſuo, ſi illa verè pœnitens cõfiteret ei, poſſet eã audire & abſoluere, de hoc nulla eſt dubitatio, quare & multò fortius ſi ipſe eſſet verè pœnitẽs & correctus. Sed an ipſa ſi velit alteri confiteri, teneat ab ipſo licẽtiam petere, & an illo licentiam deneganꝫte ipſa non obtenta licentia poſſit alterum adire, de hoc eſt dubitatio.

Reſponſio. Et eſt dicendũ, ꝙ quouſq; permittit ab Eccleſia in ſuo ſeruitio, nullam põt habere excuſationẽ pp quã non dẽt licentiã petere ab illo, ſm ſtatutũ cõcilij generalis. Oĩs vtriuſq; ſexus, niſi fortè ſentiẽs ſe fragilẽ timet, ꝙ in petẽdo debeat eã ſollicitare. Si aũt petierit, & ille denegauerit, aut ergo timet de ſollicitatione ad recidiuũ, cognoſcens fragilitatẽ ſuã, & illius, aut nõ, ſed confidit, ꝙ ipſe benè ſit correctus, nec ei eſt periculum de confitendo illi. Si primo modo, nullo modo debet ei confiteri, ſed adire pœnitentiariũ, vel aliquẽ habẽtẽ abſolutè poteſtatẽ ſuperioris, & illi cõfiteri, vel ab illo petere licentiã confitendi alieno ſacerdoti, nõ tñ ſic cauſam exprimere, vt poſſit per hoc quoquo modo ſacerdotem ſuũ infamare. Sin aũt, arbitror ꝙ petita licentia, & non obtenta poterit alterum adire.

Ad argum in oppoſit. Ad argumentũ in oppoſitũ ꝙ diminueretur virtus ſacramenti pœnitentiæ per ſubtractionem verecundiæ: Dicendũ ꝙ quædam ſunt in pœnitẽtia, quæ ſacramento pœnitentiæ ſunt eſſentialia, & de eius integritate, vt cõpetens contritio, integra confeſſio, conueniens ſatisfactio. Si quo ad aliqd horum minueretur ſacramentum pœnitẽtię in ipſam audiendo & abſoluendo, tunc nihil poſſet agere circa illam. Alia verò ſunt, quæ ſunt accidentalia ſacramento pœnitentiæ, vt acerbiſſima cõtritio, & oĩum circũſtantiarũ nõ aggrauantiũ confeſſio, & in ſummo ſatisfactio. Si quid aũt horum deficiat, non ex hoc diminuitur virtus ſacramenti, & effectus eſſentialis & principalis, qui eſt peccatorum ablutio per gratiæ collationem, licèt diminuatur effectus eius ſecundarius, qui eſt remiſſio, vltra quam ſe extendit per ſe virtus ſacramenti, & talo diminuens eſt verecundiæ ſubtractio.


Com-

Comment. in Quæstionem XXIIII. quæ est,

Vtrum sacerdos possit absoluere parrochianam suam, cum qua peccauit, nec illa possit ad alium ire sine eius obtenta licentia.

IN titulo nor. q. quæstio hæc duas partes habet. altera est, Vtrum absolutè sacerdos possit absoluere parrochianam suam, cum qua peccauit. Altera est, vtrum illa possit alium adire confessarium sine illius licentia. & hæc pars partitur in duas, vt intelligatur sine licentia non petita. Secundò sine licentia petita, sed non obtenta.

In corpore de prima quæstione conclusio est, quod sacerdos potest absoluere &c. si tamen illa pœnitens esset. Et quidem conclusio hæc nota est apud omnes, & vera est. Et probari potest per hoc q. valida est ipsa confessio, quod probatur à Soto in 4. sententiarum. in dist. 18. quæst. 4. art. 3. Vbicunque adest materia, forma, intentio, ac iurisdictio confessio est valida, in hac autem id supponitur, igitur; sed de secunda quæstione est multiplex conclusio, nempè quincuplex, distinguendo sic, & disponendo.



Sic ex Auctore solutionem quæstionis huius credimus haberi. Est autem dubitatio circa secundam & quartam conclusionem, quia quantum ad secundam, Sotus ex D. Thoma vult potius confitendum laico, quam alteri sacerdoti, non obtenta licentia, nec habito ad superiorem recursu. Quod vtique quicquid sit de hac opinione, videtur prorsus absonum, tùm quoniam confessio facta laico nulla est, quantum ad sacramentum, & laicus in nullo casu habet auctoritatem absoluendi, tùm quoniam si potest laico confiteri, multò fortiùs sacerdoti, qui saltem ex ordine habet ius absoluendi, & maximè sacerdoti approbato communiter.

Amplius recursus ad superiorem quomodo haberi potest absque periculo infamandi proprium sacerdotem, vel seipsam? Id autem caueri prorsus debet. Vnde id aduertit præsertim Auctor, quòd ita exprimere debet pœnitens peccatum suum, & causam, &c. ne infamet sacerdotem proprium.

Quantum verò ad quartam tamesi eam recip ant Hostiensis. Pal. Richardus loco citato. q. 3. art. 3. Sylvest. in verb. confessor. 1. §. 6. Adrian. q. 5 de confess dub. 3. vbi ponit datum casum. Et videtur magist. &c. Sotus tamen eam impugnare conatur, inter quas primo loco ponit eam, quo modo diximus ex D. Thoma. vt dicit & ad suam sententiam trahere conatur Marsil. & Caetanum.

Secundò arguit, quoniam inquit, talis conclusio contraria promptissimam ansam fingendi malitiam, & periculum in proprio Sacerdote, vt illo colore possit alium sibi eligere, quem libuerit. Multo ergo minus inconuenit, vt simili casu homo sine confessione maneat, quàm hanc occasionem offerre firmo Ecclesiastico ordine deuandi.

Tertiò. quia eadem, inquit, tunc ratione idem fieret in casibus reseruatis, videlicet sic Episcopo reseruante idem appareret periculum, neque vellet facultatem alteri concedere absoluendi, posset subditus eosdem casus alteri confiteri, & ab ipsis absolui, & sic vana esset reseruatio.

Hæc Sotus. Vbi adnot. q. Sotus idrò hæc præsertim habet, quia vt ibi apparet latius accipit conclusionem, cum nos quanto præcisius potest accipiamus Et quidem nos in nostra conclusione accipiamus, non malitiam fingendi, vt supponit Sotus in secunda ratione, sed timorem ex experientia, quo circa iam responsum sit.

Ad secundum diceremus nos pro nobis tantùm. Quod ex suppositione, quam formar Sotus nihil nostræ conclusioni nocet. Quippè supponatur in illa ratione, q. fingatur malitia, & periculum, vt illo colore. In conclusione verò rectus supponitur timor, vt dictum est.

Ad tertium dicerent Hostiensis, atque illi cæteri, quòd si fingeretur huiusmodi periculi timor, & non esset cum certa experientia, vt dictum est, supponendo, q. Episcopus peccauerit cum illa &c. Quòd vel intelligitur de reseruatis, vel quod peccauerit in non reseruato, si in reseruatis cecidit, amisit, & perdidit ius retinẽdi, &c. & quidem in hoc casus supponi debet.

Nos verò diceremus quasi similiter. Sed primò notaremus q. non est similis ratio, nisi supponamus, q. Episcopus commiserit peccatum reseruatum. Vt est casus. Episcopus peccat cum monali. Monialis tempore confessionis v. g. à proprio sacerdote absolui non potest, quia sit reseruatum Episcopo tale peccatum. tùc diceremus interpretatiuè casum factum esse simplicem, quoniam peccando Episcopus sicut relaxat ius pro seipso, interpretatiuè relaxat pro alio. Relaxare autem videtur ius pro ipso, quia facit illud, q. nè præsertim fieret, sibi reseruauit, nec est dicendum, q. illi legi subditus non sit, siquidè si non est, in quantum non habet alium supra se habentem tantùm Auctoritatem absoluendi, est tamen subditus grauitate maiori delicti ob circunstantiam reseruationis. quo fit vt relaxare videatur ius pro seipso, quia dat auctoritatem sacerdoti inferiori ipsum absoluendi, quo facto interpretatiuè videtur relaxare ius etiam pro moniali.

HENRICI A GANDAVO

QVAESTIO XXV.

Vtrum iudex sæcularis aliquem possit cogere ad aliquid confitendum, ad quod sequitur mors alterius.

Arg. prim. CIRCA quartum arguitur, ꝙ iudex sæcularis neminem potest cogere ad confitendum aliquid ad quod sequitur mors alterius. quoniam in hoc committitur frequenter mortale peccatum puniendo iniustè innocentem, quia frequenter sperando citò euadere pœnas, accusant innocentes.

In oppositum. In contrarium est iudicum sæcularium consuetudo. Si liceat pœnis extorquere ueritatem à teste uel accusatore, & quomodo, secundum ꝙ notatur. 5. quæst. 7. super cap. Illi qui. de hoc nihil ad præsens. Sed quæstio est de illis, qui morti sunt adiudicati, uel in uinculis seruantur condemnati, à quibus iudices per pœnas nituntur exquirere complices suos malè factores, utrum licear hoc iudicibus. Et est dicendum, ꝙ talium complicium facta, aut sunt omninò occulta, & non sunt super factis suis in iudicium uocati, aut tanquàm infamati super factis suis ad iudicium sunt uocati, quia diffamati sunt. Si primo modo, nullo modo debent eos ad confitendum sic occulta cogere per pœnas, quia prodere sic occulta peccatum mortale est, & mortaliter peccat quicunque alium ad mortaliter peccandum compellit. Vnde tales nullis pœnis compulsi debent talia confiteri, & debent sacerdotes hoc inhibere, qui audiunt eorum confessiones. Si uerò sunt propter famam uocati ad iudicium, arbitror quòd superillis certis articulis, qui eis imponuntur à iudice, si præsumeret, quòd absque pœnis non uellent dicere ueritatem, posset eam pœnis extorquere. Vt secundum quod dicitur in prędicto capitulo, dum pœnis corporalibus subijciuntur, quæ gesta sunt fideliter, & ueraciter expriman tur. sed non ad hoc ut isti sint testes, & dictis eorũ aliquis condemnetur, sed ut ex hoc præsumptio aliqua debeatur.

Arg prime

Ad arg. pp. Per hęc patet ad primum, dicendo quòd ex eorum cõfessione nunquàm debet sequi mors. immò iniquus esset iudex, qui propter talium confessionem aliquem morti addiceret, siue esset innocens, siue nocens, nisi aliter constaret facinus iudici, & ei illa confessio aliquam præsumptionem daret. Nam plerique ita tormenta contemnunt, ut expri mi ueritas ab eis nullo modo possit. Alij potius mentiri, quàm pati tormenta uolunt, & sanctius est impunitum relinqui facinus nocentis, quàm in nocentem damnare.

In oppositum

Responsio.

Ad argum. in oppositum. Ad secundum, quòd si iudices seruant consuetudinem secundũ modum iam tactum, puto quòd bona est, aliàs autem est corruptela.

Comment. in Quæstionem XXV. quæ est,

Vtrum iudex sæcularis aliquem possit cogere ad aliquid confitendum, ad quod sequitur mors alterius.

ITVLVM intellige de illis, qui, captiui cum sint, interrogantur de illis complicibus, vt notissimum est fieri solere, vt ab Auctore declaratur.

In corpore conclusio duplex à duobus membris distinctionis oriens. Est autem distinctio.

Complicum facta sunt
vel

Omninò occulta, & non sunt ob huiusmodi uocati in iudicium.	*Non omninò occulta sed & uocati sunt in iudicium ob huiusmodi.*
Prima conclusio. Iudices non debent cogere, nec possunt.	*Secunda conclusio.* Possunt iudices cogere.

Prima conclusio patet, quia reuelare occulta, uel quærere, seu cogere ita, vt reuelentur, peccatum mortale est. Id aũt non licet.

Not. ꝙ id tamen faciens iudex, puniendo eos, quos prodidit quis hoc pacto, ipse condemnat non accusatum, quod nequaquam licere iudici dicit D. Thom. 22. q. 69. art 3. Primo autem art. qõ. 70. videtur habere hanc eandem conclusionem, ꝙ nempè super occultis, de quibus non præcessit infamia, non tenetur quis testimonium ferre. Addendum autem, ꝙ iudex non potest cogere quempiam ad faciendum, nullo iure tenetur. Et certè in quolib. 4. ipse dicit, occulta soli iudicio diuino relinquenda sunt, quod ante dixerant Diui Hieronymus, & Gregorius.

Secunda conclusio probatur per illud 5. quæst. super illud cap. Illi qui.

Not. verba canonis. Replicanda est solicitè veritas. Quam sponte prolatam in illis vox habere non potest, hanc diuersis cruciatibus è latebris suis religiosus tortor exigere debet, vt dum corpora pœnis subijciuntur, quæ gesta sunt, fideliter, & veraciter exquirantur.

QVAESTIO XXVI.

Vtrum condemnatus morti licitè possit abire, si tempus, & locum habeat.

SEQVVNTVR quæsita circa homines subditos. Et quærebatur vnum circa subditos sæculares, & plurima circa subditos Ecclesiasticos. Illud vnum erat, vtrum condemnatus morti licitè possit abire si tempus, & locum habeat. Et videtur ꝙ non, quia cui non licèt subtrahere minus, nec maius. corpus condemnati est maius quid iudicis, quàm alia res temporalis. sed non licèt damnato iudici subtrahere quancunq; aliam rem. ergo nec licitum est ei subtrahere illi corpus suum, subtraheret autem si abiret. ergo &c.

Arg prima

In oppoſit. Contra. cum iste abeundo vitam suam posset saluare, remanendo occasionem occidendi se daret, quod nulli licèt. ergo &c.

Reſponſio. Dicendum, ꝙ plures habere potestatem super eandem rem diuersis respectibus non est inconueniens, vt ꝙ vnus habeat in eam proprietatem, & alius vsum. & secundum hoc diuersimodè quilibet eorum potestate sua vti potest super illam rem, dū tamen non fiat hoc in lęsionem alterius. Sunt autē quatuor per ordinem se habentia, secundum quæ super eandem rem diuersas potestates diuersi habere possunt diuersimodè, quæ sunt, fas, licitum, ius, necessitas, & includitur semper prius in posteriori. Fas est æquitas naturalis qua quisque potest vti re alterius absque damno & incommodo illius. vt enim dicitur decretorum distinct. prima. §. Omnes leges. transire per agrum alienum fas est. i. æquum, cum subest causa, & innoxius est transitus. Licitum est, quod à lege indultum est, quo quis potest vti re aliena in aliquale damnum eius. In veteri enim lege licitum erat comedere vuas in agro alterius, sed non exportare. & conterere spicas, sed non falcem immittere. Ius est æquitas, quæ dat actionem rem vendicandi. Necessitas est opportunitas vtendi re aliena. Discipulos enim cum per segetes transeundo euellerent spicas & ederent, ipius Christi vox innocentes vocat, quia coacti fame hoc fecerunt. vt dicitur de consecr. distin. 5. Discipulos. vbi dicit Glo. Necessitas famis excusat furtum. Dico ergo ad propositum, ꝙ super corpus damnati ad mortem potestatem habet iudex sæcularis capiendi, detinendi, & occidendi. Habet autem & ipsemet damnatus, quo ad animam potestatem super idem corpus vtendi eo ad vitæ suæ in corpore custodiam, in qua consistit eius perfectio, sine iniuria alterius. & hoc non solùm æquitate naturæ, quæ fas est circa rem alienam, sed quæ licitum est, & non solùm licitum tanquàm à lege naturæ indultum in aliquale alterius præiudiciū, sed quæ ius est secundum legem naturæ, & non solùm ius, sed in casu necessitas exequendi ius suū, vt si oporteret captiuum talem fame mori, nisi acciperet clam contra uoluntatem custodis panem eius, in hoc habet potestatem, & ius, atque necessitatem utendi corpore ad panem capiendum, & uescendum. & fit hoc sine lęsione alterius, quia necessitas facit commune, quod erat proprium, ut iustè occupanti concedatur. Sic dico in proposito, ꝙ iudex non tantum iuris habet super corpus damnati, quin & ipsemet dānatus similiter ius habeat secundum animam. quantum enim habet ille iuris in detinendo & occidendo tantundem & plus habet iste in abeundo cum poterit, & uitam custodiendo. & etiam plus iuris habet, quia iudex non tanta necessitate compellitur eum detinere, aut occidere, quanta necessitate propter iustum metum mortis compellitur damnatus, ꝙ sibi prouideat, ne uitam & perfectionem suam in corpore amittat, ꝙa si in hoc nō prouideret, si posset inuenire locū, & tempus, ut si fortè esset sine uinculis, & ostia essent aperta, nec adesset impedimentum abeundi, & per hoc uitam saluandi, sui ipsius homicida esset non prouidendo sibi sicut deberet. Et secundum hoc concedendum est secundum argumentum.

Ad argu. principale Ad primum principale, ꝙ non licèt damnatum subtrahere quancunq; aliam rem, quare nec corpus suum.

Dicendum, ꝙ falsum est. quoniam quancunq; rem necessariam ad custodiam uitæ suæ posset ei subtrahere, dum tamen eius subtractio non uergeret in præiudicium iuris, quod habet iudex in corpus illius. Si enim, ut dictum est, existens in uinculis necesse haberet mori fame, nisi subtraheret ei panem, hoc liceret ei, quia hoc nullo modo uergit in præiudicium iuris, quod habet in detinendo uel occidendo. Quare cum subtractio corporis necessaria sit animæ suæ ad uitæ suæ custodiam, quā facit absque omni præiudicio potestatis, quam habet iudex super corpus eius, quando sentit, ꝙ corpus non est in uinculis, & ꝙ ostijs apertis nullum restat obstaculum, ideò in tali casu licèt corpus suum subtrahere utendo iure suo, sicut in alio casu liceret subtrahere panem iudicis.

Ad cuius intellectum sciendum est, ꝙ supra rem aliquam dupliciter haberi potest potestas siue ius. Vna quo ad proprietatem in substantia rei.
Alia quo ad usum in actione aliqua exercenda circa rem. Primam potestatem, aut ius nullatenus habet iudex sæcularis super corpus damnati, plus quàm super animam illius, sed secundam tantùm, quæ consistit in tribus, scilicèt in corpus capiendo, in uinculando siue incarcerando, & in occidendo.

Poteſtatem autem quo ad proprietatem in ſubſtãtia corporis ſola anima habet ſub Deo, & tenetur ius ſuum in hoc cuſtodire abſque iniuria alterius, quod cuſtodiret in præiudicium, & iniuriam iudicis, ſi cum exiſteret corpus in vinculis, aut in firmata cuſtodia, vt abiret vincula diſrumperet, aut carcerem. Propter hoc enim durius puniendus eſſet ſi contingeret ipſum capi, quia de iure poteſtatem habet eum vinculandi, & claudendi in carcerem, quo, ſ. ad actum vinculationis, & clauſionis. Et ideò non ſine iniuria in iudicem rumperet vincula, aut carcerem, ſicut cum eſt iudex in actu occidendi ipſum, iniuriaretur iudici ſi rebellaret percutiendo ipſum, aut ab actu ſuo eum impediendo. immò debet patienter ſuſtinere, vt circa corpus exerceat actum iuſtitiæ, licèt fortè ſecundum iura ciuilia licitum eſſet, quocunque modo ſanguinem ſuum defendere. Si tamen iudex damnatum dimittat in carcere ſine vinculis, & negligat firmare carcerem in quo eſt damnatus, & ſic omittat exercere circa ipſum ius, quod habuit, quia nec occidit nec detinet, abſque omni iniuria iudicis, qui nullum ius habet in ſubſtantiam corporis, poteſt corpus ſuum abducere, quemadmodum ſiquis ſepiat agrum ſuum, non licèt quemquàm tranſire p agrum illius ſepem rumpendo; quia quo ad hoc non eſſet ei licitum, quia eſſet in præiudicium iuris alterius, qui de iure potuit ſepire agrum ſuum. Si tamen ſepitus non fuerit, licitum eſt per agrum tranſire eo modo, quo prius dictum eſt. Et quod plus eſt, ſi præcipiat ei iudex ne carcerem exeat, ſi tñ non oporteat, ꝙ vincula vel carcerem diſrumpat, vel quicquàm conſimile faciat, in quo circa ipſum ius habet, in illo ei obedire non debet, quia nec poteſtatem hoc præcipiendi habet, quia in animam eius nihil de iure habet, nec in corpus, niſi vel corporaliter capere, vel corporaliter vinculis, vel clauſura detinere vel occidere, ita ꝙ ſi neutrum horum circa corpus illius faciat, ius ſuum exercere omittit, & ideò ſine omni eius iniuria poteſt anima exercere in corpus, quod ſuum eſt. Per hoc enim ille nõ amittit ius ſuum, quia poteſt recapere inuentum in iuriſdictione ſua, & detinere, & occidere ſicut prius. Sed ſi non exercendo ius ſuum, anima exercente, quod potuit & debuit, à iure ſuo alienatur, hoc negligẽtię ſuę imputetur.

Comment. in Quæſtinoem XXVI. quæ eſt,

Vtrum condemnatus morti licitè poſſit abire, ſi tempus, & locum habeat.

IN titulo, quoniam videmus aliquando id accidere, ꝙ qui in carcere miſſi fuerunt, vincula, & carceres frangũt & fugiunt, quærimus an Auctor intelligat de his, an potius de his, qui inuenientes oſtia carceris aperta, & vincula fracta fugiunt nullam prorſus violentiam faciendo. cui quæſito reſpondemus, ꝙ vtranque quæſtionẽ terminat Auctor. Et quidem in corpore quæſtionis ſecundam. In reſponſione verò ad argumentum primam.

In corpore igitur quæſtionis eſt concluſio affirmatiuè reſponſiua quæſito. ſ. ꝙ de iure licitum eſt abire, & non ſolùm licitum, ſed & fas eſt, & de iure eſt, & neceſſitas eſt aliquando.

Declarat Auctor hanc concluſionem manifeſtando illa quatuor. Fas, licitum, ius, & neceſſitas, atque amplius manifeſtando quomodo ſi iudex habet poteſtatem ſuper corpus damnati, etiam damnatus habet de iure naturæ, quò ad animam poteſtatem ſuper corpus proprium.

Probatur concluſio, ꝙ ſit de iure naturæ licitum. De iure naturæ eſt licitum, & fas vti re aliena abſque alterius damno, & incommodo, ergo multò magis vti re ſua; ſed qui fugit inueniens oſtia aperta, & vincula fracta vtitur re ſua, ſine præiudicio alterius. igitur &c. Maiòr patet manifeſtiſſimè. Minor verò probatur, quo ad primam partem, quia corpus eſt animę, & anima vtitur corpore, dum iubet id abire.

Probatur quo ad ſecundam partem, quoniam quicunque habet huiuſmodi opportunitatem fugiendi non facit iniuriam iudici, niſi quia violenter fugit, ſed hoc non ſupponitur.

Probatur quo ad neceſſitatem. Vnuſquiſque tenetur de neceſſitate naturæ ſine alterius præiudicio conſeruare vitam propriã. Sed huiuſmodi fugiens facit id, ꝙ conſeruat vitam propriam ſine alterius præiudicio, igitur de neceſſitate naturæ. Maior patet, & minor probatur, quia ſi iudex habet ius occidendi, habet & condemnatus ſe ſaluandi, & non vergit in præiudicium, quia ſupponitur non facta violentia.

Quo ad aliam quæſtionem in reſponſione ad argumentum habetur concluſio negatiua.

Probatur, quia vergit in præiudicium iudicis, qui fecit quantum in ſe erat, vt detineret dignum morte, qui fecit violentiam.

Not. ꝙ quantum ſpectat ad primam concluſionem ipſa videtur communis ex illo loco Eccleſiaſtici. 9. Longe eſto ab homine poteſtatem habente occidendi, & non viuificandi. Et videtur ſententia clara etiam D. Thomæ in 22. quæſt. 69. art. 4.

Diſſicultas autem eſt circa ſecundam concluſionem, quoniam ipſi contrariatur Gaetanus 22. quæſt. 69. ſuper art. 3. & 4. Et Sotus etiam de iuſt. & iure. lib. 5 quæſt. 6. Quoniam inquiunt, hoc non eſt bellare contra iudicem, nec iudici reſiſtere, quę ſola faciunt fugam illicitam. Vt in art. 4. quæſt. dictæ manifeſtat D. Thomas. Armil. etiam in verb. carcer. §. 4. & alij plures hos ſequuntur. Cum Auctore autem noſtro potiſſimum eſt Syluester, quem & plurimi ſequuntur.

Diceremus nos, in primis diſtinguendum eſſe de condemnato, quòd vel condemnatus eſt ad mortem iuſtè, vel condemnatus eſt iniuſtè. ſi hoc ſecundum, profectò nè dum illi frangere licèt vincula, & carceres, ſed & iudici reſiſtere, atque cuſtodibus, nam ita procedendum eſt, ſic ut ageretur cum latronibus, quibus omninò reſiſtere licèt, niſi fortè naſceretur grauiſſimum ſcandalum, propter quod fugiendum iniuſtè condemnatus ſuſtenere mortem deberet. Quod totum colligimus etiam ex D. Thoma 22. quæſt. 69. artic. 4. Si verò loquamur de iuſtè condemnato, in primis hæc eſt communis concluſio. Quòd huiuſmodi iudici reſiſtere non debet. Reſiſtentia autem duplex eſſe videtur, directa, & indirecta. Directa quidem quando ipſi iudici perſonaliter fieret violentia. Indirecta verò quando fieret miniſtris, atque cuſtodibus, non videtur autem licita reſiſtentia ſiue directa, ſiue indirecta. Cum autem frangere vincula ſeorſum non ſit reſiſtentia, neque directa, neque indirecta, illud ſequatur oportet, quòd ſeorſum accepta fractio carceris, ac vinculorum non ſit illicita taliter, vt ille, quo ad hoc peccaret mortaliter.

Cæterum

Cæterum dicere Auctor. Cur autem durius puniuntur, qui capiuntur post huiusmodi fractionem? obuiarent alij dicentes, quòd ob damnum illatum propter fractionem, ad quod tenerentur. Sed non videretur hoc sufficere, quia hoc esset faciendum solum pauperibus, qui de bonis suis damno satisfacere non possunt. Propterea dicendum. Quòd si durius puniuntur, hæc punitio non videtur legalis, sed voluntaria. Nisi ob aliquam circunstantiam, vel edictum contra frangentes vincula, & carceres.

QVAESTIO XXVII.

Vtrum religiosus subditus, qui recipit à quodam aliquid in secreto non vergens in damnum cuiusquàm, teneatur reuelare prælato suo petenti, vt ei reueletur.

SEQVVNTVR quæsita pertinẽtia ad subditos Ecclesiasticos. Quorum quædam erant circa subditos religiosos, & quædam circa subditos non religiosos. Circa religiosos erant tria. Primum quoad reuelationem commissi. Vtrum religiosus subditus, qui recipit à quodam aliquid in secreto non vergens in damnum cuiusquàm, tenetur illud reuelare prælato suo petenti, vt ei reueletur. Secundum erat de reuelatione peccati. Vtrum religiosus subditus sciens secreto, & solus confratrem suum subditum peccato mortali peccasse, peccet reuelando illud prælato suo ante secretam admonitionem. Tertium erat de contractu matrimonij. Vtrum religiosus iam professus de facto, qui iuuenis ante religionis ingressum, & ante omnem obligationem ad illam mulierem affidauit inflammatus amore veneréo erga ipsam subsecuta carnali copula, in qua non habuit intentionem recedẽdi à sponsalibus, non tamen credit se consensisse in contractum matrimonij de præsenti: Vtrum inquam talis possit manere in religione custodiẽdo votum suum, an oportet ipsum reuerti ad sæculum, & illam ducere solenniter in vxorem, & pertractare maritali affectu si velit.

Arg. prin. Circa primum arguitur, ꝙ subditus ille non debet prælato suo petenti reuelare secretum sibi cõmissum, quia hoc esset expresse & directè contra virtutem, quia contra fidelitatem, quæ est pars iustitiæ.

In oppos. Contra. Si aliquid est ex se licitum, habito præcepto de contrario ab illo cui obediẽdum est, iam est illicitum religioso, quia vt dicit Bern. qui profitendo se totum subdidit, nihil sibi retinuit, q̃q̃ ergo licitum esset custodire secretum, postquàm tamen prælatus subdito, qui sibi nihil retinuit, reuelare præcipit non sicut ipse vult, sed sicut vult prælatus agere debet, illud secretum reuelando, & nullatenus occultando.

Resp. Dicendum, ꝙ religiosus in nulla religione voto ad alia se astringit, quàm ad licita, & honesta secundum regulæ, quam profitetur, statuta, & in his solùm tenetur superiori ad obedientiam. ꝙ si illicita, & inhonesta præcipere præsumpserit, maximè diuinæ legi, & virtutibus, & bonis moribus cõtraria, nullatenus in illis obediendum est homini, sed Deo. dicente Bern. in Epistola ad Adam monachum. Liquido apparet mala imperantibus nõ esse parendum, præsertim dum prauis obtemperans Imperijs, in quo homini videris obedire, Deo planè, qui omne, quod perperam agitur interdicit inobedientem te exhibes. Valde autem peruersum est profiteri te obedientem in quo noscaris superiorem propter inferiorem. i. diuinam propter humanam soluere obedientiam Quid enim? iubet homo, prohibet Deus, & ego audiam hominem, surdus Deo? Non. Vnde in talibus obedire homini nõ est obedire, immò in non obediendo verius obedit. Quia ergo, vt procedit obiectio prima, secretum reuelare contrarium virtuti est, nullo modo tenetur subditus præcepto superioris obedire, vt fidei commissum illi reueleꝛ.

Ad argum. in oppos. Ad argumentum in oppositum, ꝙ aliàs licitum per præceptum fit illicitum, hoc solum uerum est de indifferentibus, & maximè, quæ pertinent ad professionem, de alijs autem nequaquàm. Et ꝙ assumitur, ꝙ religiosus nihil sibi retinuit, verum est de illis, quę pertinent ad suam professionem, & obedientiam, cætera autem omnia uoluntariæ liberè retinuit. Propter quod salus sua, & damnatio dependet à seipso, & non à suo prælato.

Comment. in Quæstionem XXVII. quæ est,

Vtrum religiosus subditus, qui recipit à quodam aliquid in secreto non vergens in damnum cuiusquam, teneatur reuelare prælato suo petenti, vt ei reueletur.

ITVLVS satis clarus.

In corpore conclusio est negatiuè responsiua quæsito, s. ꝙ non tenetur. Probatur. Religiosus &c. non tenetur prælato obedire in his, quæ sunt contra virtutes, & ea, quæ honesta, & licita sunt. sed qui reuelaret secretum petenti prælato, ageret contra id, quod virtutis est. Ergo &c. Maior propositio nota est ex verbis D. Bernardi in litera. Minor verò probatur ex primo argumento in fronte quæstionis adducto.

Not. ꝙ non tenetur subditus religiosus obedire prælato suo, nisi in his, quæ sunt regulæ explicitè, vel implicitè, quod communiter dicit doctor. & D. Thomas 22. quæst. 104. art. 5. ad tertium, & alibi, & alij pariter, vt Scotus, de detegendo secretum. & ante ipsum D. Ant. Iam verò reuelare secretum non continetur in regula vllo modo.

modo, igitur &c. Et profectò quoniam non tenetur obedire subditus, nisi in quibus est subditus, in hoc 22.q.69. artic.3. hic non tenetur, quoniam non est subditus in hoc ratio est, quia religiosus per votum obedientiæ supponitur prælato suo, quantum ad generalem dispositionem vitæ suæ, non autem quo ad omnes actus particulares, ex D. Thoma, quolib.10. quæst.10. artic.3. Nunc autem in proposito hoc est actus particularis, igitur; quod insinuare etiam apertè videtur Auctor in litera.

QVAESTIO XXVIII.

Vtrum Religiosus subditus sciens secretò, & solus confratrem subditum peccato mortali peccasse, peccet reuelando illud Prælato suo ante secretam admonitionem.

Arg. prim. CIRCA secundum arguitur, quòd reuelans peccatum confratris ante secretam monitionem peccat, quia sicut medicus corporalis peccat subtrahendo medicinam qua facilius posset curare, sic & spiritualis, sed quilibet iustus circa peccatorem medicus debet esse spiritualis in corripiendo, & denunciando, sed facilius curaret præmittendo secretam admonitionem, quia illa fortè curaret sine famæ denigratione, quod nō facit illam omittendo. ergo &c.

In oppos. Contra. In foro sæculari proprium est Principis punire commissa baronum: Balliui verò ciuiū: balliuus autem non peccat omittendo correctionem ciuis committendo eam Principi, qui vtilius potest illum corripere: ergo similiter nec peccat frater omittendo suam correctionem committendo eam Prælato per denunciationē, qui salubrius poterit corripere illum.

Responsio. Dicendum, quòd cum secreta admonitio de emendatione peccati sit pars fraternæ correctionis, qua ne procedat peccatum vsque ad scandalizantem infamiam, cor peccatoris subitò reuocatur, aut per confusionem propositam ex peccati turpitudine, vel per pœnam comminatam ex peccati enormitate, & inde dicit correptio quasi cordis raptio: subitanea enim raptim dicuntur fieri: idcirco subitaneè, & statim cum scimus peccatum proximi, ante omnia, & ante omnem reuelationē secretè debemus eum admonere, quia non potest esse tam modica reuelatio qūin in ea incipiat scandalum, & suspicio. Propter quod dicit Glossa super illud Matthæi 18. Si peccauerit in te, &c. Hoc ordine vitare scandala debemus, & super illud, Corripe inter te, & ipsum. Gloss. ne publicè correptus verecundiā perdat, qua perdita in peccato remaneat. Vbi intelligit publicè corripi qñ alteri crimen reuelatur, in cuius præsentia corripitur. Aliter enim non esset expositio illius, Corripe inter te, & ipsum. Sed si crebra admonitione secreta correctus nō fuerit, tunc primo debet aduocatis vno, aut duobus testibus corā illis corripi. Sed quis sit modus in hoc obseruandus quando solus conscius sum peccati, quia de peccato publico ad præsens non loquimur, de hoc est magna dubitatio an possim peccatum illud alteri reuelare nescienti. Et videtur aliquibus, quòd si post secretā admonitionem non se correxerit, debet vni, vel duobus, de quibus præsumitur, quòd possint, & debeant prodesse, peccatum illud reuelare, & fama negligi pro parte, vt conscientia reparetur, & tunc secundo sub testimonio illorum, vt prius corripere, ne omninò fama perdatur: & deinde si nō corrigatur debet fama omninò negligi, & in publico debet prodi reuelatione facta ecclesię. Aliter enim negligeret proximi salutem, dicente Augustino in regula; Si petulantiam in aliquō vestrum aduerteritis, statim admonete, ne malè concepta progrediantur, sed de proximo corrigantur. Sin autē & post admonitionem iterum id ipsum facere videritis, iam velut vulneratum prodat quicunque hoc potuerit inuenire: prius tamen & alteri, vel tertio demonstret, vt duorum, vel trium testium possit ore conuinci, & competenti seueritate coerceri. Nec vos iudicetis esse maliuolos quādo hoc indicatis, magis quippe innocentes non estis si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis. Si enim frater tuus habet vulnus in corpore, quod velit occultari cum timet secari, nonne crudeliter à te simularetur, & misericorditer indicaretur? Quātò ergo plus debemus monstrare, ne deterius putrescat in corde? Sed dictum illorum non videtur posse stare, quia sic reuelans non tam esset criminis corrector, quā proditor, dicente Augustino libro de verbis Domini, sermo.15. & habetur 2. quæstione prima. Si peccauerit frater tuus in te, corripe eum inter te & illum solum, quare? quia in te peccauit, quid est in te peccare? tu scis, quia peccauit. Quia cū secretum fuit quando peccauit in te, secretum sit cum corrigis, quod peccauit. & infra. Si tu solus nosti, tunc verè in te peccauit: nam si multis audiētibus tibi fecit iniuriam, & in illos peccauit, quos testes suæ iniquitatis effecit. & infra. Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quæ peccantur coram omnibus. Ipsa corripiēda sunt secretè, quæ peccantur secretius. Distingue tempora, & concordabunt scripturæ. Vnde si te non audierit, & hic sit secretū, vt nullus alius sciat, non debeo vltra procedere, sed expectare quousq; inuenti fuerint alij, qui sciant, quod ego scio, quemadmodum propositum fuit facere Ioseph, dicente Augustino ibidem. Iustus Ioseph tanto flagitio, quod de vxore fuerat suspicatus, tanta benignitate pepercit &c. de quo Ambrosius super illud Psalm. Defecit tenuit me. Denique Ioseph, cui desponsata erat Maria mater Domini, cum eam grauem vtero vidisset, noluit

noluit eam traducere, ita vt non ſolum ab vltionis atrocitate, ſed etiam ab accuſationis ſeueritate iuſti aliena perſona eſt, potiuſque ducit ſuam remiſſionem accuſari, quòd nõ indicauerit, quàm alienum crimen vrgere: fortè expectans quouſq; notum eſſet alijs, quod ipſe nouit, quòd tunc primò cum alij ſciunt, vel factum, vel famam, quæ nos ſcimus, præmiſſa ſecreta admonitione eos vocare debemus. Ita etiam, quòd ſi illi æquè primò ſcirẽt, quod ego ſcio, vt ego, ſecreto prius deberẽ admonere, etiam ſi ille, qui ſcit ſit ipſe prælatus, dicente Auguſtino ibidem. Neſcio quendam homicidã nouit Epiſcopus, & nemo alius eum nouit: ego autem nolo eum publicè corripere, & tu quæris inſcribere, non prodo, nec tamen negligo, corripio in ſecreto, ponõ ante oculos eius Dei iudicium, terreo cruentam conſcientiam, perſuadeo pœnitentiam, hac charitate præditi eſſe debemus. Vnde aliquando homines reprehendunt nos quaſi non reprehendamus, aut putant nos ſcire, quod neſcimus, aut putant nos tacere, quod ſcimus fortè, ſed ſcis, & ego ſcio, non coram te corripio, quia curare volo, non accuſare. & infra. Nos ergo nõ prodimus, ſed in ſecreto arguimus. Vbi contingit malum ibi moriatur. Nec tamen vulnus illud negligimus, ante omnia oſtendentes homini in tali peccato conſtituto ſauciamque gerenti conſcientiam illud vulnus eſſe mortiferum, vbi dicit Gloſſ. Ioan. intelligit de tali occulto, quod ſcitur à multis, & poteſt ab aliquibus probari, & vocantur teſtes, vt proberur admonitio facta, & eſt argumentum ad hanc ſolutionem extra de iudicijs. Nouit. Vnde quia quod dicit Auguſt. Nouit Epiſcopus, & nemo alius nouit, videtur contrarium illi, quod ſequitur, Scis & ego ſcio, dicit Gloſſ. Hic non excludit paucos, ſed multitudinẽ, ſicut in Thren. Quomodo ſedet ſola ciuitas, & hoc innuit Auguſt. vbi dicit, ſed ſcis, & ego ſcio. Vnde cum ſubdit Auguſt. Non ergo prodimus, ſed in ſecreto corripimus, ſatis explicat, quòd ſi ante ſecretam monitionem aliquem aduocarem etiam ex illis, quos ſcirẽ ſcire, quod ſcio, proditio eſſet, ſed poſtquàm illum ſecretò admonuero, & ſciuero alium, vel alios ſcire, quod ſcio, ſiue factum ſit, ſiue fama, tunc ſi ego ſcio factum, & ſciuero, ꝙ alij ſimiliter ſciunt, debeo illos aduocare, & arguere ſuper facto coram illis. Si verò illi ſciuerint famam tantùm, tunc licèt ego ſciam factum cum fama, debeo ſuper fama tantum coram illis corripere, & de facto ſilero, licet inter me, & ipsũ de vtroq; ipſum reprehẽdi. Sed ſi prælatus ſit vnus eorũ, qui nouit, quod ſcio, tunc ipſe debet primo vocari, & corã ipſo corripi. Et ſic intelligitur, quod dicit Auguſt. in regula. Antequàm alijs demonſtretur per quos conuincẽdus eſt ſi negauerit, prius præpoſito debet oſtẽdi. Si autem negauerit, tunc adhibendi ſunt alij, vt iam coram omnibus poſſit non ab vno teſte argui, ſed à duobus, vel tribus conuinci.

Conuictus verò ſecundum præpoſiti, vel etiam presbyteri arbitrium, ad cuius diſpenſationẽ pertinet, debet notoriam ſubire vindictam, quam ſi ferre recuſauerit etiam ſi ipſe non acceſſerit de veſtra ſocietate proijciatur. Quod intelligit Euangelium, quando dicit; Sit tibi ſicut ethnicus, quia vt dicit de verbis Domini ſermo. 15. Gentiles, & Paganos in numero fratrum non deputamus. Quod ergo dicunt, quòd poſt ſecretam admonitionem fama negligenda eſt, & reuelandum illis, qui poſſunt prodeſſe, non arbitror eſſe verum, nec tamen non reuelans in hoc negligit, quia facit quantum facere debet, vt iam dictum eſt ſecundum Auguſt. Et ſi fortè ſuper hoc eum conſcientia vrget, potius ſecundum dicta exemplo Ioſeph ducere debet ſuã remiſſionem accuſari, ꝙ non reuelauerit, q̃ alienum crimen occultum reuelare. Et ꝙ arguunt per Auguſt. in regula. Dicendum, ꝙ loquitur quãdo alij nouerunt, quod corripiens nouit, quod clarè probatur ex hoc, quod dicit. Alteri, vel tertio demonſtret, vt duorum, vel trium teſtium poſſit ore conuinci, & competenti ſeueritate coerceri. Vnde ſequitur poſt præpoſita. Si autem negauerit &c. vt iam ſupra. Loquitur ergo de talibus, qui poſſunt eſſe teſtes coram iudice ad condemnandum, & puniendum ſuper eo, de quo corripitur. Teſtes autem non poſſunt eſſe de alio, q̃ quod corripiens eis reuelauit: & ita non niſi de auditu vnius. Propter tale autem teſtimonium nullus debet eõdemnari: immò ipſe correptus poſſet habere actionẽ contra corripientem, quòd ipſum diffamauerit. Vnde teſtes in fraterna correptione nõ ſolum debent eſſe tales, ꝙ per ipſos poteſt probari admonitio pro corripiente primo: & deinde denunciante ne poſſit excipi contrà ipſum, ꝙ denunciaret non obſeruato ordine Euangelico, ſed ꝙ per eoſdem poſſet probari, & fama, & factum coram iudice ad eius punitionem. Aliter enim vana eſſet, & inutilis eorum vocatio, & eſſet infamia ſine fructu. Quando ergo peccatum ſic eſt ſecretum, ꝙ nõ ſcit ipſum niſi vnus, ſiue ſit ille prælatus, ſiue ſubditus, vltra ſecretam admonitionem per ſe ſolum nõ debet procedere quouſque cognouerit alios ſcire quod ſcit. Licèt enim, vt aliquibus videtur, prælato neſcienti debet reuelari, quod vnus ſubditus ſolus nouit, quia magis proficit admonitio prælati, q̃ ſubditi, quia tamen magis timendum eſt de eius deterioratione, ſi propter verecundiam maioris, aut propter maiorem timorem pœnæ incipiat ſe excuſare prælato corripiente ſecretò poſt ſecretã monitionem ſubditi præcedentem, q̃ cum ſubdito ſolo corripiente: idcirco ſicut non alij, ſic nec prælato peccatũ vni ſoli cognitum debet reuelari. Propter quod Auguſtinus de verbis Domini ſermo. 15. exponens illud. Corripe ipſum inter te, & ipſum; dicit, Studens correctioni parcens pudori. Fortè enim præ verecundia incipit defendere ſuũ peccatum, & quem vis facere meliorem fortè facis peiorem. Quandocunque enim probabiliter timetur, quòd correptus ex correptione deterior fa-

beat.

beat fieri, debet omitti etiam secreta admonitio eius, qui singulariter nouit delictum, & sic non habens testes post secretam admonitionem nullũ debet peccatum reuelare, nec verbo, nec signo alios adducere, vt peccatum etiam simile in specie circa peccatorem possint comprehendere, licèt bono modo illos, qui prodesse volunt ad diligentiam adhibendum circa custodiam correpti possit inducere, per quam fortè poterũt ipsum in suo peccato comprehendere.

Ad quod tamen probandum non essent testes idonei, nisi plures simul comprehenderent in eodem facto secundum numerum. Nec licèt ad cognoscenda peccata aliena explorare, dicente Augustino in sermone prædicto. Admonet nos Dominus noster non negligere inuicem peccata nostra, non quærendo, quod reprehendas, sed videndo quid corrigas. Vnde post secretam monitionem si testes desunt, qui sciunt peccatum, negotium vlterius Deo debet committi, cui de occultis committenda sunt iudicia, & hoc maximè inquantum de peccato occulto quæritur correctio proximi, prout vergit in nocumentum ipsius personale.

De peccatis autem quibusdam occultis, quæ etiam vergunt in detrimentum proximi, & Reipublicæ, dicunt aliqui, quòd si delinquens non corrigatur ex secreta correptione, tunc debet tale peccatum prælato denunciando reuelare, & hoc quærendo de peccato illo correctionem delinquentis, prout vergit in nocumentum publicũ. Sed licèt istud licitum esset, quia tamen in hac denunciatione non quæritur principaliter bonum delinquentis, sed publicum, ipsa non pertinet ad præceptum de fraterna correptione, in qua principaliter quæritur bonum delinquentis.

Vnde & fraterna correptio pertinet ad virtutem charitatis, & est de effectibus eius; illa autem denunciatio, & correctio intenta per ipsam pertinet ad virtutem iustitiæ, non priuatæ, sed publicæ, & est de operibus eius. Illud autem exemplum, quod August. inducit in regula de vulnere corporali. Si autem frater tuus habet vulnus, &cæt.

Dicendum, quòd Augustinus, sicut patet inspicienti literam secundum iam exposita, loquitur ibi de silentibus, & non vocantibus testes, cum eos habere possunt ad arguendum coram illis, vt si non emendetur correptus dicatur prælato tanquàm medico spirituali.

Quo ad hoc si quidem benè simile est, quòd iste crudeliter sileret in proposito, sicut crudeliter sileret vulnus fratris, quod vellet occultare in corpore, & secundum hoc processit primum obiectum principale ad quæstionem adductam. Nec est simile quo ad hoc, quòd sicut vulnus corporale, quod vulneratus vult celare omninò debet reuelare corporali medico ignoranti, licèt illud solus sciat, sic vulnus spirituale, quod vulneratus vult celare medico spirituali, vt prælato ignoranti reuelare, licèt illud solus sciat, quoniam vulnus corporale non infamat, sicut facit vulnus spirituale, & propter solam famam custodiendam, quod quis solus nouit nulli debet reuelari, quia quod secretum quando solus nouit, postquam alteri reuelasset iam secretum non esset, & infamia inciperet.

Ad argu. in oppos. 1.

Ad secundum argumentum principaliter inductum ad argumentum, quòd Balliuus potest corripiendum à se non correptum præsentare Regi, vt ab ipso corripiatur: ergo & subditus corripiendum à se non correptum potest præsentare Prælato, vt ab illo corripiatur, & sic reuelare factum illius absque monitione secreta præcedente. Dicendum, quòd non est simile, quia Balliuus neminem potest, aut debet corripere, nisi confessum, aut conuictum per testes in publico iudicio, vel cuius factum omninò est notorium, & sic sua denunciatio, qua præsentat eum Regi puniendum non infamat, sicut faceret denunciatio facta prælato, propter quod vt dictum est ista nullo modo est licita, sicut illa. Est igitur ex eo, quod dictum est iam secundum Augustin. Vbi contingit malum ibi moriatur. Sciendum, quòd malum aliquando contingit in secreto coram vnico solo. Aliquando contingit publicè coram populo. Aliquando cõtingit medio modo coram duobus, vel tribus, aut aliquantulum pluribus paucis tñ. Et secundum hoc, quod fit in secretò coram vnico, in secreto corripiente solo si fieri potest moriatur. Quod verò fit coram omni populo publicè publica correptione facta coram omnibus moriatur. Quod verò contingit coram duobus, aut tribus, aut pluribus, paucis tamen: si non mortuum fuerit vno solo corripiente secretò, moriatur vno corripiente coram vno, aut duobus, aut tribus, nunquam tamen coram illo, qui non prius id aliunde quàm à corripiente sciat.

Comment. in Quæstionem XXVIII. quæ est,

Vtrum Religiosus subditus sciens secretò, & solus confratrem subditum peccato mortali peccasse, peccet reuelando illud Prælato suo ante secretam admonitionem.

IN titulo notat, q̃ quæstio hæc pertinet ad correctionem fraternam, quia citra ipsam nequaquam debet id facere, & peccaret grauiter reuelans, & etiam prælatus, qui id exigeret.

Amplius scito, q̃ propriè quæstio aliter resoluitur, & quidem maximè in hoc resoluitur, quoniam præceptum ordinis fraternæ correctionis est, vt primò admoneatur secreto peccator, deinde adhibeantur testes, tertiò dicatur ecclesiæ.

Quæritur an testes adhiberi debeant, qui ignorent illud peccatum, an qui sciant. Et concluso, quod qui sciant: quæritur

tur vtrum, & qui nesciant adhiberi possint, dato quòd qui sciant, non inueniuntur, &c. ideò necesse sit illis proximi peccatum reuelare, &c. adhibens nequaquam peccet. Ex cuius resolutione sequitur, & resolutio quæstionis propositæ in titulo; si enim adhiberi possunt testes nescientes, profectò etiam dici prælato potest, si verò non, dubium est. Cæterum, vt diximus hæc quæstio formaliter non resoluitur, sed potius eam resoluit D. Thom. primò de peccatis concernentibus hæresim, & alijs inficientibus, vt de fornicatione loquendo, furto, homicidio, &c. debet denũciari sine admonitione. 2 2. quæst. 33. art. 2. secundò, vbi non est spes emendationis, sed potius timor peiorationis, debet fieri pariter. 4. Sentent. dist. 19. quæst. art. 2.

Tertiò, si prælatus sit discretus, ac pius pater, & reuelans, siue denuntians id faciat ex charitate tantùm, atque affectu pio, Quolib. ij. q 13. secus autem oppositò modo cuncta accipiendo.

Not. insuper ex Auctore, quod peccatum huiusmodi occultum, vel vergit in damnum publicum, vel in particulare tantummodo peccantis; ipse autem loquitur præsertim de secundo, quia de primo incidit in opinionem D. Thomæ, q debet denuntiari prælato immediatè, sed id non pertinere ait ad fraternam correctionem, ipse autem intendit loqui de fraterna coerectione.

In corpore igitur duo habemus. primum est reprobatio opinionis, secundũ conclusio responsiua quæsito.

De primo est opinio conclusionem habens affirmatiuam, tùm quia, si non corrigatur peccator negligenda est fama eius, & in publico prodi, aliter negligentia esset circa proximi salutem; tùm per verba quædam Augustini in regula id confirmantis, quam reprobat clarioribus auctoritatibus Augustini, & negando, quod negligenda sit proximi fama.

Not. quod tanti facienda est proximi fama, q cum lædatur manifestando occulta obligatio ad restitutionem est, ex D. Th. Scoto, Gabriel Biel. ex D. Tho 22. q. 62. art. 2. ad 2. Scoto. 4. Sentent. dist. 15. Non existimet autem quis, q hæc manifestatio sit directa, ac iusta, si quidem sic, secunda est huiusmodi, cum videlicet prælato dicitur, vt dictum est in titulo. Et quidem famam negligens crudelis est, vt habet gloss. in c. si quis presbyt. de purgat. canonica. & Aug. prò ut habetur. 12. quæst. 1. Nolo.

De secundo, conclusio est, quòd non debet vocare testes, qui nesciant &c. Probatur, quia si oppositum faciat, nõ tàm esset criminis corrector, quàm proditor. Et hoc probat ex verbis Augustini, Ambrosij. Sacrorum can. glo. vt patet apertissimè in litera.

Sequitur propterea, q si quis solus sciuerit peccatum proximi post primam admonitionem non debet vltrà procedere.

Cæterum contrà hoc arguimus ex expositione, quam ipse Auctor acceptat, super illud si peccauerit in te frater tuus. ideſt si peccauerit te solo sciente. Vnde &c. corripe eum inter te, & ipsum solum. si hæc expositio bona est. ergo sequitur quod cum non audierit non sit vltra procedendum. cum tamen ad illud

Sequatur, q si non audierit adhibeantur testes, tunc vel qui alias id sciant, vel nesciant. Si secundum, ergo falsa conclusio. primum, ergo non peccauit in te, scilicet te solo id sciente.

Huic obiectioni credimus responsurum Doctorem, q illud intelligi ita debeat, q adhiberi testes debeant. si reperiantur qui sciant. Et pro notitia, accipiatur illud, si peccauerit in te frater tuus, ideſt te solo sciente, secũdum tuam existimationem, debes illum secretò corripere. Quòd si non te audierit, debes adhibere testes, non necessariò, nec præcipitanter, sed vtique prius inuestigare diligenter vtrum & alij sint, qui id sciant, quos si inueneris, tunc adhibere debes; sin autem nequaquam; quia esto, quòd nescientes voces, poterit correptus reclamare, & poterunt illi vocati fauere ad ostendendam innocentiam suam, & operari, vt puniatur corrector tanquam, vel proditor, vel infamator, atque sic, id, quod ordinatum est ad charitatem, &c. proximi spiritualem vitam, terminabit in detrimentum famæ corripientis, & etiam aliquando vitæ corporalis; stat ergo expositio, & ordo ille non vult nisi possibilitatem prudentem. sunt qui fortè expositionem illam, quemadmodum & aliquando audiuimus, extorqueant, vt intelligat Dominus de peccatis tantùm, quæ committuntur in proximum, quæ tamen expositio non bonam esse vniuersaliter deprehendimus ex hoc, q sequeretur, non esse corripiendum de peccatis, quæ committuntur in Deum. sic propterea neminem de fornicatione, de adulterio, de blasphemia, &c. corripere ita liceret, quod vtique nequaquam placet.

QVAESTIO XXIX.

Vtrum Religiosus iam professus de facto, qui iuuenis ante religionis ingressum, & ante omnem obligationem ad illam mulierem affidauit inflammatus amore venereo erga ipsam subsequuta cárnali copula, in qua non habuit intentionem recedendi à sponsalibus, non tamen credit se consensisse in contractum matrimonij de præsenti, vtrum inquam talis possit manere in religione custodiendo votum suum, an oporteat ipsum reuerti ad sæculum, & illam ducere solemniter in vxorem, & pertractare maritali affectu si velit.

Responsio.

CIRCA tertium verò nullum proponebatur argumentũm: & ideò statim respondendum est ad ipsum secundum formã, qua propositum est.

Dicendo, quòd postquam verè sponsalia præcesserunt verbo & mente contracta, licèt affectu venereo ad hoc fuit adductus, quod nullatenus veritatem sponsalium impediuit, & post talia sponsalia carnalis copula est subsecuta, in qua non expressè cognouit se dissensisse in copulam coniugalem, nec consensisse, præsumendum est ex facto copulæ carnalis, quòd consensit in copulam coniugalem. Præsumendum dico, & à seipso in conscientia sua, q scilicet implicitè consensit, & etiam ab ecclesia tali præsumptione contra quam nullam admittet exceptionem in contrarium, sed sententiando iudicaret verum esse matrimonium perfectum, & consummatũ. Quare cum tali modo astrictus vxori non habet potestatem subtrahendi se à concubitu mulieris, defraudando eam debito, quod habet in eius corpore, sicut nec è conuerso, dico sine suo consensu amborum, dicente Apost. 1. Cor. 7. Mulier sui corporis potestatem nõ habet, sed vir, similiter & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier, propter quod nec possunt, nec debent sibi in hoc defraudare, nisi ex mutuo consensu amborum, secundum quod continuò subdit Apostol. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus. Super illud, Vir debitum reddat. Gloss. Postquam coniuncti fuerint, & super illud, Potestatem

ſtatem non habet. Non ſibi alterutri negent. Poſt copulam enim carnalem neuter habet poteſtatem corporis ſui ad vſum ſui corporis denegandum alteri. Propter quod dicitur Ro. 7. Quæ ſub viro eſt mulier, viuente viro alligata eſt legi viri, & ſimiliter è conuerſo, quia in hoc pares ſunt, vt dicit Gloſſ. 1. Corinth. 7. ſuper illud, Nolite fraudare. Gloſſa. 1. ſubtrahere debitum, vt etſi alteri eorum perpetua continentia placeat, niſi ex alterius conſenſu non poſſit. Vnde nec quærere debet occaſionem diſſolutionis, dicente Apoſtolo in eadē. Alligatus es vxori, noli quærere ſolutionem. Gloſſa. Etſi inſtet neceſſitas. Propter quod dicit Apoſtolus ibidem. Præcipio non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere. Intellige nec è conuerſo. Idcirco dicendum, ꝙ talis religioni per votum nullo modo potuit ſe aſtringere, nec poteſt in ea permanere, niſi obtento eius expreſſo conſenſu ſecundum ordinationem eccleſiæ, ſed oportet ipſum ad ſæculum reuerti, & matrimonium cum illa ſolemnizare, & tractare affectu matrimoniali. Sed quanquam ſponſalia præcederent, & carnalis copula ſequeretur, ſi conſenſus non interueniret, non eſſet matrimonium quantum ad Deum, nec etiam quantum ad eccleſiam, ſi conſtaret eccleſiæ, quod conſenſus non interueniſſet, vt extra de ſpõſalibus, cap. Tua nos. Sed poſtquam illud Eccleſiæ conſtare non poteſt, ſtabit pro eo, quòd ei factum conſtat.

14

Comment. in Quæſtionem XXIX. quæ eſt,

Vtrum Religioſus iam profeſſus de facto, qui iuuenis ante religionis ingreſſum, & ante omnem obligationem ad illam mulierem affidauit inflammatus amore venereo erga ipſam ſubſequuta carnali copula, in qua non habuit intentionem recedendi & ſponſalibus, non tamen credit ſe conſenſiſſe in contractum matrimonij de præſenti, vtrum inquam talis poſſit manere in religione cuſtodiendo votum ſuum, an oporteat ipſum reuerti ad ſæculum, & illam ducere ſolemniter in vxorem, & pertractare maritali affectu, ſi velit.

ITVLVS clarus.

In corpore concluſio eſt affirmatiua, dummodo non interuehiat mulieris conſenſus.

Prima pars patet, quia cum ſponſalia verbo, & mente præceſſerint carnalem copulam, ea ſunt in cauſa, ꝙ non potuit vouere, patet quia tunc non amplius habuit poteſtatem ſuper corpus ſuum, quo ad reddendum debitum. Patet ex auctoritatibus in litera citatis.

Secunda pars patet, quoniam conſentiente vxore poſt contractum matrimonium de facto in facie eccleſiæ, & apud Deum, poteſt quis vouere. ergo multò magis, &c.

Not. quòd dicit Petrus de Palud. circa ſponſalia in 4. Sentent. diſt. 27. q. 1. Quòd cum ſponſalia in hoc differant à matrimonio. Quòd illa concernunt promiſſionem pro futuro, iſtud verò pro præſenti. Illa fieri poſſunt abſolutè, vel cum conditione. ſi abſolutè, non eſt dubium, quòd tenent. ſi cum conditione, cũ conditio eſt inhoneſta, non tamen contra bona matrimonij, vt puta, accipiam te, ſe conſenſeris mihi in venereis, huiuſmodi ſponſalia tenent, quoniam conditio illa nihil eſt, ac ſi non eſſet appoſita. Quod etiam eſt D. Thomæ ibidem. quæſt. 2. art. primo.

Not. autem quòd concluſio Doctoris præſertim intelligitur quo ad iudicium eccleſiæ, non tamen in foro conſcientiæ, quia vt in foro conſcientiæ teneat matrimonium, neceſſarius eſt conſenſus de præſenti. Pro hoc autem vide Sotum in 4. diſtinctio. 27. q. 2. art. 4. D. Thomam ad hoc ipſum reducentem. Ideò & Auctor, inquit, præſumitur, ꝙ conſenſerit. Sed certè matrimonij verum vinculum requirit verba de præſenti non facta: facta tamen in foro eccleſiæ præſumuntur pro verbis.

Not. etiam eſt illa vltima dictio in titulo, ſi velit, quippè ſi tenerent huiuſmodi ſponſalia quo ad forum conſcientiæ, non diceret, ſi velit, quia teneretur etiam ſi non vellet, ſed ait, ſi velit, quia nempè eccleſia irritum votum declarabit, &c.

QVAESTIO XXX.

Vtrum beneficia eccleſiaſtica legitimè conferantur pueris ſcientia, vel ætate.

SEQVVNTVR quæſita circa ſubditos eccleſiaſticos nõ religioſos. Et erant duo. Primum pertinens ad boni temporalis adeptionem, vtrum beneficia eccleſiaſtica legitimè cõferantur pueris ſciẽtia, vel ætate. Secundum pertinens ad boni temporalis ſubtractionem: vtrum clerici teneatur ad exactiones quas laici ſoluunt ciuitatibus, & domini temporalibus.

Arg. prim. Circa primum arguitur, quòd beneficia eccleſiaſtica non legitimè conferuntur pueris ſcientia, vel ætate, quia Origen. ſuper Exod. 18. dicit, Ad hoc ſolùm miniſtri eccleſiæ debent ſumere temporalia, vt miniſtrent ſpiritualia, quare cum tales pueri ſpiritualia miniſtrare non ſufficiãt, quia miniſtratio eorum requirit ætatem, & ſcientiam, ergo &c.

Reſponſio Dicendum iuxta illud, quod dicitur extra de præbendis. Superinordinata. Cũ illi ſint in eccleſia idonei reputandi, qui ſeruire poſſunt, & volunt in ipſa, conſultationi tuæ taliter reſpõdemus, quòd pueri, & beneficiati, qui non poſſunt in eccleſia deſeruire, in eadem non debent idonei reputari. Et ſi non idonei, quare nec legitimè conferuntur eis, quæ non niſi idoneis ad ſeruiendũ debent conferri. extra de ætate, & qualitate ordinãdorum. Ex ratione. Indecorum eſt, ꝙ hi debeant eccleſias regere, qui nõ nouerunt gubernare ſeipſos, cum tamen ad regimen eccleſiarum tales perſonæ

sonæ sint admittendæ, quæ discretione præmineant, & morum fulgeant honestate.

Nota quòd dicit Qui seruire possunt & volunt, quia licèt possent, si tamen vellent vagari, & non continuè in Ecclesijs suis residere, beneficia non solùm non sunt eis conferenda, sed collata sunt eis deneganda, sicut & alia priuilegia in fauorem diuini officij eis cõcessa decimasexta quæstione prima. Generaliter. Eos tantùm monachos, & clericos huiusmodi beneficium habere sancimus, qui ad sacrosanctas Ecclesias, vel monasteria permaneant, non deuagantes, nec circa ministeria desides. cum propter hoc ipsum beneficium eis indulsimus, vt alijs omnibus derelictis Dei omnipotentis inhæreant ministerijs. Quales re vera non sunt pueri, siue ætate, siue moribus. Propter quod dicit Bernardus in Epistola ad Theobaldum Comitem. Honores & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas dignè secundum Deum administrare & velint & possint. Porrò eas acquiri paruulo vestro precibus meis, vel vestris, nec vobis nec mihi tutum esse noueritis. Et si nec honores, nec dignitates, quare nec alia beneficia inferiora indignis & inidoneis ad illa, tutum est acquirere, quare nec conferre. quia non expediret illis, cum onus debitum beneficio portare non possent. Quod si sentirent beneficia conferentes, non darent ea pueris scientia, aut ætate, nec ipsi pueri acceptarent. Sed quia ad honorem respiciunt & conferentes, & recipientes, non attendentes ad onus: ideò contingit illud quod dicit Beatus Bernardus in Epistola ad Henricum Senonẽ. Archiepiscopum. Multi non tanta fiducia & alacritate currerent ad honores si esse sentirent & onera; grauari profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc verò, quia sola attenditur gloria, & non pœna, purum esse clericum erubescunt in Ecclesia, qui quocunque eminentiori loco non fuerint sublimati. Scholares pueri & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promouentur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris, lætiores interim, quòd virgas euaserint, quàm quòd meruerint principatum. Nec mirũ, qui necdum in semẽtiplis experti sunt. Videntes quippè illos, qui iam proprios humeros cupitæ sarcinæ submiserunt non solùm non gemere tanquàm sub onere, sed semper appetere plus onerari. tales qualiscunque ætatis sunt, beneficijs indigni sunt & pueri maledicti. de quibus dicit ibidem. Docti sunt vendicare altaria, subditorum marsupia vacuare, ministris in hac disciplina vtentes idoneis ambitione, & auaritia. Verum quantauis industria tua tibi lucra tua conquirere, tibi cautulus videaris, quantalibet vigilia possis seruare tua, quantolibet studio regum ac principum gratiam tibi aptare cures; dicimus tamen, vae terræ cuius puer rex est. Et vt dicit in fine ter[illegible] ad Eugenium, O miserandam sponsam talibus creditam paranymphis, qui assignata cultui eius, proprio retinere quæstui non verentur non amici profectò sponsi, sed æmuli sunt. Re vera ista modo implentur in Ecclesia, cum pueri vtroque modo ad summum sacerdotij gradum promouentur. vnde dolendum. Sed inter pueros distinctio habenda est. Licèt enim pueris scientia, & moribus beneficia Ecclesiastica nullatenus sint conferenda, quantuncunque adulti fuerint ætate, pueris tamen ætate, sed adultis scientia, & moribus quibus iam actu sunt præditi propria acquisitione, cum prærogatiuo diuino auxilio, vel per miraculum virtute ætatem supplentibus beneficia legitimè conferuntur, secundum quòd dicit Bernard. ibidem. Nec dicimus quancunque ætatem Dei gratia prematuram, sicut nec seram, cum multos videamus iuniorum super senes intelligere, moribus anticipare dies, præuenire tempora meritis, quod ætati deest compensare virtutibus. Quorum iuxta commonitionẽ Apostoli nemo contemnat adolescentiam. meliores bonæ indolis adolescentes inueterati dierum malorum. Puer centum annorum maledictus est, & e regione senectus venerabilis non diuturna, neque numero annorum computata. Sicubi huiusmodi puer senex promotus inuenitur opus Dei est, his qui tales non sunt miratũ non imitandum. Vnde & siqui tales sunt, fugiunt ab oneribus reputantes se impares illis. dicente Ambros. super illud Psalm. Voluntaria oris mei. Excusabat se Hieremias dicens. Ecce Domine nescio loqui, quia puer ego sum. Verecundè Propheta ætatem corporis prætendebat, ne in exequẽdis cœlestibus imperatis impar adolescentia reprehenderetur. Sed Deus, qui morum magis, quàm annorum considerandam iudicauit ætatem, & in iuuenili corpore maturitatem robustæ sapientiæ in suo seruulo præuiderat, ait. Noli dicere, quia iunior sum ego. Sed heu hodie contingit è contra illud quod dicit Bernar. vbi supra. Curritur in clero passim ab omni ætate, & ordine à doctis pariter, & indoctis ad Ecclesiasticas curas, tanquàm sine curis iam quisque victurus sit, cum ad curas peruenerit.

Ad duo decreta in oppositum, dicendum q secundum q patet inspicienti, loquuntur de pueris promouendis in religionibus monachorum, vbi Domino famulantes, de cõmunibus bonis viuunt, qui benè pro ætate sua seruire sufficiunt, licèt non in Ecclesiasticis beneficijs, in quibus seruire oportet non tàm Deo in se, quàm in fidelibus suis, deseruire. ad quæ nequaq̃ essent idonei, nisi forte beneficia essent tàm modica, & sine cura, q sufficere possent ad ea deseruienda in minoribus ordinibus, ad quos iura eos promoueri permittunt.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstoinem XXX. quæ est,

Vtrum beneficia Ecclesiastica legitimè conferantur pueris scientia, vel ætate:



IN titulo distinguendum primò est de beneficijs, alia enim sunt cum cura, alia sine cura, & quo ad vtraq; resoluitur quæstio. Amplius considerandum, quòd titulus potest esse triplex, quia puer sit, vel scientia seorsum, vel ætate seorsum, vel ætate, atque scientia simul.

In corpore. Prima conclusio. Beneficia maximè curata non sunt conferenda pueris ætate simul, atque scientia.

Secunda conclusio. Non sunt conferenda pueris scientia, licèt non ætate.

Tertia conclusio. Pueris ætate tantùm, sed scientia adulti conferuntur legitimè beneficia.

Prima conclusio, probatur. Beneficia illis sunt tantùm conferenda, qui sunt idonei ad seruiendum Ecclesiæ in illis beneficijs. Sed pueri scientia, & ætate non sunt idonei, igitur illis non sunt conferenda. Minor nota est. Maior est ex sacris can. excerpta, de præbendis. &c. & ex dictis D. Bernardi, &c.

Not. idipsum haberi à Soto de iustitia, & iure lib. 3. quæst. 6. art. 2.

Secunda conclusio, & tertia ex dictis D. Bernardi apertè colligitur in litera. Scribens ad Henricum Senonensem Episcopum.

Cæterum quicquid sit quantum spectat ad tertiam conclusionem, standum est determinationi Ecclesiæ. Quippè in Concilio Trident. determinata est ætas, vt ad minus recipiens beneficium sit ann. 14. & videre est sess. 23. cap. 6. de reform. Personatus verò sine cura, viginti duorum annorum, vt videre est cap. 12. de reform. sess. 24.

QVAESTIO XXXI.

Vtrum clerici teneantur ad exactiones, quas laici soluunt Ciuitatibus, & dominis temporalibus.

Arg. prim.



IRCA secundum arguitur, q clerici teneantur ad exactiones. quoniã clerici cum sint pars Ciuitatis tenentur ad illa per quæ melioratur Ciuitas in qua morãtur. per huiusmodi autẽ exactiones melioratur Ciuitas. ergo &c.

In oppos.

In contrarium sunt iura canonica.

Responsio.

Dicendum, quòd clerici aut sunt mercatores negotiantes cum laicis, sicut cæteri laici, aut non. Si primo modo, dico quòd de quæstibus, & negotiationibus suis tenentur ad exactiones publicas sicut laici, vt extra de vita & honestate clericorum capitulo vltimo. Ex literis Pontini Comitis intelleximus, quòd quidam clerici terræ suæ potius sæcularibus negotijs, quàm officijs diuinis intendunt, & gaudere volentes priuilegio clericali nolunt statutis patriæ in negotiationum suarum quæstibus subiacere. Mandamus quatinus si tales à te tertio moniti ab huiusmodi non resipuerint, sed negotiationibus institerint supradictis, cum facto abijciant priuilegium clericale, tu, quo minus cum his se implicant, de suis facultatibus statutis, & consuetudinibus patriæ subiaceant, non defendas.

De cęteris autem bonis suis tàm mobilibus, quàm immobilibus non tenentur, nisi sicut cæteri clerici, qui non se implicant his. de quibus super illud, Cum his se implicant. Glossa dicit: Quasi dicat, si non implicant se, priuilegio Ecclesiastico gaudebunt in rebus suis sicut in rebus Ecclesiæ, quia res clericorum, & Ecclesiarum eodem priuilegio gaudent. vt duodecima quæstione secunda Ecclesiarum.

De immobilibus tamen suis tenentur ad tributa debita sicut & laici. vndecima quæstione prima. Si tributum petit Imperator, agri Ecclesiæ soluãt. Vnde Augustinus super illud Psalm. Principes persecuti sunt me gratis. Quid enim Christiani læserunt regna terrena? Nunquid eorum rex milites suos prohibuit impendere, & exhibere, quæ debentur regibus terræ? Nonne de hoc sibi calumniantibus Iudæis dixit: Reddite Cæsari, quæ Cæsaris sunt, & Deo quæ Dei sunt? Nonne tributum de ore pisĉis & ipse persoluit? Nonne præcursor eius militibus regni huius quid facere deberent pro æterna salute quærentibus non ait: Cingulum soluite: arma proijcite: regem vestrum deserite, vt possitis Deo militare? Nonne vnus militum eius dixit Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit? & post ait. Ideò enim tributa præstatis. Ministri enim Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal. Vbi dicit Gloss. super illud. Præstatis. Ad ostendendum subiectionem quasi dicat, non redditis, quia reddent soluendo dum in defensione pugnant pro patria.

Secun-

Secundum iura autem ciuilia tenẽtur ad itinera construenda, & ad refectiones pontium etiam de suis, etsi non negotientur. & hoc maximè si propè itinera, & pontes hæreditatem habent. C. de sacrosanctis Ecclesijs. Ad instructiones. Dum tamẽ non habeant communes facultates, & sufficientes ad talia, nec fiant cõstructiones, & refectiones præterneceſſariæ, quia ad voluptuosas non tenentur. Sed ad exactiones extraordinarias non tenentur clerici, sicut nec Ecclesiæ. 16 quęstio. prima Generaliter. §. Nouarum collationum, & sordidorum munerum immunitatem acceperunt. Vnde Constantinus clericis scribit. Iuxta sanctionem, quam dudum meruisse perhibemini, fundos mancipia vestra nullis nouis collationibus obligabunt, sed vacatione gaudebitis. Et. c. Placet. Nil præter canonicam illationem, nisi quam aduentitiæ necessitatis sarcina repentina poposcerit eius functionibus ascribatur. Super illud, Sordidorum munerum. Glossa dicit. Vt calcis coquẽdæ arenæ fodiẽdæ. & appellatur hoc manus onus cum necessitate faciendi impositum. Super illud Nouis collationibus. Glossa. Extraordinarijs, uel superinductis repentino casu, quia nouas collationes nõ possunt laici ab ipsis petere propter aliquas necessitates, puta ad collectam, quæ fit pro communi vtilitate laicorum, dum non tangit clericos, videlicet pro debitis soluendis, pro libertatibus priuilegiorum, aut mercationum ipsorum laicorum. Quòd enim ad talia non tenentur, habent ex statutis Papę, & Imperatorum, vt patet ex dictis. Quæ non minus immunitatem Ecclesijs, & clericis modo conferunt cum ditati sunt, quàm hactenus conferebant cum pauperes erãt. Dicta enim statuta pro eis edita erant non in fauorem personarum, aspiciendo ad indigẽtiam eorum maiorem, vel minorem, sed solùmmodo aspiciendo ad dignitatem status, & ordinis. Quæ quia eodem modo manent, siue Ecclesiæ & clerici diuites sint, siue pauperes, propter hoc eodem modo vigorem habent ad ipsos defendendum à dictis exactionibus, quia manente causa statuti, & statutum. Vnde ad vnguem tenenda sunt huiusmodi statuta, & incurrit vitium, qui vult ea mutare, clericos astringendo ad prædictas exactiones pro eo, ꝙ iam ditati sunt, quia in hoc non seruaret, sed mutaret intentionem statuentis. Vnde nec habet in hoc casu locum epyeices, qui nihil habet facere, nisi quòd legem datam in generali applicat & specificat secundum particularia, sed non secundum quæcunque particularia, quia non secundum illa, quæ contrariantur intentioni Legislatoris, & causæ, propter quam legem edidit, sed solùm secundum illa in quibus ambo saluantur & roborantur. puta si lex sit neminem debere ascendere murum de nocte tempore belli, & hoc ne proderetur Ciuitas, legem istam non posset epyeices specificare secundum casum particularem per quem Ciuitas facilius prodi posset, quia hoc esset contra intentionem Legislatoris, & causam legis, sed solùm potest eam specificare secundum casum, per quem Ciuitas amplius cõtra proditionem muniretur, vt patet in casu, quem circa hanc legem exprimit Comment. 5. Ethicorum. Quia igitur causa edendi dicta statuta pro Ecclesijs & clericis erat dignitas, & ordo Ecclesiasticus & clericalis, quæ adhuc manent secundum casum particularem, per quem in aliquo derogatur dignitati, & ordini prędictis, nullo modo potest epyeices ea specificare. Talis autem est iste casus, quo aliqui volũt clericos de nouo astringere ad dictas exactiones. hoc in. multum eis derogat. Vnde dicta interpretatio valde est inconueniens, quia secundum ipsam de cætero Ecclesiæ eleemosynæ conferri non deberent, postquàm satis ditata est. Sed Episcopus tempore necessitatis cum charitate potest ab eis aliquid petere. Non ergo tenet lex quæ dicit, ꝙ clerici tenentur ad instructionem murorum. vt C. de sacrosanctis Ecclesijs. Ad instructiones. Sed pro expensis Principis factis pro Ecclesia in exercitu contra hostes Ecclesię, debent Ecclesię & clerici conferre sicut, & laici. Intelligo autem per hostes Ecclesiæ impugnatores fidei, aut contra iustitiam, regum, vel ciuitatum. Nec tamen tunc vt dicit Glossa super illud. Necessitatis. per laicos, sed per Episcopos petetur, vt extra. de immunitatibus Ecclesia. Non minus. Nec similiter in alijs casibus prædictis in quibus contribuere tenentur, nisi ꝙ fortè cogente necessitate, quę legem non habet in casu defensionis fidei, aut regni, aut Ciuitatis, ponere possent manus ad res ipsorum: si per Episcopum ad hoc compelli non possent.

Per dicta patent obiecta vtriusque partis.

Comment. in Quæstionem XXXI. quæ est,

Vtrum clerici teneantur ad exactiones, quas laici soluunt ciuitatibus, & dominis temporalibus.

TITVLVS satis clarus.
In corpore distinguendum est dupliciter de exactionibus. Primò in respectu ad ea, circa quæ fiunt exactiones. Secundò distinguendum in respectu ad casum, quo extraordinariè imponuntur, vt tamen hæc secunda diuisio potius sit subdiuisio. Quatuor verò conclusionibus satisfit quæsito. sic.

Exactiones clericorum, vel sunt circa

- *Res negotiatione acquisitas, & quæ quotidie acquiruntur.* — *Prima conclusio.* Tenetur ad exactiones, sicut & laici.
- *Res mobiles donatas vel alias, siue negotiatione habitas.* — *Secunda conclusio.* Non tenetur ad exactiones, sicut & laici.
- *Res donatas ecclesiæ immobiles, vt agros domus &c. et tunc sermo, aut est*
  - *De exactionibus debitis, & ordinarijs* — *Tertia conclusio.* Tenentur ad exactiones, sicut & laici.
  - *De exactionibus extraordinarijs* — *Quarta conclusio.* Non tenentur ad exactiones, sicut & laici.

Prima conclusio probatur ex Epist. decret. de vita, & honestate clericorum. Vt patet in litera.
Secunda conlusio. Patet ex glos. super illud cum his se implicant, vt patet in litera.
Tertia conclusio, patet ex verbis D. Augustini super illud. Principes persecuti, &c. vt patet in litera, & ex glos.
Quarta conclusio. pariter ex sacris Can. ex quibus plura narrantur in litera. ibi à 16 quæst. 1. Generaliter &c.
Not. q iura ciuilia non possunt re vera super iura canonica, & Ecclesiastica. Et ideò ex his, quæ pro conclusione habentur, recipitur quòd lex ciuilis habet. clericos teneri ad itinera construenda.
Not. q quoniam iura ciuilia id dicunt fieri à clericis iam ditatis, de æquitate, & si non de iure Ecclesiastico determinato, ideo contra Auctor dicit, quod epitices non potest specificare hunc casum. Est autem epitices Græcè, Latinè verò dicitur æquum, & iustum, vt propterea velit dicere Auctor, q æquitas non est, vbi fit contra intentionem legislatoris. Vnde si intentio, vt patet expressè, legislatricis Ecclesiæ est, vt clerici nunquã teneantur ad exactiones extraordinarias. epitices, scilicet æquitas ipsa non potest specificare hunc casum, quia intentio erat ordo, & dignitas Ecclesiastica, cui nolebat vnquam derogari. derogaretur autem in casu, & æquitas æquitati contraria esset.

QVAESTIO XXXII.

Vtrum per miraculum idem corpus possit esse in diuersis locis simul, & in eodem tempore.

SEQVITVR vnicum, & vltimum pertinens ad corporea, & inanima ta, vtrum per miraculũ idem corpus possit esse in diuersis locis simul, & in eodem tempore. Et arguitur q sic, quia vt videtur, non minus est possibile per miraculum diuersa corpora simul esse in eodem loco, q̃ idem in eodem tempore esse in diuersis locis, sed illud potest fieri per miraculum, & factum est, quando Christus natus est clauso virginis utero, & quando ad discipulos suos intrauit clausis ianuis ergo, &c.

Arg. prim. primum.

Præterea Corpus Christi uerum per miraculũ in sacramento altaris in eodem tempore sub diuersis dimensionibus habet esse in diuersis altaribus, & sic in diuersis locis, & hoc ex conuersione substantiæ in ipsum sub illis dimensionibus, sed per miraculum possunt dimensiones sacramenti conuerti in dimensiones Christi. erunt ergo uirtute conuersionis dimensiones Corporis Christi ubi erant dimensiones sacramenti. Sicut ergo substãtia Corporis Christi potest esse per conuersionem in eodem tempore sub diuersis dimensionibus in diuersis altaribus, sic & dimensiones Corporis Christi per conuersionem possunt esse in diuersis altaribus, ubi erant diuersæ dimensiones conuersæ in illas, sed non sunt dimensiones Corporis Christi, nisi ubi est uerum totum, & integrum Corpus Christi: ergo totum Corpus Christi simul potest esse per miraculum in diuersis locis. ergo, &c.

Secundum.

In oppositum est, quia tunc contradictoria essent simul; quod nec possibile est fieri per miraculum. Probatio consequentiæ est, quia dimensiones corporis cõnumerantur dimensionibus locis. Si ergo idem corpus esset in diuersis locis, esset unum & plura, & sic unum & non unum.

In oppositū.

Dicendum ad hoc, quòd licèt benè possit fieri aliquid circa rem aliquam à Deo per potentiam obedientię respectu Dei, quod impossibile est fieri circa illam à natura per potentiam ordinis naturæ respectu cuiuscunque agentis naturalis, quod tã repu-

Responsio.

repugnat simpliciter, & secũdum omnem potentiam naturæ rei, nullo modo à quocunque agente põt fieri circa illam, quia concurrerent contradictoria simul. s. posse fieri illud, & non posse fieri. Nunc autem quando aliquid quantum est ex potentia agentis indifferenter fieri posset secundum varios modos circa idē, si illud esset receptibile illius, si secundum vnum illorum modorum impossibile est fieri circa illud quod potest fieri, & simpliciter est impossibile fieri, & è conuerso, si secundum vnum illorum modorum possibile est fieri similiter, & secundum quemlibet aliorum. Verbi gratia, quia quantum est ex potentia agentis conuersionem panis in Corpus Christi indifferenter in vno loco, & in pluribus, similiter & in omnibus, idcircò in quotcunq; locis possibile est esse panē, virtute diuina possibile est ipsum conuerti in corpus Christi, & qua ratione in vno loco, & in pluribus, & etiam in omnibus, & vbique si panis esset vbique. & si panis non posset conuerti virtute diuina vbicunq; esset in Corpus Christi, nec similiter in vnico loco singulari existens posset conuerti in ipsum. Cum ergo quantum est ex parte Dei, cum sit virtutis infinitæ, ipse per miraculum posset facere, ꝙ idem corpus indifferēter esset in duobus locis, & ꝙ esset in tribus, & sic deinceps, & similiter vbique, & in omnibus, si ipsum corpus posset esse in illis locis, si ergo secundum vnum horum modorum impossibile est idem corpus per miraculum Deo agente esse in diuersis locis, & simpliciter & absolutè impossibile est per miraculum Deo agente esse in quotcunque diuersis locis, s. duobus, aut tribus, aut pluribus. sed impossibile est ꝙ per miraculum etiam Deo agente idem corpus sit simul in eodem tempore vbique, & in omnibus locis. hoc.n. est solius diuinitatis. Idcircò dico ꝙ simpliciter, & absolutè est impossibile idem corpus esse in diuersis locis simul, quia si esset possibile ꝙ in duobus, eadem ratione, ꝙ in tribus, & ꝙ in omnibus. Quod etiam declaratur ex inconuenientibus apertis, quæ sequuntur dictum istud, ꝙ si idem corpus æque corporaliter, & dimensionaliter esset in diuersis locis, aut quod ponitur existēs in vno, ponitur existens in alio, aut nequaquàm. Si primo modo: ergo si in vno loco esset gelu, in alio calor, simul haberet calorem & frigus. Similiter si in vno loco non inueniens quid comederet, esuriret, in alio autē inueniens comederet, & saturaretur, simul esuriret, & saturaretur, & in vno loco incurrens infirmitatem ex aeris intemperie, in alio verò conseruaret sanitatem propter temperiem, esset ergo simul sanus & æger, & si in vno loco occideretur, & in alio non, simul moreretur & non moreretur. Si secundo, eadem sequuntur inconuenientia, nisi quòd secundum primum modū contraria simul essent in eodem, & in eodem loco, secundum alium contraria essent simul in eodem, sed in vno loco vnū, in alio verò aliud. & sunt ista euidentiora inconuenientia circa idem corpus in diuersis locis dimensionaliter existens, quàm illa quæ aliqui quandoque concedebant de Corpore Christi existente in cruce dimensionaliter, & in pyxide sacramentaliter, videlicet quòd fuit in cruce passibilis, & mortalis, & quòd passus fuit vulnera, & mortuus ex eis, in pyxide verò impassibilis & immortalis nec mortuus, & ꝙ sm̃ hoc idē corpus moriebat, & non moriebatur, & erat mortuum, & nō mortuum, viuum & nō viuum in eodem instanti. Re vera omnia ista pro inconuenientibus Ecclesia habet & habuit hactenus. Secundum enim quòd dicit Guil. Altiss. post inductionem dictorū inconuenientium, quòd idem corpus numero viuit, & non viuit est impossibile, & contra intellectum. Propter hoc dicunt omnes magistri, quòd Dominus dedit discipulis suis corpus mortale, & passibile, & ista concedenda est, Corpus Christi moritur in pyxide, sed omnes illæ negandæ sunt, Christus crucifigitur in pyxide, lanceatur, aut vulneratur in pyxide, patitur in pyxide, & non valet hæc argumentatio, Corpus Christi moritur in cruce morte violenta: ergo violentia infertur ei in pyxide, quia sicut aliquid moritur per violentiam illatam alibi alteri, vt cor in homine aliquo moritur per violentiam illatam capiti eius, sic idem corpus moritur in pyxide per violentiam ei illatam in cruce, & hoc per separationem animæ à corpore vbicunque fuerit. & ideò sequitur, ꝙ moritur in cruce, aut mortuus est: ergo moritur, aut mortuus est in pyxide, non tamen sequitur si vulnerabatur in cruce, quòd vulnerabatur in pyxide, quia nec crux, nec crucifigentes erant in pyxide. & hoc quia licèt Christus erat in pyxide ui consecrationis secundum ueritatem essentiæ corporis, quod perfectum erat anima, non tamen dimensionaliter sub proprietatibus dimensionibus, quibus susceptibilis erit uiolentiæ. Propter quòd moriebatur in pyxide, quia anima separabatur ab eo quod ui sacramenti erat in pyxide, non autem uulnerabatur in pyxide, quia non recepit per se uiolentiam, nisi per id quod per solam concomitantiam erat in pyxide. & sic ista est per se uera, corpus in pyxide est mortuū, quia ibi est per se id cuius per se actus immediatè erat anima, non autem ista, corpus in pyxide habet uulnera, siue est uulneratum, quia ibi non est per se id quod per se immediatè, siue per quod per se, & immediatè recipiebantur uulnera, scilicet dimensiones. Vnde nunquàm concedimus circa idem contraria, aut affirmationem & negationem, non circa Corpus Christi ubicunque habet esse, nec circa aliud, & tamen uidetur quòd hic potius possent concedi, quàm ibi, propter diuersum modum essendi Corpus Christi in cruce, & in pyxide, & propter eundem modum existendi corpus idem secundum quæstionem in diuersis locis. Quare cum illa ex hoc inducta; quòd ibidem corporaliter per se dimensionaliter sit simul in diuersis locis simpliciter, sunt impossibilia simpliciter, dicendum quòd impossibile

est etiam per miraculum idem corpus esse dimensionaliter in diuersis locis, nec super hoc plus cadit potentia, quàm super facere duo contradictoria simul. & sic non posse hoc non est impotentię, sed conditio naturæ. Si quis verò arguat sic circa Corpus Christi, Corpus Christi vulnerabatur in cruce, & non vulnerabatur in pyxide: ergo idem corpus numero simul vulnerabatur, & non vulnerabatur: ergo similiter in proposito non est inconueniens, ꝙ circa idem corpus in diuersis locis existens secundum loca diuersa sunt contraria & contradictoria. Et est dicendum, ꝙ ista propositio, Corpus Christi non vulnerabatur in pyxide, & consimiles prædictæ duplices sunt, quia illa determinatio in pyxide potest determinare hoc verbũ existẽs subintellectum. vel ipsum verbum expressum, vt in proposito illud verbum vulnerabatur. & primo modo sunt omnes veræ sub tali sensu, Corpus Christi existens in pyxide vulnerabatur, distinctione facta post ly existens. Secundo modo sunt oẽs falsæ sub tali sensu, quod exiitit Corpus Christi vulnerabatur in pyxide. Licet.n.id idem corpus, quod erat in pyxide vulnerabatur, non tñ ut in pyxide existens uulnera recipiebat, sed tantũ ut existens in cruce. In utroque autem sensu illæ sunt ueræ, Corpus Christi moriebatur in pyxide, Corpus Christi mortuum erat in pyxide, & consimiles. Et quare hoc, patet ex iam dictis. Vnde si quis arguat sic, Corpus Christi non uulnerabatur in pyxide, & uulnerabatur in cruce: ergo idem numero uulnerabatur, & non uulnerabatur, non sequitur, quia non sequitur, non uulnerabatur in pyxide: ergo non uulnerabatur, quia non erat in pyxide, ut natus uulnerari ibi, quia non dimensionaliter, ut dictum est. Sicut non sequitur, filius Dei non est ubique secundum carnem: ergo non est ubique, quia secundum carnem non est natus ubique esse. immò est fallacia secundum quid & simpliciter. Sed sequeretur: corpus non uulnerabatur illa hora in cruce: ergo hora illa non uulnerabatur, quia ut erat in cruce natus erat uulnerari. Similiter in proposito, si idem corpus dimensionaliter, hoc est per se secundum suas proprias dimensiones esset in diuersis locis, quicquid est natũ agere uel pati in uno, & in alio. Consimiliter benè sequitur simpliciter, calescit in hoc loco existens: ergo calescit simpliciter, & similiter frigescit in alio loco existens: ergo frigescit simpliciter, & similiter sequitur simpliciter coniunctim: ergo calescit simpliciter & frigescit simul simpliciter. & directè, atque simpliciter sequitur, ꝙ contraria, & cõtradictoria possunt esse simul circa idem numero, si ponatur idem corpus dimensionaliter posse esse simul in locis diuersis, & non solùm circa ipsum, sed etiam in essentia, quia sequitur, ꝙ sit unũ ex hoc quòd commensuratur dimẽsionibus unius loci, & non unum, sed plura, quia commensuratur pluribus dimensionibus plurium locorum, & dimensiones corporis, sicut commensurantur secundum quantum, & continuum in dimensionibus loci, sic commensurantur eis secundum multum, & secũdum numerum. & cum hoc etiam si ponamus corpus glorioſum esse quod non commensuratur loco secundum quantum, & continuum, quia ut dictum est potest esse simul cum alio corpore absque eo, quòd sit in loco, nisi per illud, commensuratur tamen ei secundum situm, quem necessariò determinat ex eo, quod corpus est dimensionale. Ita quòd licèt corpus absolui possit à situ locali, qui est ubi, & esse absque contactu cum alio corpore, & non in loco, nisi per accidens, si illud esset in loco cum quo est, ut dictum est, non tamen potest absolui à situ determinationis, quo oportet ipsum esse ita hic, quòd nõ alibi, ut etiam corpus glorioſum, etsi ponatur non habere situm, ut in loco, nõ tamen potest esse sine situ determinationis, ut omninò non possit esse hic & alibi per determinationem diuersorum situum nisi sacramentaliter. Qđ intellexit Hugo: ubi loquens de corpore Christi existente sacramentaliter sub diuersis partibus speciorum sensibilium in sacramento, dixit de Sacramentis lib. 2. par. 8. cap. 11. Totum hic & totum ibi, nec minus in parte, q̃ in toto, nec minus in toto q̃ in parte. Quotcunque partes feceris in singulis totum est. Nec mireris: opus Dei est. Et infra. Non est mirum, si mirabilis mirabilia operatur. Quomodo (inquit) corpus unum in eodem tempore in diuersis locis potest esse, hic est, ibi est, & totum utrobique est, & in multis locis, similiter noli mirari. Et infra. Quia autem sic ipse fecit, ut corpus unum in uno loco esset, tu quod factum est uidisti, & nescis aliud, nisi quòd factum est, quod uidisti. Idcircò miraris quando aliud uides uel audis, q̃ uidere, uel audire consueuisti, &c. Et patet ex continuatione literæ, & secundum antecedentia, & secundum consequentia, quòd nõ loquitur de esse unius corporis in diuersis locis simul, nisi de esse Corporis Christi sacramentaliter sub diuersis speciebus sacramentalibus, & partium earum. Vnde mirum est, si aliquis ex ista litera uelit arguere idẽ corpus posse esse non sacramentaliter in diuersis locis, sic repugnante natura rei. Dicẽdum est simpliciter, quòd impossibile est idem corpus numero esse in diuersis locis, licèt hoc sit possibile sacramentaliter. In quo tamen modum possibilitatis comprehendere, est super naturalem intelligentiã nostram (credo) & Angelorum.

Ad primũ principale.

Ad primum in oppositum, quòd duo corpora possunt esse in eodem loco: ergo & idem est in diuersis. Dicendum, quòd non est simile, quia vt dictum est, in hoc obuiat contradictio circa idem numero, cuius altera pars non potest absolui à subiecto, & simul non possunt adesse, aut simul abesse. In illo verò non obuiat, nisi contraria dispositio ad esse simul cum alio, qua potest absolui. Et ideò illa absoluta nihil repugnat esse simul cũ alio. In corporibus enim nihil repugnat ipsa esse simul nisi dimensiones, sed hoc non propter essen-

tiam

tiam dimensionum, sed propter situm quem natę sunt habere in loco; qui est accidens dimensionū, sicut situs, qui est ordo earum inter se in toto est differentia essentialis illis. Propter illum enim situm, qui dicit ordinem ad locum, tangunt se corpora, & tenent se extra se, & sese penetrare non possunt. Et est illa dispositio imperfectionis in dimensionibus, & est præter essentiam dimensionum, sic, quòd licet dispositione quacunque naturali non sit separabile ab illis: est tamen separabile ab eisdem dispositione supernaturali, quę est dos subtilitatis, quæ est quædam naturalis potentia non resistendi, sic, quòd non resistit alicui, nec aliquid sibi, & sic est vis, qua corpus cui ineſt, illabi potest alteri, absque eo, quòd tangit ipsum resistendo. Vnde & tale corpus non habet esse per se in loco per continentiam inter latera corporis circundantis, sed solùmmodo per se determinat sibi situm in corpore, quod ipsum excedit puta in aere. Et si est simul cum corpore sibi æquali, quod per se est in loco, hoc corpus per accidēs est in eodem loco cum illo, & continetur inter latera continentis per accidens, quia latera illa non separat, nec distare facit, sed illa separat, & distare facit corpus aliud, cum quo est simul.

Ad secundum. Ad secundum, ꝙ si dimensiones panis converterentur in dimensiones corporis simul cum conversione substantiæ panis in substantiam corporis Christi, esset Christus dimensionaliter in diuersis locis, licèt nō visibiliter. Dicendum, quòd in Eucharistia duo sunt, & sacramentum, quod est ipsa visibilis species, & res sacramenti, quod est verum corpus Christi. Circa quod duo est considerare, & conuersionem factam in ipsum, & per conuersionem suum esse alicubi, vbi prius nón erat, absq; omni sua transmutatione. Et non posset secūdum esse sine primo. Nullo enim modo absque sui mutatione secundum locum posset corpus Christi verum esse alibi extra locum, in quo est in cœlo absque eo, quod aliqua conuersio facta sit in ipsum, nisi sui ipsius secundum locum mutatione, qua necesse haberet dimittere locum, quem tenet in cœlo, quia nec esset possibile ipsum dimensionaliter secundum proprias dimensiones esse simul in pluribus locis, sicut nec quodcunque aliud, vt dictum est, dicente August. Donec sæculum finiatur sursum est Dominus, sed cum hoc etiam nobiscū est veritas Dominus. Corpus enim in quo surrexit, vno loco oportet esse. Veritas autem eius vbique diffusa. Quod exponens Hugo in sententijs suis, dicit sic, Veritas, i. diuinitas, vel ipsum corpus vbicunque celebratur. Ideò dixi vbicunque celebratur, quia non est dicendum corpus Christi vbiq; esse, quod est solius diuinitatis. Licèt ergo secundum prædicta sacramentaliter posset esse vbique, si panis vbique in ipsum converteretur: tamē hoc proculdubio verum est, ꝙ non potest esse vbique ex esse corporis Christi in loco secūdum proprias dimensiones, quia qua ratione ex se non posset esse vbique ex esse corporis Christi in loco secundum proprias dimensiones, quia qua ratione ex se non posset esse in omnibus, nec in duobus, vt dictum est. Et sic vt iam dictum est, sicut hoc secundum quod scilicet corpus Christi non potest esse alicubi extra cœlum manens in cœlo absque primo, scilicet quòd aliquid conuertatur in ipsum, sic dicunt aliqui, quòd nec primum potest esse absq; secundo: ita scilicet quòd si ponantur simul & dimensiones & substantia panis conuerti in dimē siones & substantiam corporis Christi, ex conuersione corpus Christi necesse est esse vbi conuersio facta fuit, & panis definit esse panis. Quod etsi verum esset, non tamen ibi esset corpus Christi secundum rationem suarum dimensionum, siue dimensionaliter, de quali modo quęrit quæstio, an scilicet idem corpus possit esse in diuersis locis. Et ideò ex illo non potest probari hoc. Etenim etsi panis dimensiones converterētur in dimensiones corporis Christi absque conuersione substantiæ panis in substantiam corporis Christi, non tamen dimensiones corporis Christi essent in substantia panis dimensionaliter, quia tunc ipsam informarent, & extenderent, vt haberet partem extra partem sub partibus dimensionum Christi, sicut primò habuit sub dimensionibus proprijs, aut si non informarent substantiam panis, sed solùmmodo suam substantiam, quæ ibi est per concomitantiā, & esset substantia panis in simplici, & indiuisibili existens, quia vt dicitur primo Physic. si substantia sola est, neque magnitudinem habebit ullam: non enim posset habere partem absque dimēsionibus informantibus, nisi fortè speciali miraculo, adhuc non essent ibi dimensiones corporis Christi dimensionaliter, quia non essent ibi nisi ratione illius substantiæ manentis, quæ non est ibi dimensionaliter, quare & si totum in totum conuertitur multò minus erunt ibi dimensionaliter, quia quocunque modo ponatur ibi esse virtute conuersionis, hoc non potest poni dimēsionaliter. Vnde etsi aliqui dicunt, quòd propter conuersionem factā alicubi totum convertendo in totum dimensiones & substantiam, corpus esset vbi erat prius, quod conuertebatur puta in aere: non tamen erit ibi dimensionaliter plus, quàm modo est in sacramēto. Quod tamen nec poni potest, aut debet, quia cum corpus non ponitur esse alicubi extra cœlum manens in cœlo, nisi sacramentaliter, & nō habet esse sacramentaliter, nisi pp species visibiles, quæ sunt de ratione sacramenti: vnde & cum desinunt esse illæ species visibiles, definit ibi esse corpus Christi: si ergo totum cum dimensionib. & alijs accidentibus conuertatur, cum nō sit ibi manens aliqua species sacramentalis, nullo modo dicendum est corpus Christi esse vbi totum conuersum est in totum, & secundum substantiam, & secūdum accidentia, qm̄ non posset poni ibi esse, nisi sacramē taliter, qualiter sibi non est, qm̄ si non incipit esse sacramētaliter vbi species sunt nisi sub speciebus,

&

& desinit esse ibi desinentibus speciebus esse, secundum quod dicit Hugo lib. 2. par. 8. cap. 12. si in aliquo à similitudine recederet, verum sacramentum non esset. Et cap. 13. Si in aliquo similitudo deficeret illic proculdubio sacramentum non esset, nec vllo modo est sacramentum vbi species penitus non sunt.

Alio autem modo ibi esse poni nõ potest, quoniam si alio modo ibi esset, res ipsa, vt dicit Hugo in fine dicti cap. 13. proderetur, & manifestaretur euidenti miraculo, quod non contingit quandiu fides locum habet. Post hoc ergo si corporalem Christi præsentiam quæris, in cœlo quare. Ibi quere, vbi & prius fuit, quam per sacramentum suum corporaliter tecum esse inciperet, & vnde non discessit, quando ad te venit. Sic ergo etsi dimensiones panis fuerint ante conuersionem in aliquo loco aeris, nullo modo est dicendum, quòd post earum conuersionem cum substantia panis in corpus Christi, corpus Christi habet in illo loco aeris esse, quia non erat aliquid de intraneis panis, & ita non pertinet ad sacramentum. Præterea cum corpus Christi ibi non esset dimensionaliter, non impleret locum, quem prius impleuerunt dimensiones panis, & ita non maneret illa capacitas, sed in instanti conuersionis partes aeris citò concurrerent in vnum continuum, & desineret aer esse locus, qui prius, & sic per ipsum non maneret ibi corpus, sicut nec modo manet corruptis speciebus panis. Si ergo adhuc maneret, hoc non esset, nisi propter substantiam partium aeris, quæ immediatè prius tangebant dimensiones panis, & sic semper maneret ibi corpus Christi, quia semper manere possent in substantia illæ partes aeris. Quod omninò absurdum est dicere, & vt credo contra veritatem sacramenti, ita quòd si non sit sacramentum, quòd inconueniens sit dicere corpus Christi esse extra certum locũ, quem habet in cœlo.

Finitur Quodlibet. Nonum Magistri Henrici Goethals à Gandauo.

Comment. in Quæstionem XXXII. quæ est,

Vtrum per miraculum idem corpus possit esse in diuersis locis simul, & in eodem tempore.

TITVLVS satis clarus.
In corpore est distinctio bimembris, & duplex conclusio.
Distinctio est de corpore, quòd intelligitur esse in pluribus locis, vel dimensionaliter, vel sacramentaliter.
Prima conclusio. Idem corpus numero potest esse in pluribus locis simul sacramentaliter.
Secunda conclusio. Idem corpus simul dimensionaliter non potest esse in diuersis locis.
Prima conclusio patet de corpore Christi in sacramento altaris. Est enim Romæ, Parauij, Venetijs, simul & in infinitis propè ecclesijs. Modus tamen, quo taliter existit est incomprehensibilis etiam ab Angelis. Et ad hoc inducitur Hugo in litera.
Secunda conclusio probatur. Quoniam nulla potentia possunt de eodem contradictoria verificari. Sed corpus idem numero esse dimensionaliter in pluribus locis implicat contradictoria, igitur à nulla potentia fieri potest.
Not. quòd communis est hæc sententia, quòd contradictoria verificari de eodem fieri non potest etiam à potentia diuina. Et de hoc non est difficultas, sed vtique est circa hoc. quòd corpus esse in diuersis locis implicet; id autem ostenditur pluribus inconuenientibus; quæ ex tali positione sequerentur, & ex reiectione aliarum rationum. Sequeretur enim quòd idem corpus occideretur, & non occideretur, vt Romæ occideretur, Venetijs non, &c. In deserto esuriret, in ciuitate nequaquam, quia ibi nihil haberet, quod manducaret, hic verò facilè inuenire posset. Et alia permulta huiusmodi acciderent contradictionem dicentia, quæ examinando quisque potest colligere.
Principalis verò ratio ad hoc est talis. Quando aliquid, quantum est de potentia agentis, indifferenter fieri posset secundũ varios modos, si idem esset receptibile illius secundum verum modum, possibile esset fieri secundum quencunque modum. Ex parte autem agentis, cum sit infinitæ potentiæ, est æqualis possibilitas, vt vnum corpus fiat simul in pluribus locis, secundum quencunque modum pluralitatis, sed impossibile est, quod Deo agente idem corpus sit vbique; ergo simpliciter impossibile est, quòd idem corpus fiat simul in diuersis locis. Probatur minor, quia posse esse vbique simul est solius Dei proprium.
Et not. quòd eadem sententia est D. Thomæ in 4. Sent. dist. 10. quæst. 1. art. 1. & alij plures cum tota prorsus Philosophorum scola.
Contra autem præsertim est Scotus, atque Richardus, quærentes probare, quomodo per potentiam diuinam corpus vnum possit esse simul in diuersis locis.
Primò itaque arguit Scotus 4. Sentent. dist. 10. quæst. 2. Idem corpus simul in diuersis locis non est nisi ponere in eo plures respectus extrinsecos, scilicet diuersa vbi. ergo plures respectus extrinseci possunt fundari in eodem. Minor patet. Maior probatur primò, plures respectus extrinseci possunt esse simul in eodem fundamento, vt puta plures similitudines super eadem qualitate; ergo & plures respectus extrinseci. Secundò non est necesse multiplicato posteriori, quod multiplicetur prius, sed subsunt posteriora suo fundamento, ergo possunt multiplicari ipsa vbi, stante eodem fundamento.
Secundò arguit. Duo corpora possunt esse simul in eodem loco, ergo, & idem corpus potest esse simul in diuersis locis. Tenet consequentia, quia tanta est repugnantia hic & ibi.
Not. q & hoc argumento vtitur Richardus in 4. Sentent. dist. 10. quæst. 2. art. 2.
Tertiò idem Scotus arguit. Angelus potest esse simul in pluribus locis diffinitiuè, ergo idem corpus localiter. Consequentia tenet, quia similis est imitatio hic & ibi. Antecedens probatur. Substantia panis potest conuerti in Angelum, ergo Angelus erit super speciebus panis, & vbi non est.
Præterea arguit multipliciter Richardus, sed quoniam, vt videre est, nil aliud sua argumenta, nisi de esse sacramentaliter, & auctoritas Hugonis inducta est completè ab Auctore, & cognitum q loquitur de esse sacramentaliter, absolutè respondemus argumentis inductis.
Ad primum dicimus. Quòd corpus quatenus est in loco dicitur in loco quatenus locatum est. Quod autem esse locatum in loco sit ponere extrinsecum respectum. negatur, si quidem locatum cum realiter referatur ad locum, totum esse locati consistit in esse loci, & è contra, quod manifestè dicere videtur Philosophus in 4. Physic. si ergo ponatur idem corpus esse in pluribus locis, quoniam non est in loco, nisi quia locatum, illud sequatur oportet, vt vnum sit locatum idem corpus, vel plura. Hoc secundum videtur impossibile, quod plurificetur fundamentum, scilicet corpus. si primum, quoniam vnius locati vnus est locus, necesse est, vt corpus non possit esse nisi in vnico loco eodẽ tempore. Esto igitur, q sit extrinsecus respectus corpori, vt corpus est, non est tamen quatenus locatum est, & in loco est, quia respectus respicit locatum, q ad multiplicationem loci necessariò multiplicatur, quippè locati respectus intrinsecus est, non extrinsecus.
Ad secundum, quòd etiam est Richardi, respondet ipse Auctor in litera; est enim primum argumentum, quòd facit in fronte quæstionis. Respondet insuper D. Thomas super Boetium de Trinit. quæst. 4. art. 4. vide Capreolum, & Soncinatem. quæst. 2. super 10. quarti, qui & ipsi respondent.
Ad tertium. Negatur antecedens. Ratio est, quoniam si esset in pluribus locis Angelus, iam vanum esset ei diffinire locum: sed ideò diffinitur illi locus, vnde dicitur diffinitiuè in loco esse. Ad probationem autem negatur subsumenda minor. si quidem, quando Angelus esset vbi passis, non diceretur esse ibi diffinitiuè, sicut neque Christus dicitur esse diffinitiuè in speciebus panis, sed vtique sacramentaliter.
Quantum verò spectat ad responsiones ad inconuenientia nihil dicere volumus, quoniam videntur omnia fundari super aliquod falsò imaginatum. Et hæc considera diligenter, & videbis quòd in his non est tempus conterendum.

Explicit Quodlib. Nonum ad laudem Dei, & B. Virg.

MAGISTRI

MAGISTRI HENRICI AGANDAVO

DOCTORIS CELEBERRIMI

QVAESTIONES QVODLIBETALES

Cum Commentarijs, seu Adnotationibus R.P.D. Vitalis Zuccolij Abbatis Ordinis Camaldulensis Theologi Clarissimi.

Quodlibet. Decimum continens Quæstiones decem & septem.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum sit error dicere, quòd verè pœnitens, & confessus ritè absolutus ab eo, qui potest eum absoluere de gratia & ex priuilegio speciali, teneatur eadem peccata iam illi confessa iteratò confiteri illi, cui tenetur confiteri de iure communi ex illo statuto generali extra de pœn. omnis vtriusque sexus.

IN nostra disputatione generali Decima proponebantur quæstiones decẽ, & septem. Quarum quędam erant de pertinentibus ad sacra: quędã verò de pertinentibus ad non sacra. Quędam verò pertinebant ad sacramentum pœnitentiæ: quædam verò ad sancta corpora Christi, & beatorum.

Circa primum istorũ proponebantur quatuor. Quorum primum pertinet ad actum confitendi: vtrum scilicet error sit dicere, quòd verè pœnitẽs, & confessus ritè absolutus ab eo, qui potest eũ absoluere de gratia, & ex priuilegio speciali, teneatur eadem peccata iam illi confessa iterato confiteri illi, cui tenetur confiteri de iure communi ex illo statuto generali extra de pœn. & re. Omnis vtriusque sexus. Secundum verò pertinet ad auctoritatem commissam audienti confessionem de gratia, & ex priuilegio. Vtrum scilicet ex cõmissione generali, qua conceditur aliquibus ex priuilegio, & de gratia posse audire confessiones, & absoluere à peccatis simpliciter, concedatur potestas absoluendi à maioribus criminibus reseruatis Episcopis.

Tertium erat de pœnis infligendis non confitentibus illis, quibus tenentur confiteri de iure cõmuni ex statuto generali, vtrum scilicet adultos, qui ad annos discretionis peruenerunt non cõfessos semel in anno omnia peccata sua proprio sacerdoti, aliàs eidem non confessa, debeant ipsi prælati ecclesiarum viuẽtes ab ingressu ecclesiæ arcere, & morientes priuare ecclesiastica sepultura, prout dicit statutum illud generale prædictum. Omnis vtriusque sexus. Quartum autem fuit de electione confessorum à pœnitentibus, vtrum scilicet expediat subditis eligere sibi confessores communiter, & regulariter pro voluntate sua.

Circa

Circa primum arguitur, quòd error sit dicere verè pœnitentem, & confessum absolutum ritè ab eo, qui potest eum absoluere, etsi non nisi de gratia, & priuilegio, teneri eadem peccata iam illi cõfessa iteratò confiteri ei, cui tenetur confiteri de iure communi virtute illius statuti. Omnis vtriusq; sexus.

Arg. prim. primum. Primò sic. Erroneum est dicere, quòd sacramentum quodcunque super eandem materiam secundum rem, & eodem modo se habentem, de necessitate debeat iterari, quia hoc multum derogaret virtuti sacramenti, & poneret ipsum esse infirmum: non enim iteratò adhiberetur nisi semel adhibitum non sufficeret ad explendum effectum sacramenti. Quare cum pœnitentia quo ad partes eius, quæ sunt contritio, confessio, & satisfactio, sit verè sacramentum nouæ legis, & sacramenta nouæ legis non sunt infirma, & egena elementa, sicut secundum Apostolum Gal. 4. erant sacramenta veteris legis: erroneum ergo est dicere, ꝙ pœnitẽtia quo ad confessionem circa eundem confitentẽ & absolutum manentem in eodem statu sine peccato, post primam absolutionẽ vllo modo debeat iterari. Est ergo error dicere verè pœnitẽtem &c.

Confirmatio. Confirmatur autem ista ratio per hoc, ꝙ ſm̃ beatum Hieronymium, Pœnitentia est secunda tabula post naufragium. & ita quasi secũdus baptismus. Sicut ergo error est dicere baptismum vllo modo debere iterari, sic error est dicere pœnitentiam, quo ad confessionem debere iterari de peccatis eisdem.

Secundum Secundò sic. Sicut statutum est, ꝙ subditi saltẽ semel in anno confiteantur omnia peccata sua proprio sacerdoti, ibi. Omnis vtriusque sexus; sic statutum est ibidem, ꝙ suscipiant ad minus in Paschã Eucharistiæ sacramentum, nisi de consilio proprij sacerdotis duxerint abstinendum. & intelligitur illa susceptio à proprio sacerdote. Sed non obstante illo statuto generali, si quis Eucharistiam in die Paschæ suscipiat ab alio, q̃ proprio sacerdote, etiã sine priuilegio, quare &c maximè ex priuilegio, non tenetur adhuc ipsam suscipere iterato tempore eodem à suo proprio sacerdote. hoc enim non permitteret Ecclesiastica consuetudo, ꝙ semel cõmunicatus ab vno, eodem die, &c quasi continuè postea communicaretur ab alio. ergo &c.

Confirmatio. Confirmatur autem ista ratio per hoc, ꝙ si ex statuto generali ordinetur, ꝙ nullus de aliqua parochia baptizet quẽquam, nisi proprius sacerdos, & aliquem illorum de Parochia baptizet alius, siue ex gratia priuilegij, siue contra statutum directè, non est ille iterum à suo proprio sacerdote baptizandus. ergo &c.

Tertium. Tertiò sic. dicere aliquid ex quo schisma in Ecclesia oritur, erroneum est. tale autem est dicere verè pœnitentem &c. quia præcipui viri dicunt, ꝙ non tenetur, vt quidam religiosi, alijs contradicentibus, vt quibusdam Episcopis. ergo &c.

Quartum. Quartò sic. omnia sacramenta nouæ legis efficatiam habẽt à solo Christo instituente ea, nequaquàm autem ab aliquo instituente humano. Quãtuncunque ergo ab homine instituatur, ꝙ sacramentum aliquod à proprio sacerdote administretur, si tamen ab alio, qui potest ipsum administrare administretur: efficatiam habet suam perfectã, & nullam efficatiam apponit iterata administratio propter hominis generale statutum. Sed nulla potest esse cessio ad sacramenti alicuius iterationem, nisi iteratio apponat aliquid efficaciæ. ergo &c.

Quintum. Quintò sic. ad confitendum peccatum quod nõ est, nemo potest obligari, quia generale statutum. Omnis vtriusque sexus. neminem obligat ad confitendum aliud, quàm peccata sua, quæ. s. habet in conscientia. Cum igitur peccata, de quibus homo verè pœnitens est, & ritè confessus & absolutus ab eo, qui potest eum absoluere, non sunt, sed iam deleta sunt. ergo &c.

Sextum. Sextò sic. Princeps habet omnia iura in scrinio pectoris sui. C. de testam. Omnem. quare cum aliquibus concedit liberam potestatem audiendi cõfessiones, & absoluendi illos, qui in hoc alijs erãt obligati, hoc sciens & prudens contra ius alterius facit. Sed sciens & prudens ius quod debetur vni non confert alteri, nisi hoc auferat ab illo cui debeatur prime. ergo &c.

In oppositum Contra. non est erroneum dicere, ꝙ aliquis teneatur ex præcepto Papæ ad illud, quod est per se licitum. sed per se licitum est, ꝙ confessus vni, eadẽ liberè, vel ex proprio voto confiteatur alteri. ergo &c.

Responsio ad Quæst. generaliter. Dicendum ad hoc, ꝙ ista quæstio particularis est & formata in casu particulari, sed alia consimilis posset formari magis generalis, quæ talis est: vtrum. s. error sit dicere, ꝙ verè pœnitens & confessus, & ritè absolutus ab eo, qui potest eum absoluere teneatur eadem peccata alteri confiteri. Quã quæstionem secundam quidam religiosi, quibus concessum fuit in priuilegio à fœlicis recordationis Martino Papa, ꝙ plenam haberent potestatem audiendi confessiones, & absoluendi confitentes eisdem, determinantes apud se in partem affirmatiuam, transformauerunt eam in propositionẽ affirmatiuam talem, ꝙ verè pœnitens & confessus ritè absolutus ab eo qui potest, teneatur eadẽ peccata alteri confiteri, error est. Et re vera talis propositio, quia est propositio iuris vniuersalis, & legis positiuę: vera debet iudicari prima fronte, prout regulariter, & in pluribus habet veritatẽ, quia regulariter & in pluribus hactenus confessis vera est.

Responsio ad q. propositum. Quæstio autem iam proposita in casu particulari magis particularis est, & potest à determinantibus eam in partem negatiuam, transformari in propositionem negatiuam, dictæ propositioni affirmatiuę quodammodo oppositam talem, ꝙ verè pœnitens & confessus ritè absolutus ab eo, qui potest de gratia, & ex priuilegio speciali, nõ tenea-

tur ea-

tur eadem peccata alteri confiteri, cui de iure communi tenetur cõfiteri ex illo ſtatuto, Omnis vtriuſque ſexus. error eſt. immò ꝙ teneatur error nõ eſt. De propoſita igitur quæſtione inueſtigandũ quid ſentiendum ſit, & ſimiliter de propoſitione ex illa transformata. Dico ergo ad quæſtionem hanc ſine præiudicio, & ſub proteſtatione facta aliàs in quæſtione quadam alia mota ſuper dicto priuilegio in quodam alio noſtro Quolibet. Dico igitur præhabita dicta proteſtatione ad quæſtionem, ꝙ aliud eſt teneri eadem peccata ſemel confeſſa iterum confiteri ex aliquo ſtatuto de pluribus vel pluries confitendo eadem peccata, & aliud eſt teneri eadem peccata vni confeſſa ex gratia, ſiue priuilegio ſpeciali, alteri confiteri ex ſtatuto generali de confitendo vni. Si enim ſecundum primum modum formetur quæſtio, vtrum ſcilicet error ſit dicere, ꝙ aliquis teneatur directè eadem peccata pluries vel pluribus confiteri ex ſtatuto generali vel præcepto, hoc non eſt aliud quærere, q̃ quærere, an hoc poſſit ſtatui. Et dicunt aliqui ꝙ non: quia pluribus vel pluries eadem peccata confiteri, eſt in conſilio tantùm, & quæ ſunt conſilij non cadunt ſub præcepto. Sed ratio hæc non valet, quãtuncunque enim aliquid ſit in conſilio, tñ quantum eſt ex ſe, ꝙ natura ſua ſi cauſa ſubſit, ſiue ratio benè poteſt cadere ſub præcepto. Continere enim & non nubere de cætero, quantum eſt ex ſe in cõſilio eſt, ex cauſa tamen benè cadit ſub præcepto. ſecundum quod contra occiſores vxorum ſuarum ſtatutum eſt in pœnam. 33. quæſt. 2. cap. Amouere. quòd de cætero non ducant vxores, nec ducere poſſunt. & ſecũdum quòd ex cauſa virgini profeſſæ poſſet præcipere Papa, vt nuberet. Dico igitur quòd ſi cauſa rationabilis ſubſit, quòd ſtatui poſſit pluribus vel pluries eadem peccata eſſe confitenda, & ita quòd ad hoc aliquis directè teneretur. Nec hoc in aliquo repugnat virtuti, & efficaciæ ſacramenti pœnitentiæ. Si enim ex natura ſacramẽti pœnitentiæ repugnaret ei iteratio circa eadem peccata confitenda, tunc ex deuotione, & libera voluntate, vt quis citius veniam conſequatur, nullo modo eſſet licitum pluries vel pluribus confiteri eadem peccata, vel ſemetipſum ex voto obligare ad hoc, ſicut nec iterum baptizari. cuius contrariũ declarauimus in alio Quolibet. & tenet conſuetudo Eccleſiæ. Verumtamen ſciendum quòd ſtatuẽs pluribus, vel pluries eadem peccata eſſe confitenda, hoc poteſt ſtatuere ex duplici intentione, ſiue cauſa, aut ratione. Vno modo intendendo hoc ſtatuere propter cauſam, ſeu rationem acceptam ex parte ipſius ſacramenti, ſcilicet propter infirmitatem ſacramenti, & debilitatem, quaſi. ſ. ſit elemẽtum infirmum, & debile ad effectum ſuum principalem cauſandum in pœnitente, niſi pluries, vel à pluribus adminiſtretur. ſuper quo formata eſt prima ratio propoſita. Alio modo intendendo hoc ſtatuere propter cauſam, ſeu rationem acceptam ex parte ipſius peccati, ſ. in deteſtationem eius, & in pœnam committentis ipſum, atque in cautelam cauendi ipſum. Primo modo dico, quòd illud ſtatui non poteſt, & eſt error dicere quòd ex illa cauſa aliquis teneatur eadem peccata pluries vel pluribus confiteri. Secundo autem modo videtur mihi, quòd benè poſſit ſtatui, & non eſt error dicere, quòd ex huiuſmodi ſtatuto aliquis teneatur directè eadem peccata pluries vel pluribus confiteri, puta quòd in deteſtationem vitij Sodomiæ, & vt fortius arceantur homines ab hoc crimine, ſtatuatur generali ſtatuto, quòd quicunque committat vitium Sodomiticum, pluries ſiue pluribus teneatur idem vitium confiteri. Si verò ſecundum modum ſecundum formetur quæſtio, vtrum. ſ. error ſit dicere, quòd aliquis teneatur eadem peccata pluries vel pluribus confiteri, ſemel vni ex gratia, & priuilegio: alteri verò ex ſtatuto & præcepto, vt directè non teneatur confiteri ea, niſi vni & ſemel, ſuper hoc mota eſt quæſtio propoſita. Et videtur mihi eſſe diſtinguendum, quia huiuſmodi ſtatutũ ſiue præceptum, aut eſt præcedens confeſſionem factam ex gratia & priuilegio, aut eſt ſequens eam. Si verò intelligatur præceptum ſequi confeſſionẽ factam vni ex gratia & priuilegio: Dico, quòd ibi non habet locum generale ſtatutum, quia eſſet cõtra ſæculares perſonas, etſi præceptum ſit. Sed dicunt aliqui, quòd nec ab aliquo ſuperiori poſſet præcipi ſimpliciter ſine ſtatuto talibus ſic confeſſis & abſolutis, quòd eadem iteratò alteri confiterentur, immò quòd hoc non pertinet, niſi ad conſiliũ, & liberam voluntatem. Quod verum eſt ſimpliciter, & abſolutè loquendo, & non apparente cauſa rationabili propter, quàm tale quid præcipiendũ ſit. Veruntamen ſi cauſa rationabilis præcipiendi hoc occurrat, vt mihi videtur benè poteſt præcipi, vt ſcilicet confeſſus uni & abſolutus ab eo, iteratò teneatur eadem confiteri alteri, & ab ipſo abſolui. puta ſi confeſſor primus percipiat, quòd confeſſo, & abſoluto non ſit utilior ſatisfactio iniungenda, q̃ iterata confeſſio eorundem peccatorum. In hoc enim caſu poteſt, & debet illi precipere iteratam confeſſionem eorundem peccatorum. Secundum enim quòd dicitur in ſtatuto illo, Omnis vtriuſque ſexus. Sacerdos autem ſit diſcretus, & cautus, & more prudẽtis medici ſuperinfundat uinum & oleum uulneribus ſauciati, diligenter inquirens de peccatis, & de peccati circunſtantijs, quibus prudenter intelligat quale ei debeat conſilium, & cuiuſmodi remedium adhibere, diuerſis experimentis utendo ad ſanandum ægrotum. Vnde ſi intelligat iteratam confeſſionem propter maiorem uerecũdiam uel aliquid aliud confeſſo eſſe magis medicinalem, illam poterit ei in ſatisfactionem precipere & iniungere, & ille humiliter debet ſuſcipere, quia de confeſſo dicitur ibidem. Iniunctam ſibi pœnitentiam pro uiribus ſtudeat implere. Licèt enim iterare confeſſionem ſicut ieiunare, & peregrinari ſimpliciter conſilij ſunt non præcepti, ex cauſa tamen, & in pœnam ſatisfactoriã

pro

pro peccato iam confesso benè potest quodlibet eorum secundum arbitrium confessoris præcipi, & sic cadere sub præcepto in hoc casu. Si autem præceptum siue statutum intelligatur præcedere confessionem factam vni ex gratia priuilegij, in hoc casu proposita est quæstio referendo intentũ ad priuilegium domini Martini concessum quibusdam religiosis de confessionibus audiendis. Dominus enim Innocentius Papa. III. primo statuit generaliter & præcepit in generali concilio contento in Omnis vtriusque sexus. in quo erat præceptum, & statutum, vt generale ius & commune, ꝙ saltem semel in anno confitendum esset à quolibet vni omnia peccata sua, & dimisit in libera voluntate confitentis confiteri eadem peccata pluries suo proprio sacerdoti, vel habenti potestatem de illius consensu, si vellet, & non confitendi iterum eadem nec pluries nec pluribus si nolleт. Sed quia non vacabat sacerdotibus curatis audire confessionem pluries de eisdem peccatis, nec erat alicui concessa potestas audiendi cõfessiones subditorum curatis sine illorum consensu, quem sæpius subditi volentes pluries confiteri non potuerunt de facili impetrare, idcircò (vt puto) nõ tàm in fauorem religiosorum, quàm confitentium eis, concessit postmodum religiosis Dominus Papa Martinus plenam potestatem audiendi confessiones, & absoluendi, & iniungendi pœnitentias salutares quibuscunque qui vellent ad eos accedere, neminem cogẽdo per præceptum aut statutum ad confitendum illis, sed hoc in libera voluntate quorumlibet relinquendo. Et sic statutum illud generale, Omnis vtriusque sexus. non est de iterãdo confessionem eorundem peccatorum directè & per se, etsi indirectè, & per accidens, si pœnitẽs scilicet prius confiteatur religioso priuilegiato, quàm suo sacerdoti. Sed sic intelligendo statutum generale præcessisse, & priuilegium domini Martini subsecutum fuisse, ad dissolutionem quæstionis restat inuestigare, an per illud priuilegium subtrahitur vel suspenditur obligatio illius statuti generalis, vt scilicet confitentes dictis religiosis à debito contento in dicto statuto de confitendo proprio sacerdoti semel in anno omnia peccata sua, sint absoluti, an non: sed æquè manet ipsum debitum ex statuto, siue obligatio cum priuilegio prædicto & sine eo. Quia si primo modo, sic in rei veritate error esset dicere, ꝙ confessi dictis religiosis teneantur eadem peccata iterum confiteri suis proprijs sacerdotibus.

Si verò secũdo modo, sic proculdubio error est dicere, ꝙ confessi dictis religiosis non teneantur eadem peccata confiteri suis proprijs sacerdotibus, quia confessi illis religiosis non minus manent obligati ad confitendũ peccata illis confessa suis proprijs sacerdotibus, quàm erant prius quãdo ea illis non erant confessa. Et tenent dicti religiosi, ꝙ per eorum priuilegium infringitur circa confitentes sibi debitum, seu obligatio illius statuti generalis, Omnis vtriusque sexus. quantum ad hoc, ꝙ confessa eis non oportet iterum sacerdotibus parochialibus cõfiteri, dicentes, ꝙ hoc clarum est eis, nec dubitant in eo, & ꝙ nemo de hoc debet dubitare, nec moueri debet aliquis propter illos, qui dicunt contrarium, prælatos scilicet & alios, qui tenẽt ꝙ per illud priuilegium nullo modo infringitur obligatio contenta in illo statuto generali. Sed quæro quomodo hoc est eis clarum, & certum, an ex forma verborum priuilegij, an ex assecuratione verborum, quàm habent super hoc à domino Papa.

Si primò modo, hoc dicere pſonis literatis valde mirabile est, cum non sit aliquis ita simplex, dũ tamen grammaticæ nouerit literas, quin ei viso ordine verborum sicut iacent in priuilegio, statim prima facie appareat, ꝙ dictum statutum generale per priuilegium non tollitur nec infringitur in aliquo, immò confirmatur, & conseruatur. Non infringitur, quia per nullum priuilegium infringitur ius commune, nisi in priuilegio exprimatur clausula de non obstante eo, quòd est contentum in iure communi. Nisi fortè tale quid per priuilegium concedatur aliquibus, quod nõ possunt simul obtinere illi, quibus debebatur de iure communi, puta si sacerdotes parochiales debent de iure communi percipere decimas noualium prouenientiũ in suis parochijs, & quibusdam religiosis conceditur, ꝙ percipiant noualia vbi percipiunt vetera, maximè de terris quas proprijs manibus excolunt, per tale priuilegium benè infringitur debitum ex iure communi. Non sic autem contingit in proposito, quia stant simul, ꝙ eadem peccata, quæ confitentur prius religiosis ex gratia, iteratò confiteantur proprijs sacerdotibus ex debito. Vnde dicunt alij, quòd etsi non adderetur illa clausula: Volumus autem, quòd ij, qui fratribus confitebuntur eisdem suis parochialibus sacerdotibus cõfiteri saltem semel in anno prout generale concilium statuit nihilominus teneantur, tamen nullo modo illud priuilegium derogaret statuto generali.

Et hoc ideò, quia illud priuilegium, quo ad audiendum confessiones subditorum inuitis prælatis, præiudiciale est prælatis. & priuilegium datum in præiudicium aliorum, strictè est interpretandum. vt extra de decimis. cap. 1. Tua. quod notatur de vsu pallij in prima glos. Quod autem in præiudicium prælatorum sit dictum priuilegium, patet ex hoc, ꝙ per ipsum religiosi dantur in coadiutores curatis ipsis inuitis, & volentibus exercere suum officium in propria persona, quod multùm est eis præiudiciale. licèt esset in fauorem pro quanto non sufficerent audire plurios confessiones suorum subditorum. & pro tanto largè esset interpretandum, secundum quòd largè interpretatur priuilegium illud prælato-

rum de eligendo sibi confessores. extra de pœni. & rem. Ne pro dilatione. In hoc. s. ꝙ licèt aliqñ contenti erant sub prima clausula illius statuti, Omnis vtriusq; sexus, vt infra videbitur in quarta quæstione, tñ propter illud eorum priuilegium, q̃ uis in eo non exprimatur, non obstante illa clausula, eo ꝙ est in fauorem prælatorum datum, quia non possunt semper illis esse præsentes ad eorum confessiones audiendas, largè est interpretãdum, ꝙ. s. nõ oportet eos reuerti ad suos superiores propter eadem confitenda, & sic derogat iuri communi, Omnis vtriusq; sexus, quia nõ est ibi clausula illa, Volumus autem. quæ ipsum saluaret. Sed quicquid sit de hoc luce clarius est, ꝙ per hanc clausulam. Volumus, autem, statutum illud confirmatur & in suo robore conseruatur. Vnde & ad istud debitum soluendũ suis proprijs sacerdotibus, præcepit dñs Martinus in fine priuilegij dictis religiosis ꝙ confessos sibi ad hoc exhortarentur. Qualiter autem dicta clausula non potest infringi per alias, quin quantum est de plano literæ conseruet illud generale statutum, de hoc satis disputatum est in alio Quolibet. Si verò dicant dicti religiosi, ꝙ clarum, & certum est eis priuilegium ex assecuratione, quã habent à Dño Papa: E contra dicunt prælati, ꝙ multò magis assecurati sunt ab eodem, Sed cum series literę oĩnò, vt apparet prima facie pro intentione prælatorum est, de quo nostrum nõ est iudicare, nisi quatenus per literam exprimitur, vt mihi videtur, magis certi debent esse de intentione sua circa intellectum dicti priuilegij, q̃ ipsi religiosi, nec ducere intellectum eius in dubium. Sed dices, ꝙ nullo modo obstat priuilegium quin confessi religiosis eadem debeãt confiteri iterum suis sacerdotibus, quo ad hoc enim licèt prælatis iudicare de priuilegio. Vnde extra de iudic. Cum venissent. super illud. Cum super priuilegijs Sedis Apostolicæ causa vertitur, nolumus de ipsis per alios iudicari: dicit Glos. Sed nunquid incidenter potest alius cognoscere, q̃ Papa, & subdit respondendõ. Si verba sunt manifesta, iudex potest dicere, nõ obstat priuilegium, extra de fide instrum. Accepimus. Hoc autem habet locum cum verba priuilegij obscura sunt & ambigua, tunc eius est interpretari cuius est condere. Est etiam absq; dubio intentio prælatorum magis tuta, quia nullum est periculum: immò est proficuum semel confessum vni in bona deuotione confiteri alteri, magnũ autem esset periculum animarum cõfessa religiosis non confiteri iteratò suo proprio sacerdoti, si fortè priuilegium non infringeret ius commune generalis statuti. Sic ergo dico, ꝙ cum veritate regulari illius propositionis vniuersalis, quæ est legis positiuæ, ꝙ verè pœnitens confessus, & absolutus ritè ab eo, qui potest, teneatur eadem peccata alteri confiteri, error est, simul stat veritas illius propositionis negatiuæ particularis oppositæ, quę est legis directiua, ꝙ verè pœnitens & confessus ritè absolutus ab eo, qui potest ex gratia priuilegij, non teneatur eadem peccata cõfiteri alteri, cui tenetur confiteri de iure communi, quod non reuocatur, sed saluatur in priuilegio, error est. immò dicere, ꝙ teneatur non est error, sunt enim simul veræ, sicut & istæ duæ. Omni depositori gladius suus reddendus est. Depositori facto furibundo gladius suus non est reddendus. Vnde mirum est, ꝙ secundum ꝙ dicitur, aliqui religiosi propter regularem veritatem illius propositionis vniuersalis volunt falsificare suam oppositam particularem negatiuam, volentes includere siue inuoluere sub veritate illius propositionis affirmatiuæ regulariter veræ, veritatem huius affirmatiuæ particularis, ꝙ vere pœnitens, & confessus ritè absolutus ab eo, qui potest ex gratia priuilegij, teneatur eadem peccata cõfiteri alteri, cui tenetur de iure communi, error. dirigentes intentionem suam ad confessum sibi ipsis, & absolutum ab eis virtute priuilegij domini Martini, & ad sacerdotes curatos, cui tenetur confiteri de iure communi illius statuti. Omnis vtriusque sexus. quasi reuocatum esset per illud priuilegium, & non saluatum in ipso. Vnde inducunt in probationem intentionis suę testimonium. xvij. magistrorum in Theologia (vt dicitur) qui sigillauerunt eis in quadam litera illam vniuersalem affirmatiuam veram esse tanquàm regularem, cum tamen vt credo non concederent requisiti illam particularem affirmatiuam esse verã. In quo multum dictis magistris iniuriantur, falsitatem eis imponentes, & tali intentione dictam literam impetrantes, cum nunq̃ fuerit intentio eorum aliquid de propositione particulari, aut pertinentibus ad illorum priuilegium iudicare, nec de illis aliquid cogitabant, vt à pluribus illorum intellexi, qui hoc proprijs vocibus testificati sunt coram quatuor Episcopis congregati vnà cum plu ribus alijs magistris tunc actu regentibus tàm religiosis, q̃ sæcularibus, inter quos ego vnus eram, qui prædictam literam non sigillauerunt, qui omnes vnanimiter professi sunt, ꝙ illa vniuersalis nullo modo applicari habet ad istam particularem, nec debet aliquo modo, aut potest ista sub illa inuolui.

Ad primum quo arguitur, ꝙ error sit dicere cõfessum religioso ex gratia priuilegij iterum debere confiteri eadem peccata proprio sacerdoti propter obligationem statuti, quia hoc derogaret virtuti sacramenti pœnitentiæ ponendo in eo infirmitatem: Dicendum, ꝙ falsum est. nõ enim semel adhibitum iteratò adhibetur, quia semel adhibitum non sufficienter explet effectum sacramenti, vt assumitur in argumento: immò semel adhibitum quantum est de se, sufficienter explet effectũ suum primum, & principalem, ad quem principaliter ordinatur. *Ad primũ principale.*

Sed exhibetur iteratò propter obligationem præcepti generalis Ecclesiæ explendum, & sacerdoti

suo

ſuo debitum ei reddendum, nō tamen ſine effectu ſuo alio, vt iam patebit. Quod benè licitum eſt, cū etiam iterari poſſit propter obligationem ex proprio voto implendam. Poteſt enim ex proprio voto homo ſe obligare ad idem peccatum pluries vel pluribus confitendum, aut ad iterum confitendum poſt primam confeſſionem. Poteſt etiam iteratò adhiberi propter aliquas cauſas prætactas, & eas quæ in iure ſunt expreſſæ, & alias quæ de nouo poſſent emergere, vt in alio Quolibet. expoſui. Et in qualibet adhibitione ſacramenti pœnitentię, etſi non habeatur effectus primus eius, & principalis, quia ſufficienter habitus eſt in prima adhibitione, propter quod ſacramentum pœnitentiæ eſt firmum, & non debile elementum, quod eſſet ſi illum non haberet, vt vlterius aſſumitur in argumento, habetur tamen aliquis effectus eius ſecundarius, & non principalis, Quis autem ſit effectus pœnitentiæ principalis, & quis non principalis, expoſitum eſt in alio Quolibet. Et propter huiuſmodi effectum ſecundarium Sacramentum pœnitentiæ eſt potius iterabile circa eandem materiam ſecundum rem, quàm quædam alia, vt iam patebit.

Ad confir. Quod autem adiungitur ad confirmationem rationis, ꝙ pœnitentia eſt ſecunda tabula &cæt. Dicendum, ꝙ ratio reſponſionem ſecum importat per hoc, ꝙ pœnitentia dicitur tabula ſecunda, & ſecundus baptiſmus. In quo exprimitur planè differentia eius ad primam tabulam, & primum ſiue principalem baptiſmum. Propter quod pœnitentia benè poteſt habere aliquas conditiones, & proprietates propter quas eſt iterabilis: baptiſmus autem nequaquàm. Et eſt prima, & radicalis cauſa, vt puto, quia baptiſmus non habet niſi effectus quos perfectè explet ſemel adhibitus. Pœnitentia autem nequaquàm. Propter quod circa pœnitentiæ ſacramētum poteſt fieri ſtatutum de eius iteratione, vel directè vel indirectè, vt habitum eſt ſupra, non autem circa baptiſmum, de quo iam amplius videbitur infra.

De pœnitētia non iterāda. Argu. primum Argum. ſecundum. Quàmuis aliqui dicere, & confirmare nitantur, quòd pœnitentiæ ſacramentum ſi iteretur circa idem peccatum, hoc ſolum eſt propter dubium, an ſcilicet pœnitens prius fuerit verè contritus, & ita à peccato abſolutus, non autem propter aliquem effectum ſecundarium, nec propter diminutionem pœnæ debitæ, nec propter reconciliationem Eccleſiæ, nec propter augmentum gratiæ. Non propter diminutionem pœnæ, quia vt dicūt poſſet in prima confeſſione & abſolutione tantùm conteri, vel poſtea tot opera ſatisfactoria agere, quòd nullum debitum pœnæ reſtaret diminuendum.

Tertium. Non pp reconciliationem Eccleſiæ, quia vt dicūt in prima confeſſione & abſolutione, qua abſoluitur peccatum, ēt Eccleſiæ vnitur, & ſic reconciliat.

Quartum. Item abſolutus à curia Romana nō remittitur alibi abſoluendus, & hæc eſt conſuetudo curiæ: ergo ſemel abſolutus perfectè recōciliatus eſt Eccleſię, nec iterum abſoluendus propter recōciliationem Eccleſiæ faciendam. Nec propter augmentū gratiæ, quia ſacrm pœnitentiæ eſt ad ſanandum ægrotum, vtin illa conſtitutione: Omnis vtriuſq; ſexus. Sed ſanatio non conſiſtit in augmento gratię, ſed ſolùmmodo in abſolutione culpæ, & relaxatione pœnę. ergo &c. Item ſacramentum in forma ſua debet prętendere totum effectum ſuum. ſed in adhibitione ſacramenti pœnitentiæ non prætenditur effectus alius, q̄ deletio culpæ, cum dicit ſacerdos: Ego abſoluo te &c. ergo &c. Item ſm̄ tria peccati genera: originale: ſ. actuale veniale, & actuale mortale, tria ſunt ſacramenta eis correſpōdentia, baptiſmus, extrema vnctio, & pœnitentia. Baptiſmus contra originale principaliter, vnctio contra veniale, pęnitentia contra actuale mortale. Sed baptiſmus & extrema vnctio non conferunt gratiam, neq; augmētum gratiæ, niſi ex ordine ad peccatum delendum: ergo nec pęnitentia. Quare ſi non habet delere peccatum adhibitum, nec gratiam conferre aut augmentare. ſed poſt primam abſolutionem nihil de peccato à quo eſt abſolutus, reſtat delendum: ergo in ſequenti, & iterata confeſſione per abſolutionem nulla gratia omninò confertur aut augmentatur. Vnde dicunt, ꝙ ſi ex confeſſione & abſolutione iterata haberetur augmentum gratiæ, hoc non eſt ex vi ſacramenti, ſed ex merito humiliationis, qua cōfitēs recognoſcit peccatum ſuum, vt Dei offenſam, vt de pœnitentia. diſt. 1. cap. 1. Quem pœnitet. Quod autem pœnitentia circa eadem peccata numero non eſt iterabilis ſicut nec alia ſacramenta, arguunt ſic, & eſt ad principalem qōnem. In alijs ſacramētis omnibus ita eſt, ꝙ circa idem numero oīnò non iterātur, nec baptiſmus circa eundem baptizatum circa idem peccatum originale, nec extrema vnctio circa idem peccatum veniale, nec ordo circa eundem ordinatum, nec matrimonium circa eoſdem coniuges, nec confirmatio circa eundem confirmatū, nec Euchariſtia circa conſecrationem eiuſdem hoſtiæ, aut cōmunio eiuſdem in vno, quaſi in indiuiſibili tempore, quare nec ſacramentum pęnitentiæ circa eundem omninò eodem modo ſe habentem abſq; nouo peccato iterabile eſt. Item qñ ſacramentum eſt principaliter contra peccatum, vt ſunt baptiſmus, pœnitentia, extrema vnctio. ſed peccatum idem numero non eſt iterabile, nec ſacramentum contra ipſum, vt patet de baptiſmo contra originale, & extrema vnctione contra veniale. ergo pœnitentia contra eadem peccata nullo modo eſt iteranda. Qd ergo proponitur primò de ſacramento pñiæ, ꝙ ſi iteretur circa idem peccatum, hoc ſolum eſt pp dubium, an. ſ. pœnitens prius fuerit verè contritus, & à peccato abſolutus.

Dicendum, ꝙ ſi ita eſſet, tunc non eſſet dña de baptiſmo circa peccatum originale, qd non eſt iterabile in eodē numero, & de pęnitentia circa peccatum actuale mortale, quia ſimiliter idē numero nō eſt iterabile in eodē numero. Sicut ergo iterum baptizare inconuenions eſt, niſi pp dubiū, & tunc

Quintum. *Sextum.* *Septimum* *Octauum.* *Confirmatio. Nonum.* *Decimum* *Ad primū*

non est iterum baptizandum, nisi sub conditione dicendo: Non te iterum baptizo, siue rebaptizo, sed si nō fuisti baptizatus ego te baptizo: Sic incōueniens est iterum sacramentum pœnitentiæ adhibere, siue confiteri & absolui, nisi propter dubiū, ut cōsimiliter non sit iterum confitendum, neque absoluendum, nisi sub conditione dicendo. Non iterum confiteor, siue reconfiteor, nec iterum absoluo siue reabsoluo te, sed si non fui cum perfecta contritione confessus ego confiteor. Si non fuisti absolutus ego te absoluo. Quare cum hoc non obseruet consuetudo generalis Ecclesiæ, quæ districtè custodienda est, non est dicendum, ꝙ solum propter dubium idem peccatum iterum confitendum sit, & ab eodem absoluendum, sicut propter idem originale non est iterum baptizandum, nisi propter dubium.

Ad secundum. Quòd assumitur, ꝙ propter diminutionem pœnæ non est iterum confitendum, quia posset esse homo, in quo nullum esset debitum pœnæ diminuendum: Dicendum, ꝙ diminutio pœnæ debitę non sic effectus est confessionis, & absolutionis, quòd non possit adhiberi, quin istum effectum habeat, sed quantum est de se, ipsum habet si aliquid de pœna restat, de qua semper potest aliquid restare. propter quod istud sacramentum institutum est esse iterabile circa eadem peccata, ut iam infra dicetur. quemadmodum ēt nec absolutio peccati est eius effectus, nisi adsit peccatum. Etsi licèt in cōtritione præcedente deletum sit peccatum, sm August. super illud Psal. Dixi confitebor, &c. qui dicit. Magna Dei pietas, ut ad solam promissionē peccata dimiseri, dū nō pronunciat ore &c. tñ confessionis & absolutionis sacramentum benè adhibetur propter effectū alium, & propter Christi præceptum. Etsi enim fortè homo esset in tali statu, quòd nullo illorum indigeret, nunquàm tamen præsumendum est, quòd nullo eorum egeat siue quòd nullum eorum possit in se capere.

Ad tertiū. Quod autem assumitur, quòd nec propter recōciliationem Ecclesiæ iteranda est pœnitentia, quia in prima absolutione plenè per gratiam susceptā reconciliatus est ei: Dicendum, quòd uerum est in proposito casu nostro, propter propositum iteratò confitendi Ecclesiæ militanti, quod communiter supponitur in eo, & consimilibus esse. quemadmodum verè cōtritus prius q̄ ueniat ad sacerdotem, triumphanti Ecclesiæ est reconciliatus, sed propter propositum confitendi sacerdoti in Ecclesia militanti, ita ꝙ si cadat à tali proposito, nec confiteatur, cadit à reconciliatione iam facta nouum peccatum committendo. Propter quod indiget noua reconciliatione per confessionem, & absolutionem sequentem, ita ꝙ si in tali proposito maneat, sequens confessio fiat fortè non propter nouam reconciliationem Ecclesiæ faciendam, sed propter iam factam custodiendam.

Ad quartum. Ad aliud circa idem, ꝙ consuetudo curiæ Romanæ est, ꝙ absolutum in ea non remittit alibi ad absoluendum, quod non faceret, nisi unica absolutione esset perfectè Ecclesię reconciliatus: Dicendum, ꝙ curia de plenitudine potestatis absoluit, nec oportet, quòd in eius absolutione habeatur propositum de iterum confitendo alibi propter aliquam obligationem. Propter quod perfectè reconciliat Ecclesiæ, nec mittit alibi ad reconciliandum, aut ad reconciliationem custodiendam. Veruntamen benè mittit alibi propter satisfactionem, & pœnitentiam salutarem iniungendam, quam debet habere confessus in proposito, à quo si resiliat, cadit à reconciliatione, ut non sit omninò solida reconciliatio, nisi humiliter pœnitentiam iniungendam susceperit. Vnde sicut ille ad reconciliationis conseruationem debet aliunde pœnitentiam suscipere, sic in proposito semel confessus debet alteri iterum confiteri.

Ad quintum. Quod arguitur ulterius, quòd sacramentum pœnitentiæ non habet effectum secundarium augmentum gratiæ, quia est ad sanandum ęgrotum, ut in illo cap. Omnis utriusque sexus. Sanitas autem consistit in sola amotione culpæ, & non in collatione gratiæ, nisi in ordine ad culpam: Dicendum, quòd ad sanationem ęgroti generandam tanquā ad primum effectum ordinatur pœnitentia. Nihilominus tamen ad sanationem eandem confortandam benè tanquàm ad secundum effectum ordinatur. Sanitas enim perfecta non solùm consistit in amotione morbi in sanando, sed in confortatione conualescentis in sanitate. Vnde sicut medicus corporalis nō solum debet esse solicitus ad habendam medicinam ad curationem morbi in generando sanitatem, sed etiam ad confortationem conualescentis in sanitatem augmentando, & symptomata morbi amouendo, sic sacerdos debet esse discretus more prudentis medici, non solum in curando à morbo peccati pœnitentem per medicinam sacramenti pœnitentiæ conferendo gratiam, in qua consistit sanitas spiritualis, sed etiam ad ipsum confortandum augmentando in eo gratiam ad amouendum symptomata malæ concupiscentiæ ex peccato dimissæ.

Ad sextū. Ad secundum ad idem, quòd sacramentum in forma sua debet continere totum effectum suum: Dicendum, quòd falsum est, quia forma baptismi nullum effectum suum continet dicendo, Ego te baptizo, nisi in figura. Similiter nec sacramentum confirmationis, dicendo Inungo te chrismate salutis. Si ergo in forma pœnitentiæ aliquis effectus est exprimendus, sufficit quòd ille sit principalis. per quod non excluditur, quin cum hoc sit alius secundarius.

Ad septimum. Ad tertium ad idem, quòd baptismus, qui est contra peccatum originale, & extrema unctio, quæ est contra peccatum ueniale, non conferunt gratiam aut augmentant, nisi ex ordine ad peccatum delendum, quare nec pœnitentia: Si ergo non sit peccatum delendum, non est pœnitentia adhibenda.

Dicen-

Dicendum, quòd ratio ista uerè solubilis est, quia conclusum apertè falsum est non solùm in sacramento pœnitentiæ, sed etiam in sacramẽto baptismi. Si enim alicui perfectè pœnitenti per contritionem ante omnem confessionem peccata sua sunt dimissa, de quo nullus in Ecclesia dubitat q̃ possit fieri: immò credo ꝙ pluries euenit, & cum hoc si certus esset, ꝙ non esset in eo peccatum delendum, nihilominus inde teneretur confiteri illa peccata, & est ei sacramentum pœnitentiæ adhibendum, & hoc propter solum statutum diuinum de confitendo peccata actualia mortalia, licèt non iterantur absque effectu, quo pr̃æsumitur pœnitẽs indigere. Nec institutum esset iterabile. Esto enim per impossibile, ꝙ nihil de pœna restaret in debito, & ꝙ etiam in vita ista esset in tali statu, ꝙ in ipso charitas augmentanda non esset, quod nullo modo possibile est, nec omninò præsumendum, ꝙ etiam nec Ecclesiæ reconciliandus, tamen in ipso per sacramentum reconciliatio custodienda est. Similiter ex parte baptismi, si quis paruulus circũcisus esset in fine temporis, quò sacramenta veteris legis habebant efficaciam suam, & per circuncisionem in ipso deletum fuisset peccatum originale: nihilominus tamen tempore nouæ legis sacramentum baptismi ei erat adhibendum, & hoc propter solum statutum diuinum de baptismo, licèt non sine effectu aliquo prædictorum. Vnde & Maria Magdalena, si non fuit baptizata quando Christus remisit ei omnia peccata sua: debuit postmodum baptizari, etiam si se mundam ab omni peccato sciuisset. Etiam in vtero sanctificatus tempore legis Christi debuit baptizari. Vnde Ioan. Baptista in vtero sanctificatus dixit Christo. Ego à te debeo baptizari. Vnde ad formam argumenti, & ad assumpta in ipso, dicendum, ꝙ illud assumptum: Dicta sacramenta non conferunt gratiam, neque augmentant, nisi in ordine ad peccatum delendum: duplicem habet intellectum, quia ly delendum potest esse participiũ, vel nomen verbale. Si sit participium, tunc exponitur per deletionem passiuam de futuro simpliciter acceptam sub hoc sensu. In ordine ad peccatum delendum. i. quod delebitur per ipsum sacramentum pœnitentiæ, & nondum est deletum. & sic simpliciter est falsa. Si vero sit nomen verbale, tunc exponitur per passionem deletionis simpliciter absque temporis determinatione sub ratione digni vel debiti, sub hoc sensu: In ordine ad peccatum delendum. i. quod quantum est de se, & natura sua simpliciter dignũ vel debitum est, vt per ipsum deleatur. & sic est vera. Peccatum enim originale quantum est de se & natura sua dignum, & debitum est deleri per baptismum, etsi nullum sit quod restat delẽdum participialiter. Similiter est de veniali respectu vnctionis, & de mortali actuali respectu pœnitentiæ. Vnde illa sacramenta non conferunt, aut augmentant gratiam, nisi in ordine ad peccatum delendũ nominaliter, quia non sunt principaliter instituta ad gratiam conferendam vel augmentandam, sed ad peccati deletionem, & sic ꝙ gratiam conferunt vel augent, hoc non est, nisi in ordine ad peccatum simpliciter, sic ꝙ si sit, deleant ipsum, & si non sit, ꝙ delerent ipsum si esset, non solum autem in ordine ad peccatum delendum participialiter, in quo sensu falso sequitur conclusio falsa, non autem in sensu verò, quia tunc aliter accipitur ly delendum in præmissa vera, & aliter in conclusione falsa, vt dictum est. & propter hoc non valet processus vlteriot in argumentando.

Quod autem additur, si ex confessione & absolutiõne iterata habetur augmẽtum gratiæ, hoc non est ex vi sacramenti sacramentaliter adhibiti, sed solùm ex merito humiliationis, qua confitens recognoscit peccatum suum, quod fecit, vt Dei offensiuum, an sic sit an non, nihil omninò refert: dùm concedatur, ꝙ confessio semel facta vni, iterari possit alteri circa eadem peccata, & in casu nostro proposito iterari debeat. Sed in hoc dicendo re vera sollicitè cauendum est periculum quod consistit in denegãdo sacramento efficaciam, quã à Deo in sua institutione recepit, vel in attribuendo ei efficaciam, quam non recepit. Sed vt mihi videtur in dicto illo duo implicantur, quæ simul stare non possunt, ꝙ videlicet sacramento iteratio adhibetur, & sine effectu sacramentali, quia secundum dictum illud, si effectus aliquis gratiæ ex eius adhibitione consequeretur, ille cõsequeretur ratione operis operantis. s. ex deuotione & humiliatione eius, cui adhiberetur, non autem ratione operis operati. Et sic in tali adhibitione sacramenti nouæ legis nulla esset prerogatiua super exhibitionem suo tempore sacramẽtorum veteris legis, & non efficeret in tali adhibitione, quod figurat, sicut neque efficiebant sacramenta veteris legis p̃ter circũcisionem, & esset debile elementum, sicut erant sacramenta legalia. Quæ omnia vt videtur multum vergunt in iniuriam sacramenti nouæ legis, & etiam in falsitatem eius. Cum enim sacramenta legalia figurabant futurum, quod non efficiebant, vera signa in hoc esse poterant. Sacramẽtum verò nouæ legis, quia figurat præsens esse, q̃d efficere natum est, si non efficit, quod figurat: falsum signum est, quia aliter non est præsens. Nullo ergo modo tale sacramentum in tali adhibitione potest esse verum signum, sed falsum necessario, quod est magnum inconueniens circa sacramentum dicere, & vt timeo erroneum. Ideoque mihi videtur, ꝙ nunquàm sacramentum nouæ legis adhibetur, quin aliquid spirituale efficiat, quod figurat, ita ꝙ si non efficeret, nullo modo esset in præcepto, neque in consilio eius adhibitio, immo in prohibitione potius. Vnde etsi principaliter propter solum præceptum alicuius sacramenti adhibitio facienda est, uel semel tantùm quandoque, vt dictum est in baptismo, uel iteratò, ut dictum est in pœnitentia, nunquàm tamen est sine aliquo effectu, nec potest homo esse

Adoctanũ

in uita ista in tali statu, uel saltem non est præsumendum, quin sacramentum aliquem effectum circa ipsum habere possit. ita ꝙ si adhibitio præsumeretur esse sine effectu sacramentali, nullo modo præcipi posset, quia hoc esset in iniuriam sacramenti. Quòd autem ad confirmationem illius dicti adducitur auctoritas August. in libro de pœnitentia, & habetur de pœnit. dist. 1. cap. Quem pœnitet omninò pœniteat. vbi dicitur ante medium capituli. Dignus est misericordia, qui speciali labore gratiam petit. Laborat enim mens patiendo erubescentiam. Sed quoniam verecundia magna est pœna, qui erubescit pro Christo fit dignus misericordia. Vnde patet, ꝙ quantò pluribus quis cõfitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tantò facilius cõsequetur misericordiam remissionis. Ex quo patet re vera, ꝙ ex opere operante, siue ex meritò humiliationis in iterata confessione, & absolutione habetur augmẽtum gratię, nec vnquàm hoc vllus Catholicus negauit. Sed quòd solùm habeatur ex hoc, & non ex vi sacramenti, sed opere operante, sicut dicit dictum illud, hoc nõ habetur ex dicto August. Sed contrarium habetur manifestè. s. quòd ex vi etiam sacramenti adhibiti consequitur quis misericordiam remissionis, de qua loquitur, quæ pertinet ad pœnæ relaxationem. Non autem loquitur de augmento gratię, nisi quia fortè simul gratia augetur, quando pars pœnę remittitur, ita quòd illa humiliatio sit quædam dispositio, vt ipsum sacramentum efficacius effectum suũ consequatur. Sic enim consequitur continuè. Ipsi enim sacerdotes plus iam possunt proficere, plus confitentibus facere vel parcere. quibus enim remittunt, remittit Deus. Ecce quòd ex illa humiliatione sacerdotes plures possunt proficere circa cõfitentes faciendo circa eos remissionem. Et constat quòd non loquitur de remissione culpæ, quia illa non recipit magis aut minus, & eam supponit iam remissam prius, sed pœnæ tantùm. Vnde sequitur continuè. Lazarum enim, quem de monumento suscitauit, obtulit dominus discipulis soluendum, per hoc ostendens potestatem soluendi concessam sacerdotibus, dixit enim, quodcunque solueritis super terram erit solutum & in cœlis, & quodcunque ligaueritis super terram erit ligatum & in cœlis, hoc est ego Deus & omnes cœlestis militię ordines, & omnes sancti in gloria mea laudant vobiscum & confirmant quos ligatis, & soluitis. Glo. Quos ligatis iustè, & misericorditer pœnis. non dicit peccatis. Soluitis iustè, & misericorditer à pœnis. non dicit à peccatis. Ecce quòd sacerdos opere suo sacerdotali pœnas sacramentaliter inũgit & relaxat.

Ad confirmationem.

Ad nonum

Ad vltimò argutum, quòd pœnitentia circa peccata eadem numero non est iterabilis, quia nec aliud sacramentorum circa idem numero omninò iteratur: Dicendum, quòd sacramentum est circa aliquid dupliciter. Vno modo, vt circa subiectum, vt baptismus circa baptizatum: Vnctio extrema circa vnctum: pœnitentia circa pœnitentem: Eucharistia, quo ad eius consecrationem, seu benedictionem circa hostiam, quæ consecratur, quo ad eius vsum circa communicantem cui communicatur, confirmatio circa confirmatum, ordo circa ordinatum, matrimonium circa coniuges. Alio modo vt circa obiectum siue effectũ, sicut baptismus circa characterem imprimẽdum, & originale delendum, & gratiam conferendam, & augendam, extrema vnctio circa veniale delendum, & gratiã augendam, pœnitentia circa peccatum actuale mortale delendum, & gratiam conferendam, & circa pœnam æternam debitam mortali mutandã in temporalem, & temporalem relaxandam aut pro toto, aut pro parte: Eucharistia ad gratiam augẽdam, & similiter confirmatio, ordo, & matrimonium, & est etiam matrimonium ad coniuges vniendum, & ordo ad characterem imprimendũ, & similiter confirmatio. Quorum nullum iterari debet circa idem subiectum omninò eodem modo se habens. Sed quædam eorum nullo modo sunt iterabilia circa idem subiectum re, quocunq; modo aliàs varietur, vt sunt illa, quæ imprimunt characterem. s. baptismus, ordo & confirmatio. & hoc ideo, quia semel adhibita effectum suum totũ habent quem habere possunt, si non sit impedimẽtum ex parte subiecti, eo quòd effectus eorum non dependet ab aliqua nostra cooperatione, dum tamen non ponamus eis obijcem in nostra voluntate. Alia verò omnia iterabilia sunt circa idem subiectum re, & hoc ideo quia semel adhibita habent vnum effectum, & possunt habere alium adhibita postea, eo quòd effectus eorum dependet à nostra dispositione ac cooperatione, puta extrema vnctio semel adhibita, post interuallum temporis quo potest præsumi inunctum contraxisse noua venialia in tanta multitudine & quantitate, quòd eis timeatur grauari, iteratò adhibenda est, nec prius debet adhiberi, licèt statim cum esset notum quòd aliquod veniale esset in ipso, posset adhiberi & etiam habere effectum suum. Similiter pœnitẽtia semel adhibita, post interuallum temporis in quo aduenit pœnitenti noua contritio iterato debet adhiberi, & nõ debet prius, quia licèt fortè potest prius adhiberi, & adhibita effectum habet, prius tamen adhiberi non debet propter reuerentiam sacramenti, ne propter citam & frequentem iterationem vilescat, & fastidium pariat, nisi fortè ex causa speciali, vt supra, propter soluendum debitum confessus fratri in die Paschæ statim ante communionem uolit cõfiteri suo proprio sacerdoti eadem peccata. Similiter Eucharistia semel adhibita alicui post interuallum temporis, quo præsumitur, quòd noua deuotio sufficiens ad iterum suscipiẽdum aduenit, iterum potest exhiberi. quia licèt fortè potest prius adhiberi, tamen non debet sine causa, vt si sacerdos plures hostias consecrauit quàm opus sit, & primò sumpsit unam per se, deinde percipit adesse aliam, nec habet ubi eam custodiat:

ſtodiat, poteſt continuò, & illam ſumere, vel ſi neceſſe habet pluries eodem die celebrare.

Circa eandem autem hoſtiam nullo modo poteſt iterari conſecratio, quia vna conſecratio circa eandem hoſtiam facit quicquid circa eam poteſt fieri. Similiter matrimonium ſemel adhibitum alicui reſpectu eiuſdem coniugis, poſt interuallum temporis, quo per mortem alterius ſolutum eſt vinculũ matrimonij, poteſt ſuperſtiti iteratò adhiberi reſpectu alterius coniugis.

Circa eoſdem autem coniuges nullo modo poteſt iterari, quia ſemel circa eos operari poteſt. Et ſic differentia eſt de extrema unctione, & matrimonio, reſpectu Euchariſtiæ, & pœnitentiæ. Illa enim non debent, nec poſſunt iterari, niſi variato ſubiecto: iſta autem poſſunt, vt dictum eſt. Cuius ratio eſt, quia illa ſemel adhibita, totum ſuum effectum ſimul habent quem habere poſſunt circa tale ſubiectum, ſi non ſit obex, eo quòd effectus eorum non depẽdet à noſtra cooperatione. Euchariſtia autem & pœnitentia iterari poſſunt ſubiecto in eadem diſpoſitione continuà remanente, vt dictum eſt. Cuius ratio eſt, quia ſemel adhibita non totum effectum ſuum quem habere poſſunt ſimul habent, & effectus eorum dependet à noſtra cooperatione. Et ſic patet quomodo eſt ſimile, & quomodo non, & in quo ſimile eſt, & in quo non, in pœnitentia, & in alijs ſacramẽtis quo ad eorum iterationem circa idem ſecundum rem, quoniam tria ſacramenta, quę characterem imprimunt, vt baptiſmus, confirmatio, & ordo, nullo modo ſunt iterabilia circa idem ſubiectum, & idẽ obiectum ſecundum numerum, neque ſacramentum Euchariſtiæ, quo ad eius conſecrationem circa eandem hoſtiam nnmero.

Alia verò quatuor iterabilia ſunt circa idem ſubiectum re, ſed extrema vnctio, & matrimonium non niſi variatione facta circa ſubiectum quo ad obiectum. Vnctio enim non eſt iterabilis niſi variatione facta quo ad peccatum veniale delẽdum per ipſam. Matrimonium non eſt iterabile, niſi variatione facta quo ad vinculum connexionis cõiugum. Euchariſtia verò, & pœnitentia licèt iterari non debeant circa idem ſubiectum non variatum ſaltem præſumptiuè per lapſum temporis ſecundum nouam deuotionem quo ad Euchariſtiã, vel nouam contritionem quo ad pœnitentiam, propter reuerentiam ſacramentorum: poſſunt tamen ſuos effectus habendo. Sed differentia eſt inter hæc duo ſacramenta, quòd Euchariſtia non poteſt prius, quàm noua deuotio adueniat adhiberi, vt habeat ſuum effectum, niſi ex cauſa.

Pluribus enim Euchariſtijs communicari, vel ſimul, vel ſucceſſiuè abſque interuallo quo poteſt præſumi adeſſe noua deuotio, & hoc ſine cauſa, non eſt niſi vnica communio habens vnicum effectum, ita quòd error eſſet putare maiorem effectum plures hoſtias conſecratas ſimul communicare, quàm vnicam. Perinde autẽ eſt plures ſimul ſumere. & plures ſucceſſiuè abſque interuallo notabili, quo præſumitur adeſſe noua deuotio: totum enim tempus illud pro vno indiuiſibili reputatur quo vnica hoſtia nata eſt ſumi. Pœnitentia verò benè poteſt adhiberi, vt habeat ſuum effectũ circa idem ſubiectum non variatum, neque ſecundum contritionem, neque aliter ſimpliciter, & abſolutè, ſed maximè ex cauſa. Licèt enim iam confeſſus in eadem contritione exiſtens non debeat ſine cauſa iterum ſumi ad confeſſionem; ſi tamen ſumatur, ſacramentum habet effectum ſuum. Quandoque enim non debet matrimonium celebrari, vt in quadrageſima propter temporis reuerentiam, ſi tamen fiat, effectum ſuum principalem habet. Similiter pœnitentia etſi quandoque non debeat adhiberi propter reuerentiam ſacramenti, etſi non ex aliquo præcepto Chriſti, aut eccleſiæ, ſi tamen adhibeatur ex cauſa, fortè benè habet effectum ſuum, puta ſi confeſſus fratri in die Paſchę velit eadem peccata confiteri ante communionem propter ſtatutum eccleſiæ. Cauſa enim differentię in hoc inter ſacramentum Euchariſtię, & pœnitentiæ eſt, quòd pœnitentia quo ad diminutionem pœnæ reſtantis poſt primam abſolutionem, eſt circa huiuſmodi obiectum & circa id, quod eſt maioris neceſſitatis, & debiti circa pœnitentem, quàm ſit Euchariſtia quo ad gratiæ augmentum; magis.n. neceſſarium eſt pœnitenti, & magis obligatus eſt tanquàm debito, vt procuret ſibi relaxationem pœnæ, quam tenetur ſoluere Deo, quàm neceſſarium ſit cuicunq; deuoto, vt procuret ſibi augmentum gratiæ, & quàm obligatus ſit ad hoc. Et ſic quo ad hoc, ſacramentum pœnitentiæ eſt maioris neceſſitatis, quàm ſit Euchariſtia: & ideò magis, & citius, atque frequentius poteſt adhiberi abſque interuallo notabili, ſic quòd qualibet vice ſuum effectum habeat, quàm Euchariſtia, & ſic pœnitẽtia eſt ſacramentum magis iterabile, & circa idem ſubiectum, & circa idem obiectum, quàm aliquod aliorum. Nec omninò ſimile eſt, quo ad iterationem de hoc ſacramento, & de quocunque aliorum, ſed argumentum procedit, ac ſi omninò eſſet ſimile. Quòd inducebatur vltimò, quando ſacramentum eſt principaliter contra peccatum, non poteſt iterari, niſi peccatum iteretur, vt patet in baptiſmo, qui non iteratur, quia originale non iteratur, & in extrema vnctione, quæ non iteratur niſi iteratis venialibus, quare nec pœnitentia, quæ eſt contra peccatum actuale mortale, iteranda eſt niſi peccato mortali iterato. Cum ergo idem peccatum mortale ſecundum numerum nullo modo poſſit iterari, nec pœnitentia circa ipſum poteſt iterari. Et quæritur quare circa eadem peccata potius iteratur pœnitentia, quàm aliquod aliorum. Et eſt dicendum, quòd baptiſmus ſimul quantum eſt de ſe ex vi ſacramenti ſi non habet obicem ſimul remittit culpam, & omnem pœnam illi debitam: & idem præſumitur quo ad venialia de extrema vnctione.

Propter

Propter quod à sua institutione baptismus, & vnctio circa eadem peccata sunt iterabilia. De sacramento autem pœnitentiæ, quod est contra peccatum mortale actuale, cui debetur multa & magna pœna temporalis, non præsumitur, ꝙ simul culpam, & totam pœnam illi debitam remittat, sed solùm portionem certam, & semper æqualem quantum est ex se. Propter quod, vt quòd restat de solutione remittat, pœnitentia à sua institutione circa eadem peccata numero est iterabilis.

Ad secun. & princ. Ad secundum, quòd erat ad principale, quòd accipiens in Paschate Eucharistiam à non suo sacerdote, non tenetur iterum recipere eam à suo sacerdote, quare neque confessus alteri tenetur eadem confiteri suo sacerdoti, cum vtrunque horum æqualiter statuatur, & præcipiatur in omnis vtriusque sexus. Dicendum ad hoc secundum iam dicta, quòd assumptum de Eucharistia, quòd cõmunicatus ab alio in Paschate non tenetur iterum recipere eam à suo sacerdote: verum est, non tamen propter hoc verum est, quòd similiter, neque tunc confessus alteri tenetur eadem confiteri iterato suo proprio sacerdoti, quia non est simile, eo quòd secundum iam dicta, sacramentum Eucharistiæ maioris est reuerentiæ, quàm sacramentum pœnitentiæ, & sacramentum pœnitentiæ maioris necessitatis est, quàm sacramentum Eucharistiæ. Si quis tamen imminente Pascha sic se alter alteri confitendo, & Eucharistiam ab illo sumendo, etiã super hoc priuilegiato tali priuilegio, quale est domini Martini, quòd non possit in debita deuotione, & contritione iterum infra annum, qui finitur in Pascha suo proprio sacerdoti confiteri eadem, & communicari ab ipso, transgressor est statuti, & mortaliter peccat, nisi ex causa de licentia proprij sacerdotis expectet, & nihilominus tenetur se præparare per contritionem, & deuotionem, vt quàm citius poterit post Pascha confiteatur prius confessa alteri, & super illa transgressione, priusquàm communicetur ab eo, & sic reddat Deo, & sacerdoti debitũ, in quo adhuc manet obligatus quousque persoluerit. Nec licèt eum expectare de confitendo vsque ad sequens Pascha infra annum illum semel dicta peccata cum alijs infra eundem annum commissis suo sacerdoti confitendo: hoc enim non sufficit, quia per hoc, quòd aliquis est in mora soluendi debitum, non prorogatur ei tempus solutionis, sed obligatus manet ad soluendum quàm citius poterit.

Benè autem licèt eum expectare vsque ad sequens Pascha de communione accipiendo ab eodem, quia super transgressione in eo, quòd à suo sacerdote non est communicatus, non potest satisfacere communionem ab ipso accipiendo, sed de transgressione illa pœnitendo, & eam illi cõfitendo. Super transgressione autem in eo, quòd illi nõ semel in anno præcedente confessus, satisfacit pœnitendo, & peccata alteri confessa cum ista transgressione eidem iteratò cõfitendo. Vnde si aliquibus ex gratia priuilegij concessum esset, ꝙ possent singulis annis ministrare sacramentum Eucharistiæ, sicut & pœnitentiæ quandocunque opus esset, & ministrarent ipsum ante Pascha, sic vt noua deuotio posset intercidere ad ministrandum ipsum à suo sacerdote in Pascha, iterum deberet ipsum suscipere in Pascha, licèt si in die Paschæ ille ministraret vnam semel, non deberet iteratò in eadem die recipere aliam à suo sacerdote, etiam si tempus restaret, quo eodem die consuetum est cõmunionem recipere.

Sic tamen non est de confessione, quia si in die Paschæ aliquis alteri confessus est, & non communicatus ab eodem, debet nihilominus eodem die eadem confiteri proprio sacerdoti, si restat tempus sufficiens illius anni, in quo suam complere possit confessionem, & confessione completa si adhuc restat tempus anni illius, debet ab eo recipere communionem, ne fiat transgressor statuti de semel in anno confitendo suo sacerdoti, & communionem ab eo recipiendo. Quòd si non restat tempus recipiendi communionem: statim factus est transgressor statuti, quo ad hoc, & debet de illa transgressione statim pœnitere, & confiteri suo sacerdoti eandem, quàm citius poterit, per hoc ei satisfaciendo de sibi debito, sed non debet nisi velit communionem recipere ab eodem citrà Pascha sequens, vt supra dictum est.

Ad confir. Per dicta patet ad confirmationem de sacramẽto baptismi: non enim est simile de baptismo, & pœnitentia, & minus simile de pœnitentia, & Eucharistia. Baptismus enim natus est habere omnem effectum suum simul, & semel: non sic autem Eucharistia, & pœnitentia, vt supra dictum est.

Ad tertiũ Ad tertium, quòd ex eo, quòd dicitur confessum ex gratia teneri eadem iterum confiteri suo sacerdoti, oritur schisma inter prælatos, & religiosos &c. Dicendum est de schismate, sicut & de scandalo, quòd dicere illud ex quo oritur scandalum vel schisma est erroneum. Verum est, dum tã illud dictum non sit de illis, quæ pertinent ad veritatem opportunam ad dicendum, vitæ scilicet, iustitiæ, aut doctrinæ. Si verò sit de illis, quæ pertinent ad aliquam harum ueritatum, illud dicere non est erroneum, neque quo ad rem dictã, neque quo ad actum dicendi.

Dictum autem istud, de quo est quæstio, pertinet ad veritatem vitæ, quia vt supra dictum est, ipsa de illo, in quo cõsistit periculum animarum, & est nunc temporis opportunitas ad dicendum, eo quòd habet fortes contradictores.

Ad quartum. Ad quartum, quòd sacramentum pœnitentiæ efficaciam habet à solo Christo: non autem ab vllo homine instituente &c. Dicendum, quòd verum est, tàm in principali eius effectu, quàm in secundario, nec iteratio eius propter institutum Papæ dat ei nouam efficaciam, vt supponit argumentum. Habet tamen, vt dictum est, nouum effectũ,

sed

sed à solo Christo, & multò aliud, & aliud est dicere habere nouam efficaciam, de qua procedit argumentum, & habere nouum effectum contra quem intendit procedere.

Ad quintũ, quòd nemo potest obligari ad confitendum, quod non est. Dicendum, quòd non obligatur homo ad confitẽdum peccata, quæ iam actu habet in macula, sed quæ iam hactenus habuerit, & manent per memoriam in conscientia. Nam verè contritus coram Deo, prius quàm alicui confessus est, non habet in se maculam, quia per contritionem, & propositum confitendi deleta est, & tamen clarum est, quòd illa peccata, quæ non sunt, tenetur confiteri.

Consimiliter & confessi religiosis, licèt non habeant maculam peccati, quia per absolutionem, & propositum confitendi illa eadem suo proprio sacerdoti deletum est: nihilominus tamen tenentur eadem iteratò confiteri suo proprio sacerdoti. Vnde sicut in contritione quantacunque esset non delerentur peccata, nisi simul adesset propositum confitendi ea sacerdoti tempore opportuno, ita quòd, si ante confessionem resiliret à proposito confitendi, grauius crimen committeret, quàm erant peccata prius deleta, sic in confessione facta religiosis ex gratia dicti priuilegij, quantuncunque esset perfecta, non delerentur peccata in absolutione, nisi simul adesset propositum confitendi illa iterum suo proprio sacerdoti, nec esset verè pœnitens, sicut nec ille esset verè contritus, ita quòd si ante iteratam confessionem confessus semel resiliret à proposito confitendi iterum: grauius crimen committeret, quàm erant peccata prius deleta. Propter quod Dominus Martinus Papa ne confessi dictis religiosis tale discrimen incurrant, præcipit illis religiosis, vt diligenter, & efficaciter secundum datam eis à Domino gratiam eos ad hoc exhortentur.

Ad sextum, quòd Papa, qui habet omnia iura in scrinio pectoris sui, ius absoluendi, & confessiones audiendi illorum, qui vellent venire ad eos, quod debebatur sacerdotibus curatis, contulit dictis religiosis: ergo abstulit illud sacerdotibus. Dicendum, quòd multùm refert de iure, quod habetur in re temporali, & quod habetur in re spirituali. De illo quod habetur in re corporali, quia non potest haberi simul à pluribus in solidum, verum est, quando confertur vni auferetur ab alio, vt dictum est supra de decimis noualium.

De illo verò, quod habetur in re spirituali, quia illa potest à pluribus simul possideri in solidum, non est verum, quòd ius in illa concessum vni auferetur alteri: immò manet integrè apud vtrosque, tale omninò est ius de audiendo confessiones, & absoluendo.

Quod arguitur in oppositum, quod non est erroneum teneri ex præcepto Papæ ad illud, quod aliàs est licitum. Dicendum, quòd verum est: dum tamen subsit causa, siue ratio secundum prædicta: aliàs autem benè posset esse erroneum.

HENRICI A GANDAVO
IN QVODLIBET. DECIMVM.

Quodlibet decimum decem, septemque quæstiones continet attinentes nonnullas ad res sacras; nonnullas verò ad non sacras, quod facilè deprehendi poterit ex processu ipsarum quæstionum.

Comment. in Quæstionem primam, quæ est,

Vtrum sit error dicere, quòd verè pœnitens, & confessus ritè absolutus ab eo, qui potest eum absoluere de gratia, & ex priuilegio speciali, teneatur eadem peccata iam illi confessa, iteratò confiteri illi, cui tenetur confiteri de iure communi ex illo statuto generali, extra de pœn. Omnis vtriusque sexus.

ITVLVS satis clarus.

In corpore videtur distinguere de iure communi, qno tenetur quilibet semel in anno confiteri proprio sacerdoti, quod vel saluatur in priuilegio, vel non saluatur, sed derogatur. Vnde si primum. Prima conclusio est, ſ. ꝙ error est dicere, quòd non teneatur &c. si non saluatur, sed derogatur &c. tunc. Secunda est conclusio. Quòd non est error dicere, quòd non teneatur. Sed contra &c.

Prima conclusio patet, atque secunda pariter videatur nota. Sed not. ꝙ tota difficultas est circa hoc, vtrum ius illud saluetur, nec ne in priuilegio, vel potius derogetur. Et profectò quòd derogetur, atque quòd non saluetur, videtur ex illo Ioannis XXII. Pont. Max. aduersus Io. de Poliaco, vt notauimus in septimo Quol. quæst. 24.

Nor. quoque quòd hoc tempore cessat huiusmodi quæstio ob determinationem tùm Sacri Trident. Concilij, cùm etiam Gregorij XIII. Pont. Max. quorum determinatione priuilegia præsertim, quo ad hoc negotium de confessionibus audiendis à fratribus, vel à quibuscunque alijs sacerdotibus, reducta sunt ad ius commune, ita vt omnes teneantur Episcopum adire, approbarique ab eo, vt ab ipso idcirco videantur assignari tanquam proprij sacerdotes. Et profectò nihil aliud dicere volumus super hac quæst. quam quod diximus super quæstionibus 23. & 24. septimi Quol. Verba enim huius satis clara. vide Sotum in 4. dist. 18. q. 4. art. 3.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum ex commissione generali, qua conceditur aliquibus ex priuilegio, & de gratia speciali posse audire confessiones, & absoluere à peccatis simpliciter, concedatur potestas absoluendi à maioribus criminibus Episcopo reseruatis.

Arg. prin. primum. CIRCA secundum arguitur, ꝙ ex concessione per priuilegium de absoluendo à peccatis simpliciter, concedatur potestas absoluendi à maioribus criminibus, puta quæ sunt reseruata Episcopis. Primò sic. Qui simpliciter concedit, & nihil excipit, totum includit, quare cum per priuilegium simpliciter concedatur religiosis potestas absoluendi à peccatis, & audiendi confessionem illorum, & nullum peccatum excipitur, sed quodlibet genus peccati includitur. ergo &c.

Secundum Secundò sic, quod non est prohibitum videtur esse concessum, Dominus Martinus in dando fratribus simpliciter potestatem audiendi confessiones peccatorum non prohibuit eis casus Episcopales. ergo &c.

Tertium. Tertiò sic. Idem in eodem priuilegio concedit eis plenam potestatem audiendi confessiones, & absoluendi, sed non est plena potestas, quæ se extendit ad aliqua peccata, & ad aliqua nō. ergo &c.

In oppoſit. Contra. Rescriptum de beneficij collatione simpliciter non potest extendi ad dignitates, siue ad beneficia, quibus dignitates sunt annexæ, vt extra. de præben. c. vlt. ergo nec potestas concessa super peccata simpliciter vllo modo potest extendi ad maiora crimina Episcopis reseruata.

Reſponſio quorūdā. Ad istam quæstionem respondet Do. Clemens Papa in rescripto quodam, in quo dicit sic, loquēs ad fratres prædicatores. Liberè prædicare potestis, audire confessiones, absoluere vobis confitentes, ac pœnitentias vobis confitentibus iniungere salutares, aliorum inferiorum prælatorum, & rectorum ecclesiarum, ac sacerdotum parochialium assensu nullatenus requisito, illis casibus exceptis qui de iuris consuetudine, aut retentione ab eis specialiter facta sedi, legatis, & ordinarijs prædictis specialiter relinquuntur, ad quos non licet vobis manus extendere, nisi vobis specialiter cōmittantur.

Intelligit autem Dominus Clemens, vt iam declarabitur, quòd non licet &c. virtute scilicet priuilegiorum à prædecessoribus suis concessorū eis de prædicando, & confessiones audiendo simpliciter. Quare cum in priuilegio Do. Martini non committuntur eis specialiter casus illi, quia de eis nullam facit mentionem, sed solùmmodo facit fratribus simplicem commissionem: in commissione ergo facta fratribus simpliciter, nullo modo quantum mihi videtur, intelliguntur illi casus committi, alioquin ex eadem commissione etiam intelligerentur eis committi casus reseruati Dom. Papæ. Nisi fortè aliquis dicat, quòd in commissione generali per priuilegium Princeps committit quicquid committere potest, præter illa, quæ specialiter

liter pertinēt ad ipsum, quia priuilegia largè sunt interpretanda contra quemlibet excepto illo, qui ea concessit. Cum ergo Dom. Martinus Papa committat simpliciter fratribus potestatē audiendi cōfessiones, & absoluendi cōmittit eis potestatē audiendi cōfessionē, & absoluendi in oibus casib. præterquàm sibi reseruatis. Quare cum benè possit eis committere casus Episcopales, etiam eis inuitis, vt habetur in dicto rescripto Dom. Clementis: ergo in illa commissione committit eis potestatem super casibus Episcopalibus. Et tunc respōdeat ad dictum in priuilegio Domini Clementis, dicendo ꝙ licèt ipse in concessione, quam fecit fratribus simpliciter, excepit casus Episcopales, quia tamen legem non potuit instituere suis successoribus, quia par in parem non habet imperium, non obstat quin successorum eius aliquis potuit facere concessionem fratribus simpliciter nihil excipiendo, sicut fecit expressè Dominus Martinus in suo priuilegio, & per hoc totum eis concessisse, præterquàm specialiter sibi reseruatum, vt iam dictū est. Quod non videtur posse stare, quia eisdem fratribus aliàs concessa est potestas audiendi confessiones simpliciter, & absoluendi, vtpotè à Domino Papa Alexandro, & fortè etiam ab aliquibus alijs, & tamen in tali concessione generali simpliciter facta nullo modo intelligebatur eis concessa potestas super casus episcopales, quare neque similiter in concessione, quàm habent in priuilegio suo à Domino Papa Martino sub eadem forma, & magis restricta, conceditur. Quòd autem in simplici, & generali concessione potestatis in priuilegio, vel priuilegijs concesso, vel concessis fratribus à Domino Papa Alexand. aut ab alijs prædecessoribus eius, non intelligitur concessa eis potestas super casus Episcopales, planè patet ex declaratione Domini Clemētis Papæ, qui successor Domini Alexand. fuit, licèt mediatus. In qua declaratione exprimitur, quòd in priuilegijs à prædecessoribus suis concessis cōceditur eis potestas audiendi confessiones, & absoluendi irrequisito consensu prælatorum inferiorum, quod aliqui negabant, contra quos fecit illam declarationem. Exprimitur etiam in illa declaratione, quòd ex illis concessionibus non est eis concessa potestas in casibus Episcopalibus, neque conceditur in consimilibus, nisi eis specialiter cōmittatur, dicit. n. sic. Quidam temerariè sentientes &c. vsque in finem, & legatur exquisitè totum rescriptum. Non est ergo verum, vt videtur, quòd Papa in simplici cōmissione committat quicquid potest committere præter sibi reseruata, alioquin etiam ex commissione simpliciter facta super prouisione de beneficio ecclesiastico extendi posset ad prouisionem de maiori beneficio, & dignitate, quod non est verum, vt procedit obiectio secunda. Et apparet, ꝙ sit penitus simile in hac commissione, & in illa. Commissio enim prouisionis de beneficio simplici non potest extendi ad prouisionē de beneficio maiori, aut dignitate, quia maior requiritur industria in administratione beneficij maioris, aut dignitatis, quàm minoris. Consimiliter autem maior requiritur in audienda confessione, & absolutione, & pœnitentiæ iniunctione super maioribus criminibus, quàm super communibus peccatis. Sicut ergo in prouisione commissa simpliciter de beneficio conferendo, non intelligitur commissio facta de conferendo maiori beneficio, aut dignitate, sic in commissione facta simpliciter de audiendo confessiones, absoluendo, & pœnitentiam iniungendo, non intelligitur commissio potestatis quo ad illos actus in maioribus criminibus reseruatis Episcopis. Vnde vt dictum est respondendo ad exceptionē casuum in priuilegio Domini Clementis, licèt in concessione quam fecit fratribus in suo priuilegio excepit casus Episcopales, per hoc non erat astrictus Dominus Martinus quin potuit facere concessionem absque omni exceptione, re vera benè verum est, quòd plenam concessionem eis potuit Dominus Martinus fecisse, nullos casus excipiendo si voluisset. Sed non est verum, ꝙ Dominus Clemens in suo priuilegio fecit eis concessionem illos casus excipiēdo: immò solùmmodo declarauit priuilegia illis à suis prædecessorib. concessa super duobus. Quorum primum erat, quòd non oporteret eos petere consensum audiēdi confessiones, & prædicandi à prælatis inferioribus, & sacerdotibus curatis, postquàm super illis licentiati essent à sede Apostolica, aut legatis eiusdem, aut ordinarijs locorum, quod aliqui necessarium fore asserebant. Secundum verò erat, quod proprio motu declarando expressit, videlicet ꝙ ex concessione talis licentiæ à quocunque Papa, vel prædecessore, vel successore, non licet eos extendere manus ad casus Episcopales, nisi eis specialiter committantur. Quare cum Dominus Martinus tales casus in suo priuilegio non commiserit illis specialiter, vt patet, nullo igitur modo ex illo priuilegio isti casus intelliguntur istis cōcessi. Quòd autē Dominus Clemens nullam concessionem eis fecerit in suo rescripto, sed solùmmodò declarationem in prædictis, patet ex serie literæ inspicienti eam. Vnde in fine literæ vocat eam nō concessionem, sed declarationem.

Quòd etiam Dom. Martinus in suo priuilegio non intellexit concedere fratribus potestatem super casibus Episcopalibus, hoc præcipuè potest ex hoc conijci, quòd nullo modo liberius concederet fratribus potestatem super casibus Episcopalibus, quàm super casibus, qui concessi sunt sacerdotibus curatis, eo quòd maiora cum maiori diligentia, & cautela debent committi, quàm minora, quare cum concessionem factam fratribus sic temperauit in casibus cōcessis de iure communi sacerdotibus curatis, quòd ius eorum, & auctoritatem in audiendis confessionibus suorum subditorum reseruaret illibatum per illam clausulam.

Volumus autem &c. vt patet ex quæstione præcedenti,

cedenti, & amplius ex dictis in alio Quolibet. non autem sic temperauit cõcessionem in casibus Episcopalibus, si huiusmodi concessionem intellexisset in casibus Episcopalibus, liberior concessio fuisset eis facta in casibus Episcoporum, quàm sacerdotum. Quare, cum in hoc nullo modo est præsumendum, nullo modo est præsumendum, ꝙ in sua concessione generali concessisset casus Episcopales, nisi sicut temperauit circa casus sacerdotum cum dixit. Volumus autem &c. sic temperasset circa casus Episcoporum. Volumus autem ꝙ ij, qui fratribus confitebuntur eisdem suis Episcopis confiteri saltem semel in anno de casibus, quos eis specialiter iura, vel consuetudo conceduut, nihilominus tenebuntur. Quare cum non sic temperauit, nullo modo sentiendum est, quòd ex illa concessione eis intendebat concedere potestatem super casibus Episcopalibus, sed solùmmodo sup casibus cõcessis sacerdotib. parochialibus de iure communi, & hoc cũ temperamento, vt dictum est.

Ad primũ principale Ad primum argumentum, ꝙ erat in oppositũ. Qui simpliciter concedit nihil excipiendo, totum concedit. Dicendum, ꝙ exceptio quadrupliciter potest fieri à simpliciter concesso, vel per clausulam expressam, & adiũctam, vel per iura communia, vel per consuetudinem, vel per intentionem habitualem concedentis. Et benè verum est, quòd qui concedit simpliciter nihil excipiendo, concedit totum: dum tamen nullo dictorum modorum fiat exceptio per clausulam appositam. Etenim licèt nulla fiat exceptio per clausulam appositam: si tamen fiat aliquo aliorum trium modorum, non conceditur illud, quod illo modo excipitur. Vnde quia declaratio Domini Clementis, qua dixit, ꝙ ex simplici concessione facta fratribus non intelliguntur eis concedi casus Episcopales, secundum prædicta explicat, quod iuris communis est, ex illa declaratione nobis innotescit, ꝙ in concessione facta à Domino Martino casus Episcopales sunt excepti per ius commune. Præterea vt videtur, sunt excepti de consuetudine, quia Dominus Papa ex concessione simplici, & generali non consueuit concedere maiora, vt dictum est. Et præterea quia maiora non debent concedi nisi cum maiori cautela illis, in quib. maior est industria, illi casus sunt excepti ex intentione habituali concedentis, sic quòd si fortè illos casus aduertisset, illos excepisset, si non de iure communi, vel de consuetudine fuissent excepti.

Arg. pri

Ad secundum. Per idem patet ad secũdum, quod non est prohibitum, videtur concessum. Verum est aliqua dictarum exceptionum. Vel vt alij dicunt, illud brocardicum intelligitur in eis, quę sunt amplianda: non aũt in priuilegijs restringẽdis, quale est istud. In talibus enim qd non est concessum, intelligitur esse prohibitũ. Vnde quod supra dictũ est, ꝙ priuilegium largè est interpretandum contra quemlibet excepto eo, qui istud concessit. Dicendum, quòd verum est quando in alterius speciale pręiudicium non vergit. Secus autem est si vergit in illius præiudicium, vt habitum est supra.

In oppos

Primo. Secundo

Responsi

Ad tertiũ Ad tertium, quòd Papa cõcedit eis potestatem plenam. Verum est quantum patitur concessionis modus, & super illa peccata ad quæ extenditur, quæ sunt communia peccata, potestati curatorum de iure communi commissa. Non autem concedit eis plenam simpliciter, quia modus concessionis hoc non patitur.

Comment. in Quæstionem secundam, quæ est,

Vtrum ex commissione generali, qua conceditur aliquibus ex priuilegio, & de gratia speciali posse audire confessiones, & absoluere à peccatis simpliciter, concedatur potestas absoluendi à maioribus criminibus Episcopo reseruatis.

IN tit. pro notitia huius negotij, animaduertendum est, ꝙ solus curatus de iure cõi est ritè audiens cõfessiones subditorum suorum. cæteri aũt, maximè fratres, in fauorẽ populi ex gratia, & priuilegio. quantuncunque autẽ omne, quod pertinet ad audiendas confessiones, & absolutionem à peccatis, reductum sit ad ius commune, nõ tollitur, quin fratres audiant, & absoluant ex priuilegio. vnde tametsi recognoscantur ab Episcopo. tñ adhuc approbati audientes confessiones laicorũ, & absoluentes, id faciunt ex priuilegio. Nunc aũt quæritur si priuilegium ita sonat, ꝙ simpliciter à peccatis absoluere possint, sub hoc simpliciter intelligatur, quòd etiam a reseruatis, ita ꝙ non astringantur edicto particulari Episcopi.

Not. ꝙ tõtum hoc oritur ex priuilegio Papæ Martini ipsis fratribus concesso, vt possent ab omnibus peccatis absoluere venientes ad se, & illis confitentes peccata sua.

In corpore resoluitur quæstio ex declaratione Papæ Clementis successoris Martini, declarantis illud priuilegium, ꝙ ſ. debent excipi casus reseruati, & tantùm intelligantur peccata, quæ de iure communi sacerdos absoluere potest, nisi accipientũ priuilegium specialiter committatur, quare in hac quæstione

Conclusio est, ꝙ non intelliguntur casus reseruati, sed excipiuntur, nisi sit expressa commissio, qua non excipiantur. Patet hæc conclusio ex declaratione Clementis.

Not. quo ad secundã præcipuè partẽ conclus. ꝙ priuilegiũ absoluendi à quibuslib. peccatis, ẽt sedi Apostol. reseruatis cõcessũ fuit quondã præsertim à Leone X. religioni nostræ Cemaldulẽſ. & ab alijs quoq; cõfirmatũ, quæ tñ oĩa, vt sup. ẽt diximus, hoc tempore priuilegia in tñ sunt derogata, & abolita, in quantũ opponuntur iuri cõi, ad quod ea reduxit præser. Gregor. XIII. Et quidem fortè ob id, quod habetur Sess. 24. c. 11. Conc. Trid. ꝙ scilicet priuilegia causa sunt multarũ perturbat.

Not. ꝙ contra conclus. est Siluester in verb. cõfeſſ. p. §. 5. & Gabriel. dist. 12. q. 2 art. 3. & cũ eis alij nonnulli, dicentes Episcopum nõ posse reseruare sibi casus, nè possint ab his priuileg. absolui, qñ nõ possit Eps inferior coarctare priuil. superioris, ſ. Papę. Cæterũ huic rñderet Auctor, ꝙ vtiq; nõ posset coarctare Eps, &c. Sed per hoc nõ sequitur, ꝙ si expresè nõ sit data facultas illis, & nominatim, ꝙ possint absoluere. Quòd aũt ex illo cõi priuilegio nõ sit talis cõmissa facultas, patet ex Clemẽt. vt supr. Et profectò hoc ipe manifestũ est, ꝙ cũ oĩs confessor approbeť ab Epo, qui ideò sibi quoldã casus reseruat, vt sui oõfessores tñ absoluãt à peccatis de iure cõi cõcessis, illi nõ datur facultas, nisi quæ intẽditur cõcedi ab Epo. Et certè hoc videretur absurdũ, ꝙ qui de iure cõi, immo qui de iure diuino vñr proprij sacerdotes subesſent iuri cõi, nec possent ab oĩ b. absolueře: confeſſores verò ex priuileg. possent, vt sit ꝙ ædificaret Eps destruerent fratres. vide Sot. in 4. dist. 18. q. 4. ar. 3.

QVÆSTIO

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum adultos qui ad annos discretionis peruenerunt, non confessos semel in anno omnia peccata sua proprio sacerdoti aliàs eidem non confessa, debeant ipsi prælati Ecclesiarum viuentes ab ingressu Ecclesiæ, arcere, & morientes priuare Ecclesiastica sepultura, prout dicit statutum illud generale. Omnis vtriusque sexus.

Arg. prim.

IRCA tertium arguitur, ꝙ prælati Epi debent pœnis contentis in generali statuto subditos suos quos constat nõ fuisse confessos semel ī anno oĩa peccata sua suo proprio sacerdoti, punire: sic. Extra de maior. & obed. dr̃. Siquis venerit contra decretũ Epi, abijciendus est de Ecclesia. ergo multò fortius, ſiquis venerit contra decretũ generalis concilij Papæ, & Cardinalium, non confessus semel &c. venit contra decretum tale contentum in illa litera. Omnis vtriusque sexus. ergo &c.

In oppoſit.

Contra. Maior est transgressio decretorum in pręceptis decalogi, q̃ decretorũ concilij, sed transgressores decalogi non sic sunt puniendi. ergo &c.

Item talis pœna inflicta talibus magnum scandalũ generaret, propter qđ vitandũ subtrahenda in puniendo transgressores. ergo &c.

Primo. Secundo.

Responſio.

Dicendum, ꝙ frustra essent pœnæ institutæ contra transgressores decretorũ, nisi fieret earũ debita executio. quarũ executio Epis singulis in suis diœcesibus super suos subditos est cõmissa. 2. quæst. 1. Multi. versi. Siquis frater. Executionem aũt à superiori sibi commissam tenetur quilibet exequi ex virtute obedientiæ debitę, & hoc cum tps occurrit opportunũ. aliter. n. esset transgressor, & peccaret per inobedientiã contra superiorẽ. Pœnarum aũt executio tunc est opportuna cũ maleficia sunt cõmissa. vt extra de pœnis. Ea quæ frequenti præuaricatione iterantur, frequẽti snĩa condemnentur. glos. Quotiens quis deliquerit, totiens puniri debet, ne maleficia permaneant impunita. Ipsa enim impunita dimittere, est iustitiam infringere & audaciam delinquendi transgressoribus præbere. Epi ergo non exequentes pœnas iuris cũ maleficia fuerint perpetrata, non solũ peccant cõtra superiorẽ & ita cõtra Deum, cuius locũ tenet, per inobedientiam, sed ẽt per iniustitiã. Cum ergo nec sic, nec sic peccare debeant, debent exequi cõtra trãsgressores pœnas in iure statutas, & sic nõ confitẽtes semel in anno oĩa peccata sua suo proprio sacerdoti, debent per excõicationẽ viuos coercere ab ingressu Ecclesiæ, & morientes priuare Ecclesiastica sepultura. Quare cũ tenent tanq̃ eis clarũ, & nullo modo dubiũ, ꝙ absoluti à fratribus virtute sui priuilegij, teneantur peccata illis cõfessa semel in anno cõfiteri suo proprio sacerdoti nõ minus, q̃ non cõfessa, debent procul dubio cõfessos fratribus virtute sui priuilegij viuos coercere ab ingressu Ecclesię, & morientes priuare Ecclesiastica sepultura, nisi cõfessa illis prius cõfessi suis sacerdotibus vel postmodũ cõfiteantur eis infra elapsum annũ ỹsq; ad Pascha, qũ debent Eucharistiã sumere, cõsimiliter sicut & non confessos fratribus nec proprijs sacerdotibus. Illud. n. statutum. Omnis vtriusq; sexus. continet ius commune, & semper standum est iuri cõi quousq; certũ sit de eius reuocatione. Si verò verba priuilegij fratrũ essent eis ambigua, & de reuocatione illius statuti generalis dubitarent, benè verũ est, ꝙ tũc non deberent procedere ad pœnarũ executionem contra confessos fratribus, & non suis sacerdotibus, sed prius expectare priuilegij interpretationem ab eo, qui ipsum condidit. Sed nũc è contra, postq̃ verba priuilegij Episcopis certa sunt & clara, nec reuocantia illud ius commune, potius procedendum est ad pœnarũ executionem iuris, q̃ expectanda interpretatio priuilegij. & notatur ista distinctio aliqualiter in c. illo extra de iudic. Cum venisset. in glos. Sed est aduertendum ꝙ ad dictarum pœnarum executionem, aut est procedendum contra personas singulares, aut contra communitatem. Si primo modo, statim procedendũ est ad pœnam, ne prauo exemplo vnius corrũpant cæteri, & vt pœna vnius metus sit aliorum. Si secũdo modo, parcendũ est multitudini, nec est procedendũ contra eam ad dictarum pœnarũ executionem, nisi timeatur deterius, vt in proposito amissio iuris prælatorũ circa suos subditos, & subtractio illorum ab ipsorũ obedientia, quod benè timendum est in proposito casu, si subditi non cõpellantur semel in anno confiteri omnia sua peccata proprio sacerdoti ẽt fratribus confessa, vt dicetur in sequenti qõne. Quod si fecissent Epi ab initio qñ fratres vti cęperunt suo priuilegio: æstimo ꝙ fratres, qui modo recusant petere cum Episcopis interpretationẽ sui priuilegij quo ad duos articulos in quibus est discordia inter ipsos, statim concurrendo ad dñm Papam cõquesti fuissent de Episcopis, & per hoc ad suam interpretationem, hoc expositionem dicti priuilegij, quo ad ea in quibus discordant, peruenissent. Et puto ꝙ Episcopis compendiosior via & securior est procedere ad pœnas, q̃ petere priuilegij interpretationem, & ꝙ amplius est. ti. n. eam aggressi fuerint, credo ꝙ statim audient conquestam contra eos, & tunc prouocati venient ad iudicium Papæ, & sentient citò (vt puto) priuilegij interpretationem pro eis.

Argumentum primum concedendum est.

Ad primum argumentum in oppositum, quòd non sic punitur transgressio decalogi: Dicendum, quòd immò debent puniri secundũ modum, quo iura pœnam eorum dictant, & hoc in manifestis, quia in occultis reseruatur iudicium Deo, & sacerdoti in confessione. Si quando verò circa manife-

Ad arg. in oppoſit. primum.

sta delicta contra decreta decalogi non dictat ius commune, illa dimittit punienda ad arbitrium Episcoporum. Etenim licèt maius sit peccare contra decreta decalogi, quàm contra decreta hominum, quia tamen decreta hominum sæpius sunt circa peccata, quæ vergunt in iniuriam proximorum, cum plurima decreta decalogi sint circa peccata, quæ vergunt in iniuriam Dei, ideò apud homines propter publicam pacem habendam plus solet vindicari, quod fit contra proximum, & dimittitur Deo vindicandum quod fit contra ipsum. Vnde acriùs punitur furtum, quàm periurium, cum tamen periurium sit maius peccatum.

Ad secundum, quòd pœnæ illius inflictio magnum scandalum generaret: Dicendũ, quòd propter hoc detrahendum esset seueritati, nec procedẽdum passim, & subito ad illas, sed tunc demum quando timetur periclitari veritas vitæ, quod fortè multum timendum est modo, & ideò potius permittendum est scandalum oriri, quàm veritatem vitæ periclitari, & procedendum ad dictarum pœnarum executionem. *Ad secundum*

Comment. in Quæstionem Tertiam, quæ est,

Vtrum adultos, qui ad annos discretionis peruenerunt, non confessos semel in anno omnia peccata sua proprio sacerdoti, aliàs eidem non confessa debeant ipsi prælati Ecclesiarum viuentes ab ingressu Ecclesiæ arcere, & morientes priuare Ecclesiastica sepultura, prout dicit statutum illud generale. Omnis vtriusque sexus.

TITVLVS satis clarus. Not. autem, ꝙ non intelligit Auctor de illis, qui nec proprio sacerdoti, s. curato, nec fratribus ex priuilegio confessi sunt. De his.n. clara est quæstionis resolutio pro parte affirmatiua. Quippè sit communis, & ab Ecclesia expressissimè statuta, sed intelligit de illis, qui tametsi confessi fratribus sint, non sunt confessi Parocho.

In corpore habet conclusionem affirmatiuam, quam probat ex hoc, ꝙ frustra essent pœnæ institutæ, nisi exequerentur. Quo fit, vt colligat eos non esse rectè confessos, adhoc vt subesse non debeant illi pœnæ.

Cæterum in hoc cautè legendus est Henricus, in hoc negotio, s. quippè iterum supponit illam conclusionem Ioannis de Poliaco, de qua supra dictum est, ꝙ damnata fuit. Veritas autem est, quam tenet vniuersalis, & sancta Ecclesia. Quòd confessi fratribus approbatis ab Episcopo, vel etiam ab ipso Papa specialiter non tenentur iterum confiteri, seu iteratò confessionẽ eandem facere Parocho, siquidem quicunque fratres in aliqua Parochia, vel diœcesi confitentur de expressa licentia Episcopi, vel Papæ, se habent tanquàm proprij sacerdotes. Confitentur inquam, s. confessiones laicorum audiunt. Et quidem ex Concilio Tridentino sess 23. cap. 15. Colligitur, ꝙ si nemo vel sæcularis presbyter, vel regularis potest audire confessiones nisi approbatus ab Episcopo, sequitur, ꝙ approbatus possit. Et sicut eadem est inhabilitas, & priuatio potestatis absoluendi in omnibus ante licentiam, & approbationem Episcopi, ita sit eadem facultas, atque potestas absoluendi post approbationem. Quo fit, vt non sit necessaria huiusmodi iteratio. Et not. ꝙ tametsi sacrum Concilium exprimat, ꝙ nemo de licentia Episcopi, non tollitur ꝙ de licentia Papæ. Quod ex illo Ioan. 22. aduersus Poliacum patet. Et Sotus vbi supra in 4. dist. 18 q. 4. art. 3. Veruntamen quantuncumque de licentia Papæ quis possit audire confessiones, debet tamen si non approbari, saltem recognosci ab Episcopo, vt tanquàm peculiaris Pastor sciat quomodo pascatur grex suus.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum expediat subditis eligere sibi confessores communiter, & regulariter pro voluntate sua.

Arg. prim. primum.

CIRCA quartũ arguitur, ꝙ expedit cõiter subditos pro volũtate sua sibi eligere confessores. Do pœnit. dist. 1. c. prædicto. Quem pœnitet. dr. Qui confiteri vult peccata, vt inueniat gratiã, quærat sacerdotem scientem ligare, & soluere, ne cum negligens circa se extiterit, negligatur ab illo qui eũ misericorditer mouet. expedit ergo pœnitenti quærere confessorem, quod non posset facere, nisi liceret ipsum eligere pro voluntate. ergo &c.

Secundum

Item expedit fratribus, vt ad hoc liberè pro voluntate cuiuscunque eligantur, quia aliter non litigarent propter hoc contra prælatos.

In oppos.

Contra. non licèt quærere semper medicũ corporalem pro sua volũtate, nec expediret. ergo nec spiritualem.

Resp.

Dicẽdum, ꝙ vt puto ista quæstio mota fuit propter priuilegium fratrum. vt. s. expediret fratribus esse concessum, ꝙ quilibet subditus curatorũ pro sua libera volũtate posset eligere aliquẽ ex fratrib. sibi in confessorẽ. Et vr̃ mihi esse distinguendũ, ꝙ eligere confessorem pro volũtate sua contingit ali quẽ dupliciter, aut passim & sine causa rõnabili, & præter consensum proprij curati, aut superioris; aut ex causa rõnabili & de consensu illius, aut superioris. Si primo modo, dico ꝙ nullo modo expedit, vt iã dicetur, immò multũ obesset & pœnitẽti, & reipublicæ. Pœnitẽti, quia frequẽter Pœnitens eligeret sibi confessorẽ condescendentẽ nimiũ, & corã quo minus verecũdaretur, & ob hoc fugeret confessorem sibi deputatũ, ne. s. eum durius tractaret sm̃ quãtitatem & qualitatem criminis, & quia corã eo plus verecũdaretur. Similiter nec expediret reipublicæ, immò smme obesset nisi cogeretur eligens aut prius aut posterius confiteri eadẽ suo proprio sacerdoti. Per hoc.n. ꝙ quis confitetur ali cui & detegit suam infirmitatẽ, concipit verecundiam ad confessorẽ, & fit ei magis obediens & subiectus, & per hoc ꝙ ei subtrahitur & alteri confitetur peccata, quæ non est illi confessus vel cõfessurus, subtrahitur obediẽtia & reuerẽtia ad ipsum.

Vnde

ſubtrahitur obedientia, & reuerentia ad ipſum. Vnde generaliter cõcedere ſubditos poſſe pro voluntate ſua paſſim, ſiue ex cauſa, ſiue ſine cauſa eligere confeſſores extraneos, & dimittere proprios, nec vnquàm confeſſuros illis eadem peccata, eſt quodammodo declinare, vt videtur à meritò Eccleſiaſticæ obedientiæ, quam debent ſubditi prælatis ſuis: & hoc quo ad omnes, & ſimiliter regularis obſeruantiæ, quo ad religioſos. Quæ ſi ſubtrahatur inferioribus. ſ. curatis, re vera redundabit in ſuperiores. ſ. Epiſcopos, vel vſque ad monarcham, quia per obedientiam, & reuerentiam, quã habent ſubditi ad ſuos curatos, conſeruatur & fouetur obedientia ad ſuperiores, ſecundum ℔ hoc amplius declarauimus in alio Quolibet. Subtrahere etiã ſubditos prælatis dicto modo, eſt eis obtegere vultum eorũ, ne eos poſſint agnoſcere, nec ſufficienter conſulere ſi opus ſit, quia à notitia precedentium peccatorum dependet conſultatio medicinalis contra ſequentia.

Si verò eligatur confeſſor ex cauſa rationabili & conſenſu prælati aut ſuperioris, aut ergo conceditur poteſtas eligendi confeſſorem, abſque eo ℔ petatur licẽtia à ſuo ſuperiori, cui aliàs tenetur cõfiteri de iure communi, & abſque eo ℔ illi confiteatur prius aut poſterius alteri confitenda, aut cõceditur, petita tamen & obtenta licentia à ſuo ſuperiori, vel de eiſdem prius illi confeſſione facta, aut poſtmodum facienda. Si primo modo, ſic expedit prælatis pro volũtate ſua eligere ſibi confeſſores, quia frequenter curatos ſuos non habent, & etiam de eorum induſtria in eligendo ſibi idoneos confeſſores multum præſumitur. & ideò hoc eis permiſſum eſt de iure communi, ſecundum ℔ dicitur extra de pœnit. & remiſſ. Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum, permittimus Epiſcopis, & alijs ſuperioribus necnon & minoribus prælatis exemptis, vt etiam præter ſui ſuperioris licentiam prouidum, & diſcretum ſibi poſſint eligere confeſſorem. vbi dicit Gloſſ. ℔ ante iſtam permiſſionem non poterant ſe ſubijcere alicui confeſſori ſine licentia ſui ſuperioris, vt ſupra eodem. Omnis vtriuſque ſexus. Ex quo nota ℔ aliquando omnes Epiſcopi, & Archiepiſcopi vſque ad Papam erant contenti ſub prima clauſula illius generalis ſtatuti. Omnis vtriuſque ſexus. & appellabatur ibi proprius ſacerdos quilibet ſuperior curatus. à quo modo ſunt exempti ſoli prælati, manent ergo adhuc cõtenti ſub ea omnes ſubditi, & ſæculares & religioſi clerici, & laici Quare cum Papa Martinus cõcedit generaliter fratribus poteſtatem audiendi confeſſiones omnium, & abſoluendi eos, qui adhuc cõtinentur ſub illa prima clauſula. Omnis vtriuſque ſexus. ad quam remittit cum dicit. Volumus autem &c. fratres ergo habent poteſtatem audiendi confeſſiones omnium ſubditorum, & abſoluendi eos ſiue ſint ſæculares, ſiue religioſi, ſiue clerici, ſiue laici, niſi quo ad hoc ſint exempti, aut aliquid ſpeciale habeant, quo muniantur, vt confeſſuros tamen ſuo proprio curato eadem, qui in priuilegio domini Martini vocatur ſacerdos parochialis largè ſumpto vocabulo. Ipſi etiam prælati ex iure ſpeciali ſibi conceſſo poſſunt eis confiteri non confeſſuri eadem alijs. Iſto autem modo eligere confeſſorem pro voluntate nullo modo expedit ſubditis, quia habent propè ſe curatos, & de eorum induſtria in eligendo ſibi confeſſoros idoneos non ſic præſumitur, & ideò non eſt illud eis adhuc conceſſum, immò prohibitum, de pœnitentia. diſt. 6. Placuit vt deinceps nulli ſacerdoti liceat quemlibet commiſſum alteri ſacerdoti ad pœnitẽtiam ſuſcipere ſine eius conſenſu, cui ſe cõmiſit, niſi pro ignorantia illius. vbi addit gloſ. Vel pro alia cauſa, quod etiam præceptum eſt in illo ſtatuto, Omnis vtriuſque ſexus. Iſti ergo communi iuri modo derogatum eſt circa Epiſcopos, quo ad illum articulum. Nulli ſacerdoti liceat quemlibet commiſſum alteri ſacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine eius conſenſu, & hoc per illud ius ibi dictum. Ne pro dilatione, in hoc. ſ. ℔ ſine licentia ſuorum ſuperiorum, qui erant illorum curati, & ſine reuerẽtione ad ipſos. Circa omnes autem ſubditos, quo ad eundem articulum per priuilegium fratrum, in quo inhibetur, ne quis fratres in executione audiendi confeſſiones impediat, quod frequenter curati facerent, ſi oporteret ſubditos licẽtiam ab illis petere & obtinere, quo ad hoc derogatum eſt per priuilegium fratrum illi iuri cõmuni. Omnis vtriuſque ſexus. in quo præcipitur, ℔ ſubditus alium confeſſorem non adeat, niſi prius à ſuo curato licentia petita & obtenta, licèt conſeruatum ſit quo ad hoc, ℔ ſemel in anno proprio curato facienda eſt omnium peccatorum cõfeſſio, vt habitum eſt iam ſupra. Et iſtud eſt ſecundum membrum ſubdiſtinctionis, in quo poteſtas eligẽdi confeſſorem conceditur omnibus ſubditis, petita tamen & obtenta licentia adeundi alium à ſuo proprio curato, vel confeſſione de cõmittẽdis alijs facta ſibi vel facienda. Per hunc enim modum expedit omnibus ſubditis eligere pro voluntate confeſſores. Propter quod ſecundum hanc formam conceſſit dominus Martinus fratribus ſuum priuilegium, vt habitum eſt ſupra in quæſtione prima.

Ad primum principale.

Ad illud, quod primo obijcitur, ℔ ius concedit volenti confiteri, ℔ quærat ſacerdotem diſcretum vt inueniat gratiam: Dicendum, ℔ hoc non concedit paſſim faciendum, ſed ſolùmmodo de licentia curati, qui non deberet hoc concedere, niſi ex rationabili cauſa.

Ad ſecundum.

Vnde dicit gloſſ. ibidem. Eius qui præeſt aſſenſu talem adeat. Nunc autem quando aſſenſum non oportet quærere, vt quis confiteatur fratribus, aliud remedium eſt adhibitum, quòd ſcilicet eadem confitenda ſunt illi infra annum. Quod autem aſſumitur, quòd hoc expedit fratribus, benè poteſt eſſe ſi audiant confeſſiones, vt tenentur, diligenter, ſcilicèt admonendo confeſſos ſibi vt ſecundum illud ſtatutum, Omnis vtriuſque

sexus, confiteantur etiam suo proprio sacerdoti. Aliter (vt puto) non expenderet fratribus spiritualiter, licèt fortè temporaliter.

Ad argu. in oppos. Ad argumentum in oppositum, ꝙ nõ licèt passim ægrotum eligere medicum corporalem, quare nec spiritualem: Dicendum, ꝙ verum est, nisi presumatur discretus ad eligendum, sicut præsumitur de prælatis, propter quod concessum est sibi eligere confessores, vt dictum est, quod non concessum est aliis subditis, quia talis discretio non præsumitur communiter esse in eis.

Comment. in Quæstionem Quartam, quæ est,

Vtrum expediat subditis eligere sibi confessores communiter, & regulariter pro voluntate sua.

IN titulo ly expediat stat præsertim pro liceat, & etiam stare potest prout sonat. Verùm quod expedit sic cere videtur, non è contra. Multa.n.licent, quæ non expediunt.

Not. motiuum quæstionis esse ob fratres priuilegiatos. &c. Quasi quæratur vtrum liceat eos eligere, &c.

In corpore habetur diuisio, & subdiuisio, & tribus conclusionibus resoluitur quæstio, ad hanc formam.

Eligere confessorem pro libito vel est

Ex causa rationabili, & cum licentia curati, seu superioris, & aut tunc

Conceditur potestas eligendi confessorem absque eo, quòd petatur licentia à suo superiori, cui aliàs de iure communi tenetur confiteri, & absq; eo, quod illi confiteatur prius, aut posterius alteri confitẽda

Prima Conclusio. Expedit, & licèt prælatis eligere sibi confessorem, cæteris autem nequaquàm.

Conceditur, petita tamen, & obtenta licentia à suo superior, vel de eisdem prius illi cõfessione facta aut postmodum facienda.

Secunda conclusio. Expedit, & licèt cæteris omnibus eligere confessorem.

Sine causa rationabili, & sine licentia proprij curati, atque superioris.

Tertia conclusio. Nulli prorsus expedit, sed obesset plurimum eligere sibi confessorem.

Sic solutam credimus quæstionem. Vbi incipientes à tertia, quando ipsa primò loco probata sit, ipsam ex Auctore probamus. Et primam quidem partem per secundam sic. Quòd obest non expedit talis electio obesset tùm pœnitenti, cùm etiã reipub. igitur Maior nota est. Minor verò probatur, primò de pœnitente. Quia plerunque eligeret condescendentem nimium, & coram quo minus verecundaretur. Cum tamen hæc maximè pœnitenti videantur necessaria. Secundò, quo ad rempub. probatur. Quia qui confitetur proprio sacerdoti, magis verecundatur, & ideò magis fit obediens, contra verò minus verecundatur.

Not. ꝙ vsus obtinet contrarium, & in ciuitatibus plurimi vtriusque sexus sibi eligunt confessarios, & quidem etiam audientes ex priuilegio, quippè non sint curati, siue parochi. sed non est dicendum ꝙ hoc non sit confiteri proprio sacerdoti.

Proprius siquidem sacerdos est, quicunque approbatur ab Episcopo, omnes autem approbantur ab Episcopo, & recognoscũtur ab eo. Auctor autem loquitur fortè pro tempore suo, in quo ex priuilegio absolute audiebant confessiones absque approbatione Episcopi, & recognitione, ad quod obuiauit sacrum Concilium Trident. sess. 23. cap. 15. de reform. Quo fit vt iam omnes possint eligere quem voluerint. sufficit autem vt in Pascahte recognoscatur Parochus quo ad Sanctam communionem, à qua tamen quosdam aliàs confessos arcere potest, & eis illam denegare, rationabilibus accidentibus, quæ occurrere possunt. Vnde esto, quis eligens sibi alium confessorem, qui vitam suam non agnoscat, quæ tamen vitijs scandalosissimis plena est. Irrationabilis causa est, & illi Parrochus potest denegare, vt resipiscat, & cæteri scandalizentur. Non est tamẽ quòd si verè pœnitens fuit, & ab habente auctoritatem absoluendi absolutus sit, quòd absolutio non teneat.

Cæteræ autem conclusiones satis notæ videntur.

Not. verò pro illo statuto, quod citatur. s. Nulli sacerdoti liceat, &c. ꝙ in primis intelligitur de non approbatis. Secundò de non approbatis in eadem diœcesi, & eodem Episcopo. Vsus autem obtinet, ꝙ modo confitentes ex priuilegio approbati ab Episcopo, & recogniti idonei iuxta Concilij formam, possunt quemlibet suscipere ad pœnitentiam, dummodo sit illius diœcesis, in qua approbati sunt. Vel si alterius, profectò de illis, qui excipiuntur, vt vagabundi, scolares, &c.

Not. Primam conclusionem esse etiam in c. vlt de pœnit. & remiss. Et D. Thomæ in 4. dist. 17. & Pall. & aliorum Secundã verò Gul. & aliorum. Sed intelligenda est de non approbatis. Quòd scilicet nemo potest eligere sibi confessorem de non approbatis sine licentia, quia approbati sunt omnes proprij sacerdotes, quantum ad sacramentum pœnitentiæ, tametsi quo ad alia sacramenta, quorum minister sacerdos est, sit ipse Parochus specialis. vbi autem obtinetur licentia, vt possit quis eligere sibi talem confessorem de non approbatis, tunc videtur ille sacerdos approbari singulariter, & fieri proprius, sed illi singularis sacerdos.

QVAE-

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Corpus Christi viuum, & corpus Petri viuum sint idem specie.



EQVVNTVR quæsita de eis, quæ pertinent ad corpora sancta Christi & beatorum: & erant duo. Vnum de identitate secundum speciem Corporis Christi, & Petri. Vtrum.s.Corpus Christi viuum,& corpus Petri viui sint idem specie.

Aliud erat de adoratione corporis Petri vel alterius mortui. Vtrum.s.corpus Petri mortuum sit aliqua adoratione adorandum.

Arg. prin. Circa primum arguitur, ꝙ Corpus Christi viuum,& corpus Petri viuum non sunt idem specie, quia Corpus Christi viuum, & mortuum est idem numero,quia manſit in morte incorruptum,secundum illud Psalm.Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, vt alibi expositum est, & iam amplius exponam. Corpus autem Petri viuum, & mortuum differt nō solùm numero, sed etiam specie, quia forma corporeitatis Petri viui, in morte omninò corrupta est, & corporeitas cadaueris introducta est,quæ specie differt à corporeitate Petri viui.hoc autem non esset,si Corpus Christi viuum & Petri viuum essent idē specie, quia formæ eiusdem speciei eodem modo se habēt ad suas priuationes.ergo &c.

In oppoſit. Contra.quæ æqualiter participant naturam, & speciem naturæ, quia species sequitur naturam. Christus,& Petrus æqualiter participant hominis naturam,quia Christus non nisi naturam nostram totam assumpſit,quia non nisi illam,quam assumpſit, redemit. eiusdem ergo naturæ sunt Corpus Christi viui & Petri,& æqualiter participant naturam corporis,quare & speciem corporis,talium autem corpora sunt eiusdem speciei.argo &c.

Reſpenſio. Dicendum ad hoc, ꝙ cum duplex sit species, specialiſſima.s.& ſubalterna,& de idētitate speciei ſubalternæ non est ista quæstio intelligenda, sic enim omnia corpora naturalia completa, & terminata vltima differentia eiusdem speciei sunt,vt hominis,asini,lapidis,& arboris, & omnium indiuiduorum suorum,quia omnia continentur ſub corpore ſimpliciter, quod est species ſubſtantiæ. Et sic idem est corpora aliqua esse idem specie & genere,quia idē corpus ſimpliciter quod est species ſubalterna reſpectu ſuperioris,est genus ſubalternum reſpectu inferiorum, ſed species inquantum conſideratur ſecundum rationē corporeitatis ſimpliciter.genus verò inquātum illa corporeitas habet determinari per diuerſas differentias & contrarias, quouſque deſcendat in ſpecies ſpecialiſſimas rerum corporalium. Est ergo quæſtio propoſita intelligenda ſolùmmodo de ſpecie ſpecialiſſima,quæ ratione indiuiduis ſignata est,& non determinata diuersis differentijs ſubſtantialibus.

Dicitur enim ſpecies ſpecialiſſima omnis forma communis comparata ad indiuidua, vt ſolo numero differentia,& nulla differentia ſubſtantiali formæ communi in eis ſuperaddita. Sed ſic poteſt dici forma communis ſpecies ſpecialiſſima dupliciter,propriè.ſ.& communiter. Propriè quando forma illa non eſt nata determinari per differentias contrarias ſubſtantiales, & continet indiuidua ſignata,quę nullo modo nata ſunt diſtingui per differentias cōtrarias ſubſtantiales, ſicut ſunt ſpecies ſpecialiſſimæ, homo, aſinus, leo, & huiuſmodi. Communiter autem dicitur ſpecies ſpecialiſſima, qñ forma cōmunis, quæ nata eſt determinari per differentias contrarias ſubſtantiales,& indifferenter continet indiuidua diuerſarum ſpecierum,quę diſtinguuntur inter ſe per differentias ſubſtantiales, & ſimiliter indiuidua ſpecierum ſingularum, quæ inter ſe nulla differentia ſubſtantiali differūt, conſideratur ſimpliciter,vt nulla differentia determinata,& vt ad omnia illa indiuidua comparatur, inquantum non determinantur per differentiam alicuius ſpeciei, ſed per formam ſui communis ſignatam tantùm.

Sic dicimus,ꝙ corpus ſimpliciter eſt ſpecies ſpecialiſſima ad quodcunque corpus inquantum eſt corpus ſimpliciter. Et refert multum quærere de duobus corporibus indiuidualibus completis ſecundum formam vltimæ differentiæ. Vtrum ſint idem corpus ſpecie primo modo ſpeciei ſpecialiſſimæ, & ſecundo. Vnde ad quæſtionem ſimpliciter dicendum eſt,ꝙ Chriſti corpus viuum,& Petri corpus viuum ſunt idem corpus ſpecie, ſicut & corpus Petri viuum,& corpus Pauli viuum. Aliter enim Chriſtus non haberet vniocè humanam naturam nobiſcum, nec eſſet vniocè homo nobiſcum. Sed ſunt idem corpus ſpecie ſpecialiſſima propriè dicta, inquantum corpus humanum, & differunt ſolo numero, & hoc ideò, quia dicunt duas ſignificationes corporis humani ſecundum vnam differentiam ſpecificam completam. & ideò ſunt etiam idem corpus hominis ſpecie, & ſimiliter corpus eiuſdem hominis ſpecie, & hoc ideò quia ambo.ſ.Chriſtus & Petrus ſunt idem homo ſpecie. Participatione enim ſpeciei (vt dicit Porphyrius) plures homines ſunt vnus homo. Et ſecundum hoc concedendum eſt ſecundum argumentum.Sunt verò idem corpus ſpecie ſpecialiſſima communiter dicta & differunt ſolo numero inquantum huiuſmodi, inquantum ſunt corpus ſimpliciter, & hoc ideò quia dicunt duas ſignificationes corporis ſimpliciter ſecundum differentiam ſpecificam incompletam, licèt inquantum huiuſmodi non ſunt idem ſpecie ſpecialiſſima propriè dicta.

Per quod patebit responsio ad primum argumentum. Sed priusquàm respondeamus ad formam argumenti, oportet primò videre in Petro, an ipso mortuo aliquid formæ, vel aliqua forma maneat, quæ prius fuit in ipso sub forma, vel sub aliquo formæ vitæ, & deinde idem in Christo, & maximè quo ad rationem corporis siue formæ corporeitatis simpliciter. Et quia corporeitas duplex est. s. Mathematica. s. secundum formam accidentalem quantitatis, & substantialis secundum formam essentialem substantiæ. Primò videndum est an in Petro mortuo maneat aliquid corporeitatis accidentalis, quæ prius fuit in viuo. Deinde vtrũ aliquid corporeitatis substantialis. Consideratio autem de primo non refert in Petro viuo & mortuo, & in quocunque generato, & corrupto. Est autem de hoc sentiendum, secundũ quod pluries in alijs quæstionibus tetigi, quòd eadem quãtitas dimensiua interminata est in omni generato & corrupto, & manet ingenerabilis, & incorruptibilis, quæ tamen non est aliquid existens in potentia materiæ, sed est in sua essentia, differens secũdum actum à materia, & aliquid imperfectum: perfectibile autem secundum diuersas terminationes, quam in omni motu, & transmutatione secundum formas supponit actio naturæ, & est ex seipsa in potentia ad diuersas terminationes dimẽ siuas, sicut materia prima ex seipsa est in potentia ad diuersas terminationes substantiales. Sed istam terminationem aliqui ponunt in quantitate dimẽ siua per aliquid sibi intrinsecum de genere quantitatis, & sic determinantes quid sit dimensio interminata, dicũt quòd si superficies tollatur à corpore, manet corpus interminatum, si tollatur linea à superficie, manet superficies interminata. Similiter si tollatur punctus à linea, manet linea interminata. Dicunt etiam quòd tota ratio interminationis, quæ est in quantitate, oritur à pũcto. Sed sic ponere dimensiones interminatas non contingit in rerum natura, sed in imaginatione ficta tantùm. Vnde nec contingit ipsas sic intelligere, quoniam vt dicit Philosophus 2. Metaph. Linea si non aptatur stare super duas dimensiones .i. super duo puncta impossibile est, vt comprehẽdatur per intellectum. Et ideò qui cum sua imaginatione accipit lineam infinitam, non determinabit dimensiones eius, idest puncta.

Quare cum dimensionem interminatam oportet ponere in materia, secundum quod ipsa est subiectum transmutationis naturalis, succedentibus sibi inuicem diuersis formis naturalibus, quia omnis transmutatio naturalis est in quanto, & supponit quantum, quod propterea etiam de necessitate præsupponit iste terminus transmutationis, & sic necessariò præcedit formam substantialem in materia: præcedere autem non potest vt terminata, quia non habet terminari, nisi per formam naturaliter præcedentem: ergo præcedit vt interminata, & sic oportet dimensionẽ ponere, vt aliquid in materia secundum veritatem extra imaginationem: extra imaginationem autem impossibile est ipsam ponere nisi inter suos terminos stantem, & sic vt terminatam terminatione quanti, quæ est terminatio Mathematica, sine qua non potest esse quantitas dimensiua in re extra imaginationem. Vnde quantitas quæ est dispositio subiecti in trãsmutatione media inter duas formas sibi succedentes in eadem parte materiæ, semper est terminata terminis quantitatis. Aliter enim sicut subiectum mutatur de forma in formam, quæ sibi succedunt in materia, quibus ipsa terminatur ex se existens indeterminata: similiter dimensio mutaretur de terminis in terminos quantitatis, qui sibi succederent in ipsa dimẽsione, quibus ipsa terminaretur, ex se existens interminata, quod falsum est.

Est enim semper inter eosdem terminos manẽtes, sicut & ipsa materia manet in tota transmutatione à forma in formam, vt iam patebit, & etiam sub vtraque forma. Quod patet duplici exemplo. Si enim vinum replens dolium mutetur in acẽtũ, non dicitur dolium euacuari, & si reuertatur per miraculum acetum in vinum non dicitur de nouo impleri, & hoc ideò, quia illud vnde & vinum, & acetum contenta sunt, & repletiua dolij, manet. s. dimensio, & hoc non nisi terminata superficie, quia interminatum, nec continetur, nec replet. Item dolium ligneum si mutetur in plumbeũ non desinit continere idem quod prius, & si reuertatur plumbum in lignum, non incipit de nouo continere quod prius: & hoc ideò, quia illud vnde continet manet. s. dimensio, & hoc terminata, quia interminatum non continet, sicut nec continetur. Alio igitur modo oportet ponere dimẽsiones interminatas esse, & alio modo terminari. Dicendum, quòd in quantitate dimensiua duplex est terminatio. Vna Mathematica, quæ est in sola quantitate, & est illa, de qua iam sermo habitus est, cui respõdet interminatio terminorum subtractione per imaginationem, propter quod est in sola imaginatione, vt dictum est.

Est autem altera terminatio quantitatis dimensiuæ naturalis, quæ non est per aliquid intrinsecũ quod est de genere quantitatis, sed per extrinsecum, quod est de genere substantiæ, vt per formas substantiales ad quas sequit ipsa terminatio quantitatis secundum exigentiam ipsius formæ.

Omnium enim naturæ constantium statuta est ratio, & terminus magnitudinis, & augmenti, vt dicit Philosophus. Vnde tales termini mutantur in ipsa quantitate secundum mutationem formarum, dimensione eadem terminata in materia semper manente. Hinc dicit Auerr. in libro de substantia orbis. Quando de aqua generatur aer, non cessat natura extendere materiam, quousque fiat proportionalis aeri, & improportionalis aqua, & è conuerso quando de aere generatur aqua, non cessat materiam contrahere. Vnde ista terminatio non est terminatio quanti sub ratione quanti

simpli-

simpliciter, sed solùmmodo sub ratione rari, & densi. Et est dimensio interminata dimensio stans inter terminos eosdem quantitatis terminatione quanti per indifferentiam se habens inter magis extensum, & minus, sicut contingit planè cum de maiori circulo fit minor, vel è conuerso, sola variatione in raro, & dēso nullo adito, nullo remoto. Ibi enim dimensio manet inter terminos eosdem quantitatis, sed variatur secundum rationem maioris, & minoris, & est interminata in sola transmutatione media inter duas terminationes, vel inter vnius formę corruptionem, & alterius generationem, sub quibus dimensionem est necesse esse terminatam. Sed impossibile est ipsam sub illis eādem habere terminationem secundum extensionem, quamuis quandoque ipsæ terminationes sub ipsis formis diuersis sunt multum similes, & apud densum indistinctæ, vt patet in vino, & in aceto, & in viuo, & in mortuo. Et est ista terminatio quanti non secundum quod est quantum sicut præcedens, sed secundū quòd est rarum, & densum, quæ in hoc sunt principia omnium naturalium trāsmutationum, vt vult Philosophus 4. Physico. Et ex hoc contingit sic definiri rarum, & densum à Philosopho. Dēsum est cuius partes propinquę iacēt. Rarum autem cuius partes distant. Quod non est intelligendum propter aliquas partes materiæ cō quassatas, & compactas magis in denso, q̄ in raro, vt aliqui voluerunt dicere, sed quia à pūcto signato in medio densi, omnes partes eius circunstātes minus distant ab illo puncto, quàm partes rari à puncto medio signato in ipso. Propter quod si ex rarò fiat densum, vel è conuerso, impossibile est dimensionem eodem modo esse terminatam ista terminatione naturali, quæ consistit in extensione secundum magis, & minus, & eadem ratione impossibile est qualitatem, quæ acquiritur per transmutationem alterationis, per variationem subiecti secundum rarum, & densum eodem modo esse terminatam terminatione naturali, quæ consistit in intensione secundum magis & minus, & hoc in qualitatibus recipientibus magis & minus.

Terminatione enim, & interminatione naturali non solum contingit quantitatem esse terminatā, & interminatam, sed etiam qualitatem. Et secundum hoc qualitates symbolæ secundum esse, & gradum interminatum inter magis, & minus semper manent eædem in generato, & corrupto, sed solum variantur secūdum gradum terminationis penes magis, & minus sub diuersis formis substātialibus. Propter quod in habentibus symbolum non solum facilior est transitus in transmutatione ab vno in alterum, vt patet in aere, & igne: cum.n. de aere fit ignis, intenditur calor, qui per intēsionem fit improportionalis formę substantiali aeris, & proportionalis formæ substantiali ignis: quod enim facit materiam priori formę incompossibilē, facit ei necessitatem suscipiendi formam posteriorem, & sic semper vnius formæ generatio est alterius corruptio, sed etiā post trānsitum maior manet similitudo inter generatum, & corruptū, quo ad quantitatum, & qualitatum terminationem sub vtroque, & hoc maximè in illis, quæ sunt naturæ vicinæ, vt etiam sensu quandoque inter duas terminationes differentia discerni non possit, vt patet quo ad dimensiones, & figuras, & quædam alia accidentia & in viuo, & in mortuo: in vino, & in aceto.

Sic ergo patet ex dictis, quòd in mortuo aliqd manet corporeitatis accidentalis, quæ prius fuit in viuo. s. ipsæ dimensiones corporis interminatæ, quæ necessariò aliter terminatæ sunt in viuo, quā erant in mortuo, & quo ad hoc corpus quoquo modo est idem numero in viuo, & in mortuo. s. quia materia manet eadem, & dimensiones aliqualiter eædem in vtroque. Nec quo ad hoc vlla est differentia omninò in Christo & Petro, in asino & boue, & vniuersaliter in quocunque generato, & corrupto. Ex quo aliqui ponentes formā vnicam in quocunque vno, istam identitatem corporeitatis accidentalis vlterius extendunt ad aliqualem idētitatem corporeitatis substantialis: dicendo, quòd eadem est forma in eodem, per quā ipsum est substantia, corporeum, viuum, & sic de cæteris. Sed quòd materia ipsa, vt est aliud a forma quoquo modo sit corporea, hoc ab eodem habet viuum, & mortuum, & vniuersaliter generatum, & corruptum. s. ab ipsa dimensione, & secundum hoc ipsa corporeitas aliquo modo manet eadem in viuo, & mortuo generato, & corrupto. s. id à quo sumitur corporeitatis ratio, sed semper manet idem numero. s. materia sub dimensione ad quam forma, quæ anima est, manens in morte habet aptitudinē, & ordinem, vt harmonia, & organizatione reparatis, illi iteratò vniatur.

Est igitur, vt dicunt idem corpus viuum, & mortuum, quia materia sub dimensionibus interminatis manet eadem, habens partes substantiales suas sub partibus dimensionum, & forma, quæ est anima, sub terminata habitudine illud respicit in habitu, quod prius respicit, & postea respiciet in actu. Dictum istud quo ad corpus, quod est genus, vel aliquid per se in genere, nullam omninò potest habere efficaciam. Forma enim substantialis, à qua aliquid est substantia, secundum rationem generis generalissimi non descendit in speciem siue subalternam, siue specialissimam, nisi p differentiam substantialem in essentia eiusdē formæ fundatam, secundum quod aliàs exposuimus. Si ergo descendat in speciem subalternam, quę est corpus, vt cōstituat ipsum habendo rationem corporeitatis, hoc est per differentiam substantialem in eo superuenientem rationi generis: non autem per aliquid accidentale, cuiusmodi sunt dimēsiones prædictę in materia. Nec ad hoc facit aliquid in homine habitudo animæ separatæ ad illud, quia habitudo talis non tollit, quin corporeitas illa non sit nisi purè accidentalis.

Et

Et ita si secundum illas dimensiones sint quoquo modo idem specie corpus viuum & mortuū, illud non est nisi accidentale, aut non substantiale per formam substantialem.

Secundum membrum.

Ad præsens autem de sic substātiali quærimus, Vtrum est idem in mortuo id quod fuerit in viuo, quod est secundum membrum supra positum. Et est dicendum, quòd de identitate corporis in mortuo, & viuo contingit loqui tripliciter, quia aut intelliguntur esse idem completa corporeitate in vtrisque, aut incompleta in vtrisque, aut cōpleta in vno, incompleta in alio. Loquendo verò de identitate corporis in viuo, & mortuo, primo modo, dico, quòd tam secundum illos, qui ponunt plures formas in omnibus, aut solum in homine, quàm secundum illos, qui ponunt in nulla re esse plures formas substantiales, nullo modo est idem corpus viui, & mortui, neque substantiale, neque accidentale. Quoniam autem aliquid dicitur corpus simpliciter, siue ab eadem forma, qua dicitur homo, vel asinus, siue ab alia, illud habet rationē corporis imperfectam, & interminatam, nec potest habere rationem perfectā corporis huius speciei, vel illius, nisi sub ratione vltimæ differentiæ, si tantùm sit vnica forma, vel sub ratione vltimæ formæ, si sint plures in eodem. Sicut enim dictum est supra de dimensionibus, & qualitatibus interminatis & terminatis, quòd inquantum præcedunt formam substantialem habent rationem imperfecti, & incompleti & interminati: rationem autem perfecti & completi, & terminati non nisi sub forma substantiali, & ab ipsa, sic intelligendum est in formis pluribus secundum gradus recipientibus, & in differentijs pluribus secundum ordinem in eadem forma secundum rem differentibus virtute solùm, siue secundum completum & incompletum, ꝙ sicut ibi non est eadem dimensio & qualitas omninò, & simpliciter in viuo, & mortuo, & vniuersaliter in generato, & corrupto: quia completiones, & terminationes, quæ sunt sub diuersis formis, aut diuersis differentijs, omninò sūt diuersæ, & sub alio & alio gradu perfectionis, secundum quod ipsæ inter se habent alium & alium gradum perfectionis, vt prædictum est, sic & hic in formis substantialibus, & differentijs.

Corporeitas enim simpliciter, siue substātialis, siue accidentalis, quæ est in homine, licèt sit hominis, vt simpliciter consideratur: non tamen est humana, nisi vt est forma hominis, vel sub differentia vltima, à qua homo est homo, sub qua aliū habet gradum perfectionis, & terminationis, quàm habet sub aliqua alia forma, vel sub differentia præcedente, vel si ponatur per se sine terminatione per vltimam formam, aut differentiam, vnde in proposito loquendo de homine mortuo, etsi eadē corporeitas manet, quæ erat prius in viuo siue substantialis, siue accidentalis quoquo modo, nullo modo tamen posset eadem esse simpliciter secundum eādem perfectionem, & completam terminationem, quia si in mortuo sit sub alia forma substantiali, ibi necessariò est sub alio gradu terminationis inquantum est sub illa, quę erat sub viuo: & ideò non simpliciter est idē, sicut nullo modo potest esse simpliciter idem calor, & eadē corporeitas siue substantialis, siue accidētalis in aere, vt est terminatus sub forma aeris, quæ prius fuit in igne, & terminatus sub forma ignis, de quo generatus est aer. Vt sicut non possum dicere, ꝙ corpus aeris est corpus ignis, aut quòd sunt idem corpus, aut ꝙ corpus vermis generatum de boue sit corpus bouis, aut quòd idem sit corpus vermis, & etiam bouis, sic non possum dicere simpliciter, ꝙ idem sit secundum esse terminationis completæ corpus viui, & mortui, aut ꝙ corpus mortui est corpus viui, neque etiam in Christo viuo & mortuo, quia non secundum illam perfectionem corporeitatis, quam ab anima recepit in viuo, à qua dicitur in viuo corporeitas humana, quæ non manet in mortuo, vt iam amplius patebit. Et quæcunque corpora secundum istum modum sunt eadem specie: ipsa necessariò sunt eadem specie specialissima propriè dicta. Loquēdo verò de identitate corporis secundo modo dico, ꝙ in homine secundum ponētes solam animam rationalem esse formam in illo, nullo modo est idem corpus viui, & mortui, quia separata anima nihil manet formæ substantialis, quæ prius erat.

In alijs autem, & etiam in homine secundum ponentes plures formas in ipso, aliter respondendum est secundum opinionem ponentium, quòd corporeitas substantialis interminata manet eadē in generato, & corrupto, sicut accidentalis, & nō fit resolutio per corruptionem in formis substantialibus vsque ad primam materiam, sed stat in forma corporeitatis simpliciter, & secundum opinionem ponentium, quòd nihil formæ substantialis manet idem in generato, & corrupto, sed fit resolutio vsque ad primam materiam.

Tenendo primam opinionem, sic dico, ꝙ secūdum omnes ponentes plures formas in eodem, idem est corpus simpliciter & secundum numerū siue substantiale, siue accidentale viui & mortui, & vniuersaliter corrupti, & generati, quia corpus interminatum quodcunque idem est in quocunq; fuerit secundum quod prædictum est de dimēsionibus interminatis, quæ ipsum sequuntur. Et sic secundum illos non plus est idem corpus Christi viuum, & mortuum, quàm corpus Petri viuum & mortuum, nisi quòd in Christo idem est suppositū in viuo & mortuo: & ideò in ipso idem est corpus in supposito viuum & mortuum, quod in nullo alio contingit. In quolibet enim alio per separationem animæ noua forma introducta est, secundum quod in alijs Quolibet determinauimus. Et secundum tenentes hanc opinionem eadem corporeitas, quæ est in viuo non solum manet post eius corruptionem, sed etiam præfuit ante eius generationem, secundum quod ponēs istam positionem

nem dicitur in Comment. super de duabus naturis. Sic sine componentis alicuius confusione compositis cōponentia sunt quod erant, siue simul alia cum alijs siue per se sola sine alijs, nec tantùm dum manent in illius compositionis habitu, sed etiam antequàm ipsa iam existentia componantur, & postquàm à seinuicem fuerint dissoluta. Nam quicunque nondum generatus futurus est homo iam corpus est, vt Antichristus. Quicunque verò iam dissolutus anima, & corpore non est homo, adhuc est corpus, & spiritus. Quod probatur per illa corporis, atque spiritus propria, quę verò de nondum conceptis & iam dē dissolutis dicuntur, vt de Antichristo dicitur, ꝙ est in lumbis paternis, & de phaetonte, ꝙ est situs in sepulcro, quæ neque de illo, neque de isto dicerentur, nisi & ille iam esset & iste adhuc esset genere corpus. Et secundum istum modum corpora non sunt eadem, neque secundū speciem specialissimam communiter dictam. Tenendo verò secundam opinionem, dico, ꝙ in nullo alio à Christo est idem corpus numero in mortuo quod fuit in viuo, neque in corrupto quod fuit in generato, nisi secundum illos, qui ponunt plures formas in eodem, sed vnam gradatim corrūpi post aliam, vel vnam secundum diuersa esse corrumpi gradatim vsque ad primam materiam. Isti.n. non statim ponūt corporeitatem viui omninò corrumpi in mortuo. & ideò ponunt eandem formam substantialem manere in mortuo, quæ fuit in viuo vsque ad tempus, licèt non semper, prout amplius iam declarabimus. Loquendo verò de indentitate corporis tertio modo sic dico, vt prius, & eadē de causa, ꝙ in homine secundum ponentes solam animam rationalem esse formam, nullo modo est idem corpus viui, & mortui. In alijs autem & etiā in homine secundum ponentes plures formas in ipso semper est corpus idem incompleta corporeitate in viuo & mortuo, quia in viuo ipsa est completa sub suo complemento, in mortuo autem ipsa est incompleta absque illo complemento. & hoc secundum primam dictarum duarum opinionum. Secundū autem vtranq; opinionem, in solo Christo est eadem forma corporeitatis viui sub complemento animæ, & mortui absque omni alterius formæ complemento, quia in Christo viuo corporeitas est actu terminata in gradu dignitatis secundum rationem animæ, in Christo mortuo est solū terminata in habitu per eandem formam animæ, quæ habet ordinem essentialem, & inclinationem ad illud terminandum, & in terminatione perficiēdum, secundum dispositiones quas anima sua separatione ab eo subtrahit. Et sic transmutatio mortis Christi terminata est non ad nouam formam, sed tantùm ad aliquid positiuum. s. ad formam corporeitatis sub gradu dignitatis inferiori non contrario, qualem haberet si noua forma fuisset introducta, sed priuatiuo, quia sub gradu incompletiori qui perficitur vsque ad gradum superiorem, & perfectiorem reuertente anima in sua resurrectione. Vt non solùm verum sit de corpore nostro, sed ēt de corpore Christi, illud quod dicit Damasc. Resurrectio est illius qđ cecidit reparatio, licet quo ad plura corpora nostra redacta in puluerem sunt reparanda, q̄ erat Corpus Christi. Non ergo dixit Damasc. ꝙ resurrectio est iterata vnio animæ cum corpore, quod esset verum si nihil corpori subtractum esset reparandum, quod modo non est verū, quia oportet corpus mortuum in resurrectione in dispositionibus innouari, & substantialibus secundum omnem gradum, qui est in genere substantię, & accidentalibus eis respondentibus, non solum quas habuit in viuo, de quibus sunt illæ, quæ pertinent ad harmoniam elementorum, & qualitatū elemētarium, & dispositiones organorum, scilicet quæ pertinēt in iustis ad corporis dotes, quæ sunt claritas, subtilitas, & immortalitas. Vbi est aduertendum, ꝙ si aspiciamus ad illas dispositiones terminationum, quas habuit ab anima, & sub anima in viuo, non est idem Corpus Christi viui & mortui, quia illis dispositionibus priuatum est corpus mortuum, quas habuit in viuo. Est tamen idem numero pro tempore quo ponunt aliqui nullam nouam formam introduci in mortuo, & hoc quo ad hoc, ꝙ corpus in mortuo est incompletum priuatum complemento, quod est in viuo sub suo complemento. Vnde in talibus quando nomen corporis de se non includit rationem complementi, benè dicitur & vniuocè & in viuo & in mortuo idē, ut sunt omnia nomina partium corporis homogenearum siue non organicarum; Benè enim dicitur ꝙ caro erat uniuocè in Christo uiuo & mortuo. Quando uerò formaliter in suo signato includit rationem complementi, & ab illo imponitur, non dicitur uniuocè in uiuo & mortuo idem, sed æquiuocè tantum ut sunt omnia nomina partium corporis homogenearum siue organicarum. Oculus enim, quia est nomen impositum parti corporis, ut est perfecta ui uiua ab anima, ideò non benè dicitur ꝙ est idem oculus Christi uiui & mortui uniuocè, sed æquiuocè tantùm. & sic de similibus. Vnde in alijs omnibus à Christo, in quibus nomina sunt æquiuocè in uiuo & mortuo, secundum opinionem dicentium ꝙ in corruptione statim fit resolutio usque ad primam materiam, magis manifesta est æquiuocatio in partibus organicis, q̄ in consimilibus partibus ex quibus constant, & hoc quia forma earum secundum ꝙ huiusmodi magis est manifesta quando adest & abest, q̄ illarū. dicente Philosopho. 4. Metaph. Homo mortuus æquiuocè, & manus defuncti æquiuocè, & uniuersa organa. minus uerò de carne & osse talia manifesta. Hoc. n. pro quocunque & causa formalis minimè in istis manifestum est, ubi plurimum materiæ; uniuersa autem sunt determinata opere. Quæ.n. possunt facere, suiipsius opus est singulum, quemadmodum oculus uidet, quod uerè non potest æquiuocè, ita sanè & caro. sed opus ipsius minus est manifestum. Similiter in plantis, atque inanimatacę-

ra, ęs,

ra, æs, & argentum: vniuersa quippè virtute quadam sunt, qua de re quando existit, & quando nō: non facilè prospicere nisi valdè imbecille sit, & figuræ solæ sunt reliquiæ, quemadmodum veterū corpora mortuorum subitò cinis fiunt in sepulchris.

Ad argu. principale

Ad formā igitur argumenti, quòd corpus Christi mortuum & corpus Petri mortuum non sunt idem specie: ergo nec Petri viuum & Christi viuum: Dicendum, quòd sunt idem specie mortuū mortuo, sicut viuum viuo, præter hoc, quòd viuū est idem viuo completa corporeitate secūdum speciem specialissimam propriè dictam: mortuum autem mortuo secundum incompletam, & secundū speciem specialissimam communiter dictam: sic tamē ꝙ Petro mortuo corpus interminatum est sub opposita terminatione, quàm fuit in viuo, nullo modo natum esse sub imitatione, quam habuit in viuo. In Christo verò mortuo corpus interminatum sub nulla terminatione est: natum tamen esse sub eadem terminatione, sub qua fuit in viuo secundum numerum, non secundum speciem tm̄. Sed in Christo mortuo hoc accidit. Essentialiter n. & naturaliter q̄ um est de natura humana noua forma introducta fuisset in Christi corpore si sibi relicta fuisset, sicut & fuit in materia corporis Petri, vt alibi exposuimus, & fuissent illæ duæ formæ nouæ eiusdē speciei cadaueris in Christo mortuo, & in Petro mortuo, sicut & duæ animæ separatæ p mortem sunt eiusdem speciei in Christo viuo & in Petro viuo. Nunc autem per miraculum retēta est corporeitas Christi interminata absque introductione formę cadaueris, quod maximè habent necesse negare illi, qui dicunt, quòd in homine nulla est forma substātialis secundum rem nisi anima rationalis: quia enim constat, quòd ipsa tota separatur in morte, nullo modo possunt ponere, ꝙ corpus viui & mortui eiusdem hominis ad separationem animæ sit idem numero, sed tantùm specie, & sub opposita terminatione quæ fuit in viuo. Sunt tamen tres modi, quibus ponentes, ꝙ non sit forma in homine, nisi anima rationalis, idem ponunt fuisse corpus Christi viuum, & mortuum. Quorum primus est dicentium, quòd corpus pars hominis non est aliud, quàm materia extensa dimensionibus. Sed tunc corpus sub substantia non esset species subalterna, quia non species, neque specialissima, neque subalterna, nisi per differentiam formalem. Vel sumetur corpus æquiuocè hic & ibi. Sed non est ita. Corpus enim substantia vno modo est materia omnium substantiarum corporearum in specie specialissima subsistentium: alio verò modo genus, vt in alio Quolibet. de corpore Christi declarauimus.

Secundus modus est dicentium, ꝙ corpus mortuum dicitur Christi viui, secundum quod vinum tale dicitur talis vitis, quia in ordine naturæ non potuit immediatè fieri, nisi de viuo, sicut tale vinū non nisi de tali vite. Sed ex hoc nō dicitur corpus mortui & viui idem, sicut non dicitur idem esse corpus vini & vitis. Sed dicūt quòd immò in Christo, & hoc speciali modo, qui in solo Christo inuenitur, quia scilicet idem erat suppositum Christi viui & mortui, in quo subsistebat tā corpus Christi mortuum, quàm viuum, quod in nullo alio homine inuenitur, quia suppositum hominis viui habetur per præsentiam animæ ad corpus, quæ non est in ipso mortuo, nec etiam inuenitur in aliquo alio, quia quodlibet aliorum habet similiter rationem suppositi à sua propria forma naturali, & in nullo alio est eadem forma viui & mortui, generati & corrupti. Sed ista vnitas non est ipsorum corporum inter se, qualem quærimus, sed in tertio. Præterea sic dicere corpus mortuum in sepulchro fuisse corpus Christi viui: multum æquiuocè dicitur à modo identitatis, quo quærimus corpus mortuum in sepulchro fuisse corpus Christi viui.

Tertius modus est dicentium, ꝙ anima Christi manens separata, habet habitudinem, inclinationem & ordinem determinatum ad determinatam partem materiæ sub quacunque forma siue elemēti, siue mixti varietur, respiciendo illam determinatè, vt ipsa harmonicè, & organicè reparata ei vniatur. Sed cum anima non dat secundum actū rationem corporeitatis humanę, nisi inquantum dat determinatam rationem corporeitatis, & eam consequuntur complexiones harmonicè, & organizationes corporales propriæ homini; quæ non dat nisi quando actu est vnita materiæ: separata ergo à materia non dat nisi secundum habilitatē & aptitudinem. Quare similiter nec materia sub dimensionibus anima separata potest dici corpus propter ordinem animæ ad illam, nisi secundum habilitatem & aptitudinem, quod adhuc est non corpus secundum actum. Et sunt isti tres modi cōmunes Christo, & alijs hominibus.

Suppono autem vniuersaliter quatuor in ista responsione. Quorum Primum est, ꝙ in homine cum anima rationali est alia forma materialis. Secundum est, quòd illa forma materialis reseruata fuit in Christo. Tertium, quòd non fuit reseruata in Petro, aut in alio homine. Quartum, quòd nihil formæ substantialis manet naturaliter in mortuo alio à Christo, quæ fuit in viuo. Primū istorum suppositorum. s. ꝙ in homine sint plures formæ substantiales, alibi docuimus, & rationibus in vno Quolibet. & auctoritatibus in alio. Quod duabus auctoritatibus, quas alibi nou posui, sufficit ad præsens declarare, quarum prima est Hug. de Sancto Victore in tractatu de scientia animæ Christi, respondendo ad interrogationem à Vualtero de Maritania sibi factam super hoc, quæ incipit sic. Hugoni Sancti Victoris priori Vualterus salutem. Nuper de Parisius veniens &c. in qua sic dicit. Quæris de anima Christi. i. de illo rationali spiritu, qui humanam in Christo carnem vegetauit, quem verbum cum carne ipsa sibi in vnitate personæ vniuit, vnus Christus in vna persona,

duabus

duabus naturis tribus essentijs. Vna videlicèt persona, quia idem homo, & Deus propter quod fuit in duabus naturis, diuina scilicet & humana. Tribus essentijs, diuinitate, carne, & anima, sine separatione discretis, sine confusione sociatis. Ecce quàm planè diuinitatem, carnem, & animã ponit fore tres essentias in Christo distinctas, & manẽtes in vnione distinctas. Quod adhuc amplius explanat subdens inferius. Tres essentię sunt in Christo, caro, anima, diuinitas, & si tres essentiæ: ergo tres naturæ: ergo tres formæ, quarum vna. s. caro, sub se materiam includit. Quod nullo modo verum esset, si sola anima rationalis esset forma in homine, dans esse corporeum viuum, sensibile & rationale. Ab hac quidem carne in morte Christi ipsa manente eadem secundum rem, & naturam separata est anima Christi, & de carne viua facta est caro mortua exuta, siue spoliata anima & priuata vita. Vnde vbi nostra litera Colossens. 2. habet. Expolians principatus, alia litera habet secundum Hilar. Exutus carne. Quam exponit. 9. de Trin. cap. 6. dicens; Quæro à te, quæ sit caro illa spoliata. & infrà. Si enim non idẽ est Christus mortuus, qui est caro spoliata, carnis spoliatę nomen ostende. & infrà. Spoliata enim caro est Christus mortuus. Ecce planè, quòd Christus moriens secundum carnem, verè erat spoliatus, siue exutus, vt illud spolium, quo erat spoliatus, siue vestimẽtum illud, quo erat exutus, anima eius intelligat, qua spoliatus, siue exutus erat in morte ponendo eam. Vt tria intelligamus circa tres essentias, siue naturas in Christo. Christus enim vnus & idem in persona, continens in se illas tres naturas, siue essentias, secundũ diuinitatem tuam erat spolians: secundum carnem verò suam erat spoliatus: spolium verò erat anima depositæ. Nunc autem ita est, quòd caro quæ fuit viuens anima vestita, nisi eadem maneret eadem depositæ Christo moriente, Christus mortuus nullo modo esset caro spoliata: immò si à sola forma, quæ est anima, esset caro, ipsa caro, & quicquid formæ est in natura humana, in ipsa anima depositum esset & spoliũ, & esset ipsa materia spoliata, & esset Christus mortuus non caro spoliata, sed potius materia spoliata. Præterea cum secundum Philosoph. 4. Metaph. inter priuationem & negationem est differentia, qnia negatio est absolutio: priuatio autem habet materiam subiectam, de qua dicitur, vbi dicit Comment. Negatio enim est absolutio alicuius negati simpliciter. Priuatio verò est absolutio eius à natura determinata, & cum illa natura fuerit depositæ per priuationem, erit illud in forma affirmationis. Et hoc intendebat cum dixit de qua erat priuatio. Etenim vt Philosophus dicit 2. Physic. priuatio quodammodo est. Quare cum spoliatio priuatio quædam sit, & Christo mortuo est caro spoliata: caro est natura subiecta spoliationi, & spoliatio talis est affirmatio & species quodammodo, siue forma circa carnem.

Et sic vt æstimo certa fide tenendum est, & caro quæ erat viua, & anima vestita tanquam forma sua, & habitu, ipsa eadem manens in morte est ipsa anima spoliata, & subiectum priuationis, siue carentiæ animæ: aliter enim circa illud, quod manet in morte de eo, quod fuit anima informatum, non erat caro spoliata, siue priuata, sed potius erat caro vegetata. Talis autẽ caro licèt assumpta fuit mediante anima: mansit tamen verbo vnita anima separata, nec de nouo assumpta est anima reuersa. Nec etiam terminationes perfectionis, quas caro Christi amisit animæ separatione, & reparatæ sunt animæ reuersione, dicitur verbum tunc dimisisse, & post de nouo assumpsisse, quia semper mansit idem. s. essentia humanæ naturæ, in qua erant assumptæ, & ante earum corruptionem, & post earũ reparationem: in seipsis enim assumptæ non erant. Sed si anima vegetatiua, & sensitiua essent aliæ substantiæ à forma carnis, & anima rationali, & per separationem animæ corruptæ, & redactæ in potentiam materiæ, illas dimisisset verbum, & iterum assumpsisset ipsis reparatis per animę reuersionem. Hanc Apostolicam fidem sęculi homo non capit, vt dicit Hilarius in principio dicti cap. & vt dicit in principio 5. cap. præcedentis, huius sacramenti Apostolus conscius, & per dominum ipsum fidei scientiam adeptus, cum non ignoraret incapacem eius esse & mundum, & homines, & Philosophiam, ait ad Col. cap. prædicto. Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam, & inanem deceptionem secũdum traditiones hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum. Reuera isto tempore hoc maximè cauendum est in proposita quæstione circa carnem Christi, si fortè inueniantur modo homines qui sic innituntur Philosophiæ, vt in hac materia, & in pluribus alijs solas rationes Philosophicas pro se adducant nihil curantes de auctoritatibus, & dictis Sanctorum aut maiorum, secũdum quod dicit quidam articulus nuper in Anglia inter hæreses computatus, loquens de talia dicentibus, & dicens sic, Qui vult ista dicere, non tenetur in talibus fidem adhibere auctoritati Papæ, vel Grego. vel August. & consimilium, aut cuiuscunque Magistri, sed tantùm auctoritate Bibliæ & necessarię rationi. In quo etsi reuerentiam exhibent auctoritati Bibliæ verbo; facto tamen non plus ei fidem adhibent, quàm auctoritati alicuius Sanctorum, quoniam indifferenter nituntur exponere auctoritates Bibliæ, quæ videntur eis obuiare, sicut & auctoritates Sanctorum. Vnde multò aliter exponerent dictam auctoritatem Apostoli, quàm eam exponit Hilar. Etiam dicto Hilarij quantuncunque clarum sit, aliam niterentur dare expositionem. q̃ litera eius prætendit. Vnde omninò adhærent tationi sibi apparenti, quam reputant necessariam. Quod certè contingit illis, quia vt dicit Magister in prolog. Sen. non doctrinæ studium impendunt sed his, quæ somniarunt sapientiæ verba coapta

re

re nituntur, non veri, sed placiti rationem sectantes. Quam re vera ex Philosophia capiunt, quæ vt dicit gloss. super illud Col. Per Philosophiam, nō est secundum Christū in aliqua parte, per quā solent seduci, qui cupiunt prudentes videri in mundo. Quis enim non videat, quàm inanis sit ratio illa contra prēmissa inducta de carne in Christo manente, quæ dicit: Res non potest esse, & non esse, nisi quia in materia aliquid potest induci, quod est impossibile formæ, qua habet esse, quod non potest esse sola priuatio, quia omnis mutatio est inter terminos oppositos, quorum vnus producitur ab agente, & expellit alterum, qui non potest esse priuatio, quia priuatio non est aliquid emanans ab agente, quod amouet priorem formam, neque intentam ab eo, cum agens non intendat per se corrumpere, sed generare, vt alibi exposuimus. Quare cum corruptio hominis sit vera mutatio, oportet, ꝙ in ea sit forma noua inducta per agens, qua alia expellitur.

Dicendum, quòd verum est si natura Christi in morte omninò cursui naturæ fuerit permissa, quia tūc sola actione naturali in morte Christi alia forma fuisset in materia inducta, & corporeitas Christi substantialis omninò corrupta.

Dispositiones enim inductę in corpore per violentiam vulnerum faciebant necessitatem quantū erat ex se ad formam nouam inducendam, & impossibilitatem ad permanentiam non solùm animę rationalis, sed etiam formæ corporalis in Christo, ad cuius corruptionem necessariò subsecuta fuisset putrefactio. Dicente enim August. in sermone quodam de Assumptione, absque vlla ambiguitate soluendum in morte, post mortem est futurum putredo. Sed hoc nisi specialiter diuinū miraculum interceſſisset, dicente etiam August. in sermone eodem. Dictum est primo parenti, Puluis es, & in puluerem ibis. Quod si de morte dictū est, & talis est sententia de resolutione in puluerē, hanc conditionē caro Christi euasit de carne Mariæ sumpta, quæ corruptionem non sustinuit. Re vera, quia non sustinuit corruptionem in seipso primo, non sustinuit postmodum puluerizationem in materia. De hoc enim scriptum est, Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem. Sed hoc fuit ex priuilegio, vt iam infra exponetur.

Item quis est, qui non videat q̄ vana sit ratio, quæ inducitur contra pluralitatem formarum talis? Impossibile est ponere aliquid ratione eiusdē simul esse in actu, & in potentia, licèt ratione diuersorum sit possibile.

Cum ergo per quancunque formam existentē in materia compositum habetur existens in actu p illam formā, ergo secundum illam non est in potentia ad vlteriorem, ꝙ si fuerit, illa erit accidens.

Dicendum est, ꝙ verum est quando illa forma prima dat actum perfectum secundum gradum aliquem in suo genere quantuncunque imperfectū respectu perfectionis, quam dāt aliquę aliç formę, qualem dat forma mixti simpliciter in lapide, vegetabilis simpliciter in planta, sensibilis simpliciter in bruto, licèt forma lapidis det gradū imperfectum respectu plantæ, & forma plantæ imperfectum respectu bruti. Sed quando secundum nullū gradum dat actum perfectum alicuius speciei, sed secūdum omnem gradum non dat nisi actum imperfectum, tunc benè aliquid secundum idem est in actu secundum rationem imperfecti, & in potentia secundum rationem perfectionis, quam expectat à forma vlteriori, quod contingit in proposito, & in illo solo. In solo enim homine, quia est confinium medium inter purè corporalia, & purè spiritualia, & hoc ratione animæ intellectiuæ, quę est finis naturalium, & principium supernaturaliū (dicente Philosopho in vlt. Politic. Generatio autem principium est, & finis. Ab aliquo est principium alterius finis. Ratio autem in nobis, & intellectus est naturæ finis) materia est perfectibilis forma vlteriore, quàm natura possit producere, quæ forma vlterior dat formæ naturali, & materiæ perfectionem secundum rationem omnis gradus. s. substantię, corporeitatis; & cum hoc secundum rationem propriam, qua dat esse specificum in specialissimo, quarum nullam potest dare forma per materiam educta de potentia materiæ. Omnē enim perfectionem secundum omnes gradus, quam potest inducere naturale agens de potentia materiæ in eodem, inducit in vna & eadem forma. Propter quod sola actione naturali nunquam sunt plures formę substantiales re differentes in eodē ꝓducte. Sed ꝙ sint plures formæ in eodem, hoc est, quia in eo concurrunt agens naturale deficiens, & agens supernaturale perficiēs. Propter quod Philosoph. non sentiens animā rationalem esse actum & formam in homine, vt in prēced. Quolibet. declarauimus, ponit, ꝙ oīs forma naturalis dat actum perfectum in specie, ita ꝙ non sit in potentia ad actū vlteriorem substantialē. Vnde quod arguunt ad idē, materia nō est potentia nisi contradictoriorum, & per easdē dispositiones, per quas fit impossibilitas ad esse alicuius formæ præcedētis, sit necessitas ad eius nō esse, & ad esse alicuius alterius formę seq. & è contra per easdem dispositiones, per quas fit necessitas ad esse alicuius formæ sequentis, fit possibilitas ad esse formæ præcedentis. Quando ergo fit necessitas ad formā animæ in homine, necessariò fit impossibilitas ad formā corporeitatis inductæ per naturam. Nō est ergo in potētia ad plures formas simul secundū gradum, & ordinem se habentes. Dicendum, ꝙ verum est in formis, quæ dāt aliquod esse perfectum secundū rationem alicuius generis, vel speciei, quantuncunq; sit actus imperfectus respectu actus alterius formæ. Sed qñ non dat actum scḋm rationem cuiuscunq; generis aut speciei, nisi imperfectum & ordinatum ad vlteriorem perfectionem in eodē gradu, quantuncūq; sit perfectus respectu alterius formæ non ordinatæ ad vlteriorem perfectionē, materia secundū potentiam

Responsio ad primū.

tentiam ; qua est ad vnam formam imperfectam, benè potest esse ad aliam formam perfectiorem, quæ si posset esse naturalis, & per agens naturale produci super formam præcedentem, ita ꝙ agens naturale posset producere vnam formam dantem esse imperfectum, & aliam quæ imperfectionem illam posset perficere, ab vnico agẽte naturali plures formæ substantiales possent esse in eodem. Vnde cum hoc non possit esse ab vniço agente naturali, vt iam dictum est, igitur vt alibi sæpè dixi in solo homine in quo concurrit duplex agens, naturale & supernaturale, materia quæ recipit imperfectum actum ab vna forma naturali educta de potentia materiæ ab agente naturali, benè est adhuc in potentia ad vlteriorem supernaturalem formã productam per agens supernaturale, non de potẽtia materiæ, perficientem tñ materiam ſm eandẽ potentiam cum forma præcedente ipsa manente, quia ista non est nata dare suam perfectionẽ, quæ est complementũ incompleti, & imperfecti præcedentis, nisi stante actu imperfecto à forma priori. Forma.n. incompleta & cõpleta diuersæ secundũ essentiam, & ſm genus, quarum vna dat esse incõpletum, alia verò dat illius incompleti complementum (Non dico esse completum, qđ in se virtute includit incompletum, quale complementũ dat aïa rõnalis in hoïe super esse incompletũ, qđ dat in eodem forma naturalis, & ſm gradum substantiæ, & ſm gradum corporeitatis, & sic de cęteris) benè stant simul, licèt non illæ quarũ vna dat esse imperfectum, alia verò esse perfectum, includens in se virtute illud imperfectũ, maximè q̃ sunt eiusdem essentiæ & speciei, vt calor perfectus, & imperfectus. Sed negantes plures formas in hoïe, dicunt ꝙ qñ nobilitatur corpus per vlteriorẽ harmoniam & organizationem, corporeitas illa, quæ dabat esse incompletum desinit esse, materia sibi iam facta improportionali per aduentum aïæ cõicantis materiæ, & compositi ex forma & materia suũ esse, in quo manet virtute esse, qđ dabat prior corporeitas. Sed tunc nihil maneret in hoïe productũ actione naturæ, & non esset vllo modo opus naturæ dispositio ad animam rõnalem nisi mediãte sua corruptione, sicut forma alimenti disponit ad formam carnis nutriendæ per suam corruptionem. Et sic non verè, & propriè posset dici, ꝙ homo generat hoïem, sicut nec ꝙ generans id qđ nutrit carnem, nutrit ipsam. & sic non posset corpus illud à forma naturali dici corpus hoïs, nisi quia non nisi ex illo hẽt generari homo per aduentum aïæ. & hoc per transmutationem naturalẽ inducentem dispositiones circa illud corpus qua materia fit improportionalis ad formã corporis, & proportionalis ad formam, quæ est aïa. Quemadmodum è contrario corpus hoïs mortui per formã cadaueris non dr̃ hoïs corpus, nisi quia non nisi ex hoïe hẽt generari per transmutationẽ naturalem circa hoïem, qua materia fit improportionalis ad formã hoïs, & proportionalis ad formã cadaueris, vt ſm hoc illa forma corporis ponatur per tps precedere infusionẽ aïę. Quod nullo modo põt poni sic fuisse in Christo, quia in instanti conceptionis ſm fidẽ perfectus homo formatus est. In Christi ergo formatione, aut nullo modo fuit illa forma, aut si fuit & corrupta est iam in aduentu aïæ rõnalis, in illo instanti eodem est simul generata, & corrupta, qđ est impossibile. Dictum ẽt illud in alijs hominibus non vr̃ conueniens, neq; ẽt simpliciter ſm se, quia qñ duo se hñt sicut incompletum & completum, dispositiones, quæ sunt conuenientes inductioni complementi, nullo modo possunt esse contrariæ & repugnantes incompleto. aliter. n. incompleto repugnaret suum complemẽtum, & esset incõpossibile ipsum deuenire ad illud, qđ est incõueniens.

Item alia rõne non vr̃ dictum illud in se conueniens, quia natura non agit dispositiuè ad formæ vnius corruptionem, nisi disponendo materiam ad alterius formæ, quam nata est producere inductionem, vt diximus in alio Quolibet. Et sic nec est dicendũ, ꝙ natura prius generet talem formã corporeitatis, & postea eam corrũpat nullam aliã producendo, sicut neq; ẽt ꝙ corrumpat formam embryonis, per hoc disponendo materiã ad talis corporeitatis humanæ productionem, quam non producat, sed vice eius creator aïam rõnalem infundit, quæ materiæ dat esse corporeitatis humanæ perfectum, quod illa forma, etsi producta fuisset, dare non potuisset. Sed est dicendum, ꝙ natura prius naturaliter & simul duratione producit illã formam qua materia, vt aliquid incompletum disponitur ad animam, vt ad complementũ, q̃ Deus creando illã infundit. Vnde de Ecclesiasticis dogmatibus. Dicimus corpus coagulari in vulua, & compingi atque formari, ac formato iam corpore animam creari & infundi, vt viuat homo in vtero ex anima constans, & corpore. Si tamen vt forma illa corporeitatis dat esse incompletum corporeitatis interminatæ, qua compositum est corpus simpliciter, cui anima superaddit complementum per hoc dando esse completum corporeitatis terminatæ, qua compositũ est corpus humanum omnium corporum dignissimum, quale complementum perfectionis natura, nec in vnica forma, nec in pluribus producere potuit, sed solùmmodo per formam, quam produxit, ad illam disponere potuit, sicut incompletum ad complementum, vt infra declarabitur. Vt sic in solo homine sit possibile esse plures formas substantiales perficientes vnam potentiam materiæ, quarum vna naturalis est, alia verò supernaturalis, quia forma naturalis illam sufficienter perficere non potuit. In omnibus autem alijs forma vnica, quam natura produxit, potentiam, quæ ad ipsam est, ex se sola perficere sufficit.

Per iam dicta etiam patet secundum suppositum, quòd dicta forma naturalis in Christo absque corruptione in sua substantia, & per consequens absque pulueriza tione in materia sub for-

ma putredinis, à Deo conſeruata fuit.

Patet etiam ex eodem tertium ſuppoſitũ. dicta enim forma naturalis in nullo alio cõſeruata fuit, poſtq; ſecundũ dictum Prophetæ illud fuit priuilegium Chriſti. Et ꝙ illud fuerit priuilegium Chriſti, quo ad non ſuſtinere corruptionem, Auguſtinus videtur innuere in ſermone cum dicit. Scimus dictum primo parenti, puluis es, & in puluerem ibis. Quod ſi de morte dicitur, generalis eſt ſentẽtia, ſi de reſolutione in puluerem, hanc conditionem Chriſti caro euaſit, quæ corruptionem non ſuſtinuit. Innuit ergo vt videtur, ꝙ non ſuſtinere corruptionẽ in forma corporeitatis prædicto modo fuit cauſa quare poſtmodum non ſuſtinuiſſet puluerizationem, etiam ſi reſurrectio ſua accelerata non fuiſſet. Et ſic vt videtur innuit, ꝙ eum non ſuſtinere corruptionem in carne priuilegium eius fuit, licèt mori per ſeparationem animæ ab illa carne, ipſi cum alijs commune fuit. Sed nec ſic quin etiam non mori ex debito priuilegium eius fuit. dicente Auguſtino ſuper illud Pſalm. 142. Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſęculi. Hoc in capite agnoſcitis. Ille enim pro nobis mortuus factus eſt, ſed non mortuus ſæculi. Qui ſunt mortui ſęculi? meritò mortui, mercedem recipientes iniquitatis, & mortem ducentes ex propagine peccati. At ille, qui in Pſal. dixit. Quę non rapui tunc exoluebam. dixit in Euangelio. Venit princeps mundi & nihil in me inueniet, nullam culpam quare mori debeam. Non autem morte dignus ſum, nihil feci vnde moriar, ſed facio vt moriar ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber. quia non ſolueret à vinculis, niſi liber à vinculis. Ille liber mortẽ occidit, vinculum vicit. Ecce quia mori nõ debuit, ſed à morte liber fuit. Et ideò aſpiciendo ad mortem debitam, quam alij ſuſtinuerunt, excipitur de illa generali ſententia, quæ de morte dicitur, caro Chriſti munda per virginem aſſumpta, & ſic non mori priuilegium eius fuit. Non ergo eſt mortuus contra priuilegium ſuum, niſi quia voluit. vt ſecundum hoc quod dicit Auguſtin. illi per innocentis mortem liberarentur, qui habebant quare morerentur. Quòd ſi hæc cauſa non fuiſſet, contra priuilegium ſuum nunq; mortuus fuiſſet, nec carnem mortalem aſſumpſiſſet. Si autem priuilegium ſuũ fuit non mori, niſi voluntate, & ex cauſa. i. propter morientium profectum, per conſequens eius priuilegium fuit non corrumpi ſecundum formã carnis, neq; vlterius puluerizari, niſi ex conſimili cauſa. Quare cum illa non ſubfuit, quia ex illa corruptione, & puluerizatione nullus profectus morientibus proueniſſet, qui perfectè ex ſola morte prouenit, igitur vt videtur quo ad non corrumpi ſecundum carnem, & nõ puluerizari priuilegium illud ſibi ſeruauit. Sed an fuerit eius priuilegiũ. quo ad non ſuſtinere puluerizationem, vt nullus hoc cum Chriſto de eius voluntate commune haberet, de hoc dubitat in Maria matre Chriſti in ſermone prædicto, vt licèt Chriſti priuilegiũ fuit incorruptum manere in forma corporis, & per conſequens immunem à puluerizatione: Mariæ tamen commune cum ipſo eſſe potuit, manere immunẽ à puluerizatione, etſi non incorruptam in forma materiæ. Vnde poſtquàm ait: Corruptionem non vidit, qui tertia die reſurrexit: adiecit. Sed hic ille, qui quando voluit reſurgere potuit. Excipitur ergo de illa generali ſententia de virgine ſumpta natura, quòd ſi non Mariæ congruit, congruit tamen filio quem genuit. Ecce ꝙ dicendo: Corruptionem non vidit, non tamen hoc intelligit de corruptione per puluerizationem, vt aliqui exponunt, dicendo ꝙ nulla forma, quæ fuit in Chriſto viuo manſit in ipſo mortuo, ſed accelerata reſurrectione pręuenta fuit in ipſo puluerizatio. Sic enim hoc non inſinuaret Auguſtinus eſſe priuilegium Chriſti, cum ſentiat, ꝙ cõmune habuit cum Chriſto Maria, ꝙ puluerizationem non recepit. Vnde ſequitur in eodẽ ſermone. Putredo & vermis, humanæ eſt opprobrium conditionis, à quo opprobrio cum Ieſus ſit alienus, natura Mariæ excipitur, quam Ieſus de ea accepiſſe probatur. & infra. Illud ergo ſacratiſſimum corpus de quo Chriſtus carnẽ aſſumpſit, eſcam vermibus traditum communi ſorte putredinis, & futuri de vermibus puluueris, quia ſentire non valeo, dicere pertimeſco.

Quartum verò ſuppoſitum. ſ. ꝙ nihil formę ſubſtantialis naturaliter manet in mortuo alia à Chriſto, quæ prius fuit in viuo, ex hoc declaratur, quod iam ſupra tactum eſt, & tactum in Quolibet. præcedente, ꝙ ſicut eiſdem diſpoſitionibus quibus materia fit improportionalis formæ embryonis, & impoſſibilis ſtare ſub illa, & proportionalis, atque neceſſitas fit ad ſuſcipiendum in ſe non tàm formã corporeitatis hominis, quàm animæ rationalis ſimul, ad quam illa diſponit, conſimiliter eiſdem diſpoſitionibus contrarijs quibus materia exiſtens ſub forma hominis, & quæ eſt anima rationalis, & quæ eſt educta de potentia materiæ fit improportionalis, & impoſſibilis ad ſubſiſtendum ſub illis formis, & neceſſitas ad ſuſcipiendum in ſe aliam formam. & hoc indifferenter, ſiue ponatur vnica forma in vno, ſiue plures numero in quocunque. Ad omnes enim ſimul fit materia neceſſitas, aut impoſſibilis, ſiue ſimul duratione, ſiue tempore producatur in eodem: puta in homine ſubſtantialitas hominis, vt eſt hominis, & ſimiliter corporeitas, quæ ſunt à duplici forma. ſ. naturali, & ſupernaturali in homine, & forma animati, & ſenſibilis, & rationalis, ſiue ſint diuerſæ formæ ſecundum rem, ſiue vna & eadem, quæ ſunt in homine à ſòla anima, & ſimiliter ſimul à materia abijciuntur. Generata enim in aſino ſecundum vltimam differentiam ſpecificam hac aſinitate, ſimul generatur ſecundum differentiam ſubalternam hæc animalitas, & hæc animatio, & hæc corporeitas, & hæc ſubſtantialitas, & è contrario in corruptione, vt neceſſe ſit omnem generationem inchoari à prima materia, & omnem corruptionem reſolui in primam.

nam materiam. aliter.n.ſubiectum generationis & corruptionis non eſſet ens in potentia medium inter ens & non ens.

Et ſic qñ generatio & corruptio currunt curſu naturæ non impeditę, cũ materia ſit neceſſitas, aut impoſſibilitas ad formam vltimam, ſimul ſit neceſſitas, aut impoſſibilitas ad oẽs formas pręcedentes vſq; ad primã materiã, quotcũq; formæ ponantur in eodẽ. Et ſi tm̃ vnica forma ponatur in eodẽ, ſimul ſit neceſſitas; aut impoſſibilitas ad ipſam ſub ratione, & gradu vltimæ differentiæ, quæ dat rationem eſſe completi, & ſub rõne, & gradu generis primi, & cuiuſcũque dñæ intermedię. Licèt.n. non ponamus in ſubſtantialibus aliquã corporeitatem interminatam, manere eandem in generato & corrupto, ſicut manet eadem corporeitas accidentalis interminata vel eadem interminata qualitas ſm̃ prædeterminata. Et hoc ideò, quia generatio non terminatur niſi ad eſſe ſubſtantiæ attingendo ipſam ſubſtantiam, & corruptio ad eius nõ eſſe. Propter qđ eadem forma ſubſtantialis ſm̃ rẽ non põt eſſe incorruptibilis, & ingenerabilis ſm̃ eſſe interminatum, & generabilis & corruptibilis ſm̃ eſſe terminatum. Augmentum aũt, & diminutio ſm̃ quantitatem, intenſum & remiſſum ſcđm qualitatem, non terminantur ad quantitatem, & qualitatem attingẽdo eorum eſſentiam, ſed ſolùm gradum in eſſe circa ipſa. Propter qđ benè põt eadem quantitas interminata eſſe incorruptibilis, & ingenerabilis, & corruptibilis, & generabilis ſm̃ gradus terminationum, & ſimiliter eadem qualitas manere abſq; generatione, & corruptione in ſua eſſentia, & eſſe generabilis & corruptibilis ſm̃ gradus terminationum. Benè tm̃ ponimus in eadẽ forma numero in eodem ſubſtantiali ſimplici per eſſentiam non ſuſcipientem magis & minus, neq; maius aut minus, gradus ſecundũ intẽſiones, perfectius & minus perfectum, vt ſubſtãtialitatis corporeitatis animationis, & cęterorum huiuſmodi. & gradus terminationum ſubſtantialium, ſiue eſſentialium diuerſos. Nomine.n. ſubſtantialitatis figuratur forma illa, vt interminata omninò. Nomine aũt corporeitatis, animationis, ſenſibilitatis, & rõnabilitatis ſignatur eadem, vt in diuerſis gradibus ſub diuerſis differentijs radicatis in eſſentia eiuſdẽ formæ terminata eſt. Nec eſt vllo modo dicendũ, ꝙ formæ plures introducuntur in eodem per ordinem, aut ꝙ diſpoſitionibus incompletis materia ſic fit neceſſitas ad formam ſubſtantialem incompletam, & illa generata per alias diſpoſitiones cõpletiores fit neceſſitas ad formam completiorem, qm̃ nunq̃ fit materia neceſſitas ad vnam formam generãdam, quin ſimul & eiſdem diſpoſitionibus fiat impoſſibilitas ad aliquam aliam formam ſubſtantialem exiſtentem in materia abijciendam, & è contrario ſimiliter. aliter.n. generatio eſſet ſine cørruptione. Sed nec ad formã incompletam, ſiue ſub rõne incompleti generandam, vnq̃ materia fit neceſſitas, quin ſimul & eiſdẽ diſpoſitionibus fiat neceſſitas ad formam completã, ſiue ſub generatione completi generandam. & è contra nunq̃ fit impoſſibilitas ad vnam expellendam, quin ſimul fiat impoſſibilitas ad aliam expellendam.

Sed ſtatim aliquis arguet contra nos ex dictis, ꝙ Chriſtus non ſit verè, & naturaliter mortuus ſicut Petrus, quia ſecundum iam dicta forma corporeitatis in Chriſto educta de potentia materiæ eſt vltima neceſſitas ad animam intellectiuam. Si ergo illa forma corporea manente anima ſeparetur, ſeparatio illa eſt innaturalis, & ſolùmmodo miraculoſa, & ſupernatnralis, & cõtra ſolitum curſum naturæ, ſicut contra ſolitum curſum naturę eſſet, quòd forma illa corporea generata non infunderetur anima, etſi Deo volente poſſet non infundi. Ex quo ſequitur quòd in morte Chriſti duplex erat miraculum, vnum in animæ ſeparatione, alterum in corporis manentis à corruptione præſeruatione. Nec valet ſi dicatur, ꝙ ex improportione ratione diſpoſitionum accidentalium anima ſeparetur manente illa forma ſubſtantiali, ſine aliquo medio diſponente ad animam, vt dictum eſt, quia diſpoſitiones illæ non ſunt diſpoſitiones ad animam, niſi per hoc ꝙ ſunt ordine naturæ prius diſponentes ad illam formam corpoream ordine naturæ præcedentem ipſam animam. quare cum illa forma naturalis maneat, licèt non manent illæ diſpoſitiones accidentales, anima nõ ſeparatur naturaliter ab illa forma corporea, aut minus naturaliter ſeparatur ab ea, q̃ ſeparatur ab ea in alijs hominibus, in quibus non manet ad ſeparationem ipſius animæ. Item iſta poſitio ſolitaria eſt, & non habet plures defenſores, vt aliæ, quod magnum eſt ſignum, ꝙ non eſt ita conueniens, vt aliqua aliarũ. potius enim præſumitur, ꝙ veritas pluribus inſpiretur, q̃ vni. Item poſitio de vnitate formæ in homine magis apparet rationabilis, q̃ aliæ, quia maius inconueniens eſt, quod apparet contra naturã rei, q̃ quod apparet contra quædam facta. Ex poſitione autem ponente plures formas in eodem homine, apparet inconueniens cõtra naturam rei, ſcilicet ꝙ aliqua forma ſubſtantialis ſit, quæ non dat eſſe ſimpliciter, aduenies primæ materiæ, vt ſupra argutum eſt. Ex poſitione autem ponente, ꝙ non ſit in homine vno niſi vnica forma, ſolùm apparet inconueniens contra quædam facta.

arg. primũ.

Secundum

Tertium.

Quartum.

Dicendum ad hæc, ſuſtinendo ꝙ Chriſtus vere & æque naturaliter mortuus fuit vt Petrus, quòd in Chriſto forma naturalis educta de potentia materiæ, nec eſt neceſſitas omninò, nec vltima neceſſitas in materia ad animam intellectiuam, ſed potius corruptio diſpoſitionum in quantitatibus, & qualitatibus, quo ad earum terminationes, quibus materia proportionalis erat formæ embryonis, & earũndem diſpoſitionum propinquatio ad determinationes, quas expectant à forma humana, quibus materia embryonis iam facta eſt improportionalis formæ embryonis, & facta neceſſitas ad eius corruptionem.

Reſponſio

Ad quam ſic proceditur à natura, ꝙ in toto tpe in quo procedit motus alterationis, quo diſpõnes illæ tranſmutantur quouſq; corrumpantur ſm̃ terminationes, quas habebant à forma embryonis, & quibus materia erat ei proportionalis, materia eſt actu ſub forma embryonis, & in vltimo inſtanti illius tpis, quo naturaliter corrumpuntur illæ diſpoſitiones ſm̃ rationem terminationum dictarũ, & appropinquant terminationibus accipiendis à forma humana, & in illo ſigno, quo primo corruptæ ſunt illæ diſpõnes dicto modo: materia primò & immediatè eſt neceſſitas ad corruptionem illius formæ embryonis, & corrumpitur in eodem inſtanti ſm̃ rem, in quo corrumpebantur dictæ diſpoſitiones, ſed in ſigno poſteriore ſm̃ rationem, quia naturaliter prior eſt corruptio illarum terminationum, & appropinquatio ipſarum diſpoſitionum ad terminationes alias, q̃ ipſius formæ præcedentis corruptio, qua corrupta, tunc primo materia eſt neceſſitas ad duas formas in homine recipiendas, vnam via naturę, aliam ſupernaturaliter. Et producuntur in eodẽ inſtanti ſm̃ rem illæ duæ formæ in eſſe, in quo corrũpitur forma præcedens, ſed in poſteriori ſigno ſm̃ rationem, quia ſemper naturaliter prior eſt præcedentis corruptio, q̃ ſequentis productio. Ad quarum productionem cõſequuntur in compoſito dictarum diſpoſitionum nouæ terminationes ſm̃ exigẽtiam illarum formarum, & præcipuè animæ, quibus materia eſt proportionalis, vt permaneant in ipſa, & hoc ſimul in eodem inſtanti ſm̃ rem, in quo producuntur illæ formæ, ſed in ſigno poſteriore ſm̃ rõnem, ſm̃ ꝙ forma ſubſtantialis præcedit naturaliter in materia omnia accidentia compoſiti, quo ad ipſorum terminationes, ita ꝙ ſm̃ hoc ad productionem cuiuſlibet formæ in materia, & ẽt animæ, vltima diſpoſitio, quæ materia facta eſt neceſſitas ad illam, non eſt aliquod poſitiuum in materia præter virtutem agentis, & diſpoſitionum interminatarum appropinquationem ad terminationes recipiendas à forma ſequenti, ſed defectiuum tm̃, vt ſunt corruptio dictarum terminationum, & formæ præcedentis. Materia.n. ſpoliata & denudata forma embryonis per corruptionem terminationum quas dictæ diſpoſitiones habebant ab illa forma, & diſpoſitionibus illis approximatis ad terminationes à forma humana habendas, quia per hoc diſpoſita eſt, vt ſumma, & vltima neceſſitas nihil aliud requirens quantùm eſt ex ſe ad ſuſceptionem duplicis formę in ſe, ſtatim virtute agentis naturalis producitur forma corporeitatis in materia de potentia materiæ, & anima virtute agentis ſupernaturalis ab extra de nihilo. Ad quarum productionem in eodẽ inſtanti ſm̃ rem, ſed in poſteriori ſigno illius inſtãtis ſm̃ rõnem, ab vtraq; forma tanq̃ à per ſe cauſa ſequũtur dictarum diſpoſitionum terminationes, quibus materia eſt proportionalis & diſpoſita ad illarũ formarum permanentiã in ea. Et conſimili modo dicto de corruptione formæ embryonis, precedit natura in hoīe ad vnius formæ corruptionẽ, & alterius ſeparationẽ. Corruptio.n. illarum diſpoſitionũ quo ad terminationes quas hñt ab illis, & appropinquatio illarũ ad determinationes ab alia forma de potentia materiæ generanda, facit materiæ neceſſitatem, & nõ aliud, ad vnius formæ corruptionẽ, alterius verò ſeparationẽ, & alterius formæ generationẽ, vt ſicut illæ terminationes vltimæ erant in generatione, primę ſint in corruptione. & ſicut ſimul vtranq; formam conſequuntur, ſic ſimul faciunt ſua corruptione materiã improportionalẽ ad vtrãque, & maximè ad aīam quãto plenius ab aīa cauſabãtur. Vt quemadmodũ quodam ordine naturæ prius producitur à natura illa forma corporea, q̃ Deus creando infundat aīam, vt dictum eſt ſupra, ſic quodã ordine naturæ prius ſeparatur aīa, q̃ iſta forma corrumpatur in alijs à Chriſto, & nata ſit corrumpi in Chriſto. Vnde & dicunt multi, ꝙ manet ẽt in alijs poſt aīæ ſeparationẽ vel ſemper vel per aliquod tempus.

Ad ſecundum.

Vnde dico ad argm̃, ꝙ ſi illa forma corporea eſſet diſpoſitio faciens neceſſitatẽ materiæ ad aīæ receptionẽ, benè verũ eſſet argm̃, ꝙ illa manente ſeparatio aīę eſſet innaturalis quodãmodo & ſupernaturalis, atq; miraculoſa, & cõtra ſolitũ curſum naturę, ſicuti eſſet innaturale, & contra ſolitũ curſum naturæ, ꝙ illa forma corporea generata in aīa non infunderetur, quẽadmodũ ẽt nunc ponẽdo ꝙ illa forma corporea non facit neceſſitatẽ materię ad aīam, ſed alia p̃dicta, innaturale eſſet, & contra ſolitũ curſum naturæ, ꝙ poſt q̃ materia eſt facta dicto modo neceſſitas ad formã hoīs, nec dicta forma corporea produceretur p naturã, nec aīa infunderetur à Deo, ſed materia maneret nuda abſque omni forma, etſi Deo volente ſic poſſet fieri. Nũc aũt ponendũ eſt, ſm̃ ꝙ ſupra poſuimus, ꝙ ad aīam dicta forma corporea non eſt diſpoſitio, vt faciens neceſſitatẽ ad aīæ productionẽ in ea. Per idem.n. oīnò fit neceſſitas materiæ ad illã formã, & ad animã producẽdas, vt patet ex dictis. Sed ꝙ illa forma dr̃ diſpoſitio in materia ad aīam, hoc ſolùm eſt ſm̃ illum modũ, quo incõpletum dr̃ diſpoſitio ad ſuum complementũ, vt detur vnũ eſſe completum materiæ, & compoſitum ab ambobus huiuſmodi. Et ſic ponendo nullum illorũ inconuenientium ſequitur, aut oportet ſequi, ſed ad plenam neceſſitatẽ faciendã materiæ ad purè naturalẽ ſeparationẽ aīæ, & illius formæ corruptionẽ ſufficit indiſpoſitio, & improportionalitas materiæ propter corruptionẽ terminationũ, quæ erant in dictis diſpoſitionibus ab vtraq; forma, licèt completiuè ab aīa, & ipſarum appropinquatio ad alias terminationes à forma generanda, ita ꝙ vlterior permanentia p tempus aliquod alterius eorum ſine altera, vel amborum ſimul eſſet omninò innaturalis, & ſupernaturalis, & miraculoſa, ſicut & poſtquàm materia facta eſt neceſſitas ad ipſas, alterius earum non productio in materia vel neutrius eſſet omninò innaturalis.

Ad argu. in formis.

Et ſic

Et sic in Morte Christi non contigit, nisi vnum miraculũ, s. illius corporis præseruatio à corruptione.

Ad secundum. Quod arguit contra hoc, ꝙ illæ dispositiones non sunt dispositiones ad animam, nisi per hoc, ꝙ sunt ordine naturæ prius dispositiones ad illam formã corpoream &c. vt supra. Dicendum, ꝙ ratio procedit ex prauo intellectu, & circa dispositiones facientes materiæ necessitatem ad corruptionem, & circa dispositionem, quam facit illa forma corporea ad animam. Illæ enim dispositiones per quarũ improportionalitatem & corruptionem facta est materia necessitas ad corruptionem illius formæ, & ad animæ separationem, non sunt dispositiones primo ad illam formam corpoream producendã precedentes eam, neq; similiter ad animam secundò præcedentes illam, per hoc ꝙ præcedunt naturaliter formam corpoream naturaliter præcedentem animam, vt falsò supponit in argumento, sed omninò secundum suas terminationes sequuntur, & illam formam, & animam, & totum compositũ ex anima & corpore, quas habent ab vtraque, sed ab anima principalius, q̃ ab illa forma. Et ideò per illarum corruptionẽ fit materia necessitas ad animæ separationem simul tempore, & ad illius formæ corruptionem, & tantò ĩn magis ad animæ separationem quantò magis ab ea erant illæ terminationes. per hoc enim erant magis ei proportionales. Et ideò nõ obstante, ꝙ illa forma fuit dispositio ad animam sicut incõpletum ad sũum cõplementum, per solam illarum dispositionum corruptionem in materia est perfecta necessitas ad naturalem animę separationem, etiam manente supernaturaliter illa forma. Forma enim illa naturalis est dispositio ad aiam non nisi sicut incompletum ad complementum per hunc modum. Eo.n. ꝙ illa in nullo gradu generis substantiæ dat esse completum, sed incompletum, quia incompletam substantialitatem, & incompletã corporeitatem, propter hoc vt perfectè perficiat materiam, eget complemento, quo ad istos gradus per aliam formam, quę etiam super illos gradus per se det perfectionem in esse specifico, Vnde anima rõnalis infusa dat perfectionem quo ad complementum substantialitatis, & corporeitatis. Et sic materia quo ad istos gradus perficitur per vtranq; formam in esse completo, & est vna dispositio ad alteram in perficiendo: non autem in necessitatem dando materiæ ad aliquid in ipsa producendum. Nec additur anima super illam formam incompletam, vt differentia super genus, sed vt quæ simul constituunt in eodem rõnem generis generalissimi quod est substantia, & similiter rõnẽ generis subalterni, qd est corpus. Et vlterius anima hẽt in virtute sua, ꝙ addat rõnes dñarum se sola super rõnem corporeitatis, quę est genus subalternum. Hinc aũt ex rõnibus duarum formarum, contrahendo. s. corpus dñia animationis. s. vegetabilis, facit corpus animatũ, & vlterius sensibilitate contrahendo corpus animatum, facit animal, & cõtrahendo animal rõnalitate facit hominem. Vnde licèt quo ad actum perficiendi materiam, forma coporea est dispositio in materia ad ad animam, quia. s. anima nõ est nata dare complementum, nisi præsuppositò naturaliter illo incompleto, & sic est dispositio ad animã respectu actus perficiendi præsuppositi, quo ad actum ĩn productionis earum in esse in materia, non est una magis in materia dispositio ad animam, q̃ è cõuerso, nec una præcedit alteram, aut præsupponitur alteri, sed æquè primò naturaliter ambæ natæ sunt produci simul, sicut & materia eadem oĩnò est necessitas ad vtranque. Quod si illę dispositiones scdm suas terminationes nõ essent dispositiones ad animam, nisi per hoc ꝙ essent ordine naturæ prius disponentes ad illam formam corpoream, tanq̃ ad summam dispositionem & immediatè facientem necessitatem materiæ ad animam aliqualiter, vt supponit argumentũ, fortè sequeretur conclusum in rõne, sed cum non est ita, vt dictum est, clarum est ꝙ nullo modo sequitur. Est autem ad maiorẽ declarationem dictorum animaduertẽdum, ꝙ circa illam formam corpoream duplex consideratur ordo. Vnus respectu actus producẽdi eam in esse: Alius respectu actus perficiendi, & dandi esse materiæ, & toti composito. Habendo verò aspectum ad primum ordinem, dicta forma nequaq̃ est dispositio ad animam, sed ea quæ secundum prædicta faciunt necessitatẽ materiæ ad aĩam, nec ét naturaliter præcedit aĩam, sed naturaliter simul in eodẽ instanti sm̃ rem, & in eodem signo sm̃ rõnem ambæ formę producuntur in esse. Habendo quidẽ aspectũ ad sm̃ ordinẽ, dicta forma corporea est dispositio ad aĩam, & præcedit ipsam ĩn materia naturaliter. Vt.n. dicit Philosophus lib. 8. Polit. Corpus & aĩa duo sunt. corpus aũt generatione prius q̃ aĩa. qd iam ét supra diximus, & auctoritate August. de Ecclesiasticis dogmatibus confirmauimus. Illa.n. forma etsi respectu actus producendi in esse nec perfectè nec imperfectè disponit materia ad aĩam, ĩn respectu actus perficiendi in esse, ipsa est perfecta dispositio materiæ ad aĩam, sicut incompletum, qd perficit eã respectu cõplementi, qd addit perfectionẽ in esse, & ꝙ perficit eã sm̃ esse perfectum cũ forma illa imperfecta. Et hoc est quod facilius dr̃, ꝙ habendo aspectum ad fieri illarũ formarum, vna nullo modo præcedit aliam. Habẽdo aũt aspectum ad esse earum in materia, vna est dispositio ad aliam naturaliter præcedens, sm̃ ꝙ infra dicemus dimensiones interminatas in fieri præcedere formas substantiales generabilium & corruptibilium in materia, in esse autem sequi eas. Quòd aũt duobus sic se habentibus, ꝙ vnum non pòt manere absq; permanentia alterius, non sit inconueniens virtute diuina illud manere, qd oĩnò naturaliter dependet à permanẽtia alterius, patet in substantia panis, & eius accidentibus. Accidens enim nullo modo naturaliter natũ est manere sine substantia, & ĩn non manente substantia panis in transubstãtiatione manẽt accidẽtia per miraculũ.

d argu. formã.

Etiam si materia & forma naturaliter corrumperentur in nihilum, Deo non conseruante illa in esse secundum modum communem manutenentiæ creaturarum; licèt accidentia simùl caderent naturaliter in nihilum, tñ miraculo Deus posset illa tenere in esse.

Ad tertiũ. Quod arguitur, quòd ista positio est solitaria: Dicendum, ꝙ non est in aliquo solitaria præterq̃ in modo conseruãdi formam Corporis Christi in esse post animæ separationem. In omnibus enim alijs vel cum vna vel cum altera ex alijs duabus famosis opinionibus concurrit, & quo ad illud qđ est ei solitarium, planè posuit illam Hilarius, vt patet in dicta auctoritate 9. de Trin. & planè prænunciauit Propheta quando dixit. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, vt patet ex expositione August.

Ad quartum. Quod arguit, ꝙ magis inconueniens est apparens contrà naturam rei in positione plurium formarũ in homine, q̃ contrà facta in positione vnius: Dicendum, ꝙ non est inconueniens præferre, quæ experimur per rationes naturales in naturis rerũ secundum doctrinas Philosophicas illis factis. Si tamen de illis aliquis intellexerit (quod non est verisimile) quæ in sacramentis, & in alijs factis pertinentibus ad fidem certa tenemus à diuina instructione, tùm minimum inconueniens apparens in eis, quæ fide tenemus, maximum debemus reputare inconueniens, & dicere, ꝙ quæcunque ratio humana quãtuncunq; efficax appareat, tñ verisimilitudine decipit. secundum ꝙ dicit August. de rationibus, quæ inducuntur contrà veritates contentas in sacra scriptura, cum quarum veritate eiusdem auctoritatis sunt, quæ in sacramentis Ecclesiæ, & circa peccatũ originale, & cętera instituta à Christo, & à Deo facta tenemus ex consuetudine Ecclesiæ & dictis sanctorum, etsi de illis in sacra scriptura nulla omninò fieret mentio. Et ideò incomparabiliter præferenda sunt huiusmodi facta, & sacræ scripturę dicta omnibus eis, quę à Philosophis dicta sunt, & scripta, nec illis comparanda, quia vt dicitur in Psal. de Philosophis, qui erant suis doctrinis iudices & doctores gentium, Absorpti sunt iuncti petræ iudices eorum. Vbi dicit Augustinus. Petræ. i. Christo. coniuncti. i. comparati iudices eorum tanquàm iudicantes de moribus, & sententiã proferentes. Dixit hoc Aristoteles. Adiunge illum petræ, & absorptus est: apud inferos contremiscit. Dixit hoc Pythagoras: dixit hoc Plato. Adiunge illos petræ, compara auctoritatem illorum auctoritati Euangelicę, compara inflatos Christo crucifixo. Dicimus eis. Vos literas vestras conscripsistis in cordibus superborum, ille crucem suam fixit in frontibus regum. ergo absopti sunt iuncti petræ iudices eorum. Tandiù videntur aliquid dicere donec comparentur petræ. Propterea si inuentus fuerit aliquis eorum dicere, qđ dixit Christus congratulamur illi. Sed erunt multi, qui contra dicãt. Quid ergo erit? audient verba mea quoniam prę-ualuerunt. Præualuerunt verba mea verbis illorũ. Dicta sunt quædam ab eis discretè, sed à me verè. Ecce ꝙ quandiù non fuerint comparata dicta Philosophorum dictis & factis Christi, dictis in sacra scriptura, & factis in sacramentis & in corpore, quo ad identitatem in viuo & mortuo, & corporis præseruationem, & etiam in corpore nostro quo ad originalis propagationem & cætera huiusmodi: tandiu possunt videri dicere aliquid discretè, sed cum comparantur petræ in dictis & factis, si contradicant non est eis vlterius credendum, quasi aliquid dicant verè. Vnde quia tanta sequi videntur incõuenientia circa prædicta facta diuina ex positione vnius solius formæ substantialis in homine, quantuncunque mihi verisimilis ratio produceretur ex Philosophia, etsi fortè eam soluere nescirem, solubilem tamen à magis perito crederem. Et quod amplius est, si non possent vitari omnia inconuenientia circa dicta facta, & ponẽdo in homine cum anima rationali vnam formã corpoream tantùm, & illam in morte Christi conseruatam miraculosè tantùm, sed naturaliter: ego dimissa propositione, quę mihi videtur ad præsens probabilior, & melius vitare omnia inconuenientia circa dicta & facta & alia, potius ponerẽ in homine multò plures formas naturales, quocunque modo generari ponerentur & corrumpi, & manere naturaliter vnam vel plures in corpore Christi mortui ad animæ separationem, q̃ vnicam, quia modo à ponentibus eandem formam corporeitatis numero manere in Christo mortuo, quæ prius fuit in viuo, non differt, nisi ꝙ ego illam formam non pono sub terminatione alterius formæ, sicut illi ponunt eam vltimam resolutione, & ꝙ ego illam pono manere miraculosè, illi verò naturaliter, vt quo ad hoc in re posita nullo modo differamus, sed solùm in modo ponendi.

Et præterea non minora inconuenientia ex natura rei apparent sequi ex positione plurium formarum in homine, quàm vnius, vt ꝙ actione patris nihil produceretur in filio, & ꝙ naturaliter corruptio esset sine naturali generatione, & q̃ plurima huiusmodi, quæ in alijs disputationibus de Quolibet. pertractauimus. Reuertendo igitur ad propositum patet ex hoc quod dico, ꝙ nihil formę substantialis, qñ generatio, & corruptio procedũt cursu naturæ non impedito, manet idem in generato & corrupto, siue in viuo & in mortuo, & ex eo quòd cum hoc suppono. s. ꝙ in morte omniũ aliorum hominum à Christo corruptio procedit cursu naturę tñ impedito, quia præseruatio à corruptione fuit priuilegium solius Christi, vt patet ex prædictis. Nullo ergo modo pono idem corpus numero manere in Petro mortuo qđ fuit in Petro viuo. Sed dicet aliquis: ergo incido in articulum nuper damnatum in Anglia & hæreticum reputatũ, qui dicit sic. Sextus est, qui dicit sic. Corpus cuiuscunque sancti uel hominis antequàm sit per putrefactionem mutatum in auras uel elementa, non esse

idem

idem numero cum corpore eius viuo: nisi secundū quid. s. ratione materiæ communis, sicut sunt unū, quæ invicem transmutantur, ut caro, & uermis, & ratione acceptionis communis. s. quantitatis. simpliciter autem esse diuersum corpus mortuum à viuo specie & numero. Re uera non incido secundum modum, quo articuli illi in Anglia reputantur erronei. Quem modum benè exprimit ille, qui eos fore erroneos promulgauit. Cum enim octauo articulo sic dixit: Octauus est ꝙ in homine tātùm est vna forma. s. anima rationalis, & nulla alia forma substantialis, adiunxit cōtinuò subdens sic. Ex qua opinione, videntur sequi omnes hæreses supradictæ. An hæreses sint contentæ in dictis articulis non iudico, nec ꝙ hæreses sint assero, sed ꝙ omnes sequuntur ex opinione, quæ in octauo articulo dicit, ꝙ in homine tantùm est forma substātialis. s. anima rationalis, & nulla alia, constanter affirmo, quæ si hæresis est: proculdubio cętera cōsimiliter hæreses sunt. sed hoc non nisi vt habent aliquam consequentiam ex illa, siue vt cuius gratia aliæ damnantur, siue è conuerso. in hoc enim non facio vim. Et sic Sexta, quam apparet me tetigisse, quæ talis est: Corpus cuiuscunque sancti &c. vt iam supra, similiter directè sequitur ex illa opinione tacta in octauo articulo, sed nō simpliciter: sed tantùm secundum modum intelligendi illam opinionem, qui modus re vera æquè hęreticus est: sicut & illa opinio ex qua sequitur siue vt damnatus per illam, siue è conuerso. in hoc enim non facio vim, vt dictum est. Secundum autem alium modum intelligendi ipsam, nullo modo sequitur ex illa opinione, nec è conuerso, nec continet in se aliquid erroris aut hæresis, sed vt puto veritatem. Corpus enim sancti, aut generaliter cuiuscunque hominis mortui ante resolutionem suam per putrefactionem non esse idem numero cum corpore eius viuo, non potest contingere, nisi ex hoc ꝙ forma corporis viui omninò ablata est, nec manet in mortuo. Sed ꝙ forma viui auferatur omninò, & nō maneat aliquid eius in mortuo, hoc duplici de causa potest contingere, aut. s. quia in homine non est alia forma substātialis q̄ anima rationalis, quæ aufertur omninò à materia in morte, aut quia etsi cum illa sit alia aliqua vel etiam plures aliæ, illa & illæ simul corrumpuntur & in potentiam materiæ resoluuntur, sicut & simul generantur cum infusione animæ, vt supra expositum est.

Dicere autęm ex prima causa, ꝙ corpus sancti, aut generaliter cuiuscunque hominis mortui, siue ante resolutionem eius siue post, in quo nulla est differentia, non sit idem numero cum eius corpore viuo, nisi secūdum quid, re uera hæreticum est, si illa opinio est hæretica, quia sequitur directè & simpliciter ex illa. Si enim in homine viuo tantùm est vna forma substantialis. s. anima rationalis dās esse corporeum, quæ separata est totaliter à materia corporis cuiuscunque hominis, & Christi, nullo modo corpus illius viuum est corpus ab eadem forma substantiali, qua corpus eius mortuum corpus est. Et ideò non simpliciter, sed tantùm secundum quid est idem. s. secundum materiam & dimēsiones accidentales interminatas, & hoc in alijs à Christo, & cum hoc etiam specialiter idem est in Christo propter identitatem materię & animę separatæ in suppositō verbi, quod cum materia facit ad identitatem corporis cum corpore nō in se, sed solùmmodo quasi in tertio. Et non est alia identitas secundum hunc modum maior inter Christi corpus mortuum & viuum, q̄ aliorum. Absit autē ꝙ ex hac causa vnquàm posuerim corpus cuiuscūque hominis viui & mortui non idem esse, & nullo modo manere eandem corporeitatem in mortuo, quæ fuit in viuo. Dicere verò ex secunda causa, ꝙ corpus sancti aut generaliter cuiuscunq; hominis mortui excepto duntaxat corpore Christi, non sit idem numero cum corpore eius viuo, nisi secundum quid, nullo modo est hæreticum, etiam si opinio illa sit hæretica, quia hoc ponere ex hac secunda causa stat cum oppositō illius opinionis. s. cum positione plurium formarum in homine, & ideò non sequitur omninò ex illa opinione. Et non est differentia in hoc apud ponentem in homine cum anima intellectiua vnam formam aliam, aut plures, quæ simul corrumpuntur in separatione animæ, siue ante corporis mortui resolutionem, siue post dicatur non esse idem cum corpore viuo simpliciter, sed secundum quid, nisi quo ad sensus apparentiam, qui non potest discernere in carne, & osse, & cæteris partibus consimilibus, qñ existūt eadem secundum formam simpliciter, & qñ non, nisi post q̄ magna mutatio facta fuerit circa ea per resolutionem in cineres, aut in puluere, aut generationem animalis alterius figuræ ex ipsis. Et hoc ideò, quia sensus formam substantialem percipere non possunt, & corpora hominum, & animaliū vniuersaliter recenter mortua parum videntur distare à viuis, sicut & acetum visui parum apparet distare à vino. Sicut etiam in omnibus contingit, quæ sunt vicinæ, siue propinquæ naturæ. In omnibus enim talibus gradus harmoniæ in vno, & dispositionum variatio secundum modicam intensionem, aut remissionem per modicam actionem facit materiam incompossibilem ad formā illius, & necessitatem eius ad formam vicinam contrariam. Vnde in homine sua morbida dispositio, qua habet necessitatem moriendi, si quo ad harmoniā suam & dispositionem qua saluatur cum ea forma hominis substātialis, modicum intendatur vel remittatur: statim materia fit incompossibilis formę hominis, & necessitas ad formam cadaueris, modica tm̄ facta mutatione in figuris, & quibusdā alijs qualitatibus symbolicis, quo ad illarum terminationes, vt visus inter generatum & corruptum modicam, aut nullam possit discernere diuersitatem, quia secundum modicum variata est terminatio in illis propter formarum vicinitatem, ita vt in mortuo & viuo corpore appareat non solū in homœomeris

meris idem corpus, eadem caro, idem os, idē nervus, sed etiam in anatomœomeris apparet idem caput, idem oculus, idem nasus, eadem manus, & cætera huiusmodi, licèt forma substantialis in eis sit diuersa. Sed quando corpora mortuorum diu in sepulchris iacent, tunc sola figura corporis viui est in eis. Si enim tanguntur manu, vel venti exsufflatione, statim decidunt in pulueres. Et tunc primò propter magnam distantiam, quæ est inter corpora viua, & reliquias corporum mortuorum, percipit sensus, ꝙ non est idem corpus simpliciter secundum speciem specialissimam propriè dictam viui, & reliquiarum illarum: secundum rem tamē & veritatem percipit statim intellectus, cuius est percipere formam substantialem, quòd nulla est identitas secundum formam substantialem maior in corpore mortuo ad corpus eiusdem viuum, q̄ ipsarum reliquiarum corporis mortui, quēadmodum sensus, gustus, & odoratus percipiunt, quòd nulla est identitas, aut modica in sapore, & odore maior in aceto ad vinum, quàm ad aquam in quā resoluitur acetum, licèt hoc non percipiant visus, tactus, & auditus. Apud ponentes verò in homine cum anima rationali esse vnam aliam formam materialem, vel plures, quæ tamen non simul corrūpuntur in separatione animæ, sed manent per aliquod interuallum, & variatione maiore facta in corpore corrumpitur vna post aliam si sint plures, magna est differentia in dicendo non esse idē corpus mortuum cum viuo, nisi secundum quid, ante resolutionem in pulueres, & post. Isti enim possent dicere, quòd aliquantulam manet idē corpus mortuum, quod fuit viuum post animæ separationem, antequam scilicet per putrefactionē mutatum sit in auras, vel elementa, licèt nōn maneat post, sicut secundum prædeterminata dicerent, quòd fuit generatum per aliquantulum tempus ante animæ infusionem.

Possunt etiam dicere nullam esse differentiam quo ad hoc in Christo, & in alijs hominibus, nisi quòd Christi resurrectio accelerata fuit, & preuenit corporis corruptionem, quod non fit in alijs. Propter quod corrupta forma substantiali in eis, vergunt in putrefactionem. Et non est differentia inter istos duos modos ponendi, nisi in hoc, quòd prior modus ponit eandem corporeitatem reseruatam miraculo in solo Christo mortuo, quæ fuit in viuo, non ad horam, sed simpliciter, vt etiam si non fuisset accelerata resurrectio non fuisset corruptum, nec etiam potuisset corrumpi, vel naturaliter vt redigeretur in puluares, vel violenter per combustionem vt redigeretur in cineres. Dico stante diuino promisso, quod præconizauit Dauid Propheta dicens; Non dabis sanctum tuū videre corruptionem. Sicut verò oratione cōposita prædestinatus non potest damnari, licèt simpliciter & absolutè potuisset corrumpi, sic simpliciter & absolutè oratione diuisa prædestinatus potest damnari.

iste verò modus ponit, quòd naturaliter solū permansit, sicut & manet in alijs ad tempus.

Sed quòd nos non possumus tenere resolutionem fieri in generatione & corruptione vsque ad primam materiam, nulla forma substantiali manente naturaliter, hoc arguunt aliqui sic: Si non manet aliqua forma substantialis eadem in generato & corrupto, neque eadem accidentia, cū omnia sint fundata in materia mediante forma substantiali, secundum illud Philosophi. 1. Physicor. Subiecta materia cum forma &c. Quare cum posui supra, quòd aliqua communia maneant quantuncunque sint determinata, oportet, quòd maneat aliqua forma substantialis, licèt incompleta & interminata, mediante qua fundantur in materia. Aliter enim illa accidentia præcederent formam substantialem, & immediatius adhærerent materiæ, quàm forma substantialis, quia ipsa esset in materia mediantibus illis, & essent potius formæ substantiales, quàm illa, quam ponimus substantia. *Arg. prin.*

Item si eadem accidentia, quæ prius erant in viuo, manent in mortuo, & hoc quia sunt symbola vtrique formæ, & à neutra forma, aut à proprietatibus earum possunt corrumpi, eo quòd illis non repugnant, & non est corruptio nisi ratione repugnantiæ, & præterea frustra esset eorum corruptio, ex quo communia sunt generato & corrupto, similiter cum forma substantialitatis & corporeitatis sunt symbolæ, & communes omni generato & corrupto: non ergo minus debent eædē manere in corrupto & generato, q̄ ipsæ formæ accidentales. *Secundum*

Item arguūnt, quòd illud non potest teneri secundum fidem, sic. Constat ex fide Christiana, ꝙ homo ab instanti infusionis animæ intellectiuæ cō trahit peccatū originale, & hoc non ex natura animæ, quia tunc si separata daretur, haberet in se originale, quod falsū est, nec ex natura materiæ, quia tunc in Christo fuisset originale, in quo cōis materia nobiscum erat, quod similiter falsum: oportet ergo, quòd hoc sit ab aliqua dispositione inducta in materia à generante, mediante qua anima vnita materiæ contrahit originale, & sic dispositio illa præcedit animā in esse, quare non dependet ab ea in esse, immò manet anima remota. Et si sit accidentalis, necesse est vt prius, ꝙ sit similiter manens alia substantialis mediante qua vt prius fundatur in materia. Et si substantialis, benè quidem semper tamen aliqua forma substantialis manet alia separata, quæ & necessariò præcedit eam. Non ergo anima separata statim fit resolutio vsq; ad primam materiam. Vel sic ad aliam conclusionem, & sic dispositio illa præcedit animam in materia. Quòd si sit substantialis, sunt ergo plures formæ substantiales simul in homine. *Tertium*

Si verò sit accidentalis: ergo præsupponit in materia aliam substantialem, nō nisi corporalem, & sic est dispositio in corpore prolis compositō

ex materia & forma corporali, & sic idē qd prius. Sed vlterius. Non est autem ista disposition in corpore prolis, nisi quia prius fuit à parente diffusa in corpus seminis, & à corpore seminis deriuata in corpus prolis: hoc autem esse non posset nisi eadē forma corporeitatis, & idem corpus quod fuit in semine corrupto, secundum formam seminis maneret in prole generata ex semine, quod est contra dicta mea superius.

Ad primū Ad primum dico vt prius, quòd eadem accidētia interminata manent in generato & corrupto: nulla tamen forma substantiali etiam manente interminata. Et quòd arguit, quòd hoc non potest stare, cum omnia accidentia sint fundata in materia mediante forma substantiali: aliter enim accidentia in materia præcederent formam substātialem, & ei immediatius adhærerent: Dicendum, quòd non obstante, quòd accidentia sunt fundata in materia mediante forma substantiali: benè tamen accidentia interminata possunt manere in generato, quæ erant in corrupto, quia sicut nunquā sunt in aliquo instanti reali, nisi sint terminata, vel secundum exigentiam vnius formæ, vel alterius, sic nunquam sunt in materia, nisi mediāte vna forma substantiali, vel altera. Benè tamen id idem qd est sub determinatione vna habitum in forma accidentali à prima forma substantiali, & fundatum in materia mediante illa forma substantiali, manet, & est sub alia terminatione habita in forma accidentali à secunda forma substantiali, & fundatum in materia mediante illa forma substantiali. Quòd autem forma accidentalis sit absque omni sua determinatione, & in materia absque fundamento formæ substantialis, hoc non est nisi secundum intellectum, & in signo considerato in instāti reali secundum intellectum. Licèt enim in eodē instanti reali sint abiectio vnius formę, & inductio formæ alterius, & mutatio media, quæ est generatio, qua abiecta vna per corruptionem producatur altera, tamen quia naturaliter prius est abiectio formæ vnius, quàm transmutatio, qua producatur altera, & sic naturaliter prior est transmutatio generationis, qua forma altera producitur, q̄ sit ipsa forma producta: ideò illud instans vnum secundum rem oportet diuidere in tria signa, differentia solùm secūdum rationem, vt in primo intelligatur formæ prioris abiectio, & in vltimo formę sequentis inductio, & in medio ipsa generationis transmutatio. In quo secundum considerationem intellectus materia, vt est in potentia, & non in actu aliqua forma, sed media inter ens actu secundum formam, & non ens omninò, est subiectū illius transmutationis, & similiter accidentiū symbolicorum interminatorū. Et secundum hunc modum præcedunt in materia secundum fieri eius ipsam formam substantialem, & non fundantur in ipsa mediante forma substantiali. Fundantur tamen in ipsa mediante potentia ad formam substātialem, quia cum materia ex se sit in potentia ad formas substantiales, & accidentales, potentia ad formas substantiales essentialius, & immediatius adhæret materiæ, quàm ad formas accidentales. Vnde contingit, quòd forma substantialis inducta in posteriori signo immediatius adhæret materiæ, quàm forma accidentalis, & quo ad eius determinationem, quam habet à forma substātiali, & quo ad id symbolum interminatum, quod subtractum est illi determinationi. Et secundum hunc modū præcedit forma substantialis in materia formā accidentalem secundum esse. Vt secundum hoc duplicem ordinem secundum prius, & posterius debeamus considerare inter formam substantialem & accidentalem respectu materię. Vnum temporis quo ad fieri earum in materia. Alium ordinis naturalis, quo ad esse earum in materia. Secundū primum ordinem dimensiones interminatæ, & p ipsas alia accidentia interminata præcedunt in materia formam substantialem generabilem, & corruptibilem. Propter quod sunt diuisibiles secundum diuisiones materiæ sub dimensionibus ad diuisionem dimensionū, & generabiles & corruptibiles propter pluralitatem illorum accidentium ad diuersas terminationes, & per hoc, ꝙ accedunt ad vnam terminationem faciunt materiæ necessitatem ad vnam formam, & impossibilitatem p manendi sub alia, & è conuerso per hoc, ꝙ accedunt ad aliam terminationem. Forma autem cœli, quia in materia præcedit naturaliter omnem rationem dimensionum, nō est diuisibilis diuisione materiæ, & dimensionum, & non possunt dimensiones habere, nisi vnam determinationem, q̄ habent ab illa, propter quod ipsa naturaliter est ingenerabilis & incorruptibilis. Secundum autē ordinem ꝑm forma substantialis omnem rationem dimensionum præcedit: & ideò secundū rem non fundantur accidentia in materia, nisi mediante substantiali forma in quocunque tempore, vel instanti reali, licèt secundum considerationem intellectus in signo medio secundum rationem non fundantur in materia nisi mediāte potentia ad formas substantiales.

Ad secundum Ad secundum, si accidentia, quia sunt symbola possunt manere: ergo & formæ substantialitatis & corporeitatis, quia in eis habent symbolum corruptum & generatum. Dicendū, ꝙ non est verum nisi secundum ponentes, ꝙ in eodem sint plures formæ differentes secundum rem, & tot, quot sunt gradus in prędicamento substantię, dicēdo, ꝙ brutum alia forma secundum rem est substantia, alia corpus, alia vegetabile, alia verò sensibile, & ꝙ non fiat resolutio ad primam materiam, sed fit status corruptionis in forma corporeitatis & ibi incipiat generatio exclusiuè. Isti enim possunt ponere, ꝙ eadem forma corporeitatis & substantialitatis secundum numerum, quæ sunt interminatę respectu aliarum, manent in corrupto & generato ex illo. Et similiter secundū ponentes, quòd formæ substantiales specificæ in diuersis nō differunt

runt ſecundum eſſentias differentes ſpecie ſpecialiſſima cõiter dicta, ſed ſecundum eſſe tantũ eiuſdem formæ ſecundum eſſentiam ſpecificam, & ꝙ ſit ſtatus corruptionis in forma corporeitatis, vt quòd eadem forma corporeitatis ſubſtantialis ſit in aqua, & in aere ſecũdum ſpeciem ſpecialiſſimã cõiter dictam, differens ſolum ſecundum diuerſum eſſe ſecundum rationes diuerſarum ſpecierũ ſpecialiſſimarum propriè dictarum. Iſti etiam poſſunt dicere, ꝙ eadem corporeitas ſecundum numerum interminata quo ad eſſe, quę fuit in corrupto terminato ſub vno eſſe, manet in generato ex eo terminatum ſub alio eſſe. Secundum ponentes autem, ꝙ formæ ſubſtantiales, puta ſubſtantialitas, corporeitas, animatio, & ſic de alijs, in diuerſis differunt genere, & ſpecie, & numero ſecundum qđ differunt illa, in quibus ſunt, vt ꝙ ſubſtantialitates animalis, & lapidis differunt genere, ſicut animal & lapis, & ſimiliter eorum corporeitas, & ſic de alijs, in quibus habent aliquam conuenientiam: ſimiliter ꝙ ſubſtantialitates equi & leonis differunt ſpecie, ſicut & ipſi, & ſicut ſubſtantialitas fauelli & brunelli differunt numero, ſunt ſub ſpecie ſpecialiſſima cõiter dicta, ſicut & ipſi differunt ſpecie ſpecialiſſima propriè dicta: Iſti nullo modo poſſunt ponere ſymbolum in formis ſubſtãtialibus, ſicut & in accidentalibus, quia ſymbolũ non eſt niſi in eiſdem formis ſubſtantialibus ſecũdum numerũ, differentibus ſecundũ magis & minus, vel maius, & minus, vt habitũ eſt ſupra, ſicut ſecundũ dictas diſpoſitiones ſymbolum eſt in eiſdem formis ſubſtantialibus ſecundum numerum, differentibus ſecundum diuerſas terminationes, vel penes diuerſas formas, vt dicit prima opinio, vel penes diuerſa eſſe, vt dicit ſecunda. Et vniuerſaliter ſymbolum non poſſunt ponere ſubſtantiarum ponentes reſolutionem fieri vſque ad primã materiã, & ſimul in eodem inſtanti, quia quęcunq; forma ſubſtantialis eſt in corrupto, non põt eſſe ſymbolum, & ideò non põt manere cum quacunque forma generati, quæ neceſſariò habet produci in eſſe ad illius corruptionem.

Ad tertiũ.

Ad tertium de tractu originalis dicendũ eſt cõcedendo, ꝙ non contrahitur ex natura animæ nec ex natura materiæ, ſed ex natura alicuius diſpoſitionis corporalis morbidæ introductæ à generãte in compoſito ex materia, & forma corporali, quã ſupra diximus eſſe diſpoſitiuam cũ materia ad ſuſceptionem animæ rationalis. Et præcedit illa diſpoſitio animã natura, licèt non duratione, in illo compoſito, vt inſtans vnum reale in quo forma illa naturalis generatur, & compoſitum ex illa & materia dicta diſpoſitione morbida inficitur, & anima rationalis illi composito infunditur, diuidatur in tria ſigna ſecundum rationem, & in primo intelligatur forma naturalis, ſiue compoſitum ex ipſa & forma generari, in medio ipſum cõpoſitum infici, in tertio animam infundi, & per illã diſpoſitionem originale contrahere. Quod autem aſſumitur, ſi iſta diſpoſitio non dependet in eſſe ab anima, quia eam præcedit: ergo anima remota poteſt manere, & hoc non niſi cum forma ſubſtantiali. Dicendum, ꝙ non eſt verum, quia licèt illa diſpoſitio in eſſe non depẽdeat ab anima, dependet tamen à ſuo ſubiecto, quod naturaliter ſimul habet corrumpi cum animæ ſeparatione, & propter hoc in illo ſimul corrumpitur illa diſpoſitio, & non manet, aut ſi maneret hoc nõ eſſet niſi ſicut qualitas ſymbola, cuius permanentia ſecnndum prædictum modum non arguit permanentiam alicuius formæ ſubſtantialis.

Ad cuius declarationem, & ad ſciendum modũ contrahẽdi originale, quo ad infuſionem illius diſpoſitionis morbidæ, & quid ſit originale, aduertẽdum, ꝙ peccatum originale eſt non pura carentia originalis iuſtitię, quam Deus nõ infundit animæ prolis propter peccatum parentis primi, manente ipſa anima in rectitudine naturali, vt dicit in pdicta quæſtione. Per quod ille, qui eam ſcripſit nititur ſaluare tractum originalis. Sed non poteſt, quia iſtam carentiam non habet ex aliqua diſpoſitione ſubiecti, ſed ex ſola voluntate Dei volentis illam iuſtitiam infundere: & ideò nullo modo eſt tracta: immò peccatum originale cum carẽtia illius iuſtitiæ, qua anima habuit pronitatem & inclinationem ad bonum dicit in anima à ſtatu ſua naturalis rectitudinis quandam obliquationẽ, qua habet in ſe pronitatem, & inclinationem ad malum, ſicut habuit in ſe anima Adæ ex peccato, non ſolum carentiam originalis iuſtitiæ, dicente Auguſtin. 13. de Ciuit. Dei, cap. 10. Pro magnitudine quippè culpæ naturã damnatio mutauit in peius, vt quod peccabiliter præceſſit in peccantibus hominibus primis, naturaliter ſequeretur in naſcentibus cæteris. Vnde per hominem, qui deſcendit de Hieruſalem in Hiericho. Luc. 10. Gloſſa intelligit genus humanum per peccatum primi parẽtis expoliatum gratuitis, & vulneratum in naturalib. Iſtud autem vulnus & obliquatio in naturalibus non eſt à Deo inflicta immediatè, ſed in vnione cum corpore per illam morbidam diſpoſitionem tracta. Per illam enim naturaliter anima corpori coniuncta obliquatur, & habet in ſe paruulus fomitem concupiſcentiæ in habitu, quẽ habet adultus in actu. Nec cauſatur illa diſpoſitio in prole p aliquod idem numero transfuſum in ſubſtantiam prolis, quod prius fuit in ſubſtantia parentis: immò quod transfunditur in corporalem ſubſtantiã, non eſt niſi reſiduũ nutrimenti: non autem aliqua portio corporalis ſubſtantiæ parentis, vt quidam ſolebant dicere volentes per hoc ſaluare tractum originalis. Nutrimentum autem prius, q̃ recipiatur in vaſis generationis nullo modo habet in ſe illam morbidam diſpoſitionem. Vnde ſi ex ipſo immediatè à Deo formaretur proles, non contraheret anima eius ex coniunctione cum illa formata originale.

Sed poſtquam receptum eſt in vaſis generationis,

nis,& vi generatiua corrumpitur forma glutinis, & generatur forma seminis, tunc primò ordinatur naturaliter,& per se ad prolis procreationē,& infunditur semini illa morbida dispositio. Propter quod dicitur Sap. 12. Semen maledictum erat ab initio, ita ꝙ si de illo semine virtute diuina formaretur corpus prolis, anima ex coniunctione cum illo contraheret originale, sicut contraheret ex cō iunctione cum corpore formato de digito hominis geniti in originali. Propter quod semen virginis, vnde in primo instanti conceptus eius in loco plasmationis naturalis corpus Christi opere Spiritus Sancti formatum, & anima creata infusa & ipsa cū corpore à Deitate assumpta est, via qua localiter descendit in locum formationis, purgatū est à dicta dispositione, propter quod anima Christi originale non contraxit ex vnione cum corpore formato ex illa. Cumque semen infectum à patre deciditur, & in loco formationis reponitur, eadem vis generatiua, & membrorū formatiua, quæ erat in parente ad generandū semen ex nutrimento, & inficiendum ipsum dicto modo, manet in semine ad generandum ex semine corpus humanum, corporeitatem, siue formam corporeitatis educendo de potentia materiæ, & corrumpendo formam seminis, & similiter ad inficiendum illud corpus eadem dispositione, qua semen erat infectum, sicut & vis generatiua parentis infecit semē eadem infectione, qua ipse infectus erat. Etsi enim remissum est originale formaliter in renatis, manet tamen fomes in membris materialiter. De quo dicit Apost. Rom. 7. Scio, ꝙ non habitat bonum in carne mea. Nec est differentia in hoc, siue plures generationes & corruptiones naturales ponantur inter generationem primā formæ seminis, & vltimam corporis humani, quoniam semper manet vis eadem generandi, & inficiendi in quoliber intermedio, quæ fuit in semine, & in ipso parente. Et per hanc eandem viam radicaliter leprosi parentes naturaliter generant leprosos.

Quòd si ita sit, non video quomodo ponentes in homine non esse aliam formam ab anima, possunt ponere modū contrahendi originale, cum ibi nulla potest fieri infectio materiæ, quia ex ipsa nulla fit naturalis generatio. Patet etiam ex hoc, ꝙ non est necesse dicere, ꝙ ad hoc, ꝙ contrahatur originale eadem forma, quæ fuit in semine maneat in prole, & idem compositum ex materia & forma corporeitatis, quod quidem compositum quia est infectum in semine, est infectū in prole, quasi alia via non posset infectio seminis descendere in prolem, non dico eadem numero, sed specie, sicut infectio, quæ fuit in parente non eadem numero descendit in semen, sed eadem specie tantùm, licèt aliqui illud volunt dicere, & per hoc probare, ꝙ in generatione & corruptione eadem forma manet in generato, quæ fuit in corrupto, & non fit resolutio formarum omnium in primam materiā. Sic igitur dicere, ꝙ in Petro mortuo non manfit eadem forma corporis, quæ fuit in viuo ex secunda causa, nullo modo est hæreticum, nec sequēs ex illa opinione in 8. articulo, & qualitercunque sentiatur de hoc, siue ꝙ maneat eadem forma, siue ꝙ non maneat, non debet iudicari erroneum, aut hæreticum, quia nō est materia circa quam habet cadere error, aut hæresis. Est igiter sciendum, ꝙ ista tria falsum, erroneum, hæreticum sic se habēt per ordinē, ꝙ omne hæreticum est erroneum, & non è conuerso, & omne erroneum est falsum, sed non è conuerso. Erroneum enim non dicitur nisi falsum in doctrina fidei, aut morum, vel redundans in ipsam, quod tunc primo dicitur hæreticū quando cum pertinacia defenditur. Falsum autē simpliciter est, quod non est in doctrina fidei, aut morum, neque redundās in ipsam, vt sunt purè naturalia, & philosophica, vt est dicere, ꝙ anguli trianguli non sunt æquales, de numero quorū falsum est alterum horum, ꝙ in Petro mortuo non manet eadem forma corporis materialis, quæ erat in viuo. Non enim in hoc est differentia de homine mortuo, & viuo, & de asino mortuo & viuo. In hoc enim communicant homo, & asinus, & etiam omnia corporalia etiam inanimata.

Si enim in vno ipsorum sunt plures formæ materiales, quarū vna corrupta manent per aliquantulum temporis aliæ, vel vna earum, consimiliter hoc contingit in omnibus alijs. Sicut ergo non est error dicere, etsi fortè falsū est, ꝙ in asino mortuo non manet eadē forma corporalis, quæ prius fuit in viuo, consimiliter non est error dicere, licèt falsum sit fortè, simile in Petro mortuo, & viuo.

Sed dices fortè, quòd non est simile, quia illud dictum circa Petrum non autem circa asinum, est falsum redundans in doctrinam fidei & morum. Secundum doctrinam enim fidei, & morum adoramus corpora Sanctorum mortua, quod non faceremus nisi formæ essent in mortuis, quæ fuerūt in viuis. Quando enim apertè corruptæ sunt formę quæ erant, alijs formis eductis de materia, nō adoramus illa corpora, vt patet si vermes essent generati de corpore sancti, non adoraremus illos.

Dicendum, quòd non adoramus corpora Sanctorum mortua propter formas, quæ in eis remanent de corporibus viuis: aliter enim non adoraremus cineres Sanctorum potius, q̄ vermes de corporibus Sanctorum generatos, quia non plus de formis corporum viuorū manet in cineribus, qui tamen adorandi sunt, q̄ in vermibus, qui non sunt adorandi, sed propter aliam causam, vt videbitur in sequenti quæstione. Quare si ille articulus, ꝙ non manet eadem forma in corpore hominis mortuo, quæ erat in viuo, simpliciter fuit damnatus in Anglia, & ex quacunque causa hoc posset poni, procul dubio non fuit opus salua pace damnantis. Non sic fortè de damnatione illius, quando ponitur ex causa, secūdum quam sequitur ex dicta opinione de vnitate formę in homine, quę re vera, etsi nondum sic fuerit damnata vsque ad tempora ista

quin

quin sustineri potuerit, & pōt adhuc pro opinione, secundum quod alias dixi, & adhuc dico, mihi tamen videtur, & dia visum est, quòd dicta copiosa sacrorum Doctorum cōcordanter explicant quòd Christus erat perfectus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens, sicut dicitur in symbolo Athanasij, vt sicut Christum perfectū hominē non testificantur, qui dicunt ipsum habere humanam carnem sine animā, vt Deitas in ipso sit loco aiæ, sic non testificantur ipsum perfectū hominē, qui dicunt ipsum habere animā rationalem, & non carnem ab alia forma, q̄ sit anima, sed quòd anima loco formæ illius est virtute eā continens, dans materię esse corporis & carnis. Vtrique enim vt puto æqualiter sunt falsi testes Christi, denegando Christo, quod pertinet ad perfectionē naturæ humanę. Hinc dicit August. de fide ad Petrum, cap. 5. Dei filius cum sit Deus æternus, & verus cū patre secūdum Deitatem, pro nobis factus est homo verus & plenus. In eo verus, ꝙ veram habet humanam naturā. In eo verò plenus, ꝙ carnem suscepit & animam rationalem. Et hanc carnem, quæ remāsit anima separata: & ideò caro ab alia forma, q̄ ab anima. Quod post pauca declarat, subdens. In cruce idem Deus homo factus pependit, & in sepulchro idē Deus homo factus iacuit; & ab inferis idē Deus homo tertia die resurrexit. Sed in sepulchro secundū carnem idem Deus iacuit, & in infernum secundum animam solā descendit, qua de inferis ad carnem reuertente idem Deus secundum carnem, qui in sepulchro iacuit, de sepulchro surrexit. Ecce, ꝙ ad carnē, quæ iacuit in sepulchro anima reuertente Deus secundū eam resurrexit. Item ad Orosiū. Et passus & mortuus, & resurrexit & ascendit in cœlum, sedetque ad dexteram Patris. Et veniet ad iudicandum in eadē forma carnis, atq; substantiæ, in qua etiam in sepulchro iacuit, dicente August. de verbis Domini, sermo. 10. homil. 56. Agnoscimus geminam Christi substantiam, diuinam. s. qua æqualis est Patri, humanām, qua minor est Patre. Vtrunque autem simul non duo, sed vnus Christus ne sit quaternitas non trinitas Deus. Sicut enim vnus est homo anima rationalis & caro, sic Christum in his omnibus, Christum in singulis confitemur. Quis est ergo per quem factus est mundus? Christus Iesus, sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato crucifixus? Christus Iesus, sed in forma serui. Itē de singulis, quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno? Christus Iesus, sed in aīa sola. Quis resurrecturus iacuit triduo in sepulchro? caro. Et intelligit sola caro, quia dixit non solū verum esse de omnibus, sed de singulis. Et ꝙ sic intelligat satis expressit modicum superius, asserēs, quòd nō solum homo Christus dicitur filius Dei, sed etiam sola caro, quæ in sepulchro iacuit, sic inquiens. Neque charissimè homo Christus non dicitur filius Dei, quod etiam sola caro eius in sepulchro meruit appellari, & paulopost.

Ac per hoc cum credimus in Dei filium, qui sepultus, profectò Dei filium fecimus, & carnem, quæ sola sepulta est. Sed ponentes vnicam formam in homine, modicum reputant tales auctoritates quantumcunque expressas, secūdum quòd dicit septimus articulus damnatus in Anglia, qui talis est. Qui vult ita dicere &c. vt supra.

Qui enim ponit vnam formam, multum innituntur Philosophiæ. Vnde ad confirmandum in corpore Christi nouam formam fuisse inductam in morte dicit in eadem quæstione. Corpus Christi non tantùm diuq alteratum: immò formaliter & substantialiter est mutatum, & hoc probat tàm logica, quàm Physica. Qui verò innituntur Philosophiæ, fidem non adhibent nisi rationi acceptæ à sensibilibus, & reducendæ in sensibilia, & non auctoritati, aurdicto cuiusquam, nisi quia exhibet rationem. Quod quàm perniciosum sit dicere generaliter in omnibus eis, quæ pertinent ad scientiam fidei, patet cuilibet fideli, eo quòd fides est de non visis, & de eis, quæ naturali ingenio absque supernaturali illustratione sciri non possunt, vt in quæstionibus nostris ordinarijs satis tractauimus. Specialiter autem insanum est dicere, quòd in quæstione de vnitate formæ in homine, non est credendum, nisi rationi, & præcipuè acceptæ ex Philosophia Aristotelis, & Peripateticorum. Postquàm enim ipsi non posuerunt omninò animam rationalem esse formam, & actum in homine, sed formam aliquam materialem habentem vires animæ vegetatiuæ & sensitiuæ, vt in præcedente Quolibet. planè declarauimus, quomodo ex dictis eorum possunt accipere veras rationes ad probandū, quòd in homine forma substantialis & actus materiæ est sola anima rationalis, & nulla forma materialis, cuius contrarium illi posuerunt? Re vera nequaquæm. Vnde quęcunque rationes ex Philosophia inducuntur contrà pluralitatem formarum in homine, etsi ratione materiæ habent veritatem in alijs ab homine, in homine tamen nullo modo habent veritatem. Non enim sunt simpliciter & vniuersaliter veræ. puta dictum illud ex Philosophia supra tactum, habens actum & esse ab vna forma substantiali, non recipit ab alia esse, nisi accidentale, ex quo concludunt, ꝙ non est nisi vna forma substantialis in eodem, cum omnis forma substantialis det suum esse, & habito vno substantiali esse, siue actu essendi in materia non est possibile recipi aliud, non est vniuersaliter verum, quia secundum supra dicta nō est verum, nisi de forma substantiali, quæ dat esse completum in aliquo gradu prædicamenti substantiæ, quale esse dat omnis forma substantialis in rebus corporalibus alijs ab homine. & ideò in solis illis habet veritatem illud dictum, & habendo respectum ad illa solùm loquitur Philosophus dictum illud proponendo.

De forma autem substantiali, quæ non dat esse, nisi incompletum, quale dat forma corporalis in

ſolo homine educta de potentia materiæ, non eſt verum. Ipſa enim quia non dat, niſi eſſe inchoatiuum, & diſpoſitiuum in quolibet gradu prædicamenti ſubſtantiæ, vt dictum eſt ſupra, requirit ſecum formam, quæ eſt anima rationalis, quæ dat completiuum. Vnde quod aliqui dicunt, ꝙ ratio iam dicta, quare non eſt ponere pluralitatem formarum in alijs ab homine, etiam habet locum in homine, non eſt verum, ſed vanum, & friuolum eſt dicta Philoſophica de rebus purè naturalibus applicare vniuerſaliter ad hominem. Sunt enim aliqui, qui dicunt ꝙ non oportet ſemper formam dare actum eſſendi, vt in Chriſto actum eſſendi non dat anima rationalis, ſed ſuppoſitum fundatum in diuina natura. Aliter enim in Chriſto eſſent duo eſſe, & Chriſtus eſſet duo exiſtentes, ſed de hoc erit ſermo inferius.

Comment. in Quæſtionem Quintam, quæ eſt,

Vtrum Corpus Chriſti viuum, & corpus Petri viuum ſint idem ſpecie.

IN titulo not. eſt, quòd quæſtio ex Auctore non eſt intelligenda de ſpecie ſubalterna, ita quòd quæſtio ſit vtrum ſint idem ſpecie ſubalterna, ſed intelligenda eſt de ſpecie ſpecialiſſima, non quidem propriè, ſed communiter, quæ in veſtibulo quæſtionis declarantur ab Auctore.

In corpore quæſtionis datur in primis concluſio affirmatiua. ſ. ꝙ ſunt idem ſpecie. Quæ concluſio probatur per ſecundum argumentum in fronte quæſtionis, quod vtique ſatis clarè ex ſe patere videtur.

Probatur etiam in corpore quæſtionis, quia dato oppoſito, ſequeretur ꝙ non eſſet natura Chriſti vniuoca cum noſtra, & non haberet idem corpus vniuocè.

Not. quòd identitas hæc eſt ſecundum corporeitatem, ita quòd hæc corpora ſunt idem ſpecie communiter dicta, ſi habeant eandem formam corporeitatis ſpecie, quæ forma in hoc negotio accipitur, pro vt non ſecatur per diuerſas differentias. Eſt autem forma huiuſmodi corporeitatis duplex, altera accidentalis, quæ eſt quantitas, altera ſubſtantialis, quæ eſt forma mixtionis. Vbi de prima notum eſt, quod eſt eadem in viuo, & mortuo quolibet, quoniam ipſa ſit incorruptibilis, &c. de forma mixtionis pariter patet, vt in ſuperioribus viſum eſt. Et hic re vera terminatur hæc quæſtio, vt tota prolixitas quæſtionis ſit pro reſponſione ad primum argumentum in fronte quæſtionis adductum.

In reſiduo igitur quæſtionis habetur reſponſio ad argumentum dictum. vbi multa obiter colliguntur. Quatuor autem præſertim facere videtur.

Primò quidem nonnulla præmittit præuia ad reſponſionem.

Secundò reſpondet argumento.

Tertiò manifeſtat in quatuor ſtare ſuppoſita ſuam reſponſionem.

Quartò declarat illa ſuppoſita obiectionibus aliorum ſatisfaciendo.

De primo, cum quærat an aliquid corporeitatis maneat in mortuo, quæ fuit in viuo, &c. cum duplex corporeitas ſit, alia accidentalis prouenies à forma accidentali, nempè à quantitate, &c. alia ſubſtantialis prouenies à forma mixtionis, de illa dicit non eſſe præſentem quæſtionem, &c. certum eſſe, quod eadem quantitas eſt in vtroque. Et hoc ſemper intellige ante corporis mortui reſolutiõnem. Sed qõ eſt de forma ſubſtantiali. de qua loquẽdo, diſtinguit de corporis idẽtitate de corporis inquàm viui, &c. mortui identitate, & ex membris diſtinctionis reſoluit quæſitum tribus concluſionibus.

De identitate igitur corporis viui, & mortui loquendo aut intelligitur eſſe

Completam corporeitatem in vtriſque.

Prima concluſio.
Tàm ſecundum illos, qui ponũt vnicam formam in homine, quàm qui plures, nullo modo eſt idem corpus viuum, & mortuum.

Incompletam in vtriſque corporeitatem.

Secunda concluſio.
Secundum ponentes vnã formam tãtùm in homine non eſt idem corpus omninò. contra verò ſm plures ponentes eſt idem numero, & forma.

Completam in vno, incompletam in altero.

Tertia concluſio.
Secundum tenentes vnicam formam in homine. non idem eſt, ſecũdum ponẽtes plũres eſt idem.

Quæ autem opinio tenenda ſit de pluralitate formarum, vel vnitate, dictum eſt in primo quolib. quæſtione 4. & quolib 2. quæſtione ſecunda.

De ſecundo, reſponſio ſtat in hoc, quòd corpus viuum &c. mortuum non ſunt idem ſpecie ſpecialiſſima propriè dicta, ſed vtique ſpecie ſpecialiſſima communiter dicta. obiter autem cętera addit contra ponentes vnicam formam in homine, quæ clara ex ſe ſunt.

De tertio. Quatuor ſuppoſita ſunt, quæ intelligit in hac reſponſione, quæ hic non tranſcribimus, quando hoc neceſſarium non videatur.

Not. autem, ꝙ primum habitum eſt in primo, &c. ſecundo quolib. locis citatis, & hoc loco probatur tantùm auctoritate, ſicut ipſe dicit, cum alibi ratione probatum ſit.

Not. quo ad ſecundum. Quòd forma corporeitatis reſeruata, &c. quòd hæc eſt concluſio habita in illis quæſtionibus præciſa, tamen vlterius procedendum, quòd ita reſeruata fuit, quòd aliter, quàm in cæteris, quòd intelligi nequaquàm poteſt, niſi futurum inſpiciendo, ſ. quòd ita reſeruata fuit, ꝙ ſi permultum temporis, etiam vſque ad iudicium vniuerſale, dilata fuiſſet eius reſurrectio, nunquàm illud corpus amiſiſſet illam formam.

In cæteris autem non est ita dicendum, quia etsi videamus corpora quædam integra sanctorum, & non pulverizata, qui per plura sæcula decesserunt, non est tamen dicendum, quod eandem formam habeant corporeitatis, quam statim subsecuta morte habuerunt. Cum n. sit forma mixtionis, & hæc non sit sine humido, videmus corpora illa potissimum sicca, & arida, & alijs qualitatibus destituta, quæ sunt in corpore statim mortuo. Iam verò ex priuilegio peculiari habetur, quod etsi Christus non resurrexisset, sed tandiu mansisset, & distulisset, quo naturaliter corpus posset incinerari, non tamen incineratum fuisset, nec deperdisset aliquid corporis huiusmodi. Vt de illo dictum sit tantum, non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Quo ad tertium suppositum not. differentiam, quam modo tetigimus, quòd non est reseruata pro hoc tempore, sicut reseruata fuisset in Christo.

Quo ad quartum, quòd videtur facere difficultatem not. quòd intelligitur de tali permanentia, qua tempus tale interfit, q̃ corruptio fieri possit, non autem, quòd non maneat, id est, non remaneat. Remanet quippè in omnibus data pluralitate formarum, vt alibi determinatum est, forma eadem mixtionis, tametsi secundum tertiam conclusionem, quam paulò ante posuimus ex doctore, scilicet non ita completa, quod tamen incomplementum non variat speciem specialissimam communiter dictam. Sed non ita remanet, quòd etiam postea semper maneat. Remansit autem ita forma Christi, corporeitatis videlicet, vt etiam mansisset, etsi diu dilata fuisset eius resurrectio, ex priuilegio, &c.

Cætera tametsi prolixè disposita, & quidem taliter, quòd ad breuitatem reduci non possunt sine maiori obscuritate, dimittenda sunt lectori prudenti, cum adhibita aliquali diligentia satis videantur clara.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum corpus Petri mortuum sit aliqua adoratione adorandum.

Arg. prim. CIRCA secundum arguitur, q̃ Corpus Christi mortuum, aut alterius sancti, non sit adorandum. quoniam si sit adorandum, hoc est, quia illud quod erat in uiuo manet in mortuo. Aliud enim non est in mortuo, propter quod est adorandum. hoc autem falsum est, quia in verme generato de corpore sancti mortuo manet saltem materia, qui tamen non propter hoc est adorandus: ergo &c.

In oppos. In contrarium est vsus Ecclesiæ. Item vestimenta sanctorum adorantur, quæminus ad sanctos pertinent, quàm ipsorum corpora mortua: ergo multò fortius corpora ipsorum mortua sunt adoranda.

Primum.

Secundum

Resolut. q. Hic oportet primo videre quid sit adorare, & ad hoc oportet scire, q̃ ista 5. reuereri, honorare, laudare, glorificare, adorare, se habent per ordinem, & posterius semper aliquid super prius addit. Reuereri enim est animo magna reputare bona, quæ quis videt aut æstimat esse in alio, paruipendendo comparatione illorum bona, quę considerat in seipso. Honorare verò, reuerentiam existentem interius in animo opere exteriori indicare. Hinc est, q̃ honor dicitur esse exhibitio reuerentiæ in testimonium virtutis, scilicet eius quem reueretur.

Laudare verò est honoratum pro bonis, quæ in se habet, alijs commendare. Glorificare autem est laudes honorati longè, lateque preconizare. Propter quod dicitur gloria esse frequens fama cum laude. Adorare autem est in id, quod est reuerendum, laudandum, honorandum, atque glorificandum propter eminentiam suæ sanctitatis, & virtutis totam spem, atque fiduciam subijciendo se illi proijcere. Propter quod adoratio dicitur cultus, scilicet propter diligentem intentionem circa id quod adoratur. Illud enim coli dicitur, cui quis studiosè intendit operam illi suam exhibendo, sicut ager vel quodcunque aliud. Ei enim quod adoratur diligenter, quasi ei, quod colitur obsequium exhibetur, in orationibus in genuflexionibus, in oblationibus sacrificiorum, & aliorum donorum, & maximè fide, spe, & charitate. secundum Augustinum in Enchir. Dicitur etiam seruitus, quia huiusmodi opera exhibentur ei, qđ adoratur in recognitionem Dominij illius super adorantem. Et est isto modo aliquid adorandum dupliciter, scilicet per se, & per accidens, & per se iterum dupliciter.

Vno modo tanquàm finis principalis, in quo cõpletur seruientis, siue adorantis tota spes, atque fiducia.

Alio modo tanquàm aliquid coniunctum illi fini, cuius adminiculo adorans coniungitur fini, vt in eo spes & fiducia compleantur.

Primo modo est aliquid adorandum propter se, & per se, & sic solus Deus Trinitas est adorandus adoratione, quæ vocatur latria, & similiter in ipso ea, quæ ipsius sunt, secundum q̃ dicit præfatio de Trinitate. In essentia vnitas, in personis proprietas, & in maiestate adoretur æqualitas; & Christus homo ratione personæ diuinæ. Et est idem latria Græcè, quod seruitus Latinè. vnde per compositionem dicitur idololatria idolorum seruitus. Et licèt generaliter omnis adoratio seruitus, quædam sit, vt dictum est, quia tamen seruitus & obsequium summè debentur Deo, ideò diuina seruitus dicitur latria, & commune nomẽ sibi appropriatũ per antonomasiã, quemadmodũ pp aliquã excellentiam, cũ dr Apostolus simpliciter, intelligitur Paulus, & cum dr Poeta simpliciter,

intelli-

intelligitur Virgilius. Vnde & alio nomine dicitur pietas propter eminentem effectum deuotionis, qui debet haberi Deo exhibendo seruitium sibi debitum.

Tertio etiam nomine dicitur Theosebia. i. diuinus cultus, quia in ipsa singulariter colitur Deus.

Et quarto nomine dicitur Eusebia, id est bonus cultus per antonomasiam, quia optimum est adorando colere Deum.

Et quinto modo dicitur religio: quando ad huiusmodi adorationem homo specialiter se obligat. dicente Tullio in Rheto. Religio cuidam superiori naturæ cultum cerimoniamque affert.

Secundo modo est aliquid adorandum per se, & propter aliud, & sic quædam creaturæ sunt adorãdæ propter diuinam naturam sibi coniunctam, & hoc dupliciter, secundum ꝙ dupliciter diuina natura potest esse coniuncta naturæ humanæ, vel per ineffabilem vnionem totã plenitudinem eius habendo, vel per doni communionem de plenitudine eius participationem adipiscendo.

Primo modo diuina natura coniuncta est humanitati Christi, quæ vt dicit Hugo in tractatu de scientia animæ Christi, non sorte participationis ex illa viguit, sed priuilegio vnitatis totam possedit, in qua, vt ait Apostolus, habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. vt Christus in se habere intelligatur per gratiam totum, quod Deus est per naturam, & idem illic gratia, quod hic natura. Et longè aliud est idem habere & idem esse, quia habere pertineret ad gratiã, esse pertinet ad naturam, & plenitudo in verbo ei vnita est ex tempore per gratiam, quæ in Deo ex æternitate fuit per naturam.

Secundo modo est diuina natura coniuncta humanæ naturæ cuiuscunque sancti, quia vt ait Hugo, vbi iam supra, sine diminutione sui ab omnibus participatur, & cum idem sit in omnibus, non tamen ab omnibus eodem modo participatur, sed omnes qui secundum conditionem suam, aut donum gratiæ largitoris minus, aut magis, huius eiusdem cõmunionis, ac participationis capaces sunt, de plenitudine eius non plenitudinem, sed gratiæ participationem accipiunt. Propter istam secundam coniunctionem adorandæ sunt aliquæ puræ creaturæ adoratione, quæ dicitur dulia. Propter primam autem coniunctionem adoranda est sola humanitas Christi inquantum est vnita diuinitati, & quæcunque pertinent ad ipsam, vt anima & corpus, quo ad materiam, & formam materialem, & hoc tàm pro statu mortis, in quo erant corpus & anima separata, quàm pro statu vitę, in quo erãt coniuncta, quia in vtroque statu Deitas semper æqualiter fuit vnita ambobus, & omnia quęcunque in ipso & circa ipsum considerantur esse vel fuisse, vt mors, passio, ascensio, figura, & qualitates, cęteraque huiusmodi. Sed hoc modo humana natura Christi dupliciter est adoranda, & quæcunq; in ea sunt.

Vno modo ratione personę, & hoc adoratione quæ vocatur latria, de qua dicit August. de verbis Domini sermo. 59. Quid, ꝙ carnem eius, quam creaturam esse non negas, simul cum diuinitate adoras, atque non minus, quàm diuinitati deseruis? Ego Dominicam carnem, immò perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, ꝙ à diuinitate suscepta est, atq; vnita diuinitati. i. in vnitate personæ.

Alio modo ratione naturæ diuinitati vnitæ & hoc adoratione, quæ vocatur hiperdulia, hoc est adoratione, quæ superior est adoratione, quæ est simplex dulia, licet inferiore, quàm sit latria.

Si verò consideretur humanitas Christi secundum se, vt coniuncta diuinitati per donum gratiæ creatæ, si tamen tale quid ponatur esse in ipso, quantuncunque excedat dona gratię aliorum sanctorum, quo ad hoc non plenitudine diuinitatem sibi haberet coniunctam, sed excellentissima participatione, & esset adoranda adoratione duliæ simplicis, non latriæ, aut hiperduliæ. dicente August. ibidem. Si hominem separaueris à Deo, illi ego nũquàm seruio, scilicet latria, aut hiperdulia. & ponit exemplum subdens. Velut siquis vestem aut purpuram, aut diadema regale iacens inueniat, nunquid eam conabitur adorare? quasi dicat non, scilicet adoratione illa, qua res adoratur. Vnde subdit. Cum ea verò rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si simul adorare cum rege quis contempserit. ita & in Christo Domino, &c. Adoratione autem simplicis duliæ, non propter aliud, sed propter se sancti viui adorandi sunt, & omnia eorum accidentia, quæ considerantur circa ipsos, & etiam animæ eorum separatæ, quia cum eis manet vnio diuinitatis per donum gratiæ sicut fuit cum viuis ex corpore & anima constitutis. Per donum enim gratiæ corpus non vnitur Deo, nisi per animam in qua est ipsum donum. Vnde si corpus sancti alicuius ad separationem animæ maneret secundum formã corporalem idem in mortuo, quod fuit in viuo per miraculum, sicut mansit in Christo, vel per naturam in omnibus hominibus, secundum aliquos non esset adorandum, nisi ex habilitatione, & ordine quem habet ad suam animam.

Materia verò corporis alicuius sancti alterius à Christo, quæ nunc manet sub substantiali forma, vt patet ex dictis in præcedenti quæstione, vno modo est adoranda per se, alio verò modo non, sed solùm per accidens, vt iam dicetur. Per accidens autem aliquid est adorãdum eadem adoratione, qua adoratur suum adorandum per se, ad quod reducitur propter ordinem aliquem quem habet ad id quod est adorandum per se. Ista autem adoratio habet fieri sex modis, scilicet significatione, imitatione, continentia, contrectatione, descensione, connaturalitate propter ordinationem ad per se adorandum. Primo modo sunt adorãda elementa sensibilia in sacramentis,

quia sunt signa indicatiua, siue significatiua gratiæ, per quam sancti coniunguntur Deo, & per hoc sunt per accidens adoranda simplici dulia, & similiter verba Euangeliorum & sacræ scripturæ legis diuinæ, quia sunt signa eorum, quæ circa Christum, & Deum sunt adoranda per se. Et inquantum reducuntur ad ea, quæ sunt adoranda circa Christum dulia, uel hiperdulia, similiter eisdem modis sunt adoranda, inquantum uerò reducuntur ad adoranda circa Deum latria, eodem modo sunt adoranda. Semper enim adorandum per accidens eadem adoratione adoratur, cū adorando per se ad quod reducitur, siue immediatè, siue mediatè propter ordinem ad per se adorandum.

Secundo modo sunt adorandæ imagines illorum, quæ sunt adoranda, siue per se, siue per accidens, non secundum ꝙ sunt res quædam secundū se, quemadmodum adorabant imagines idolatræ, æstimantes, ꝙ diuinæ uirtutes essent eis in sua formatione artificiali inditæ uirtute stellarum, vt dicit Hermes Trimegistus in lib. suo de idolo, sed secundum ꝙ sunt imagines, & ad aliud, & hoc siue fuerit imago naturalis, siue artificialis, siue realis, siue figuralis. dicente Damasc. lib. 4. cap. 7. Cuius gratia nos adinuicem adoramus, nisi ꝙ secundum imaginem Dei facti sumus, imaginis honor ad prototypum ideſt exemplar peruenit. cuius gratia Mosaicus populus tabernaculum adorauit typum, siue imaginem ferens cœlestium. Sed tales imagines adorandæ sunt dulia vel hiperdulia, sicut & sua imaginata, nulla autem earum latria, quia Deo, nulla potest fieri imago. dicente Damasceno ibidem. Inuisibilis incorporei, & incircumscriptibilis & infigurabilis Dei quis potest facere imaginem? Hinc in veteri testamento nō erat imaginum vsus, nec etiam in lege naturæ, dicente Statio Thebaidos libro duodecimo. Nulla auri effigies nulla commissa metalla. Forma Dei mentes habitare, & pectora gaudet. Quia verò Deus secundum veritatem factus est homo, sculpta ad memoriam & nostram doctrinam adoramus, non materiam, sed imaginatum, quemadmodum, neque Euangelij, vel crucis materiam adoramus, sed figuratum. Propter ordinem autē ad per se adorandum. Tertio modo adorari potuit latria columba, in qua apparuit spiritus Sanctus. Sicut Abraham Gen. 18. imagines trium virorum adorauit latria in figuram Trinitatis diuinarum personarum, quæ apparuit in illis. Quod si in illis tres Angelos adorauit, tunc adorauit in illis speciebus adoratione duliæ, sicut etiam species sacramenti altaris continentes verum corpus Christi adoramus adoratione hiperduliæ. Propter ordinem ad per se adorandum. Quarto modo adoramus vestes sanctorū & capillos, qui non restituentur in resurrectione, & cætera huiusmodi adoratione duliæ, vestes verò Christi, & sepulchrum & loca in quibus sedit, aut requieuit, & cætera huiusmodi, & crucem eius voram adoratione hiperduliæ. Sed & cruces, quæ sunt imagines illius crucis, similiter adoramus adoratione hiperduliæ, quia in ordine ad Christi humanitatem. Sed crucem veram adoramus secundum istum quartum modum: cruces verò alias adoramus secundum prędictum modum mediante vera cruce.

Isto quarto modo præcipuè adoranda est hiperdulia beata virgo inquantum Christum præ cęteris contrectauit baiulando in vtero, pannis inuoluendo, vberibus lactando; & cętera huiusmodi, quæ secundum se adoranda est dulia, & etiam fortè latria inquātum est mater non solùm hominis, sed etiam Dei, licèt secundum assumptam humanitatem, & valde per accidens. Propter quintum ordinem ad per se adorandum adoramus adoratione duliæ corpora sanctorum mortua aliorum à Christo, in quibus supra diximus nouam formam inductam fuisse ad separationem animæ, & isto modus pertinet ad propositam quæstionem. Dictum est enim supra. quàmuis enim corpus sancti viuum & mortuum non sit idem secundum formam, & suppositum, corpus tamen mortuum dicitur esse eius cuius erat viuum, quia tale corpus mortuum non potest fieri per generationem, nisi descēdendo de tali corpore viuo per eius corruptionem.

Ad cuius intellectum sciendum est, ꝙ sicut in ordine generationis non semper quodlibet habet generari ex quolibet, qualis est generatio elementorum ex elementis & mixtis, nec quodlibet est in potentia propinqua ad quodlibet, sed quandoque ad determinatum aliquid non habet determinari, nisi ex determinato, nec est aliud, quàm illud in potentia propinqua & per se ad ipsum. Non enim idolum habet immediatè fieri ex terra, nec terra est in potentia propinqua ad ipsum, sed ad cuprū, & cuprum ad idolum: Similiter non ex quolibet mixto habet generari sanguis immediatè, quia nō est lapide, aut melle, scilicet solùm ex congruo nutrimento, nec ex quolibet habet generari chimus immediatè, sed solùm ex sanguine, nec sperma ex quolibet, sed solùm ex chimo, neque embryo ex quolibet, sed solùm ex spermate, neque homo ex quolibet, sed solùm ex embryone hominis. Sic & in ordine corruptionis non semper quodcunque habet corrumpi naturaliter, & per se in quodlibet generandum ex eius materia, qualiter corrumpuntur inter se elementa, sed quandoque non habet corrumpi determinatum nisi in determinatum, quia vice versa determinatè habet generari ex illo, vt ex eo quod est in potentia propinqua, & per se ad illud. Non enim vinum natum est corrumpi per se ordine naturæ, nisi in acetum, neq; acetum vinosum generari, nisi ex vino. Consimiliter corpus mortuum hominis determinatum secundum formam non est per se ordine naturę natum generari, nisi ex corpore hominis viui, neq; naturaliter corpus hois viui natū est corrumpi, nisi in corpus

homi-

hominis mortuum,& hoc corpus viuum non nisi in hoc corpus mortuum. Et vlterius hoc corpus mortuum si resoluitur naturaliter in cineres, siue puluercs, non nisi mediantibus alijs generatis ex ipso determinatis resoluit in illos. In quibus semper determinatum habet corrumpi in determinatum,& generari ex determinato, vsque ad resolutionem in puluercs. Ita etiam ꝙ determinatum corpus habet resolui in determinatos puluercs,& non in alios, & determinati puluercs habent relinqui ex corpore determinato,& non ex alio: puta Petri corpus mortuum siue mediatè,siue immediatè non habet resolui nisi in puluercs Petri, nec puluercs Petri habēt relinqui nisi ex corpore mortuo Petri. Et quæ sic se habent per ordinem eo, ꝙ vnum eorum est semper in potentia proxima,& determinata,vt per se alterum determinatum,& nō aliud habet generari ex illo,neq; illud in aliud corrumpi,formæ omnium talium vicinæ sibi sunt & propinquæ,non dico ordine dignitatis,sed ordine generationis & corruptionis, vt propter hoc inter se multum habent de symbolo, & modica transmutatione facilis fit transitus ab vno in alterum,& propter permanentiam multorum in quibus habent symbolum, non apparet sensui, quin illud quod est in mortuo siue corrupto, fuit in viuo, vt habitum est in quæstione præcedenti. Et propter talem ordinem essentialem descensionis dicitur corpus mortuum esse eius cuius erat viuū, licèt non sit idem corpus in forma, vt habitum est supra. Et sic non propter aliquam identitatē substantialis formę,quæ nulla est in vtrisque,sicut nec propter identitatem,quæ manet secundum substātiam eadem in vtrisque,aut propter habitudinem materiæ ad animam separatam, aut animæ ad ipsam, est corpus mortuum adorandum, sed solùm propter ordinem naturalis descēsionis ad viuum. Et similiter quæcunque intermedia sunt,in quibus per ordinem fit corruptio,vsq; ad vltimatam resolutionē in puluercs, & similiter ipsi puluercs propter eādem rationem sunt adorandi.Si enim propter materię idētitatem corpus mortuum vel puluis eius esset adorandus, vel propter dimensiones interminatas manentes eædem, aut habitudinem animæ ad illam materiam, aut è conuerso, eadem ratione vermis generatus ex materia corporis mortui alicuius sancti esset adorādus,quia eadem materia & dimensiones, & habitudo animæ ad materiam sunt in materia sub forma vermis, & sub forma cadaueris, qui tamen nullo modo est adorandus, eo ꝙ non secundum rectum ordinem, & per se cursum naturæ descendit vermis de corpore viui corrupto, vt ideò possit corpus vermis dici corpus eius cuius erat viuum,sicut dicitur cadauer eius, aut puluis eius,sed quæcunque fiunt per putrefactionem, eo ꝙ putredo non per se,& ex sola est per se in propinqua potentia, vt vermis generetur ex ea, sed solùm per aliquod accidens, quo calor naturalis disgregans fit innaturalis, & facit constare disgregata, vt dicitur in 4. Meteorol. idcircò generantur casualiter, & per accidens aliqd superueniens, per quod corpus viuum exit ordinem essentialem descendendi per mortem, & resolutionem in puluercs. Vnde & quia ex puluere nō est natum per naturam aliquid determinatum generari,sed indifferenter resoluitur in vnum elementum,& in aliud, aut in corpus per generationem mixti indeterminati ex eo, ideò postquàm ex puluere generatur aliquod mixtum,aut ipse resolutus est in vnum elementum, aut in plura,iam nō amplius propter materiæ identitatem aliquo modo illud elementum vel mixtum est adorandum, nec est de reliquijs sancti. Vnde solùm illa, quæ per dictam ordinatam descendentiam sunt Petri, cum adorantur & honorantur,adoratur & honoratur Petrus,quia illa sunt ueræ reliquiæ Petri, & tantò magis & deuotius adorandæ, quantò corpus uiuum magis,& deuotius est adorādum, sicut & crux Christi deuotius est adoranda, quàm crux Petri,& alia adoratione secūdum speciem, quemadmodum Christus uiuus deuotius est adorandus quàm Petrus uiuus, & alia adoratione secundum speciem. Tantò etiam deuotius tales reliquię sunt adorandæ, quantò in symbolicis dispositionibus magis conueniunt cum illo à quo descenderunt. Quòd autem ex tali ordine ad corpora uiua, quæ dimiserunt, & quæ illi quorum sunt dicto modo per resurrectionem resumpturi sunt, adorantur, & uirtutem habent conferre adorantibus,satis exprimit Damasc. cum dicit libro quarto cap. sexto. Dominator Christus præbuit sanctorum suorum reliquias multiformia beneficia erogantes, unguētum boni odoris ex se tribuentes. & infra. Sed hi non sunt mortui,qui in spe resurrectionis dormierunt. Et quia eodem modo tali adoratione adorādi sunt puluercs Petri & corpus mortuum eius, quod in illos puluercs determinatos est resolutū, in quibus pulueribus manifestum est non oportere secundum apparentiam sensus ponere aliquam formam,quæ prius erat in eius corpore uiuo, ut adorentur, quare neque in corpore Petri mortuo non resoluto in pulueres. Propter sextum ordinem ad per se adorandum adoranda est materia, quæ percipi potest fuisse in corpore uiuo alicuius sancti sub quacunque forma inueniatur, etsi compositum in quo non est non sit adorandum, ut dictum est de uerme. Materiam enim sub forma uermis potest dupliciter considerari.

Vno modo in ordine ad formam uermis,ad quā habet habitudinem secundum actum, & est actu terminata sub illa.

Alio modo in ordine,ad formam sancti sub qua fuit in uiuo,ad quam habet habitudinem in habitu,ut sub illa sit aliquando.

Si primo modo,dico ꝙ non est adoranda sicut nec vermis ipse. Sed isto modo considerando materiam Petri sub forma cadaueris Petri,ipsa est adoranda sicut & ipsum cadauer. Si secundo modo,

sic dico, ꝙ materia illa, siue fuerit sub forma cadaueris, siue vermis, siue quacunque alia, adoranda est propter ordinem connaturalitatis ad seipsum, vt est sub forma in viuo, in eo. s. ꝙ vna est & eadem naturaliter, & etiam propter ordinem, quem habet ad animam suam aliqñ resumendã. Et qñ materia illa non est adoranda, vt est sub forma aliqua, puta vermis, tunc ipsa mente sola est veneranda, siue adoranda, non tñ corporaliter, vt genuflexione, ne videatur vermis ipse adorari.

Per hæc patet solutio ad argumentum primũ, ꝙ corpus sancti mortuum nõ est adorandum, quia nihil manet in eo quod fuit in viuo, propter quod debeat adorari. Dicendum secundum iam dicta, ꝙ eo pus mortuum non adoratur propter remanens in eo de viuo secundum formam, sed quia per naturalem, & per se corruptionem viui naturali ordine descendit de eo, vt reliquium eius. Vnde licèt in corpore mortuo maneat figura corporis viui, modicum secundum terminationem variata non propter hoc secundum veritatem licèt secundum sensus apparentiam potius est reliquium corporis viui, nec ideò potius adorandum, q̃ pulueres, in quos ordine naturali corpus illud est resolutum, licèt maiori deuotione propter maius symbolum, vt dictum est. Vnde vt intellexi, nuper in Anglia quidam religiosi dicentes in scholis, ꝙ corpus sancti mortuum, & viuum non est idem, nisi secundum quid, quia non secundum aliquam formam substantialem, sed solùmmodo secundum materiam, & quædam accidentia symbola, multum deliquerunt prouocantes populum ad insiliendum in eos, quasi dicant, ꝙ caput sancti Thomę, aut alicuius alterius sancti mortuum non esset verè caput illius, neque simpliciter, sed tm̃ secundum quid, & ꝙ idcircò non esset adorandum, vt caput illius. Immò q̃q̃ caput illud mortuum non sit idem quod prius viuum, nisi secundum materiam, propter quod tamen vt dictum est non est adorandum, non autem secundum aliquam formã substantialem, & ideò non nisi secundum quid est idem mortuum quod fuit prius viuum, quemadmodum oculus in capite mortuo non est idem secundum formam cũ oculo prius viuo, quia forma viui oculi erat visus, q̃ fuisset eius anima, si oculus viuus fuisset animal, de quo manifestum est, ꝙ non est forma oculi mortui, & ideò non sunt ijdem oculi nisi secundũ quid, verè tamẽ & simpliciter dicitur ꝙ illud caput mortuum est eius cuius fuit viuũ, licèt aliter, & aliter, quia viuũ fuit eius, vt pars sua integralis organica, mortuum aũt est eius, vt reliquium siue reliduum eius, remanens in eadem materia per naturalẽ descensionem ordine per se & essentiali de ipso capite eius viuo, & propter hoc verè adorandum est tanq̃ reliquium sancti, licèt non tanq̃ pars eius organica. Magis tamen & maiori deuotione esset adorandum tale reliquium si maneret idem in aliqua forma substantiali, quemadmodũ manfit corpus Christi mortuum idem cum viuo, q̃ quando non manet idem in substantiali forma, tm̃ ꝙ hæc patent ex iam supra declaratis. Quod si fortè aliquis vellet damnare opinionem dicentem, ꝙ non est eadem forma substantialis secũdum num erum manens in mortuo, quæ prius fuit in viuo, eo ꝙ aliter non esset adorandum, non esset consulta damnatio, & retractanda potius, quàm tenenda.

Argumenta duo alia concedenda sunt, vt patet ex dictis.

Com-


Comment. in Quæstionem Sextam, quæ est,

Vtrum corpus Petri mortuum sit aliqua adoratione adorandum.

IN titulo videndum esset quid sit adoratio, & quotuplex, sed quoniam id ab Auctore in quæstione ipsa declaratur, id dimittimus.

Not. autem, ꝙ plus facit Auctor, quàm videatur promittere in titulo, quippè de omnibus adorandis loquitur, vt videre erit.

In corpore diuisione, & subdiuisione præhabita, tribus conclusionibus satisfacit quæsito particulari, cum etiam vniuersali, quod fieri potest, tertia tamen multiplicatur, vt sint nouem, vel saltem octo, quæ omnia pro faciliori intelligentia ad hanc formam redegimus.



Quo ad primam conclusionem notato, ꝙ reducitur etiam ad ipsam Christus, vt tamen aliquid eius pertineat ad secundam conclusionem. Ideò nota, ꝙ possumus considerare Christum, vel vt persona est, vel vt natura humana diuinitati cõiuncta. Si primum eadem prorsus adoratione adorãdus est, qua & Deus. latria, quę est cultus soli Deo debitus propter se, nõ propter aliud. Si secundum; tunc humanitatem diuinitati coniunctam possumus intelligere, vel per vnionem hipostaticam, vel per vnionem gratiæ seorsum. Si primum. adorandus est Christus adoratione hyperduliæ, quæ est cultus excellentioribus creaturis debitus in ordine ad Deum. Si secundum, tunc adorandus sicut & cæteri sancti adoratione duliæ, secundum quam adorationem, & superiorem reducitur ad secundam conclusionem.

Not. autem plura nomina, quibus cultus soli Deo debitus nominatur in litera.

Quo ad secundam conclusionem, not. ꝙ intelligimus Sanctos prout sunt in cœlo, ad quos reducũtur, & Angeli sancti, quorum caput Christus est, subsequitur beata Virgo. Vbi Christus quomodo adorandus est, visum est. Vbi not. ꝙ hoc est prouenies ex imaginatione distinguente, non ꝙ de facto facienda sit huiusmodi distinctio in Christo, qui vnica de facto est adorandus adoratione latriæ. Sed vtique ponitur quasi de possibili pluribus adorari adorationibus, dato videlicet per possibile, quod distinctio illa fieri posset, vt seorsum acciperetur quodlib. illorum. Quo fit, vt non sit discordia inter Auctorem, & D. Thomam 3.p. q.25. art. primo. Quia D. Thomas loquitur de facto, Auctor verò dato per possibili, illo, &c.

Beata Virgo Maria autem adoranda est hiperdulia, cæteri verò Angeli, atque Sancti adoratione duliæ. Et quidem idipsum dicit D. Thomas art. 5. vbi supra.

Quo verò ad cæteras conclusiones, notato, ꝙ cætera post Deum, & Sanctos eius adoranda sunt per accidens, nempè quia accidit illis talia esse illa particularia, quæ haberent ordinem ad adoranda per se. Et prima quidem conclusio continet elementa sacramentorum, & sacræ scripturæ verba; quæ ideò adoranda sunt adoratione duliæ, quia reducuntur, & ordinem habent ad id quod significant, & Auctorem, qui est Christus, & Deus. Quippè Auctor sacramentorum Christus, scripturæ sacræ Deus.

Et not. ꝙ etiam adoratione latriæ, & hiperduliæ hæc adoranda sunt, respiciendo ad id, quod significant. Vt si significatum est adorandum adoratione latriæ, profectò & significans eadem adoratione est adorandum. & sic de alijs, tametsi id sit per accidens.

Quo ad secundam conclusionem, quæ est de imaginibus, ipsæ tùm dulia, cùm etiam hiperdulia adorandæ sunt. Dulia quidem, quæ signant eos, qui taliter adorandi sunt. Hiperdulia verò, quatenus signant adorandos tali adoratione. Vt imago Christi, ac B. Virginis adoranda est hiperdulia, dulia verò cœteræ imagines sanctorum. Quatenus sanctorum sunt, non quatenus res quædam. Nulla autem imago adoratur latria, quippè nulla sit, quæ possit repræsentare Deum ipsum, qui solus latriæ cultu est adorandus.

Quo ad tertiam conclusionem patet, habet. n. aliqualiter symbolum cum secunda de imaginibus. Ideò. n. hæc adorãda, quia continent quod adorandum est, illæ verò signant, vel imitantur sicut & priora primæ conclusionis significant.

Quo ad quartam, not. ꝙ etsi ponatur, quod beata Virgo Maria sit adoranda secundum hunc modum, non est tamen, ꝙ per accidens absolutè sit adoranda, quia etiam per se secundo modo est adoranda. Per accidens verò, quatenus contrectauit

tauit dominum manibus suis, & quidem eadem adoratione, qua adoratur per se, scilicet hiperdulia: similiter omnia alia, quæ contrectarunt, vel dominum, vel Sanctos, adoranda sunt, sicut adoranda sunt contrectata.

Quo verò ad quintam conclusionem not. q̃ est præcipuè responsiua quæstioni. Intelligitur, q̃ corpora mortuorum Sanctorum adorantur per accidens, quatenus.s. fuerunt illorum, qui adorandi sunt, & quidem eadem adoratione, qua ipsi per se Sancti sunt adorandi. Quomodo autem sint corpora illa etiam in puluerem resoluta aliquid ipsorum Sanctorum, patet ex eo, quod Auctor dicit, q̃ naturaliter descendunt ex illo corpore, & quidem non nisi quia descendunt, quippè non per dimensiones interminatas, non per formam substantialem mixti, nec per animam; sed quia resolutio terminat in id, quod non est aliquid nouæ creaturæ, sed quod remanet de illo corpore, vt possint rectè dici reliquiæ, ex quo patet & sexta conclusio: cum enim corpus fuerit in puluerem redactum, illæ pulueres sunt adorandæ tum ratione descensionis, vt dictum est, tum ratione connaturalitatis, qua pulueres illi sunt materia illius corporis, vt tamen adnotandum sit, q̃ tanquàm materia talis corporis est adoranda, non in ordine ad aliud. Cætera nota videntur.

Not. autem, q̃ qui amatores fuere mendacij, omnia hæc impugnare visi sunt, præter primam conclusionem, quam nemo infringere ausus est eorum, qui Deum esse confessi sunt. Inter eos autem, qui cætera negarunt, fuerunt vigilantius, vt D. testatur Hieronymus in libro, quem contra ipsum scripsit, & refertur à D. Tho. 3. par. q. 25. art. 6. & alij pariter, qui his temporibus noti sunt. Negare igitur voluit prorsus vigilantius Sanctorum reliquias adorandas esse; sed post ipsum peiores omninò insurrexerunt, quorum quidam noluerunt crucem Domini adorandam, vt Claud. & Vvitcleff. Nonnulli non imagines, vt cum Luthero, Felix. atque Seuerus. Alij non reliquias Sanctorum, vt cum Vvitcleff. Vlis. Erasm. Moderni hæretici, qui omnes consequenter tollunt cætera omnia, vnde nullam volunt adorationem faciendam, nisi Deo, quem tamen nec adorant nisi blasphemijs, & pessimis operibus, contra eos autem omnes vniuersalis in primis Ecclesia est, & Sanctorum auctoritates, & Conciliorum. De cruce enim canatur. Tuam crucem adoramus, &c. Sed quidem nouissimè post omnes determinationes superiorum, sacrum est Concilium Tridentinum. Sess. 25. In secunda parte decreti de purgatorio. Et quidem suis captiosis argumentationibus non desunt, qui respondeant diligentissimè, inter quos est Ioannes Echius in Enchiridion, & P. Prelaron. & alij, ita vt rem copiosè ab alijs actam nolimus tractare.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum ponens essentiam creaturæ esse idem cum suo esse potest saluare creationem.

SEQVVNTVR quæsita pertinentia ad non sacra, vbi proponebantur quędã pertinentia ad omnes creaturas generaliter, & quædam pertinentia ad hominem specialiter. De primo autem horum proponebantur tria, quorũ primum erat de identitate essentiæ, & esse simpliciter. Vtrum.s. ponens essentiam creaturę esse idem re cum suo esse, potest saluare creationem. Secundum verò erat de identitate esse accidentis cum esse sui subiecti. Vtrum.s. accidentis existentis in subiecto sit aliud esse existentiæ, q̃ sit esse existentiæ sui subiecti. Tertium autem erat de modo causandi esse accidẽtis à suo subiecto, Vtrum.s. subiectum per se possit esse causa sufficiens sui accidentis.

Arg. prim. primum. Circa primum arguitur, q̃ ponens essentiam creaturæ esse idem re cum suo esse, non potest saluare creationem, primò sic, sicut se habet materia ad formam in generatione, sic se habet essentia ad esse in creatione: sicut enim materiæ acquiritur f[illegible] per generationem, sic essentię acquiritur esse per creationem, sed ponens materiam idẽ esse re cum sua forma, non potest saluare generationẽ licèt alterationem, quia tunc per generationẽ non acquireretur formæ esse in materia, sicut nec materiæ, qd est contra naturã generationis. ergo &c.

Secundum Secundo sic, ponẽs essentiam idem cũ suo esse, ponit non posse intelligi essentiam sub non esse, quia etsi aliqua sint idem, & licèt vnum possit intelligi sine altero cointellecto: non tamẽ potest intelligi sub illius opposito. Verbi gratia: Si aial siue sensibile & rationale idem sint in homine secundum rem, & possit animal, siue sensibile intelligi sine rationali cointellecto: non potest tamen intelligi sub irrationali. Aliter enim oppositа intelligerentur simul in eodem, quod est impossibile, sed ponens, quòd essentia non potest intelligi sub non esse, ponit, q̃ non potest esse sub nõ esse, quia sic potest intelligi, sicut post esse: talis autem non potest saluare creationem, quia non est creatio, nisi mutatio de non esse essentię in eius esse, ergo &c.

Tertium. Tertio sic. In omni mutatione subiectum differt ab vtroque termino, sicut materia differt à forma corrupta, & generata in mutatione, quæ est generatio; quare cum in creatione essentia sit subiectum, & termini sint non esse, & esse: oportet ergo, quòd ab vtroque differat: & ideò quòd cum neutro sit idem, quare si ponatur cum altero, vt cum esse, idem. deficit creatio. ergo &c.

In oppos. Contra. Si essentia esset aliud ab esse, tunc essentiæ per creationem acquireretur esse, sicut subiecto, quemadmodum materiæ acquiritur forma per generationem, vt subiecto, quare cum in omni trãsmutatione habente subiectum, id quod acquiritur per ipsam, de subiecto producitur, vt forma de materia per generationẽ: esse ergo in creatione produceretur de ipso esse per creationem. Quòd si sic, non igitur creatio esset de nihilo, sed de aliquo; quod est contra naturam creationis. Ponens ergo essentiam nõ esse idem cum esse suo, non potest saluare creationem.

Opinio quorundam. Probatio primæ. Dicunt aliqui, quòd ab inferioribus naturalib. & sensibilibus debemus manuduci ad superiora supernaturalia, quæ solùm nunc à fine intelligibilia sunt. In naturalibus autem est ita, quòd illud quod per seipsum solum est in potentia ad aliquid per se, non est secundum actum illud, neque participat illo: nihil enim habet esse secundum actũ

aliquid

aliquid per illud, quo est in potentia illud, vt patet in materia & forma. Quare si secundum actũ est illud, oportet, quòd illud per quod habet esse secundum actum illud, sit aliud secundum rem ab illo per quod potest esse illud. Cum ergo essentia creaturæ per se ex eo, quòd est essentia creaturę sit in potentia ad esse: per se ergo nõ est habens esse, neque ex se secundum actum, sed per aliquid qđ re est aliud ab illa, quare cum per esse formaliter habet esse: est ergo esse re aliquid aliud ab essentia creaturæ. Quod confirmant per hoc, ꝙ opposita circa genus sunt differentiæ positiuę, quæ habẽt aliquid commune secundum intellectum. *Secunda.*

Oppositæ materiæ sunt forma, quæ est positiua, & priuatio, quæ non est positiua, quæ idcirco non communicant communem materiam: sunt tamen circa idem in actu positum. Oppositæ circa essentiam sunt esse, quod est positiuum, & non esse, quod est negatiuum, quæ nec habent aliquid cõe, nec habent esse circa idem commune existẽs extra intellectum: & ideò plus distant ab eo, quod habent commune, q̃ oppositæ prædictæ. Quare cum actualitas generis differt à potẽtialitate eius, eo quòd est extra rationẽm illius, & actualitas materiæ, quæ est forma, à materia; sic ꝙ re sit alia ab illa: multo ergo fortius & actualitas essentiæ, quæ est esse, differt ab essentia, sic quòd sit re aliud ab illa, super quo fundatur tertia ratio proposita supra.

Tertia. Itẽ essentia de se non est necesse esse, quia tunc non posset non esse, neque impossibile esse, quia tunc non posset esse: est ergo possibile esse, & non esse de se. Sed nihil existit per hoc, ꝙ possibile est esse & non esse, essentia existit per esse: ergo essentia per se, & ex se non est esse. Quod etiam confirmatur per Boetium, qui dicit de hebdom. *Boecij dictum.* Diuersum est, quod est esse, & id quod est, quod necessariò intelligitur de esse creaturæ nõ creatoris, quia consequitur continuè.

Ipsum verò est nondum est: at verò quod est, accepta forma essendi est, atque subsistit.

Item ibidem. In omni composito aliud est esse, aliud est ipsum, quod est. Vnde sicut in naturalibus per transmutationem naturalem acquiritur forma: & ideò transmutatio naturalis in naturalibus facit scire materiam differre secundum rem à forma, sic cum in creatis per creationem in essentia creaturæ acquiritur esse: ideò & creatio necessariò facit scire essentiam creaturæ differre secundum rem ab esse. Sicut enim materia est in potentia ad formam, & ad eius priuationem secundum rem absque intellectus consideratione, quẽadmodum genus, quod est idem cum vtraque differentiarum, est in potentia ad illas sola consideratione intellectus, sic essentia secundum rẽ absque consideratione intellectus est in potentia ad esse & non esse. Vnde cum potentialitas generis de qua minus videtur, nõ reducatur ad actum nisi per aliquid ei additum, quod est extra rationem generis (per differentiã, & similiter materia non reducitur ad actum formæ, & priuationis, nisi per realiter differens ab ea: eodem ergo modo essentia non reducitur ad actum essentialem nisi per aliquid, quod est extra rationem eius, differens re ab ipsa, cuiusmodi est esse eius: necessariò ergo re differt essentia ab esse. Sicut ergo, vt dicunt, oportet dare aliquid realiter differens à materia si fit generatio: ita oportet dare aliquid realiter differens ab essentia, si fit creatio. Omnis enim mutatio habet suum potentiale, & suum actuale: ergo & creatio cum sit vera mutatio. Vnde sicut ponendo materiam esse idem cum forma substantiali, vt potentiale cum actuali, non potest aliquis saluare generationem, licèt posset saluare alterationem ponendo formam accidentalem esse aliud à suo subiecto, sic ponens idem essentiam cum esse, cum non potest saluare potentiale differens ab actuali & ipsum actuale differens ab illo, nullo modo potest saluare creationem, secundũ quod processit prima ratio. Ex ista etiã positione (vt dicunt) sequuntur multa, quæ non possunt saluari in entibus. Quorum primum est, ꝙ essentia non posset intelligi non esse, sicut processit secunda ratio ad principale.

Secundum verò est, ꝙ essentia creaturæ nõ est quid diminutum, & incompletum, neque esse eius, quia non est quid participans, aut participatum. Diminutio aũt non est nisi in participatione. Participare enim idem est, quod partem capere. Pars autem respectu totius imperfectum est, vel proximum secundum naturam. 5. Metaphysicæ. Quòd autem non esset participatio patet, quia nõ est participatio nisi in natura potentiali, aut actuali, secundum quod recipitur in potentiali, quare si tollis potentiale, & actuale receptum in potentiali, & participationem per hoc tollis. Potentiale autem, & actuale tollis ponendo esse idem essentiam creaturæ, & esse eius, quia nihil participat seipso, nec est potentiale respectu suiipsius, & sic in creatura tollis omnem defectum: primò rei in se: secundò in comparatione, quia res prius defuit in se, quàm in comparatione. *Inconuenientia. Primum. Secundum*

Tertium verò est, ꝙ non esset ens per accidens, quia prius res participat esse, q̃ alijs, quæ sequuntur esse, & non est ens per accidens, nisi participãdo illa, quæ sunt post esse, dicente Boetio de hebdom. Omne quod est, participat eo, quod est esse, vt sit: aliud verò participat, vt aliquid sit. Ac per hoc id, quod est participat esse, vt sit: est verò, vt participet aliq̃. Quolibet. Quartum est, ꝙ nõ esset genus in creaturis, quia genus non est nisi quid potentiale respectu differentiarum. Si ergo non differunt potentiale & actuale, genus non est. Vnde in Deo, quia idem sunt actuale, & potentiale, essentia & esse in ipso non est ratio generis. *Tertium. Quartum.*

Quintum est, ꝙ non esset distinctio prædicamẽtorum substantię ab accidẽtibus sub analogia entis, quia tunc non esset idem esse, quod substãtiæ conuenire *Quintum.*

conueniret primo, & per se tãquàm illi, quod est primò ens, & accidenti tanquam illi, quod nõ est ens nisi quia entis: immò accidẽs haberet propriũ esse aliud ab esse substantiæ.

Resolut. q. Hic oportet primò videre quomodo se habet esse ad essentiam. Secũdò ex hoc principale quæsitum. Super identitate esse, & essentiæ in creaturis, habita est quædam quæstio determinata in nostro primo Quolibet. vbi diximus, & adhuc dicemus, ꝙ esse creaturæ non est aliquid re absoluta aliud ab ipsa essentia creaturæ additum ei, vt fit in effectu: immò ipsa creatura essentia sua, qua est id quod est, habet esse, non inquãtum est essentia secundum se, & absolutè considerata, sed vt considerata est in ordine, & comparatione ad diuinam essentiam. Inquantum enim ipsa re ipsa absq; omni absoluto addito est similitudo diuinæ essentiæ secundum rationẽ causæ formalis conuenit ei esse essentiæ. Inquantum autem ipsa in seipsa absque omni absoluto addito est effectus diuinæ essentiæ, vel immediatè, vel mediante agente naturali secũdum rationem efficientis, conuenit ei esse existentiæ, vt sic nec esse essentiæ, nec esse existentiæ sup essentiam in ipsa essentia creaturæ addat super essentiam creaturæ aliquid formale absolutum, sed solùmmodo respectum ad aliud. Quod tamen esse essentiæ non propriè dicitur addi essentiæ, quia non est essentia propriè nisi illo esse, sed potius dicitur addi aliquo, quod est de propria ratione generis sui, quod cum ratione esse constituit essentiam compositam ex eo, quod est, & esse, quod est ipsum, quo est, vt iam infra plus patebit.

Arg aduers. q. primum. Sed arguit contra nos in hoc aduersans nobis. Illud quod est efficiens potentiale esse ex se, nõ potest illud facere esse actu nisi seipsũ illi imprimat, vel aliud quod est actus eius, quo formaliter habet esse: seipsum autem non imprimit, vt cõstat: imprimit ergo aliud: impressum autem tale non potest esse nisi absolutum, quia relatio non potest esse nisi absolutum, quia relatio non potest esse p se terminus actionis. ergo &c.

Secundum Item ex eo, ꝙ aliquid habet respectũ ad aliud, non existit, sed est ad aliquid, quod præsupponit existere, quia potentiale nõ existit seipso. ergo &c.

Tertium. Item materia est in respectu ad esse extensum, sed non sine alio sibi adueniente, vt quantitate est actu extensa: ergo similiter essentia non ex solo respectu est actu sub esse sine alio addito.

Responsio ad primũ. Dicendum, quòd aliquid ex se est potẽtiale esse dupliciter. Vno modo, vt solum per se subiectum transmutationis à non esse in esse, & non vt per se terminus. Alio modo vt terminus eius. Primo modo in naturalibus sola materia est potẽtiale esse. Secundo verò modo sola forma educta de potentia materiæ, vel ipsum cõpositum ex materia & forma, est potentiale esse. De potentiali esse primo modo verum est, ꝙ efficiens, siue agens quodcunque non potest illud facere esse in actu, nisi imprimẽdo se vt formã illi, vel aliquid aliud, quia illo modo non dicitur aliquid potentiale esse se nisi respectu formæ, à qua sumit actuale esse. Et tali modo potentiale esse benè potest esse in actu existentiæ, cum hoc quod est sic potẽtiale esse, vt materia prima in naturalibus, quæ inquantum est subiectum transmutationis naturalis, non est potẽtiale ad esse simpliciter, sed habet esse existentiæ à Deo per creationem, vt terminus eius, quod quidem esse existentiæ supponit in materia omne agens naturale. Sed tale potentiale esse nõ est essentia respectu esse actualis existentiæ, quia non potest existere in actu sine tali esse, sicut non potest aliquid esse simile sine similitudine.

Secundo autem modo falsum est. Illo enim modo dicitur aliquid esse potentiale esse non respectu alicuius formæ sibi imprimendæ, respectu efficientis, vt eius actionem, quę est productio terminantis. Vnde forma substantialis per generationem est secundum actum sub esse, quia est terminus actionis, quę est generatio, vnde habet esse nõ vt per formam sibi impressam per transmutationem generationis, quia tunc simul essent duæ generationes, vna qua materia habet in se actũ, qui est forma: altera, qua forma habet in se actũ, qui est esse, neq; p creationẽ, qualiter ponit ille essentiam habere esse per actum creationis, quia tunc in omni generatione coincideret actio creationis. Sic ergo essentia per creationem est actu sub esse, quia est terminus eius, non habendo esse, vt formam sibi impressam & eductam de potentia essentiæ, qd supponit illo in suo argumento, quia tunc esse non haberetur in sua essentia per creationem, sed per generationem, quia secundum Comment. 12. Metaph. quando forma educitur de potentia materiæ, tunc est generatio: si autem produceretur in materia non ex materia, esset creatio, sicut patet de creatione gratię in anima, & non esset creatio, cum ipsa essentia creaturæ producitur in effectu, nisi quia ipsa essentia produceretur de nihilo. Nec potest dicere, ꝙ habet esse, vt per formam sibi impressam per creationem, sicut gratia imprimitur animæ, vt duo sint simul creata. f. essẽtia & esse, quia cum secundum hoc essentia creatur vt subiectum, esse verò vt forma in subiecto, & forma in subiecto existens necessariò præsupponit naturam, vel durationẽ subiectũ: prius ergo natura esset essentia creata. q̃ esse, etsi simul durationẽ, & sic non esset verum, quòd prima rerũ creatarum est esse, quod tamen oportet ponere, vt infra declarabitur. Non ergo habendo esse, vt formam sibi impressam essentia est actu sub esse per creationem, sed habendo esse in sua essentia ex respectu ad creantem, inquantum est producens eã, & illa est effectus eius.

Ad secundum. Quòd arguit secundò, ꝙ ex respectu est res ad aliquid, non ꝙ existat. Dicendum, ꝙ re vera existere creaturę non est existere simpliciter & absolutè, sed solius esse creatoris est tale, sed esse creaturæ non est existere nisi sub quadam dependentia ad

tia ad manutenentiam creatoris: & ita in quodam respectu quem creatura habet ad Deum, primò ex actu creationis: secundò ex actu conseruationis, & est respectus idem: si idem re sint actus creationis passiuæ, & conseruationis, & sic idem est creaturam existere, & ad aliud existere, & eodem ad aliud existit, & existit simpliciter: absoluto enim tali respectu non existit omninò.

Ad tertiũ. Ad tertium, quòd materia est in potentia ad extensionem, sed non sine alio ei adueniente, &c.

Dicendum, quòd non est simile, quia materia non est in potentia ad extensionem, nisi vt subiectum: & ideò non vadit ad actum extensionis, nisi per aliud, quo vt essentialiter extenso informatur. Essentia verò est in potentia ad esse, non vt subiectum vadens ad actum per alicuius informationem, sed solùm vt terminus existẽs in actu, per hoc, ꝙ terminat actum creationis, & est effectus creatoris, vt dictum est.

Dictũ Auctoris. Quòd autem super essentiã creaturæ nihil absolutum reale informans ipsam apponit ipsum esse, probaui sufficienter triplici medio in prædicta q. Quorum primum est, ꝙ veritas, bonitas, unitas nihil addunt super essentiam rei absolutam, quare nec entitas. Cui respondet ille dicendo, ꝙ vno modo dicitur ens, quod diuiditur in decem prædicamenta, quod est ens ab esse essentiæ, & hoc nihil addit super essentiam rei, sicut nec veritas, vnitas, aut bonitas.

Ratio prima.

Alio modo dicitur ens, quod existit in rerum natura, & hoc est forma addita ipsi essentiæ rei: aliter enim creatura tantæ actualitatis esset, ꝙ ex se posset existere, quod falsum est. Vnde licèt de se sit sufficientis actualitatis ad mouẽdum intellectum: non tamen de se est sufficientis actualitatis ad existendum secundum se extra intellectum. Sed assumptum in hac respõsione planè patet esse falsum. s. ꝙ esse, quo aliquid existit in rerum natura, est forma absoluta addita essentiæ. Aliter n. ex se posset existere sua actualitate: quoniam dato, ꝙ non sit forma superaddita, sed solus respectus fundatus in essentia rei, non vt est essentia rei absolutè, sed solùmmodò, vt est creatoris effectus, nunquàm tamen ex se est tantæ actualitatis, ꝙ ex se possit existere in effectu, sed hoc solùm habet à creatore inquantum eius effectus, quia ab hoc habet, quòd respectus ille fundatur in ipsa essentia, nequaquàm autem ex seipsa, quod tamen supponit illa responsio.

Secunda. Secunda ratio mea est, ꝙ si essentia non habet esse nisi per aliquid absolutum additum ipsi essentiæ, cũ illud existat in illa essentia, & non est creator: est ergo creatura, de se non habens existere, nec secundum se, nec in alio. ergo ei esse aliud à se acquiritur per creationem, & eadem ratione illi esse aliud, & sic in infinitum.

Secunda.

Argu. aduersary. Iuxta hoc arguit ille ad idem contrà se sic. Sicut essentia est possibile esse & non esse, quia nõ est necesse esse, nec impossibile esse, sic & illud esse. ergo non nisi per aliquid sibi additum habet existere, sicut neque essentia, & sic in infinitum. Et respondet dicens, quòd illud esse est possibile esse, cui acquiritur esse, sed hoc est per accidẽs. s. quia non habet esse nisi in possibili esse. Verùntamen quantum est de se, semper est, quemadmodũ dicunt Philosophi, quòd omnis forma quantum est de se est actus quidam, & necesse esse, sed quod non est necesse esse, hoc est per accidens. s. quia recipitur in possibili esse, quod est materia: & ideò non vadit processus in infinitũ, quia illud esse primum non recipit aliud esse à se, quia non recipit esse, nisi quia recipitur in alio, quod eo habet esse. Sed secundum dictum hoc apparet statim falsitas periculosior, ꝙ. s. formæ creaturarum ex se, & esse quo creatura formaliter existit, non sunt possibile esse, sed necesse esse, nisi quia sunt in possibili esse: cum tamen non sit nisi vnicum necesse esse, cuiusmodi est esse diuinum. Nec potest plurificari, vt probat Auicenn. & alibi in quæstionibus ordinarijs declarauimus. Ex quo sequitur, ꝙ omnis forma creaturæ, & esse eius quantum est de se sit quædam diuina essentia & esse Dei, & quòd sunt possibile esse, quia recipiuntur in possibili esse. Quod quàm absurdum sit patet omnibus: absurdum est ergo illud in quo fundatur dicta solutio. Quòd si fortè dicat, quòd illud solùmmodò dixit secundum opinionem Philosophorum non sic sentiendo, tunc re vera non habet ex hoc dicto vnde soluat argumentũ, siue rationem loquens vt Christianus, sed manet insoluta.

Responsio.

Tertia ratio. Tertia ratio est, quòd tale esse non potest esse accidens, nec substantia, materia, aut forma, aut compositum. Et respondet dicens, quòd licèt nõ sit substantia recipiendo de se substantiæ prædicationem: est tamen de genere substantię, sicut principium & forma, dans actualitatem essentiæ. sicut forma dat actualitatem, & hoc suo modo, quemadmodum punctus est de genere quantitatis, licèt quantitas non prædicetur de ipso. Quod non potest stare, quoniam non est vt forma substantialis de prædicamento substantiæ: tunc enim essentiæ rerum seipsis, & suo esse essentiæ non constituerẽt prædicamentum, sed suo esse existentiæ, nec esset aliquod prędicamentum nisi essentijs existentibus in rerum natura, cuius contrarium vult Auicenn. & in quæstionibus ordinarijs declarauimus, quòd etiam dicit Simplicius super prædicamenta, idem in quæstione de relatione in præcedẽti Quolibet. tetigimus. Item Algazel in logica sua expresse dicit, quòd huiusmodi esse existentiæ accidens est entis, & Auicenn. vult quòd essentiæ rei accidit esse, quod non est, quod ipsa, vt quòd sit vniuersalis, vel particularis in anima, vel extra animam, & vniuersaliter, quòd sit & quòd non sit, vt in quæstionibus ordinarijs sufficienter declarauimus. Auerr. etiam super quintum Metaph. dicit, quòd istud esse est de prædicamento accidentis, & illud quod est esse essentiæ, est de prędicamẽto generis.

Quod

Quod & ipse sufficienter confessus est iam supra, cum dixit, quòd esse existentiæ est forma additaipsi essentiæ: non sic autem esse essentiæ, & constat, quòd non substantialis, quia tunc nullo modo pertineret ad prædicamentum accidentis, sed generis, quòd si est accidentalis non substantialis nullo modo est de genere substantiæ, sicut principium, sicut nec esse essentiæ, quod extra omne genus est: & ideò non cadit in compositione cum aliquo, quod est in genere, ad constituendum aliquod compositum, quod sit in genere. Vnde super illud Boetij de Trinita. cap. 3. Vnunquodque habet esse suum ex his, ex quibus est. i. ex partibus suis, dicit Comment. Esse nanque, & id, quod eo est, nullo prorsus conueniunt genere. Item super illud de duabus naturis. Quæ est hominis, Deiq; conjunctio. Comment. Esse, & id, quod est, nec eiusdem generis, nec eiusdē rationis sunt: & ideò ipsorum compositio esse non potest. Intelligo cōstituendo aliquod totum, quod sit in genere per se: tunc enim esse, aut formam generis, aut differentiæ diceret. Compositum enim in genere non est nisi species specialissima, aut subalterna, constituta ex genere, & differentia: constituit tamē esse cum eo, quod est compositum, vt infra dicetur, quod non est aliquid in genere ratione totius, quia neque vt genus generalissimum, neque vt differentia, neque vt species specialissima, aut subalterna, sed solum ratione partis eius, quæ est ipsum quod est cuius est esse, non vt pars eius, sed vt forma extra genus, quæ est quædam diuina participatio. Propter quod aliàs in quæstione de prædicamentis diximus, quòd esse non est genus, sicut & modò, quòd non est aliquid in genere, sed solùm id cui conuenit esse.

Sic ergo sentiendum est, ꝙ esse non sit aliquid absolutum additum essentiæ creaturæ, & inhærens ei per creationem, vt forma inhæret materiæ per generationem, & hoc non solum esse essentiæ, vt ille confitetur, sed etiam esse existentiæ, qd negare contendit. Nec tamen dicendum est, ꝙ ipsa essentia ex se sola, & proprietate sua sit ipsum esse suum, & hoc secundum hunc modum, licut est idem esse & essentia: hoc enim soli diuinæ essentiæ conuenit, vt iam amplius dicetur, sed solū ex hoc, quòd est effectus Dei, & hoc quo ad esse existentiæ: de esse autem essentiæ iam erit sermo inferius. Vt secundum hoc esse existentiæ non addat super essentiam nisi respectum ad efficiētem: inquantum enim essentia, vt creata est, participat in effectu diuina similitudine, vt à Deo transformata, ipsa in se esse existentiæ participat, quod non potest dici esse ipsa, nec tamen aliud ab ipsa, nisi sicut respectus similitudinis fundatus in albedine non est ipsa albedo: nec tamen aliud re ab ipsa, sed idem re, differens autem solo modo, secundum quod declarauimus in quæstione de relatione, non quòd esse sub suo nomine dicat respectū, & esse sit ille respectus, sed quòd ipsa essentia, vt est sub tali respectu, est quædam existentia participatione quadam, & hoc non participatione alicuius aduenientis ei, & absoluti, vt intendit aduersarius, qui intendit probare, quòd esse aliquid absolutum addit super essentiam, sed quia respectus non acquiritur, nisi quia fundamentū acquiritur. Quando enim aliquid est immediatum fundamentum alicuius respectus, si illud esset immobile, & extremum, in quo natus est fundari, correspondens similiter respectus esset immobilis, vt in proposito, vbi Deus est alterum extremum, non posset annihilari ille respectus, ex quo fundamētum maneret. Quare si essentia in eo, quòd est essentia est incorruptibilis, & ille respectus si nō sit ibi aliud absolutum fundatur in sola essentia: ergo & ille respectus esset immobilis. Vnde à contrario, quia per esse fundatur respectus in essentia ad Deum: ideò quia esse potest separari ab essentia, & ille respectus, sed aliter non.

Dicēdum, ꝙ dicere, sicut ipse dicit, quòd respectus non acquiritur nisi quia fundamētum acquiritur, verum est. Sed quod assumitur, quando aliquid est immediatum fundamentum alicuius &c. Dicendum, ꝙ hoc est verum in omnibus illis respectibus, qui fundātur in extremis ex natura propria ipsorum, vt contingit in actiuis & passiuis naturaliter, secundū quod in præcedenti Quolibet. declarauimus in quæstione longa de relationibus. In illis verò respectibus, qui fundantur in vno extremo, non solùm ex natura ipsius fundamenti, sed cum hoc ex actione libera alterius extremi circa illud, non est verum, vt contingit in proposito: esse enim quod fundatur in essentia, & ponit solum respectum super essentiam, quo ad istum respectum non fundatur in essentia ex sola natura ipsius essentiæ, sed tantùm ex actione alterius extremi, s. volūtatis Dei immobilis circa ipsam essentiam, ita quòd iste respectus nouus secundum rē in ipsa essentia potius causatur ab altero extremo sub illo respectu immobili secundum rationem, q̄ è conuerso, vt supra in dicta quæstione declarauimus. Quod ergo asseruit, quòd per esse fundatur res ad Deum in ipsa essentia, falsum est, nisi inquantum esse est idem cum essentia, & per ipsum esse essentiæ, quod à Deo acquiritur, non vt alia res, sed vt alia intentio, qua. s. est effectus Dei, secundum quā essentiæ acquiritur respectus ad Deum, vt ad suū principium efficiens, & hoc quasi materialiter per ipsam essentiam, & effectiuè per actionem Dei circa eam, vt ipsum esse nihil addat super essentiam, nisi solum respectum, aut potius, ꝙ ipsum esse nihil aliud sit, q̄ id qd est essentia, vt est effectus Dei. Quod ergo concludit, quòd quia esse quod ponit esse absolutum potest separari ab essentia, similiter & ille respectus per ipsius esse separationem, & aliter falsum est, quia licut ille respectus causatus est in essentia per Dei actionem circa illam, sic per subtractionem actionis Dei circa illam in conseruando separatur ille respectus ab essentia, &

ipsa

ipſa eſſentia in ſeipſa corrumpitur & annihilatur quo ad eſſe exiſtentiæ. Vnde ꝙ eſſentia eſt quædam exiſtentia participatione quadam, hoc eſt ex præſuppoſitione ſimilitudinis diuini eſſe in ipſa eſſentia eſſentialiter per creationem, & quo ad hoc dicitur eſſentia eſſe quadam extrinſecus participatione. ſecundum ꝙ dicit Boetius de Trinitate, loquens de Deo. Eſt forma, quæ eſſe ipſum eſt, & ex qua omne eſt. Vbi dicit Comment. i. quæ non ab alio hanc mutuat dictionem, & quę cęteris omnibus eandem quadam extrinſecus compartícipatione communicat, non de qualibet ſuę eſſentiæ proprietate dicitur eſt, ſed ab eo, qui non aliena, ſed ſua eſſentia propriè eſt, quoniam ex eo tanquàm ex principio dictio iſta tranſumitur, vt de unaquaque diuinæ formæ participatione propriè rectè dicatur eſt. Per quod patet reſponſio ad illud quod arguit ſic, quando aliquid de ſe non eſt tale, ex ſola relatione ad efficiens non habet eſſe tale. Si ergo eſſentia de ſe non habet eſſe, ex ſola relatione ad efficiens non habebit eſſe, ſed requiritur aliquid formale informãs, nec aliquid aliud ſufficeret.

Dicẽdum eſt enim ꝙ ſolus Deus eſt talis, quòd ſuæ eſſentiæ proprietate de ipſo dicitur eſt. Ipſe.n. ſua eſſentia eſt ipſum eſſe, non ſolùm eſſentiæ, ſed etiam exiſtentiæ ſuæ, quod nulli creaturæ conuenire poteſt. Et in hoc ſimplicitas diuinæ eſſentiæ excedit ſimplicitatem eſſentiæ creaturæ, quia nulla creatura proprietate ſuæ eſſentię eſt, & ideò nõ eſt ipſum eſſe ſuum, ſed participat ipſum non alio informante re ab ipſa eſſentia, ſicut concludit, ſed ſola reſolutione ad efficiens, non quacunque, ſed qua eſt effectus, & ſimilitudo eius, quo ad eſſe exiſtentiæ. & hoc non propter aliquid additum, ſed in ipſa eſſentia fundata abſq; omni aduentitio prę ter ſolùm reſpectum. Et propter iſtam extrinſecus participationem iſtud eſſe pertinet ad prædicamẽtum de accidente, & hoc ſecundum modum, quo relationes accidunt ſuis fundamentis, ut eſt declaratum in quæſtione de relatione, cum tamen eſſe eſſentiæ pertineat ad prædicamentum de genere, ut diſtinguit Comment. ſuper 5. Metaph. Nec tamen eſſe eſſentiæ omninò eſt abſque extrinſecus participatione, ut iam declarabitur. Quę tamen non poteſt eſſentiæ ab eſſe, etiam ſecundum intellectum, ſed ab illa habet eſſentia, ꝙ ſit eſſentia, ut alibi pertractauimus, licèt poſſit abeſſe per intellectum ei, quod eſt aliquid, quod cum eſſe cadit in compoſitione eſſentiæ creaturæ, cum dicitur ꝙ cõponitur ex quod eſt & quo eſt. Participatio autem quæ conſiſtit in eſſe exiſtentię, eſſentię poteſt omninò adeſſe & abeſſe, & propter hoc tale eſſe eſt extra rationem & intellectum eſſentiæ, ut licèt nõ ſit res addita ipſi eſſentiæ, ut non differat re ab ipſa, nec etiam differat ſola ratione, quia in eis, quæ ſola ratione differunt, vnum eorum non poteſt intelligi ſub contrario alterius, differunt tamen medio modo. ſ. intentione, & in his, quæ ſunt eadem re, & quæ ſic differunt, vnum eorum benè poteſt intelligi ſub contrariò alterius. Sed dicit ille, non intelligo quid ſit differre intentione aliud, quàm differre ratione. Declaro vt intelligat. ecce rationale & album inter ſe differunt, rationale & animal inter ſe differunt, animal rationale, & homo inter ſe differunt. Videt ne primò, ꝙ animal rationale, & homo differũt ſola ratione, ſicut definitio & definitum, & tali modo differendi, quo differentia nullam faciunt compoſitionem, neque ex eis fit aliquod compoſitum omninò, & ꝙ idcircò non compatitur homo ſecum oppoſitum animalis aut oppoſitum rationalis, neque quo ad eſſentiam neque quo ad exiſtentiam ſuam, vt neque eſſe, neque intelligi poſſit ſub compoſito alterius illorũ? Videt ne ſecundò ꝙ rationale, & album differunt re, ſicut ſubſtantia & accidens, & hoc tali modo differendi, quo differentia faciunt compoſitionẽ, & fit ex eis aliquod compoſitum realiter, & ꝙ idcircò compatitur ſecum ratione oppoſitum albi, & quo ad ſuam eſſentiam, & quo ad ſuam exiſtẽtiam, vt & eſſe poſſit & intelligi ſub oppoſito albi? Et quæro vtrum videat tertiò, ꝙ rationale, & animal non differunt ſola ratione ſicut definitio & definitum, vt nullam faciant compoſitionem, neq; omninò ex eis fiat aliquod compoſitum, ſed plus non ſolùm quo ad differre ſecundum magis, & minus in eodem modo differendi ſecundũ ſpeciem, quemadmodum in Deo plus differunt ſapientia, & bonitas, quàm eſſe & viuere, ſed quo ad differre alio & alio modo differendi ſecundũ ſpeciem, quia faciunt aliquam compoſitionem in ſpecie conſtituta ex ipſis, & hoc ideò, quia nullo modo definitio eſt extra rationem & intellectum definiti, nec è conuerſo; ſicut genus eſt extra rationẽ & intellectum differentię, & è conuerſo; nec etiam differunt re tantùm, quantùm differunt ſubſtantia & accidens, quia tunc ſpecies ex ipſis conſtituta non eſſet vnum per ſe, ſed tantùm per accidens, aut ſaltem non eſſet vnum ſimplex in forma ſecũdum rem, ſed medio modo. ſ. plus quàm ratione ſola, & minus quàm re. Re vera niſi claudat oculum rationis luci veritatis, non poteſt hoc non videre. clarum enim eſt ꝙ differunt plus, quàm ratione ſola. Aliter enim genus poſſet prædicari de differentia & è conuerſo, ſicut definitio prædicatur de definito, & è conuerſo, nec eſſet differentia extra rationem generis, nec è conuerſo: ſicut definitio non eſt extra rationem definiti, nec è conuerſo, quæ planè falſa ſunt. Clarum enim eſt, ꝙ differunt minus, quàm differentia re.

Aliter enim ex genere & differentia non conſtituetur vnum in forma ſimplici, quod eſt ſpecies: ſicut non conſtituitur ex ſubſtantia, & accidente, quod falſum eſt.

Nõ põt ergo nõ videre quin medio modo differant; & hoc nõ ſecundum magis & minus differre

in eodem modo differendi ſecundum ſpeciem, vt aliquis diceret, ſed ſecundum alium modum differendi ſecundum ſpeciem ab extremis.

Eſt enim alius modus differendi ſecundum ſpeciem quo ſubſtantia differt ab accidente, quia eſt facientium compoſitionem reālem ab illo, quo definitio differt à definito, vel quo in Deo differunt ſapientia & bonitas, quia non faciunt compoſitum omninò. Et eſt medius modus differendi ſecundum ſpeciem, quo genus differt à differentia, quia aliquam faciūt compoſitionem in ſpecie, ſed non realē, ut prius. Vnde licèt in dictis tribus modis differendi eſt differentia ſecundum magis, & minus, non tamen omnes tres vel duo eorum ſunt in eodem modo differendi ſecundum ſpeciem, ſed in diuerſis neceſſariò. Et propter hoc animal qđ eſt genus, poteſt intelligi eſse ſub oppoſito rationalis. Baptizetur ergo ille modus medius, & detur ei nomen, & ſi non competenter poſſit appellari differentia ſecundum intentionem, ut omninò idē ſit differre intentione & ratione, detur ei aliud nomen. Fatuum enim eſt diſputare de nomine quando notum eſt de re. Et iſto medio modo dixi, & dico eſsentiam, & eſse ſuum exiſtentiæ differre inter ſe, & ꝙ propterea unum illorum, ut eſsentia, poteſt intelligi ſub oppoſito eſse exiſtentiæ. non dico ꝙ poſſit eſse, niſi in mente tantùm. Aliter enim ſimul exiſteret & non exiſteret.

Quod ergo quæritur in quæſtione principali: Vtrum ponens eſsentiam creaturæ eſſē idem cum ſuo eſſe, poteſt ſaluare creationem: Dicendum, ꝙ ponēs eſſentiam proprietate, qua eſt eſſentia abſque omni extrinſecus participatione eſſe idem cū ſuo eſſe, vt de re cuius eſt eſſentia, ſuę eſſentiæ proprietate ſola dicatur eſt ſiue eſſe, talis nullo modo poteſt ſaluare creationem. Sic enim ſola eſſentia creatoris eſt idem cum ſuo eſſe, & nullius creaturæ, vt iam dictum eſt. Ponens autē eſſentiam proprietate ſua non qua eſt abſolutè eſſe natura, ſed quam habet quadam extrinſecus participatione: eſſe idem cum ſuo eſſe exiſtentiæ, vt de re cuius eſt eſſentia, tali proprietate eſſentiæ ſuæ dicatur eſt vel eſſe, talis benè poteſt ſaluare creationem. ſic enim omnis eſſentia creaturæ eſt idem cum ſuo eſſe. Verumtamen ſciendum, vt in primo Quolibet expoſui, ꝙ iſta extrinſecus participatio ipſius eſſe, benè & malè poteſt intelligi. Vno modo intelligendo eſſentiam creaturæ aliquid potentiale ſubſtratum, vt materiam, de qua vel in qua aliquid habet produci actione agentis, ipſum verò eſſe aliquid receptum in illo, aut de illo productū actione agentis, vt formam & actum, quo dicitur eſſentia & eſſe, ad modum, quo dicitur corpus eſſe album recepta in ſe forma albedinis, vel materia prima dicitur aliquid eſſe in actu etiam recepta in ſe forma ſubſtantiali, vel anima dicitur grata recepta in ſe forma gratiæ. & hoc participando albedine, vel forma, aut gratia, non totalitatem veritatis eius, ſed partem ſolùmmodo eius in ſe continēdo. Quod videntur ſonare verba Boetij cum dicit, Quod eſt, accepta forma eſſendi eſt, atque ſubſiſtit. quæ infra exponemus. Hoc modo intelligunt participationem, qui dicunt ꝙ eſſe ſecundum rem differt ab eſſentia.

Alio verò modo intelligitur iſta participatio intelligendo eſſentiam creaturæ aliquid potentiale obiectum, vt terminum actionis de nihilo productum. Ipſum verò eſſe intelligendo eandem eſſentiam, vt eſt actuale obiectum & terminus actionis de nihilo ipſum producentis ſicut ſimilitudinem ſuam, vt ipſa eſſentia inquantum eſt ſimilitudo producta, ſit eſſe quoddam participatum ratione huius ſimilitudinis deficientis ab ipſo diuino eſſe, quo in tali eſſe participat, nec totalitatem nec partem veritatis eius, ſed ſolùmmodo ſimilitudinem, atque imitationem eius in ſe continendo, non ꝙ eſſe ſit aliquid acquiſitum aut receptum in ipſa eſſentia, vt in ſubiecto. Et eſt iſte verus modus participationis ipſius eſſe, præcedens autem phantaſtica imaginatio, quodammodo fingens modum creationis procedere ſecundum modum naturalis generationis: præter hoc ꝙ generatio naturalis præſupponit ſubiectum, creatio verò non tantùm producit aliquid in ſubiecto, ſed etiam producit ipſum ſubiectum.

Et iſto ſecundo modo ponendo participationē differunt ſecundum ſpeciem modus, quo eſſentia participat eſſe, & quo participat alijs poſt eſſe.

Primo vero modo ponendo participationem idem eſt modus ſecundum ſpeciem, quo ſubſtantia participat eſſe, & accidentib. ſequētib. eſſe. Qui ponūt participationem eſſe primo modo, non pñt ſic perfectè ſaluare creationē propriè dictam, ſicut poſſunt ponentes participationem eſſe ſecundo modo. propriè enim creatio non eſt de aliquo, ſed de nihilo procedit quicquid per eam producitur, quare & propriè creatum non de aliquo, ſed de nihilo creatum eſt. Vnde ſi aliquis vellet ponere per creationem eſſe productum non de nihilo, ſed de aliquo, vt de eſſentia tanquàm de potentiali ſuo, & ipſam eſſentiam de potentia nihilo, ipſum ergo eſſe non eſt propriè creatum, ſed ipſa eſſentia. Vnde volens dicere, ꝙ eſſe ſit aliquid productum in eſſentia, re differens ab eadem, melius ſaluat creationem dicendo non ꝙ eſſe producatur de eſſentia, vt de ſuo potentiali ſubiectiuè, ſed ꝙ eſſe producatur in eſſentia cum ipſa, & ꝙ vtrūque eorum ſit potentiale quoddam, vt producatur obiectiuè de nihilo ipſa quidem eſſentia in ſe, ipſum verò eſſe in eſſentia, non de eſſentia. Si enim Deus creet ignem compoſitum ex materia, & forma, non eſt dicendum, quòd creet materiam ſolam de nihilo, & creando producat formam ignis de materia, ſed ꝙ vtrunque æquè de nihilo producat, materiam ſub forma, & formam in materia, non de materia, quàmuis productione

na tu-

naturali materia ſuppoſita nata ſit forma produci de materia, Quod etſi hoc ille intendat, adhuc nō poteſt propriè ſaluare creationem.

Ad cuius intellectum oportet primò ſcire modum creationis propriè dictæ, videlicet, quòd licèt res ſiue eſſentia creaturę ab eodem ſecundum rem habet eſſe eſſentiale, & eſſe aliquid per eſſentiam, inter ſe tamē differunt intentione, quemadmodū animal, & rationale inter ſe differunt intentione, vt dictum eſt, quia quod eſt aliquid generis alicuius ſecundum ſe, eſſe participat, vt eſt ſimilitudo quædam diuinæ eſſentię ſecundum rationem cauſæ formalis: præter hoc ꝙ animal ſimpliciter eſt genus ad hominem ſimpliciter, de cuius ratione ſunt animal & rationale. Eſſe autem eſſentiæ ſimpliciter quod conſequitur decem prædicamenta, non eſt genus omninò, cuius cauſam alibi declarauimus, ſed ſolùmmodo rationē generis habet. hoc .ſ. aliquid cui conuenit eſſe. nec tamen aliquid cui conuenit eſſe habet rationē vnius generis ad ſubſtantiam, & accidens, quia non eadem ratione eis conuenit eſſe, vt in quadam quæſtione de prædicamentis declaraui, & iam patebit aliquantulum inferius. Licèt ergo res, ſiue eſſentia creaturę ab eodem ſecundum rem habet eſſe, & eſſe aliquid, tamen differunt inter ſe intentione, ita ꝙ ab alio ſecundum intentionem habet eſſe, & ab alio habet eſſe aliquid. Eſſe.n. habet eo ꝙ eſt diuina ſimilitudo: eſſe verò aliquid habet ratione illius in quo fundatur reſpectus ſimilitudinis illius. Vnde ſuper illud de hebdo. Diuerſum eſt eſſe, & id quod eſt. dicit Commenta. Cum enim dicimus homo eſt: Theologi hoc eſſe intelligunt quadam extrinſeca denominatione ab eſſentia ſui principij, qua vnūquodque prædicant non eſſe aliquid, ſed eſſe. non enim dicunt humanitate hominem eſſe, ſed eſſe aliquid. Vnde eſſe aliquid dicitur quadam ratione ſui generis: eſſe autem diuina quadam participatione. Et omninò conſimiliter ſentiendum eſt de exiſtere ſiue eſſe per exiſtentiam ſimpliciter, & de exiſtere aliquid ſiue de eſſe per exiſtentiam aliquid. præter hoc ꝙ vt dictum eſt, eſſe eſſentiæ eſt quædam diuina participatio ſecundum rationem cauſæ formalis, quaſi forma ſubſtantialis eius, qđ eſt aliquid per eſſentiam. Exiſtere verò ſecundum rationem cauſæ efficientis, qua in exiſtentia producuntur ipſum eſſe eſſentiæ, & id cuius eſt, productione ipſius eſſentiæ in eſſe exiſtentiæ, & eſt aliquid accidentale ipſi eſſentiæ. Vnde eſſe eſſentiæ in ipſa eſſentia eſt quoddam potētiale, vt per creationem eſſentiæ producatur obiectiuè in eſſe exiſtentiæ, vt exiſtat ſimpliciter extra intellectum. Eſſe verò aliquid per eſſentiam conſimiliter eſt quoddam potentiale, vt per creationem eſſentiæ producatur in eſſe exiſtentiæ, vt exiſtat aliquid extra intellectum. Sed ſicut in eodem prius natura eſt eſſe, q̄ eſſe aliquid, & prius exiſtere, q̄ exiſtere aliquid, ſic prius creatur eſſe vt exiſtat, q̄ eſſe aliquid vt exiſtat aliquid: ſecundum illam quartam propoſitionem libri de cauſis. Prima rerum creatarum eſt eſſe, & nō eſt ante ipſum creatum aliud. Creatione. ſ. qua producitur eſſe in exiſtentia. cum .n. in eodem ſecundum rem ſint plures intentiones ſecundum eſſe, viuere, ſentire, intelligere, & aliæ huiuſmodi, eſſe ante ſe nullam aliam ſupponit, & eſt propinquius eſſe primo puro, & vero ſecundum naturam & intellectum. Si.n. fiat reſolutio compoſiti ex pluribus intentionibus, ſemper ſtabit reſolutio in eſſe, & ideò eſt primum in omnibus, quæ procedunt à primo, & propriè cauſæ primæ effectus per creationis actum, & nihil aliud in re. Eſſe enim in re eſt primus & ſimplex mentis conceptus ad nihil formatus, vel determinatus, nec formatiuus, nec declaratiuus alicuius alterius, quia nihil ipſum præcedit, ſed formabilis, & in quo incipit informabilitas per ea, quæ educuntur ab ipſo. Vt enim dicitur in Commento dictæ propoſitionis, ſicut ex vna forma ſpecifica propter hoc ꝙ diuerſificatur in mundo inferiori, veniunt infinita indiuidua: ſimiliter ex eſſe creato primo propterea, ꝙ diuerſificatur apparent formæ intelligibiles infinitæ, nec ſeiunguntur abinuicem ſicut eſt ſeiunctio indiuiduorum, quoniam ſunt vnum habens multitudinem, & multitudo in vnitate eſt. ſemper enim eodem ſecundum rem dicitur quęlibet res eſſe & eſſe aliquid, vt dicitur in Commento illius propoſitionis. Diuerſum eſt eſſe, & quod eſt, & eſt prius eſſe, q̄ eſſe aliquid, quemadmodū quod diuinum eſt eo quod nec genus eſt. ab eſſe. n. educitur viuere, & ex viuere ſentire, & ex ſenſu rationale. & ſemper quodlibet ſequentium in intellectu ſuo, & ratione ſupponit quodlibet præcedens ſe, vt non ex nihilo, ſed ex aliquo producatur, in quo eſt inchoatio ſui. ſ. ex ipſo eſſe, quod propriè in creaturis producitur ex nihilo. Nihil ergo ſequentium propriè fit per creationem, ſed potius per informationem. & ſolùm ipſum eſſe fit propriè per creationem, vt actus primus ſimplex à cauſa prima in actu exiſtendi productus, vt potius eſſe dicatur creatum à primo, q̄ ens, & eſſe aliquid creatum tanquàm illud quod eſt cauſa prima formalis entis vehementius illi vnita, vt dicitur in cōmento propoſitionis dictæ, & plus formaliter influens illi, vt dicit prima propoſitio de cauſis, quę vt dicit commentum non remouet virtutem ſuam à re, cum remouet eam cauſa ſecunda. Et exemplificamus illud per eſſe, & viuum hominem, quia oportet ꝙ ſit rei eſſe & in primis, deinde viuum: deinde homo. viuum ergo eſt cauſa hominis propinqua, & eſſe remota. Eſſe igitur vehementius eſt cauſa hominis, quàm viuum. quoniam non ſolùm eſt cauſa hominis, ſed etiam viui. Similiter etiam quando ponimus rationalitatem cauſam hominis, eſſe eſt vehementius cauſa hominis, quàm rationalitas, quoniam cauſa eius eſt eſſe. Ipſum ergo eſſe non eſt creatum niſi à Deo, & ideò eſt diuina participatio ſecundum prædictum modum.

Quod verò ei additur ipſum determinando, ad propriam naturam cuiuſque rei pertinet, vt dictū eſt. Vnde vita ante ſe ſupponit ens ſecundum naturam & intellectum, & ex eſſe producitur ſicut ex confuſo, nec dicit viuere ita ſimplicem conceptum, ſed formatū ad aliquid. Vita ergo per creationem fieri non poteſt, quia fit ex aliquo. relinquitur ergo quòd fiat per informationem. dico propriè loquēdo. Eſſe ergo primum omnibus dat eſſe per modum creationis. Vita autem prima omnibus viuentibus dat vitam non per modum creationis, ſed per modum informationis. Vnde ſuper propoſitione de cauſis. 18. Omnes res entia ſunt propter ens primum, & res viuæ ſunt propter vitam primam, & ſcientiam habent propter intelligentiam ſuam. dicit Commenta. Dat omnibus rebus ens per modum creationis, dat eis vitam nō per modum creationis, ſed per modum formalē, & ſimiliter non dat eis, quæ ſunt ſub ea, vt de ſciētia, & reliquis rebus, niſi per modum formæ. Sic ergo dico, quòd ponens in creatura idem eſſe ſecundum rem dicto modo eſſe & eſſentiam, poteſt ſaluare creationem dictā propriè, & dicere quòd prima intentio rerum creaturarum in eſſe exiſtentiæ eſt eſſe eſſentiæ, & quòd omnes aliæ intentiones in eadem eſſentia fiunt à creante, non ita propriè per creationem, ſed potius per ipſius eſſe creati quandam informationem, & ita quaſi per aliqualem generationem, & hoc quodammodo ſecūdum modum quo dicit Commenta. ſuper 5. Metaphyſ. Materia primo recipit formam vniuerſalem, & mediante forma vniuerſali recipit alias formas. Omnis enim forma, quæ per agens de potentia ad actum deducitur, in eo quòd de potentia vadit ad actum producendo vnum de altero procedit per viam generationis aliqualis, etiam ſi non differunt ſecundum eſſe, & ſimul habent fieri ſecūdum rem & eſſentiam, & per eandem indiuiſibilem tranſmutationem, ſicut contingit in creatione ſecundum iſtam poſitionē. quare & multò fortius ſi differunt ſecundum eſſe, ſicut contingit in creatione ſecundum aliam opinionem circa eſſe, & eſſe aliquid reſpectu eſſe exiſtentiæ. Vnde ponentes gradus formarum ſecundum diuerſa eſſe, & differentia ſecundum completum & incompletum in eadem re, non ſimul ſed per tranſmutationem ſucceſſiuam educendo vnum ex altero, dicunt huiuſmodi tranſmutationem eſſe generationem, & generationem nō eſſe mutationem ſubitam, ſed motum ſucceſſiuū: Dicendo quòd omnis forma, quæ per agens naturale de potentia ad actum deducitur, in eo quod primò vadit ad actum per naturalē tranſmutationem, ſm eſſe, & eſſe diuiditur, vt ſi idē re ſit in bruto viuens, ſpirans, ſenſibile, in mutatione generationis ſm formam primò deſcenditur ab eſſe in viuum, deinde à viuo in ſpirans & ex ſpirante in ſenſibile, & nō eſt medium mutationis ſimul cum principio, nec finis ſimul cum medio, quàmuis enim habent eſſe conſtitutum in eodem ſubſtantiali formali ſecundum rem, vt tamen habent illa diuerſa eſſe ſubſtantiæ ſimul, quæ recipiūtur per motum, completè non habent eſſe, niſi in vltimo. Quare ſi tranſmutatio talis ab vno eſſe in aliud à ſola intentione in eadem forma ſecundum rem, generatio eſt, quia vnum de altero educitur, vt de ſuo potentiali, multò fortius ſi aliquis dicat, ꝙ eſſe deducitur ex aliquo diuerſo à ſe ſecundum rem ipſius eſſe, productio non erit creatio, ſed potius generatio, quæ alia eſt mutatio à creatione. Et ſic qui ponunt eſſe exiſtentiæ in creaturis eſſe aliud ſecundum rem ab eſſentia, & ab eius eſſe naturali, nullo modo, ſiue ponant, quòd producatur in eſſentia ſiue de eſſentia, poſſunt ita propriè, & perfectè ponere eſſentiam, & eſſe exiſtentiæ in ea, habere eſſe per creationem, ſicut ponentes, quòd idem ſecundum rem ſunt eſſe naturæ, eſſe eſſentiæ, & eſſe exiſtentiæ ſecundum prædictum modum, etſi aliquo modo imaginatio poſſit ponere eſſentiam creatam de nihilo, de qua vel in qua creans per aliqualem generationem producat eſſe exiſtētiæ non propriè per creationem.

Ad dicta autem eius & ſimul ad argumenta in contrarium adducta, reſpondendum eſt per ordinem.

Ad primum ergo de quo dicitur, ſicut ſe habet materia ad formam in generatione, ſic eſſentia ad eſſe in creatione: Dicendum, quòd non eſt verum, immò contrario modo ſe habent materia reſpectu formæ in generatione, & eſſentia reſpectu eſſe in creatione. quoniam in generatione materia ſupponitur, & per eius informationem forma in ea acquiritur, vt in ſubiecto, & de ipſa. In creatione verò nihil ſupponitur, ſed tota natura rei in inſtanti producitur. Sed eſſe eſſentiæ in eſſe exiſtētiæ propriè producitur per creationem, non in eſſentia, vt in ſubiecto ei, & de ipſa, ſed in eſſentia vt aliquid eius & prima intentio in ipſa, & de qua per ipſius informationem producantur omnes aliæ, vt habēdo reſpectum ad alias intentiones, ipſa eſſentia potius dicatur produci de eſſe, & eſſe fore in potentia ad eſſentiam, quàm è conuerſo. Et ideò ponens materiam idem re cum forma, nullo modo poteſt ponere generationem, quia productum per propriam generationem aliud re debet eſſe ab eo de quo producitur. Ponens verò eſſe idem cum eſſentia re ſecundum dictum modum, benè poteſt ponere creationem, quia propriè creatio non eſt de aliquo omninò. Ponens uerò eſſe diuerſum re ab eſſentia, nullo modo poteſt ponere ita propriè creationem ipſius eſſentiæ, & eſſe exiſtentiæ in ea, ſicut ſi compoſitum aliquod ex materia, & forma producatur, & in creando forma induceretur in materia, non diceretur propriè creari totum, ſed materia. Et ſic manuductio illius à ſenſibili generatione ad creationem, deceptoria eſt, & falſa imaginatio. non enim ſemper quæ apparent in ſenſibilibus applicari poſſunt ad creationem. ſecundum quòd dicit Commenta. ſuper de duplici

plici natura, & vna persona Christi. Neque omnia, neque nulla, quæ in naturalibus, aut mathematicis intelliguntur, in Theologicis accipienda sentimus: Ideoque subtilissi næ, atque exercitatissimæ intelligentiæ est communes vtriusque & proprias singulorum rationes notare. Et hoc quidem propter imperitos, qui diuersarum facultatum rationes communicant proprias, aut communes appropriant, tetigimus. Re vera timendum est, ne hoc moderno tempore multos cogat errare in Theologia.

Ad primã probationẽ op.

Per hoc etiam patet ad illud quod secundum illum inductũ est in principio responsionis ad corpus quæstionis, quod per se est in potẽtia aliquid, per se non est secundum actum illud, neque participat eo, sed solùmmodo per aliquid aliud re ab illo. Dicendum enim, ꝙ verum est, quando quod est in potentia non est nisi subiectum transmutationis, quod ipsa transmutatio supponit. tũc enim productum per transmutationem necessariò est aliud à subiecto, quod est in potentia at productũ de ea, secundum quem modum materia est in potentia ad formam, secundum ꝙ ille exemplificat de ea. Quando verò quod est in potentia non tã est subiectum transmutationis, q̃ obiectum distinctionis, licèt non alicuius actus acquisiti per transmutationem, distinguendum, quoniam ꝙ per se in potentia aliquid, per se sit secundum actum illud: potest intelligi dupliciter, quia per se esse sm̃ actũ illud, potest intelligi vel sm̃ genus causæ efficientis, vel secundum genus causæ formalis. Primo modo verum est, ꝙ illud, quod per se est in sola potentia aliquid, nunq̃ per se est secundum actũ illud, aut participat illo. aliter enim res per se iret de nõ esse ad esse, quod est impossibile, nihil enim est sui ipsius causa, vt sit, neque conducit ad esse sm̃ August. i. de Trinit. & hoc modo essentia, quæ per se est in sola potentia ad esse, per se non habet esse. Secundo modo subdistinguendum, quia per se formaliter esse secundum actum illud, potest intelligi vel sm̃ eandem rationem, vel sm̃ aliam, & aliam rationem siue intentionem. Primo modo adhuc nunq̃ per se est sm̃ actum illud, quia nõ potest esse eadem rõ entis in potentia, & entis in actu, sm̃ ꝙ huiusmodi. Secundo aũt modo benè verum est, ꝙ illud quod per se obiectiuè est in potentia ad aliquid vt ad esse per se formaliter sm̃ aliam rõnem, est sm̃ actum illud. Sic. n. essentia creaturæ vt est aliquid per essentiam, per se est potẽtia ad esse per existentiam simpliciter, & quo ad esse per essentiã simpliciter, & ad esse aliquid per existentiã. Et nõ differunt esse simpliciter per essentiam, & esse per existentiam simpliciter sm̃ rem, sed sm̃ intentionẽ solùm, neque similiter esse aliquid per essentiam, & esse aliquid per existentiam, & vtroq; modo qd est in potentia, non per se sed per agens vadit ad actum. Secundum hunc ergo modum benè saluatur creatio, & datur ei suum potentiale, & suum actuale, & sufficit in creatione, ꝙ differant sola intentione, & non requirit ipsa creatio plus. Si plus assumat, ꝙ opòrtet, ꝙ differant realiter, quemadmodum talem dr̃iam inter suum actuale, & suum potentiale requirit generatio: Ita ꝙ etsi in creatione totum, s. essentia & esse, quasi producatur simul obiectiuè, tm̃ q̃cunq; aliquid producitur obiectiuè per se & primò vtputa essentia, & esse simul, ibi est aliquid productum in alio, in quo producitur, & aliquid productum in alio, vt in subiecto, qd est formale in illo alio, in quo producitur. & aliquid productum vt subiectũ in quo producitur aliud, quod subiectũ est, quasi materiale respectu illius. Et sic licèt aliud sit potentiale obiectiuè, & aliud subiectiuè, vnum tamen eorum non est sine alio, quia creare materiam non est facere, quòd materia sit materia: Materia enim ad hoc quòd sit materia, ad hoc non indiget produci, sed creare materiam est facere, ꝙ materia sit sub forma. Et eodem modo creare formam non est facere, ꝙ forma sit forma, sed ꝙ forma sit in materia, & eodem modo creare essentiam non est facere, ꝙ essentia sit essentia, sed ꝙ essentia sit sub esse, & creare esse non est facere, ꝙ esse sit esse, sed ꝙ esse sit in essentia. Et ita licèt potentiale subiectiuè tm̃, quale est ipsum materiale, non sit ipsum potentiale terminatiuè tantũ quale est ipsum formale, nec è conuerso, tm̃ vnum eorum nunq̃ esset sine altero, sed vtrunque eorum simul est vnum potẽtiale obiectiuè. & propter hoc vlterius, quia forma per suam corruptionem põt separari à materia, vel composito, põt ipsum compositum siue materia corrumpi, aut annihilari. eodem modo, quia esse per suam corruptionem põt separari ab essentia, põt & ipsa essentia annihilari. Vnde actus siue formale quodcunq; non põt produci, nisi cum suo potentiali, nec è conuerso. vnde nisi productum esset compositum, aut productibile esset alterius cõponibile, vt pars parti, nunq̃ esset productibile in esse, aut reductibile in non esse. Et est respondendum, ꝙ illa propositio, q̃cunq; aliquid producitur obiectiuè per se, & primo, vtputa essentia & esse simul, &c. falsa est. Non enim oportet ꝙ ibi sit aliquid productum in alio, vt re differens ab illo, sed sufficit ꝙ sit differens ab illo sola intẽtione, vt patet ex dictis. Et sic licèt aliquid sit possibile obiectiuè, & aliud subiectiuè, sic scilicet quòd vnum eorum non sit sine alio, non oportet, quòd sit aliud, & aliud nisi sola intentione. Et sic ponere materiam creari siue essentiam non est facere, quòd materia sit materia, aut quòd essentia sit essentia, secundum modum, quem ponit, sed hoc est ponere, ꝙ materia si per se sine forma producatur in esse, sit sub esse differenti à se sola intentione. Vnde falsum est, quod asseruit, quòd creare materiam est facere, quòd materia sit sub forma, &c. tunc enim neutrum eorum posset creari per se sine altero, quod inconueniens reputatur ex parte materiæ.

Et similiter falsum est, qd asseruit de essentia & esse, intelligendo ꝙ sic essentia creetur sub esse ꝙ

differt ab ipsa secundum rem, sufficit enim, vt dictum est, ꝙ creetur sub ipso, vt sub differenti ab illa secundum intentionem, & hoc modo vnum istorum non potest esse, aut creari sine altero, sed vtrunque simul. Quod ergo asseruit vlterius, ꝙ forma per suam corruptionem, &c. supponendo, ꝙ materia non potest annihilari, nisi per hoc, ꝙ forma separatur ab ea, neque essentia nisi per hoc, ꝙ esse differens secundum rem ab illa potest separari ab ea, falsum est. quoniam sicut materia & forma differunt per essentiam, sic habent diuersa esse propterea differentia per essentiam, vt dicetur in sequenti quæstione. Et ideò si forma separata à materia diuina virtute conseruatur in suo esse proprio, licèt priuetur illo esse, quod forma communicauit composito, & materiæ in composito, ad huc materia potest corrumpi siue annihilari propria corruptione & annihilatione ipsius materiæ quo ad suum proprium esse, quod sola intentione differt à materia. Et consimiliter ponendo ꝙ essentia, & esse differant sola intentione ipsius corruptione quo ad illud esse corrumpitur essentia ne essentia sit, licèt essentia semper maneat essentia. Quòd si ponatur materia non corrumpi, nisi per corruptionem formæ in illa, nec essentia, nisi per corruptionem esse, quod est re aliud ab illa, tunc neque materia quantum est de ratione naturæ suæ, neq; essentia quantum est de natura essentiæ, nata est corrumpi vel annihilari postquàm habuerint esse. & sequeretur opinio Philosophorũ, ꝙ materia & essentiæ rerum non sunt potentiale esse nisi quia sunt cum alio, vt materia cũ forma & essentia cum esse differenti secundum rem ab ipsa, per quorum separationẽ ab ipsis solùmmodo corrumpuntur, secundum ꝙ superius tactum est. Vnde quod addit, ꝙ actuale siue formale quodcunq; non potest produci nisi cum suo potentiali, nec è conuerso: Dicendum, ꝙ verum est. non tamen semper oportet ꝙ re differant actus & potentiale, vt dictum est. Quod etiam addit vlterius, nisi productum esset compositum, &c. Dicendum, ꝙ verum est, nisi illud esset compositum saltem ex diuersis secundum intentionem, vel componibile alteri, vt diuerso à se secundum intentionem. hoc. n. sufficit. Vnde verum est, ꝙ non potest propriè saluari creatio, aut annihilatio, nisi talis differentia ponatur inter actuale, & suum potentiale.

Ad secun. principale.

Ad secundum ꝙ ponens essentiam esse idem cũ esse, ponit eam non posse intelligi sub non esse &c. Dicendum, ꝙ verum esset si poneret eam omninò idem, sic vt de proprietate ipsius essentiæ creatæ competeret ei esse, & esset idem cum ipso esse ẽt intentione, & differens ab illo sola ratione, sicut contingit in essentia diuina & suo esse. Nunc autẽ cum ponitur idem re, differens autem intentione, sic vt nõ de proprietate essentiæ creatæ cõpetat ei esse nec esse est idẽ cũ ipso omninò, sed differt intentione ab ipso, non est verum, vt patet ex dictis. Quod autem assumitur in argumento, ꝙ sensibile, quia est idem cum rationali in hominẽ, non potest in eodem intelligi sub irrationali: Dicendum, ꝙ verum est, vt sensibile est in homine contractũ per rationale secundum rem, & secundum intellectũ, quia sic non differt intentione, sed sola ratione à rationali. Si tamen consideretur secundum se, vt est differentia animalis, & se tenet ex parte generis, extra cuius intentionem non est rationale, propter quod tunc differt ab eo secundum intentionem, benè potest intelligi sensibile, quod est in homine sub opposito rationalis, licèt non vt in homine, vt dictum est supra. Et sic verum est, ꝙ ponens essentiam & esse idem re & intentione, non potest saluare creationem. benè tamẽ potest saluare eam ponendo illa esse eadem secundum rem, differentia verò secundum intentionem. Ex quo patet solutio confirmationis, quę posset induci ad roborãdum medium in dicto argumento, quæ talis est. Quæcunque sunt eadem numero re in eodem numero re, vnum eorum nõ potest intelligi, cum opposito alterius, quod patet per syllogismum expositorium talem, si b, puta sensibile in isto homine est a, puta rationale, & b, puta idem sensibile in eodem homine est c, puta irrationale, ergo c, est a, id est irrationale est rationale. quare si sensibile quod est in homine potest intelligi sub irrationali, ergo & irrationale potest intelligi sub rationali, & sic oppositum sub opposito, quod est impossibile. impossibile est ergo & primum. s. ꝙ sensibile in homine potest intelligi sub irrationali. Dicendum est enim, ꝙ cum dicit, quæcunque sunt eadẽ numero re &c. verum est si considerentur vt sunt in eodem re, & vt vnum contractum est per aliud secundum rem & intellectum, quia sic sensibile, vt est in homine cum rationali, sola ratione differt à rationali, vt dictum est. Idem tamen quod est in eodem numero, & re cum alio, & est idem numero re cum illo alio, si consideretur non vt est contractum per illud secundum intellectum, non est verum, quia sic sensibile, quod est in homine, & idem re cum illo, differt intentione à rationali. Vnde ad syllogismum expositorium dicendum, ꝙ sensibile in vtraque præmissarum potest considerari dupliciter.

Ad secun. probationem.

Ad dictũ Boetij.

Vno modo, vt est contractum in homine vel in hoc homine secundum rem & intellectum.

Alio modo non vt est contractum in homine, vel in hoc homine secundum intellectum.

Si primo modo, sic maior est vera, quia sensibile, vt in homine est contractum per rationale, aut in hoc homine per hoc rationale est idem cum rationali, aut cum hoc rationali, & re & intentione, differens solùm ab eo sola ratione. & sic est bona forma syllogismi expositorij talis. si hoc b, est a, & hoc b, est c, ergo c, est a, sed minor est falsa, quia hoc sensibile non compatitur secum irrationale, & hoc concessum est iam supra.

Si secundo modo, sic & maior & minor sunt veræ, quia sensibile in illis habet rationem communis,

nis, quod compatitur secum secũdum intellectum ilia opposita, quæ sunt rationale & irrationale. & sic non est bona forma syllogismi expositorij, in quo medius terminus debet esse idem numero signatum respectu vtriusque extremorum, nec sufficit, ꝙ sit idem commune, quia syllogismus expositorius non tenet, nisi per illam regulam. Quęcunque vni & eidem numero sunt eadem, inter se sunt eadem. Et quæ dicta sunt de sensibili respectu rationalis & irrationalis, intelligenda sunt consimiliter de essentia respectu esse & non esse.

Ad secundam probationem. Ad illud quod ille ad idem adducit iuxta hoc, ꝙ magis distant inter se esse, & non esse, quæ sunt opposita circa eandem essentiam, quàm differentiæ diuersæ, quæ sunt opposita circa idem genus, & q̃ forma, & priuatio, quæ sunt opposita circa eandem materiam, quare cum actualitas generis quæ est per differentiam quancunque, differt sic à potentialitate eius, ꝙ est omninò extra rationem eius apud intellectum, nec est idem cùm illa apud intellectum, & actualitas materiæ, quæ est forma sic differt ab eius potentialitate, ꝙ in re extra animam non est idem re cum illa: ergo nec actualitas essentiæ, quæ est esse, est idem re cum sua potentialitate, quæ fundatur in ipsa essentia: Dicendũ est secundum prædicta, ꝙ non est simile, nisi secũdum ipsum falsò ponentẽ, ꝙ esse natura est potentialitas subiectiuè de qua hẽt produci ipsum esse, vel in qua, sicut producitur dria in specie de potẽtialitate generis, & forma in composito de potentialitate materiæ, vel in materia. Secundum ponẽtes autem, ꝙ essentia non est potentialitas ad esse, nisi obiectiuè, non est simile, vt patet ex prædictis. Et propter illam similitudinem contingit, ꝙ etsi actus & potentiale necessariò differrẽte re, quod tamen non contingit omninò in genere, & differẽtia, non tamen oportet, ꝙ in proposito differãt re.

Ad dictũ Boetij. Ad illa, quæ idem induxit ad idẽ ex dictis Boetij de hebdo. improbando expositionem, quam illis dedi in alio Quolibet. dico per ordinem. Et primo ad primum, quod dicit Boetius: Diuersum est esse & id quod est, dico exponendo hoc secundum ꝙ in alio Quolibet. breuius tetigi, ꝙ secundum Cõment. cum dicitur: diuersum est esse, & id quod est, secundum Theologos quidem intelligitur per esse id quod est principium, id verò quod est, illud quod est ex principio, & sic nihil ad propositum. Sed ꝙ non sic debet exponi probat ille per hoc qđ immediatè sequitur. Ipsum verò esse nondum est, quod nullo modo potest conuenire esse principij, quod Deus est, quia illud semper est. Et est respõdendum per hoc quod dicit ibi Commenta. Non ait (inquit) non est, sed nondum est, quod sic intelligo, licèt esse principij semper sit: tamen nondum est, s. in eo quod est participatum ab eo. in se enim est ab æterno, participatio autem ex tẽpore. Aliam verò expositionem addit Commenta. dicẽs. Diuersum est esse. i. subsistentia, quę est in subsistẽte, & id quod est. i. subsistens, vt corporeitas & corpus, humanitas & homo. Ipsum verò esse nõdum est, eo quòd nou qualiter attenditur est, etsi enim abstractum: est tamen in abstracto. Ecce licèt abstractum, & concretum etiam in substantijs non differant re, sed tantùm consideratione, tamen de diuersitate illorum benè exponitur illud, Diuersum est esse, & id quod est. Consimiliter si illud velimus exponere de esse creaturæ, quod acquiritur per creationem, & ipsa essentia cui acquiritur, non obstante quòd idem sunt re, cum tamen differant ratione, vel potius intentione, benè dicitur de ipsis, quòd diuersum est esse, & id quod est, intelligẽdo per quod est essentiam, & per esse existentiam eius in effectu, quæ per creationem ei acquiritur, vt patet ex supradictis. Cui concordat dñs Albertus in libro suo de causis. 3. cap. 2. vbi hanc propositionem exponit dicens sic. In eo quod est, secundum aliud est esse, & quod est, sed nec per esse, nec per id quod est aliquo modo cadit in diuisionem, quæ diuisio fit per essentiarum multitudinem, vel diuersitatem. in quam tamen diuisionem necessariò caderet, si in creatura existente, quæ est secundum post primũ, essent re diuersa esse & essentia. Quod autem sequitur. At verò quod est accepta forma essendi est, atque consistit. exponit Commenta. de generatione compositi dicens. At verò id quod est in se forma essendi, quam abstractam intellectus concepit. Accepta quæ acceptio dicitur generatio. Est atque consistit. vt corpus eò ꝙ corporalitatem habet, est, & homo eo quòd humanitatem. Sed ex hoc nullam possumus ponere diuersitatem realem inter corpus & corporeitatẽ, hominem & humanitatem, sicut enim homo est animal ratione, sic humanitas est animalitas rationalitas. Consimiliter si velimus exponere de essentia creata, & forma essendi, quam accipit per creationem dicto modo, nullo modo ex hoc potest argui diuersitas ipsorum realis. Et iuxta hunc modũ possunt exponi alia sequentia, & præcipuè illud quod ille assumpsit. Omni composito aliud est esse, aliud ipsum quod est. vbi dicit Comment. Quoniam alio est, alio aliquid est, etsi non ex diuersis compositum est. i. secundum rem. Omni composito. i. omni subsistenti, aliud est esse. quid. s. est. Ipsum verò est aliud alio quodam. quo. s. aliquid est. & quomodo hoc, patet ex prædictis.

Ad tertium principale. Ad tertium, quòd in omni transmutatione alia subiectum differt secundum rem ab vtroque termino, quare & in creatione, vbi secundum subiectum est esse natura, termini verò esse, & non esse: Dicendum, ꝙ verum est de eo, quod est subiectum tantùm, & non terminus, sed aliquid per transmutationem acquisitum in subiecto, sicut cõtingit de materia in generatione, & corruptione formarũ, in quibus nõ esset generatio si materia subiecta esset eadem re cum altero terminorum. De eo verò qđ non tàm est subiectum transmutationis, quàm per so terminus, non est verum, vt cõtingit in proposito, & in generatione, quæ fit per informationẽ

secun-

ſecundum diuerſa eſſe in eadem forma ſecundum rem, vt dictum eſt ſupra de eſſe viuere, & ſentire. Et ideò in iſtis ſuſtinetur vera creatio, licèt ſubiectum ſit idem re cum altero terminorum.

Et ſic docet creatio ſcire eſſentiam creaturæ, qua aliquid eſt, licèt non differentem ab eſſe, quod acquiritur per creationem, ſicut generatio facit ſcire materiam differẽtem re à forma. Et eſt falſum, quod ille aſſumit, quòd ſicut materia eſt in potentia ad formam, & eius priuationem ſecundum rem, ſic eſſentia ad eſſe & non eſſe: hæc enim falſa imaginatio eſt, vt habitũ eſt ſupra. Eſt tamẽ quodãmodo ſimile de potentia generis ad formas contrarias ſecundum conſiderationem intellectus, & eſſentiæ ad eſſe & non eſſe, quia differentia ſola intentione differt à forma generis, non ſecundum rem; & eſſentia, qua creatura eſt quod eſt, ſimiliter ſola intentione ſecundum prædicta differt ab eſſe quo eſt. Et eſt ipſum quod eſt, extra rationem ipſius quo eſt, ſicut differentia extra rationem generis. Non dico extra rem generis, ſed extra rationem conſiderationis, quia intellectus capiẽdo formam, vt indeterminatam, capit ipſam ſub ratione generis, non capiendo rationem determinationis, quam apponit differentia, & è conuerſo, & ita vtrunque eſt extra rationem vtriuſque. Et ſimiliter eſt de eſſe, quo res eſt, & de eſſentia, qua eſt aliquid. Quomodo autem eſſentia creata eſt ſubiectum, & terminus trãſmutationis, quæ eſt creatio, expoſuimus in quæſtione de potentia generãdi paſſiuè vtrum ſit in filio, ex qua aliquid breuiter extrahendo dico, quòd licèt in generatione, & corruptione naturali formarum circa materiam in eodem inſtanti ſecundum rem forma vna cum priuatione alterius abijcitur, & tranſmutatio fit in materia, per quam alia inducitur: iſtud tamen inſtãs diſtinguitur in tria ſigna ſecundum rõnem. Quia enim naturaliter prius fit formę prioris abiectio, q̃ alterius inductio, illa abiectio fit in priore ſigno, & ſimiliter quia naturaliter prior eſt tranſmutatio materiæ, quę fit in materia propinqua ad formam inducendam, & eſt ſub illa medium inter ens & non ens, ſ. inter non eſſe formæ præcedentis, & eſſe formæ ſubſequentis, illa tranſmutatio fit in medio ſigno, & ipſa formæ inductio ī tertio ſigno. Sic dico, ꝙ in creatione in eodem inſtanti ſecundum rem non eſſe ab eſſentia rei creatæ abijcitur, & tranſmutatio fit, per quam in eſſe producitur. Sed iſtud inſtans ſecũdum rationem diſtinguitur in tria ſigna: quia enim naturaliter prior eſt non eſſe abiectio, q̃ ipſius eſſe per creationem acquiſitio, illa abiectio fit in priore ſigno. Similiter quia naturaliter eſſentia prius eſt medium inter eſſe & non eſſe ſecundum rationis conſiderationem, quã poſt non eſſe recipiat eſſe, & vt eſt mediũ propriè eſt ſubiectum tranſmutationis in potentia propinqua: ideò creatio, vt eſt tranſmutatio, quæ diſponit ad acquiſitionem, eſt in ſigno medio, & ipſius eſſe acquiſitio eſt in ſigno vltimo. Et in hoc ſigno eſſentia non eſt ſignum, ſed terminus creationis, quemadmodum neque materia, vt eſt actu ſub forma generati, eſt ſubiectum tranſmutationis, quæ eſt generatio, ſed potius eſt terminus eius, vt aliquid generati. Et ſic eſſentia creaturæ, vt eſt medium inter eſſe & non eſſe propriè eſt ens in potẽtia propinqua, & ſubiectum tranſmutationis, quę eſt creatio. Vt verò eſt ſecundum actum ſub eſſe acquiſito, eſt terminus creationis, vt aliquid creati, quod ratione acquiſiti in illo per creationem habet non eſſe aliquid, ſed eſſe tantùm, & non eſt illud eſſe exiſtentiæ aliquid de eſſentia creaturæ, vt creatura eſt, ſed accidit ei. Et idcirco ex tali eſſe & eſſentia, vt ex quo eſt, & quod eſt, componitur vnũ per accidens: cum tamen ipſa eſſentia componatur ex eſſe exiſtẽtiæ, & re ſui generis, vt ex quo eſt & quod eſt, ſicut vnum per ſe compoſitum eſt ex quo eſt. ſ. ex eſſe, & quod eſt. ſ. ex eo, quod aliquid eſt, non tanquã ex diuerſis rebus, ſed tanq̃ ex diuerſis intentionibus quoquo modo, vt habitum eſt ſupra. Vnde ipſa eſſentia ſimpliciter, quę vt eſt indifferens ad eſſe exiſtentiæ, & non eſſe, eſt ſubiectũ creationis, vt eſt aliquid creati, terminus eius eſt, & nullum eſt inconueniens, ꝙ ſic ſecundum diuerſum genus cauſæ idem eſt prius & poſterius ſeipſo, & cauſa, atque cauſatum ſuiipſius. i. ſubiectũ, ſiue materia, & finis, vt ſecundũ hoc quoquo modo materia & finis coincidant in idem. Et quod magis mirandum eſt, id cui conuenit eſſe materiale, quod eſt reſpectu eſſentiæ, & eſſe, determinat ipſum eſſe ſicut materia determinat formam, & vlterius determinatur per ſibi addita. ſ. per differentias, vt materia, ſiue materiale per formas. Idcirco enim verum eſt in Metaphyſicalibus, ꝙ genus ſumitur à materia: differentia verò à forma, non à forma, quæ eſt eſſe: ab hac enim nec ratio generis, nec ratio differentiæ ſumitur, ſed à forma, quę determinat id cui conuenit eſſe: reſpectu enim eſſe omnes differentiæ in genere materialia ſunt, & ſe tenent ex parte eius, quod eſt. Vnde eſſe exiſtentiæ eſt primũ formale in rebus, & ipſum quod eſt res. Ipſum autem quod eſt communiſſimè acceptum, quod eſt proprium cuique generi, formam generis generaliſſimi importat, hoc eſt materiale quoddam ſub eſſe, per quod eſſe, ipſum quod eſt habet ꝙ ſit eſſentia: aliter enim eſſet, ſicut figmẽtum, licèt extra intellectum eſſe naturæ & eius qđ eſt ipſum quod eſt, ſit ipſum eſſe, & per conſequẽs extra omne quod eſt aliquid in genere ſub ipſo generaliſſimo, quod per differentias deſcendit in ſpecies ſubalternas & ſpecialiſſimas. Ex quo planè patet defectus dicentis, ꝙ creatio paſſiua formaliter idem eſt quod eſſe exiſtentiæ rei creatæ: immò ſecundum rem, & naturam differt ab ipſo, ſicut & ab ipſa eſſentia.

Ad id quod arguit probando, ꝙ creatio paſſiua ſit idem quod eſſe exiſtẽtiæ acquiſitum p creationem, vt concludit eſſe non poſſe idem eſſe cum eſſentia, poſtquàm manifeſtum eſt, ꝙ creatio paſ-

siua non possit esse idem re cum ipsa essentia: primò ex comparatione eius ad essentiam, quia est eius perfectio, vt naturæ recipientis, cuius perfectio est esse: ergo creatio & esse idem. Dicendum, quòd non valet, quoniam creatio secundum quod est transmutatio quędam, est perfectio essentię secundum quod est in potentia ad esse, & vt in potentia est, & media inter esse & nõ esse, sicut trãsmutatio generationis est actus & perfectio materiæ, vt est media inter formam, & formã, & in potentia inquantum est in potentia, quia est actus imperfecti secundum quod imperfectum. Esse autẽ existentiæ est perfectio essentię inquantum est terminus huiusmodi transmutationis, quemadmodũ forma est perfectio & actus materiæ. Vnde nõ magis sunt idem re creatio, & esse, quàm generatio & forma. Licèt enim motus nõ sit nisi acquisitio partis post partem eius, quod acquiritur per motum; non tamen pars motus est pars illa, quę acquiritur secundum rem, nec vniuersaliter mutatio est id qđ acquiritur per mutationẽ. Vnde licèt ambo. s. creatio & esse, sint actus essentiæ, si esse existentiæ est aliud re absoluta ab essentia, non oportet ꝙ sint idem re, quia secundum aliam & aliam rationem essentiæ sunt actus eius, sicut neque qualitas, & quantitas sunt idem, licèt sint actus eiusdem, quia diuersimodè sunt actus eius. Vnde conseruatio & esse, quia non sunt circa penitus idem, quia cõseruatio nõ est actus nisi compositi ex essentia & esse: esse verò est actus solius essentiæ: idcirco conseruatio, & esse non sunt omninò idem, neque fortè etiam creatio & conseruatio, licèt sit idem esse creatum & conseruatum, vt propter hoc non eadem relatione referatur creatura ad creatorem, & secundum actum creationis, & secundum actũ conseruationis.

Quod verò ad idem arguit secundò ex comparatione creationis ad motum penes conuenientiã, quia licèt motus ipse non est motus vt subiecti, aut termini: tamen motus est idem in re cum eo, cuius est motus, vt albatio cum albedine: ergo & ipsa creatio cum esse, quod est terminus eius. Dicẽdũ, quòd non est verũ, quod supponit de motu secundum iam dicta, quia motus nunquàm est circa idẽ re, vt circa subiectum, & circa terminum, quia quod producitur per motum producitur ex ipso subiecto motus: ipsum autem subiectum supponitur: quod verò producitur vt terminus per creationem est ipsum subiectum eius: & ideò sicut idẽ re est subiectum creationis & terminus, sic idem re est ipsum subiectum creationis & acquisitũ per ipsam, vt esse existentiæ, qualẽcunque differẽtiam habeant ambo ad creationem passiuam.

Quòd verò ad idem arguit tertiò ex comparatione creationis ad motum penes differentiam, quia motus est actus existentis in potentia, & imperfecti secundum quod huiusmodi, & respicit essentialius potentiam: creatio verò est actus existentis in actu & perfecti per esse, & essentialius respicit actum, quàm potentiam: actus autem existentis in actu secundum quod huiusmodi non est nisi esse: ergo &c.

Dicendum secundum iam dicta, quòd hoc planè falsum est: creatio enim non est actus, nisi essentiæ, vt est in potentia ad esse, & media inter esse & non esse, sicut generatio est actus materiæ, vt est in potentia, & media inter formam & formam, siue inter formam & eius priuationem. Vnde tàm generatio, quàm creatio vtrunque respicit vt subiectum essentialius potẽtiam, sed actum essentialius vt terminum respiciunt, quàm potentiam. Quod autem arguit vlterius, quòd ponens esse & essentiam esse idem re non potest saluare multa, quæ necessariò oportet concedere in entibus. Quorum primum est, quòd potentia non posset intelligi nõ esse, super quod fundata est secunda ratio ad principale, & patet ex responsione præposita ad illã, quòd hoc falsum est. Secundum est, quòd essentia creaturæ, aut eius esse non sit aliquid diminutum, & incompletum, quia secundum hoc non est ponere, quòd sit in esse & essentia aliqua participatio, siue participans & participatum, vt supra inductum est. Dicendum, quòd falsum est: immò benè cõtingit ponere participationem secundum esse in essentia creaturæ secundum prædicta, etsi non ratione alicuius ei inhærentis.

Quòd autem adducit ad illius probationem, quòd idem seipso non participat, nec est possibile respectu suiipsius, sine quo non est participatio. Dicẽdum, quòd duplex est participatio in creaturis, vna qua creatura participat esse vt sit, alia qua participat aliquo alio, vt aliquid sit, secundum qđ dicit illa regula Boetij de hebdo. Omne quod est participat eo, quod est esse, vt sit; alio verò participat vt aliquid sit. Ac per hoc id, quod est participat esse vt sit; est verò vt participat alio Quolibet. Esse autem vt sit potest res intelligi participare secundum duos modos supra expositos. Vel in sua essentia vt ipsa essentia sit quædam participatio, & diuinum esse sit ipsum participatum non in seipso, sed in sua similitudine, quæ est ipsa rei essentia, & est verus modus participandi esse, & non sic participat idem seipso, sed creatura participat creatore. Hinc Boetius. 1. de Trinit. cap. 3. Ex ijs formis, quæ præter materiam sunt, istæ formæ veniunt, quæ sunt in materia & corpus efficiunt. Nam formis, quæ in corporibus sunt abutimur formas vocantes dum imagines sunt; assimilantur enim formis ijs, quæ non in materia. s. ideis in Deo. Sed idem secundum rem est potentiale respectu suiipsius secundum aliã intentionem, quod non est inconueniens. Sic enim genus est in potentia ad differentias, & esse ad viuere, vt habitum est supra. Vel potest intelligi participatio ipsius esse in re alia ab ipsa essentia participante, vt res illa sit quædam participatio in ipsa essentia, & est falsa imaginatio, & coincidit quodammodo in secundum membrum principalis diuisionis, qua aliquid

quid dicitur participare alio à seipso, quod recipit in se, secundum quod dicit 4. regula Boetij. Id qđ est, habere aliquid prętereq̃ quòd ipsum est, potest. Quem tamen modum secundum Boetius omninò remouet à modo, quo participatur esse, cum dicit in 3. regula. Fit enim participatio cũ aliquid iã est. Vnde participatio esse omninò est alia à modo, quo participatur, inhærens participanti, vt res alia ab ipso.

Et nota, quòd aliquid esse æquiuocatur in ista regula, & cum superius diximus, quòd res alio est, vt quadam diuina participatione, alio aliquid est, vt eo, quod est sui generis. Hic enim dicitur res aliquid esse non nisi secũdum accidens sibi inhærens, vt corpus albedine; ibi verò dicitur res aliquid esse eò, quòd est sui generis determinante ipsum esse. Respectu autem modi, quo dicitur res aliquid esse per accidens sibi inhærens, dicitur res esse sua essentia, & eo quod est sui generis. Et secundum hoc Commenta. exponit illam secundam regulam. Diuersum est esse, & quod est, dicens; Secundum Philosophos esse subsistentium dicuntur solæ quæ prædicantur substantiæ, quæ sunt ea tantùm, quæ alia in se habendo subsistunt.

Ad tertiũ in cont. Tertium, quòd inducit est, quòd non esset ens per accidens, si esse esset idem cum essentia. Dicendum, quòd verum est si sic esset idem cum illa, quòd nõ esset aliquo modo participatio eius, sic enim in solo Deo idem sunt esse & essentia; & ideò in ipsum nullum per accidens cadit. Nunc autem non sic est idem quin differat intentione, & est in essentia, vt quædam participatio eius, vt dictum est. Ille autem intelligit, quòd nulla est participatio nisi habendo in se aliquid differens secũdum rem, cuius plenitudinem in se non habet, vt homo iustitia vel albedine dicitur participare, quia non omnem plenitudinem secundum rationem iustitiæ, aut albedinis in se habet: sic enim nõ habet iustitiam nisi qui est per essentiam ipsa iustitia, nec albedinem nisi qui est per essentiam ipsa albedo.

Ad quartum. Quartum est, quòd tunc in entibus non esset genus, quia non est genus nisi potentiale quid præter rationem actualis, quod non posset esse si potentiale, & actuale in se essent idem. Quod non valet: ponendo enim quòd sint idem re, differentia autem intentione benè saluatur genus, quia genus non est potentiale, nisi respectu differentiarũ quæ dant ei actuale suum, quod non differt à genere, sed sola intentione.

Ad quintum. Quintũ est, quòd tunc non esset distinctio prędicamentorum secundum analogiam sub ente. Dicendum, quòd ille supponit, quòd non potest esse analogia in participando esse, nisi sit vnũ numero in eodem, quod per se conuenit substantiæ, & non alijs, nisi quia sunt in substantia. Et est falsum, quòd non est nisi vnum & idem esse in eodem, vt patebit in sequenti quæstione. Falsum etiam est, quòd aliter non possent substantia & accidens analogiam habere in esse. Immò esse substantiæ existente alio ab esse accidentis, sicut & essentia substantiæ est alia ab essentia accidentis, & è conuerso, esse est quid commune analogum abstractum ab ipsis, inquantum substantia verius participat esse diuinum, verius existendo diuina similitudo, quàm sit accidens. Vnde esse analogũ ad substantiã non est aliquid idem singularitate, sed solum communitate quadam superiore, quàm sit communitas generis, quia continet sub se decẽ genera, & diuersificatur secundum diuersitatem rerum propriarum ipsis. Vnde Philosophi ascribentes esse naturæ rerum, & non diuinę participationi, cui ipsum attribuunt Theologi, dicunt, ꝙ eodem quo res dicuntur esse, dicuntur aliquid esse, & inde est quod hoc verbum est dicunt æquiuocè prædicari de omnibus, vt dicit Commentat. super illud. Diuersum est esse, & quod est.

Ad sextũ. Sextum, quòd non esset mutatio in rebus, quia non est mutatio nisi diuersum fit actuale à potentiali. Dicendum, quòd verum est diuersitate reali circa illud, quod est potentiale subiectiuè tantùm respectu sui actualis, quod producitur de illo per veram generationem. Sed circa illud quod est potẽtiale obiectiuè, quale est essentia respectu esse, & de potentiali, de quo producitur actuale suum per solam intentionem, sicut de esse viuere, sufficit ad mutationem à potentiali ad actuale sola diuersitas secundum rationem inter illa, vt patet ex supra determinatis.

Comment. in Quæstionem Septimam, quæ est,

Vtrum ponens essentiam creaturæ esse idem cum suo esse possit saluare creationem.

IN hac quæstione oportet notare, vt intelligatur, ꝙ vtrum essentia & esse sint idem, vel differant, pertractatum est in nona quæstione primi Quodlib. ad quam in præsentia reportat se auctor, concluſum est autem ibi, ꝙ creatura est aliqualiter suum esse, ꝙ est concludere essentiam creaturæ, & esse creaturæ idem esse: sunt autem idem realiter, & differũt ratione, & intẽtione, & hæc quidẽ quæstio agitatur iterum, quoniam sit suppositum præsentis, vbi sciendum, ꝙ Auctor illam identitatem confitetur, & sustinet, & creationem. Quidam verò contra tenentes creationem, quemadmodum etiam de fide tenenda est, negant identitatẽ realem essentiæ & esse in creatura, quia ipsa posita, non vident quomodo detur creatio. Ideò argumentantur contra iterum hanc identitatem, conantes eam destruere.

In corpore igitur quæstionis huius hæc facit Auctor. Primò ponit opinionem tenentium distinctionem realem inter essentiam & esse, cum suis rationibus. ibi. Dicunt aliqui &c. Secũdò exponit quomodo se habeat essentia ad esse. ibi. Hic oportet

tet videre &c. Tertiò contra hoc ponit argumenta tria aduersariorum. ibi. Sed arguit &c. Quartò respondet ad hæc proxima argumenta. ibi. Dicendum, quòd aliquid. Quintò repetit rationes, quibus alias probauit identitatem essentiæ, & eas conformat, atque declarat, satisfaciendo dictionibus aliorum, & responsiones impugnando. ibi. Quod autem super essentiam &c. Sexto respondet quæsito principali, & particulari huius quæstionis. ibi. Dicendum, ꝙ ponens &c. Septimò satisfaciendo contrarijs rationibus in fronte quæstionis adductis; satisfacit etiam rationibus pro aduersarijs in prima parte quæstionis habitis. ibi. Ad dicta autem eius, &c.

Cum autem tot habeat Auctor in hac quæstione, solùm attinentia ad sextam consideranda sunt à nobis, vt proponatur eius de more conclusio, & eius intelligentia, cæteris lectori prudenti dimissis.

Quò igitur ad sextum patet, quòd est verum, & reale corpus quæstionis; habita distinctione bimembri, duplici conclusione satisfacit quæsito.

Distinctio est. Essentiam esse idem cum suo esse, aut intelligitur, ꝙ sit idem proprietate illa, qua est essentia, absque omni extrinsecus participatione, ita vt de re, cuius est essentia, suæ essentiæ proprietate sola dicatur est, siue esse, vel intelligitur, quod est idem proprietate sua, non qua est absolutè esse natura, sed quam habet, quadam extrinsecus participatione, ita vt de re, cuius est essentia tali proprietate essentiæ dicatur est, vel esse.

Prima conclusio. Ponens essentiam primo modo esse idem &c. non potest saluare creationem.

Secunda conclusio. Ponens essentiam secundo modo esse idem, potest saluare creationem.

Prima patet, quoniam essentia, quæ est idem cum suo esse, primo modo, & essentia diuina. Solus enim Deus est suum esse primo illo modo. Iam verò Deus nullo pacto subest creationi, igitur si ergo creatura taliter esse suum esse, profectò creatura non esset, sed Deus, quod implicat contradictionem.

Secunda conclusio declaratur, manifestando quomodo accipi debeant esse & essentia, vt ad se referuntur, & ordinem habent. Nam non est accipiendum, ꝙ essentia se habeat veluti materia: esse verò tanquam forma quasi educatur de potentia essentiæ ipsum esse, sicuti forma de potentia materiæ; sic enim accepto esse, & essentiam esse realiter idem, sicut vnum non habet esse per creationem, ita nec alterum. Nam si esse educitur de potentia materiæ, ergo non creatur, sed potius dicitur generari, & si hoc esse, quod non creatur. idem sit realiter cum essentia, hæc ipsa creabitur, atq; sic nulla dabitur creatio, posita identitate reali esse, & essentiæ.

Not. autem hic diligenter, ꝙ in hoc tota videtur posita difficultas. Et quidem qui taliter accipiunt esse & essentiam, coguntur dicere, ꝙ realiter distinguuntur esse & essentia, sed possunt ponere creationem ex parte vtriusque, s. essentiæ, & esse, sed ponere tantum ex parte essentiæ, vt nempè velint essentiam creari: esse verò generari, sicuti forma de materia. Rectius autem Auctor creationem dat vtrique, tùm esse, cum essentiæ, generationem tribuens esse particulari, & specifico, non vniuersali, & quasi generico. Idcirco aliter accipit esse & essentiam. Quippè essentiam accipit tanquam quid particeps diuinæ essentiæ, & esse pariter creaturæ tanquam quid particeps diuini esse, ita tamen, vt per essentiam creaturæ intelligamus aliquid potentiale obiectum, vt terminum actionis de nihilo productum. Ipsum verò esse intelligamus eandem essentiam, vt est actuale obiectum, & terminus actionis de nihilo ipsum producentis sicut similitudinem suam, vt ipsa essentia in quantum est similitudo producta, sit esse quoddam participatum ratione huius similitudinis deficientis ab ipso diuino esse, quo in tali esse participat, nec totalitatem, nec partem veritatis eius. Sed solùmmodo similitudinem, atque imitationem eius in se continendo, non quòd esse sit aliquid acquisitum, aut receptum in ipsa essentia, vt in subiecto. Et sic vtrunque creatur, quia essentia est terminus creationis, tametsi potentialis: esse verò terminus actualis. vnde idem prorsus est, quod tùm sub potentia est, cum etiam sub actu, quia idemmet terminus potentialis creationis efficitur terminus actualis eiusdem creationis, & sic vtrunque creatur. Quo fit, vt potẽtia hoc loco non sit accipienda tanquam materia, & actus tanquam forma, sicut accipit alia opinio, vtrum potius esse & essentia veluti forma eadem accipienda est, non quòd sit præcisè forma, sed ita vt sit similitudo inter esse & essentiam, quæ est inter formam & formam eandem numero, existentem potentia, & in actu, ꝙ illamet, quæ erat in potentia, est in actu, etsi deficiat hoc exemplum in aliquibus, in hoc tamen quadrat, quatenus est idem terminus potentialis, & actualis generationis, sicut esse, & essentia creationis, essentia terminus potentialis, esse verò terminus actualis. Ab hoc autem esse proueniunt particularia esse existentiæ, quæ propriè non creantur, sed generantur, vt hominis esse essentiæ est per creationem; vita verò, quæ est esse aliquod illius, rationalitas, animalitas, & huiusmodi sunt consequentia ad esse illius creationis, & hæc videntur potius esse termini cuiusdam generationis, quatenus scilicet fluunt ab esse habito per creationem. Iuxta capacitatem nanque subiecti esse creati fluunt ab ipso diuersa esse Et hoc in longum manifestat Auctor. Hæc autem super hac quæstione posse sufficere iudicamus, vt intelligatur: cætera relinquentes diligenti lectori, maximè quando circa suppositum abundantius verba fecerimus in primo Quolib. quæst. nona.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrùm accidentis existentis in subiecto sit aliud esse existentiæ, quàm sit esse existentiæ sui subiecti.

CIRCA secundum arguitur, ꝙ accidentis existentis in subiecto non sit aliud esse existentię, quã esse existentiæ sui subiecti. Primò sic. 7. Metaphysic. dicit Philosophus, ꝙ accidens nõ est ens nisi quia est entis, quare eadem ratione nõ est existens, nisi quia est existentis: hoc autem non sic esset nisi idem esse essentiæ esset accidentis, & non aliud, quàm subiecti. ergo &c,

Secundò sic: si essent eorum plura esse cum se habent per ordinem essentialiter, vnum esse eorũ esset perfectius altero, & sic vnum eorũ esset participatio alterius, siue participaret altero. consequens falsum est, quia esse est summa actualitas, quæ nullo potest participare secundum illam tertiam regulam de hebdo. Quod est, participare aliquo potest, sed ipsum esse nullo modo aliquo participat: fit enim participatio cum aliquid iam est: est autem aliquid cũ iam esse susceperit. ergo &c.

Tertiò sic. 7. Topico. dicitur. Vnius rei tantum vnicum est esse: cum ergo substantia quotcunque in se habeat accidentia vnica est. ergo &c.

Quartò sic. Boetius de vnitate & vno dicit; Omne quod est ideo est, quia vnum numero est, & ex separatione res destruitur, in suo esse non nisi vnitione conseruatur; quare cum accidentis & subiecti non sit nisi vnitio vna, sicut materiæ & formæ:

formæ, vnum ergo tantùm est esse accidentis, & subiecti, quemadmodùm & compositi ex materia & forma.

In oppositum. Contra. si accidens non haberet aliud esse existentiæ q̃ subiecti, tunc transubstantiatione panis facta in corpus Christi, non maneret sine subiecto, quia non maneret nisi habendo aliquod esse existentiæ. consequens falsum est, quia maneret existendo sine subiecto, falsum est ergo & antecedēs, subdens ꝙ non habet aliud esse existentiæ ab esse sui subiecti, immò habet esse existentiæ proprium sibi.

Opin. quorundam. Probatio prima. Dicunt aliqui ꝙ vnius rei vnicum est esse existentiæ quotquot formæ fuerint in eo, siue substantiales, siue accidentales, & ꝙ ipsa substantia, siue fuerit forma, siue compositum ex materia & forma, subsistit ipsi esse, & ipsum esse est illud in quo subsistit, & accidentia subsistunt, & existunt, quia sunt in existente. & hoc totum est per vnum esse existentiæ, quemadmodum materia extensa est, quia subijcitur extensioni, quantitas extensa est, quia est essentialiter ipsa extensio, qua materia extensa est, alia verò accidentia, & formæ quædam substantiales sunt extēsæ, quia sunt in extenso. hoc tamen non nisi vna extensione formali, quæ est quantitas. Et ideò (vt dicunt) quæ diuersimodè participant esse existentiæ, diuersimodè habēt existere, sicut & quæ diuersimodè participant esse essentiæ, diuersimodè dicuntur entia. Vnde substantia existit, quia ei formaliter cōpetit existere, quantitas existit, quia est mensura existentis, qualitas existit, quia est modus quidam existentis secundū se: relatio existit, quia est modus existentis in ordine ad aliud, & similiter intelligendum est de esse. Et per hoc, vt dictum est supra, dicunt saluari analogiam in ente super x. prædicamenta, & aliter non. Vnde vt dicunt, & secundum ꝙ habetur in superius nominata quęstione de gradu formarū, si plures formæ substantiales secundum rem differētes, ponantur in eodem, vt supra dictum est in homine, illud non habet nisi vnum actum existendi per vltimam formam. homo enim aut corpus humanum non habet actum existendi nisi per animā rationalem. Quando enim nobilitatur corpus ab anima secundum organizationem & harmoniā, corporeitas illa substantialis, quæ dabat esse desinit dare esse, & anima quiditati corporis communicat suum esse, ī quo manet virtute esse quod dabat præcedens forma, & hoc quemadmodum cum in vna forma secundum rem sunt gradus intentionum, quæ dant diuersa esse, differentia secundum completum & incompletum, vt dictum est supra de esse vita, animatione, sensu, & rationalitate, in quibus imperfectior intentio non est principium existendi completiuè, sed inchoatiuè, & dispositiuè tantùm, sed sola intentio vltimæ differentiæ in forma dat esse existentiæ perfectum & completum, in quo virtute manent omnia esse incompleta præcedentia, quæ se tenebant ex parte generis, & desinunt illæ intentiones dare esse sub ratione incompleti. Nec est aliquo modo intelligendum, ꝙ in aliquo talium, siue habeat plures formas re differentes siue intentione sola, ꝙ in eodem sit ponere plura esse differentia secundum rem, vnum completum, & aliud incompletum. Si enim vt dicunt sint duo esse existentiæ, & duo existentes. Vnde & in Christo dicunt non haberi esse existentiæ ab anima vt in nobis, sed ꝙ esse existentiæ personæ diuinæ habuit compositum ex corpore & anima, & anima atque corpus per animā, ꝙ si in Christo esset duplex esse existentiæ, vnum increatum & aliud creatum, esset in ipso duplex suppositum. Vnde dicit scriptor in dicta quæstione. Non pono formam esse principium essendi semper; oportet enim ꝙ ponamus in Christo naturam humanam sine suo esse, aliàs enim essent duæ existentiæ, & duo existentes, & duo suppositа, quod est impossibile.

Quarta.

Resoluta. Hic videtur mihi primò esse considerandа differentia inter esse essentiæ, & esse existentiæ, quorum vtrunque est, quo essentia est, & inter essentiam, & id quod ipsa est. Est autem id quod essentia est in vnaquaque re communiter loquendo id quod ei conuenit ratione naturæ suæ secūdum se. Esse verò est in ipsa essentia participatio quædam diuini esse, quia ipsa essentia in seipsa est quædam similitudo diuini esse, atque diuinæ essentiæ, non autem in aliquo superaddito ei, nisi quo ad respectum, quem importat huiusmodi similitudo. Est autem ista participatio diuini esse in essentia, esse essentiæ, inquantum essentia illa exemplatum est diuini esse secundum rationem causæ formalis, quia per ipsum esse essentię, vt per actum sibi proprium essentialem habet id quod res est ex ratione sui generis, ꝙ sit ens, & natura, & essentia propriè dicta, non solùm figmentum, vt dictum est supra. Et componitur omnis essentia creaturæ ex illo, quod est secundum se, & ex illo esse, sicut ex materiali & formali, siue ex quod est, & quo est, & dicitur compositum huiusmodi ens. Et istud esse abstractum per intellectum ab illo quod est aliquid de genere substantiæ, quantitatis, qualitatis, & aliorum, est esse analogicè participatum à rebus x. prædicamentorum. Similiter abstractum ab ente, quod est substantia, & qualitas & huiusmodi, est ens qđ analogicè prædicatur de x. prædicamentis. Est verò dicta participatio diuini esse in essentia; esse existentię, inquantum est similitudo producta à diuino esse secūdum rationem causæ efficientis, quia per ipsum, vt per actum suum accidentalem inquantum essentię, & ratione eius quod est, & ratione eius quo est, accidit esse productū, quod esse existentiæ abstractum ab essentijs x. prædicamentorum analogicè participatur ab eis, & consimili analogia existens prædicatur de rebus x. prædicamentorum existentibus. Sed esse essentiæ inquantum per essentiam entia sunt apud intellectum, est esse diminutum, esse verò existentiæ verum & perfectum.

Secunda. *Tertia.* *Responsio.*

fectum non habet nisi extra intellectum in rerum natura. Et utrunque horum esse, tàm essentię, quàm uerę existentię, duplex est. Quoddam enim est esse, tàm essentię, quàm existentię simpliciter dictum, quale esse habent materia & forma, siue substantialis, siue accidentalis in composito. Quoddam uerò est esse tàm essentię, quàm existentię, quod dicitur subsistentię, quod est suppositi, & rei in se subsistentis. Præter autem istum modum vltimum, scilicet subsistentiæ, quo ad alteram eius partem, quæ est esse subsistentiæ in existentia, omnes alij modi subsistendi comprehendi possunt sub esse essentię, secundum ꝙ in alijs quęstionibus usi sumus ipso esse essentiæ, appellando scilicet esse essentiæ omne esse, quod conuenit rei absque eo ꝙ in se subsistat habendo in se esse perfectum subsistentiæ actualis extra animam. Suppositum enim quod non habet esse existentiæ, nisi in comprehensione intellectus, forma etiam, & materia, licet in composito ex eis, quod subsistit in perfecta subsistentia actuali extra animam, habent existentiam naturæ & essentiæ suæ, qua sunt in existentia id quod sunt. Similiter compositum ex materia & forma, ſ. ex corpore, & anima in Christo, licèt subsistat in suppositо diuino perfecta subsistentia actuali extra animam, sic ꝙ illud compositum extra animam habeat existentiam naturæ suæ, & essentiæ qua est in existentia id qđ est, plenam tamen actualitatem existentiæ non habent ex se, quia non habent eam nisi vt partes in toto, & pars inquantum in toto habet esse, potẽtiale quid est, & imperfectum. Per hoc enim ꝙ in creaturis separatè, & distinctè à quolibet alio in se existit, perfectionem actualitatis habet, quæ dicitur esse subsistentiæ in existentia extra intellectum.

Quæria.

Resoluit.

Responsio.

Ad quæstionem igitur descendendo dico, ꝙ si loquamur de esse essentiæ simpliciter dicto, & similiter de esse existentiæ, cum essentiæ quæcunq; non est proprie essentia, sine suo proprio esse essentiæ, quod est proprius actus eius quo essentia dicitur, similiter existentia non est propriè existentia, sine proprio suo esse existente, quod est proprius actus eius quo existentia dicitur, sicut albedo est proprius actus quo aliquid album dicitur. Sicut ergo nihil potest esse album hoc nisi habeat hanc albedinem, sic nihil potest dici essentia hęc, nisi habeat esse essentię hoc sibi proprium, & similiter est de esse existentiæ. Quotquot ergo sunt essentiæ in eodem, siue de prædicamento substantię, siue accidentis, tot necessariò sunt esse essentię in eodem, & tot esse existentię, etsi vnum eorum sit principale respectu aliorum, sicut vna essentia est principalis respectu aliarum. Vnde esse substantię, tàm essentiæ, quàm existentię simpliciter principalius est, quàm esse accidentis, sicut substantia principalior est natura, quàm accidens, & similiter esse vtrunque quod est formę substantialis, principalius est, quàm quod materię. Vnde & in quolibet composito forma materię, & forma principalis, formę non principali suum esse communicat, & quo ad hoc in quolibet vno vnum est esse tàm essentię, quàm existentię simpliciter, & non plura.

In hoc enim omnis forma substantialis est principium essendi composito in quo est, & materię, quoniam cum huiusmodi forma consequuntur in composito proprietates & passiones, & omnia accidentia illius, & primo esse, quia alia non sequuntur, nisi mediante esse. secundum ꝙ dicitur in 6. regula de hebdom. Id quod est participat eo quod est esse, vt sit, est verò vt participet quolibet alio, vbi dicit Comment. Vtrumque ergo & ipsum esse, & aliud aliquid cum ipso ab vno solo. i. ab eo quod est. Quod re vera dicit non secundum Theologos, sed secundum Philosophos, vt patet ex dictis in precedenti quęstione. Sed redit ad idem, nihil enim intendit, nisi ꝙ sint idem re in eo quod est ipsum, quod est, scilicet & ipsum esse, & illud aliud aliquid cum ipso, & sequitur in Comment. Sed illa participatio qua eo quod est esse participat, natura prior est, altera verò posterior, quia non potest esse aliquid nisi prius naturaliter sit. Vnde in quolibet composito per se ex materia & forma sicut sunt duę essentię, sic sunt duo esse vtroque modo. & similiter in composito per accidens ex substantia, & accidente quotquot sunt in eo essentię diuersæ substantię, & accidentis, tot sunt in eo esse vtroque modo. Si enim accidens non haberet esse proprium in subiecto, sed solùm esse subiecti, nullo modo compositum esset vnum ens per accidens. Sicut enim dicitur aliquid ens, vel vnum simpliciter à forma substantiali, in eo ꝙ communicat toti composito ex materia & forma substantiali suum esse & vnitatem, sic dicitur aliquid esse ens & vnum per accidens à forma accidentali in eo, ꝙ communicat toti composito ex substantia & accidente suum esse, & suam vnitatem. Vnde si accidens non haberet in subiecto proprium esse, nec propriam vnitatem, quia vnum & esse consequuntur se, secundum Boetium.

In Christo ergo sicut sunt tres essentię, ſ. caro, anima, deitas, vt dictum est supra, secundum Hug. vel quatuor distinguendo carnem in materiam & formam, sic sunt in eo tres vel quatuor esse vtroque modo, essentię, scilicet, & existentię simpliciter, licèt principalius sit illud quod est formę, & hoc tàm animę rationalis respectu corporis, quàm deitatis respectu totius humanę naturę in Christo. sicut enim anima rationalis & caro vnus est homo, ita Deus & homo vnus est Christus maximè quo ad hoc, ꝙ sicut anima rationalis suum esse communicat carni, sic deitas suum esse communicat naturę humanę.

Verius enim & vicinius vnitur diuinitas naturę humanę, quàm anima rationalis carni, licèt illa sit absq; informatione & compositione. vnio. n.

naturę diuinę cum humana maior est post illam quæ est trium personarum in vnitate substantiæ, vt dicit Beatus Bernardus. Propter istam enim communicationem esse sui, quam facit natura diuina humanæ, de homine Christo verè dicitur, ꝙ est homo diuinus. Si verò loquamur de esse quod est substantiæ, tunc si vnunquodque essentialiter subsistit per vnicam formam vel differentiam vltimam essentialem, quæ dat rei esse substantię, si secundum se habet esse separatum, sic dico ꝙ vnunquodque subsistens esse subsistentiæ, vel per essentiam in solo intellectu, si non sit aliquid extra, vel per existentiam extra intellectum, tantùm vnicum habet esse quotcunque sint in eo esse essentiæ vel existentiæ simpliciter dicta. Homo enim in solo intellectu existens suppositum vnum est hominis, habens vnum esse suppositi per formam, existens verò extra non nisi vnicum suppositum est per existentiam vnum habens esse existentiæ suppositi, cuius vnitas in nullo repugnat pluralitati esse per essentiam, & per existentiam simpliciter dictam, sicut nec vnitas compositi repugnat vnitati formæ, & vnitati materiæ. Immò si formale in re non haberet in se vnitatem, & esse essentiæ suæ, & existentiæ simpliciter sibi propriũ, nullum esse posset communicare materię & composito, nec posset ab illo haberi esse suppositi sicut nec vnitas suppositi, aut compositi, sine qua nec esse compositi, aut suppositi habetur. Hinc dicit Boetius in principio de vnitate & vno. Vnitas est qua vnaquæq; res vna dicitur, nec potest esse vna nisi vnitate. Nec solùm vnitate est vna, sed etiam tandiù est quicquid est, quandiù in se vnitas est, cum autem desinit esse vnum, desinit esse. Inde est ꝙ quicquid est ideò est, quia vnum est, & infra. Quapropter si res vnitate ducitur ad esse, & vnitate in illo esse custoditur. Vnde esse, & esse vnum inseparabiliter concomitantur se, & videntur esse simul natura. & hoc intantùm, ꝙ vbi est maior vnitas, & maior entitas, & è conuerso, & vbi est minus de vnitate, & minus de entitate, & è conuerso, & quod verius & perfectius est vnum, veriorem & perfectiorem habendo vnitatem, verius & perfectius est ens veriorem & perfectiorem habendo entitatem, siue verius & perfectius esse secundum quencunque modum esse. Quare cum quæcunq; in eodem existunt differentia per essentiam, proprias vnitates habent sub vnitate totius, nec propter vnitatem totius amittunt proprias unitates, sic ergo, & habent propria esse sub esse totius, nec ipsa amittunt propter esse totius, immò magis per unitates & esse propria, quas habent manentes, sed non nisi effectiuè à prima unitate, & primo esse causant esse, & unitatem totius. dicente Boetio ibidem. Omne esse à forma est in creatis cum unita est materiæ. Vnde Philosophi sic describunt illud dicentes: Esse est existentia formæ cum materia. Cum autem forma materiæ unitur, necessariò ex coniunctione utriusque aliquod unum constituitur, & infra. Forma igitur existens in materia, quæ perficit & custodit uniuscuiusque essentiam, unitas autem est descendens à prima unitate, quæ creauit eam. Ecce planè ꝙ forma etiam existens in materia constituendo compositum unitas est unitate, quam accepit à Deo quando creauit eam, & hoc secundum modum prędictæ participationis. Cum ergo in rebus esse, & unum sint eiusdem rationis, sicut nullus potest dicere, ꝙ in uno composito ex pluribus non sit alia unitas, quàm una quæ est totius compositi ex pluribus, immò materia, & forma, & quęcunque sunt in illo, sub vnitate illius retinent suas proprias unitates, & per unitatem eius, quod est formale & principale in illo, causant unitatem totius, sic nullus potest dicere, quòd in uno composito ex pluribus non sit aliud esse, quàm unum, quod est totius, immò materia, & forma, & quæcunque sunt in illo, sub esse illius retinent sua propria esse, & per esse formalis & principalis in illo, causant unitatem totius. Et vt istud idem applicemus ad confirmationem dictorum in prędcedenti quęstione, sicut nullus potest dicere, ꝙ unitas quęcunque in rebus est aliquid additum ei cuius est, aut illis ex quibus componitur, ut enim dicit Comment. super quarto Metaphys. substantia cuiuslibet rei est una per se, non secundum rem additam: Sic nullus potest dicere, quòd entitas, siue esse quodcunque in rebus sit aliquid additum rei cuius est, aut illis ex quibus componitur.

Et causa deceptionis & errotis in hoc est, ut dicit Philosophus in fine octaui Metaphys. quòd ponunt rem cum est in actu diuersam à seipsa quando fuit in potentia. Sed ut dicit ibi Comment. in rei ueritate est unum; illud enim quod fuit in potentia est in actu. & ut dicit Philosophus, non habet in hoc aliam causam omninò prętor motorem producentẽ rem de potentia in actum, & sic si non habet res aliam causam suę vnitatis & sui esse in actu existentię, non est esse additum essentię, uel unũ re differens ab illa, quia illud esset alia causa. f. formalis, sicut albedo esset causa essendi album, prætor motorem. Sic ergo nullo modo tenendum est, ꝙ in uno non sit nisi unicum esse, nisi hoc intelligatur de esse suppositi siue subsistentię. tale enim esse est unicum quo per se, & primo subsistit & existit ipsum totum continens in se plura, & quo subsistunt & existunt materia, & forma substantialis siue una siue plures, quia sunt aliquid subsistentis & existentis, quo etiam subsistunt & existunt accidentia eius, quia sunt in existente, & subsistente, non per additum, secundum quod illo dicit quòd esse sit aliquid additum existenti re diuersum ab eo.

Quod explicat dicendo, quòd quę diuersimodè fundantur in existente, diuersimodè dicuntur existere, sicut & quę diuersimodè fundantur in ente, diuersimodè dicuntur esse &c. ut supra. Vnde nisi poneret esse existentię aliquid additum re-

diffe-

differens, non posset ponere idem esse in vno habente in se plura, nisi ponendo ꝙ in eodem solùm vltima forma vel vltima differentia dat totum esse existentiæ. In quolibet enim habente in se plura dicit illud esse existentiæ fore additum, vt re differens ab eo cuius est. Quod si ita esset, non oporteret ipsum plurificare secundum pluralitatem eorum, quæ ipso diuersimodè participant. Sed ponendo ꝙ esse nullo modo sit aliquid additum, sed est idem cum essentia rei secundum præfactum modum, necesse est omne esse plurificari in eodem, siue essentiæ, siue existentiæ, præter illud quod est subsistentiæ, siue in ipsa rei essentia apud intellectum, siue in ipsa existentia extra, vt dictum est. & sic determinatio quæstionis huius multum dependet à determinatione quæstionis præcedentis. Quod autem omne aliud esse in habente in se plura differentia re, plurificatur secundum eorum plurificationem, siue fuerit essentiæ, siue existentiæ simpliciter, hoc planè patet de accidentibus, quæ fuerunt in substantia panis, & manent in ipso transubstantiato. de quibus certum est, ꝙ aliquod esse habent. vnde acceptum est argumentum vltimum, secundum hoc concedendum.

Sed vlterius distinguo, aut ergo habebãt idem esse prius in substantia panis, & sic habeo propositum, aut non, & sic illud esse est illis de nouo acquisitum, sed hoc non nisi per generationem naturalem, aut per causalitatem, aut per illud quod remouet prohibens. Non primo modo, nec secundo vt patet, nec tertio, tùm quia esse totius non repugnat esse illorum, quæ sunt in eo, vt patet ex dictis, & ideò nullo modo est prohibens, tùm quia remouens prohibens nihil agit in illud à quo prohibens remouet, sed exponit ipsum suæ naturæ. Esse autem aliud re ab eo cuius est, quod non fuit prius sub esse, & ideò non est nisi in sola potentia ad illud, necessariò per actionem aliquam alicuius agentis procedit in actum.

Aliter enim res se ipsam de non esse simpliciter deduceret ad esse. Sed in actum potest procedere vel agente eo, à quo remouetur prohibens, vel agente alio, quod nõ potest esse, nisi generans aut creans, ergo vt prius. Vnde si quandoque per solam actionem amouentis prohibens proceditur de potentia in actum, hoc non est, quia de nouo non enti simpliciter, quod non est, nisi in sola potentia, esse in actu acquiritur, sed quia existens in actu vno modo, est in potentia ad existere in actu alio modo, & remouens prohibens ne res sit in actu alio modo, per se agit circa illud in quo consistit prohibens. Verbi gratia, formæ singulæ habentes in se modicam vnitatem sicut & modicam entitatem, quæ sunt similes in parte, & in toto, vt sunt forma lineæ, & superficiei, quæ per se sunt extensæ, & forma lapidis, aut albedinis, quæ per accidens sunt extensę, quia sunt in quantitate, potentia sunt plurificatæ, ita ꝙ aliquo remouente prohibens statim sunt plura in actu per solam solutionem continuitatis, & hoc, quia ex se erant prius plures res continuæ, sed modo sunt plures distinctæ. dicente Boetio de vnitate & vno. Omnia vnitatem appetunt, & etiam ea, quæ multa sunt, vnum dici volunt. Quæcunque enim sunt, aut vera vnitate vniuntur, aut saltem eam simulando mentiuntur. Pluralitas autem non est, nisi ex congregatione vnitatum, quæ vnitates si sint disgregatæ, faciunt multitudinem, si verò sunt cõgregatæ in materia, faciunt magnitudinem. Quapropter inter vnitates quantitatis continuæ, & discretæ existentis in materia nihil interest, nisi ꝙ istæ disgregatæ sunt, & illæ continuæ, & consimiliter est de illis, quæ extenduntur cum quantitate. Et sicut illud contingit circa esse accidentiũ separatorum à substantia panis, sic possibile esset contingere circa humanitatem Christi. Si enim humanitas Christi in Christo assumpta à verbo nullum habet esse proprium præter esse suppositi increatum manente assumptione tunc si illam humanam naturam dimitteret, sicut posset si vellet, cum ipse esse haberet tũc quod prius non habuit: est ergo ei acquisitum de nouo, quod est impossibile, quia nec per generans, nec per creans, nec per remouens prohibens, vt prius.

Sed dices, ꝙ per remouens prohibens, quia assumptio facit, ꝙ humana natura non habet esse separatum siue distinctum ab alio, quod requirit essentia suppositi, & ideò cum subtrahitur assumptio, statim habet esse existentiæ suppositi. Quod non valet, quia subtractio illa nihil ponit, nisi separationem naturæ humanæ à diuina secundum se eam ponendo, quod non dat ei nouum esse, sed solùm nouum modum circa esse. Prius ergo habuit idem esse quod modo, sed prius non secundum rationem suppositi, sed simplicis existentiæ, quam modo propter separationem habet secundum rationem suppositi. In hoc enim solo differunt existentia simpliciter & subsistentia, ꝙ non subsistit nisi separatum, existit autem etiam alteri coniunctum, & quod est existentia simpliciter in coniuncto, est subsistentia in separato. Præterea, si humana natura in Christo nullum haberet esse proprium, sed solùm diuini suppositi, cum illud non sit nisi esse increatum, humanitas ergo Christi nullum haberet esse creatum omninò, & sic nõ esset Christus creatura secundum humanam naturam, quia non est creatura, nisi participando esse creatum. consequens fallum est. ergo &c.

De isto igitur esse existentię qd est subsistentię, sciendũ, ꝙ est formaliter à forma dante & cõmunicante suum esse essentiæ & existentiæ simpliciter, illi cuius, & hoc separatim aut distinctè, ita ꝙ illud esse, quod est essentiæ, vel existentiæ simpliciter, inquãtum est à forma simpliciter, est esse subsistentiæ, siue secundum essentiam, siue secundum existentiam inquantum dat illud separatim, aut distinctè. Sed tale esse aut est absolutum, & à forma

absolutà, aut est respectiuum & à forma relatiua. Primo modo habet existentiam subsistentię omnis creatura secundum se existens separata à quocunque alio. Secundo modo habent existentiam subsistentiæ solę tres personę diuinę. Vnde à diuina essentia non est in Deo aliquod esse subsistentię, quia nullum habet esse distinctum, aut separatum à diuinis personis, & subsistentijs earum, sed esse essentię & existentię simpliciter est vnum in tribus personis, sicut ipsa diuina essentia est vna in illis, præter tria esse subsistentię ad aliud, & hoc quemadmodũ ab anima rationali non est in Christo aliquod esse subsistẽtiæ, quia nullum habet esse distinctum aut separatum à diuina natura, & subsistentia verbi, & etiam quemadmodum anima rationalis in alio homine, vt est perfectio materiæ nullum habet in se esse subsistentię, quia non est separata à materia, quale esse subsistentię habet, licèt imperfectè cum est separata. Nullo igitur modo in habente in se plura, quę essentialiter differunt inter se, potest esse vnicum esse tantùm, nisi illud sit subsistentię, vel quod communicatur ab vltimo formali toti composito. Et est illud quod exprimitur in definitiua ratione, cum dicitur ℘ definitio est oratio indicans quod est esse. de quo intelligitur assumptum in tertia ratione, ℘ vnius rei vnicum est esse. & de quo dicit Boetius primo de Trinit. cap. 3. Omne esse ex forma est. statua enim non secundum ℘ est materia, sed secundum formã, quę insignita est, effigies animalis dicitur. & infra. Nihil ergo secundum materiam esse dicitur, sed secundum propriam formam.

Per quod patet responsio ad illud, ℘ istud esse est illud quod fundatur in vnione formę cum materia, quę non est nisi vnica, secundum ℘ processit quarta ratio. Non tamen ex hoc sequitur quin materia habeat suum proprium esse essentię, & similiter accidentia, vt patet ex dictis. Illud enim esse quod est in composito ex vnione formę cum materia, est vnicum in quolibet composito ex materia & forma, siue secundum se separatim subsistat, vt in alijs hominibus, siue in supposito alterius, vt in homine. Homo enim ille habet esse essẽtię & existentię simpliciter ab anima rationali sicut & cęteri, & cum hoc habet esse diuinę naturę sibi communicatum, quę subsunt vni esse diuini suppositi. Vnde super de duabus naturis Comment. In illo sunt vnum quiddã quod sit Deus, & aliud quod sit homo, sicut in quolibet homine est quiddam quod est anima, & aliud quod est corpus. Et secundum illud duplex esse in Christo super cętetos, qui tantùm habent vnicum, in Christo est duplex viuere, humanum scilicet, & diuinum, secundum ℘ etiam duplex in ipso voluntas est, & cętera huiusmodi secundum duplicem naturam. Quo ad esse autem essentię, & existentię simpliciter, quod conuenit Christo ratione naturę humanę, non est differentia in Christo & in alijs hominibus, sed quo ad esse subsistẽtię multum refert in Christo, & in alijs, quia in alijs esse subsistentię est à forma absoluta, & non diffi[illegible]b esse existentiæ simpliciter, quod etiam est in Christo, nisi quo ad hoc ℘ est esse existentiæ simpliciter, vt est à forma simpliciter, est autem esse subsistentiæ, inquantum est à forma ad alterius subsistentię rationem nõ assumpta. Propter quod in Christo, in quo forma humana ad alterius subsistentiæ rationem assumpta, nõ est idem esse subsistentiæ, quemadmodum etiam nec diuina natura in Christo, licèt det ei esse existentiæ simpliciter, non tamen esse subsistentiæ, quia dat ipsum sub subsistentia alterius rationis, quæ est subsistentia non absoluta, sed relatiua, & hoc à proprietate relatiua constitutiua suppositi verbi. ita ℘ si in Christo non esset aliud esse, quàm diuini suppositi, nullum esset in eo esse absolutum, sed relatiuum tantùm.

Quod ergo dicunt aliqui, ℘ substantia est, & existit, quia subsistit ipsi esse, verum est, non sicut differenti à se secundum rem, sed secundum rationem siue intentionem tantùm. Et ℘ accidens est & existit, quia est in ente & existente, verum est, non quia non sit ei proprium esse, vt illi intendũt, & vt concludit primum argumentum, cuius ex hoc patet solutio, sed ipsum quo ad id quod est, & quo ad id quo est, secundum essentiam & secundum existentiam nullo modo est per naturam nisi quia est in alio, quod est & existit in se. Vnde quia Philosophus benè sentiebat, ℘ ex illo dicto suo, quo accidentia dicuntur entia, quia sunt entis, aliqui putarent, ℘ accidentia non haberent propria esse quibus dicerentur entia, continuò mouet super hoc dubitationem subdens. Et ideò fortè quęret aliquis, vtrum ambulatio, sessio, aut sanitas significant ens aut non ens, quoniam nullum eorum est existens per se, nec potest separari à substantia. & soluit sub conditione subdens. Sed si ambulans fuerit de entibus, & sedens & sanus, ilta sunt digniora, vt sint entia scilicet substantiæ. Ponit autem responsionem illam sub conditione, quia supponit eam ex quinto libro præcedente vbi dixit sic. Dicuntur entia per se, quæ significant figuræ prædicamentorum, sunt enim secundum numerum eorum. Vbi dicit Commen. Hoc nomen ens dicitur de omnibus, de quibus dicuntur prædicamenta, quia quod significat hoc nomẽ ens, idem videtur cum eo quod significant dictiones prædicamentorum.

Ex quo concludo, ℘ cum dictiones iliæ significent res diuersas, quare & ens dictum de ipsis significat esse earundem diuersa, vt non plus potest concludi sic, accidens non est, nisi quia est entis: ergo non habet proprium esse, quàm sic, accidens non est essentia nisi quia est essentiæ, vt aliquid in substantia: ergo non habet propriam essentiam.

Vt propter hoc accidentia non dãt entia, nisi quia entis, neq; essentię nisi quia sunt illius essentiæ, quę est subsistãtia, non quia nõ habent propria

esse, &

esse, & proprias essentias, sed quia non habent sua esse, & suas essentias separatim, sed in substantia cum esse, & essentia substantiæ, & etiam causaliter ab illis. Quod benè significat ibidem Philosophus subdens. Sedens enim & stans non dicuntur sine hoc, s. substantia. Igitur hæc est causa essentiæ cuiuslibet illorum, & illa sunt propter istud.

Ad probationē primā Quod autem adducūt pro simili de extensione: Dicendum, ꝙ magis facit pro nobis, licèt enim non sit extensio, nisi sub quantitate, neque in accidentibus, nisi quia sunt in quantitate, nihilominus tamen aliquid propriæ extensionis habent materia, & accidentia in natura, & essentia sua, licèt nō nisi per extensionem quantitatis, quemadmodum materia sub quantitate habet partem iuxta partē, sicut & quantitas, & aliam & aliā partem quantitatis, & similiter accidens in q̃titate existens, puta albedo, habet partem continuè iuxta partem, & aliā & aliam partem sub alia & alia parte quantitatis. Quemadmodum ergo materia habet proprium esse, licèt cum hoc esse, quod habet à forma, quod quidem esse proprium haberet si per virtutem diuinam existeret sinè forma, & similiter accidentia proprium esse habent præter illius in quo sunt, etiam per eundem modum, quo diuersimodè habent fundari in ente existente, diuersimodè dicuntur esse & existere. Sed non ex hoc habetur, quin habent propria esse diuersa, quibus diuersimodè secundum se sunt, atque existunt, quo ad ipsorum essentias non comparatas ad substantiam, vt in ipsa fundatæ, licèt ista non habeant extra intellectū, nisi fundata in substantia diuersimodè.

Ad secun. Quod vlterius arguitur, ꝙ si plures sint formæ simul in eodem, non habetur esse nisi per vltimā, verum est, quo ad eius complementum, quod cōmunicat toti composito & materiæ, vt dictum est, quod est idem cum esse substantiæ rei. nihilominus tamen esse completum habetur per alias formas & etiam per materiam.

Ad tertiū. Quod autem adiungit, ꝙ aliæ formæ priores adueniente vltima desinunt dare esse, hoc impossibile est, sicut impossibile est, ꝙ ipsa essentia illarū sit & desinat esse essentia, quia in ipsa illarū essentia consistit ipsarū esse, quod quælibet illarum ꝙ modulo suo cōicat cōposito & materiæ. Vnde anima rationalis non dat homini totum suū esse, sed solùmmodò complementum eius, & non sunt virtute præcedentia incompleto, sed in tota forma cōtinente genus, & singulas differentias tanq̃ differentes intentiones in se. Vnde nunq̃ ponimus in eodem duo esse essentiæ, vnum completum & alterum incompletum. Ponimus tamen in eodem vt in homine, duo esse essentiæ à duabus formis, quorum vnum est incompletum, alterum verò cōplementum.

Ad quartū Quod autem addunt, si in vno sunt duo esse, ille est duo existentes: Dicendum, ꝙ aliud est dicere duo existentes in masculino, aliud verò duæ res existentes in fœminino, vel duo existentia in neutro genere. Nunc autem ꝙ in masculino dicitur vnus existens vel duo existentes, hæc denominatio non est nisi ab esse subsistentiæ suo, suppositi, quod nō est nisi vnum in vno sicut prædictum est, vt nullo modo possint dici masculinè duo entes, vel duo existentes, nisi quorum sunt duo esse subsistentiæ. In fœminino autem vel neutro, ꝙ dicitur vna res existens vel duæ existentes, siue vnum existens & duo existentia, hæc denominatio est ab esse existentiæ simpliciter, quod secundum prædicta benè pluralificatur in vno secundum suppositum. & ideò vnus secundum suppositum, & vnus existens masculinè, benè dicitur duæ res existentes fœminè, vel duo existentia in neutro, & hoc indifferenter in nobis propter materiam & formam, & in Christo propter eandem & propter Deitatem, secundum quę in Christo sunt plura esse existentiæ simpliciter, vt in fœminino possit dici plures res existentes, vel in neutro plura existentia, & vniuersaliter in quolibet toto habente plures partes. dicente Boetio in libro de Trinit. cap. 3. Vnūquodque habet esse suum ex his ex quibus est, & est hoc atque illud, vt cum terrenus homo constat ex anima & corpore, & anima & corpus est. Et hoc non solùm quando sunt coniuncta quod contingit in omnibus hominibus, sed etiam quando sunt separata, quod ad minus cōtingit in Christo, dicente Comment. super de duabus naturis, de humanitate Christi. Sicut anima hominis nunquā definit esse genere spiritus, nec corpus eius esse genere corpus, ita homo etsi remoto animæ habitu definat esse homo, atque animal, nunquam tamen definit esse corpus & spiritus. Quod si sic, tunc necessariò habet esse vtriusque. Vnde super illud de Trinit. Boetij: Cū terrenus homo constat ex anima & corpore, & anima & corpus est. dicit Comment. Quicquid em̃ est esse cuiuslibet partis eius, etiam quod ex illa parte constat est esse. & infra. Itaque esse hominis non simplex, atque solitariū. & infra super illud. In parte igitur non est id qd est. Comment. Aliud saltem est esse partis vnius à qua cōpositum aliquid est, & aliud alterius partis esse, à qua similiter ipsum compositum est. Quocirca illud verè est, in quo nullus essentiæ est numerus, quia nullum in eo est aliud esse præter id vnum quo solo est verè, vt Deus vel eius diuinitas. & loquitur de esse eius absoluto. Et tamen licèt Christus sic sit plura existentia propter essentias ex quibus est, tamen non nisi vnus existens est secundum suppositum in masculino. Vnde non oportet dicere, ꝙ in Christo nullum erit esse ab anima, ne si in ipso esset duplex esse, creatum & increatum, Christus non esset vnus existens, sed potius duo existentes, & duo suppositā.

Si enim, vt saluetur vnitas suppositi super duas naturas in Christo, oportet dicere, quòd in Christo non est nisi vnum esse, scilicet suppositi, & non aliud, cum illud esse non sit nisi respectiuum, & ad aliud, sicut non est in Deo

ſuppoſitum niſi relatiuum, neque in Chriſto: ergo etiam neque in Deo ponendum eſſet aliquod eſſe abſolutum à forma diuinæ exiſtentiæ, quod commune ſit tribus perſonis diuinis, & quodam modo communicatum Chriſto ſecundum humanitatem ſub ſuppoſito verbi, ſicut neque illi dicunt in Chriſto fore aliquod eſſe ab anima in cõpoſito ex anima & corpore, quod falſum eſt. Planè ergo patet eſſe falſum, quod ille dicit in ſua quæſtione, formam non ſemper eſſe principium eſſendi. Oportet enim ponere in Chriſto humanam naturam ſine ſuo eſſe; aliter enim eſſent in ipſo duæ exiſtentiæ, & duo exiſtentes, & duo ſuppoſita, quod totũ falſum eſt, vt patet ex dictis. Non enim poſſibilius eſt ponere formam exiſtere in materia, & non dare eſſe, quàm ponere albedinem in corpore, & ipſam non dare corpori eſſe album. Sicut ergo contradictoria implicat, qui dicit albedinem eſſe in corpore, & corpus per eam non eſſe album, ſic contradictoria implicat, qui dicit formam exiſtere in materia, & compoſitum per eam non eſſe aut non exiſtere.

Non reſtat ergo niſi reſpondere ad ſecundum argumentum quo dicitur. Si eſſent plura eſſe ſimul in eodem per ordinem ſe haberent, & vnum eorum eſſet perfectius altero; quod benè verum eſt, non tamen ex hoc ſequitur vt concludit, quòd vnum participaret altero, quia nihil eſſe participat, niſi id in quo fundatur, quod eſt eſſentia rei. Cum ergo vnum eſſe non fundatur in altero, ſed quodlibet in eſſentia ſibi ſubiecta, vt patet ex prædeterminatis, nullo modo ex poſitione, quæ ponit plura eſſe in eodem, ſequitur q̃ ipſum eſſe aliquo participet. Vel aliter dicendum, q̃ licèt eſſe ſecundum ſe non participet aliquo, tamen vt ſecundum illos ex eſſe, & eſſentia fit vnum compoſitum, illud compoſitum participat eſſe ſecundo, & ſic in illo compoſito participat eo eſſe illud primum, quòd nullum eſt inconueniens.

Comment. in Quæſtionem Octauam, quæ eſt,

Vtrum accidentis exiſtentis in ſubiecto ſit aliud eſſe exiſtentiæ, quàm ſit eſſe exiſtentiæ ſui ſubiecti.

IN titulo non facias difficultatem de eſſe exiſtentiæ magis, q̃ de eſſe eſſentiæ. Quia eſt idem eſſe, & non differunt hæc duo eſſe, niſi quod cum vtrunque ſit ſimilitudo diuini eſſe, vel participatio diuini eſſe, inquantum eſſentia ipſa creaturæ eſt ſimilitudo diuinæ eſſentiæ. eſſe eſſentiæ eſt participatio proueniens ab eſſe diuino, tanq̃ à cauſa formali, ſi ideali, vt exemplaris. Eſſe verò exiſtentiæ eſt illamet participatio, quatenus prouenit ab eodem eſſe diuino tanquàm à cauſa efficiente. Vt tamen in hoc eſſe eſſentiæ intelligatur perfectio, in eſſe eſſentiæ aliqualis imperfectio, non abſolutè, ſed comparatiuè.

Not. quoque q̃ quotiens accidens inhæret ſubiecto, ſtatim compoſitum quoddam per accidens efficitur ex ſubiecto, & accidente. Quo conſiderato, ſciendum, q̃ quærere vtrum &c. eſt quærere vtrum tale compoſitum habeat vnicum eſſe, vel plura. ſi.n. vnicum prorſus habet eſſe exiſtentiæ, oportet, q̃ accidens nullum aliud habeat eſſe niſi per eſſe ſubiecti, vel contra, q̃ ſubiectum non habeat eſſe niſi per eſſe accidentis. Non hoc ſecundum, quia cum ſubiectum accidentis ſit ſubſtantia, hæc prior profectò eſt omni modo ipſo accidente, vt dicit Ariſt. 7. diuin. & omnes concedunt. Si verò in hoc compoſito ſint plura eſſe, oportet dicere, q̃ aliud ſit eſſe eſſentiæ, vel exiſtentiæ ſubiecti, & aliud accidentis. Vt ideò eſſe accidentis non dependeat ab eſſe ſubiecti, vel ſit aliud realiter ab ipſo eſſe ſubiecti. De realitate ideò ipſius eſſe exiſtẽtiæ eſt ſermo, non de rationali, hæc.n. nota eſt, quemadmodum & intentionalis. Quippè alius conceptus ſit de ſubiecto, alius de accidente. Item naturaliter alia eſt formalitas ſubiecti, alia formalitas accidentis.

In corpore. diſtinctione bimembri præhabita duabus concluſionibus ſatisfit quæſito.

Diſtinctio eſt de eſſe ſeu eſſentiæ, ſeu exiſtentiæ. Quod aliud ſit ſimpliciter ita dictum, & aliud ſit esse huius, q̃ etiam dicitur ſubſiſtentiæ. Illud eſſe habent vt materia, forma, partes in compoſito, & in toto. Hoc eſſe habet ſuppoſitum, & res in ſe prorſus ſubſiſtens.

Prima concluſio. In eo, quod habet eſſe eſſentiæ, vel exiſtentiæ ſimpliciter dictum, poſſunt eſſe plura eſſe.

Secunda concluſio, In eo, quod habet eſſe ſubſiſtentiæ non poteſt eſſe niſi vnicum eſſe.

Ad primam concluſionem ſequitur hæc. Quòd compoſiti ex ſubiecto, & accidente ſunt duo taliter eſſe ſiue eſſentiæ ſiue exiſtentiæ ſimpliciter.

Probatur primò, ſunt ibi duæ eſſentiæ, & duæ exiſtentiæ, ergo & duo eſſe ſimpliciter, ſiue eſſentiæ, ſiue exiſtentiæ. Antecedẽs patet, nam alia eſt eſſentia ſubiecti, alia accidentis, & ſimiliter alia eſt exiſtentia. Conſequentia probatur, nam nulla eſſentia eſt ſine ſuo eſſe eſſentiæ ſimpliciter, nec vlla exiſtentia eſt ſine ſuo ſimpliciter eſſe exiſtentiæ.

Confirmatur quod apud Boetium habetur in libro de hebdomadibus, vt habetur in litera.

Secundò probatur. ſi non eſſent duo eſſe, ſequeretur, quod illud compoſitum ex ſubiecto, & accidente non eſſet compoſitũ, & vnum per accidens, ſed hoc eſſet abſurdum ex Ariſtot. igitur.

Not. q̃ quotcunque accidentia erunt in ſubiecto, tot erunt eſſe præter eſſe ſubiecti, vt tamen ſemper prius ſit eſſe ſubiecti poſterius eſſe accidentis. Cætera autem circa hanc concluſionem ſatis clara videntur.

Ad ſecundam concluſionem ſequitur hæc, q̃ compoſitum ex ſubiecto, & accidente, quantum ad eſſe ſubſiſtẽtiæ eſt vnicum, & non plura, ita quod in ipſo non ſunt plura eſſe ſubſiſtentiæ, ſed vnum. Probatur. Vnicum eſt ſuppoſitum. Igitur & vnicum eſſe. Patet antecedens. Conſequentia verò eſt Philoſophi, atq; Boetij. omne quod eſt, ideò eſt, quia vnum numero eſt, quod non poteſt intelligi niſi de eſſe ſubſiſtentiæ.

Not. hic regula de tranſcendentibus, qua vnum & ens conuertuntur. Quod intelligi debet de vno per ſe, & de ente per ſe ſubſiſtentiæ ſimpliciter, vt dictum eſt,

Not. q̃ cum ſolũ ſuppoſitum habeat tale eſſe ſubſiſtentiæ, & quidem ſuppoſitũ ſit ipſum ſubiectũ, accidentia in ipſo nullum prorſus habent eſſe ſubſiſtentiæ niſi per eſſe ſuppoſiti. Et ſic totũ hoc negotium intelligendum eſt. In eodẽ.n. ſubiecto exiſtens accidens hẽt eſſe per eſſe ſubiecti, ſũ eſſentiæ, cùm ẽt exiſtentiæ, & ẽc non habet. Habet, ſi loquamur de eſſe eſſentiæ, vel exiſtentiæ, quod dẽ ſubſiſtentiæ. Non hẽt verò ſi loquamur de eſſe eſſentiæ, vel exiſtentiæ ſimpliciter. Et illud quidẽ q̃m in eodem non poſſunt eſſe niſi vnicum eſſe, & non plura, ſubſtantiæ. Hoc verò, q̃m in eodem poſſunt eſſe plura eſſe eſſentiæ, vel exiſtentiæ ſimpliciter. Et hoc manifeſtatur in ſacramento altaris, & in ipſo Chriſto. In ſacro altaris, ſiquidem

accidentia

accidentia sunt sine subiecto, quæ erant prius in subiecto pane, in quo necessariò habebāt aliquod esse, non quidem subsistentiæ, sed existētiæ simpliciter; aliter seiuncta in transubstantiatione crearetur de nouo aliquod esse, quod daretur accidentibus, & non esset remanentia in suo esse. In Christo verò patet idem, quoniam cum sit diuinum suppositum, habens vnicum esse subsistentiæ, nisi haberet plura esse existentiæ simpliciter non possemus dicere, quòd natura humana esset creatura, quod est falsum. Sed hæc sunt pro Theologis. Pro Philosophis verò rationes, quæ prius adductæ sunt ad conclusiones. Hæc præsertim attinent ad corpus quæstionis: cætera verò spectant ad resolutiones difficultatum, circa quas non est, quòd nos velimus immorari.

Not autem pro complemento, hanc quæstionem non esse eandem cum ea, qua quæritur vtrum inhærentia accidentis sit de essentia eius: ex resolutione tamen huius quæstionis habita resolui facile potest. Quòd si loquamur de essentia, vel existentia simpliciter, quæ non sunt, nisi per esse essentiæ, vel existentiæ simpliciter, inhærentia non est de essentia accidentis, quippè accidens habeat suum taliter esse, vt dictum est, distinctum ab esse subiecti, aliter non fieret vnum per accidens ex subiecto, & accidente, sed vnum per se. Iam verò si loquamur de essentia, vel existentia, quæ dicitur subsistentia, quæ talis est per esse subsistentiæ, tunc accidentium inhærentia est de essentia ipsorum. Quippè nullum habeant esse subsistentiæ nisi à subiecto. Agitatur tamen aliter hæc quæstio à pluribus in 7. Metaph. aliter distinguentes, & etiam digladiantes inter se. Vide Iauel. quæst. prima. sept. narrantem aliorum opiniones, diligenterque considera, quòd tutior, & clarior est resolutio quæstionis huius prout dependet ex resolutione præhabitæ.

QVAESTIO NONA.

Vtrum subiectum possit per se esse causa sufficiens sui accidentis.

Arg. prim. CIRCA tertium arguitur, quòd subiectum nou potest esse causa accidētis existentis in eo, sic. Quod est in potētia ad aliquid, eò quòd inquantum huiusmodi est non ens, illud non potest esse causa, vt ſm actum sit illud, sicut non ens nō potest esse causa suæ entitatis, subiectum ex se solùm est in potentia ad suū accidens: ergo non potest esse causa, vt secundum actū sit illud. sic aūt esset causa, si esset causa sui accidentis: ergo &c.

In oppoſit. Contra est, quòd voluntas est mouens seipsam in actum volendi, qui est accidens eius in quo est causa sui actus volendi. ergo &c.

Reſolut. q. Dicendum, quòd quæstio ista proposita est de causa efficiente accidentis generaliter, sed specialiter propter accidens, quod est ipse actus volēdi, quomodo possit causari effectiuè ab ipsa voluntate, quæ est subiectum eius. Et est ratio dubitationis in ea, cum subiectum sit causa materialis respectu accidentis sui: & ita licèt sit in actu quantum ad formam substantialem, tamen quantum est ex se, non est nisi in potentia ad formam accidentalem: & ideò necessariò eget aliquo existente in actu tale, quale est illud in potentia, quo reducatur de potentia in actum. Dico autem existente in actu tale, saltem virtute etsi nō formaliter, quemadmodum Sol, qui calidus est in potentia, facit calidum in actu virtute, etsi non formaliter calidus est. Et videtur mihi hic esse dicendum, ꝙ secundum Philosophum 7. Metaphysic. vt tactum est in quæstione præcedenti, substantia est causa essentiæ, & esse suorum accidentium non solum vt materialis, sed etiam vt efficiens, sed aliter & aliter. Quòd enim est causa accidentium materialis, hoc habet à se & natura sua: quòd verò sit causa efficiens eorundem, hoc habet à generante, & producente essentiam substātiæ in esse. Producens enim ipsam in esse imprimit ei virtutem causandi effectiuè in se omnia sua accidentia.

Et sic videtur mihi hic esse distinguendum, dicendo, ꝙ substantia subiecta accidenti considerari habet dupliciter. Vno modo, vt habet in se perfectè virtutem agentis sibi influxam, qua natum est illud accidens producere de potentia ad actum, & sic est in se summè dispositum, & in potentia accidentali ad illud accidēs. Alio modo vt est aliquid in natura secundum se. Si secundo modo, de hoc membro breuiter me expedio, dicendo, quòd subiectum nullo modo est causa sui accidentis nisi sicut materia & causa materialis, existēdo ad illud in potētia remota & essentiali, propter quod eget vt vadat de potentia in actum secundum illud accidens essentiali transmutante extra. Si primo modo, in quo consistit difficultas quæstionis, sic dico diuidendo quæstionem in duo membra. Quorum primum est de ratione & modo causandi accidēs, quod iam est actu in ipso subiecto.

Secundum verò de ratione & modo causandi accidens, quod nondum est actu in subiecto. Quo ad primum membrum, dico, ꝙ sic procedit cursus & ordo naturæ, quòd quandocunque ad aliquam formam cōsequuntur naturaliter aliquæ per se proprietates, aut actiones, generans rē secundum illam formam in generando sic eam summè disponit, ꝙ quantum est de se sit in potētia accidentali ad illud accidēs, et ex parte materiæ, & ex parte formæ. Ex parte materiæ disponendo ipsam, vt sit necessitas ad receptionem illius accidentis, & ex parte formæ disponendo eam, vt sit necessitas ad illius accidētis productionem de potentia materiæ. Vnde generans ignem, quia leuitas, & caliditas sunt per se proprietates sequentes formam ignis, simul disponit materiam ignis, vt sit necessitas ad recipiendum leuitatem & caliditatem, & similiter formam ignis, vt sit necessitas producendi illam de sua materia.

Et hoc totum procedit de virtute agentis impressa igni, & quo ad materiam, & quo ad formam: & ideò ignis statim cū generatus est quo ad

suam

ſuam formam ſubſtantialem de potentia materiæ cui adhæret, immediatè generat de potentia, quæ ſuæ materiæ adhæret mediante potentia ad formã ſubſtantialem ipſas formas accidentales, leuitatẽ ſ. & caliditatem. Sed quia hoc non facit niſi in virtute generantis ignem ſecundum formam ignis: ideò formarum accidentalium generatio attribuitur generanti formam ſubſtantialem, quando dicitur, quòd generans rem dat ei accidentia per ſe, & operationem illius propriam: attribuitur autem formę ſubſtantiali vt ſequelę ſuæ, quando dicitur, quòd formam ſubſtãtialem generatam neceſſariò conſequuntur ſuæ proprietates, & propriæ operationes.

Quia autem ad formam accidentalem, quæ eſt leuitas per eundem modum ſequitur propria operatio, quæ eſt moueri ſurſum: ideò ſimiliter dicitur, quòd generans leue dat motum leui, & per motum locum proprium illi. Tamen cauſa proxima agens talium accidentium, & operationũ ſunt ipſæ formæ rerum, ſiue totum compoſitum ratione formæ tantùm. Et ſic quo ad iſtud membrum quæſtionis reſpondeo dicens, quòd omne ſubiectum per ſuam formam eſt cauſa agens, & efficiens ſuorum accidentium propriorum, & ſimiliter communium concurrentibus circa ipſum agentibus primis, quæ ipſum ad hoc diſponunt ſecundum iam dictum modum. Quo ad ſecundum membrum quæſtionis, in quo principaliter erat propoſita, ſ. de ratione & modo cauſandi accidens, quod nondum eſt in ſubiecto ſecundum actum, ſed ſecũdum potentiam tantùm, in quo videtur eſſe maior difficultas. Dico, ꝙ ſubiectum generatũ ſecundum formam ſubſtantialem, ſi dicto modo non fuerit cauſa ſecundum actum ſuorum accidentiũ, & operationum, hoc non contingit niſi quia ſuſtinet impedimentum, quo remoto (quia de ſe à generante extra, licèt iam ceſſauerit à ſua actione, & ſit abſens, ſummè diſpoſitum eſt retinendo in ſe & ſecundum materiam, & ſecundum formam virtutem generantis, ſecundum prædictum modum) ſtatim cauſat ſecundum formam ſuam actiuè, & ſecundum materiam ſuam paſſiuè huiuſmodi accidentia & operationes; vt ſi ignis ſecundum formam ſubſtantialem poſſet ſuſtinere aliquod impedimentũ, ne ſimul cõſequerẽtur eum caliditas, aut leuitas, & ſic eſſet ignis, ſed non calidus, aut non leuis, amoto impedimento ſtatim ſeipſo agente ſecundum prædictum modum fieret calidus, aut leuis. Sed hoc magis clarum eſt in proprijs operationibus, quæ natæ ſunt ſequi ipſas formas, quoniam per impedimentum retardantur quandoq; patenter, ne poſſint in ſuas proprias operationes, vt patet de graui & leui, quæ generata ſecundum formam grauis & leuis, ceſſante impedimento per ſuas formas grauitatis & leuitatis mutantur & transferuntur, hoc ſurſum, illud deorſum, ſecundum quod hoc ſufficienter declaraui in præcedenti Quolibet.

Quando verò ſuſtinent impedimentum, & ſunt in potentia tantùm ad ſuas operationes, amoto impedimento ſtatim feruntur de potentia in actũ ſecundum prædictum modum. Sic etiam habens habitum cõſiderandi ſecundum aliquam ſcientiam, ceſſante impedimento ſemper quando vult (per hoc enim amouetur impedimentum) conſiderat; preſente verò impedimento etſi ceſſet ad tempus: amoto impedimento ſtatim per habitum ſuum fit in actu conſiderandi. Et eſt omninò aliud genus tranſmutationis, qua generatur habitus & addiſcens fit ſciens, & qua ſciens ſecundum habitum fit conſiderans & ſciens ſecundum actum, & quo modo eſt ille in potentia ſciens ante generationẽ habitus, & iſte poſt habitus generationem, dicente enim Philoſopho ſecundo de anima, vterq; eorum non eodem poſſibilis, ſed hic quidem quoniã materia eſt: ille autem poſſibilis conſiderare niſi aliquid prohibeat, & hic quidem per doctrinam alteratus eſt: ille autem alio modo, quod verè nõ eſt alterari: in ſeipſum. n. eſt inductio & in actũ, aut alterum genus alterationis.

Quòd autem nõ eſt propriè alteratio cũ ſciens ſecundum habitum fit conſiderans, ex hoc claret, ꝙ operatio ſecundum actum minus diſtat à potentia ſua, q̃ habitus: hæc enim eſt cauſa quare exitus in actum conſidetandi de potẽtia non eſt propriè alteratio, quæ eſt propriè corruptio alicuius contrarij, ſicut eſt exitus de potentia ad habitum, ſed propriè ſalus & perfectio operantis abſque contrario. Propter quod tale accidens, quod eſt operatio, præcipuè poteſt ſubiectum in ſe cauſare de nouo poſt impedimẽtum remotum. Et per omnem eundem modum dico, quòd voluntas forma libertatis ſuæ, quæ eſt vis quædam in ipſa, vt alibi declarauimus, à cauſante voluntatem liberam in anima, & imprimente ei in hoc virtutem ſuam ad cauſandum ſuas proprias operationes ſecundum iam expoſitum modum, poteſt mouere ſeipſam & educere de potentia volendi ad actum volendi, & eſt tota voluntas mouens & mota tota, ſed mouẽs ratione, qua eſt libera, quæ libertas eſt formale in ipſa: mota autem ratione, qua eſt natura, quæ eſt materiale in ipſa, & hoc ceſſante impedimento, quemadmodum dictum eſt de graui & leui reſpectu translationis ſurſum & deorſum.

Ad cognoſcendum autem modum, quo voluntas pati poſſit impedimentum, ne poſſit velle, quo amoto ſeipſa liberè vadit in actum volendi.

Sciendum eſt, quòd aliquid à ſuo actu, qui operatio eſt, cum ſit imperfectio actu ſecundum formam, qua natum eſt operari, poteſt impediri dupliciter, quia per impedimentum poſitiuum, quẽadmodum impeditur graue per obſtaculũ, ne deſcendat, & per impedimẽtum priuatiuum, quemadmodũ impeditur lux, ne illuminet quando non habet illuminabile ſibi præſens.

Primo modo impeditur voluntas, ne velit per coactionem.

Secundo

Secundo autem modo impeditur per ignorãtiam, qua obiectum volitum est sibi absens, quod non est natum esse ei præsens nisi per scientiam, siue notitiam in intellectu. Et secundum hoc accipitur duplex inuoluntarium secundo Ethicor. scilicet per violentiam, & per ignorantiam. Vnde cessante coactione liberè de non volente cum effectu fit volens, & cessante ignorantia per præsentiam obiecti in cognitione liberè seipsa de non volente fit volens ipsum bonum cognitum, & est mouens nõ motum prius, & agens non passum prius ab alio, nisi fortè secundum exigentiam suæ naturæ, vt infra dicetur, sicut potentia simpliciter actiua, & primò actiua, & secundò passiua. Et hoc dupliciter, sed ordine quodam primò à seipsa quando de potentia volente fit actu volens, vt dictum est.

Secundò ab obiecto, quando ex obiecto per actũ volendi sibi coniuncto suscipit delectationem & gaudium & huiusmodi. Et secundum hoc concedendum est secundum argumentum, quod super hoc erat fundatum.

Opin. quorundam. Quãuis sint aliqui dicentes, quòd voluntas simpliciter passiua est, & prius passiua, quàm actiua, licèt sit secundariò aliquo modo actiua, in quo excedit vires inferiores & sensitiuas & appetitiuas, quę omninò sunt passiuæ. Quod enim (vt dicũt aliqui) ex se fit in potentia aliquid, siue ad aliquid, & seipso fiat in actu illud nullo alio agente, & mouente ipsum, hoc omninò est inconueniens. Quod probant per rationes, quarum prima est illa, quæ supra ad partem negatiuã quæstionis est producta.

Ratio prima. Secundò per hoc, quòd illud quod facit aliquid in actu secundum aliquid ad quod prius erat in potentia, oportet quòd prius sit in actu secundum illud, vt quod facit aliud calidum oportet, ꝙ in seipso sit calidum. Voluntas ergo si seipsam de potentia faceret in actum volendi, prius vellet antequã hoc faceret.

Secunda.

Tertia. Tertiò per hoc, quòd si aliquid ens in potẽtia, aliquid seipsum faceret in actum, secundum quod est in actu esset causatum, & secundum quod in potentia esset causa, & ita effectus esset perfectior sua causa.

Eisdem etiam videtur, ꝙ modus ponendi prætactus non est conueniens, scilicet quòd in voluntate sit aliquid mouens, & aliquid motum, & aliquid potentiale, & aliquid actuale, & hoc sicut contingit in graui & leui, & quòd aliter periret liberum arbitrium.

Improbatio primæ primæ. Improbant enim primum sic, quoniam dicunt, quòd graue nõ mouetur à se nisi quia mouet aliud per se: & ideò se per accidens, & tale si mouet se, oportet primo moueri ab alio à se. quare & sic oportet sentire de voluntate.

Secunda. Item quòd dicatur graue moueri ratione materię, & mouere ratione formę, hoc est inconueniẽs, quia subiectum motus non est nisi ens in actu secundum ꝙ est in actu: ita etiam ꝙ moueatur ratione eius, quo est in actu, quale non est materia, quia est in potentia tantùm. Si ergo graue mouetur, totum compositum ex materia, & forma est subiectum motus ratione totius, & vtriusque partis in eo, tàm formæ, quàm materiæ simul. Quod autem sic subiectum motus est, nõ ratione totius, neque alicuius partis eius est principium, aut ratio mouendi actiuè, neque ergo forma grauis, neque compositum ex materia & forma ratione formæ est mouens, aut ratio mouendi actiuè, sed solùmmodò aliquid extrinsecum. Eodem modo & de voluntate est, quia tota cedit in ratione possibilis.

Tertia. Item sicut dicunt, si graue, aut voluntas mouet se per se propter potentiale, & actuale in se, eadẽ ratione omne compositum ex materia & forma moueret se per se.

Quarta. Item non mouet se per se secundũ totum, quia simpliciter & realis differentia debet esse inter mouens & motum.

Quinta. Item tunc semper moueret se, quia semper est sibi præsens.

Improbatio secũdæ primæ. Secundum autem propter quod voluntas dicitur mouere se, quia aliter periret liberũ arbitriũ, improbant sic, quoniam voluntas vult, quod non potest non velle: & tamen liberè vult: vniuersaliter enim bonum, quod est simpliciter bonum cũ est visum non potest non velle: & tamen liberè vult. Similiter bonum particulare pro hora, qua illud vult, non potest non velle: & tñ liberè vult. Vnde idem inconueniens sequitur ponẽdo voluntatem à se moueri, & ab alio, si sit inconueniens; æquali enim necessitate mouetur à se, & ab alio; vniuersaliter enim volens quando vult necessariò vult non coactè, sed liberè.

Secunda. Isti autem imponendo voluntatẽ partim actiuam, & partim passiuam, sed principaliter passiuam dicunt, quòd passiua est ab obiecto secũdum determinationem actus: actiua autem ex se quo ad exercitium actus, illud scilicet, quod ei determinatum est à ratione exequendo: sic enim eligere & imperare formaliter sunt actus intellectus & principaliter, sed executiuè & ministraliter voluntatis. Vnde completa electione per iudicium, & determinationem actus à ratione & voluntatis cõsensu, voluntas agit præcipiendo executionem imperati & prosecutionem eius, quod electũ est viribus inferioribus, & etiam rationi, vt exquirat modum vtrunque, & si standum est in electione & imperio, & cætera huiusmodi.

Tertia. Quòd autem non Metaphysicè moueatur ab obiecto, siue à fine, arguunt, quia obiectum quod est finis non mouet Metaphysicè nisi materiam, & hoc non nisi quia mouet per se agentem, qui ulterius per se mouet materiam, vt patet in operibus artis.

Contra tertiũ primæ ratio. Similiter quòd obiectum in eo, quòd voluntas mouet seipsam, non est causa sine qua non, arguunt sic.

Duplex enim est causa sine qua non. Vna quæ

nihil

nihil agit, vt albedo in ædificando, quando dicitur album ædificat, talis causa non est obiectū respectu actus volendi, quia voluntas sine obiecto nihil vellet; sine illa autem causa ædificans ædificaret. Alia est, quæ aliquid agit, quia agit aliquid quo facto aliud exit in actum, vt scamonea expellit choleram, quo facto virtus naturæ infrigidat, quæ prius erat impedita.

Secunda. Sed sic obiectum non agit, quia nihil potest facere aliquid, quo facto aliud moueat seipsū, quia aliquid p se mouere seipsum, est p se impossibile. Vnde exemplum de scamonea est contra illos, qui ipsum adducunt pro se, quia scamonea non facit aliquid, quo facto virtus naturæ agat in seipsam, sed in aliquid aliud. Virtus enim, q̄ est in vna parte corporis, agit in aliam partem.

Tertia. Item ad idem, si obiectum non aliter agit, quā mouendo intellectum, quo facto voluntas mouet se, eadem ratione posset probari, ꝙ appetitus bruti esset actiuus, quia non mouetur nisi sensu prius moto ab obiecto sensibili.

Quarta. Dicitur igitur, ꝙ obiectum est causa per se mouens voluntatem, quia non potest aliter probari quid est causa per se, nisi quia ea posita necessariò sequitur effectus, & ea remota nullo modo sequit.

Quinta. Opin. Auct. Aliter enim non posset probari, quòd ignis esset per se causa agens in comburendo ligna, quia posset dici, ꝙ ligna comburerent seipsa ad præsentiam ignis, vt ignis non poneretur esse causa combustionis nisi sine qua non, quia non potest inueniri exemplum, ꝙ aliquo præsente aliud mouetur & eo absente non mouetur, quin ipsum sit causa mouens per se.

Ad argu. princip. Ista nobis restant pertractanda per ordinem, dicendo, ꝙ voluntas simpliciter & omninò actiua est, quo ad actum volendi, & nullo modo passiua nisi à seipsa quo ad actum volendi, secundum qd de potentia ducitur in actum, & quo ad affectiones gaudij & delectationis & huiusmodi ab obiecto, vt dictum est. Quod ergo arguitur contra hoc ad principalem quæstionem, quod est in potentia aliquid, quia inquantum huiusmodi est non ens, illud non potest esse causa, vt secundum actum sit illud: Dicendum, quòd verum est, nullo modo recipiendo ad hoc virtutē ab alio prius, q̄ illud facit. Si tamen ad hoc prius recepit virtutem ab alio, & est impeditum, amoto impedimento benè potest illud, vt patet ex prædictis. Et quod assumitur in argumento, quòd non ens nō potest esse causa suę entitatis, dicendum, quòd verum est: dum tamen nullo modo est, quia tale nullam virtutem habet omninò, nec à se, nec ab alio, quæ possit se de potentia facere in actum. Si tamen actu est secundū formam substantialem in ea habendo virtutē primi agentis post amotionem impedimenti potest seducere in actum essendi aliquid, ad quē prius erat in potentia, sicut & cessante omni impedimēto ducit se in actum per eandem virtutem ad præsentiā primi mouentis. Sic enim generans graue mouet graue, quia ab illo est virtus ad mouendum in grāui, & graue seipsum mouet, quia continet virtutē quam ad mouendū se accepit, & sic mouens semper se, non sicut illi dicunt facit seipsum in actum nullo alio agente, & mouēte ipsum: absque enim omni alio mouente prius impossibile est oīnò, ꝙ aliquid moueat seipsum in creaturis, quemadmodum potest aliquid moueri ab alio sic, ꝙ nullo modo moueatur à se, quemadmodum graue per violentiam mouetur sursum.

Ad primā.

Ad secundam rationem opp. Ad secundum, quòd illi adducunt, faciens aliquid de potentia in actum secundū aliquid, oportet, ꝙ prius sit in actu secundum illud. Dicendū, ꝙ verum est, vel formaliter sicut calidū est in actu prius calidum, quando de potentia calido, vt de frigido facit calidū, de quo procedit argumentū, vel virtualiter, quemadmodum Sol est prius calidus, quando suo radio de potētia calido facit actu calidum. Et secūdum hunc modum, vt dictum est, faciens se de potentia in actum secūdum aliquid, prius est actu tale licèt alio modo, & secundum hunc modum voluntas faciens se de potentia volente, actu volentem, prius erat volens virtualiter, scilicet habendo vnde se potuit facere in actum volendi, licèt non formaliter qualem se facit illa virtute.

Ad tertiū. Ad tertium: Si ens in potentia faceret seipsum actu secundū aliquid, effectus esset dignior causa: Dicendum, ꝙ verum est, si nec virtute esset prius illud. Nunc autem est virtute prius illud, & in hoc, quia ipsum primum mouēs, in quo est perfectius, licèt secundum aliam rationem, habet esse ipse effectus, q̄ in eo, in quo causatur formaliter, quēadmodū vnūquodque perfectius habet in sua causa prima, licèt secundum aliā rationem, q̄ in seipso secundū propriam rationem, quæ enim in seipsis non sunt vita, in Deo sunt vita, vt dicit Augustinus super illud Io. primo. Quod factum est in ipso vita erat, & quo ad hoc faciens, seipsum de potentia in actum, perfectius est sedm alium actum, q̄ secundum actum quem facit: pertinet tñ vterq; actus ad integritatem suę perfectionis.

Ad improbationes primas. Ad illa quibus illis videtur inconueniens modus ponendi voluntatem mouere seipsam in actū volendi. Primò quo ad hoc, ꝙ in ipsa est potentiale & actuale, vt in graui & leui: & secundò quo ad hoc, ꝙ aliter periret liberum arbitrium.

Aduertendum est circa primū, ꝙ non ponitur potentiale & actuale in voluntate circa diuersa re, sicut in graui & leui, vbi totum ponitur potentiale ratione materiæ, & totum actuale ratione formę, quæ per essentiam differunt inter se, sed solùmmodò circa diuersa ratione, ponendo totam voluntatem esse potentiale ratione, qua natura est simpliciter, & actuale ratione, qua est libera, quę scilicèt natura & libertas non differunt secundum rem in voluntate, etsi secundum rationem, aut intentionem, & propter hoc potentiale, & actuale minus distant in voluntate, q̄ in graui, & leui, secundum

cundum quod in Quolibet. præcedente declaranimus distinguendo diuersa genera mouentium, & motorum.

Ad primã. Ad primum, ꝙ nõ est ita de graui & leui, quòd suo actuali mouent se per se, quia non mouent se nisi aliud moueat: & ideò se non mouent nisi per accidens: ergo nec voluntas mouet se per se.

Dicendum, quòd motus quandoq; dicitur strictè pro translatione corporali successiua habente partem & partem, aliquando largè pro translatione subita, & simplici non habente partes: aliquãdo verò largissimè ꝙ operatione spirituali ab agẽte spirituali in passum spirituale. Loquendo de motu primo modo, verum est, ꝙ graue & leue nõ mouentur à se nisi per accidens. Impellitur enim ab eis cum sic mouentur medium resistens, quod statim quodam fluxu mouetur, & secum defert id, quod ipsum impulit motu vectionis, ac si nauis seipsa impelleret aquam & aqua suo fluxu motu vectionis secum deferret nauem, & sic mouetur à se per accidens, quia impellit motum per se, per cuius motum mouetur per accidens. Quod autem sic mouetur per motũ alterius, ꝙ impulsu alterius mouetur: mouetur omninò per accidens, vt graue sursum. Loquendo autem de motu secũdo modo, graue & leue mouentur à se per se, quia tota mouentur, licèt ratione partis principaliter, & tota mouent licèt ratione partis principaliter, & hoc per virtutem, quam habent in se sibi propriam, licèt eam à generante receperint. Vnde cessante prohibente, vel amoto, si non esset medium resistens, graue in instanti faceret se deorsum & leue sursum, & hoc per se, non per aliud extra se.

Nunc autem, ꝙ graue descendit successiuè, hoc est propter impediens sua resistentia, ne descendat subitò, & propter deferens, quod ab impellente mouet successiuè: & ideò successiuè defert aliud. Vbi est aduertendum, ꝙ deferens mouetur per accidens, quia violenter ab impellente ipsum, & similiter delatum mouetur cùm deferente accidentaliter per accidens, quia propter deferens, quod mouetur per accidens absolutè, & sic delatum est per se mouens deferens, & accidentaliter per accidens motum, & à se, & à deferente: licèt alio modo accidentaliter. Per accidens enim mouetur à deferente, quia est in ipso per accidens. A se, quia non nisi per actionem, qua ipsum delatum mouet deferens. Per se.n. non moueretur à se nisi subitò. Et est aduertendum tamen, ꝙ graue minus per accidens mouetur à se deorsum, q̃ à violentante sursum, quia à violentante mouet omnò per accidẽs, scilicèt & quo ad sursum lationem, & quo ad successionẽ in latione. A se mouetur deorsum quoquo modo per se, scilicèt quo ad descẽsum simpliciter, licèt quo ad successionem in descensum moueatur à se per accidens, vt dictum est.

Loquendo autem de tertio modo motus, voluntas mouet à se, & hoc conuersione quadam spirituali ad seipsam, secundum illam decimã & septimã propositionem Procli. Oẽ seipsum mouens; primo ad seipsum est conuersum, & tale, vt dicit Comment. non vna parte mouet, & alia mouet, quod contingit in motu progressiuo animaliũ, secundum quod alias exposuimus, quod non est simpliciter seipsũ mouens, quia simpliciter se mouẽs, non secundum alteram partem est mouens secundum alteram motum, sed secundum totam suam substantiam est mouens & motum, neq; totũ mouetur parte, aut mouet, neq; è conuerso, quod cõtingit quodammodo in graui & leui: totum enim in eis mouetur, sed parte altera principaliter mouet, & è conuerso, vt patet ex dictis. Non enim secundum totum est ipsum motum, aut seipso motum, sed secundum partem eius, & hanc & illam. Sed tale, quod est seipsum mouens, primò secundum vnum & idem totum mouet, & mouetur, & eam, quæ est ipsius mouere operationem ad seipsum habet, & sic motiuũ sui ipsius ad seipsum conuersum est. Vnde quandocunq; Philosophi probant, ꝙ nihil seipsum per seipsum mouet, loquuntur de motu in corporalibus, ppriè dicto, propter quod dicta ipsorum circa illa non valent ad propositum circa voluntatem, nec omninò consimiliter mouet voluntas seipsam, & graue, aut leue, sed multò verius. Et secundum hoc omnes rationes, quas Aristot. inducit primo de anima contra Platonem, ꝙ anima est seipsam mouens, quæ veritatem concludunt in motibus corporalib. primo modo dictis: in motibus autem spiritualibus tertio modo dictis nihil omninò concludunt, soluit Macrobius in fine libri sui sic dicens; Aristoteles animam non solùm ex se moueri, sed nec moueri penitus conatur afferere. Plato autem dicit ex se moueri animam, non à causa, quæ intra se latet, vt mouentur animalia & arbores, sed ita dicit animã ex se moueri, vt non aliam causam, vel extrinsecus accedẽtem, vel intrinsecus latentem. Anima enim per se mouetur, vt ignis per se calet motu essentiæ conueniente. Sed Aristoteles etiam motuum genera in ipsa quærit, in quibus aliud est, quod mouetur, aliud quod mouet, cum nihil horum in anima cadere possit, in qua nulla discretio est mouentis, & moti. Motus enim eius est, ꝙ desiderio rapitur, quòd cupiditatibus alligatur.

Ad secundam. Ad secundum, quòd graue non mouet ratione materiæ, quia motum est in actu. Dicendum, quòd differt dicere aliquid moueri, & ratione cuius aliquid moueri. Verum enim est, ꝙ in graui materia, nec est motum, nec mutatum per se, sed totum cõpositum: hoc tamen ratione materiæ, quia non inest toti potentia ad motum nisi fundamẽraliter ratione materiæ. Quod autem assumitur, ꝙ est subiectum motus non principium eius, neque aliquid eius &c. Dicendum, ꝙ verum est ratione totius, potest tamen ratione partis, ita tamen quòd pars non est principium motus, sed totum, vt patet ex dictis iam, & sic totum graue est mouens, & totum motum, & multò verius voluntas, vbi nõ nisi

ratione

ratione differunt, ratione cuius mouet & ratione cuius mouetur, vt dictum est.

Ad tertiã. Ad tertiũ, ꝙ si voluntas propter potentiale, & actuale, & similiter graue & leue moueretur se, eadem ratione, & omne compositum ex materia & forma. Hoc benè concedimus motu per formam substantialem ad proprietates & proprias operationes suas, vt habitum est supra, licèt non semper motu locali.

Ad quartã Ad quartum, ꝙ nihil mouet se per se, quia realis debet esse differentia inter mouens & motum, dicendum, quòd non oportet nisi in aliquo modo motus, vt determinauimus in præced. Quolibet.

Ad quintam. Ad quintum, si aliquid per se mouet se, semper mouet se, dicendum, ꝙ verum est in mouentibus se naturaliter nisi sit impedimentum, vel finis motus adeptus, vt patet in graui & leui; non autem in mouentibus se libero arbitrio, qualiter mouet se voluntas, vt iam dicetur. Quod autem inducũt

Ad improbationes se cundi. contra secundum datum pro ratione, quare voluntas mouet se, s. quia aliter periret liberum arbitriũ, dicendum secundum quod in quæstionibus ordinarijs declarauimus, ꝙ differunt libertas, & libertas arbitrij. Libertas enim est vbicunque nulla occurrit coactio, licèt non sit libera electio valens ad oppositа; liberum arbitriũ autem non est nisi vbi est contrariorum libera electio; licèt enim posse malum non sit libertas arbitrij, nec pars eius; tamen non est sine hac, & vtrunque. s. tam libertas, ꝙ liberum arbitrium requirit, ꝙ motum non mo-

Ad primã. ueatur ab alio per coactionem. Per quod patet ad primum obiectum contra hoc cum dicunt, voluntas vult, quod non potest non velle, vt summũ bonum simpliciter, & bonum aliud ad horam quando vult, & tamen non nisi liberè vult.

Dicendum, ꝙ verũ est simpliciter, quo ad summum bonum, & etiam pro hora quo ad aliud, volendo, s. cum effectu illud aliud bonum cum isto, quia tunc contraria vellet simul, vt iam amplius declarabitur: si tamen non ponatur sic moueri ab alio à se quin possit contraire. Vnde sciendum est, ꝙ voluntatem ponere moueri ab alio nõ reputatur inconueniens propter ab alio moueri simpliciter, sed solùmmodò propter moueri de necessitate ab alio, quæ & libertatem arbitrij tollit. Simpliciter autem necessitate immutabilitatis benè potest moueri à se circa summum bonum, quia circa summum bonum necessitas immutabilitatis stat cum libertate, licèt non cum libero arbitrio, quia statim præsente summo bono per apertam visionem non potest voluntas nõ moueri in illud. Vnde licèt de necessitate poneretur moueri simpliciter circa summum bonum, & hoc à se: tamen est inconueniens ponere ipsam de necessitate moueri ab alio, vel à se circa aliud bonum pro hora, quia à se mouetur de necessitate immutabilitatis circa summum bonũ, quæ non excludit libertatẽ. Ab alio autem moueri, vel à se circa aliud pro hora, de necessitate excludit omninò liberũ arbitriũ. Intelligo si sic ab alio ponatur moueri, vel à se, ꝙ in illa motione nihil coagat & non possit contraire. Si tamen ponatur coagere, & ꝙ possit contraire, ne motio procedat, nec velit, sicut coagit in omni motu, quo mouetur in bonum à gratia, non remouetur libertas circa summum bonum, neque etiam liberum arbitrium circa bonum aliud. Si ergo ponatur hoc modo moueri ab obiecto & intellectu, dicendo ꝙ hoc sit naturę voluntatis & intellectus, sicut illud est naturę voluntatis & gratię, ita ꝙ non moueatur ab alio, nisi secundum modum congruentem naturę suæ, & ꝙ sic voluntas ponatur moueri ab alio, non impugnamus, sed potius, ꝙ non possit se mouere ex se, & ꝙ solùmmodo moueatur ab alio, cuius motioni non possit cõtrairę, etiam pro hora, nec possit mouere ex se sola contrà motionem illius, hoc impugnamus.

Ad secundam. Quod ergo dicunt, ꝙ voluntas simpliciter passiua est ab obiecto & à ratione determinante actũ, non potest stare si sic ab illis intelligatur moueri, vt nihil coagat nec possit contraire, quia tunc necessitaret eam, liberum arbitrium & libertatẽ tollendo, quemadmodum calor ignis necessitat combustibilia, vt comburantur. Aliter autem secundum dictum modum non est nobis inconueniens ipsam moueri ab alio, sed in hoc simpliciter actiua est, non autem passiua, nisi secundum quid.

Ad tertiã. Quod arguunt, ꝙ obiectum non mouet metaphysicè, nisi materiam, dicendum, ꝙ verum est, ꝙ materiam mouet Metaphysicè, quia non imprimit in materiam, sed secundum eius exigentiam agens imprimit in eam, nihilominus etiam mouet Metaphysicè agentem, tàm in artificialibus, quàm in naturalibus, quia sine illo non mouet quodcunque agens, licet non motus ab illo, nec est vere mouens aliud, quàm ipse appetitus, primo seipsum ad volendum, deinde materiam volitam exequendo, nisi iam dicto modo.

Ad improbationes tertij, primã Quod dicũt, quòd nihil est dicta causa sine qua non, quia non est causa, nisi agat per se, aut per accidens. Dicẽdum, quòd reducitur ad causam per accidens, non sicut per accidens calor generat, qa agit in materiam ipsam præparãdo ad generationem, non sic enim agit obiectum in voluntatem, s. præparando ipsam ad volendum, nisi iam dicto modo, nec sicut musicum ædificat, quia non musicus posset ædificare, sine obiecto autem cognito voluntas nihil potest velle, sed sicut remouens prohibens priuatiuè, quia non potest aliquid velle, nisi in notitia intellectus præsens sit sibi obiectum, quod non cognitum erat absens.

Quod dicunt, quòd passiua est à ratione per determinationem actus, & in libertate eius dimittitur actus exercitium, dicendum, ꝙ non determinatur voluntas in suo actu volendi, sic vt necesse habeat ipsum exequi, sed manet in suo libero arbitrio de non volendo, vel volendo determinatum, sicut in alijs quæstionibus declarauimus. Et sic ratio sua determinatione non est respectu actus volendi,

lendi, nisi dicto modo, aut non nisi sicut causa, sine qua non. nisi enim ratio ostenderet obiectum, voluntas non posset illud velle vel eligere propter aliqua quæ placent, aut refutare propter aliqua, quæ displicent, & sic electio & imperium præcisè & formaliter sunt in voluntate, & à voluntate, nec vllo modo in se concludunt actum rationis, sed supponunt tantùm, & quod amplius est, si eligibile determinaret suo iudicio, & diceret hoc esse eligendum & imperandum, sic ꝙ necesse haberet voluntas eligere & imperare secundum rationis iudicium, nondum tamen ex hoc in ratione esset aliquid electionis aut imperij, sed solùm dictamen eorundem, & non eligeret aut imperaret ratio nisi quia voluntati actus istos imprimeret, quemadmodum lux determinando visibile, actũ visionis imprimit visui. non tamen videre est operatio, seu perfectio lucis. Et præterea ratio non magis dictat actus determinationem, quàm exercitium, quia voluntas non vult nisi cognitum, si ergo non sit libera, quo ad actus determinationem, nec quo ad exercitium. Ad cuius intellectum sciendum est, ꝙ libertas arbitrij voluntatis nihil aliud est, quàm indifferentia quædam circa actus voluntatis, qui sunt velle & nolle siue non velle. & est duplex secundum ꝙ duplex est indifferentia circa actus voluntatis. Quarum vna consistit inter contradictorios actus voluntatis circa idem scilicèt in aliquod bonum determinatum volendo vel nolendo, siue non volendo. & secundum hoc dicitur libertas quo ad exercitium actus. Alia verò consistit inter contraria siue disparata volita respectu diuersorum actuum volendi vel nolendi. s. in volendo hoc vel illud, vel in nolendo hoc vel illud, & hæc dicitur esse libertas, quo ad determinationem siue specificationem actus. Quare cũ voluntas nihil potest velle vel nolle nisi cognitum per intellectum & rationem, si nihil omninò sit cognitum, nulla omninò potest esse libertas arbitrij voluntatis in effectu, neque quo ad exercitium actus, neque quo ad determinationem eius. Et sic si ratio nihil cognoscit, quia voluntas non agit volendo vel nolendo nisi cognitum, ideò non magis dictat actus determinationem, quàm exercitium, eo ꝙ neutrum dictat. Si ergo ratio dictat alterum illorum, hoc non est nisi cognoscendo aliquid, sed hoc vel simplici intelligentia comprehendendo incomplexum sub ratione incomplexi, vel intelligentia collatiua compositiua aut diuisiua, comprehendendo complexum sub ratione complexi.

Si primo modo, cum in tali comprehensione ratio non est nisi passiua, ipsa sua actione nihil omninò dictat aut determinat ex parte actus voluntatis, aut ex parte voliti. Sed si determinat aliquid, hoc est ipsum obiectum siue bonum cognitum, quod per actum cognoscendi seipsum proponit voluntati. Sed tale bonum sic cognitum & propositum voluntati, aut est vnum solùm per se cognitum & voluntati propositum, aut non, sed cũ alio, quod consimiliter cognitum est à ratione & propositum voluntati.

Si secundo modo, cum vtrunque æqualiter cognitum sit & propositum voluntati, æqualiter determinationem faciunt, vel non faciunt, vt non magis moueat liberum arbitrium voluntatis, quo ad actus exercitium in volendo vel nolendo per indifferentiam hoc vel illud, quàm quo ad actus determinationem in volendo vel nolendo potius hoc quàm illud, & sic ratio in isto casu non magis dictat determinationem actus quàm eius exercitium, immò æqualiter est voluntas liberi arbitrij & non liberi arbitrij, quo ad actus determinationem, & quo ad actus exercitium, & è conuersò.

Si verò primo modo cognitum est vnum solùm per se sine alio cognito, & sic propositum voluntati, tunc cum voluntas non potest velle vel nolle nisi cognitum, etsi istud cognitum possit liberum arbitrium uelle vel nolle indifferenter, vt sic omninò maneat liberum arbitrium quo ad actus exercitium, nullo modo tamen potest velle aut nolle aliud ab hoc, immò si aliquid velit aut nolit, oportet ꝙ sit istud & non aliud, vt sic non omninò maneat liberum arbitrium quo ad actus determinationem siue specificationem. Sed cum illa propositio, cognitum est vnum solùm, siue tantùm vnũ, continet hanc affirmatiuam, hoc est cognitum, & hanc negatiuam, nullum aliud ab hoc est cognitum, quæro an illa determinatio actus, circa quam voluntas non manet liberi arbitrij, sicut manet liberi arbitrij circa exercitium actus, procedat ab illo quod ratio cognoscit unum solùm propositum per hoc uoluntati, ratione affirmatiuę. s. quia cognoscit illud unum sit propositum uoluntati, an ratione negatiuæ. s. quia ratio non cognoscit aliud, nec aliud est propositum uoluntati.

Si primò modo, ut scilicet ratio dicatur dictare actus determinationẽ de uolendo hoc, & nõ aliud, potius quàm actus exercitium de uolendo hoc uel nolendo, quia hoc est ei cognitum, hoc non potest stare, quoniam si ratio dictaret illud, quia hoc est ei cognitum, aut ergo hoc dictat propter illud tanquàm propter causam per se, aut tanquàm propter causam per accidens. Non tanquàm propter causam per se, quia cum illud æqualiter est ei cognitum, quando est ei cognitum, & aliud similiter, & quando est ipsum solùm ei cognitum, æqualiter ergo dictaret actus determinationem hoc modo quando est cognitum, & aliud similiter, sicut & quando est cognitum per se solùm consequens falsum est, ut patet ex prosecutione secundi membri. ergo & antecedens.

Nec tanquàm propter causam per accidens, quia tunc propter aliquid aliud, ut propter causam per se, dictaret illam actus determinationem. Illud autem ut dictum est non potest esse aliud, nisi dicta negatiua, scilicèt quia non est ei cognitum aliud, quæ tamen non potest esse illius causa per se, quia illud dictamen quid politi-

uum est,& pura negatio nunquàm est per se causa alicuius positiui. Si ergo illa negatiua est causa illius,hoc solùm est per accidens. Quod non potest stare,quia cum illud dictamen sit positiuum quid: oportet habere sui aliam causam per se. Quare cũ hoc est impossibile, vt patet ex dictis. falsum ergo & impossibile est dicere, ꝙ cum ratio cognoscit vnum solum,ꝙ dictat actus determinationem potius quàm exercitium. Immò manet liberum arbitrium voluntatis, & quo ad actus determinationem de volendo hoc vel aliud,sicut quo ad exercitium actus de volendo vel non volendo hoc. Sed quòd potest cum effectu velle hoc & non potest cum effectu velle aliud,illius affirmatiuæ causa sine qua non, est illa affirmatiua. s. illud cognitum est à ratione. Istius autem negatiuæ causa est non positiua,sed negatiua,quia.s.non est aliud cognitum à ratione, quod est causa eius, ꝙ non potest velle cum effectu aliud,sicut impedimentum præbens. Quo quidem impedimento ignorantiæ siue nescientiæ aut non cognitionis remoto per illud positiuum, quod est cognitio causa alterius à ratione,iam liberum arbitrium potest cum effectu velle aut nolle non solùm illud,sed etiam aliud ab illo,quòd & prius liberum arbitrium velle aut nolle potuit,sed non cum effectu.& hoc non nisi propter dictum impedimentum eius negatiuum,non autem propter aliquod dictamen rationis,quo potius dictat actus determinationem, quàm exercitium.

Si verò ratio comprehendens intelligentia collatiua compositiua aut diuisiua dicatur potius dictare vnum illorum,quàm alterum, hoc similiter non potest stare,quoniam sicut talis ratio ex iudicio potest dictare,ꝙ hoc est volendũ & non aliud, siue vno cognito siue pluribus,& hoc quo ad actus determinationem, sic potest dictare, ꝙ voluntas debeat hoc cognitum velle & non nolle aut è contrario, & hoc quo ad exercitium actus. Et præterea dictando ꝙ hoc est volendum & non aliud, simul quo dictatur ꝙ est volendum, dictatur ꝙ non est nolendum, quia qui vnum oppositorum affirmat,negat reliquum. Et sic nullo modo ratio magis dictat actus determinationem,quàm executionem,propter quod neutrum sic dictat,quin maneat omninò liberum arbitrium in voluntate, & quo ad actus determinationem, sicut & quo ad exercitium circa aliud à summo bono viso,& circa summum bonum visum, sicut nõ manet liberum arbitrium in voluntate quo ad actus determinationem,sic nec quo ad actus exercitium, sed libertas pura quo ad vtrunque. Vnde si exponeretur ille articulus damnatus: Quod voluntas passiua est & non actiua,error, sic, verum est quo ad exercitium actus sequentis, non autem quo ad determinationem actus præcedentis, non est sustinendum. Quod enim ille articulus intelligatur quo ad actus præcedentis determinationem,manifestè explicat alius articulus,qui dicit sic,ꝙ voluntas de necessitate mouetur ab appetibili cessantibus impedimentis,error. quæ motio non pertinet nisi ad actus primi determinationem secundum illos,qui articulus sic exponeretur.dicendo ꝙ verum est simpliciter circa obiectum quod non habet omnem rationem boni, quia videlicet prius potuit id velle & non velle & postmodũ similiter esse circa aliud, sed non pro hora, quando vult, tunc enim de necessitate mouetur ab appetibili. Vnde solùm vult de necessitate quando determinatur ab intellectu siue simpliciter siue pro hora. Sed quæro,aut intendit istud pro illa hora ratione illius reduplicationis, aut simpliciter ratione actionis obiecti in voluntatem in illa hora absque reduplicatione.

Si primo modo,illud nõ est mirabile,quia nulla actio est ita contingens,quin per talem reduplicationem habeat necessitatem circa subiectum,modo qui iam dicetur. Sortes enim quando currit, necessariò currit, & sic nihil est illud ad propositum.

Si secundo modo, quæro, an illa hora qua determinatur ab intellectu,de necessitate moueatur ab obiecto,vt velit,& sic necessariò vult pro illa hora absque reduplicatione, quàmuis non simpliciter & necessariò vult,quia potuit prius impedimentum fuisse ne voluisset, & postea poterit cadere ab illa voluntate. Si dicas ꝙ non: ergo nullo modo voluntas de necessitate mouetur ab appetibili sicut nec pro alia hora, sic nec pro illa, & sic habet libertatem arbitrij, qua libertate arbitrij nõ solùm libere vult quod pro illa hora vult, sed etiã libero arbitrio vult sic,ꝙ possit pro hora velle oppositum, licèt non ponendo illud in effectu cum primo,quia contraria simul vellet. Et sic dicere ꝙ uoluntas moueatur ab intellectu sicut & agens modo iam dicto, ita ꝙ pro hora non possit uelle contrarium cum effectu ex causa iam dicta,non tamen quòd pro illa hora moueatur de necessitate, ut uelit,neque à se neque ab alio,nullum est incõueniens,quia eadem libertate ponitur moueri à se sola, sicut & à se cum alio mouente secum, ut patet ex prædictis. Et hoc est contrà illorum intentionem in illa expositione. Intendunt enim ꝙ uoluntas illa hora necessariò uult quod uult, quod damnat articulus.non dico quando uult, quod nõ damnat.

Nullus enim est ita fatuus ꝙ credat, ꝙ à tali obiecto moueatur de necessitate pro illa hora.ergo hoc non intendit articulus damnare,sed aliud.s.ꝙ de necessitate mouetur illa hora propter intellectus determinationem, sic ꝙ non possit motui resistere,quæ est necessitas coactionis. Aut forte cum hoc damnat ꝙ pro hora moueatur à se necessitate immutabilitatis,quoniam nec pro hora in alio bono à summo inuenit boni plenitudinem,ut necessariò se in illud transferat,sed libero arbitrio tantùm,quod magis credo esse verum. Adhuc amplius declarat tertius articulus, qui dicit sic.

Manen-

Manente scientia particulari in actu & passione, ꝙ voluntas non possit velle siue agere oppositum, error. Sed si exponeretur articulus iste per hoc ꝙ ista conceditur à magistris, non est malitia in voluntate, nisi sit nescientia siue error in intellectu, quia loquuntur de simultate temporis: non autem de causalitate, quia simul tempore est deordinatio in vtroque, siue ab intellectu causetur in voluntate, siue è conuersò, nunquàm potest esse in vno, quin simul sit in altero, si illa propositio magistrorum sit vera. Sed habendo aspectum ad causalitatem, si diceretur ꝙ voluntas non potest velle nisi cognitum, & sicut est cognitio in generali, & velle cognitum in generali, & sicut est cognitio in speciali & velle in speciali, & si est error in intellectu in generali, & in generali est in voluntate, & si in speciali, & in speciali, vt semper prius causalitate ponatur error in ratione, & causalitas erroris semper magis attribuatur rationi, quàm voluntati, simul similiter necessariò sunt error in ratione & in voluntate. Et dicere ꝙ hoc sequeretur si illud poneretur, in hoc nō est error. Quod tamen voluntas non possit in contrarium pro alio tempore, error est, sicut sedens dum sedet non potest ambulare, sed postea. Sicut enim scions pro nunc quo est sciens non potest errare, postea autem potest, similiter manente scientia in actu & passione pro illa hora voluntas non potest velle oppositum, postmodum autem potest. Vnde ꝙ ista sedens manens sedens, siue sedens dum sedet non potest ambulare, nō est distinguenda, sed est falsa, & in sensu composito, est quia frustra adderetur illa determinatio manens sedens, licèt quantum est ex natura rei benè posset distingui. Sed illa est distinguenda, sedens non potest ambulare, secundum vsum Philosophorum. Similiter & illa, sedens manens sedens, siue sedens dum sedet potest ambulare, quantum est ex natura rei distingui posset, licet non sit consuetum, ne frustra videretur additum ly manens sedens, vel ly dum sedet. Vnde sicut istæ se consequuntur, si ignis est, calidus est, & è conuersò, similiter si sciētia est recta, & voluntas. dico necessitate consequentiæ, sed nō consequentis.

Dico si illa propositio magistralis sit vera, non est malitia in voluntate nisi sit error in ratione. Ecce ꝙ innuitur distinctio illius: sciens manens sciens non potest velle siue agere oppositum, quia potest esse composita vel diuisa, & si composita sit est vera sub conditione tamen si illa est vera, non est malitia in voluntate nisi sit error in ratione, quia si sic, ista, si scientia est recta, voluntas est recta, est necessaria necessitate cōsequentiæ, quia necessariò simul sunt, licèt non necessitate consequētis. Licèt. n. scientia sit recta, non tamen necessitate consequentis voluntas de necessitate est recta, quia sic in nullo tempore vlteriore posset esse non recta, quod falsum est. Si verò illa, sciens manens & cætera sit diuisa, dicitur quòd est falsa, quia sic in nullo tempore vlteriore posset velle oppositū. Et sic secundum huiusmodi expositionem expono articulum dictum errorem esse pro sensu diuiso & pro necessitate consequentis, sub hoc sensu, manente scientia in actu & passione necessarium est voluntatem non posse velle oppositum, errorē, quia non est illud consequens necessarium, quia tunc pro nullo tempore alio posset velle oppositum, quod apertè erroneum est, & de quo nullus dubitat. Pro sensu autem composito, & pro necessitate consequentiæ secundum dictam expositionem exponitur articulus illum non esse erroneū sub hoc sensu. manēte scientia & passione in actu, necessariò sequitur voluntatem non posse pro eodem tempore vel hora velle oppositum, & quòd hoc non sit error, consequentia enim est necessaria, eo quòd necessariò simul sunt error & directio in vtroque, & non essent necessariò simul pro hora illa si non sequeretur. An autem possit concedi hoc totum & quomodo, patebit in determinatione habenda in sequenti quæstione. Si tamen non ponatur causalitas ex parte rationis, quia voluntatis malitiam necessariò sequitur error in ratione communiter dictus, etiam si non causatur à ratione in voluntate, sed è conuersò, si tamen illa sit vera, non est malitia in voluntate nisi sit error in ratione. super quam fundat se ista expositio, quia aliter non possent ista simul stare & esse simul vera, articulus ille, & propositio magistrorum. Sed ponendo causalitatem semper in ratione, omninò contrariatur articulo. Propterea enim damnatus est ille articulus, quia sic daretur rationi, quòd sic pro hora necessitaret & determinaret volūtatem, vt ad errorem vnius sequeretur error alterius. Per hoc enim in tali actu volendi tollitur libertas liberi arbitrij in eo, quòd non potest contraire. Sed non sic posuit dicta opinio causalitatē in rōne, sed solūmodo dixit ꝙ si ita poneretur, sic sequeretur, & sic vt dictum est, deberet articulus exponi. Et qđ amplius est, si causalitas motionis volūtatis ponatur in rōne mouente cum voluntate, sic tñ ꝙ non moueat nisi sm̄ modum congruentem suæ naturæ, quemadmodum dictum est de motione gratiæ, nullo modo necessitaret voluntatem, nec contrariaretur articulo. Ad illud quo arguitur obiectum voluntatis in eo ꝙ voluntas mouet seipsam, non esse causam sine qua non, quia non est causa per accidens, vt albedo in ædificando: Benè verū est, quia illa nihil agit per se omninò, causa autem quæ propriè dr̄ sine qua non, semper aliquid agit per se, vt iam dicetur. Similiter ꝙ neq; est causa p accidens, quæ agit, quo facto aliud exit in actum suum, dico ꝙ immò. ad modum. n. quo postq̄ scamonea expulit choleram, quæ impediuit virtutem naturæ ne posset infrigidare, statim virtus naturæ infrigidat, obiectum postq̄ per se mouerit intellectum ad actum cognoscendi, & per hoc expulerit ignorantiam, quę impediuit voluntatem ne posset velle aliud obiectū, statim volūtas liberè pōt velle.

Ad secundam tertij

Sed arguit contrà hoc, quòd.s.obiectum non agit sicut scamonea, quia nihil potest facere aliquid, quo facto aliquid potest mouere seipsum, quia aliquid per se mouere seipsum, est per se impossibile, & nihil potest facere aliquid quo facto aliud agat aliquid quod est impossibile agere, sed aliquid benè potest facere aliquid, quo facto aliquid potest mouere aliquid aliud à se, quod est per se possibile, sicut contingit in proposito, quando virtus naturæ infrigidat expulsa cholera per scamoneam. virtus enim naturæ non agit mouendo seipsam, neque partem in qua est, sed existens in vna parte puta in corde, mouet ad infrigidandũ partem proximam. & sic scamonea non facit aliquid, quo facto virtus naturæ moueat seipsam vel id in quo est. Vnde (vt dicit) exemplum de scamonea directè est contrà illos, qui ipsum adducũt pro se.

Dico ad hæc, quòd vt dictum est, obiectum omninò agit sicut scamonea, quia sicut scamonea nihil agit, nisi expellere choleram à membro, sic nihil agit obiectum, nisi expellere ignorantiam ab intellectu. sicut enim obiectum nullam vim ad mouendum se dat voluntati quando ab intellectu expellit ignorantiam, sic scamonea nullam vim ad mouendum dat virtuti naturæ, quando à membro expellit choleram & è conuersò. Sed sicut scamonea expellente choleram præcisè, exposita est virtus naturæ potestati suæ naturali ad mouendũ aliquid secundum exigentiam naturæ suæ absque omni impedimento: sic obiecto expellente ignorantiam ab intellectu præcisè, exposita est vis uoluntatis potestati suæ naturali absque omni impedimento ad mouendum aliquid secundum exigẽtiam suæ naturæ, nec ulterius hic intelligitur aliquid facere obiectum in intellectu, sicut nec ibi scamonea.

Aliter enim non essent causæ, sine qua non, sed propter quam sic. Et ideò sicut ibi expulsa cholera à membro potest virtus naturæ membrum infrigidare aliud à se, eò quòd hoc pertinet ad potentiam naturalem eius, quam nullatenus dat ei scamonea, ad quam potẽtiam uirtutis naturæ, quia corporalis est, nullo modo pertinet mouere seipsam uel id in quo est, sed solũmodo aliquid aliud, sic hic expulsa ignorantia ab intellectu, potest uoluntas seipsam mouere, eo quòd hoc pertinet ad potentiam naturalem eius, quam consimiliter nullatenus dat ei obiectum.

Ad quam potentiam uoluntatis, quia spiritualis est & libera, nullo modo pertinet motu spirituali, qui est operatio & perfectio entis in actu secundum φ est in actu, moueri ab alio à se necessitante ipsam, & quod amplius est, non potest voluntas mouere aliud à se siue spiritualiter, siue corporaliter, priusquàm seipsam moueat primò spiritualiter, quemadmodum lux nullo modo illuminat aliud, nisi primò in seipsa luceat, neque quodcunque agens spirituale agit aliquid in alio priusquàm agat suam propriam operationem in in seipso. dicente Proclo. 131. propositione. Omnis Deus à seipso propriam operationem orditur. Comment. Proprietatem enim eius, quæ in secundo, in seipso primò intendit. Cum igitur assumit, φ obiectum non agit sicut scamonea, quia nihil potest facere aliquid quo facto aliquid potest mouere seipsum: Dicendum, φ verum est, si illam potentiam mouendi seipsum non haberet naturaliter à se, & esset omninò impossibile voluntatem habere illam: sicut supponit in argumẽto. Si tamen illam habet à se naturaliter, & est impedita ab executione eius in opus, benè potest removens prohibens aliquid facere, quo facto potest mouere seipsum, quod prius non potuit, non quia illam potentiam non habuit, sed quia impedita fuit.

Ad qua tertij.

Consimiliter omninò in exemplo de scamonea. sicut enim obiectum nõ potest facere aliquid, quo facto voluntas potest mouere seipsam, quia non potest ei dare hanc potentiam, eò φ solùm potest expellere prohibens, sed illam virtutem naturaliter habet ex se, & ideo expulso prohibente mouet seipsam, & sic facit obiectum aliquid quo facto voluntas potest potestate, quam prius habuit, sed impeditam, & modo habet, sed solutam, mouere seipsam, sic nec scamonea potest facere aliquid quo facto virtus naturæ potest infrigidare partem sibi proximam, quia non potest ei dare hanc potẽtiam, eò φ solùm potest expellere prohibens, sed illam virtutem habet naturaliter ex se, & ideò expulso prohibente infrigidat partem sibi proximam. & sic facit cõsimiliter scamonea aliquid, quo facto virtus naturæ potest potestate, quam habuit prius, sed impeditam, & modo habet, sed solutam, mouere aliud à se. Et sic planè exemplum de scamonea est pro me secundum modum iam dictum quo ipsum alibi induxi, sed incompletè intellectũ ab illo, qui ipsum nixus est retorquere contra me. Vnde cum dicit, φ nihil potest facere aliquid quo facto aliquid potest mouere seipsum, quia aliquid per se mouere seipsum est per se impossibile, manifestè petit illud quod debet probare. s. φ aliquid mouere seipsum est per se impossibile.

Ad tertiũ tertij.

Ad secundum: Si obiectum non aliter agit, quàm mouendo intellectum, quo facto voluntas mouet se, eadem ratione posset dici, quòd appetitus bruti esset actiuus, & moueret se, quia mouetur sensu prius moto ab obiecto sensibili, & non aliter: Dico secundum prædicta, quòd re vera obiectum non aliter agit, quàm mouendo intellectum, & per hoc expellendo tenebras ignorantiæ ab intellectu, quo facto voluntas mouet se, quia hoc habet à natura sua non ab obiecto, nisi secundum modum congruentem naturæ suæ prætactũ, nec à prohibentis expulsione, licèt à prohibentis expulsione habeat quòd liberè possit in actum suę potentiæ mouendo se, quod prius non potuit propter impedimenti præsentiam.

Sed

Sed non eadem ratione potest dici q̃ appetitus bruti esset actiuus in mouendo se, quia non mouetur, nisi sensu prius moto à sensibili. quoniam appetitus bruti, q̃ moueat secundum actum, hoc non habet natura sua etiam post sensum, nisi prius fuerit motus à virtute naturæ secundum passiones qualitatum sensibilium. Et ideò licèt non possit moueri, nisi sensu prius moto à sensibili, cum hoc tamen quando sensus motus est à sensibili, benè requirit aliud mouens, & sic non est omninò simile, nec potest ille dicere, q̃ illud est omninò simile, nisi petat & supponat quod debet probare.

Adquartã tertij. Ad tertium quod dicit q̃ obiectum est per se causa mouens voluntatem, quia aliter non posset probari causa mouens per se, nisi quia ea posita ponitur effectus, & ea non posita non ponitur, vt patet in igne, & ligni combustione: Dicendum, q̃ verum est vbi nullum restat impedimentum amouendum, vt contingit in veris motibus corporalibus, qui sunt actus imperfecti secundum q̃ imperfectum, vbi corporale mouens corporalem motum mouet per contactum absque omnis impedimenti amotione. Propter quod necessariò sequitur, q̃ si tali sic posito ponitur effectus, & ipso remoto remouetur effectus; hoc est causa effectus, hoc est causa effectus per se. In motibus verò, qui propriè sunt operationes & perfectiones, & ideò actus perfecti secundum q̃ perfectum est, quemadmodum lucere est propriè actus lucis quibus mouens semper se mouet, nisi sit impedimentum, & in quibus potest interuenire impedimentum, non est verum, si tali posito ponitur effectus & eo remoto remouetur, q̃ sit causa effectus per se. Illud enim quod est remouens prohibens est tale. Vnde lux si posset impediri ne lucerat, amoto impedimento per se exit in actum lucendi absque omni alio mouente, & tamen posito remouente prohibens ponitur effectus lucendi, & eo non posito non ponitur, licèt non sit causa per se. Vnde & ignis ligna, quæ tangit, non comburit si impedimentum sit in lignis, nisi precedente actione eius, quod remouet prohibens, quo non posito nec impedimento remoto non comburit, eo autem posito & impedimento remoto, statim comburit. & sic non probatur per hoc aliquid esse causa per se, q̃ simpliciter eo posito ponitur effectus, & non posito non ponitur, sed q̃ cessante impedimento eo posito ponitur effectus, & non posito nõ ponitur. Et sic probatur q̃ ignis est per se causa comburens ligna, quia cessante impedimento antequam tangit ligna, cum tãgit comburit, & prius non comburit. Sic etiam probatur, q̃ voluntas est causa per se mouendi seipsam, quia cessante impedimento ignorantiæ priusquàm velit, per hoc q̃ obiectum est præsens in cognitione liberè potest illud velle vel non velle. Et sic multò essentialius voluntas per se potest in monendo se motu volendi, qui est eius operatio propria, quàm graue per se inclinatur deorsum, quæ inclinatio est ei accidentalis, eo quòd est extra locum proprium.

Quod autem adiungit in fine, quòd exemplum inueniri non potest, quòd aliquo præsente aliquid mouetur, & eo absente non mouetur, quin illud sit ei causa mouens per se, dicẽdum quòd falsum est, quia exemplum habetur in omnibus, in quibus agens coniunctum est patienti, & patitur aliquod impedimentum, quemadmodum contingit in scamonea & virtute naturæ. Si verò nullum patiatur impedimentũ, non est instantia, quin illud sit causa per se quo posito ponitur effectus, & quo non posito non ponitur. Sed hoc differenter in agente naturaliter, & in agente voluntariè, quia in agẽte naturaliter amoto impedimento effectus necessariò ponitur agente per se coniuncto patienti. In agente autem voluntariè, nequaquàm. Propter quod voluntas dominanter agit in volendo natura verò seruiliter, puta ignis in comburẽdo, quod nullo modo potest applicari ad motus spirituales, qui æquiuocè sunt motus cum illis.

Ad quintum tertij.

Comment. in Quæstionem Nonam, quæ est,

Vtrum subiectum possit per se esse causa sufficiens sui accidentis.

Ad tertiũ tertij.

IN titulo ex Auctore not. q̃ ne dum quæritur de causa materiali accidentis, sed de causa efficienti etiam, vt quæratur, quod nam sit illud, quod deducit accidens de potentia ad actum.

In corpore duo fiunt. Primum est, quòd habita diuisione, & subdiuisione tribus conclusionibus satisfit quæsito. Secundum est, quod satisfit pluribus rationibus, quibus contrà quædam dicta pro declaratione tertiæ conclusionis habentur à Doctore, atque idcirco consequenter maxima ex parte contrà conclusionem.

Not. pro primo, quòd videtur quidem resoluta hæc quæstio ab Aristotele 7. diuin. t. 2. & 4. Sed re vera non determinat Aristotelis verum sit substantia causa efficiens, vel materialis, quia solùm, quòd sint entia, quia entis dicit, Auctor verò specificat, & tùm in generali, cùm etiam in speciali de voluntate declarat, manifestans quomodo voluntas sit causa sui accidentis. Subscripta autem formula, quæ ad primum spectant, reducere, facilioris intelligentiæ gratia volumus, vt tamẽ primò notemus, quòd subiectum cum dicitur accidentis causa, oportet quòd sit substantia, quæ subijciatur accidenti, & ideò hæc est, quæ diuiditur, & subdiuiditur sic.

Substantia subiecta accidenti consideratur vel

Vt est aliquid in natura secundum se.

Vt habet in se virtutem agentis perfecti, sibi influxam, qua natum est illud accidens producere de potentia ad actum, & tũc quæstio est vel

De ratione, & modo causandi accidens, quod iam est actu in ipso subiecto.

De ratione, & modo causandi accidens q̃ nondum est actu in ipso subiecto.

Prima conclusio. Subiectum, siue substantia, est tantùm causa materialis accidentis.

Secunda conclusio. Substantia est causa accidentium efficiẽs concurrente generante substantiam.

Tertia conclusio. Substantia est causa accidentis efficiens amoto impedimento.

Quo ad primam conclusionem ipsa patet, quoniam, cum sit substantia causa vtroq; modo ex Aristot. 7. diuin. profectò non est eodem prorsus modo, sed vtiq; materialis, vt natura, quædam est, s. hoc habet à sua propria natura, q̃ sit causa materialis, nam est fundamentum materiale accidentium ex sua natura, sed est causa efficiens alio modo, s. ratione generantis.

Not. illud Auerr. quod qui dat esse, dat etiam consequentia ad esse, quod generat substantiam, generat etiam accidentia cõsequentia ipsam substantiam. Vnde generans hominem est etiam generans risibile in ipso, &c. humidum, & calidum.

Quo ad secundam conclusionem patet ex hoc not. sed considerandum, quòd ad generationem taliter accidentis, nè dum generans substantiam concurrit, sed forma illa subiecti, sed forma hæc subiecti, generat, &c. producit accidens mediante virtute generantis, vt rectè de ignis leuitate exemplificat Auctor, &c. exemplificari de omnibus potest. Vnde not. illud, quod communiter dicitur accidentia fluere à forma subiecti, quòd fluunt quidem, sed in virtute generantis ipsum subiectum, sed hæc satis nota videntur esse.

Not. autem pro intelligentia huius negotij, quòd aliud est causare inhærentiam in subiecto, scilicet esse causam, quod accidens sit in subiecto illo, nempè quòd generetur in subiecto, & aliud, quod de potentia in se extrahatur ad actum, quasi in prima consideratione accipiatur cum relatione ad subiectum, in secunda in se, &c. sine relatione: Nunc autem secunda conclusio est de prima causa.

Tertia autem de secunda causa. Cum autem duplex esse videatur subiectum accidentis aliud necessarium, aliud liberum, siue aliud naturale, aliud liberum, de vtroque est conclusio. Et in vtroque exemplo manifestatur conclusio.

Primò patet de motu leuis, &c. grauis, cuius subiectum est illius ignis, huius terra, & quidem subiectum est causa vtriusque grauitatis, &c. leuitatis, vt dictum est in secunda conclusione, quòd verò ascendat ille sursum per leuitatem, hæc deorsum per grauitatem, causa est idemmet subiectum amoto impedimento. Vbi not. quòd in hac tertia conclusione propriè considerantur operationes, &c. motus, qui primo sunt in potentia, cum sunt in termino à quo, in actu verò cum tendunt actu ad terminum ad quem, &c. huius quidem causa quæritur, &c. dicitur, quod est idemmet subiectũ, quoniam necessariò operatio consequitur formam, &c. fit in actu, amoto impedimento. In hoc autem est differentia inter agens naturale, &c. liberum, siue inter subiectum, & subiectum, quod cum alterum sit cognoscens, alterum nõ cognoscens exigit obiectum, tanquàm causam, sine qua non, non autem subiectum necessarium non cognoscitiuum.

Et not. quòd accidens aliud quidem est, quòd existente suo subiecto consequitur formam ipsius amoto impedimento, siue sit commune, siue proprium. Aliud verò est, quod non consequitur necessariò. Est autem conclusio de primo genere accidentium, non de alio. Tota autem difficultas videtur circa voluntatem, &c. quidem Auctor vult ipsam esse causam suorum accidentium sufficientem scilicet suarum operationum. Et ad hoc declarandum hæc tria præsertim habet. Primùm est, quòd voluntas tùm actiua sit, cùm etiam passiua, atque ideò, quòd in voluntate sit aliquid mouens & aliquid motum, non vtique quòd diuidatur in has partes, quippè tota sit mouens, totaque mota, diuersa ratione.

Mouens ratione, qua libera, mota ratione, qua natura quædam. Et hanc duplici impedimento impediri existimabit quis. Primo impedimento per coactionem, secundo impedimento priuatiuo, per ignorantiam. Sed primum non est verum, quia periret liberum arbitrium. Et hinc est, quòd ad motum voluntatis vult Auctor concurrere obiectum, sine quo non fieret motus voluntatis, & hoc est tertium dictorum ab eo, cum secundum sit hoc, q̃ quando voluntas non esset tota mouens periret liberum arbitrium. Et hæc omnia in secunda quæstionis parte impugnantur ab alijs, & ab Auctore obiectionibus satisfit. Sunt autem quatuor genera argumentationum, primum quidem probans voluntatem simpliciter esse passiuam. Secundum probans quòd in voluntate non sit mouens & motum, actuale, & potentiale. Tertium probans, quòd non per hoc periret liberum arbitrium. Quartum probans quòd obiectum non sit causa sine qua non.

Non est autem, quod aliquid nos addere velimus in argumentationibus, quando satis abundanter, & clarè loquatur Auctor, nisi prolixè orationi prolixiorem tentemus. sufficit quod ex his aliquod lumen quæstioni dederimus.

QVAE-

QVAESTIO DECIMA.

Vtrum appetitus sensitiuus potest mouere voluntatem ad consentiendum alicui, nulla de hoc existente notitia in intellectu.

SEQVVNTVR quæsita, quæ pertinent ad creaturam, quæ est homo, specialiter. Vbi quærebantur quędam pertinentia ad omnes homines generaliter, vt de quibusdam potentijs animæ, & quædam pertinentia ad quædam genera hominum specialiter.

Circa primum quærebatur vnum pertinens cõmuniter ad vires intellectiuas, & sensitiuas, vtrũ. s. appetitus sensitiuus potest mouere voluntatem ad consentiendum alicui, nulla de hoc existente notitia in intellectu, & vnum pertinens specialiter ad intellectum, vtrum. s. possibile sit homini, ꝙ assentiat propositioni cuius contrarium apparet sibi per rationem, & vnum pertinens specialiter ad voluntatem, videlicet vtrum amicitia sit virtus. Deinde quærebantur quædam alia pertinentia cõmuniter ad intellectum & voluntatem.

Arg. prin. Circa primum arguitur, ꝙ appetitus sensitiuus non potest mouere voluntatem ad consentiendũ alicui de quo nullam habet notitiam in intellectu, quia ordinem naturalem habent inter se cognitiua intellectiua, & appetitiua, quia appetitiua sua actione necessariò sequitur cognitiuam. non præcedente ergo notitia cognitiuæ intellectiuę de aliquo appetibili, per illud appetitiua sensitiua nullo modo potest mouere voluntatem. ergo &c.

In oppos. Contra. si cognitiua intellectiua apprehendit motum appetitus sensitiui prius, q̃ sensitiuus mouet intellectiuum, tunc apperitus intellectiuus, siue voluntas non mouetur ab appetibili sensitiuo, nisi ratio prius obumbretur errore, & non inficitur voluntas per malitiam, nisi prius obumbretur intellectus per errorem. Si oportet illam notitiã in intellectu præcedere: ergo oportet prius intellectum obumbrari per errorem, quàm appetitus sensitiuus moueat voluntatem, quod falsum est, vt videtur, ergo &c.

Resolut. q. Dicendum ad hoc, ꝙ notitia in intellectu de motu existente in appetitu sensibili contingit dupliciter. Vno modo simpliciter quasi notitia speculatiua, cognoscendo id quod est motiuum in appetitu sensitiuo, & motum ac modum motus. Alio modo cognoscendo eadem quasi practicè eis assentiendo & approbando. Si quidem neutro modo notitia appetitus sensitiui sit in intellectu, quànquàm sit in sensu, nullo modo appetitus sensitiuus potest mouere voluntatem ad consentiendum illi, quoniam voluntas vt dictum est non potest ferri in bonum, nisi cognitum, & quia non est virtus organica non fertur in bonum sub ratione qua particulare est primò, & sub conditionibus materiæ, & boni vt nunc, sed sub ratione vniuersalis, & boni simpliciter abstracti à conditionibus particularibus. Bonum autem mouens appetitum sensitiuum inquantum huiusmodi, & etiam sensum, habet rationem particularis boni, rationẽ autem vniuersalis, & boni simpliciter non habet, nisi per abstractionem in notitia intellectus. Et ideò nisi notitia intellectualis præcedat de eo, qđ mouet, & modo motus in appetitu sensitiuo, non potest ab illo moueri voluntas. Si verò non sit de appetitu sensitiuo notitia in intellectu secũdo modo, sed primo tantùm, in hoc credo consistere quę stionis difficultatem, vtrum. s. appetitus sensitiuus potest mouere voluntatem ad consentiendum illi motui, & appetendum illud, de quo ipsâ mouetur. de quo tamen intellectus nullam habet notitiam assensus aut approbationis, sed speculationis tantùm, vt secundum hoc in tali notitia nullus sit error præcedens circa iudiciũ rationis ipsam malitiam voluntatis. Quod non est aliud, quàm quærere, an possit esse malitia per appetitum in voluntate ab appetitu sensitiuo trahente & alliciente, nullo præcedente errore in ratione circa illud qđ appetit sensitiuus appetitus. & hoc siue error rationis ponatur esse per se causa, propter quam fit malitia in appetitu voluntatis, siue saltem causa sine qua non.

Et est dicendum, ꝙ secundum ꝙ dicit articulus tertius tactus in quæstione præcedenti, stante ratione recta, & in vniuersali & in particulari pro hora in qua stat potest uoluntas ei contrariari, & per appetitum generati malitia in uoluntate, ut sciens manens sciens & perseuerans in sua scientia possit contra scientiam suam agere. Vnde super illud Psal. 122. Forsitan uiuos absorbuissent nos, dicit August. in originali. Hi sunt qui uiui sorbentur, qui sciunt malum esse & consentiunt, consentiunt & uiuunt, scilicet sciendo malum, in quod manentes scioli incidunt uoluntariè. Sed completa malitia, tunc primo perfectè moriuntur opinando contrarium eius, quod prius sciuerunt. propter quod subdit continuò Augustinus dicens. Absorpti moriuntur. Vnde Augustinus loquens de eodem, super illud Psalm. 68. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, quærit sic. Quid est uiuos? consentientes & scientes, quia consentire non debeamus. ecce norunt muscipulam, & pedem mittunt, tantùm ualet animi præsumptio, ut & coram ipsis muscipula sit, & incidant in eam. Muscipula, siue laqueus peccatum est, siue malitia in voluntate, esca in laqueo lucrum aliquod, vel delectationis, vel alterius alicuius expetitio. Tunc autem est coram ipsis muscipula quando peccatũ notum & cognitum est in intelligentia. Vnde super

per

per illud Psal. 139. Non tradas me Domine à desiderio viro peccatori, dicit Augustinus: Tu desiderio tuo facis locum diabolo: ecce diabolus proposuit lucrum, & inuitat ad fraudem: lucrum habere non poteris nisi fraudem feceris, sed lucrum esca est, fraus laqueus. Sic attendas ad escam, vt videas laqueum. Fraudem enim si feceris, capieris. Frena desiderium, & non cades in laqueum. Si autem vicerit te desiderium escæ, mittet tibi collum in laqueum, & capiet te auceps animarum. Sic ergo stante ratione recta pro hora, in qua stat potest voluntas et contrariari, & generari prius malitia in voluntate, q̃ error proprie dictus generetur, ita quòd nullo modo præcedat, neque vt causa propter quam sic, neq; vt causa sine qua nõ. Quod procul dubio intendebat tertius articulus erroneus tactus in fine præcedentis quæstionis.

Sed ista malitia, siue fuerit peccati mortalis, siue venialis, necessariò est statim causa erroris aliqualis, siue obscurationis in ratione. Vnde super illud Psalm. 2. Tunc loquetur ad eos in ira sua, dicit Augustinus sic. Ira Dei ipsa est mẽtis obscuratio, quæ consequitur eos, qui legem Dei transgrediuntur. Vnde postquàm dixisset Dauid Propheta. Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum, continuò adiecit. Obscurentur oculi eorum, ne videant ita clarè, sicut prius suo facto, quia iam amplius & liberius, cum dixisset Propheta, Obscurentur oculi eorum, ne videant, continuò adiecit. Et dorsum eorum semper incurua. vbi dicit Augustinus; Hoc consequens est; nam quorum fuerunt oculi obscurati, ne videant, sequitur vt dorsum eorum incuruetur: cum autem dorsum voluntatis sic fuerit incuruatum, tunc demum ampliore ira Dei, oculus rationis obscuratus omninò excæcatur. Propter quod sequitur continuò in Propheta. Effunde super eos iram tuam. vbi dicit Augustinus. Nam cæcitas occulta vindicta est. Vt enim dicit idẽ super Psalm. decimumtertium. Corrupti sunt & abominabiles facti sunt in affectionibus suis, ipsę sunt affectiones quæ corrumpunt animam, & sic excæcant, & corrumpunt, vt credat oppositum principij esse verũ. Cumque enima sic oculo intellectus fuerit excęcata, tunc in voluntate cumulant peccata super peccata. Vnde postq̃ dixit Propheta. Effunde sup eos iram. t. addit paucis interpositis. Appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum. Augustinus. Non vulnerando, sed finendo: & tunc demum in voluntate fiunt obstinati, ne reuertantur ad bonum. Propter quod sequitur continuè. Et nõ intrent in iust. t. deleantur de libro viuentium. Et per hunc modum in gyrum malitiam voluntatis sequitur error rationis per obscurationem, & è conuerso errorem rationis maior malitia voluntatis, & illam maior obscuratio, & sic gradatim quousque ad plenam rationis excæcationem, sequatur voluntatis perfecta obstinatio: sic tamen ꝙ semper causalitas incipit à malitia voluntatis, contra illud, qd dicunt quidam, vt habitum est in fine præcedentis quæstionis, qui propheciam sequuntur Aristot. in hoc in septimo Ethicorum, dimittẽtes doctrinam clausam in libris sacris, & à Sanctis expositam, vt patet ex dictis. Ex quibus etiam aduertendum, ꝙ licèt error rationis & malitia voluntatis semper simul sint tẽpore, siue duratione, vt dicit illa propositio à magistris concessa: Non est malitia in voluntate nisi sit error in ratione, ex qua sequit illa. Si ratio est recta, & voluntas est recta: semper tamen natura & causalitate præcedit malitia voluntatis, puta si primò fuit malitia voluntatis in a, instanti siue venialis, siue mortalis, & toto tẽpore præcedenti potuit præcessisse rectitudo, & plena claritas rationis de contrario eius quod voluntas elegit, sed simul cum generata est malitia voluntatis in a, in eodem instanti declinata est ratio à sua rectitudine, & à sua claritate obscurata: veruntamen natura prius est malitia in voluntate generata, q̃ ratio sic est declinata, vt secundũ intellectum illud instans, quod est a, oporteat diuidere in duo signa secundum prius & posterius secundum naturam, & in prori signo malitia voluntatis est generata stante adhuc rectitudine rationis absque omni obscuratione vitiosa tracta à voluntate.

In posteriore verò ratio declinata est per aliqualem obscurationem vitiosam.

Et est aduertẽdum, ꝙ sicut secundum prædicta voluntas non q̃ citò est malitia infecta, & omninò auersa à bono, tàm citò est obstinata, sicut nec q̃ citò ratio à sua rectitudine, & claritate declinata, tàm citò est excæcata, & omninò corrupta, aut à vero auersa, & hoc ideò quia volũtas magis immergit se, & vnit volito, q̃ intellectus intellecto, vt infra dicetur.

Sed vt dictum est, paulatim primò obscuratur ratio per primam malitiam aliquantulum, & crescit obscuratio plus & plus, secundum quod crescit & augmentatur malitia voluntatis, ita quòd cum rectitudo rationis sit per claram notitiam firmum habere iudicium de veritate, & rectum, qua cognitis terminis cognoscũtur principia in moralibus, & in credibilibus, vt ꝙ furtum sit malum cognito quid sit furtum, & quid sit malũ, & ꝙ Deus sit, cognito quid sit Deus, & quid sit esse, obscurata ipsa ratione in sua notitia, & deficiente claritate eius incipit iudiciũ vacillare, & deficere à sua firmitate, & rectitudine. Quod enim quis rectè iudicat, ex peccato ei in dubium venit, sicut super illud Matth. 3. Vt tentaretur à diabolo, dicit etiã Glossa illa, quæ sic incipit. Nouit filium Dei, vt deinde augmentata obscuratione ad augmẽtationem malitiæ, tandem dubitatio est de illis principijs, & tandem ratione excæcata deficit omninò rectitudo iudicij circa principium, & notitia intellectualis terminorum, & per appetitum sensualẽ ex notitia sensuali, quàm habet de terminis, iudicat oppositum principij, vt ꝙ furtum est bonum, & ꝙ Deus non sit. Iuxta illud. Dixit insipiens in corde suo non est Deus, & quæ sit ratio continuè

subiungit.

subiungit. Corrupti sunt &c. vt iam supra. Et tūc voluntas fit obstinata, & implet illud Prouerb. 18. Peccator cum venerit in profundum malorum cō temnit. Quod exponens Aug. super illud Ps. 142. Similis ero descendentibus in lacum, dicit sic; Quid est contemnit? Iam nec vllam prouidentiā deputat, aut si deputat, ad illam se pertinere non putat, proponit sibi licentiam peccandi. Vnde si excæcationem appellemus plenum defectum iudicij rationis, non statim ratio excęcatur, sed præcedunt plures gradus obscurationis. Si verò appellemus excæcationem totum progressum excæcationis, sm̄ quod usus fui excæcatione in primo Quolibet. dicendo, ꝙ q̄ citò est malitia in voluntate, ratio obscuratur & excæcatur, quemadmodū homo, qui graditur continuè ad mortem dr̄ mori. Ex quibus declaratur veritas illius articuli tertij positi in fine præcedentis quęstionis, manente scię tia particulari in actu & similiter passione, ꝙ voluntas non possit velle oppositum, error, & vniuer saliter propositionis magistralis, quæ dicit: Nō est malitia in volūtate nisi sit error in ratione, & quo modo simul stant, & quomodo non. Veruntamen ad ampliorem vtrorunq; intellectum est hic aduertendum, ꝙ ista, sciens non potest velle oppositum scientiæ, duplex est, sicut illa, sedens non potest ambulare. Quia potest esse composita, vt ly velle determinet ly sciens, & sic cōponatur ei sub hoc sensu, scientem velle oppositum scientiæ non est possibile, in quo sensu expositio habita in præcedenti quæstione diceret eam esse veram, quia secundum ipsam pro hora scientię non potest velle oppositū. Vel potest esse diuisa, vt ly velle non determinet ly sciens, sed separetur ab ipso sub hoc sensu, scientem non est possibile velle oppositum, in quo sensu procul dubio est falsa, quia tunc in nullo tempore vlteriore etiam non manente scientia posset velle oppositum. Similiter illa, sciens dū scit non potest velle oppositum, sicut & illa, sedēs dum sedet non potest ambulare, eodem modo est duplex, & eodem modo vera, & falsa, & secundum eosdem sensus, sed magis explicatos. Est em̄ iste sensus compositus, scientem velle oppositum scientiæ dū est sciens, non est possibile, & iste est sensus diuisus, scientem dum est sciens nō est possibile velle oppositum, siue sciens dū est sciens habet potestatem volendi de cætero oppositum. Similiter ista sciens manens sciens non potest velle oppositum, eodem modo duplex est, & habet consimiles sensus sicut & illa, sedens manens sedens nō potest ambulare. Et procul dubio si in illa, Nō est malitia in volūtate nisi sit error in ratione non est distinguendū de errore in ratione; & similiter si in illa, sciens manente scientia nō pōt uelle oppositū, nō est distinguēdum de sciētia manēte. Sed oēs sensus prædicti compositi sunt veri, si illa est vera, si scientia est recta, voluntas est recta, & è conuersò, & si scientia est obliqua, & volūtas est obliqua, & è conuersò, vt semper rectitudo proportionaliter respōdeat rectitudini & obliquatio obliquationi, vt non possit esse verum, quod dicit ille articulus, ꝙ sciens manens sciens, siue manēte scientia nō potest velle oppositum, error, nisi pro sensu diuiso, sicut non potest esse verum, quod dicit illa propositio. Si scientia est recta, volūtas est recta, error, nisi pro necessitate consequentis.

Quare si è contrariò secundū verum intellectū articuli ponantur omnes illi sensus compositi falsi, vt sciens posset velle oppositum dum est sciens, & tunc manente scientia, aut etiam post, procul dubio illa propositio, non est malitia in volūtate nisi sit error in ratione, falsa est: & similiter ista si ratio est recta, voluntas est recta, etiam necessitate consequentiæ, & contrariatur articulo damnato nisi distinguatur error rationis: & similiter scientia manens. Hoc enim facto concordari possunt articulus, & dicta propositio, vt iam patebit.

Sustinendo ergo dictas propositiones de scire & velle falsas esse, & secundum sensum compositū, secundum aliquos modos, vt iam dicetur: & secūdum diuisum, licèt illæ de sedere, & ambulare in sensu cōposito sunt veræ: & tamen posse simul stare quoquo modo dictam propositionē magistralem in sua veritate. Dico, ꝙ ista propositio error est, ꝙ sciens manente scientia non potest velle oppositum, secundum prædicta duplex est, & secundum duos sensus duas causas habet veritatis.

Vnam, ꝙ manente scientia prius per totum rēpus præcedens actum volendi, voluntas non possit in oppositum finito illo tempore, vt si in a, instanti ponatur primus actus volendi, & scientia opposita manente per totum præcedens tempus, licèt quoquo modo corrumpatur in illo actu volendi. Nec refert ad hoc, siue error rationis ponatur causa erroris voluntatis, siue è conuersò. In isto sensu secundum istam causam clarum est, ꝙ dictum in illo articulo est error. Est enim sensus diuisus, & manifestior quem potest habere. Aliam verò causam habet veritatis, ꝙ manente scientia simul cū ipso velle, aut etiam post ipsum velle, voluntas nō potest velle oppositum, quia non necesse est voluntatem & scientiam concordare in rectitudine & obliquatione, qui est sensus diuisus. Vnde si scientia est recta, & voluntas est recta, & si scientia est obliqua & voluntas est obliqua, & è conuerso quia voluntas potest velle oppositum eius, quod scientia manens dictat, & hic possunt discordare, vt ꝙ non obstante, ꝙ scientia manens sit recta, voluntas potest esse obliqua simul, aut è contrà non obstante, ꝙ scientia sit obliqua, voluntas potest esse recta. Sed in hoc sensu distinguenda est illa propositio, non necesse est voluntatem & scientiā concordare, sic, ꝙ non est necesse si scientia sit recta voluntas est recta, & è contrà si scientia est obliqua, & voluntas est obliqua, quia ly necesse negatum potest dicere necessitatem consequentis, vel consequentiæ. Si consequentis, sic iterum clarum est, ꝙ dictum in illo articulo est error, quia si sciē-

tia est recta non est necesse, ꝙ voluntas sit recta, vt non possit velle oppositum, vt dictum est in fine prꝫcedentis quæstionis. Si verò dicat necessitatem consequentiæ, sic ista, si scientia est recta, non est necesse, ꝙ voluntas sit recta, duas habet causas veritatis. Vnam, quia scientia recta non est causa voluntatis rectæ, Aliam, quia voluntas obliqua stare potest simul cum scientia recta, aut è contra.

In isto primo sensu, & secundum istam causam clarum est, ꝙ dictum in illo articulo est error. Hæc enim, vt dictum est in fine præcedẽtis quæstionis, fuit causa principalis damnandi illum articulum, quia. s. supponit, ꝙ ratio sic est motiua necessitate naturali ipsius voluntatis, ꝙ non possit oĩnò contrariari, quod falsum est, quia liberum & voluntarium, quod est libori arbitrij non potest sic moueri de necessitate ab alio absq; coactione, quia moueri non habet nisi à se sola, aut etiam ab alio secũ mouente secundum naturæ suæ congruẽtiam per libertatem circa summum bonum visum, vel per liberum arbitrium circa quodcunque aliud bonũ, vt dictum est iam supra, quæ quidem coactio in tali nullo modo stat cum libertate, aut libero arbitrio, immò tollit ambo, vt dictum est in præcedenti quæstione. Et hoc sufficiebat dicere aliquando & aliàs solebat cõcedi, si scientia est recta, voluntas est recta, & è conuersò, & si benè recolo in finibus istis steti sub quodam inuoluto in primo Quolibet. quod scripsi. Sed modo vlterius procedendum est, dicendo, quòd in secundo sensu propter secundam causam. s. quia voluntas cum sua obliquatione compatitur scientiam rectam, vt voluntas non possit velle oppositum manẽte scientia simul, aut posterius, adhuc duplex est, quia aut potest intelligi de scientia obliqua, & voluntate recta, vt si sit scientia obliqua, voluntas non põt esse recta volendo oppositum, aut de scientia recta & voluntate obliqua, vt si scientia sit recta, voluntas non potest esse obliqua volendo oppositum. Si primo modo, clarum est, ꝙ dictum in dicto articulo est error. Ex quo enim, vt dictum est scientia obliqua non est causa obliquitatis in voluntate, sed è conuersò manente scientia obliqua benè põt esse voluntas recta volendo oppositum. Si secũdo modo rectitudine absque omni obscuritate, & vacillatione, seu dubitatione. Si primo modo, sic an illa si sciẽtia est recta nulla. s. obscuratione obliquata, voluntas nõ necessariò est recta, sit vera necessitate consequentiæ, vt voluntas possit velle oppositum manente tali scientia, & sit error, ꝙ non possit velle oppositum, diligens lector iudicet, & an illa benè potest concedi à magistris, non est malitia in voluntate nisi sit error in ratione. s. per aliqualem obscurationem. Videtur enim secundum prædicta, ꝙ voluntas sua obliquitate quacunque non compatitur scientiam rectam, sed semper voluntas sua obliquatione est causa aliqualis obliquationis scientiæ, vt voluntas nullo modo potest velle oppositum manente scientia sic recta, vt secundum hoc sit quoquo modo omnis peccans ignorans quod facit, maximè pro hora secundum determinata à nobis in primo Quolibet. ex qua causa concessa est illa, nõ est malitia in voluntate nisi sit error in ratione. s. sequens naturaliter vt causatus, licèt in eodem instanti secundum rationem aliquantulum obliquans scientiam, licèt præcedẽs nullo modo possit, vt causa obliquare volũtatem, sicut nec scientiæ rectitudo potest esse causa rectitudinis voluntatis. Possunt enim voluntatem & rectam & obliquam simpliciter, & absque causalitate ex parte scientiæ præcedere scientia tàm recta, q̃ obliqua. Si secundo modo. s. scientia existente in rectitudine incompleta, sic illa, si scientia est recta voluntas est recta, nullo modo est necessaria necessitate consequentiæ: immò etsi scientia est recta non est necesse, ꝙ voluntas sit recta, quia scientia sub rectitudine imperfecta benè stat cum volũtate obliquata, licèt non cum omninò obstinata. Et ideò in isto sensu dictum in dicto articulo error est. Similiter in isto sensu in alio articulo error est, quia sciens potest uelle oppositum scientiæ manentis in rectitudine incompleta, quæ tamen potest dici rectitudo simpliciter respectu illius obliquationis, qua ratio omninò corrumpitur opinando oppositam principij agibilium, uel credibilium, cum tamen omnis obliquatio uoluntatis per consensum in malum mortalis peccati, dicatur obliquatio simpliciter, & nullo modo rectitudo, licèt illa obliquatio non sit tanta quanta est quando uoluntas omninò est obstinata, ut secundum hoc illa potest concedi, si scientia est recta, uoluntas est recta, & si obliqua est scientia, obliqua est uoluntas, & è conuersò proportionaliter hincinde. Ita tamen ꝙ cum scientia obliquata rectitudine incompleta ratione obliquationis, quæ tamen est cõpleta ratione recti iudicij, etsi non omninò firmi, benè stat uoluntas simpliciter obliquata, licèt non ultimata obstinatione. Sed cum scientia obliquata perfecta obliquatione, qua corrupta est ratio & perfectè excęcata, non stat obliquatio uoluntatis nisi obstinata, nec è conuerso, ut secũdum hoc intelligatur articulus, manente scientia simul, uel post in rectitudine simpliciter, licèt aliquantum obscurata, ꝙ non possit uoluntas in contrarium, error, quod in rei ueritate errorem. Sed an ratione manente in apice rectitudinis absque omni obscuratione, ꝙ uoluntas non possit uelle oppositũ, error sit, uideat lector, cum ut dictum est omnem obliquationem uoluntatis necessariò sequitur simul aliqua obscuratio rationis, & etiam secundũ hoc intelligatur propositio magistrorum simul stare cum articulo, ꝙ si malitia est in uoluntate error est in ratione. s. ꝓportionalis, uel obscurationis tm̃ si non sit cõpleta malitia, uel excęcationis, si sit malitia obstinata. In quinq; ergo modis clarũ est, ꝙ sit error dictũ in illo artic. Iciens non põt uelle oppositum manente scientia in particulari & passione. In unico autem ex præpositis iudicet, qui uoluerit,

rit, quoniam istæ duæ stant simul, manente scientia in particulari & passione, uoluntas non potest uelle oppositum, quam damnauit Dominus Episcopus, & illa quam concesserunt magistri, nõ est malitia in uoluntate, nisi sit error in ratione. Quod ergo arguitur primò, ꝙ uoluntas nõ potest moueri ab appetitu sensitiuo, nulla præcedente de illa notitia in intellectu, concedo.

Ad argu. in oppos. Ad illud, quod arguitur in oppositum, ꝙ tunc prius obumbraretur intellectus, q̃ appetitus sensitiuus moueret uoluntatem alliciendo, quia aliter mouere eam non posset: Dicendum, ꝙ non oportet. Nec hoc est possibile, ꝙ appetitus sensitiuus obumbret modo aliquo uitioso, de quo est sermo, intellectum à sua rectitudine quam habet, nisi mediante uoluntate, licèt eam impedire potest in acquisitione rectitudinis, & rectis iudicijs ex rectitudine acquisita, sicut & ebrietas & phrenesis, & hoc obumbratione non uitiosa quando procedit ex morbo.

Comment. in Quæstionem Decimam, quæ est,

Vtrum appetitus sensitiuus potest mouere voluntatem ad consentiendum alicui, nulla de hoc existente notitia in intellectu.

IITVLVS satis clarus.

In corpore est distinctio de notitia intellectus, nempè quomodo intelligi debet ista negatio notitiæ in intellectu: nempè, quòd omninò negatur notitia in intellectu, vel negatur tantùm notitia speculatiua concessa practica, vel tertio negatur notitia practica concessa speculatiua, & ex hac habita distinctione triplici conclusione satisfit quæsito.

Prima conclusio. Omni prorsus notitia negata ab intellectu, sensitiuus appetitus nullo modo potest mouere voluntatem.

Secunda conclusio. In intellectu existente practica notitia, sensitiuus appetitus potest mouere voluntatem alliciendo.

Tertia conclusio. In intellectu existente sola scientia speculatiua, non necessariò mouetur voluntas ab appetitu sensitiuo, vt agat iuxta cognitionem.

Prima conclusio patet. Voluntas non fertur nisi in bonum cognitum vniuersale, ergo nulla notitia existente in intellectu potest moueri voluntas. Probatur antecedens, quia voluntas, cùm non sit potentia organica non fertur in bonum particulare, sed vniuersale: sed appetitus sensitiuus non affert nisi bonum cognitum particulare, igitur consequentia patet, quoniam solus intellectus cognoscit in vniuersale, & ideò solus defert obiectum bonum vniuersale.

Not. ꝙ tametsi D. Thom. p. 2. quæst. 9 art. 2. concludat voluntatem moueri ab appetitu sensitiuo ex parte obiecti, non contradicit huic conclusioni, si quidem non vult intelligere, ꝙ ex parte obiecti moueat directè; & immediate: sic enim obiectum particulare esset obiectum potentiæ non organicæ, quod est falsum. Sed vult id esse occasionaliter, & mediatè, quo ad actus specificationem, & quidem mediatè, quia mediante intellectu practico, à quo vniuersalizatur illud obiectum, & voluntate defertur.

Not. etiam non tollitur, ꝙ non moueatur à seipsa, vt videbimus modo in sequenti conclusione.

In secunda igitur conclusione, quam Auctor, tanquam notam supponere videtur.

Not. est ꝙ intelligi debet sicut modo dictum est, & tenet D. Thom vbi supra, quod scilicèt appetitus sensitiuus mouet quo ad specificationem actus, non quo ad exercitium, & ex parte obiecti mediatè, & occasionaliter, vt tamen ita moueat deinde intellectus practicus, vt non tollat libertatem, qua moueatur voluntas à seipsa. Quippè vt rectè dicit D. Thom. in tertio articulo eiusdem quæstionis ad tertium. voluntas non mouetur ab intellectu, quo ad exercitium actus, sed secundum rationem obiecti, quasi si moueri debet voluntas ab obiecto, sicut & omnis potentia, oportet, vt prius cognoscatur obiectum ab intellectu, & approbetur.

Quo verò ad tertiam conclusionem, in qua maxima est difficultas, ipsa intelligenda est rectè: duplicem enim sensum habere potest. Primum quidem, vt ideò moueatur voluntas à sensitiuo appetitu mediante speculatiua notitia obiecti in intellectu, ꝙ ipsa obiecto delato non assentit, atque illud non eligit, vel respicit, nisi prius fuerit cognitum ab intellectu. Et hic sensus bonus, & super ipsum nulla est difficultas, quoniam communis est illa, & vulgata sententia, ꝙ voluntas nõ fertur in incognitum, hoc est non mouetur ab obiecto non prius cognito ab intellectu. Alter sensus est, ꝙ taliter mouetur voluntas immediate ab intellectu speculatiuè, cognoscente obiectum, vt ipsa non possit eligere nisi secundum ꝙ intellectus cognoscit. Ita vt error in intellectu sit causa malitiæ in voluntate, & rectum rationis dictamen, rectaque obiecti notitia sit causa bonitatis voluntatis, quasi voluntas non eligat nisi secundum quòd ratio dictat, vt si malè dictat ratio, malè etiam eligat voluntas: contrà verò si rectè dictat recte quoque volnntas eligit, & operatur, vt ideò semper ratio erronea præcedat voluntatis malitiam, quæ voluntas propterea excæcatur à ratione, vel ratio recta reportat bonitatem.

Habet autem Auctor cooclusionem negatiuam expositoriam tertiæ propositæ, s. ꝙ voluntas eligere potest malum etiam ratione bonum dictante, & contra eligere bonum, ratione erronea existente. Et hoc pluribus auctoritatibus probat in litera, colligendo, ꝙ ratio potius excæcatur à voluntate, quàm contra mala fiat voluntas à ratione, si quidem voluntas liberè agat, ad quod inducuntur plura Augustini, & gloss. in litera.

Not. autem, ꝙ hæc excæcatio proueniens à voluntate in intellectu potest intelligi dupliciter, primò, ꝙ excæcatur intellectus quantum ad considerationem, siue speculationem, vel faciendo intellectum habere habitum considerandi aliqua media ordinata ad malum finem, secundus sensus acceptatur à Scoto 3. sent. dist. 36. quæst. vnica. Et probat in hoc sensu voluntatem excæcare intellectum priuatiuè, & etiam positiuè, vt ibi patet. Alterum verum sensum imponit Doctori nostro, & contra ipsum pluribus ratiocinijs arguit. Sed certè non absolutè vult Auctor, intellectum, excæcari circa principia complexa, in quantum, ꝙ cum prius ea nouisset, ea deinde ignoret per negationem habitus, sed vtique ignorat quo ad negationem actus. Quod patet ex auctoritatibus adductis, maximè verò ex illa Augustini super illud, Similis ero descendentibus in lacum, dicentis, Quid est, contemnit? Iam nec vllam prouidentiam deputat, aut si deputat ad illam se pertinere non putat, proponit sibi licentiam peccandi. Ecce, ꝙ cùm inducit Auctor hanc Augustini sententiam, intelligit de excæcatione intellectus, quo ad agibilia, & habitum considerandi quo ad media ad malum; cum enim prius nouisset furtum non esse faciendum, Deum adorandum, timendum &c. excæcatur intellectus ad operandum, & ad oppositum tendit his medijs assumptis. Furtum est bonũ. Deus non est, cuius rei causam adducit Auctor ex Augustino dicente, Corrupti sunt, & abbominabiles facti sunt, &c. Quo fit, vt rationes Scoti contra Doctorem nihil sint. quoniam te vera & ipse Auctor non alium sensum habet, quam haberet Apost. cum diceret de excæcatione intellectus

malorum

malorum, quòd scilicet malitia excæcauit cor eorum, s. intellectum, vt ideò traditi sint in reprobatum sensum, & in desideria, &c.

Quòd si paulò antè dicit Auctor, q affectiones ita corrumpunt animam, & sic excæcant, vt credat oppositum principij, non vult inferre id fieri ita, q obliuiscatur illius principiorum, ac si deleantur de memoria eius, sed quoniam aliud medium accipit, per quod concludit oppositum. Et quidē pro notitia aduertendum, q tametsi principia non cognoscantur per aliam præcedentem cognitionem complexam intellectiuam, tamen cognoscuntur per intelligentiam, s. cognitis terminis, quorum cognitio habetur mediante cognitione sensitiua. vnde esto hæc conclusio. Furtum respuendum. Medium ad hoc colligendum est malum, q videlicet quia malum, ideò respuendum, & furtum est malum. Agnoscit intellectus hoc medium, sed non agnoscit sensus, qui immò accipit, furtum esse bonum, & colligit, q ergo est eligendū, dum sensui assentit voluntas, tametsi intellectus aliter sentiat, efficitur mala, & imperans rationi, cogit aliud suscipere medium, quod videlicet furtum est bonum, & ex hoc excæcatur, vt credat hoc, quod est oppositum illius, quod prius sciebat, non q ignoret hoc ignorantia obliuionis, sed quia ob voluntatis electionem, magis illi credit, quàm huic, in qua credulitate cōsistit excæcatio. Et hæc dicta sint de quæstione. Cætera n. dicuntur quasi corollariè, in quibus declaratur ille articulus Parisiensis, quo dicitur, stante scientia particulari in actu, similiter passione, q voluntas non possit oppositum velle, error. Et similiter illa propositio. Non est error in voluntate, si non sit error in ratione, quæ videtur articulo opposita, videlicet ei, quod sequitur ex articulo, sequitur enim quod voluntas possit oppositum velle eius, quod à ratione, ac passione offertur, & hoc quoniam ipsa voluntas libera est. Est autem vna vera harum propositionum in vno sensu: altera verò in alio, & similiter è contrà falsa. vna in sensu diuiso vera. in sensu verò composito falsa est: altera in sensu composito vera, in sensu autem diuiso falsa. Ad cuius rei intelligentiam, vtranque declarat exemplo huius propositionis, sciens non potest velle oppositum scientiæ. Hæc enim in sensu composito est vera, in sensu autem diuiso est falsa, sensus tamen compositus distinguendus est. Et quidem quantum spectat ad propositionem articuli, quæ dicit, stante scientia particulari, & passione in actu, voluntas non potest uelle oppositum, ita disponi potest.

Stante scientia, &cæt.
Potest intelligi, vel

In sensu diuiso.

Prima conclusio.
Illa propositio est falsa, & ideò error.

In sensu composito, & tunc ly stante scientia, scilicet illud ablatiuum expo ni potest, vel

Per s.

Secunda conclusio.
Potest habere veritatem, nec sic cō demnatur.

Per, quia.

Tertia conclusio.
Falsa est, & ideò error &c.

Per, dum.

Quarta conclusio.
Potest habere veritatem & sic non condemnatur.

Prima conclusio patet, quoniam significatur voluntatem nunquam habere potestatem volendi oppositum, quod est falsum, quippè tolleretur eius libertas.

Secunda, & quarta conclusio patet. Intelligendo tamen, q notetur consequutio, vel concomitantia quædam, non autem causalitas. Et intelligatur, q error naturaliter sit prior in voluntate, tempore autem æqualiter in voluntate, ac intellectu.

Tertia conclusio patet, quia significatur rectitudinem in scientia, aut intellectu, esse causam rectitudinis in uoluntate.

Cætera autem prudenti lectori poterunt esse hoc lumine manifesta.

QVAESTIO VNDECIMA.

Vtrum possibile sit homini, quòd assentiat propositioni, cuius contrarium apparet sibi per rationem.

Arg. princ. primum.

CIRCA secundum arguitur, q nō sit possibile homini, ut assentiat propositioni, cuius contrarium apparet sibi per rationē, quia non per uoluntatē ad hoc cogentem, de qua magis uidetur, quoniam intellectus per suum obiectum non potest cogere uoluntatem ad consentiendum illi, cuius contrarium uult: ergo nec uoluntas intellectum ad consentiendum ei, cuius contrarium nouit.

Secundum

Item in secundo de anima, phantasiamus cum uolumus, non autem opinamur, ut hominem quadrupedem phantasiamus, quem nunquam opinamur talem esse: opinari autem est opus intellectus, quare opus intellectus non habetur ex uoluntate: ergo &c.

In oppos.

Contra. Tunc nunquam assentiremus articulis fidei.

Responsio.

Dicendum ad hoc breuiter, quia aliàs in quæstionibus ordinarijs de tangentibus materiam huius quæstionis satis locuti sumus. Ex illis ergo, quę ibi diximus dico distinguēdo de ratione, quia aut est ratio, quæ solidæ ueritati innixa est, & nullo modo infringi potest aliquo genere solutionis uerę, aut est ratio, quę quantuncunque apparens sit,

solidæ

solidę tamen veritati non innititur. Illi autem cuius contrarium apparet homini per rationem primo modo dictam impossibile est, ꝙ homo cogatur assentire, vel possit, quia contrarium illius omninò falsum est, cuius nullus consentire potest, aut cogi potest consentire cognita veritate. Veritas. n. cognita cogit intellectum ad sibi assentiendum, & cogendo ad sibi assentiendum simul cogit ad dissentiendum suo oppositó. Vnde & secundum hoc concedenda sunt duo prima argumenta, licèt modicum faciant ad propositum. Illi verò cuius contrarium apparet homini per rationē secundo modo dictam, benè potest homo assentire per habitū fidei, & cogi ad hoc per imperium voluntatis. Per hunc enim modum, vt procedit argumentum in contrarium, assentimus articulis fidei, quorum contrarium nunquàm apparet per rationem primo modo dictam, quia sunt innixi solidæ veritati. Quòd si per impossibile inueniri posset articulus, cuius contrarium appareret tali ratione, illi non esset adhęrendum, vt fidei articulo, dicente Augustino ꝙ si recta ratione & infallibili apparere posset contrarium ei, quod tenetur in sancta ecclesia, non propter illam fidem Christianam dimitteret, qualem impossibile est inueniri: immò qualiscunque ratio apparenter de cōtrario fidei aliquid asserit, vera non est, sed veri similitudine fallit, vt alibi latius declarauimus. Ex quo planè patet falsitas dicti illius, ꝙ voluntas non potest velle oppositum eius, quod iudicatum est per rationem, postquàm voluntas potest ad assentiendum illi contrariò cogere rationem.

Comment. in Quæstionem Vndecimam, quæ est,

Vtrum possibile sit homini, quòd assentiat propositioni, cuius contrarium apparet sibi per rationem.

QVÆSTIO hæc est máximè expositoria præcedentis, quippè ex ipsius resolutione apparet quomodo voluntas non teneatur sequi intellectum in eo, quod intelligit.

In corpore est distinctio bimembris, & iuxta illam duæ conclusiones habentur.

Distinctio est de ratione, quod aut innititur veritati solidæ, quæ nullo modo infringi potest, aut tali veritati, quæ non est ita de se solida, sed apparet; quod alia veritate infringi potest.

Prima conclusio ad primum membrum est negatiua. Quòd non est possibile.

Secunda conclusio ad alterum membrum est affirmatiua, quod est. &c.

Prima patet per argumentum ad oppositum in fronte quæstionis.

Secunda patet, quoniam contrarium eius est falsum, cui nulla ratio naturaliter potest assentire.

Not. ꝙ sicuti veritas est adæquatio rei ad intellectum, ita falsitas est inadæquatio eiusdem rei ad intellectum, quo fit, vt non sit possibile intellectum assentire propositioni contrariæ veritati, s. falsæ, quia tunc inadæquatum intellectui esset adæquatum: cum verò assentit, non assentit sub ratione falsitatis, sed potius maioris veritatis, vt huic propositioni, quam ratio dictat: Omnis homo genitus est ab homine ex femine, superuenit hæc, Christus genitus est à Deo sine semine, & etiam ab homine sine semine, existens homo. Vnde sequitur hæc non omnis homo &c. & huic assentit, non sub ratione, qua falsa sit, sed quoniam est vera magis, quàm opposita, quam scilicèt ratio naturalis dictat. Cætera clara videntur.

QVAESTIO DVODECIMA.

Vtrum amicitia sit virtus.

CIRCA tertium arguitur, quòd amicitia non sit virtus, quia nulla virtus tollitur ab homine ex vitio alterius, amicitia tollitur à bono, amico suo facto vitioso. ergo &c.

Contra. Illud est virtus, cuius actus eliciuntur ex habitu, amicitia est huiusmodi, vt patet in actibus amicitiæ gratuitæ, qui eliciūtur ex habitu charitatis: ergo &c.

Quæstio ista mota est propter dictum Philosophi in princip. 8. Ethic. Amicitia est virtus quędā, vel cum virtute, vbi pp disiunctionem dubitatur, quid illorum ponenda sit, an habitus quidam virtutis distinctus contrà habitus aliarum virtutum, an passio, aut actio quædam consequens habitus virtutum, vt. s. modus quidā cuiusdam amationis. Secūdum species. n. amationis sunt species amicitiæ, vt dicit ibidem c. 4. Sed quia disiunctiua artis æquipollet copulatiuæ. Dico ad quæstionem, ꝙ amicitia virtus est sm̄ habitum separata ab alijs, & pars quędam iustitiæ, sed nō nisi cum virtute alia, aut alijs. Ipsa. n. nunq̄ est solitaria, sed vt sit & generetur, virtutem aliquam, aut aliquas requirit in fundamento. Vnde ꝙ species amicitię distinguūtur secundum species amationis, hoc nō est, vt dicit ibi Comment. quia sunt idem amatio & amicitia, sed quia sunt conuenientia, vt iam videbitur. Propter quod Philos. ibid. cap. 7. distinguit inter amicitiam, & amationem, dicens sic; Assimilatur quidem amatio passioni: amicitia autem habitui. Vñ vt dicit: Amici redamant cū electione & bona volūt amatis illorū gratia, nō sm̄ passionē, sed sm̄ habitū. Ad cuius manifestationē sciendū, ꝙ ad amicitię generationē, & esse cōcurrunt tria. Primo dēt habere virtutem, vel alias in fundamēto, sine qua, vel quib. nō pōt generari vera amicitia, & māsiua, pp quod dicitur 8. Ethic. cap. 5. Perfecta est bonorum amicitia, & sm̄ virtutem similium. Permanet igitur horū amicitia quousq; boni sunt: virtus aūt est mansiua. Aliæ. n. duę species amicitiæ, quæ scilicèt fundantur super vtile, & delectabile, non sunt veræ amicitiæ. Vnde Philosophus cap. quarto. Secundum accidens amicitiæ hæ sunt.

Non enim ſecundum quod eſt amatus, qui ſic amatur, ſed ſecundum quod tribuunt hi quidem bonum aliquod, hi autem delectabile, facilè vtiq; ſolubiles. Vnde Tullius primo de offic. Qui ſummum bonum ſic inſtituit, vt nihil habeat cum virtute coniunctum, idque ſuis commodis non honeſtate metitur, nec amicitiam colere poteſt, nec iuſtitiam. Idem tertio, de amicitia. Virtus amicitiam & gignit & continet. Secundò debet habere diſpoſitionem in ſubiecto, qua habilitatur quis vt in eo ſuper aliam virtutem poſſit fundari amicitia, quæ diſpoſitio vocatur amatio, & eſt paſſibilis qualitas, quæ eſt diſpoſitio ad amicitiam generandam, ſic quòd homo ea naturaliter eſt habilis, vt in eo generetur virtus amicitiæ. Vnde in quibus non eſt talis diſpoſitio, quaſi in medio quodam & temperamento, non ſunt apti ad amicitiam, vt ſunt ſolitarij, atque ſylueſtres homines, ſeueri, dyſcoli, & litigioſi, de quibus quarto Ethicorum. Neque quæcunque curantes dyſcoli & litigioſi vocantur. Vbi dicit alia transla. Sunt quibus cordi non eſt, neque curant de aliquo dyſcoli, & intractabiles, de quibus etiam dicitur octauo Ethicorum. In ſeueris & ſenibus minus fit amicitia, quantò magis dyſcoli ſunt, & minus colloquijs gaudent. In iſtis enim deficit dicta diſpoſitio: in alijs autem excedit, vt in illo de quo quarto Ethicorum. Non in amando recepit ſingulos, vt oportet, ſed in eo, quod quiſque eſt. Similiter enim ad ignotos & notos idem facit, vbi dicit alia transla. Recipit quę recipit, eò quòd natura eius talis eſt, &c.

Tertiò debet amicitia, vt generet habere proprias actiones, per quas generatur, quæ ſunt amare, & reamare, propter quod dicit ſeptimo Ethicorum. Tres ſunt ſpecies amicitiæ æquales numero amabilibus. Secundum vnunquodque enim redamatio. & infra. Vterque igitur amat; & æquale retribuit. Et ſunt in triplici gradu actiones illæ amoris per quas generatur amicitia. Primò enim illæ in quo debet generari habitus amicitiæ, amat bonum virtutis, quod in ſe habet propter ipſum, & ſeipſum propter illud. Secundò amat idem in proximo, & proximum propter illud. Vt enim dicitur nono Ethicorum, amicabilia, quæ ad amicos, & quibus amicitiæ determinantur, videntur ex his quæ ad ſeipſum veniſſe: & hoc ideò, quia ſe, & ſua quiſque prius & potius amare debet, q̃ aliena. Sed quia in hoc perfectio amoris non conſiſtit: ideò ſecundò deriuatur ad proximum. Vnde de perfecto amore charitatis dicit Richard. de Trin. capitulo tertio. Nullus priuato & proprio ſuijpſius amore dicitur propriè charitatem habere. Oportet igitur, vt amor ad alterum tendat, vt charitas eſſe queat. & capa quarto. Non poteſt amor eſſe iucundus, niſi ſit mutuus, alter itaq; erit amorem impendens, & alter amorem rependens. Tertiò verò idem, quod amat in proximo, vult à ſe, & à proximo coamari in tertio, & cum tertio coamare, quod amat in ſe, & in proximo, vt ſit amor perfectus in ſummo, dicente Richardo ibidem capitulo vndecimo. In mutuo amore nihil precioſius, quàm vt ab eo quem ſummè diligis, & à quo ſummè diligeris, alium æquè diligi velis. In illis ergo mutuò dilectis exhibitæ ſibi dilectionis confortem æqua ratione requirit: ergo & charitatis conſummatio perſonarum trinitatẽ requirit. Et cap. 15. Perfectio vnius exigit adiunctionem alterius, & perfectio vtriuſque requirit cohęrendum tertiæ. Et capit. 19. Quando ſolus ſolum diligit, dilectio quidem eſt, condilectio non eſt. Condilectio iure dicitur vbi duorum affectus tertij amoris incendio conflatur. Et ideò perfecta amicitia, quæ actionib. amoris & dilectionis generatur, inter pauciores, q̃ inter tres, eſſe non poteſt.

Quòd etſi plures perſonæ addantur: nullus tamen nouus modus in perfectione dilectionis additur. Omnis enim dilectio, aut eſt ſimpliciter dilectio, qham poteſt aliquis habere ad ſe ſolum, aut eſt redilectio, quam poteſt habere vnus ad alium, aut eſt condilectio, quam non poſſunt habere minus, quàm duo ad tertium, & ſi ſit trium ad quartum, non eſt niſi condilectio, & ſic vera amicitia ſtat in tribus. Vnde quod dicit Philoſophus octauo Ethicorum, de amicitia cap. nono. ꝙ aſſimilatur abundantiæ, quæ nata eſt ad vnum fieri, exponit in libro nono capitulo decimoquinto dicens, ꝙ hoc videtur congruere amicis etiam ad vtilitatem, & tunc quærit vtrum ſtudioſus vnũ, aut plures ſecundum numerum debet habere amicos, & reſpondet ſubdens, quòd eſt quædam menſura, vbi dicit Commenta. Et eſt talis multitudo amicorum, cum qua poteſt viuere quietè, & ſine perturbatione, cum quibus autem non poteſt ſic viuere, iſti ſunt plures, quibus tanti itaque erunt, puta tres: plures enim habere fortè non facilè. Amplius autem actio amoris in vnoquoq; dictorum graduum debet habere tres comites, qui neceſſariò amorem ſequuntur, qui ſunt beneuolentia, beneficentia, & confidentia. Beneuolentia quo ad initium generationis amicitię, beneficẽtia quo ad eius progreſſum, confidentia quo ad eius conſummationem. Cum enim quis beneuolus eſt virtuti ſuæ, quam diligit, & ſibi eam alteri communicari appetit, & in proximum transferri. Vt enim ait Tullius de amicitia fructus ingenij & virtutis, omnisque pręſtantię, tunc maximus capitur, cum in proximum transfertur. Vnde ait Auguſtinus primo de Doctrina Chriſtiana tertio cap. Omnis res, quę dando non deficit, dum non datur, nondum habetur, quomodo habenda eſt.

Per talem enim beneuolẽtiam incipit per amoris actionem generari habitus amicitię ad proximum, quem ſibi ſimilem in virtute vult fieri, & vniuerſaliter omnia bona, quę ſibi.

Hinc de beneuolentia loquens dicit Philoſophus nono Ethicorum. Videtur vtique principium amicitię eſſe, & amicos non poſſibile eſſe niſi beneuolos factos. Et quia non ſufficit bonum

hum velle proximo, vt ad ipsum habitus amicitiæ generetur, sequitur secunda actio, quæ est beneficentiæ, qua erga proximum operatur, vt in eo virtus cõmunicetur, & alia bona, quæ sibi vellet communicari. Vnde dicitur nono Ethicorum. Ponunt amicum volentem, & operantem. Vnde Tullius de amicitia. Faciendum, imitandumq; est omnibus, vt siquam præstantiam virtutis, ingenij, fortunæ consecuti sunt, impartiant, communicétque eam cum suis. Per hoc.n. similes efficiuntur. Similitudinem autem sese amantium requirit amicitia, dicẽte Tullio ibidem. Dispares mores dispar studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat amicitias. Nec ob aliã causam vllam boni improbis, improbi bonis amici esse non possunt, nisi ꝙ tanta est inter eos, q̃ maxima potest esse studiorum distantia. Vnde & in eis, quæ sunt bona fortunæ, adæquare se debent amici pro posse. Vt enim idem dicit ibidem, qui in amicitię coniunctionisq; necessitudine superiores sunt, exęquare se cum inferioribus debent. Sed licèt quis beneuolentia, & beneficentia vtatur erga proximũ, vt ad eum amicitiam concipiat: si tamen non confidat de proximo, vt ei vices reamãdo, & reamicando reddat, perfecta & firma esse non potest. Ideò vt perfectè in quocunque habitus amicitiæ generetur, oportet, ꝙ de proximo talia confidat qualia de se erga proximum sentit, dicente Tullio de amicitia; Firmamentum stabilitatis constantiæque eius, quam in amicitia quærimus, fides est. Nihil enim stabile est quod infidum est. Quæ vt perfectè habeatur, debent amantes sua pectora sibi aperire. Vnde ibidem. Nisi apertum pectus videas, tuumque ostendas, nil exploratum habeas. Per hoc enim repellitur omnis fictionis & contrarietatis suspicio, qđ necessarium est ad perfectæ amicitiæ generationem. Vnde ibidem. Est viri boni hæc duo tenere in amicitia.

Primum, ne quid fictum sit, neue simulatũ: deinde non solum illatas ab aliquo criminationes repellere oportet, sed ne ipsum quidem esse suspiciosum. Per quæ omnis controuersia ab amicis tollitur, quod requiritur ad veram amicitiam, dicente Philosopho octauo Ethicorum cap. vigesimo. Qui propter virtutem amici existunt, in operari adinuicem prompti sunt.

Ad hęc autem tendentium non sunt accusationes, neque pugnæ. Et quia talis experientia non habetur nisi ex multis actibus, ideò non cirò generatur vera amicitia, dicente Philosopho. 8. Ethic. Indiget tempore & cõsuerudine. Secundum prouerbium enim, nõ est scire adinuicem, ante sal comedere, neque acceptari oportet prius, neq; esse amicos, anteq̃ vterque vtrique amabilis appareat & credatur: non sunt autem si non amabiles, & hęc sciant. Voluntas igitur velox amicitiæ: amicitia autem non, vbi dicit Commentator. Fortè est quando ex pauca conuersatione cognoscit aliquẽ studiosus, sed tamen & latebit vtique vt ad aliquid benignos proponens sermones.

Amici enim non possunt se inuicem cognoscere antequàm simul tantùm conuersentur, vt pariter multum salis comedant, quoniam oportet conuersari adinuicem, & scire eam, quæ adinuicem beneuolentiam. Credent quidem adinuicem beneuolos esse experientiam assumentes.

Ex exercitio igitur horum trium beneuolentię, beneficentiæ, & confidentiæ in actione amandi generantur habitus quidam connectentes inter se amantes, & ad vnitatem quantum possibile est redigentes, dicente Philosopho nono Ethicorum, capitulo quinto. Ad amicum habere quemadmodum ad seipsum. Est enim amicus alius ipse. Nam, vt ait Tullius, vis amicitiæ in eo potest, vt vnus animus fiat ex pluribus. Quid dulcius, quàm habere cum quo omnia audeas loqui sic, vt recũ? quis esset fructus in rebus prosperis, nisi haberes illum, qui illis æquè, vt tu ipse gauderet. Aduersas res ferre difficilè esset sine eo, qui illas etiam, quàm tu grauius ferret.

Propter quod amicitia omnia virtutum opera in commune exercitium deducit. Dicente enim Tullio, Amicitia nihil aliud est, quàm omnium diuinarum rerum, humanarumque summa cum beneuolentia, & charitate consensio. In quo perficitur aliarum virtutum operatio, quia aliarum virtutum opera sunt, vt simpliciter fiant: amicitiæ autem opera sunt, vt in communem vtilitatem sese amantium producantur, vt idcircò nullus sine amicitia actus virtutis possit esse perfectus, propter quod continuè subdit. Nec sine amicitia vlla pactio esse potest. & infra.

Virtutum enim adiutrix amicitia à natura data est, vt quando solitaria non posset virtus ad summa peruenire, coniuncta, & sociata cum altera perueniret, quæ quidem altera amicitia est. Propter quod quantum ad exercitium operis respectu aliarum virtutum est virtus quædam generalis, & pars principalis iustitiæ generalis, reddens vnicuique quod suum est, & implens illud naturæ præceptum.

Quod tibi vis fieri hoc feceris alij, quod tibi nõ vis fieri non feceris alij. Propter quod dicit Tull. Solem de mundo tollere videntur, qui amicitiam de vita tollunt, quæ populos vniuersos tueri, eisque consulere soleat optimè, cum de virtute iustitiæ generalis dicat Philosophus quinto Ethicorum. Neque Hesperus, neque Lucifer ita admirabilis. Vnde inter omnes virtutes morales maximè charitati infusæ conformis est, & est omnium moralium virtutum corona, & tanto perfectior quantò super plures, & perfectiores virtutes morales fundatur, de quarum numero amicitia est vna, dicente Comment. super principium octaui Ethicorum. Vnam virtutum est dicere amicitiam sic, vt fortitudinem, & temperantiam, & moralium vnamquanque. Hæc enim circa passiones & actiones est, vt reliquæ.

Sunt enim actiones vt amare, passiones vt amationes. Et est aduertendum, ꝙ est alius & alius habitus inquantum est circa actiones, & inquantum est circa passiones. Inquantum enim est circa passiones, proprie dicitur non amicitia, sed amicabilitas, & est pars temperantiæ. Sic enim secundum Comment. vbi supra, est medietas adulationis, & sylueſtritatis. Sylueſtris enim deficit à medio, & non est aptus ad copulam amicitiæ: adulator autem abundat, vehementer delectabilis esse volẽs: amicus autem medio utitur, quando oportet delectabilis factus: quando autem non oportet, nõ factus. Vnde de medietate amicitiæ secundum hunc modum dicit Philosophus 4. Ethic. cap. 31. In colloquijs autem & conuiuere, & sermonibus & reb. alijs communicare: hi quidem placidi esse videntur, omnia ad delectationem laudantes, & nihil cõtradicentes, sed æstimantes oportere sine tristitia quibuscunque esse. Qui autem contrariò his, ad oĩa contrariantes contristare, neq; quencunque curantes, discholi, & litigiosi vocãtur. Medius autem horum laudabilis, qui recipiet quæ oportet, & vt oportet, similiter autem & spernet. Videtur autem amicitia esse maximè secundum mediũ habitum. Sed de hac amicitia nihil ad propositum. Ipsa enim non plus dependet à fundamento aliarum virtutum, q̃ è conuersò. Amicitia verò inquãtum est circa actiones est pars iustitiæ, & propriè amicitia dicitur, de qua est sermo. Et tũc aliter est intelligere abundantiam, & defectum & medium in amicitia. Vt enim dicit Comment. super principium 8. Ethic. aliqui secundum abũdantiam & in amare vtuntur actu amandi, qualiter dicitur Sycherus ad patrem fuisse, qui neque viuere volebat mortuo patre. Alij verò deficiunt non valentes amare: amicus autem medio modo vtitur actu amandi. Est autem & istam amicitiã attribuere iustitiæ. Iustitia enim est æqualitatis distributiua, & amicitia amicis æqualitatem tribuit. Secundũ hæc ergo concedenda est secunda ratio.

An primam autem in oppositũ, ꝙ amicitia non est virtus, quia tollitur vitio alterius. Dicendum, ꝙ amicitia, & secundum quod est pars temperantiæ, & secundum quod est pars iustitiæ, secundum perfectam rationem amicitiæ non consistit, sicut aliæ virtutes in habitu oĩnò absoluto in vnoquoque, sed in habitu, qui secundum rem est aliquid absolutum sub ratione respectus ad alium habitũ numero, qui in coamico & amato pp virtutem, q̃ in illo est, fundatũ in essentia illius habitus hinc inde. Et amicitia, inquãtum nomine suo nominat illum respectum, qui consistit in concordia & consensu amicorum, sic relatio quædam est, & est vna inter duos amicos fundata super duos habitus absolutos in eis, sicut similitudo est vna inter duos similes fundata in eis super duas albedines. Vt verò nominat nomine suo illos habitus absolutos, sic est duo habitus & duæ amicitiæ diuersi numero, vt duæ albedines. Sed inquãtum nominat vtrunque, solum habet perfectam rationẽ virtutis amicitiæ. Dico ergo, ꝙ licèt habitus amicitiæ tollitur in illo, qui perseuerat bonus ex vitio alterius, quo ad rationem respectus, sicut similitudo tollitur in vno similium quando fundata est in albedine, ex commutatione alterius de albo in nigrum: non tamen tollitur quo ad rationem habitus absoluti super quem fundabatur ille respectus. Per quem quidẽ habitum non definit amare, & actiones beneficentiæ exhibere erga illum vitiosum, non vt iam entẽ amicum, sed vt possibilem reuerti ad amicitiam, quousq; incorrigibilis factus fuerit, & tunc retrahit se amicus etiam à cõuersatione illius, & ab exhibitione actuũ beneuolentiæ, & est ei, sicut ethnicus & publicanus & inimicus ratione vitij, quem tamen non definit amare ex habitu amicitiæ, sicut alium extraneum. Et sic habitus amicitiæ, quo ad id, quod absolutum est & reale in eo, ita permansurus est simpliciter sicut & habitus aliarum virtutum, licèt non habeat perfectam rationem amicitiæ nisi habendo coamicum, vt dictum est. Ad arg. primũ.

Comment. in Quæstionem Duodecimam, quæ est,

Vtrum amicitia sit virtus.

IVTVLVS ex se clarus: intelligitur enim de virtute morali.

In corpore est conclusio, ꝙ amicitia est virtus secundum habitum distinctum, & separata ab alijs, & pars quædam iustitiæ, sed non nisi cum virtute alia, aut alijs.

Conclusio hæc plures partes habet. Prima est, quòd sit virtus. Secunda, quòd sit virtus distincta secundum habitum ab alijs. Tertia, quòd sit pars iustitiæ. Quarta, quòd non sit nisi cum virtute alia, aut alijs.

Prima pars probatur per secundam rationem in fronte quæstionis, s. cuius actus prouenit ab habitu virtutis est virtus, sed actus amicitiæ prouenit ab habitu virtutis. igitur &c.

Maior patet, & minor probatur, quia prouenit ab habitu charitatis. Actus siquidem amicitiæ est amare: amare autem est actus charitatis.

Not. diligenter, ꝙ charitas quoad habitum absolutum, & amicitia sunt vnum & idem, sed amicitia perfecta aliquid superaddit charitati, charitati enim perfectæ sufficit ipsum amare, ad sui verò perfectionem non exigit necessariò amari, Vnde quicunque diligit secundum quod virtus ipsa dictat, charitatem dicitur habere, & quo ad hunc absolutum amandi actum, amicitiam, sed non perfectam amicitiam, quæ exigit etiam amari, vnde secundũ habitum absolutum charitas & amicitia sunt idem, non quo ad relatiuum. Quo propterea ad absolutum est idem quod charitas, quo verò ad relatiuum, tunc distinguitur à charitate, atque etiam à cæteris virtutibus, & propter hoc ponitur secunda pars de amicitia perfecta.

Secunda

Secunda igitur pars probatur. Relatiuum est separatum ab absoluto, sed amicitia perfecta est virtus consistens in relatione ad alterum: virtus autem quælibet alia est absoluta. igitur &c.

Not. ab amicitia amicum dici, & denominari: amicus autem est amico amicus, & ideò ex hoc videtur relatio, scilicet in concretis prouenientibus, & denominatis ab abstracto.

Tertia pars probatur. Id, quo redditur alteri, quod suum est, est vel iustitia, vel pars iustitiæ, sed amicitia est, qua redditur &c. igitur vel est iustitia, vel pars iustitiæ, igitur. Sed amicitia non est tota iustitia, igitur pars.

Not. pro intelligentia antecedentis illius. Amicitia non est tota iustitia, & etiam pro minori syllogismi. Maior enim notissima est ex diffinitione iustitiæ. Iustitia est, qua redditur vnicuique, quod suum est ex debito, non determinando quod nam sit illud, quod reddi debet, sed de omni re alterius est. Amicitia verò est, qua redditur alteri, quod suum est tantum ex amore, & quidem non propriè omni, sed amico tantùm. Quo fit, vt iustitia omnes respiciat, & neminem excipiat. Amicitia verò respiciat tantùm amicum. Quo fit, vt in iustitia, ly alteri, accipiendū sit vniuersaliter: in amicitia verò ly alteri exponendum sit pro amico, vel de amico. Et sic non adæquat amicitia totam iustitiam, sed tantùm iustitiæ partem, & sic patet quomodo sit pars iustitiæ.

Quarta pars patet ex amicitiæ generatione, s. ex concurrentibus ad generationem amicitiæ. Et sic formari potest argumentum. Id non est sine virtute, ad cuius generationem necessariò concurrit ipsa virtus, sed ad generationem necessariò concurrit ipsa virtus, ad generationem siquam amicitiæ, ita vt non possit generari nisi concurrente virtute. Igitur &c.

Maior propositio patet, quia genitum non potest esse sine suis componentibus, ac generantibus intrinsicis, ad quorum destructionem, destruitur ipsum genitum.

Minor probatur ex Philosopho, & Cicerone varijs in locis, ex quibus colligitur tria concurrere ad amicitiæ generationem, quorum primum locum obtinet ipsa virtus, qua deficiente, per amicitia, sed certè ne dum colligitur hoc ex Aristotele, ac Cicerone, sed ex omnibus patribus Christianæ religionis luminibus.

Et hæc sunt, quæ præsertim ad quæstionem attinent: cætera autem quæ addit Auctor, quasi obiter dicuntur; maximè autem ad declarandum, quæ nam sint alia duo ad generationem amicitiæ concurrentia, quæ notissima videntur in litera, cum procedat Auctor auctoritatibus prænominatorum: Augustini quoque, Richardi, Comment. &c.

Not. autem difficultatem esse potissimum circa primam conclusionis partem, maximè quando moderniores quidem eam impugnare ex professo tentauerint, probantes esse vniuersam virtutem, sed non specialem. Non est autem, q hoc loco recitare debeamus rationes eorum, sed diligentius hoc negotium contemplare. Est profectò in amicitia aliquod absolutū, & aliquod relatum. si consideremus eam, vt est, quid relatum, iam dictum est, q non est sine virtute, & superaddit ad virtutem charitatis. Et de hac quæri potest an sit virtus specialis nec ne. Et quidem dicitur rectè à D. Thoma, q est virtus specialis, quatenus consideratur non tantùm in affectu: si enim accipiatur amicitia honesta, hæc præsupponit omnes virtutes, sed quatenus consideratur, vt in dictis, & factis exterioribus, & sic vel est pars iustitiæ, vt dictum est, uel specialis virtus, quæ dicitur affabilitas.

Verum est igitur, q in affectu ipsa amicitia accepta est omnis uirtus. si uerò accipiatur amicitia, ut quid absolutum, tunc dictum est, q charitatis est pars, & ad charitatem uidetur reduci, q charitas si est specialis uirtus, multò magis erit pars eius. Dicere autem cum quibusdam, q uirtus nos disponit æquè circa omnes, amicitia autem tantùm circa amicum: parum refert, quia diceret Auctor, q uerum est de amicitia in suo esse relato, non autem in suo esse absoluto. Quippè in esse absoluto non magis determinatur ad hoc, quàm ad illud.

Dicere secundò, q amicitia si præsupponit uirtutem præsupponeret seipsam, parum obest, quia diceret similiter Auctor, q ad generationem perfectæ amicitiæ præsupponitur uirtus tanquàm fundamentum, si quidem stare non possit uirtus nisi inter personas uirtute præditas, & sic amicitia non possit stare nisi inter personas huiusmodi, sed hæc amicitia est in esse relato, non in suo esse absoluto, in quo esse non præsupponit uirtutem nisi sq generaliorem, sicut species genus præsupponit, scilicet charitatem.

Dicere tertiò, q nec est distincta à cæteris, quia non numeratur ab Aristotele inter uirtutes, nec redigitur ad iustitiam, quia ex Aristotele legislatores maiorem curam habuerunt amicitiæ, quam iustitiæ. Hoc nihil esse diceret Auctor, quia quantū spectat ad primum, si id non fecit Aristoteles, quid ad nos? maximè cum uiderimus amicitiam uocari uirtutem à Sanctis Patribus. Potissimum autem à D. Ambrosio 3. officiorum. Et si legislatores maiorem curam habuerunt &c. id profectò fecerunt, quia existente amicitia inter ciues, etiam iustitia nascitur, non è contrà, quemadmodum homine existente, est etiam animal, non è contrà. Et profectò ex eo, quòd dicitur ex Aristotele, q amicitia afficit nos circa unum, iustitia circa omnes, colligitur, quòd amicitia sit pars iustitiæ: illa verò totum, s. iustitia, quæ pars si esset inter omnes ciues, nō tolleretur, q esset amicitia, & si nomen illustrius mereretur, scilicet charitatis mutuæ.

Dicere demum, q uirtus omnis absolutè dicitur posita in nostra facultate, & præelectione, non autem amicitia &c. est dicere illudmet, quod ab Auctore adducitur in fronte quæstionis primo loco, cui & satisfacit in calce, quòd uerum est amicitiam non esse in nostra facultate, si sumatur cum relatione in suo esse perfecto, at in suo absoluto esse, falsum est, quòd non sit in nostra facultate.

QVAESTIO XIII.

Vtrum ratione dictante aliquid faciendum pro aliqua hora voluntas possit illud non velle.

SEQVVNTVR pertinentia ad intellectum & voluntatem. Et erant tria. Quorum primum pertinet ad substātiā ipsorum: vtrum. s. ratione dictante aliquid faciendum pro aliqua hora voluntas possit illud non velle. Secundum verò pertinet ad ordinem illorum actuum inter se, vtrū scilicet operatio volūtatis sit finaliter propter operationem intellectus, vel è conuersò. Tertium verò pertinet ad efficaciam illorum actuū circa sua obiecta, vtrum scilicèt magis iuuatur voluntas uolito, an intellectus intellecto.

Circa primum arguitur, quòd ratione dictante aliquid faciendum, voluntas pro hora illud non potest non velle, quia voluntas naturaliter sequitur cognitionem, & in eis, quæ sese sequuntur ordine naturali, semper primum est causa posterioris: ergo &c. *Arg. prim.*

Item præsente obiecto habente rationem omnis boni simpliciter, non potest illud non velle: ergo nec habens rationem boni particularis pro hora. *Secundum*

Contra. Tunc voluntas in actione illa volendi non esset magis libera, q appetitus sensitiuus. *In oppos.*

Dicunt aliqui sequentes Philos. ꝙ incontinens se habet in hora passionis intẽsæ, sicut se habet intemperatus omni tpe. Intemperatus.n. sicut est in errore continuo iudicando oppositum principij, vt ꝙ fornicari sit bonum, sic (vt dicunt) incontinẽs in errore est iudicando idẽ in hora, pro qua voluntas vult illud, qđ ante noluit, ita ꝙ pro hora illa nõ potest illud non velle, qđ ratio tunc dictat esse faciendum, licèt prius potuit non uelle, quando dictauit oppositum, & postea poterit cum oppositũ dictauerit, cessante passione. Et est dictum istud planè contrà illum articulum tertium damnatum, tactum in quæstionibus præcedentibus, qui ponit. Quòd manẽte scientia recta, & passione voluntas non possit in oppositum, error. Non solũ dico manente vsque ad horam, in qua vult oppositum, sed etiam simul in ipsa hora, & post similiter, vt habitum est supra, vt sic stante scientia secundum actũ & in particulari recta & passione, voluntas possit in oppositum. Sed quomodo tunc potest esse vera illa propositio magistralis. Non est malitia in voluntate nisi sit error in ratione, & hoc simul tẽpore quicquid sit de causalitate? Et est dicendum secundum superius dicta, ꝙ licèt non dicatur ꝓpriè error in ratione quousque iudicet oppositum principij, & per hoc oĩnò corrumpatur per excæcationem: oĩs tamẽ rationis obscuratio, siue offuscatio, qua in suo iudicio recto quoquo modo debilitat secundum prædictum modum supra, largo modo potest dici error, quia est via & dispositio ad errorem. Et similiter licèt rectitudo possit dici esse in ratione quousq; corrumpit per errorem propriè dictum: non tamẽ est in statu perfectissimo rectitudinis dum in aliquo ratio est offuscata. Quòd si intentio articuli sit, ꝙ scientia manente recta cum immunitate ab obscuratione, & errore vtroq; modo, qua voluntas inficitur malitia, non sit necesse rationem in aliquo obscurari, aut debilitari in suo iudicio recto, vt non statim peccatum in volũtate sequat pœna peccati in ratione, non video qũo illa propositio poterit stare cum dicto articulo. Sed non puto sic intelligi articulũ pp prędictas auctoritates Psalmi, & earum expositiones, vt voluntate agẽte contra scientiam p tempus præcedens oĩnò rectã absq; oĩ obnubilatione, ipsa scientia maneat in apice illius rectitudinis in hora, qua voluntas agit contrariũ, sed ꝙ ipsa maneat nõ corrupta cõtraria opinione, licèt offuscata, q̃ offuscatio largo nomine secundum prædicta error potest dici. Nisi fortè dicamus, ꝙ illud instans, in quo primò est malitia in voluntate, diuidatur in duo signa, ita ꝙ in posteriore sequat aliqua obnubilatio rationis, & in priore fiat malitia in voluntate, & simul in illo signo maneat recta ratio absq; omni obscuratione, & sicut p totum tempus præcedens, quia ipsa non repugnat oĩnò voluntati contrariæ, nisi quatenus obscuratio rationis necessariò sequit malitiam voluntatis, vt effectus suam per se causam, & sic articulus intelligatur, ꝙ manente scientia in apice rectitudinis ꝓ signo priore, sciens põt velle contrarium ꝓ eodem signo: Propositio verò magistrorum intelligatur, ꝙ si est malitia in volũtate, ꝓ eodem instanti secundum rem, licèt ꝓ signo posteriore, est error in ratione. s. alicuius obscurationis causatæ à malitia voluntatis. Et sic æstimo intellexisse magistros noĩe erroris q̃n iudicabãt, ꝙ illa propositio põt concedi, nõ est malitia in volũtate nisi sit error in ratione. An sic possit dici exponendo intentionem articuli de scientiæ manẽtis rectitudine: non tñ in perfectissimo statu rectitudinis, q̃ opponit errori propriè dicto, qui nõ est sine corruptione principij in ratione, & propositionẽ magistrorũ de scientię manentis rectitudine in perfectissimo statu rectitudinis, q̃ opponitur errori largè accepto nomine erroris, qui est sine corruptione principij in ratione, licèt sit sub aliqua debilitatione p rationis obscurationem, diligens inuestigator iudicet, qa nec verbaliter contra articulum aliquid dicere præsumo, qualiscũq; sit intellectus eius. Cætera aũt quę pertinent ad difficultatẽ quęstionis propositę q̃tum mihi sufficiens visum est, persecutus sum. Vnde scđm prędicta concedendũ est obiectum vltimum: Quòd verò primò obijcit, ꝙ ratio naturaliter prior est volũtate: ergo rõ suo actu naturaliter prior est voluntate: ergo ratio suo actu est causa actus uolendi, vt voluntas nõ possit non velle id, qđ dictat. Dicendũ, ꝙ licèt præcedat, non tñ aliter est causa, q̃ sine qua non, quẽadmodum & sensus in nobis naturaliter prior est intellectu, non tñ actus sentiendi est causa actus intelligẽdi, nisi sine qua nõ. Et similiter in brutis sensus pcedit appetitum: non tñ est causa, nisi sine qua nõ pter hoc, ꝙ in brutis post sensum necessariò sequit passio, quę necessariò impellit appetitum. In homine autem non necessariò ad intellectum sequitur voluntas, neque intellectus ad potentiã sensus. *Ad primũ princ.*

Ad scđm, ꝙ pręsente obiecto habente rationẽ boni non põt illud nõ velle, ergo & pręsente obiecto habente rationẽ boni particularis, saltẽ ꝓ hora non põt non velle illud: Dicendum, ꝙ non est simile, qm̃ obiectũ extra habens rõnem oĩs boni, non est bonum, qđ quęrat voluntas, pp quod necessitate immutabilitatis, liberè tñ sciptum mouet in illud. Obiectũ verò habens rationẽ boni particularis iudicati ꝓ hora est aliquid, qđ quęrat voluntas, pp qđ nõ immutabiliter volũtas se mouet in illud. Sic.n. ꝓponit sub ratione particularis boni, & si iudicat bonum simpliciter pro hora: ostendit tñ necessariò illud, in quo est defectus alicuius boni, pp quem defectum voluntas sua libertate põt ab illo resilire, licèt non moueat per appetitum ad aliquod aliud, quia sibi fortè nullum est ostẽsum. Vnde si pro hora non potest cum effectu non velle illud, aut velle eius contrarium, hoc non est pp aliquam necessitatem, quam scientia imponit voluntati, sed solum propter incompossibilitatem contradictoriorum, vel contrariorũ circa idem in eadem hora indiuisibili, vt patet ex supra dictis. *Ad secundum.*

Comment.

Comment. in Quæstionem XIII. quæ est,

Vtrum ratione dictante aliquid faciendum pro aliqua hora voluntas possit illud non velle?

TITVLVS satis clarus.

In corpore tria facit. Primò reprobat opinionem sequentium Aristotelem in hoc negotio. Secundò affirmatiuè respondet quæsito. Tertiò iterum considerat illam propositionem. Non est malitia in voluntate, nisi fuerit error in ratione. Et hanc ideò considerat, quoniam videtur contraria determinationi.

De primo, opinio est, quòd voluntas non potest illud non non velle. Probat id per Aristotelem volentem, quòd incontinens se habet in hora passionis intensæ, sicut se habet intemperatus omni tempore, sed intemperatus pro omni tempore non potest non velle, quod proponitur, igitur & incontinens.

Not. quòd tunc ratio dictat aliquem actum incontinentiæ esse faciendum, quando sensu tanquàm bonum offerente, ratio ipsa approbat, & quod ei sub ratione boni particularis offertur, & sensitiui, accipitur vniuersaliter bonum, & tunc incontinens efficitur in illa hora passionis habitu quodam, qui est dispositio ad intemperantiam, cui habitui si consenserit voluntas efficitur actu incontinens secundum totum.

Quæritur igitur vtrum stante illo dictamine, s. approbatione rationis, & consequenter passione ipsa, voluntas possit velle oppositum, vel non velle, nisi illud, quod ratio dictat, & exigit ipsa passio.

Et tunc est opinio relata, quam reprobat eodem medio, quo fulcitur conclusio. Et est articulus ille condemnatus. Quòd stante scientia particulari etiam recta, & passione, voluntas non possit in oppositum. Id. n. esse errorem statuit scola, & synodus Parisiensis. Et intelligitur quo ad vtrunque tàm in bonum, quàm in malum. Vt ratio dictat in bonum, immò & passio, idipsum potest voluntas oppositum velle, similiter si dictat malum, potest bonum velle.

De secundo igitur est conclusio, quòd voluntas potest non velle, quia semper potest velle oppositum eius, quod à ratione dictatur. Et probatur per articulum condemnatum, sed & probari potest ex ipsa libertate voluntatis, quæ à nullo prorsus cogitur, quin velle possit opposita. Quippè non esset liberum arbitrium, quando ab aliquo cogeretur ad vnum.

De tertio. dupliciter exponitur illa propositio. Primò intelligendo per errorem aliquam obnubilationem, & offuscationem rationis, non autem errorem propriè dictum, quia error propriè dictus in ratione, qui dicitur exæcatio prouenit ex malitia voluntatis inducentis illum in ipsa ratione. aliqua tamen obnubilatio, offuscatioque præcedere videtur, quæ largo modo dicitur error. Secundò distinguendo instans illud, in quo voluntas efficitur mala in duo signa, in altero quorum ratio obnubilatur, in altero efficitur mala voluntas, ita tamen, quod in posteriore signo sequatur obnubilatio rationis. Vide in primo quolibet quæstione 17. quæ diximus, hoc loco. n. hæc satis.

QVAESTIO XIIII.

Vtrum operatio voluntatis sit finaliter propter operationem intellectus, an è conuersò.

Arg. prim. primum.

CIRCA Secundum arguitur, ꝙ operatio uoluntatis sit propter operationem intellectus, ut propter superius & principalius, & hoc ex ordine ipsarum potentiarum, quia appetitus naturalis est propter perfectionem rei naturalis secundum aliquid perfectius & superius ipso appetitu, supposita natura rei in utroque. Propter hoc enim graue supposita natura eius appetit esse deorsum. ibi enī habet suam perfectionem in esse, & suam salutem. Similiter & appetitus animalis est propter perfectionem animalem, quæ est sensus, ut propter aliquid perfectius eo, suppositā natura. Consimiliter ergo voluntas, & appetitus rationalis est propter perfectionem rationis, quæ est intellectus, siue intelligere, ut propter aliquid perfectius, suppositā natura intellectus & uoluntatis.

Secundum

Item uoluntas est potentia inferior intellectu, quia mouetur ab illo, mouens autem in eo, ꝙ huiusmodi, quia est in actu, est sub potiori ratione, q̄ motum, quod inquantum huiusmodi non est, nisi in potentia tantùm, & ꝙ sic sit pater, quia uoluntas per præsentiam intellectus existentis in actu uadit in actum, & per absentiam eius non uadit in actum. ergo &c.

Tertium.

Item perfectior est operatio, ut propter quam est alia, quæ est circa subiectum unitum operanti, q̄ circa non unitum. amare potest esse circa subiectum non unitum, non autem uisio. ergo &c.

Quartum.

Item si postmodum maneat amare circa subiectum unitum non ex hoc est principalior operatio & perfectior, ut propter ipsum sit alia, postquā primo est respectu non uniti, quia etsi fides maneret in patria respectu uniti, non tamen esset principalior uisione. consimiliter scientia rerum, quæ in propria natura earum habetur hic in uia, licet maneat in patria, non tamen est principalior uisione diuina. ergo &c.

Quintum.

Item arguunt ex comparatione amicitiæ ad alias uirtutes. Eo enim ꝙ semper est ad aliàs uirtutes, & in comparatione adillas, super quas fundatur uel quas sequit nunq̄ est principalior alijs, sed è conuersò, quare similiter cum dilectio fundetur super cognitionem uel sequatur illam, nunquàm est principalior illa.

Sextum.

Item secundum Philosophum amicabilia ad alterum sunt propter amorem ad seipsum. Si ergo aliquis sit perfectus omnibus uirtutibus, perfectior est in illo, ꝙ cognoscit se talem entem, q̄ ꝙ uelit siue eligat se talem esse. ergo si aliquis sit perfectus fine ultimo, perfectior est in illo, quòd cognoscat se talem entem q̄ quòd uelit se talem esse. primum fit actione intellectus, secūdum actione uo-

ne uoluntatis. perfectior ergo est operatio intellectus, q̃ uoluntatis, si ergo una illarum est propter alterã, potiùs operatio uoluntatis est propter operationem intellectus, quàm è conuerso.

In oppoſit. Contra. uoluntas mouet se & alias potentias ad exercitium actus, quod autem mouet se, non mouet nisi propter perfectionem suam. quod enim mouet propter perfectionem alterius, mouetur principaliter ab illo, qui principaliter intendit perfectionem alteriùs. ergo &c.

Dicunt aliqui quòd actus uolũtatis sit propter perfectionem intellectus, quoniam uoluntas non mouetur in esse propter ipsam rem, sed propter rei ab intellectu confecutionem. Volo enim finem, *Opin. quorũdam.* sed non nisi ut uideam ipsum, & principalius est uidere, quàm uelle siue appetere, ut uideatur, & perfectius attingitur finis actione intellectus, q̃ uoluntatis. Et est uoluntas aliqualiter perfecta perfectione intellectus, & intellectu siue uidere formaliter & finaliter adhęremus Deo non uoluntate aut amore, siue charitate. Charitas enim non est perfectissima uirtus simpliciter, sed solùm in merito ordinato ad præmium, & secundum statũ uiæ, non autem in præmio, & secundum statum patriæ. Quia amor uiæ perfectior est cognitione uię, quæ imperfecta est, eo quòd est per fidem. E conuerso autem cognitio patriæ perfectior est amore patriæ, & hoc quemadmodum ad perfectionem scientiarum speculatiuarum perfectius iuuamur per logicam, q̃ per geometriam, tanquàm per eam quæ perfectior est, vt instrumentum ad acquirendum scientias speculatiuas, quàm sit geometria, cum inter scientias speculatiuas perfectior sit geometria, eo quòd est demonstratiua, quàm logica. De præminentia uoluntatis & intellectus alibi satis diximus, determinando, quòd operatio uoluntatis præminet & principalior sit, ita quòd si natura uoluntatis sic in se perfecta esset, ut absque operatione intellectus posset in suam operationẽ, non esset uis intellectiua in natura, nisi ob dignitatem naturæ uoluntatis ipsa haberet illam ut ministram, præcedentem eius operationem, quemadmodum si rex temporalis esset tantæ perfectionis ut per se posset in omnem suam operationem, nullo modo esset ei seruus nisi propter dignitatis eius exigentiam, secundum quòd non ob aliud sunt cũ Deo Angeli, & singulæ creaturæ, & consisteret perfecta beatitudo in amore Deum absq; videre, quod non põt dici è contrà; etsi. n. vitio possit esse perfecta sine amore, non tamen in sola uisione posset consistere perfecta beatitudo, quia perfecta beatitudo cum sit optimum omnium bonorum, non cõsistit, nisi in actu perfectiore & meliore, qui est nõ uidere, sed amare. Melius enim esset Deum amare non uidendo, quàm uidere non amando, quia amare simpliciter melius est, quàm uidere. quod probatur ex suis contrarijs. Peius enim est (ponendo hoc per impossibile) odire Deum & uidere, q̃ ignorare & diligere, sicut & simpliciter peius est Deum odire, quàm ignorare. Illud autem secundum cõsiderationem Philosophi est melius, cuius cõtrarium siue oppositum est peius. Maiori enim bono maius malum per se & essentialiter opponitur.

Quod ergo arguitur ex ordine potentiarum, *Ad primũ principale.* operatio intellectus est superior & principalior, & propterea operatio uoluntatis est propter operationẽ intellectus, quia appetitus omnis, sem per est propter perfectionem rei secũdum aliquid superius, quàm sit operatio appetitus? Dicendũ, duplex est operatio appetitus. Vna quæ consistit in desyderio nõ habiti, quæ dicitur deliderare. Alia verò quæ consistit in dilectione iam adepti, quæ dicitur respectu voluntatis amare. De prima operatione procedit obiectio, & de illa verum est omnis operatio appetitus est propter perfectionem rei appetentis secundum aliquid superius, q̃ sit operatio appetitus. & hoc vel vt qua ficut superiori simpliciter perficitur, vel vt sine qua media perfectionem illius superioris non potest attingere. Et sic verum est, appetitus grauis quo appetit moueri siue esse deorsum, est propter salutem solam, quam habet in quiescendo deorsum. & appetitus sensitiuus animalium, quo appetunt sentire delectabile, siue tenere ipsum, est propter esse eorum conseruationem ex fruitione ipsius. Et similiter appetitus intellectiuus rationaliũ, quo appetunt videre beatificans bonum siue habere ipsum, est propter perfectum esse, quod habent in eo per amorem adepti, ita sicut in graui appetitus essendi siue quiescendi deorsum non est nisi propter salutem suam quam habet ibidem, vt propter perfectionem rei appetentis secundum aliquid superius, quàm sit ipsa operatio appetendi, qua quidem perficitur, vt superiore simpliciter, appetitus verò mouendi deorsum non est propter huiusmodi motum, nisi vt propter perfectionem, sine qua media non potest illam quietem deorsum, & salutem per illam attingere, sic & in animali appetitus habendi siue tenendi delectabile per fruitionem, puta in comedendo, non est nisi propter salutem suam, qua conseruatur suum esse, vt propter perfectionem rei appetentis secũdum aliquid superius q̃ sit ipsa operatio appetendi, qua perficitur, vt superiore simpliciter. Appetitus verò sentiendi puta auditu, visu, vel odoratu, non est propter huiusmodi sensum, nisi vt propter perfectionem suam, sine qua media non potest appetens illud appetibile attingere, neque eius fruitionem, & per illam sui esse conseruationem. Vnde canis leporarius non appetit odoratum, vel visum vel auditum leporis, nisi vt per talem sensum medium dirigatur ad ipsum capiendum, vt eum comedat, & ex hoc esse suum conseruet. Et consimiliter omninò est in rationalibus. Appetitus enim habendi, siue tenendi summum bonum per fruitionem in amando, non est nisi propter salutem suam, qua perficitur in illo, vt propter perfectionem rei appetentis

secun-

secundum aliquid superius, quàm sit ipsa operatio appetendi, qua perficitur vt superiore simpliciter. Appetitus verò videndi illud non est propter huiusmodi videre, nisi vt propter perfectionem sine qua media non potest appetens illud bonum perfectè attingere, neque eius fruitionem, & per hoc suam in illo consummationem. Loquendo autem de secunda operatione appetitus, de qua obiectio non procedit, similiter verum est ꝙ operatio appetitus est propter perfectionem rei appetentis secundum aliquid superius, q̃ sit ipsa operatio appetētis, quia nulla operatio potest esse primum obiectum potentiæ cuius est operatio, sed illa perfectio non consistit in aliqua alia operatione potentiæ alterius ad quam ordinatur, sed in obiecto illius operationis. Et sic appetitus grauis inquiescēdo deorsum non est nisi propter sui esse conseruationem per esse ibi, & appetitus animalis in fruendo delectabili per comestionem, non est nisi propter conseruationem sui esse, & similiter appetitus rationalis in volendo Deum, non est nisi propter appetentis cōsummationem in esse Dei, nec est aliquis talium appetituū principaliter propter aliquam aliam operationem.

Ad primū principale.

Ad secūdū Ad secundum, ꝙ voluntas est potentia inferior & imperfectior, q̃ intellectus, quia mouetur ab illo: Dicendum, ꝙ falsum est secundum prædeterminata, nisi secundum modum congruentem naturæ suæ cui liberè potest contraire; & quod arguitur ꝙ sic, quia voluntas per presentiam intellectus secundum actum fit in actu, & per absentiam non fit: Dicendum, ꝙ secundum prædicta verum est sicut causa sine qua non, non autē sicut causa propter quam sic.

Ad tertiū. Ad tertium, ꝙ visio non potest esse, nisi circa obiectum sibi vnitum, sicut potest esse amor, ergo est perfectius & superius: Dicendum, ꝙ verum est inquantum huiusmodi, quia talis amor non cōsistit nisi in operatione voluntatis imperfecta. Visio autem est operatio perfecta inquantum tamen ambo sunt perfecta per vnionem circa obiectum, nihil impedit quin operatio amoris sit perfectior & superior. Quod arguitur vlterius cōtra hoc, ꝙ amare ex eo ꝙ postmodum manet non est ex hoc operatio perfectior, principalior, aut superior, sicut neque fides, vel cognitio rerum in suo genere: Dicendum, ꝙ verum est si maneret absque alio modo vnitionis cum obiecto, q̃ prius, sicut manet illa scientia, & sicut maneret fides. aliter enim non esset fides. Nunc autem post q̃ habet circa obiectum vnionem veriorem, q̃ intellectus, vt in sequenti quæstione videbitur, bonè potest amare esse operatio superior, perfectior, & principalior, quàm sit visio.

Ad quartū Ad quartum, ꝙ amicitia non potest esse principalis respectu aliarum virtutum, quia fundatur super ipsas: ergo nec actio voluntatis, quia actio voluntatis fundatur super actionem intellectus: Dicendum, ꝙ immò secundum prædicta amicitia inquantum est pars iustitiæ, & perficit omnium virtutū operationes, ipsa est principalis super omnes, & principalior pars iustitiæ generalis non solùm specialis, & non sunt aliæ virtutes ei causa nisi sine qua non, sed ex proprijs actionibus electiuis circa alias virtutes, & earum operationes habet causari secundum prædictum modum.

Ad quintum. Ad quintum, ꝙ perfectius est aliquem perfectū aliquo se cognoscere talem esse, quàm eligere siue velle talem esse: Dicendum, ꝙ re vera perfectius est scire talem esse in præsenti, quàm velle se talem fore pro futuro, & etiam quàm velle se pro futuro scire talem fore, multò tamē perfectius est velle se talem esse in præsenti, quàm scire se talem esse in præsenti, & etiam perfectius est velle pro præsenti se scire, ꝙ talis est in præsenti, quàm scire se talem esse in præsenti, & adhuc multò perfectius est velle propter beatitudinem voluntatis, quæ consistit in actu amandi, se talem esse in præsenti, & etiam velle se scire, ꝙ talis est in præsenti, quàm velle se talem esse in præsenti absolutè, & quàm velle absolutè pro præsenti, ꝙ talis est in præsenti, quare & multò fortius, quàm scire absolutè, ꝙ talis est in præsenti. Perfectius est enim velle se esse perfectum virtutibus, siue velle pro præsenti scire se esse talem propter beatitudinem, quā scire se velle esse perfectum absolutè. Perfectius igitur est in proposito velle se esse, siue velle scire se esse perfectum visione Dei secundum intellectum propter eius fruitionem secundum voluntatem, quàm scire se entem talem, scilicet perfectum fruitione Dei, & etiam quàm scire se esse perfectum visione Dei propter eius fruitionem, & etiam quàm esse perfectum visione Dei absolutè, & quàm scire se esse perfectum visione absolutè. Vnde quod dictum est secundum illos in soluendo. ꝙ voluntas non est motus in rem propter ipsam, sed propter rei ab intellectu consecutionem, falsum est vt patet ex dictis.

Ad sext. Item quod assumitur ꝙ intellectu perfectius attingitur finis, & ideò voluntas aliqualiter perficitur perfectione intellectus, totum falsum est, vt patebit ex sequenti quæstione. Falsum est etiam ꝙ non formaliter adhæremus Deo voluntate, sed intellectu, & ꝙ charitas non sit suprema virtus, nisi in via & in meritò respectu præmij, quod apertè falsum est. Hugo enim de sancto Victore super 6. c. cele. hierarchiæ quærens de nomine Seraphin quare ab incendio charitatis denominatur, dicit sic. Fieri potest, vt licèt omnia virtutum dona superiores ordines excellentius possident, ab his tamen, quæ inter virtutum dona sublimiora solùm cognominationem trahant. Scimus enim de scriptura, ꝙ inter omnia virtutum dona charitas excellit. Propter quod consequens erat vt ille ordo, qui omnium eminentissimus est, à charitate sola sumeret singularem in sui discretione appellationem, quia enim cognitio veritatis post amorem proxima dignitate cognoscitur, idcircò ab ipsa, qui

dignita-

dignitate fecũdi sunt post primos angelici spiritus cognoscuntur. Ecce ꝙ non loquitur de charitate amore & cognitione huc visione nisi patriæ. Angeli enim non sunt viatores, de quorum charitate, amore, cognitione, visione, ista dicit, & tamen charitatẽ cęteris donis pro statu patriæ præfert & amorem cognitioni. Vnde non est simile de iuuamento per logicam ad scientias demonstratiuas, & per charitatem ad visionem, nisi illa esset de numero illarum, sicut charitas est de numero supremorum donorum. tunc enim logica esset perfectior cæteris scientijs demonstratiuis, sicut & charitas cęteris donis.

Comment. in Quæstionem XIIII. quæ est,

Vtrum operatio voluntatis sit finaliter propter operationem intellectus, an è conuersò.

IN titulo not. ꝙ re vera quæstio hæc ab illa parum distat, qua quæritur vtrum frui sit actus intellectus, an voluntatis. Quidam.n.in illa quæstione tenent, ꝙ sit actus intellectus, vt D. Thomas. Quidam verò, ꝙ sit actus voluntatis, vt Scotus. quidam vtriusque, qui & plures sunt quærentes concordare Doctores illos. Vtrum hæc quæstio videtur ordinem ponere; siue de ordine quærere, cuiusnam frui sit actus taliter, quòd sit ita finalis, ac specialis actus, vt alter sit gratia huius, & ad ipsum ordinetur. Vt. v. g. an sit actus voluntatis, ad quem ordinetur actus intellectus, vel contra sit actus intellectus, ad quem ordinetur actus voluntatis.

In corpore duo fiunt. Primùm recitatur aliorum opinio. Secundum est, ꝙ reprobatur opinio, simulque responsio ad quæsitum.

De primo est opinio, ꝙ intellectus sit principalis, ita ꝙ sit actus eius, ad quem ordinatur actus voluntatis.

De secundo, id reprobat per ea, quæ alibi dicta sunt de præeminentia voluntatis, Vide 14. quæst. primi quolib. vbi manifestatur voluntatem superiorem esse intellectu. Et quomodo cum dicat D. Thomas, ꝙ melius est amare Deum, quam cognoscere, hoc loco colligitur apertè, ꝙ etiam secundum ipsum actus intellectus non est potior respectu finis.

Conclusio igitur est, ꝙ actus voluntatis est, ad quem ordinetur actus intellectus respectu vltimi. Probatur. actus principalior respectu vltimi finis ille est, ad quem reducitur quilibet alius actus tendens ad illum finem, sed actus voluntatis est principalior respectu vltimi finis, Igitur &c. Maior patet. Minor probatur. Ille actus dr principalior sine quo perfecta beatitudo consistere non posset, minus vero principalis est in quo solo non posset consistere. Sed voluntatis actus est, sine quo beatitudo consistere non põt, actus verò intellectus non ita, igitur &c. Maior patere videtur. Minor probatur, quia beatitudo est optimum omnium bonorum, & ideò non consistit nisi in actu perfectiori, & meliori, qui non est videre, sed amare. Probatur. melius est Deum amare non videndo, quàm videre non amando, & hoc probat ex suis contrarijs, vt clarè patet in litera.

Not. ꝙ re vera beatitudo, quæ est vltimus finis, habetur vtroq; actu, quippè consistit in visione, & delectatione, visio habetur per actum intellectus, delectatio per actum voluntatis, sed cum consideramus quis nam potior, ita vt alius ad ipsum ordinetur. Videtur dicendum, quòd in viatore tendente ad beatitudinem patriæ actus intellectus videtur principalior, quia ideò diligimus Deum, vt videamus. Quod est illud, quod August. dicit mercedem animæ esse Dei visionem, & ante ipsum Ioannes Euang. hæc est, inquit ore Dei, vita æterna, vt cognoscant te solùm Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. Et diligimus iterum, vt videamus eum sicuti est, iuxta illud, quòd viatoribus diligentibus Deum promittit Ioannes. Atqui in existente in patria videtur contra, actum voluntatis esse potiorem, ad quem scilicet actus voluntatis ordinetur. Quippè ex visione nascitur illa perfecta delectatio, amorque perfectus patriæ, in quo beatitudinis complementum consistere prorsus videtur. Et hanc esse sententiam Auctoris iudicamus, non discordem quidem à cęteris Theologis, dummodo rectè intelligantur, &c.

QVAESTIO XV.

Vtrum magis iuuatur voluntas volito, an intellectus intellecto.

Arg. prim.

IRCA tertium arguitur, ꝙ magis vnitur intellectus intellecto, q̃. uoluntas volito, sic, quia ex illis fit magis vnum, Intellectus.n. vnitur cum intellecto per modũ informantis, volitum autem voluntati non nisi per modum terminantis, & plus vnitur rei, quod ipsam informat ab intra, quàm quod ipsam tantùm terminat, quasi ab extra.

In oppos.

Contra. vnio voluntatis cum volito realis est. Vnio verò intellectus cum intellecto est secundũ rationem tantùm. Probatio, quia obiectum volũtatis habet rationem boni, quæ realis est. Obiectũ autem intellectus habet rationem veri, quæ non nisi secundum rationem est solùm, quia bonum & malum sunt in rebus, verum autem & falsum nisi in anima & in cõsideratione, vt dicitur 6. Metaph.

Opin. quorundam.

Dicunt aliqui ꝙ idem est obiectum voluntatis, & intellectus differens ratione tantùm, quia est obiectum intellectus, ut est quiditas realis secundum se. est verò obiectum uoluntatis, ut est bonũ apprehensum secundum ꝙ apprehensum, & ita ut est quid rationis. non enim vult uoluntas rem nisi secundum ꝙ cognitum quid est. Intellectus autẽ intelligit rem secundm ꝙ secundum se aliquid est. Maior est autem unio cùm obiecto aliquo inquantum est reale quid, quàm inquantum est quid secũdum rationem tantùm. Quod non oportet, quoniam idem obiectum utriusq; est secundum quòd est aliquid reale. Ratio enim ueri & ratio boni nõ sunt obiecta intellectus & uoluntatis, sed res ipsa sub ratione ueri est obiectũ intellectus, sub ratione autem boni, uoluntatis. quàmuis propterea dicitur cõmuniter, quòd uerum est obiectum intellectus:

lectus, bonum autem uoluntatis. Quomodo autẽ maior est vnio voluntatis cum uolito, quàm intellectus cũ intellecto, alibi satis declaraui, nec oportet repetere, quia nihil noui audiui in contrarium, nisi iam tacta, præter unum, uidelicèt ꝙ illud dictum Hugonis super 7. cęl. hierarchiæ. Intrat dilectiò ubi scientia foris est, intelligitur de dilectione uiæ non patriæ, quod falsum est. Hoc enim dicit ostendendo in Seraphin propriam beatitudinẽ diuinæ participationis ex eius nomine dicens sic. Ignem amoris concipiendo & præbendo calefaciẽtes nominantur, nam quia in unoquoquo ordine discretio nominis singularem quandam ac propriam notat habitudinis diuinæ participationem ex substantia sua probat dicens. Mobile enim semper eorum circa diuina & incessabile & calidum & acutum & semper fluidum, &c. Vbi super illud acutum, dicit sic. Signat acutum impetum quendam amoris ferentis se in amatum, & intrantis & penetrantis in ipsum. Amor enim unum rẽ facere uult cum ipso, & infra. Dilectio supereminet scientiæ, & maior est intelligentia. Plus enim diligitur quàm intelligitur, & intrat dilectio & appropinquat ubique, scientia foris est, nec dissimulare ualens, quousque ad amatum perueniat & eo ipso amplius adhuc sitiens intrare in ipsum, & esse cum ipso, & tàm propinquè, ut si fieri possit, hoc idem cum ipso sit ipse. Ecce quàm apertè ubi loquitur de amore, & scientia patriæ circa Angelos contemplatores, qui nullo modo sunt uiatores.

Hugo

Ad argm. principale.

Quòd arguitur primò, ꝙ maior est unio cum illo, quod se habet per modum informantis, quàm cum illo quod se habet per modum terminantis tantùm: Dicendum, ꝙ uerum est quando terminans est terminans tantùm, sic ꝙ maneat extra terminatum, & è conuerso, quemadmodum radius terminatur ad parietem unde reflectitur. Qñ uerò terminans nõ est terminãs tm, sed terminat, recipitur in terminante per transformationẽ aliqualẽ in ipsum terminans, tunc quantò magis tendit in idipsum transformatio quod informat, tãtò maior est unio rei cum eo, in quod transformatur, quàm cum eo, quod ipsum informat. quæ transformatio fit uoluntatis in uolitum per hoc, ꝙ suã actione amandi uergit & mouetur in ipsum. Amor enim secundum Dionysium est uirtus unitiua & transformatiua secundũ ꝙ alibi declarauimus. Idcircò simpliciter magis unitur uoluntas cum suo obiecto, quàm intellectus cum suo.

Nihilominus tamen respondendum est ad rationem contrariam. Licèt enim nitatur hoc probare, hoc tamen non facit bono modo. Cum enim dicitur quòd unio uoluntatis est secundum rationem tantùm, non est uerum, immò (ut dictum est) est realis licèt sub ratione ueri, quæ sumitur ex ordine quodãm ad intellectũ, ut alibi declarauimus. Similiter quod dicunt aliqui, quòd bonum est obiectum uoluntatis, ut est quid rationis, quia non nisi ut est cognitũ in ratione: Dicendũ, ꝙ uerum esset si cognitio siue ratio cognoscendi, aut essendi in cognitione esset propria ratio, sm quàm esset obiectum uoluntatis, sicut uerum est ratio sm quã res est obiectum intellectus. Sed non est ita, quoniam rès est per se obiectum uoluntatis, ut habet rationem boni, licèt non absque hoc, quòd est in intellectu. unde uoluntas tantùm fertur in realitatem boni cogniti quantũ ferretur in ipsum si posset ferri in ipsum absq; omni cognitione præuia.

Ad argm. in oppos.

Comment. in Quæstionem XV. quæ est,

Vtrum magis iuuatur voluntas volito, an intellectus intellecto.

IN titulo non accipias ly iuuatur nisi pro vnitur, quia aut impressio falsa, & erronea; aut sic accipi debet, quippè si propriè acciperetur, deberet sic intelligi. Quod cum doctrina, & disciplina fiat ex præcedenti cognitione, videtur, ꝙ semper intellectus adiuuetur ab intellectu ad ulteriorem, s. notitiam, secundum quod & dicitur, quòd liber librum aperit. Et tunc esset quæstio utrum sicut ita iuuatur intellectus ab intellecto ad ulteriorem intellectionem, ita voluntas à volito ad ulteriorem uolitionem, & an magis hæc, quàm ille, vel contrà, sed hoc pacto intelligi non debet, verum vt diximus potius pro vnitur.

In corpore huo fiunt. Primum est recitatio opinionis, & reprobatio. Secundum est conclusio responsiua quæsito.

De primo, opinio est, ꝙ intellectus magis vniatur suo obiecto, quam voluntas, cuius ratio est, quoniam obiectum intellectus est quid reale, quia est res ipsa; obiectum voluntatis est quid rationis, quia sub ratione boni. Iam uero maior est vnio realis potentiæ cum obiecto reali, quàm contrà potentiæ realis cum obiecto rationis.

Reprobatur primo per negationem illius propositionis, ꝙ obiectum voluntatis sit quid rationis, & ratio negationis est, quia voluntas uult rem ipsam sicut & intellectus, sed utique sicut intellectus sub ratione ueri, ita voluntas sub ratione boni. Vtriusque igitur obiectum est res ipsa, sed diuersa ratione. Qua igitur ratione obiectum intellectus est quid reale, eadem & obiectum voluntatis, quia non minus sub aliqua ratione ens est obiectum intellectus, ac sit voluntas.

Not. ꝙ Aristoteles ipse & tota Philosophorum scola uult obiectum voluntatis esse ipsum bonum, & quidem vniuersale. Obiectum autem intellectus, verum. Nunc autem sicut verum cum ente conuertitur, ita & bonum ex Arist. Platone, ac omnibus. Quo fit, vt si ens reale sit obiectum intellectus, ita & voluntatis est.

Reprobatur secundò per rationem, quæ ponitur ad conclusionem.

De secundo igitur conclusio est, ꝙ voluntas magis vnitur volito, quàm intellectu intellecto.

Probatur ratione sumpta ab auctoritate D. Dionysij 7. cęlestis hierarchiæ. vbi dicit. Intrat dilectio, vbi scientia foris est, super quæ reprobat interpretationem Hugonis, vt patet.

Not. ꝙ re vera videtur Auctor loqui de hac vnione respectu vltimi finis. Certum. n. est, ꝙ in patria & voluntate, & intellectu vniemur cum Deo. Iam verò quæritur, an maior erit vnio per voluntatem, an per intellectum cum vltimo fine. Et ex Dionysio colligit, ꝙ per voluntatem. si. n. dilectio intrat, & scientia foris stat, videtur quod dilectio magis vniat. Et quidẽ ex Dionysio iterum dicit amorem esse vnitiuum.

QV AE-

HENRICI A GANDAVO

QVAESTIO XVI.

Vtrum Doctor, siue Magister determinans quæstiones, siue exponens scripturas publicè, peccet mortaliter non explicando veritatem, quam nouit.

SEQVVNTVR quæsita pertinentia ad quædam genera hominum specialiter. Et erant duo. Vnum pertinēs ad Doctores. Vtrum scilicet Doctor, siue magister determinās quæstiones, siue exponens scripturas publicè peccet mortaliter non explicando veritatem, quam nouit. Alterum verò ad Principes. Vtrum scilicèt liceat oppressos reprimere iniuriā suam per potentiam Principum.

Arg princ. Circa primum arguitur, quòd peccet mortaliter, quia talis Doctor ex officio assumpto obligatur ad ueritatem dilucidandum, cuius dilucidatio, nec propter scandalum dimittenda est, dicente Grego. super Ezech. Si de veritate scandalū surgit, vtilius est nasci scandalum, quàm veritas subticeatur. ergo &c.

In oppos. Contra. Veritas vitæ in reprehendendo vitia quandoque est dimittenda, ne scilicèt reprehēsus deterior fiat, & similiter veritas iustitiæ in delicta puniendo, dicente Augustino ad Parmenianū; Si periculum schismatis timetur, punitio iustitię est dimittenda. Similiter ergo & veritas doctrinę aliquando est omittenda, & non dicenda: non ergo semper peccat mortaliter subticens eam.


Respon sio. Dicendum ad hoc, quòd secundum Augustinū super illud Psalm. 5. Perdes omnes, qui loquuntur mendaciū, aliud est mentiri, aliud verū occultare. Manifestum est autem non esse culpam quandoque verum occultare. Falsum autem dicere non inuenitur esse concessum. Veruntamen distinguēdum est de veritate. Est enim quędam veritas ad dicendum opportuna, quam scilicèt nouit Doctor esse vtilem, fructuosam, atq; expedientem audientibus. Et est alia veritas ad dicendum perniciosa, quàm scilicèt nouit Doctor esse in grauamen, & nocumentum audientium. Loquendo ergo de prima veritate dico, quòd Doctor tenetur eam prout melius nouerit, & poterit explicare. Ad instructionem enim audiētium debet Doctoris officiū exerceri, & non gratia alicuius priuati commodi, dicente Augustino super illud Ptalm. 139. Vir linguosus non dirigetur in terra. Qualis debet esse seruus Dei, vt magis appetat audire, quàm dicere, & si fieri potest cupiat non habere necessitatem loquendi & dicendi & docendi, gaudium taciturnitatis intus habeat in voluntate, vocem doctrinę in necessitate: quando enim opus est rectæ doctrinę, quando pateris imperitum, quando pateris indoctum, si semper te delectat docere, semper vis imperitū habere quem doceas. Si aūt benevolus es, & vis oēs doctos esse, nō vis semper habere, quos doceas. Doctor ergo officium Doctoris nō debet assumere nisi propter imperitos, vt quàm citius poterit eos peritos faciat, & à docendo cesset, quod nullatenus potest facere nisi ueritatis, quam nouit dilucidatione. Quam si non prout nouit dilucidat, sed per ambages procedit, & non quę sentit proponit, sed aliena. Dico, quòd quantum est de se, & ex officio suo auditores imperitos manere cupit, & officium docendi non ex necessitate, sed ex voluntate exercet. Et ideò vt puto mortaliter peccat, siue timore, siue odio ad talem veritatem sic celandam perducatur, non solùm in veritatem sic subticendo, sed etiam in officium Doctoris assumendo, si tali intentione officium assumat qualicunque modo, & non solùm ipse, sed quicunque sunt eius promotores, instigatores & fautores in hoc. Et hoc maximè quando Doctor nouit veritatis dilucidationem communi populo profuturam, & eius occultationem damnosam, pręcipuè in arduis quęstionibus, in quibus periculum vertitur, ad quas arguendo pro & cōtrà, quasi puteū abyssi aperit, & veritatem non explicando ipsum nō claudit. Propter quod reus est sanguinis illius, qui occasione tali in ipsum per errorem cadit. Quòd si veritatem sic occultare crimen est; quantū ergo crimen est falsitatem pro veritate sciēter propinare? Loquendo autem de veritate secundo modo, illā potest, & debet auditoribus celare, & hoc siue fuerit in grauamen, eò quòd non sint aliqui auditorū eius capaces, & dicere apud se illud Ioann. 16. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed nō potestis portare modo, siue fuerit in nocumētum audiētiū. Audientium intelligo non tàm pręsentium, quàm etiam illorum, ad quos per audiētes doctrina illa poterit peruenire. Et hoc quemadmodum Augustinus vbi supra declarat in exemplo. Si quis quęratur ad mortem, iustus paratus debet esse verum occultare, non falsum dicere; vt neq; prodat, neq; mentiatur, nè occidat animam suam.

Per hoc patent obiecta: Dicendo, quòd dilucidatio veritatis opportunæ, quę si non fieret periculum posset imminere publicum, non est dimittenda propter scandalū, quia propter talem veritatem non scandalizantur nisi mali, quib. huiusmodi veritas est odiosa, quemadmodum scandalizati sunt Iudęi pro dilucidatione veritatis in Doctrina Christi, de quibus dixit Christus; Cęci sunt duęsque cęcorum. Veritas tamen non opportuna propter alias causas benè dimittenda est, vt patet ex dictis, & secūdum quod procedit obiectio in contrarium, quę secundum hoc concedenda est.

Comment. in Quæstionem XVI. quæ est,

Vtrum Doctor, siue Magister determinans quæstiones, siue exponens scripturas publicè, peccet mortaliter non explicando veritatem, quam nouit.

IN titulo pro Doctore atque Magistro, accipito quencunque docentem, &c. Prædicatorem.
In corpore habita diuisione, & subdiuisione tribus conclusionibus satisfit quæsito, quæ ad hanc formam placet redigere.



Pro prima conclusione legito ea, quæ diximus in quæstionem 25. tertij quolib.
Cęteræ conclusiones probantur ex Augustino in litera, cętera clara.

QVAESTIO XVII.

Vtrum liceat oppressos reprimere iniuriam suam per potentiam principum.

Arg. prim. IRCA Secundum arguitur, ꝙ non licèt repellere iniuriam per potentiam Principum, sic, quia Matth. 5. dicitur. Si vos persecuti fuerint in vna Ciuitate, fugite in aliam. est ergo doctrina Christi, ꝙ iniuriatores sustinendi sunt, & hoc non faciunt repellentes iniuriam sibi factã per potentiam Principum, quare faciunt contra doctrinam Christi. ergo &c.

In oppos. Contra. illud est licitum, sine quo non potest haberi pax. Iniuriati autem pacem non haberent in Ecclesia, nisi per potentiam Principum iniuriæ repellerentur. ergo licitum est eas sic repellere.

Resp. Dicendum, ꝙ circa tolerantiam iniuriarum in passo iniuriam est considerare animum passi iniuriam dupliciter, & in ordine ad ipsas iniurias, & in ordine ad inferentem iniurias. In ordine primo debet iniuriam passus habere patientiam in tolerando, & animum habere paratum ad ampliora si oporteat tolerandum, potius q̃ expetat per se vindictam. Iuxta illud Matth. 5. Qui te percusserit in vnã maxillã, præbe ei & alteram. i. paratus esto ad præbendum per tolerãtiam pacificam si necesse fuerit. In ordine verò secundo debet iniuriam passus primo miti animo reatum iniuriæ ex corde dimittere. Iuxta illud Matth. 6. Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. Per quod ab animo remouetur libido vindictæ, & quam nullo modo vel per seipsum vel per alium debet expetere, hoc enim malorum est. Vnde Augustinus super illud Psal. 108. Pro eo vt me diligerent detrahebant mihi, dicit sic. Reddere malum pro malis habeant vel mali vel mediocriter mali & mediocriter boni vsquè adeò ꝙ lex eis dederit vlciscendi modum, oculum pro oculo, dẽtem pro dente. Quæ si dici potest, iniustorum iustitia est, non quia iniquum est, vt recipiat quisque quod fecerit, alioquin nequaquàm lex illud constitueret, sed quia vlciscendi libido vitiosa est; magisque ad iudicem pertinet inter alios hæc discernere, q̃ bonum hominem sibi expetere. Dimissio autem reatu iniuriæ & libidine vindictæ omninò repulsa à corde, secundo debet ad iniuriatoris correctionem laborare, & ne insolentior fiat iniuriator, & iustitia æquitatis inter eos fiat, emendam & satisfactionem expetere, quia vt dicit Augustinus ad Marcellum. & habetur. 23. q. 5. Prodest. Hoc solùm benè agitur, vt vita hominum corrigatur. Glos. Siue per verba, siue per pecuniam, siue alio modo non refert. Sed talis emenda expetenda est per iudicem Ecclesiasticum siue sæcularem, quia vt dicit Leo Papa ibidem, res omnes tutę aliter esse non possunt, nisi regia & sacerdotalis defendat auctoritas. Item Augustinus ad Macedonium, & habetur ibidem. Non frustra instituta sunt potestas regis, ius agnitoris, vngulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, seueritas etiam boni patris. habẽt omnia ista modos suos, causas, rationes, vtilitates. Hæc cum timentur, & mali coercentur, & boni quieti inter malos viuunt. Sed primo super hoc requirendus est præcipuè à viris

Ecclesiasticis iudex Ecclesiasticus,& deinde si corrigere non ꝯvalet iniuriantem, iudex sæcularis. Vnde vt Isidor.ibidem. Principes sęculi nonnunq̃ intra Ecclesiam potestatis adeptæ culmina tenẽt, vt per eandem potestatem disciplinam Ecclesiasticam muniant, cęterum intra Ecclesiam potestates necessariæ non essent nisi vt quod non prævalent sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impetret per disciplinæ terrorem. Quod si iudex defecerit, vt celerem emendam per ipsum habere non possit, tunc expectandum est iudicium Dei. de quo in Psal. 145. Facier iudicium iniuriam patientibus. August. id est vindicabit iniuriam accipientes,& puniet iniuriosos. Nec amplius causa coram iudice terreno prosequẽda est. Aliter enim, vt dicit Augustinus ibidem, statim ad te procedit vox Apostolica, & dicit tibi. Iam quidem omninò delictum est, quia iudicia habetis vobiscum, quare non magis patimini iniquitatem? quare non iniuriam patimini? Corripit homines, quia non patiuntur iniuriam, cunque sic quisque passus fuerit iniuriam, nec iniuriatus pacem cum iniuriatore poterit habere, tunc demum vtendum est consilio Christi. Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate fugite in aliam. Quod si non poterit effugere corpore, fugiat animo, ne mente coinquinetur ex malorum contubernio. dicente Augustino super illud Psal.67. Non me demergat tempestas aquæ. Quibus dictum est: Si ꝯvos persecuti fuerint in vna ciuitate fugite in aliam, hoc eis dictum est, vt nec carne hærerent nec spiritu. Non enim appetendum est, vt hęreamus vel carne, sed quantum possumus vitare debemus. Si verò hæserimus, & ⁊ in manus peccatorum venerimus, iam corpore hæsimus, fixi sumus in limo profundi, restat pro animą deprecari, vt non hæreamus. i. non consentiamus. Si ergo dico, ꝙ seruato præscripto ordine benè licet repellere iniuriam per potẽtiam Principum, & ⁊ iniquum esset non repellere si possibile esset. Et secundum hoc concedenda est ratio secunda.


Ad rationem primam in contrarium: Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam: Dicendum secũdum iam dicta, ꝙ hoc intelligitur in casu, quando iudex idoneus ad repellendas iniurias oppressorum haberi non potest. Regulariter tamen fugere non debet negligendo emendam expetere & ⁊ iniuriatoris correctionem, si iudex ad hoc idoneus haberi possit. *Ad argu. princ.*

Explicitum est Decimum Quodlibet. Magistri Henrici à Gandauo.

Comment. in Quæstionem XVII. quæ est,

Vtrum liceat oppressos reprimere iniuriam suam per potentiam Principum.

TITVLVS satis clarus.
In corpore distinctio bimembris,& etiam subdistinctio, tribusq; ideò conclusionibus satisfit quæsito, quæ ita placet disponere.



Prima conclusio probatur. Illi, qnem oportet miti animo parcere iniurianti, iuxta illud Matth. 5. & 6. ꝯvt patet in litera. non licèt de iniuriante sumere ꝯvindictam, sed omnem hominem Christianum oportet parcere, &c. igitur illi non licèt, &c. Not. illud Psalm. Mihi vindictam, & ⁊ ego retribuam, & not. id etiam probari ex Augustino in litera.
Secunda autem conclusio auctoritatibus probatur. D. August. Leonis, Isidori. can. glos. &c.
Tertia ꝯverò conclusio patet ex secunda.

Explicit Quodlibet. decimum ad laudem Dei, & B. Virg.

HENRICI A GANDAVO

DOCTORIS CELEBERRIMI

QVAESTIONES QVODLIBETALES

Cum Commentarijs, seu Adnotationibus R.P.D. Vitalis Zuccolij Abbatis Ordinis Camaldulensis Theologi Clarissimi.

Quodlibet. Vndecimum continens Quæstiones triginta.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Deus possit facere sub vna specie specialissima Angeli, aliquem alium Angelum æqualem in natura, & essentia speciei, Angelo iam facto sub illa.

DISPVTATIO nostra generalis vndecima continebat triginta proposita: Quorum quædam erant pertinentia ad Deū, & ad creaturam communiter, quædam verò ad creaturam intellectualē specialiter.

De primo proposita pertinebant ad Dei actionem circa creaturam. Quorum quędam pertinebant ad creaturarum productionem, quæ proponebantur primum, deinde proponebatur vnum pertinens ad creaturarum reductionem in ipsum. Adhuc de primo proponebantur tria: quorum vnum pertinens principaliter ad rem productā, erat: Vtrum Deus possit facere sub vna specie specialissima Angeli, aliquem alium Angelum æqualem in natura, & essentia speciei, Angelo iam facto sub illa. Alia verò duo pertinebant principaliter ad modum producendi aliquid à Deo, siue ad modum agendi aliquid circa creationem. Quorum vnum erat. Vtrum Deus posset facere aliquid quod non decet, siue quod non deceret illum facere. Alterum verò erat: Vtrum in composito ex materia & forma educibili de potentia materiæ creato, principalius creetur materia, an forma.

Circa primum arguebatur, ꝙ Angelo nunc existente sub aliqua specie Angeli specialissima, Deus posset facere alium Angelum æqualem in forma, & natura speciei. *Arg. pri.*

Primò ex parte ipsius formæ siue naturæ speciei, quia forma quantum est ex se non magis nata est esse in vno supposito, quàm in alio, & sic æqualiter ergo nata est esse in vno supposito & in alio siue in pluribus, quare quia Deus potest quicquid natum est esse aut fieri: Deus potest facere alium Angelum, &c. *Primum.*

Secundò à simili sic. Non minus potest Deus facere alium Angelum æqualem in forma speciei, qui nunc factus est sub specie, quàm potest facere alium solem æqualem isti, qui modo factus est in forma speciei solis, sed potest facere alium solem æqualem iam facto, ergo &c. *Secundum.*

Contra. hoc esse quod habet Angelus iam factus, per se & essentialiter consequitur speciem Angeli, quare non potest esse aliud esse ipsius speciei angelicæ, quàm huius Angeli, vt ideò necessa-

rium sit vnicum esse & speciei & indiuiduo siue supposito eius, sed esse non plurificatur aut communicatur nisi plurificato, aut communicato eo cuius est esse, quare si fieret alius Angelus in quo esse speciei communicaretur aut plurificaretur, oporteret ipsum suppositum huius Angeli iam facti communicari alteri angelo fiendo, aut plurificari, consequens autem est impossibile, ergo &c.

Resol. q. Hanc quæstionem aliàs tetigimus in alijs quæstionibus de Quolibet. in quibus etiam declarauimus quomodo genus in angelis aliter per differẽtias descendit in species, quàm in corporalibus. Quibus suppositis quantum ad præsens sufficit, oportet scire quòd sentẽtia Philosophorum fuit, quòd in separatis non esset aliud esse speciei, & suppositi, & sic ꝙ essentia non subsisteret, nisi in vnico supposito, & quòd vlterius non esset illius aliud esse essentiæ, & aliud existentiæ, sed quòd ipsa essentia esset ex se quoddam necesse esse, & quædam existentia, & sic quòd quodlibet suppositum subsistens in essentia separata esset Deus quidam, licèt in Dijs est vnus primus & summus.

Opin. Philosophorum.

Improbatio opin. Quod omninò est absurdum apud Catholicos, vt alibi tractauimus. Ideò sunt aliqui Catholici dicentes, quòd angelus vera creatura est, habens ab alio esse.

Opin. aliorum.

Dicunt tamen, quòd licèt non habet esse existẽtiæ effectiuè nisi à Deo, tamen non subsistit, nisi in vnico supposito, in quo est perfecta ratio speciei, cum in nullo sit aliud esse speciei & aliud suppositi, & sic quòd non possit esse aliud suppositum angeli sub illa.

Improbat. Sed quia hoc damnatũ est rationabiliter, quia essentia siue natura siue forma specifica ex se non est nisi ipsa, nec habet esse aliquod quod est aliud re ab ipsa, quia esse quod dicitur essentiæ, quod definitiua ratione exprimitur, cum dicitur quòd definitio est oratio indicans quid est esse, omninò essentiale & naturale est ipsi essentiæ, & est idem cum ipsa re, differens ab ea sola ratione, cætera autem omnia sunt ei aliquo modo accidentalia, cuiusmodi sunt esse in anima siue in intellectu, vt in cognoscente, & esse in supposito existẽte extra animam, vt in subsistente, cui non solùm accidit esse existentiæ, quod habet in supposito existẽte extra animam, sed etiam accidit ei quodammodo esse in ipso supposito, secundum quòd hoc aliàs sæpius exposuimus secundum Auic. Species enim ex se non habet esse in supposito, sed esse omninò indeterminatum, esse autem in supposito nullo modo habet, nisi per hoc, quòd est effectus, & per hoc habet esse determinatum per quod descẽdit in suppositum, non per aliquid reale pertinens vllo modo ad naturam formæ speciei, quemadmodum forma generis descendit in speciem per differentiam additam, vt aliquid reale pertinẽs ad formam generis, eò quòd forma generis in potentia habet essentialiter in se formam, quæ est differentia, & est essentialiter in potentia totum quod est forma speciei, secundum quòd etiam aliàs sufficiẽter declarauimus, sed per idipsum, vt consideratur sub ratione determinati. Quare cum forma, quæ ex se communis est, & indeterminata, non potest descendere in suppositum nisi aliquo modo determinetur in illud, quia aliter non esset suppositum quid determinatum sub specie, quod tamen omnis rõ suppositi requirit, ita quòd si ponatur suppositum subsistere in re extra sine omni determinatione, implicantur contradictoria, scilicèt quòd esset determinatum & indeterminatum, & illa determinatio fit per aliquod esse non aliud ab ipso esse indeterminato, quod quidem esse determinatum non est verè accidens, licèt sit extra rationẽ speciei, determinatio necessariò fit per aliquid. Si enim illud esset verè accidens, tũc suppositum sub specie non esset vnum nisi per accidens & nullum per se, quod falsum est. Vnde secundum diuersum modum ponendi esse indeterminatum speciei determinari in supposito, secundum hoc diuersimodè ponitur species descendere in suppositum, aut in supposita. Sed hoc alio, & alio modo dicunt fieri in formis materialibus, & in formis separatis à materia. In materialibus enim dicunt, ꝙ verum est ꝙ forma determinatur per materiam, in qua habet esse & recipi, non vt consideratur ipsa materia in sua essentia simplici, sed vt est sub dimensionibus. Et hoc dupliciter quoniam in quibusdam formam substantialem in materia naturaliter præcedunt dimensiones interminatæ, vt in generabilibus & corruptibilibus. In quibusdam verò forma substantialis in materia naturaliter præcedit omnem rationem dimensionum, vt in corporibus cœlestibus, secundum ꝙ hoc planè dicit Auerr. in libello de substantia orbis. In primis autem quia dimensiones quodammodo præcedunt formam substantialem in materia, materia sub ratione diuisibilis est subiectum suæ formæ, ita ꝙ secundum vnã partem sui potest esse subiecta formæ specificæ secundum vnam determinationem, quam habet ab illa, & non secundum aliam, sed secundum illam aliam potest esse æqualiter subiectum eiusdem formæ specificæ secundum aliam determinationem, quam habet ab illa. Et ideò in talibus, quia forma secundum vnam determinationem nõ necessariò continet sub se totam suam materiam possibilẽ ad susceptionem, per materiam fit indiuiduorum pluralitas sub vna specie specialissima, & recipit ipsa forma ꝙ hoc diuersa esse in diuersis suppositis.

Improbatur.

Opin quorundam. Et sunt aliqui sequentes dicta Philosophorum qui dicunt, ꝙ nullo modo alio potest species determinari ad suppositа nisi per materiam, & per consequens ꝙ non nisi per materiam potest fieri formæ specificæ indiuiduatio, neque pluralitas per plura supposita. Sed aliter in formis cœlestium corporum, & aliter in formis separatis immaterialibus. In primis enim dicunt, quòd etsi forma speciei quantum est ex se sit pluralitabilis, vt forma solis, & lunæ, quia tamen continet

in se

in se totam materiam possibilem ad ipsam secundum vnicam determinationem, & hoc quia vt dictum est, forma substantialis in talibus præcedit omnem rationem dimensionum, & est materia subiectum eius sub ratione indiuisibilis: idcirco (vt dicunt) secundum Philosophum in secundo de cœlo & mundo, impossibile est formas talium plurificari, & impossibile est omninò plures esse soles aut plures lunas, & ꝙ Deus non posset facere solem alium ab isto, neque lunam aliam ab ista. In formis autem separatis Angelicis dicũt, ꝙ quia illæ non sunt natæ determinari per materiam, neque esse actus materiæ, in ipsis nullo omninò est determinatio per materiam, neque indiuiduatio, sed ipsæ formæ singulę in seipsis sunt quædam suppositа absque omni determinatione formæ, ita ꝙ in ipsis non differt essentia simpliciter, & hæc essentia, neque est aliud esse essentiæ simpliciter & huius essentiæ, siue sermo fiat de esse essentiæ, siue de esse existentiæ, secundum ꝙ iam tactum est.

Improbatur. Sed hoc totum falsum est & erroneum, atque damnatum Parisij, & hoc rationabiliter vt iam tactum est circa formam separatam principaliter. Quod etiam falsum est circa formam corporum cœlestium. etenim licèt sol continet totam materiã suam (quæ ad formam solis est possibilis) iam factam, non tamen continet totam faciendam, siue possibilem fieri à Deo. Propter quod sicut Deus potest facere materiam de nouo possibilem ad formam solis talem qualis est illa, quæ modo est sub forma solis, sic potest facere nouum solem si velit. Sed Philosophi nihil posuerunt de nouo posse fieri à Deo immediatè, sed ab æterno fuisse factum quicquid ab ipso potest fieri immediatè, & ideò posito tali antecedente, nullo modo poterunt ponere, ꝙ possibile esset plures esse soles aut fieri à Deo, licèt ipsa forma solis quantum est ex se plurificabilis esset si plurificari posset eius materia. Similiter forma Angeli ita habet rationem vniuersalis secundum rationem speciei specialissimæ, sicut est forma hominis aut asini, & ita rationem cõmunis & abstracti per intellectum, & indeterminati, atque determinabilis, etsi non per materiam, tamen per esse in supposito, quia vt dictum est, non est suppositum, nisi per determinationem aliquã, vt impossibile sit dicere, ꝙ non sit aliud esse essentiæ Angeli simpliciter & huius Angeli, imò oportet ꝙ sint differentia secundum rationem determinati, & indeterminati, quam quidem determinationem effectiuè non habet forma, nisi à producente ipsam in existentia actuali, quia non terminatur actus productionis ad essentiam rei simpliciter, vt est essentia sub ratione indeterminati, sed solùmodò, vt est hæc essentia, quia omnis actus & operatio est circa singularia. formaliter autem habet determinationẽ in hoc supposito, quia in ipso est secundum hoc esse proprium huic supposito, & sic positiua eius indiuiduatio non fit effectiuè, nisi per producentem, & formaliter non nisi per hoc esse. Qualiter autem habeat fieri indiuiduatio negatiuè alibi sufficienter expoſuimus.

Opinio quorundam. Vnde quia articulus iste, ꝙ non possint esse plures Angeli sub eadem specie, damnatus est, aliqui volentes fugere illam damnationis sententiam, ponunt, ꝙ angelica species plurificabilis est secundũ determinationem esse diuersorum in supposito & ꝙ non est in aliquo supposito, nisi secundum aliquod esse determinatum. Et dicunt, ꝙ essentia siue forma specifica Angeli potest descẽdere in plura suppositа quantum est de se, sed tamen secundum rationem perfectam speciei, tantùm in vnicum suppositum potest descendere, sicut & ipsa forma speciei est vnica, sed ꝙ à ratione perfectionis illius esse, potest deficere pluribus modis, & secundum plures gradus imperfecti. Ideò enim (vt dicunt) cum illo primo Angelo, in quo est forma speciei secundum esse completum & perfectum possunt esse plures alij secundum esse imperfectum & incompletum, sed hoc dupliciter.

Vno modo, ꝙ prius quàm Deus aliquem Angelum fecit, ipse potuit plures Angelos fecisse sub vna specie, ita ꝙ quilibet eorum haberet aliquid de perfectione speciei, sed semper aliud & aliud.

Alio modo, ꝙ primo & vnico facto sub perfecta ratione speciei, Deus potuit facere plures alios sub eadem, deficientes à perfectione illius secundum gradus diuersos. Ita (sicut dicũt) ꝙ quia decet Deum facere, quod perfectum est, non autem decet eum facere quod imperfectum, idcircò sub vna specie solùm fecit vnicum Angelum, scilicet qui secundum esse perfectum contineret formam speciei, & nullum alium. Etenim si plures possent fieri sub ipsa, non tamẽ fecit, quia alium æqualem illi, qui secundum esse perfectum continet essentiam, facere non potuit, alium secundum esse imperfectum continentem in se essentiam non fecit, non quia illum facere non potuit, sed quia facere eum non decuit, super quo mota fuit qõ sequens.

Improbatur. Quod oĩnò falsum est, quo ad esse perfectũ Angeli facti, & per consequens ex parte aliorum fiendorum. Cum.n. illud esse speciei in Angelo perfecto quantuncunque sit perfectum & consequens speciẽ, & in illo supposito sit determinatũ, & formaliter determinans formã specificã ad suppositũ, necessariò differt ab esse essentiæ speciei simpliciter, quod est indeterminatũ. Sicut ẽt ĩm rõnem determinati & indeterminati differunt esse incompleta, possibilia fieri, ĩm illos, in alijs Angelis, & esse ipsum essentiæ simpliciter, ita ꝙ omninò falsum sit dicere, ꝙ in aliqua creatura subsistente in supposito non est aliud esse simpliciter & esse huius, & ꝙ in nullo differũt essentia, & hæc essentia, quia essentia simpliciter pp̃ sui esse oĩ modam indeterminationẽ est in potentia ad quodlibet esse determinatũ, siue fuerit perfectum, siue imperfectũ. & sic est in potentia ad esse determinata diuersa ĩm perfectũ & imperfectũ, similiter ad esse diuersa ĩm rationem æqualẽ perfecti & imperfecti,

etiam si nõ posset Deus facere Angelum, nec posset Angelus esse omninò, nisi secundum rationem esse perfecti, & hoc quemadmodum forma est pluri ficabilis secundum diuersas materias, si possibile esset illas esse. Et idcò sicut ex parte solis Deũ possibile est facere aliam materiam, secundum quàm forma solis est in potentia ad alium solem, etsi non est nisi vnica, & æqualem illi, & sic cum effectu potest facere plures soles æquales, sic ex parte Angeli possibile est Deum facere Angelum, secũdum aliud esse æquè perfectum illi esse, quod habet Angelus iam factus, ac si non esset alius factus, quia secundum illud esse forma Angeli est in potentia ad alium Angelum. Quod autem dicunt ꝙ plures Angelos potest Deus facere secundum esse imperfectum: hoc omninò falsum est, quia species Angelica in simplici, & indiuisibili consistit, non recipiens magis aut minus: ergo in quocunque est, tota est, & æqualiter tota est quo ad essentialia formæ. Quod addunt, ꝙ Deus non facit illos Angelos imperfectos, quia non decet eum facere illos, de hoc videbitur in sequenti quæstione.

Sic ergo simpliciter dico ad quæstionem, ꝙ Deus quocunque Angelo iam facto potest facere æqualem in forma & natura, & esse speciei. Et secundum hoc concedenda sunt duo prima obiecta pro ista parte. Ad tertium quod est in contrarium, ꝙ esse quod habet Angelus perfectus iam factus, per se & essentialiter sequitur speciem Angeli: Dicendum, ꝙ aliquid sequitur speciem Angeli aut ex præcisa natura, & forma speciei Angelicæ, aut non nisi per aliquid aliud. De illo quod primo modo sequitur verum est, ꝙ non est nisi vnicum sicut vnica est essentia, & tale est esse essentiæ indeterminatum, nequaq̃ autem esse essentiæ determinatum: illud.n. non sequitur essentiam, nisi per accidens. s. per hoc ꝙ est effectus Dei, & determinata in supposito. Vnde si secundum primum esse haberet species rationem suppositi, verum esset qd dicunt. hoc.n. dixerunt Philosophi. Et ideò dicebant, ꝙ in formis separatis non differrent essentia simpliciter, & hæc essentia, neq; esse essentiæ simpliciter & huius essentiæ, & ꝙ omninò in eis non differunt essentia, siue species, & suppositum, quod falsum esse patet ex iam dictis.

Responsio ad cõnem. Ad argum oppost.

IN QVODLIBET. VNDECIMVM.

Quodlibet. vndecimum quæstiones habet triginta, pertinentes tùm ad Deum, cùm etiam ad creaturas, ita tamen, vt diuerso modo illæ ad Deum, istæ ad creaturas attinere videantur, quòd facilè ex ipso processu videre erit. Igitur

Comment. in Quæstionem Primam, quæ est,

Vtrum Deus possit facere sub vna specie specialissima Angeli, aliquem alium Angelum æqualem in natura, & essentia speciei, Angelo iam facto sub illa.

IVLIVS satis clarus, quippè quærit de Angelorum indiuiduatione. Vnde ly æqualem in natura, &c. essentia speciei significat eiusdem prorsus speciei. sicut dum homo particularis nascitur, efficitur eiusdem speciei cum hominis specie iam existente.

Not. autem, quòd huiusmodi quæstio, cum aliquali diligentia pertractata est in secundo Quolib. quæstione octaua. Neque hoc loco aliquid addit Auctor, nisi quia confirmat ea, & confutat quasdam opiniones, quæ fortè postea insurrexerunt, tametsi iterum Philosophi tangat opinionem.

In corpore igitur quatuor opiniones confutantur circa hoc negotium. Prima est Philosophi, Theologorum cæteræ. Secundo loco respondetur quæsito.

Prima igitur est Philosophi, ℣ in separatis à materia non est distinctio suppositi, & essentiæ, vel speciei. Et quòd essentia non est nisi in vnico supposito, in quo non est differentia inter esse essentiæ, & esse existentiæ, & quodlibet huiusmodi est necesse esse, & Deus.

Secunda opinio est, ℣ Angelus non habet esse existentiæ effectiuè nisi à Deo, tamen non subsistit nisi in vnico supposito, in quo est perfecta ratio speciei.

Tertia opinio est, cum omnis indiuiduatio proueniat à materia, & Angeli materia careant, nec sunt, nec possunt esse indiuiduati.

Quarta opinio. Angelus de se est quidem plurificabilis, sed non secundum perfectam rationem speciei. Ita, quòd si plurificaretur in suppositis non esset perfecta ratio speciei, atque sic si faceret Deus, faceret quod non videtur decere.

Not. quod ad primam opinionem sequitur, ℣ Deus non posset alium Angelum facere, quia non est efficiens causa eorum, quæ sunt necesse esse. Et dato ℣ faceret, non esset eiusdem speciei, sed aliud ex se necesse esse.

Ad secundam opinionem sequitur, quod non posset Deus facere alium Angelum eiusdem speciei, quia iuxta hanc opinionē non est aliud esse suppositi, & esse speciei. Ita quòd suppositum non posset facere Deus nouum, quòdque etiam non speciem nouam facere posset.

Ad tertiam opinionem similiter sequitur, ℣ Deus non posset &c. quoniam impossibile est, vt quæ carent materia, plura sint eiusdem speciei.

Ad quartam sequitur, ℣ si Deus faceret Angelum, vel esset æquè perfectum, vel non. si primum, tunc non esset eiusdem speciei, quia in vnico supposito saluatur tota speciei ratio, atque perfectio. si secundum, tunc iterum non esset eiusdem speeiei, quia non contineret rationem speciei, & faceret Deus, quod non decet facere, scilicèt id, quod imperfectū est.

Quare ad omnes has opiniones sequitur conclusio negatiuè respōsiua quæsito, cum contrà habeat Auctor pro secundo, cōclusionem affirmatiuam, quæ vt inquiunt D. Bonauentura, & Cartusianus pariter est Catholica, & vera. Et probatur rationibus, quibus prænominatæ opiniones confutantur, maximè autem ex articulo Parisijs condemnato.

Et quidem prima opinio Arist. & Philosophorum improbata est supra in secundo Quolib. q. 8. quemadmodum & in parte secunda reprobata est, quæ in hoc loco improbatur quo ad illud præsertim, ℣ rationē speciei consistere vult In vnico supposito, ita vt non sit differentia inter esse speciei, atque suppositi. Et est ratio contrà. Determinatum & indeterminatum differunt, sed species semper dicit quoddam indeterminatum: suppositum verò quoddam determinatum. igitur differunt.

Maior patet, minor autem probatur ex Auicenn. Et quia semper species dicit aliquod commune, & ideò non potest descendere in suppositum nisi determinetur. Et quidem vel per aliquod intrinsecum essentiale, vel per aliquod extrinsecū accidentale. Non secundum, quia tunc suppositum esset quid compositum ex accidente, & subiecto. Igitur primum, quomodocunque igitur determinetur, apparet differentia.

Not. quòd ex hoc sequitur, ℣ falsum est non posse esse aliud suppositum sub eadem specie: sequeretur autem si tota ratio speciei consisteret in vnico supposito, & tunc sequeretur, quòd modo improbatum est. sic igitur ex hac improbatione, sequitur quòd Deus posset, &c.

Secunda opinio Theologorum, quę est tertia in ordine, improbatur, per articulum Parisiensem condemnarum, qui dicit, ℣ sub vna specie non possunt esse plures Angeli, error. Et de hoc visum est in secundo Quolib. quæst. 8.

Not. autem, quòd etiam improbatur, ℣ ab illa opinione adducitur in exemplum, quòd species solis in vnico supposito cum sit, & lunæ similiter, Deus non posset facere alium solem eiusdem speciei, igitur nec Angelum. Improbatur inquam per negationem antecedentis, sed probant ipsi, quia constat ex tota sua materia. Igitur &c. Ipse autem Auctor respondet, quòd si non de materia iam facta facere posset Deus, posset de materia, quam de nouo crearet. Cætera autem clara sunt in hac improbatione.

Vltima opinio, quoniam supponit id, quod supponebat prima Theologorum, videlicèt quod in separatis non sit distinctio inter esse speciei, & suppositi, hoc improbatur, sicuti prius.

Quòd verò dicit, quòd si Deus faceret alium Angelum, si esset perfectus, esset noua species, & si nō noua species, igitur quoddam imperfectum, quia in separatis huiusmodi, quod non esset species esset imperfectum. Improbat Auctor id negando, quia posset Deus facere Angelum eiusdem perfectionis, nec tamen nisi differens numerò substantiali, quia species Angelica cum non suscipiat magis, & minus, non suscipit perfectionem, aut imperfectionem. Sed coniungito hæc cum dictis in octaua secundi.

QVAESTIO

HENRICI A GANDAVO
QVAESTIO SECVNDA

Vtrum Deus posset facere aliquid, quod non deceret illum facere.

Arg p, inc. primum.

CIRCA secundum arguebatur, ꝙ Deus posset aliquid facere, quod nullo modo deceret eum facere: primò ex parte factibilis sic. Deꝰ potest facere plures Angelos sub vna specie, quia contrarium est articulus damnatus, quod tamē nullo modo decet Deum facere, quia illud repugnaret perfectioni Angelicæ, qua tota species in vnico individuo potest perpetuari. Pluralitas enim individuorum non est nisi propter imperfectionem eius, quod non potest perpetuari in vnico individuo, vt patet in hominibus: ergo &c.

Secundum

Secundò ex parte factibilis & factis simul, sic. Factum à Deo factum est meliori modo, quo potest fieri secundum rectam rationem, vt patet per Aug. qui dicit 3. de libe. arbit. cap. 7. Credit humana anima Deū fecisse, quod vera ratione sibi faciendum fuisse cognouit, etiamsi hoc in rebus factis non videt. (Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificem fugerit) quare etsi cælum oculis videre non posset: & tamen ratione vera tale aliquid faciendum fuisse colligeret, credere debuit factum esse quamuis id oculis non videret. Quare qđ à Deo factum est, meliori modo factū est, quo potest fieri simpliciter, quia quod est melius simpliciter, est melius secundum rectam rationem, cuius contrarium nullo modo decet, & tamen posset illud facere, quia quod Deus facit optimo modo, potest facere modo minus bono tantum: ergo &c.

In oppos.

Contra. Quod non decet Deū, inconueniens est Deū facere, quia omne indecens est inconueniēs: minimum autem indecens in Deo maximum est impossibile, secundum Anselm. in libr. Cur Deus homo, pri. cap. 20. ergo &c.

Resolut. q.

Dicendū ad hoc, ꝙ sedm Tull. in primo de officijs, de officio duplex est quæstio. Vna pertinēs ad finem, & est de bono & eius opposito, qđ est malū: vtrum scilicet qđ propositum est sit bonum an malum, & duobus bonis propositis, vtrum illorū sit melius. Altera pertinens ad ea, q̄ sunt ad finem, & est duplex quæstio: vna, an sit factum, vel faciendum sit honestum an turpe, & duob. honestis propositis vtrum illorum sit honestius: altera, an factū vel faciendum sit vtile an inutile, & duobus vtilibus propositis, vtrum illorū sit vtilius, vt sint tria, de quib. fit omnis quæstio in agibilibus & factibilibus, quæ sunt bonū, honestum, & vtile, quæ sunt eadem cum illis, licens, decens, & expediens. Omne enim licens ex sua natura est bonum, & è contrario: & omne decens est honestum & è contrario, & omne vtile est expediens, & è cōtrario. Omne autem decēs, siue honestum, & omne vtile, siue expediens est bonum; sed non è conuersò. Aliqua enim ex se bona sunt & licita, quæ tamen nec honesta sunt, nec vtilia. Omnia. n. mihi licent, dicit Apostolus, sed non oīa expediūt, & verè addi potest, neq; honesta sunt. Sed de vtili, & honesto dubitatio est, an omne vtile sit honestū, & è conuersò; de honesto autem determinat Tullius, ꝙ conflatur ex quatuor virtutibus Cardinalibus. In omnibus enim operibus virtutum consistit honestum; & ꝙ idèo omne quod est vtile simpliciter ex natura sua, quia virtus consona est naturæ, est honestum, & è conuersò. Non sic autē de vtili ex tempore, quod appellatur commodum, quod in malis solummodò pugnat cum honesto. Quod. n. est turpe, licet sit vtile, nequaquam est eligendū, quia hoc secundum rectam rationem fieri non potest, quare cum Deus nihil agit propter vtile commodum; & omnia secundum rectam rationem, in Dei opere idem sunt bonum, honestū, & expediēs. Quare, quia Deus nullo modo potest facere quod non est bonum & expediens, nullo modo potest facere, quod non est decens, siue decorum, aut honestum. Verùm ad clariorem huius intellectū habendum. Sciendum, ꝙ factum aliquod dr̄ honestum, siue decens ex duplici ordine. Primò ex ordine quem habet ad facientem. Secundò ex ordine ad aliud factum. Secundum primum ordinem bonus & sapiēs nunquàm facit nisi quod statum eius decet, & honestum sit facere, & nunq̄ facit, quod nō decet statum suum, quia illud est indecens statui suo. Vnde quia Regem non decet intrare cauponam, & ganeam cum scurris & cæteris vilibus hominibus, Rex sapiens hoc nunquàm faceret. Et secundum istum modū Deus, quia est optimus & sapientissimus, nec facit, nec potest facere aliquid quod non decet eum facere. Et de tali modo propriè proposita est quæstio. Secundum ordinem secundum aliquid dr̄ decens, siue honestum dupliciter, quod patet ex eius contrario, quod est indecens, siue inhonestum. Quia vnō modo dicitur inhonestum, vel indecēs secundum ordinem aliquē particularem ad aliquam causam particularem, & ad facta aliqua particularia. Alio modo secundum ordinem vniuersalem ad aliquam causam vniuersalem, & vniuersaliter ad omnia alia. Primo modo inhonestum est aliquod malum pœnæ, puta, ꝙ aliquis sit cæcus, vt erat ille, de quo est sermo Io. 9. Indecens est, & inhonestum in ordine ad merita eius, quia vt ibidem dr̄, nec ipse, nec parentes eius meruerunt, vt cæcus nasceretur. Similiter indecēs est in ordine ad perfectionem aliorum sensuum in illo, quemadmodum indecens esset, ꝙ patibulum latronum statueretur in medio foro ciuitatis, vbi nihil mali demeruerunt ciues, aut maiores eorū.

Responsio.

Quol. 5. quæst. 5.

Decens

Decens autem est, ꝙ stet extra ciuitatem ad suspẽdendum latrones. Et cõsimiliter decens est, quòd qñandoque per publicam iustitiam excæcetur id meritus. Secundo modo nihil est inhonestum nisi malum culpæ. Nullum enim malum pœnæ contingit in particulari, quod non congruit vniuerso, & est eius causa rationabilis & certa, q̃uis nobis incognita multotiens, & sic decens & honestum fuit, ꝙ ille cæcus nasceretur, Ioann. 9. quia ex hoc est quiddam decens & honestum ortum. s. Dei glorificatio, vt ibidem dicitur.

Responsio. De illo ergo, quod est indecẽs isto secundo modo, dico, ꝙ Deus non potest facere, quod non decet ipsum facere, sicut nullo modo potest peccare. Et positio illorum implicare videtur, ꝙ hoc, quod est facere Angelum imperfectum sit tale indecẽs. De illo autem quod est indecens primo modo, qđ tamen decens est, & honestum per oppositionem ad indecens secundo modo. Dico, ꝙ Deus potest facere, quod est indecens: non tamen sub ratione illa, qua est indecens, aspiciendo ad ordinem & causam particularem, sed sub ratione qua est decens aspiciendo ad ordinem vniuersalẽ, & causam superiorem & vniuersalem, secundum quem modum alias declarauimus, quomodo Deus erat causa cæcitatis, & mali pœnæ in illo cæco nato, & qđ sic erat decens, licèt secundum alium ordinem indecens, benè Deum decuit facere non secundum quod erat indecens, sed solum secundum qđ erat decens. Et sic absolutè dico, ꝙ Deus nullo modo potest facere aliquid quod nullo modo, & secundum nullum ordinem deceret eum facere: immò quicquid facit decet eum facere, & quicquid facere potest, si faceret, deceret eum facere, & non nisi secundum ordinẽ decẽtem faceret. Vnde si potest Deus Petrum damnare & Iudam saluare de potẽtia absoluta, hoc non est nisi quia deceret eum facere hoc secundum ordinem aliquem iustitiæ si faceret, nec aliter posset illud facere. Et sic nihil potest Deus facere de potentia absoluta, quin illud potest facere de potentia ordinata, licèt secũdum alium ordinem, quàm sit ille propter quem dimittit illud facere: ita tamen quod semper facit quod melius, & rationabilius est aspiciendo ad totũ ordinem vniuersi, secundum quem multa non facit quæ posset facere. Ex quo patet, ꝙ valdè inconueniens est dicere, ꝙ Deus posset plures Angelos facere sub eadem specie secdm dictum modum, quos tamen non facit, quia non decet eum illos facere. Si autem intelligatur, ꝙ potest illos facere, & absolutè, ꝙ secundum nullum ordinem omninò decet eum illos facere, simpliciter falsum est, & erroneũ. Si verò intelligatur, ꝙ potest illos facere, ꝙ tamen deceret eum facere eos secundum aliquem ordinẽ si illos facit, sed ꝙ non facit hoc est, quia secundũ alium ordinem conuenientiorem non decet eum illos facere, nec decuit eum illos fecisse, benè debet concedi. Sed vtrum iam fecerit plures sub eadem specie, an tantum singulos sub singulis speciebus, vt sint tot species Angelorum quot sunt Angeli, an sit plures sub vna specie, an omnes eiusdem speciei, de hoc nihil ad præsens, sed an possibile sit plures fieri sub eadem specie semper tamẽ secundũ esse perfectius, & imperfectius iuxta prędictum modum in quæst. præceden. an secundum æqualem perfectionem ipsius esse, de hoc similiter nihil ad præsens plus, q̃ iam dictum est. Concedenda est ergo ratio vltima probans, ꝙ Deus nihil potest facere, qđ nullo modo deceret ipsum facere.

Quol. 5. quæst. 5.

Ad primum in oppositum, ꝙ repugnat perfectioni Angelorũ facere plures sub eadem specie, dicendum secundum prædicta in præcedenti quæstione, ꝙ falsum est, quod assumit, & ad illius probationem, ꝙ plurificatio indiuiduorum sub eadẽ specie non est nisi propter ipsius speciei imperfectionem: dicendum, ꝙ plurificatio indiuiduorum sub eadem specie, duo respicit. s. & pluralitatẽ multitudinis ex parte speciei, & modum multiplicandi ex parte actus, quo multiplicantur. *Ad pri. princ.*

Quo ad primum dico, ꝙ non est nisi propter perfectionem formæ speciei.

Quo ad secũdum dico, ꝙ plurificatio per actionem alterius, vt per creationem, nullo modo repugnat perfectioni speciei: immò hoc est de eius pfectione: plurificatio autem eius per actionem propriam scilicèt per generationem nõ est sine aliqua perfectione speciei, qua scilicèt non potest plurificari in vno secundum numerum, vt procedit obiectio; non tamen est ipsa plurificatio effectiuè propter illam imperfectionem, sicut nec ipsa generatio simpliciter, sed potius propter perfectionem; perfectionis enim est generare, & perfectorum tantùm, licèt generare in aliena materia sit imperfectionis, sed hoc non propter ipsum generare, sed propter ipsum aliud generatum, & alienam materiam, secundum quod amplius declarauimus hoc loquendo de generatione in diuinis.

Ad secundum, quòd factum à Deo factum est meliori modo, quo fieri potest; dicendum, quòd verum est aspiciendo ad totum ordinem, qui nũc est in rebus. Et quod assumitur, ꝙ contrarium illius nullo modo decet, dicendum, quòd verum est secundum illum ordinem, qui nunc est; si tamen potest illud facere, & faceret secudum alium ordinem esset decens & melius, quàm non facere. Nihil enim omninò potest fieri in rerum natura, quod cadit extra ordinem diuinæ sapientię, atque iustitiæ omninò. *Ad secundum.*

Comment.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem Secundam, quæ est,

Vtrum Deus posset facere aliquid, quod non deceret illum facere.

IN titulo. Quæstio hæc oritur ex præcedente ob ea, quæ dicebat opinio quarta. Nempè q̃ Deus potest quidem facere plures Angelos sub vna specie, sed ideò non faciebat, nec facit, quia non decet eum facere. Nam secundum illos essent imperfecti, quod improbatum est particulariter. Nunc autem vniuersaliter proponitur quæstio de indecenti, vtrum liceat Deo illud facere, vel vtrum possit facere.

Not. autem quæ dicit Auctor pro titulo, de bono, honesto, & vtili, quæ sunt idem, quod licitum, honestum, & expediens, & quod decens & honestum sunt idem, & indecens, & inhonestum pariter idem.

In corpore est diuisio & subdiuisio de indecenti, & iuxta membra triplici conclusione satisfit quæsito, quæ ad hanc formam facilioris intelligentiæ, & breuitatis gratia ordinamus.

Indecens est, vel

Ex parte facientis.

Prima conclusio. Non potest Deus facere indecens.

Ex parte facti, & hoc vel secundum.

Ordinem particularem ad aliquam causam particularem & ad facta aliqua particularia.

Secunda conclusio. Potest facere Deus, quod indecens est.

Ordinem vniuersalem ad aliquã causam vniuersalem, & vniuersaliter ad omnia alia.

Tertia conclusio. Non potest Deus facere, quod indecens.

Prima conclusio probatur ex eo, quod nemo sapiens facit id, quod non decet statum suũ, aliter esset imperfectus, & insipiens. Ergo Deus cum sit summè sapiens, & perfectissimus nunquàm facit, aut facere potest, quod non decet statum suum. Igitur Deus non potest facere indecens.

Secunda conclusio intelligenda est, quod Deus ita potest, quidem facere, sed non quatenus est indecens, sed quatenus decens.

Not. hoc esse malum pœnæ præsertim, & intelligi potest per illud de cæco nato. Cum.n. interrogaretur dominus quis peccauerit, ipse, aut parentes eius, vt cæcus nasceretur? ait dominus. Neque hic, neque parentes eius. Vsque igitur ad hoc videbatur factum illud indecens, & erat indecens, quoniam malum pœnæ decenter non sequitur nisi malum culpæ, quo fit, vt si non erat culpa in cæco, neque in parentibus, q̃ indecenter factum fuerit illud à Deo, videlicèt vt cæcus nasceretur.

Cæterum, q̃ non fuerit factum illud à Deo sub ratione indecentis, sed maximè decentis, manifestat dominus cum subdit, sed vt manifestetur gloria Dei. Gloria Dei igitur fecit illud decens, & manifestata est per miraculum subsequens. Et sic de alijs. Quo fit, vt si inspecta causa aliqua particulari appareat indecens ex parte facti, inspecta causa vniuersali, quæ Deus est, vtique erit decens.

Tertia conclusio. cum sonet illud indecens, quod est malum culpæ, ipsa probatur. Deus non potest peccare, igitur nec indecens huiusmodi facere.

Not. q̃ vt Auctor dicit, quarta opinio præcedentis quæstionis aspiciebat ad hoc indecens, quasi esset malum, & indecens ac inhonestum in se facere plures Angelos. Et hoc quia credebat non posse plures fieri, nisi imperfectos. malum est autem attribuere Deo, quòd imperfecta faciat, quia possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum in composito ex materia, & forma educibili de potentia materiæ, creato, principalius creetur materia, an forma.

Arg. princ. CIRCA tertium arguebatur, q̃ in creato constante ex materia, & forma educibili de potentia materiæ verius & principalius dicatur creari forma, q̃ materia, quia creatio est mutatio ad esse, quod ergo verius per creationem recipit esse debet dici verius creari, sed forma est huiusmodi, quia verius & principalius habet esse, quàm materia, secundum Philosophum. 7. Metaphys. ergo &c.

In oppos. Contra, proprium est creationis respectu mutationum aliarum, q̃ producat aliquid de nihilo nihil præsupponendo, quod ergo de nihilo omninò producitur minus præsupponendo aliquid, verius & principalius debet dici creari; materia est huiusmodi respectu formæ, quia forma materialis in suo esse quod recipit naturaliter præsupponit materiam ordine quodam naturæ, materia autem omninò nihil præsupponit, vt patet: ergo &c.

Resolut. Quia quæstio tangit etiam creationem substantiarum simplicium, in quibus essentiæ per creationem

Nunq. nem acquiritur esse, & aliqui dubitant de esse & essentia vtrum illorum verius habet creari & principalius, sicut in proposito dubitatur de materia & forma. Essentia enim se habet ad esse, vt videtur, sicut materia ad formam: ideò altius quæstionem attollendo.

Opinio 1. exponēs. Sciendum, ꝙ aliqui sunt, qui primò dicunt esse sex, quę non possunt saluari, nisi in creaturis realiter differat esse ab essentia. Qui etiam secundò soluunt tres rationes, quibus probatur non posse saluari creationem ponendo essentiam & esse realiter differre. Et tertiò improbant tres distinctiones, quibus alij respondent difficultatibus sibi obuiantibus. Et quartò respondent tribus rationibus, quas alij inducunt ad probandum, ꝙ esse & essentia signant eandem rem. Et similiter improbant confirmationes illarum trium rationum inductas contrà solutiones datas ad illas. Quintò autem ostendunt eosdem malè exponere quandam auctoritatem Boetij. Sextò ipsi adducunt tres rationes quibus ostendunt, quòd non posset creatura in nihilum redigi, nisi differrent in ea realiter essentia & esse. Quibus intendimus respondere: & similiter alijs inductis ab illis, & etiam tribus rationibus, quibus nituntur ostendere, ꝙ tollētes talem differentiam non possunt saluare, ꝙ creaturæ de nouo possunt creari à Deo, siue procedere ab ipso ex arbitrij libertate.

Primū primi. Circa primū igitur dicta sex inducendo dicunt, quòd primū illorum est, ꝙ omnis creaturæ essentia potest intelligi cum oppositō ipsius esse: nihil autem potest intelligi cum opposito suijpsius: ergo &c.

Responsio. Et est respondēdum sicut respondi aliàs in parte, & similiter ad alia sequētia, ꝙ nihil re, & ratione idem cū aliquo potest intelligi sub opposito illius, sicut neque cum opposito suiipsius, & si potest intelligi cum opposito illius, realiter differt ab illo: idem tamen re cum aliquo sic, vt non apponat rem differentem illi, sed differens sola intentione ab illo, benè potest intelligi sub opposito illius, vt contingit in proposito de essentia respectu esse & non esse.

Secūdum. Secundum (vt dicunt) est, ꝙ quælibet essentia creaturæ participat esse, ita quòd omne esse in creatura est quid participatum, & quòd creatura non participaret esse, nec esse creaturę diceretur quid participatum nisi esset ibi differentia realis. Nam omnis participatio, vel est per modū potentiæ, vel per modum actus, quia scilicet potentia suscipit aliud: actus verò suscipitur ab alio. Hoc enim est participare quasi partem eius capere. Quod enim aliquid in se secundum totum habet, non participat illo, sed plenitudinem habet eius, essentialiter & realiter existens illud. Vnde si calor esset separatus, esset fontalis calor habēs in se omnem rationem & plenitudinem caloris, & respectu eius calor in materia esset diminutus, & secundum participationem subiecti receptus: nunc autem essentia participat esse, sicut potentia actu, & esse participatur ab essentia, sicut actus à potētia, quia essentia creaturę nō potest recipere esse, neque esse recipi ab illa, secundum ipsius esse plenitudinē, vt loquamur de esse creaturæ respectu esse Dei, sicut & de calore in materia respectu caloris separati. Dicitur autem calor in materia participatus, & respectu sui subiecti & respectu caloris separati, sed respectu caloris separati dicitur quodammodo participari respectu suiipsius, quod contingit ei, eò quòd est quid imperfectum in se: si.n. in se perfectus esset non esset natus recipi in alio, nec esset imperfectus respectu alterius omninò. Vnde dicere, ꝙ calor est in alio receptus, & non participatus, est dicere repugnantia. Sic ergo esse creaturæ non esset participatum, aut diminutum, nisi esset in alio receptum. Receptum dico distinctè ab eo secundum rem; nihil enim seipsum diminutè recipit. Sed per hoc vltimum, quo præuidit sibi esse respondendum. Respondendum est dicēdo, ꝙ esse creaturæ participat esse per modum potentiæ, & esse participatur ab illa per modū actus, & hoc non inquantum sunt idem re, sed inquantum differunt intentione. Et quod assumit contrà hoc, quòd tunc esse nō reciperetur ab essentia creaturæ diminutè, quia nihil seipsum recipit diminutè. Dicendum, ꝙ sicut nihil recipit idem sibi ratione quadā, sed solùm ratione, qua diuersum, sic nec recipit illud diminutè nisi ratione qua differens à se, saltem secundū intentionem, quæ quidem diminutio recepti non est respectu recipientis, sed respectu esse Dei. Nihil enim recipit seipsum diminutè etiam ratione, qua diuersum, nisi in seipso sit id, quod est diminutè, secundum quod etiam ipsi ponunt in suo exemplo de calore. Vnde quia essentia creaturæ diminutè est essentia respectu essentiæ diuinæ, nullum inconueniens est immò necessarium est, ꝙ recipiat esse diminutè, licèt idem sint re, recipiens & receptum, differentia autem sola intentione.

Tertium est (vt dicunt) quòd entia in genere sunt, & determinata ad genus. Quod non potest saluari nisi re differant essentia & esse. Secundum enim Commentatorem in secundum Metaphysicę, Genus dicit formam mediam inter potentiam & actum: quidditas ergo cuiuslibet creaturæ eo ipso, quòd est in genere dicit quid in potentia ad actum, & per consequens quid in potentia ad esse, ita quòd secundum quod nata est recipere magis & minus de esse, secundum hoc constituit alium & alium gradum in entibus, & est in alio & alio genere, & in alia & alia specie entis. *Tertium*

Hoc totum verum est, sed non propter ipsum esse receptum, sed solum propter ipsam essentiam recipientem. Per essentiam enim suam res sunt in prædicamentis, licèt sunt extra in re per participationem esse existentiæ, & sic per essentiam suā determinatur omnis creatura ad genus. Propter hoc enim essentia cuiusque creaturæ composita est ex *Responsio*

forma

forma generis, & forma differentiæ, quæ quidem forma generis media est inter puram potentiam, & quæ est materiæ, & inter actum perfectum, qui est in forma speciei completa, cuius complementum est forma differentiæ. Nec est ista compositio ex diuersis secundum rem, sed secundùm intentionem solùm, & sufficit compositio ex sic differentibus, vt constituantur essentię creaturarum in diuersis generibus & speciebus, quia ista diuersitas trahitur à natura ipsarum differentiarum secundū se consideratarum absque omni esse actualis existentiæ, licèt essentia creaturæ perfecta in gradu speciei specialissimę vlterius sit in potentia ad esse existentiæ, quod omninò accidentale est essentiæ & naturæ generis. Dico quo ad suam intentionem qua differt ab essentia, licèt non re aliqua, & facit tale esse compositionem accidentalem. Et ideò est potentia alia, qua essentia est in potentia ad esse existentiæ, à præcedente qua forma generis est in potentia ad formam speciei, aut differentiæ, & nulla ipsarū est ipse actus, nec oportet, ꝙ propter hoc vllo modo differant potentia & actus secundum rem, & faciant realem compositionem, sicut differunt materia & forma in materialibus, & faciunt compositionem realem, propter quam sunt in inferiori gradu, q̄ immaterialia, in quorum essentia nulla est omninò compositio ex diuersis secundum rem. Per quod patet, quòd non tenet tale simile, quo ipsi dicūt sic. Nisi in elementis esset compositio ex materia, & forma re differentibus, non esset vnum elemētum materialius altero, sed quodlibet elementum esset ipsa forma, sic nisi in essentia cuiuslibet creaturæ esset cōpositio ex potentia, & actu realiter differentibus, non esset vna creatura potentialior altera, sed quælibet esset ipse actus, quoniam materia non potest minus differre à forma, q̄ realiter: potentia autem potest bene differre ab actu minus, q̄ realiter, quod planè patet in genere, & differentia.

Quartum. Quartum (vt dicunt) est, ꝙ in entibus est analogia, quæ amoueretur nisi re differrent essentia & esse, quia prima analogia est inter prima diuidentia esse, quę sunt participatum & imparticipatum, sed si non differrent realiter essentia & esse, in reb. non esset participatum, vt dictum est, quare nec *Responsio.* analogia. Et est dicendum, ꝙ cum diuiditur esse in participatum, & non participatum, ibi sumitur esse non tā pro esse existentiæ, q̄ pro esse essentiæ. Quicquid enim est in creaturis, participatum est, siue fuerit esse, siue essentia, respectu esse & essentiæ creatoris. Non enim omnis participatio est accidentalis, sed est aliqua essentialis: essentia enim creaturæ est participata essentia respectu essentiæ Dei, & sic licèt nullum esset esse existentiæ omninò, esse tamen essentiæ & essentia ipsa creaturæ id quod est inquantum huiusmodi, participatum q̄d est, quare etiam licèt esse existentiæ creaturæ non est in re aliud ab eius essentia, essent tamē ambo, s. essentia, & esse existētię creaturę, q̄dā participata.

Quintum (vt dicunt) est, quòd omnis creatura participat aliquod accidens, quod non esset nisi essentia participaret esse, quia secundum Boetium, nihil participat alio, q̄d non participat esse. *Quintum.*

Responsio. Quòd benè verum est, sed falsum est, quod assumunt, si non differunt re essentia & esse, essentia non participat esse. Vnde ex eo, quòd dicimus, quòd esse existentię nihil reale addit super essentiam, non sequitur, quòd essentia creaturę sit ipsum esse suum, quod soli Deo competit, sed tunc illud sequeretur, si nec respectum alterius intentionis adderet essentię, quem quia addit vt aliquid accidentale illi, & vt accidens non reale, sed intentionale, sequitur quòd essentia non sit suum esse, sed quòd vt accidente quodam intentionali participat ipsum esse, quod est primo participatum, vt receptum in alio, & supponitur in qualibet alia participatione accidentis realis, & realiter differentis à subiecto suo, & sic secundum Boetiū, esse participat creatura, vt fit, est verò vt participet alio quolibet & aliquid fit.

Sextum. Sextum est (vt dicunt) quòd omnis creatura est aliquo modo mutabilis secundum substātiam, quod non fit sine reali differentia inter essentiam & esse: quoniam omne mutabile ex aliqua informitate formatur, eò ergò ipso, quo est essentia potest acquirere esse, & perdere esse, & mutari secundum esse. Sic ergo intelligitur essentia esse quid informe respectu esse, & esse intelligitur esse perfectio essentię, & per consequens, ꝙ esse sit res alia, quod falsum est quo ad hoc vltimum, vt patet ex dictis, licèt verum sit quo ad alia.

Secunda via.

Secundum principale opin. dicta. Circa secundum dicunt sic. Triplici via possumus ostendere, quòd argumentum primum factum ab alijs contra ipsos, videlicet, quòd ponentes creaturam produci ex eo, quòd esse recipitur in essentia, vt diuersum in diuerso secundum rē, non possunt saluare creationem ipsius esse, quia tunc creatio esse præsupponeret aliquod subiectum, quod est contra naturam creationis, non concludit, nec probat propositum.

Prima via. Prima via, quę est ex parte Dei producentis, sic patet. Nam (vt dicunt) nulla causa supponit suum effectum, benè tamen supponit effectum alterius: ars enim supponit effectum naturę, non artis, & natura supponit effectum Dei non naturę. In eo ergò, quòd Deus producendo creaturam totam simul producit scilicet essentiam & esse, in tali actione nullo supposito agit, sicut si crearet compositum ex materia & forma, vt lapidem. Licèt enim forma requirat materiam, in qua recipiatur, nec fieri posset, nisi in materia: verè tamen Deus creat lapidem, & quo ad materiam, & quo ad formam, & hoc ex nihilo, in quo incipiunt tangere propositum in quęstione principali.

Responsio ad primam viam. Sed dico ego, quòd non obstantibus dictis in via ista, adhuc propositum stat. Licèt enim simul duratione creantur materia & forma, quia tamen forma creatur in materia, vt quod informat, &

mat,& de cuius potentia est nata produci, & materia creatur nō in alio,igitur natura prius creatur materia, quàm forma in ipsa. Et (quod amplius est) quando forma nata est educi de potentia materię, non habet propriè fieri per creationem, sed potius per quandam informationem,ac si produceretur à Deo supernaturaliter ex materia precedente in tempore,licèt in proposito non præcedat nisi natura. Cum enim Deus agit aliquam actionem in qua potest aliquo modo communicare natura, relinquit naturæ quod suum est. Vnde quia naturæ materiæ est, vt de eius potentia producatur forma ad quam est in potentia: Deus ergo producens in materia formam producibilem de potentia materiæ, etsi simpliciter eam producat, producit tamen eam de potentia materiæ. Et sic licèt in prædictis saluatur creatio totius compositi ex materia & forma, non tamen æquè propriè secundum vtranque eius partem,& sic esse nō omninò ita propriè ponitur creari vt essentia, si tamē ponitur esse in essentia, vt forma producibilis de potentia materiæ ponitur esse in materia,sicut forma lapidis est in eius materia: non autem sicut anima rationalis in corpore, quæ propriè dicitur creari,licèt creetur in corpore,quia non est forma educibilis de potentia materiæ. Et ita sic dicere: est dicere, ꝙ esse non primò creatur nec ita propriè vt essentia, cum tamen contrarium debeat esse verum, si (vt dicunt illi) essentia non creatur, nisi susceptione ipsius esse.

Secunda via (vt dicunt) quæ sumitur ad idem ex modo producendi, & quodammodo videtur excludere tam dicta,sic patet. Nam secundum cōmen. 12. Metaph. si aliquid fieret in aliquo & non ex illo,per transmutationem illius fieret ex nihilo. dato ergo per impossibile, ꝙ essentia præcedat & Deus educat esse in essentia, sed non de potentia essentiæ & sine trāsmutatione eius,verè & propriè crearet esse, vt patet de anima rationali infusa corpori.

Sed dico ego,ꝙ non valet,quoniam (vt dictum est) si esse non educitur de potentia essentiæ sicut nec anima rationalis de corpore, & æquè propriè creatur vt anima rationalis,sicut ergo anima rationalis nata est secundum se esse non solùm in corpore,similiter ergo & esse ipsum natum esset secūdum se esse siue existere nō solùm in essentia creati,cuius contrarium illi dicunt.

Quod autem dicunt,ꝙ esse non inducitur in essentia per transmutationem essentię,sicut nec anima in corpore per transmutationem corporis,falsum est. Si enim non transmutaretur essentia recipiendo esse, non esset verum dicere, ꝙ recipiendo esse crearetur,aut alia creatione crearetur,q̄ esse creatur,cū omnis creatio sit transmutatio,quorum contrarium asserunt illi.Quod tamen,scilicet ꝙ creatio non sit aliqua mutatio,siue ꝙ secundum nullum modum mutationis sit mutatio, error est, vt dicit articulus damnatus.

Præterea non est omninò verum,ꝙ anima creatur in corpore sine corporis transmutatione,quando de non animato fit animatum.

Similiter non est omninò verum,immò falsum simpliciter, ꝙ essentia non transmutatur quando ex non ente fit ens,vt infra declarabitur, cum etiā in altero relatiuorum quodammodo fiat transmutatio per transmutationem factam solùmmodo in altero, vt infra dicemus, secundum Simplicium. Tertia via (vt dicunt) quę sumitur ex ipsa re producta,ad idem,patet sic.Nam creatio,sicut & quęlibet alia productio,est per se & primò totius compositi,& partium eius, non nisi vt sunt aliquid cōpositi,ita ꝙ vnius compositi est vnica tantùm productio secundum totum & secundum omnes partes eius. Producitur enim vna sub alia,vt potentia sub actu, & vna cum alia vel in alia, vt actus cum potentia, vel in potentia,sicut nata sunt esse. Non ergo producitur esse præsupposita essentia, sicut neque è conuersò. Et quia eadem est secundum numerum illorum productio siue creatio,non magis propriè creatur vnum eorum, q̄ alterum, immò si magis propriè alterutrū eorum creatur hoc est potius esse, q̄ essentia, sicut magis propriè generatur forma, q̄ materia, licèt vna generatione generantur in compositō.semper enim productio principalius terminatur ad actum, quàm ad potentiam.

Sed dico ego,ꝙ non valet.licèt enim vnica productione producuntur actus & potentia, & ideò simul duratione, nec quo ad hoc productio vnius præsupponit alterum illorum, nec etiam vnum illorum magis propriè illa productione terminatur q̄ alterum,tamen producitur quodam ordine naturæ vnum illorum prius altero,& de altero, vt dictum est. Illud enim in quo alterum producitur, etsi ipsum producatur simul duratione, oportet tamen ipsum produci prius natura. Prius enim natura est id in quo alterum producitur, q̄ quod in illo producitur, vt generatio formæ corporeitatis in homine, quàm creatio animæ rationalis in corpore, sicut declarauimus in nostro decimo Quolibet. quæst. 5. Et hoc quàmuis id,in quo alterum producitur,non producatur nisi sub illo. Licèt em̄ simul sunt duratione hoc in illo & illud sub hoc, natura tamen prius est id in quo aliud, quàm id sub quo est aliud.

Vlterius autem dico descendendo ad quæstionem principalem, ꝙ etsi vnum illorum, quæ sunt materia & forma, essentia & esse, non magis propriè creetur, quàm alterum quantum est ex parte actus creationis propter eius vnitatem,tamen propter ordinem naturæ, quem habent inter se ipsa creata in toto,benè potest vnum eorum prius natura & magis propriè creari, quàm alterum, vt materia, quàm forma, si tamen forma educibilis de potentia materiæ producta in toto creato propriè & per se possit dici creari, de quo iam erit sermo, sicut dictum est.

Ad assumptum. Et quòd assumitur: si alterum illorum magis propriè creatur, hoc est potius esse, quàm ipsa essentia, sicut magis propriè generat forma, q̃ materia. Dicendum, q̃ creatio respicit duos terminos, scilicèt terminum à quo, quia est de nihilo, & terminũ ad quem, quia est alicuius productiua: ita q̃ magis propriè, & magis essentialiter secundum qd comparatur per differentiam ad alias productiones, respicit terminum à quo, q̃ terminum ad quẽ, quia ex ordine ad terminũ à quo distinguitur essentialiter ab alijs productionibus, non autem ex ordine ad terminum ad quem, quia proprium est creationi, quòd producat de nihilo, quod nulli alij productioni conuenit. Non autem proprium est ei, quòd sit productiua alicuius: in hoc enim conuenit cum qualibet alia productione, ita quòd etsi omnes aliæ productiones distinguuntur inter se in ordine ad terminos ad quos sunt per illorũ diuersitatem, secundum quod generatio dicitur productio ad substantiam terminata: augmentatio verò terminata ad quantitatem: alteratio autem terminata ad qualitatem: latio verò ad vbi, sola tamen creatio ab alijs productionibus distinguitur per se, & principaliter in ordine, & ex ordine diuerso ad terminum à quo. Quare cum proprium sit creationi in ordine ad terminum à quo, q̃ sit de nihilo, & nullo præsupposito, magis propriè ergo dicendũ est creari, quod sic est de nihilo quòd nihil præsupponit omninò, nec oportet præsupponere, sicut est essentia, quàm quod sic est ex nihilo, quòd aliquid præsupponit naturaliter, & oportet præsupponere, sicut est ipsum esse, vt patet ex prædictis. Vnde etsi anima rationalis creatur in corpore, posset tamen creari sine corpore, sicut & esse sine illo potest: non sic autem ipsum esse potest esse sine essentia, aut creari sine ea, vt etiam illi dicunt. Propter quod etsi anima creata in corpore propriè posset dici creari, non tamen ipsum esse in essentia.

Ad simile. Et sic patet, quòd non valet simile assumptum de materia & forma in generatione, quoniam generatio magis per se, & essentialius respicit terminum ad quem, q̃ terminum à quo, contrariè ei, qd iam dictum est de creatione. Et ideò semper generatio principalius terminatur ad id, quod plus recipit de entitate per generationem, & è contrariò creatio ad id quod plus prodncitur de nihilo, vt dictum est.

Solutio rationis secũda. Soluta prima ratione, vt dicũt illi, de facili soluitur secunda. Nam cum dicitur, si poneremus talem compositionem, & esset creatio dicto modo, tunc esse produceretur de essentia, si arguẽtes hoc dicant ex opinione propria, tunc ratio recipit falsum, & peccat in materia. Nam nũquã forma educitur de materia nisi tempore præcedat formam, non sic autem est de creatis, vt dictum est: si autẽ illud supponant tanq̃ dictum ab aduersarijs, dicemus (inquiunt illi) q̃ nunq̃ ad nos pernenerunt dicta aliquorum, qui tantę essent dementiæ, vt dicerent, q̃ in creatione educitur esse de potentia essentiæ, sicut in generatione educitur forma de potentia materiæ.

Contrà solutionem. Sed dico ego, q̃ dictum illud, Nunquàm forma educitur de materia, nec actus de potentia, nisi tẽpore præcedant materia & potentia, verum est loquendo de generatione naturali, nõ tamen est verum loquendo de generatione supernaturali. In illa enim sufficit, quòd materia præcedat formam natura tm̃. Si enim Deus subitò, immediatè, & supernaturaliter de trunco formaret vitulum, ex eadem potentia materiæ ax qua formaret ipsũ natura successiuè, & per multa media, hoc non diceretur creatio ꝓpriè, sed magis generatio supernaturalis. Opus enim omne, quod Deus facit mediante natura ex aliquo, potest facere immediatè ex eodem. Si ergo Deus materiam subitò crearet, ex cuius potentia nata esset forma produci, & simul duratione produceret formam de illa potẽtia materiæ, licèt materia propriè diceretur creari, forma tamen potius diceretur supernaturaliter generari, sicut & formatio corporis Christi de potẽtia materiæ præcedentis tractę ex virgine, inquantum formatum fuit opere Spiritus Sancti, quia de potentia materię fuit forma eius educta cooperãte virtute naturali Mariæ, potius dicitur à Spiritu Sancto producta per actionem similem generationi naturali, aut etiam generatione quadam supernaturali, quàm vera & propria creatione. Secus autem est, si forma produceretur in materia, ex cuius potentia non est nata produci: tunc enim tàm materia, quàm forma crearentur. Sed tamen magis propriè materia, quo ad hoc, s. quòd nihil oportet eam per naturam ad sui productionem præsupponere; forma verò natutaliter præsupponit materiam. Si ergo essentia esset in potentia ad esse, nõ solùm receptiua, sicut est corpus ad animam rationalem, sed etiam formatiua, sicut est materia naturalis ad formam naturalem, esse productum cum essentia à Deo potius diceretur generari supernaturaliter, quàm creari, aut si essentia est in sola potentia receptiua ipsius esse, tunc edhuc magis propriè creari diceretur essentia, quàm esse, vt dictũ est, vt vniuersaliter productio materialis & potentialis per creationem minus depẽdet à productione formalis & actualis, quàm è conuersò, propter quod materia potius à Deo posset creari, & esse sine forma materiali, quàm è conuersò forma materialis sine materia. Sic ergo ad hoc, q̃ præmittũt illi an esse educi de essentia dicant arguentes ex opin. propria, an supponunt illud ab aduersarijs. Dico ego, q̃ supponunt hoc ab aduersarijs, quia licèt hoc non dicant expressè, implicatur tamen in dictis eorum, & hoc licèt non dicant esse educi de essentia, vt educitur forma generatione naturali de materia præcedente, vt patet ex dictis.

Contra sol. dictam.

Solutio rationis tertia. Solutis duabus rationibus soluemus & tertiam (dicunt illi) nam cum sic arguitur.

Causa

Causa prima rerũ creatarum est esse, vt dicit quarta propositio de causis, & esse est per creationẽ: cætera verò per informationem, vt dicitur in Cõment. propositionis 18. ergo essentia potius creabitur in esse tanquam posterius in priore, & essentia potius informabit esse, q̃ è conuersò. Dicemus (inquiunt illi) quòd esse recipitur in essentia, & informat eam non è conuersò, quia semper actus informat potentiam, & recipitur in illam, & non è conuersò. Et quia Auctor de causis non accipit cũ dicit Prima rerum creatarum est esse, ipsum esse vt distinguitur contra essentiam, sed accipit ipsum in oĩmoda latitudine: tali enim esse nihil est prius, nihil latius, nihil simplicius, nihil vehementius rebus vnitum, & adhærens eis, & omnia alia se habent per additionem ad ipsum, ratione quorũ additorum cum esse sit vnum, ab ipso tamen procedit rerum multitudo. Et sic benè verũ est, ꝙ essentia creatur in esse, sicut speciale in generali, & se habet ad ipsum per informationem potius, quàm è conuersò. Non autem verum est, ꝙ essentia creatur in esse actualis existentiæ, nec se habet ad ipsũ per informationem, sed potius è conuersò. Nam vt dicit nona propositio de causis, in intelligẽtia est compositio ex forma, quæ est sua essentia, & esse, respectu cuius ipsa forma intelligentiæ Hyleacum quiddam est. i. non proprie hyle & materia, sed quasi hyle & materiale respectu esse, quod est actus & forma in intelligentia. Et sic (vt dicunt illi) ratio est oĩnò præter propositum & procedit in æquiuoco. Attamen (vt dicunt) si vellemus loqui de esse, quòd distinguitur cõtra essentiam, adhuc possemus saluare, quòd prima rerum creatarum est esse quia secundum prædicta principalius per creationẽ producitur magis actuale, & actus, quàm potentiale & potentia, quemadmodum si nunquam vi deretur lux sine colore, & vnica visione ambo videantur, lux tamen semper est prima rerum visibilium, & principalius visibile & sic licèt vnica creatione simul creantur essentia & esse, tamen esse est prima rerum creatarum, quia semper principalius sumitur ratio ꝓductionis ex actu, quàm ex potentia.

Contrà sol. distam.

Sed dico ego, ꝙ ratio nostra dicta benè est ad propositũ, quia benè & directè probat, ꝙ esse existentię ꝙ creatur in essentia, vt accidens eius, secũdum quod illi dicunt, non principaliter creat, sed potius aliquid aliud, vt esse latissimum, quod se tenet ex parte essentiæ respectu esse existentię, & sic ratio non procedit in æquiuoco, licèt esse, quod principalius probat creari, sit æquiuocè dictũ esse cum esse latissimo. Vlterius autem intentio nostra in dicta ratione principaliter vergit ad probãdum, ꝙ essentia principalius habet esse per creationem, q̃ ipsum esse existentię, etiam si sit res alia ab ipsa essentia, quod patet: & primò si ponatur esse res alia: secundò si ponat esse solus respectus. Si. n. ponatur esse res alia, illicò patet ex hoc, ꝙ essentia prius informat esse latissimũ ponẽs secundum modum prædictum, q̃ ipsa informat per esse existentiæ, quoniam si sit res alia, accidens est, qđ primò & immediatè sequitur indiuiduum, aut speciem specialissimam scdm Porphyrium, & sic quẽadmodum substantia subiecta principalius creat, q̃ eius accidens existens in ea, sic essentia principalius creatur, q̃ ipsum esse existentiæ, quę quidem essentia creatur per informationem qua informat esse latissimũ, non aũt qua informatur ipsa ab esse existentię. Esse igit existentię, quod aduenit essentiæ natu aliter, primò & immediatius informat essentiam, q̃ informat esse latissimum. Quapropter & esse tale accidit ipsi essentiæ, vt accidens substãtiæ subiectæ: substantia aũt non dependet à productione sui accidentis, sicut è conuersò: essentia ergo creari posset quantum est de se, etsi esse existentiæ, vt res alia, non creetur in ea, licèt non è cõuersò. Quod si sit, cum essentia non sit terminus creationis nisi recipiendo esse à creante, esse ergo illud sine quo non posset creari essentia nihil nominat aliud supra essẽtiam nisi respectum sępè dictum. Et hoc est quod principaliter probare nitimur, non ꝙ esse non faciat aliquod compositum cum essentia: immò facit secundum modum quẽ determinauimus in quæstionib. ordinarijs. Nec ꝙ esse non sit accidens substantię: immò est, sicut respectus in creaturis habet esse accidens, secũdum quod similiter ibidem, & in alijs quæstionibus de Quolibet determinauimus. Nec ꝙ esse dicat positiuè eandem rem, quã dicit essentia, vt in hoc sint nomina synonyma, contra quod plures rationes aduersantium nobis in præmissis, procedunt. Id. n. nó est verum, sed ꝙ esse supra essentiam non nominat nisi respectum quẽdam, qui nihil realitatis importat absolutę p̃ illam realitatem, quę est substantiæ, à qua dr̃ respectus realis, non ꝙ sit res illa, aut significet eã sub ratione rei, nisi largo modo appellet res ipse respectus sub rõne respectus, scdm quod alibi determinauimus, & sic ꝙ negatiuè esse nõ dicat aliã rem absolutam p̃ter rẽ ipsius essentię, siue q̃ alia est à re ipsius essentię. Si ergo penès scdm modum iã tactum esse existentię sit solus respectus & non accidens absolutũ, illum non oportet primò fundari in essẽtia, siue in specie cõsiderata, siue in indiuiduo, sed in illo, quod ꝓpriè primò creatur, & sic non propriè fundatur primò in essentia rei, vt est essẽtia determinata, sed in ipso esse, qđ est latissimum, quod esse latissimum (vt dictum est) propriè habet esse in ipsa essentia per creationẽ, & sic ꝓpriè, & per se, & primò recipit esse existẽtię, non aũt essẽtia nisi quatenus ipsa essentia informat ipsũ esse latissimũ, & est idẽ re cũ ipso esse latissimo, & p hoc esse essẽtię nõ informat essẽtiã, vt aliqd pse, & primò sequens ipsam, sed potius, vt aliquid p̃cedens eã, qđ quidẽ esse existẽtię primò informat esse latissimũ accidẽtaliter, qđ etiam informat ab essentia essentialiter, & sic saltẽ per accidens essentia potius informat esse existẽtiæ, vt posterius ipsum prius, quàm è conuersò, &

Contra sol. tionis tertia.

quia magis verè, & propriè creata est res vera absoluta, quàm quicunque respectus, ideò etiam verius creata est essentia, quàm ille respectus importatus per esse existentiæ.

Ad secundam solutionem.

Secunda verò dictarum solutionum procedit in æquiuoco similiter, quoniam principalius dicitur aliquid alicui cõuenire dupliciter. Vno modo quia perfectius ratio illius inuenit in illo, alio modo, quia prius: & secundum primum modum exponit illa solutio dictum illud prima rerum creatarũ est esse existentię, quia scilicèt est magis actuale, quàm essentia secundum prędicta. Sed isto modo principalitatis non attendit principalitas creationis; sed secundo modo, quia scilicèt non in ordine ad terminum ad quem, sed solùmmodò in ordine ad terminum à quo, secundum prædicta. Propter hoc enim esse largissimum principalissimè dicitur creari, quia scilicèt nihil suppositũ informat respectu cuius nullum aliorum propriè dr̃ creari, quia quodlibet aliorum præsupponit naturaliter aliquid quod informat, & sic minus propriè dicitur creari esse existentiæ, quàm essentia si ponatur aliud re ab essentia, quia esse existentiæ informat ipsam essentiam. Quod autem dicunt illi, quòd semper ratio productionis principalius sumitur ab actu, quàm à potentia, verum est in alijs productionibus à creatione, quia aliquid supponũt: non autem in creatione, quia nihil supponit, & sic esse latissimum, quod primò creatur, in vnoquoq; est potentiale accidentali potẽtia respectu esse existentiæ, & essentiali, respectu esse ẽsẽtiæ.

Tertium princip.

Circa tertium principale dicunt illi sic. Ostenso, quòd rationes impugnantium compositionem esse cum essentia non concludunt, declarabimus quasdam distinctiones, quas faciunt, non sufficere ad tollendas difficultates. Sunt autem huiusmodi distinctiones tres, quarum Prima est de possibili subiectiuè, & obiectiuè, siue terminatiuè. Secunda est de essentijs, quarum quædam existit proprietate suæ naturæ; quædam verò extrinsecus participatiuè. Tertia verò est de ipso differre, ꝙ quædam differunt re, quędam intentione, quædam verò ratione. Vnde cum probatur cõtra eos, ꝙ essentia & esse realiter differant, quia essentia est possibile esse, & possibile esse non fit actu existens nisi per aliquid ei additum, aliud re ab illa, quod non est primò aliud, quàm ipsum esse: Dicunt, quòd verum est de possibili subiectiuè, veluti de materia subiecta extensioni: non autem de possibili obiectiuè, vt contingit in proposito. Similiter cum probatur contrà eos, ꝙ tunc aliquid acquireretur sibi ipsi. Item quòd tale esse creaturæ non inciperet de nouo esse, quia enim quod essentia est essentia æternum quid est, quare & esse eius si idem re sunt essentia, & esse eius. Item nihil potest à seipso separari, nec seipsum perdere, & sic creatura non posset annihilari, nec amittere esse: Dicunt, ꝙ verum esset, si sic non differrent re essentia & esse, ꝙ essentia sua proprietate conueniret esse: nunc autem hoc non est verum, cum esse conueniat ei solũ modo quodam exterius participatiuè, acquirendo. s. sibi quendam nouum respectum. Similiter cũ probatur contra eos sic, si aliqua duo dicunt vnam & eandem rem, licèt vnum posset intelligi non intellecto altero, impossibile est, ꝙ vnum intelligatur cũ oppositio alterius, vt patet de ente & vno, ꝙ aliquid potest intelligi esse ens non intelligẽdo, ꝙ sit vnum, non tñ intelligendo, quòd non sit vnum. Et (quod fortius est) res aliqua non põt intelligi cum opposito eius, quod per se habet habitudinẽ ad illam, licèt possit intelligi sine illo, & cum opposito eius, quod nõ habet per se habitudinem ad illam. V. g. homo potest intelligi non intellecto risibili, & æthiops nitens colore: homo tñ non potest intelligi intelligẽdo simul, ꝙ sit hinnibilis. Quare quia essentia intelligi potest cũ opposito eius, qđ est esse. s. cum non esse, essentia & esse non eandẽ rem dicunt, quod verum est, qñ quæ sunt idem re differunt ratione tm̃, vt contingit de ente & vno, quod cõuertitur cum ipso: non autem quando cũ hoc differunt intentione sola, vt contingit in proposito. Dicunt ergo primò, ꝙ possibile aliud est subiectiuè aliud terminatiuè, quod & nos concedimus, sed non est vnum illorũ sine altero, quia agẽs non facit nisi compositum ex potentia & actu: facere. n. materiã non est facere, ꝙ materia sit materia, quia cum materia semper sit materia, ad hoc non indiget factione, sed facere materiam est facere, ꝙ sit sub forma: & vniuersaliter facere potentiã, vel possibile, est facere, ꝙ sit sub actu. Similiter facere formã materialem non est facere, ꝙ sit forma, quia ad hoc nõ indiget factione, sed facere formam est facere, ꝙ illa sit in materia. Similiter facere intelligẽtiam, quę in sua essentia est forma sine materia, non est facere ꝙ sit forma, nec ꝙ sit intelligentia, quia ad hoc factione non indiget, sed facere eã est facere, ꝙ habeat esse existentiæ. Vniuersaliter. n. tã actus, q̃ potentia in creaturis indigent factore, & conseruatore, quod quidem est potentia, indiget vt factione sua sit sub actu, & vt conseruetur sub ipso, quod verò est actus, indiget vt factione sit in potentia, & conseruetur in ea.

prima distinctio.
Secunda.
Tertia.

Contrarium.

Sed ego dico, ꝙ illud falsum est, ꝙ. s. non est possibile terminatiuè sine possibili subiectiuè, si intelliguntur subiectum & illud, cui subijcitur differentia secundum rem, quod propriè facit possibile subiectiuè. Benè tñ verum est si intelliguntur differentia secundum intentionẽ, nec vnq̃ hoc negauimus. Non. n. semper oportet, ꝙ actus differat à potentia secundũ rem, & sit actus quid absolutũ, sed sufficit, ꝙ differant secũdum intentionem solùm, & sit quid respectiuum. Et contingit hoc semper circa actum, qui est esse existentiæ, sub quo primò, & principaliter p veram creationem creatur in esse existẽtiæ ipsum esse essentiæ cuiusque, & deinde cętera oĩą, quæ sub esse essentiæ propriè fiunt in esse existentiæ per quandã informationẽ scdm p̃dicta. Vnde de possibili subiectiuè propriè loquendò de

subiecto,

subiecto, quale in naturalibus est materia, quæ est subiecta formæ. Dico, sicut & aliàs dixi, quòd nunquàm fit actu nisi per aliquid additum differens re ab illo. De possibili autem subiectiuè cõmuniter loquendo de subiecto qualiter res absoluta subijcitur intentioni, aut respectui, falsum est.

Quòd autem dicunt illi, quòd si essentia non est in re extra per aliquam rem superadditam, idem est essentiam existere secundum rem extra intellectum, & essentiam esse essentiam, quare cum essentia semper maneat essentia, siue semper sit essentia, siue semper verum est, quòd essentia sit essentia, semper ergò verum est, quòd essentia sit aliquid in re extra, & sic in seipsa habet proprietatem existendi, & non potest ei secundum se accidere corruptio, & est oppositio in adiecto, quòd scilicèt essentia semper manet, siue quòd est essentia, & quòd potest corrumpi propriè propria corruptione naturali.

Ad hoc dico ego, quòd nullum istorum sequit. Est enim esse essentiæ creaturæ in re extra non per rem aliam superadditam, sed per hoc, quòd ipsa in se est terminus diuinæ operationis absque omni alio ei adueniente ex huiusmodi operatione præter respectum ad operantem, vt sæpè dictum est, sed ille respectus non est aliquid creatum obiectiuè nisi per accidẽs, quia scilicèt circa essentiam sequitur quæ creatur obiectiuè, qui etiam respectu actus creandi est possibile obiectiuè: respectu verò esse, siue dicti respectus est possibile subiectiuè, sicut etiam respectu mutationis, quæ est creatio, vt alibi diximus. Et sic magna est differentia secũdum rẽ inter essentiam esse essentiam, & inter essentiam esse existentiam extra. Non ergo si essentia semper manet essentia, vel si oportet concedere verum esse semper, quòd essentia sit essentia, quòd similiter oporteat concedere essentiam esse existentiam extra, quia non solùm differentia realis, & secundum absolutum quid addita alicui simpliciter variat propositionem secundum veritatem & falsitatem, sed etiam differentia secundum intentionem, & secundum aliquem respectum. Vnde hæc semper est vera, essentia est essentia, sed non semper est hæc vera, essentia est intellecta, & tamẽ super essentiam simpliciter nihil addit eam esse intellectam nisi respectum quendam, secundum huiusmodi enim variationem frequenter cõtingit fallacia accidentis.

Contra illa.

Nec est aliqua oppositio in adiecto, dicendo, quòd essentia semper est essentia, & quòd potest corrumpi corruptione propriæ naturę: sicut enim productione propriæ naturæ creatur ex hoc solo, quòd est effectus Dei in seipsa, sic corruptione proprię naturę corrumpitur desinendo esse effectus Dei, nullo alio secundum rem addito & nullo remoto. Vnde quod addunt illi arguẽdo, tota causa quare semper verificatur hęc, essentia est essentia: non autem hæc, essentia est existentia, est propter realem differentiam inter essentiam & existentiam, quare cum inter illa nulla sit differentia secundum rem, sicut semper secundum illos verificatur ista, essentia est essentia, sic & illa, essentia est existentia.

Dico ergo, quòd non sequitur si aliqua sunt eadem secundum rem: ergo de quo vnum eorum verificatur secundum rem, verificatur & reliquũ, quoniam veritas secundum rem non dicitur à sola re, sed ab ipsa secundum quod exprimitur per sermonem. Vnde licèt idem secundum rem significant ens & vnum, quia tamen sub alio modo illud significatur nomine entis, quàm significatur nomine vnius, propter hoc quiddam semper verificatur de vno: quod tamen nunquam verificatur de altero, quia licèt hęc semper sit vera, vnum signat indiuisionem: hæc tamen semper est falsa, ens signat indiuisionem. Consimiliter è contrariò ex parte subiecti, licèt idem significent secundum rem essentia & existentia, quia scilicèt existentia nullam rem absolutam addit super essentiam: non tamẽ idcirco de quo semper verificatur vnum eorum, de eodem semper verificatur alterum, vt ideò non sequatur, quòd si essentia semper sit essentia, quòd essentia semper sit existentia, licèt existentia nullam rem aliam addat supra essentiam. Quòd verò addunt illi ad confirmationem sui dicti, quia sunt idem secundum rem ens & vnum, impossibile est de aliquo verificari secundũ rem, quòd sit ens, quin de illo secundum rem verificetur, quòd sit vnum. Dico ego, ꝙ verũ est, quia differũt sola ratione: si.n. differrent intentione, non esset ita, licèt enim rationale, vt differentia & animal, vt genus idem significent secundum rem, quia tamen differunt intentione, semper est hæc vera, rationale est rationale, nunquam tamẽ hæc est vera, rationale est animal, nisi ratione suppositi, & sic vnum prędicatur, de quo non prædicatur reliquum.

Improbata distinctione de possibili (dicũt illi) volumus improbare distinctionem de essentia, ꝙ .f. quędam existit in sua proprietate, vt illa quę est Dei, quædam verò extrinseca participatione, vt illa, quę est creaturę, ꝙ.f. consistit in quodam respectu, quem põt essentia creaturę acquirere & amittere, & per hoc esse, & non esse. Sed hoc (vt dicũt illi) stare non põt, quia respectus nunq̃ acquiritur nisi quia acquiritur aliqua res, in qua fundat, nec amittitur nisi quia illa res amittitur. Aliter.n. esset per se acquisitio & amissio illius respectus, & per consequens esset per se motus, aut mutatio ad respectum, siue relationem, cuius contrarium habẽtur ex quinto Physicorum.

Contra secundã similitudinẽ, quæ est de essentia.

Sed dico ego, ꝙ totum hoc falsum est. In omnibus.n. relatiuis, in quib. aliquid refertur ad aliud, quia illud refertur ad ipsum, qualitercunque nominetur illud secundum illam relationem respectus in illis amittitur, & acquiritur absq; hoc, ꝙ illi acquirant aliqua res, in qua fundatur respectus, aut amittatur ab illo. V. g. scibile acquirit

Defenso.

respectum rationis ad scientiam, quia in sciente acquiritur scientia, quæ ex se realem respectum habet ad scibile, & similiter creaturæ essentia secundum se, & absolutè cõsiderata acquirit respectum realem ad Deum, quia Deus secundum genus causæ agentis, qua ab æterno habuit relationem secũdum rationem ad essentiam creaturę: vnde creabilis sua actione æterna, de nouo operatur circa ipsam, vt sit effectus eius in supposito signato, secundum ꝙ exposuimus in prima quæstione de Quolibet nono, absque ipsius agentis mutatione, quia ista diuersitas à mera ratione suæ voluntatis æternæ dependet. Si enim Deus eam producat aut cõseruet in esse, habet creatura respectum realẽ nouum ex sui noua immutatione ad ipsum secũdum rem, quia Deus habet respectum ad illam secundum rationem ab æterno licèt noua denominatione, & si non conseruetur ab eo amittit respectũ illum ad Deum secũdum rationem suæ nouitatis, quia Deus ab æterno sua voluntate ordinauit ipsam in tali supposito non conseruandam amplius.

Quol. ix. q. 1. Diximus.n.in quadam quęstione de relationibus, ꝙ secundum genus causæ efficientis & effecti creatura habet respectum realem ad Deum, quia Deus habet secundum rationem respectum ad ipsam, & relatio sic circa essentiam creaturæ acquiritur & amittitur, non tamen est per se terminus mutationis, sed ipsa essentia rei, quæ in eo ꝙ creatur in signato supposito obiectiuè acquiritur in ea respectus dictus subiectiuè, quia non est terminus creationis nisi per accidens. Vnde & ad mutationem respectus in vno relatiuorum fundati.s.in essentia rei, sequitur mutatio in altero.s.in Deo, licèt secũdum solam denominationem. Non tamen respectus est per se terminus mutationis. Verbi gratia, si Sortes & Plato sunt similes in eo ꝙ sunt homines, similitudo hæc fundatur in puris essentijs illorum, & tamen si alter desinat esse homo, relatio similitudinis perit in altero, absque eo ꝙ aliquid reale ei subtrahatur omninò, nõ tamen relatio est ibi per se terminus mutationis. Per hoc patet defectus rationis qua illi nitũtur arguere cõtrà hoc, dicendo, ꝙ si Deus faceret parietem album & hominem album, esset per albedinem relatio similitudinis inter parietem & hominem Deo operante, nunq̃ tamen Deus posset istam relationem ab altero illorum tollere, nisi remouendo albedinem ab alterutro illorum. Sic & in proposito de respectu creaturæ ad Deum opere Dei contingit, ꝙ nõ potest Deus huiusmodi respectum à creatura tollere quantuncunque ipso operante creatus est, nisi remoueret ab essentia creaturæ aliquam rem, quæ est immediatum fundamentum huiusmodi respectus. Et est respondendum ꝙ non est simile, quoniam in pariete & homine respectus fundatur non in illorum essentia immediatè, sed in ipsa albedine, propter quod manente albedine in vtroque non potest respectus ille amitti, sed in proposito illius respectus in creatura non est immediatũ fundamentum aliqua res absoluta addita creaturæ, vt ipsum esse existentiæ, quod illi ponunt, sed ipsa essentia creaturæ, vt ipsa est signata in supposito determinato est immediatum fundamentum huius respectus, non secundum ꝙ est essentia simpliciter, sed solùmmodo secundum ꝙ ipsa est terminus operationis diuinæ ęternæ, nec omninò requiritur alia res media, immò ipsa sola essentia sic se habens sufficit ad sustinẽdum huiusmodi respectum, quẽ esse addit super essentiã, & nihil aliud, nec in hoc est aliqua differentia, nec aliam vnq̃ fecimus siue creatura ponatur produci à Deo ex actione liberę voluntatis, siue necessitatis naturalis, si esset hoc possibile. vtroq; enim modo respectus ille fundatur in sola essentia creaturæ, non vt est essentia simpliciter, sed solùmmodo vt est terminus diuinę operationis, vel ab ęterno si operaretur circa illam necessitate naturę, vel ex tempore, sicut modo cum operatur circa illam libertatem voluntatis. Et sic si Deus velit huiusmodi respectum ab essentia creaturæ tollere non oporteat ꝙ seipsum immuret, vel ꝙ aliquid absolutum ab essentia creaturæ demat, sed ꝙ actionem suam qua operatur circa essentiam creaturæ, ab illa subtrahat, quod potest facere nulla mutatione facta circa seipsum, sed solùmmodò circa creaturę essentiam, in eo.s.ꝙ desinit esse terminus diuinæ operationis, & per hoc desinit habere illum respectum ad Deum, sicut per illud prius habuit illum absque alia re absoluta illi coniuncta, & sic facere essentiam non est facere, ꝙ essentia sit essentia, sed ꝙ sit effectus diuinæ operationis, & per hoc est habens esse, & est coniuncta ipsi esse, non, vt illi dicunt, res altera absoluta ab essentia, sed vt id quod est altera intentio fundata in essentia rei, vt à qua habet omnẽ suam realitatem, quæ non acquiritur per se in essentia, nec tollitur ab ea, sed solùm per hoc ꝙ ipsa essentia est, vel non est terminus operationis diuinæ, vt dictum est. Et sic euitatur per hoc omnis difficultas circa hanc materiam.

Contra distinctioni de differentia, seu differre. Improbatis distinctionibus de possibili & de essentia (dicunt illi) volumus improbare distinctionem de ipso differre siue de differentia, quia primò ostendamus distinctionem ipsam non esse bonam: Secundò ꝙ per eam non possunt ponentes eam difficultates effugere. Distinguunt enim triplex differre.s.re, ratione, & intentione. Nam sunt quædam differentia re, vt accidens & subiectum, quædam ratione, vt definitio & definitum. Cum ergo aliqua plus differant, q̃ definitio & definitum, & minus q̃ accidens & subiectum, vt genus & differentia: ergò medio modo differunt, & vocãtur differre intentione. Sed modus iste arguendi non valet. Non enim sequitur ex illis, ꝙ differentia istorum sit media inter differre re, & ratione, quia in ipso differre ratione est accipere magis & minus, & similiter in ipso differre re, & magis differre ratione quodammodo medium est inter differre re & minus differre ratione, & sic genus & diffe-

Responsio Auctoris.

Replica.

Responsio.

Quòd differentia sit mutuliter exceptata. Probatur.

Improbat

& differentia si differunt sola ratione, magis tamē differunt, q̄ definitio & definitum, & si differunt re, minus tamen differunt, q̄ accidens & subiectū.

Responsio Auctoris. Sed dico ego, ꝙ verum esset illud si illa differentia inter differre intentione & ratione esset solùmmodo secundum magis & minus, sed intelligimus ꝙ etiam implicat modum diuersum differendi secundum speciem, quemadmodum etsi differre re differt à differe ratione secūdum magis & minus, non tamen solùmmodo differūt sic, sed etiam differunt secundum speciem differendi, quemadmodum genus & differentia differunt in specie, propter quod faciunt compositionem, quam nullo modo facerent si sola ratione differrent, vt patet de diuinis attributis in Deo.

Replica. Sed arguunt cōtra hoc dicentes, ꝙ alius & alius modus differendi est vbi vnitas rei solam differentiam rationis facit, quia post q̄ res quælibet secundum se est vna, sola ratio hos modos diuersitatis inuenit.

Responsio. Sed dico ego, ꝙ non dicitur modus differendi rationis, quia inuentus est à ratione, quæ est potentia animæ, sed dicitur rationis, quia cū hoc ꝙ perceptus est, non dico inuentus est à ratione, ex se existit in natura rei, ita videlicèt ꝙ ex natura rei est, ꝙ in eadem re aliqua solùmmodo differunt secundum magis & minus tantùm, aliqua verò differunt secundum magis & minus, & adhuc amplius. Illa quæ primo modo differunt necessariò continentur sub vno modo differendi & differente ab alijs secundum speciem, quia sola differentia secundum magis & minus nunq̄ diuersificat speciem. Illa verò quę differunt secundo modo, ratione ampliori benè possunt differre inter se alio modo differendi specifico ab eis, quæ in eadem re nō differunt penès tale amplius. Verbi gratia cum genus & differentia sint in eadem re, sicut definitio & definitum sunt in eadem re, siue in solis separatis substantijs, siue etiam in corporalibus (in hoc enim non est vis) vnum illorum nullo modo potest prędicari de altero, definitio verò semper prędicatur de definito, & è conuersò, necessariò igitur genus & differenaia cum hoc ꝙ plus differunt inter se, q̄ definitio & definitū, eo videlicet ꝙ neutrum eorum prędicatur de altero, sicut mutuò prę dicatur definitio de definito & è conuersò, differunt alio modo differendi secundum speciem, quàm illa.

Quod differētia sit inutiliter excepitata Probatur. Quod addunt illi, ꝙ tali distinctione non soluitur argumentum nec ipsa difficultas euitatur dicendo, ꝙ si aliqua sunt idem re, vnum eorum non potest intelligi sub opposito alterius. Nam genus quod potest intelligi sub oppositis differentijs nō dicit vnam rem, sed aliam, vt est sub vna differentia & idem illi, quàm vt est sub alia & idem illi. Vnde vbi sunt aliqua idem re differentia, quocūque modo dicuntur differre non potest idem intelligi sub oppositis differentijs.

Improbat. Et dico ego, ꝙ genus, vt est intelligibile sub oppositis differentijs, licèt non signet eandem rem numero, aut specie, signat tamen eandem communitate generis, quæ in idem re coincidit cum vtraque differentia, & idem re communi. (secundum rationem communitatis generis est in vtraque specie. Aliter enim nulla esset identitas illa, quæ dicitur generis, & per illam identitatem forma generis ab vtraque differentia non re, nec ratione, sed sola intētione differt, quod sufficit ad declarationem propositi & solutionem argumenti, licèt maior vnitas realis est essentiæ respectu esse & non esse, quia numeralis, quàm generis ad oppositas differentias. Per hunc enim modum si aliqui duo sint albi, in albedine vtraque fundatur respectus similitudinis mutuæ vnius ad alterum, & si alter eorum fiat niger, super albedinem non alterati fundatur respectus dissimilitudinis ad nigrum & sunt respectus illi contrarij, similitudinis. (& dissimilitudinis, & tamen ex parte albedinis manētis idem realitatis, quod est in vno est & in alio, (. in similitudine & dissimilitudine fundatis super eandem albedinem, & nullam aliam realitatem habet in se, ita ꝙ eadem res, quæ est albedo potest intelligi sub vtroq; respectu, vt idem re cum vtroque, quia nihil realitatis propriæ dicit respectus, sed solùmmodo quantum est ex se, quia nō habet realitatem, nisi à suo fundamento, nili extendatur nomen rei, vt alibi exposui. Et vniuersaliter esse & essentia ponendo ꝙ esse secundum dictum modum non addit, nisi nudum respectum super essentiam, dicunt vnam & eandem rem, aut non aliam & aliam, & sic sicut eadem albedo numero existēs sub respectu similitudinis potest esse & intelligi sub opposito respectu, vel sub priuatione illius respectus, sic eadem essentia numero existens sub esse potest esse & intelligi sub priuatione esse, (. sub non esse absque omni inconuenienti. Adhuc autē addunt alij dicentes. Possumus autem ad hanc veritatem ostendendam facere syllogismum expositorium, vt si à sit animal rationale, & illud idem sit irrationale vel potest intelligi esse irrationale, idem animal est vel poterit esse rationale & irrationale, quod est inconueniens. Benè ergo verum est, ꝙ à quod est animal rationale realiter differt ab irrationali, vel ab eo quod potest intelligi esse irrationale, quicquid ergo potest intelligi cum opposito aliquius realiter differt ab illo.

Ad syllogismum expositorium Sed dico ego sicut aliàs dixi, ꝙ quicquid potest intelligi sub opposito alicuius realiter differt ab illo: Verum est de eodem contracto & secundum numerum, de quo tenet syllogismus expositorius solùmmodò, non autem est verum de eodem non contracto secūdum rem, sicut est aliquid idem secundum genus, de quo non tenet syllogismus expositorius.

Replica. Sed dictum hoc, vt dicunt illi considerat, quod est per accidens, nec difficultatem auacuat. Considerare enim aliquid, sicut dicunt illi, vt non contractum, accidit & extraneum est syllogismo expo-

torio,

sitorio, quia tenet solùm gratia materiæ in cõtractis & singularibus. & sic responsio considerat, qđ est per accidens, nec valet.

Responsio. Sed dico ego, ꝙ immò benè valet, quia illud accidens, s. sumere non contractum, est necessarium in resoluendo per conclusionis destructionem syllogismum expositorium, cuius conclusio semper est falsa & impossibilis, & ideò in proposito arguendo sic, à animal est rationale & à animal est irrationale, ergo idem est animal rationale & irrationale, benè verum est pro eodem secundum genus, & sunt ambæ præmissæ veræ, non autem pro eodem secundum speciem aut numerum, quia esset altera præmissarum falsa. Vnde si arguatur sic: hæc essentia est ens, & hæc essentia est non ens, sequitur conclusio impossibilis: ergo hæc essentia est ens & non ens. Non obstante tamen quòd essentia sit idem cum esse, nec esse addit rem aliam, potest intelligi eadem essentia sub non esse, & esse sub non esse in alio tempore, quæ nullo modo repugnant identitati rei super quam fundatur syllogismus expositorius.

Replica ad resp. Rursus (vt dicunt) hoc difficultatem non euacuat, immò magis auget, vt cauillentur. Nam animal non contractum non dicit vnam rem, non ergo potest differre intentione & non differre re, & quia non dicit vnam rem potest intelligi sub duobus oppositis.

Responsio. Sed dico (vt dixi) quòd dicit vnam rem communem licèt non singularem, & ideò differt sola intentione ab oppositis contrahentibus illam, & sic quia dicit vnam rem potest intelligi sub oppositis.

Quartum principale. Circa quartum dicunt illi sic, solutis rationibus quibus aliqui probant, quòd ponentes esse & essentiam differre secundum rem, non possunt saluare creationem, & improbatis distinctionibus quibus videntur tollere difficultates in contrariũ orientes: Restat declarare quòd ea, quæ adducũt ad confirmandas rationes factas ab eis ad probandum. s. non differre realiter essentiam & esse, non sufficiunt, neque quietant intellectum. Fecimus autem nos (vt dicunt illi, & verum dicunt) tres rationes, quibus concluserimus eandem rem significare essentiam & esse, quarum prima talis erit.

Prima rõ. Vnitas, veritas, bonitas, nullam rem addunt super essentiam rei, pari ergo ratione vel fortiori, nec entitas.

Ad hanc respondebant illi dicentes, quòd eas vno modo dicit essentias prędicamentorum, & sicut illa tria, eandem rem dicit cum essentia, & est buælibet res ens per suam essentiam sicut est vna & bona.

Alio modo dicit earum existentias, & sic ens dicit aliam rem, q̃ essentia, & est quælibet res ens per aliam rem additam suæ essentiæ, quam participat. & est istud ens non omninò idem cum verò & bono.

Contra sol. Sed dico ego, quòd hæc solutio (vt & illi dicũt) supponit duo. Primò enim supponit quòd esse sit quædam res absoluta, & quædam actualitas existendi in effectu de se, quod falsum est, quia tunc posset secundum se produci & existere per se sine essentia, maximè secundum illos, quia dicũt quòd esse non se habet ad essentiam sicut forma producibilis de potentia illius, & quòd etiam dicunt, ꝙ esse quantum est ex se est necesse esse, licèt sit possibile non esse, prout in alio recipitur. Nihil enim ex se est forma non educta de potentia materiæ, aut necesse esse, quia in alio non est, nisi possibile esse, nisi per se possit esse & separatum à quolibet alio. Quod enim est sic actualitas existendi, quòd ex se est necesse esse, per se separatum potest esse & produci in esse, quare cum esse non possit existere aut produci sine essentia, vt illi probant, nullo ergò modo est ex se actualitas quædam dicto modo.

Responsio aduersariorum. Ad quod illi respondent dicendo quòd hoc nullam habet difficultatem, nam nullum agens facit quod repugnat effectui, de ratione enim effectus est, quòd non fiat per se nisi compositum, cuiusmodi non est esse.

Improbatio eius. Et dico ego vt patet ex dictis, quòd hoc falsum est si intelligatur hoc de composito ex rebus absolutis diuersis, quia in substantijs separatis secundũ ponentes, quòd in eis non est materia, nulla est rerum diuersitas, & sic cuilibet talium, vt sit effectus Dei nihil additur super essentiam, nisi respectus quidam. Vnde si esse est actualitas quædam creata in essentia rei, & res quædam absoluta est, cum nihil fit creabile, nisi fit ex se essentia quædam, qđ secundum prædicta non habet ex creatione. Si ergò essentia ipsius esse creata est actualitas alterius per hoc, ꝙ est in altero, multo fortius nata est esse actualitas sui ipsius secundum se. Vnde secundum ꝙ dixi tunc, & nunc etiam dico esse non dicit, nisi respectum super essentiam, & vt aliquid sit effectus Dei nihil additur super essentiam, nisi respectus quidam.

Replica. Contrà quod illi arguunt dicentes, ꝙ hoc falsum est, quia solus respectus non potest perdi vel acquiri.

Responsio. Sed dico ego respondendo secundum prædicta ꝙ verum est per se. per actionem tamen aliquam circa subiectum. s. quia est terminus operationis diuinæ, benè potest ille respectus acquiri & è conuersò perdi per hoc ꝙ cessat esse effectus & terminus operationis talis, sicut & per operationem circa oppositum fundamentum potest circa aliquid idem respectus perdi & acquiri circa suum proprium fundamentum, vt Sorte solo existente albo non est respectus similitudinis in illo, fundatus in eius albedine, sed Platone facto albo, iam respectus ille est acquisitus in Sorte, & Platone facto nigro iam est amissus. Hoc. n. conuenit generationi & corruptioni relationum, vt aliàs in quęstione magna de relationibus, declarauimus. Quod ergo illi supponunt secundo, ꝙ. s. essentia non habet

actuali-

actualitatē sine illo addito ei vt re alia, hoc similiter falsum est, quia sufficit ꝙ ei addatur respectus solus per hoc ꝙ est effectus Dei.

Secunda ratio. Secunda ratio nostra (vt dicunt) est, quia si essentia non existeret nisi per esse additum, oporteret ꝙ illud esse existeret per aliud esse additum in infinitum. Et vt dicunt, respondebatur ab eis quòd hoc non oportet. Nam licèt materia existat per formam, non oportet, quòd illa forma existat per aliam in infinitum, quia alio & alio modo comparantur ad esse. Nam materia ex se est potens esse & non esse, forma autem quātum est de se secundum modum loquendi Philosophorum non non habet quod possit non esse, sed solùm ratione materiæ in qua recipitur. Vnde secundum Philosophos forma separata à materia non posset non esse. Consimiliter dicimus (dicunt illi loquentes de seipsis) quòd essentia de se potest esse, & non esse, sed ipsum esse secundum se consideratum nō habet, quòd possit non esse, nisi quia recipitur in alio, & separatum est necesse esse.

Contra hanc rationem (vt dicunt loquentes de nobis) quidam conati sunt arguere dicentes periculosum esse si ponatur esse creaturæ ex se esse necesse esse, quia tūc esset Deus. Quod vero dixi ego quòd periculosum est ponere, quòd esse alicuius creaturæ ex se est necesse esse, & quòd non posset impediri ratio ducens ad infinitum, quia cum esse creatum sit, cum creatur recipit esse, vt sit ibi esse recipiens & esse receptum, & eadem ratione illud esse secundum creabitur, & recipiet esse tertium, & sic in infinitum, quoniam ipsimet dicunt quòd Deus producēdo creaturam producit simul essentiam & esse. Hac autem productione facta sic producere esse nō est facere, quòd esse sic sit, quia hoc semper est, sed hoc est facere, quòd esse sit in essentia, & ex tali productione esse habet quendam actualem respectum ad Deum, nō quia esse sit esse, quia tunc semper talem haberet respectum, & semper existeret, sed hoc competit ei, quia est in essentia, & potest ab ea separari & ei non inesse. Respondendo illi dicunt, quòd illud non dixerūt scilicet quòd esse creaturę sit necesse esse, sed ꝙ esse vnde esse non habet, quòd ei accidat corruptio, neque aliquis actus aut forma, sed quòd ipsi esse, siue actui aut formæ accidit corruptio, hoc contingit ei ex eo, quòd recipitur vel natum est recipi in alio. Et sic (vt dicunt) quòd esse creaturæ non est necesse esse non est contrarium dictis eorum. Nam esse creaturæ (vt dicunt) duo dicit. Dicit.n. esse, & dicit esse tale. Ratione qua dicit esse, non habet vnde corrumpatur aut desinat esse, sed solùmmodo hoc habet ratione qua dicit tale esse, quod.ſ.receptum est. Aliter enim omne esse esset defectibile, & sic si aliquod esse esset non receptū in se, non posset desinere esse.

Sed dico ego, quòd secundum quòd tenet litera illorum primò expresse dicunt sic. Materia & forma alio & alio modo comparantur ad esse &c. vt supra. Dicunt ergo expresse, quòd forma quælibet aut esse quantum est de se non habet, quòd possit non esse, nisi quia recipitur in alio, & separatim esset necesse esse. Sed hoc imponunt dicto & sententiæ Philosophorum, qui ponunt omnes essentias, quæ sunt formæ separatæ vel intellectus, esse simplices & quædam necesse esse & incorruptibiles & incorporabiles & Deos quosdam, vt alibi exposuimus. Quorum sententia quo ad hoc omninò hæretica est.

Contra verò dictum ipsum ego arguo sic. Si aliquid quantum est de se sit incorruptibile in natura sua, impossibile est, ꝙ corrumpatur receptione sui in alio, vt patet in anima rationali recepta in corpore. Sicut è conuersò secundum Auicen. impossibile est, ꝙ aliquid ex se sit possibile, & per aliud sit necesse esse. Et sic dicere ꝙ esse creaturæ, quod secundum ipsum est forma quædam & essentia ex se incorruptibilis non sit possibile esse, nisi quia recipitur in alio, & similiter dicere, ꝙ esse ratione esse non habet vnde corrumpitur, sed ratione, qua in alio receptum est, falsum est. Licèt.n. esse ratione qua esse est commune, & analogum ad esse creatoris & esse creaturæ, non est defectibile, aliter enim, vt dicunt, & benè, omne esse esset defectibile, esse tamen ratione, qua est esse quoddam sub illo analogo distinctum contrà esse creatoris, benè potest esse defectibile ratione, qua est tale esse, licèt non ratione qua est esse simpliciter, etiam si non esset receptum in alio, sed secundum se separatum. Et secundum hoc insufficiens est illa distinctio bimembris, quam illi ponunt.ſ.quòd esse creaturæ duo dicit, ſ.esse & esse tale.ſ.receptū in alio, immò receptum in alio inquantum huiusmodi non dicit tale esse. ſ. contractum ad creaturam, sed talem modum essendi ipsius esse talis & sic debet esse distinctio trimembris. ſ. quòd esse creaturæ tria dicit, videlicet esse simpliciter, ī quo analogatur cum esse diuino, & tale esse, quod.ſ. est proprium creaturæ, & distinguitur contra esse diuinum, quod etiam dupliciter potest considerari. Vno modo vt est aliquid secundum se; alio modo vt habet receptum esse in alio. Et sicut dictum est de esse, ita intelligendum est de forma qualibet, quòd potest considerari vt forma simpliciter ratione communis analogi ad formam creatam & increatam, & ratione tali nō est defectibilis, vel vt est forma talis.ſ creatnræ, & hoc dupliciter, vel vt secundum se est aliquid, vel vt est recepta in alio. Et licèt esse vnde esse simpliciter, vel forma vndè forma simpliciter, non sit defectibile vel defectibilis, tamen vnde esse tale vel forma talis.ſ.creaturę vtroq; modo.ſ.vt consideratur secundum se, & vt consideratur sicut recepta in alio, benè est defectibilis. Ipsi autem expresse dicunt, licèt dictum suum imponant Philosophis, vt patet respiciendo prædicta, quòd forma vel essentia vel esse secundum se non habet quòd possit non esse, sed solùm ratione materiæ in qua recipitur, ita quòd forma

vel

vel eſſentia ſeparata, vel eſſe ſeparatum, non poſſet non eſſe, quia eſſet neceſſe eſſe. Et ſic ponunt expreſsè quòd eſſe vel forma vel eſſentia non ſolùm ratione qua eſt eſſe vel forma vel eſſentia ſimpliciter nõ eſt defectibilis, ſed quòd etiam nec ratione qua eſt tale eſſe vel forma vel eſſentia. ſ. creaturę quantũ eſt ex ſe, & ſic non ſolùm dixerũt, quòd eſſe vnde eſſe non habet quòd ſibi accidit corruptio, neque aliquis actus aut forma, ſed etiã dixerunt, quòd eſſe vnde tale eſſe. ſ. creaturæ ſecundum ſe diſtinctum contrà eſſe creatoris non habet ꝙ accidit ei corruptio, neque aliquis actus aut forma, ſed etiam dixerunt ꝙ eſſe vnde tale eſſe. ſ. creaturæ ſecundum ſe diſtinctum contrà eſſe creatoris, non habet ꝙ accidit ei corruptio, neque aliquis actus aut forma vnde talis. ſ. creaturæ ſecundum ſe, ſed ſolùmmodò ex eo, ꝙ recipitur vel natum eſt recipi in alio. Et ſic dicere poſtmodum, ꝙ eſſe creaturæ ſecundum ſe abſq; eo ꝙ in alio recipiatur, non habet vnde accidit ei corruptio, & ꝙ tamen ex ſe non ſit neceſſe eſſe, planè eſt contrarium dictis eorum prioribus. Nec prodeſt illud in aliquo, ꝙ non ſolùm dicunt ex eo, ꝙ recipitur, ſed etiam ex eo, ꝙ natum eſt recipi in alio, quia ſicut ex eo, ꝙ recipitur habet vnde accidit ei corruptio, ſic ex eo ꝙ natum eſt recipi habet vnde nata eſt ei accidere corruptio, licèt non ei accidit inde ſecundum actum, vt ſi tale quid perpetuò eſſet ſeparatum, perpetuò haberet vnde nata eſſet ei accidere corruptio, nunquàm tamen ſecundum illos ei accideret. Et ſic in hoc etiam omninò contrariantur dictis Philoſophorum, qui dixerunt ꝙ omne corruptibile neceſſe eſt aliquando corrumpi.

Quod quia forrè perſpexerunt, aliter reſpondendo dicunt, ꝙ nulla creatura eſt neceſſe eſſe ſimpliciter, attamen non eſt inconueniens ꝙ ſit neceſſe eſſe ſecundum quid. ſ. prout conſideratur vt quid intelligibile abſtractum à tempore, & vt ſemper ens. ſecundum ꝙ dicitur in libro Priorum. Michalus intelligibilis ſemper eſt, licèt Michalus ſimpliciter vel Gallias, vel quilibet particularis homo eſt terminati temporis & quid corruptibile.

Reſponſio auctoris.

Sed dico ego, ꝙ non valet, quia expreſsè loquuntur de eſſe actualis exiſtentiæ, & de forma actualiter exiſtente, quando dicunt ꝙ materia & eſſentia aliter comparantur ad eſſe quàm forma & ipſum eſſe, quia forma quantum eſt de ſe non habet ꝙ poſſit non eſſe, ſed ſolùm ratione materiæ in qua recipitur. Similiter quòd ipſum eſſe ſecundũ ſe non habet ꝙ poſſit non eſſe, niſi quia recipitur in alio & ſeparatum eſſet neceſſe eſſe. Præterea ſicut nullum inconueniens eſt, quòd creatura, quæ eſt eſſe vel forma ſiue actus ſit neceſſe eſſe ſecundum quid. ſ. vt conſideratur vt quid intelligibile abſtractum, ſic nullum inconueniẽs eſt quòd creatura, quæ eſt materia vel eſſentia ſit neceſſe eſſe ſecundum eundem modum. Nullò ergo modo differenti, quo ad hoc, comparantur ad eſſe materia, & forma, neque eſſe & eſſentia, cuius contrarium intendunt aſſerere. Dicta ergo ſua, vt videtur, nullo modo poſſunt ſuſtinere.

Tertia ra

Tertium verò (vt dicunt) quod adducimus ad confirmandas noſtras rationes, eſt quòd eſſe illud quod eſt res alia ab eſſentia, nec ſubſtantia poteſt eſſe nec accidens. Ad hoc (vt dicunt) reſpondebatur, quòd licèt non ſit ſubſtantia aut accidens, eſt tamen aliquid in genere ſubſtantiæ, ſicut principium & actus ſubſtantiæ, & ſic indirectè eſt in genere ſubſtantiæ, ſicut punctum in genere quantitatis. Hanc ſolutionem (vt ſimiliter dicunt, & benè) nitimur deſtruere, quia res non ſunt in genere niſi per ſuas eſſentias, ita quòd vniformiter vnunquodque eſt in genere tàm non exiſtens, q̃ exiſtens. Aliter. n. ſubſtantia quæcunque non eſſet in genere ſubſtantiæ per eſſentiam ſuam, ſed ſolũ per eſſe. Sed quod addunt ex ſeipſis, quòd eſſe in genere ſubſtantię tanquàm principium non faciat ſubſtantiam aliquam eſſe ſubſtantiam, quia ſubſtantia quęlibet eſt ſubſtantia per ſuam eſſentiam, & quælibet res eſt id quod eſt ſecũdum genus per ſuam eſſentiam, habet tamen ipſum eſſe rationem principij reſpectu ſubſtantię, non prout eſt ſubſtãtia ſimpliciter: nam non intelligendo eſſe adhuc intelligitur ſubſtantia eſſe quid determinatum ad genus, ſed prout eſt ſubſtantia in effectu, & prout exiſtit actu in rerum natura, per quod reducitur ad genus ſubſtantiæ, falſum eſt omninò. Nihil. n. eſt in genere aliquo vt principium, quin faciat ad hoc quòd illud cuius eſt principium ſit res illius generis. Vnitas enim eſt vt principium in genere quantitatis, quia facit per ſui replicationem, quòd numerus ſit quantitas, & vt numerus ſit numerus. Similiter punctum eſt vt principium in genere quantitatis, quia facit per hoc quòd ab ipſo fluit linea, quòd magnitudo ſiue linea ſit quantitas, immò ꝙ linea ſit linea. Et ſic ſi eſſe eſſet de genere ſubſtantiæ, vt principium, faceret quoquo modo, quòd ſubſtantia cuius eſt principium, eſſet ſubſtãtia. Vnde ſi habet rationem principij reſpectu ſubſtantiæ alio modo. ſ. non prout eſt ſubſtantia, ſed prout eſt ſubſtantia exiſtens ſecundum effectum in rerum natura, tunc non pertinet aliter ad prædicamentum ſubſtantię, q̃ ipſum exiſtere in rerum natura. Quare cum vt alibi declarauimus ſæpius, exiſtere ſecundum actum in rerum natura accidit prædicamento ſubſtantię & alijs prædicamentis ſimiliter, accidentaliter ergò eſſe pertinet ad prædicamentum ſubſtantiæ, & hoc quemadmodum album aut ſedens, vt ſicut dicitur quòd eſſe habet rationem principij reſpectu ſubſtantiæ prout eſt in effectu, & ideò prout principium reducitur ad genus ſubſtantiæ, ſic poteſt dici quòd album aut ſedens habet rationem principij reſpectu ſubſtantiæ prout eſt dealbata vel prout eſt in ſeſſione, & quòd ideò vt principium reducitur ad genus ſubſtantiæ. conſequens falſum eſt. ergo &c.

Quint princ

Quod in parte declarant contrà ſe cum ſubdunt. Eſt ergo diligenter ſciendum, quòd non eſt

incon-

Tertia ra

inconueniens aliquid non esse de ratione rei simpliciter, immò esse posterius illa re, quod tamen potest esse de ratione ipsius secundum aliquem modum, vt cuprum quod non est de ratione circuli simpliciter, immò intellectus circuli simpliciter potest præcedere intellectum cupri, attamen cuprum licèt non sit de ratione circuli simpliciter, est tamen de ratione circuli cuprei, sic licèt intellectus essentiæ præcedat intellectum ipsius esse, & diuidatur contra essentiam, nec habeat rationem principij respectu eius simpliciter, est tamen de ratione eius, vt est in effectu.

Quod si ita est, immò quia ita est, cum cuprum non sit posterius circulo, nisi quia accidit circulo, & sit in cupro, quia potest esse in alio, vt in lapide & ligno, propter hoc in definitione eius non ponitur cuprum secundum Philosophum 7. Metaph. & ita si cuprum sit de ratione circuli cuprei, licèt non de ratione circuli simpliciter, hoc non est nisi sicut albedo est de ratione hominis albi, licèt non de ratione hominis simpliciter, & similiter esse de ratione existentis substantiæ in effectu & in rerum natura, & sic constituit esse cum essentia vnũ quodammodo per accidens, sicut albedo cum homine, & circulus cum cupro. Sed quod est principium alicuius quod est vnum per accidens, cuius vna pars est substantia & ipsum est pars altera, non est reducendum vt principium ad genus substantiæ, immò per se pertinet ad genus alicuius accidentis. Præterea cum secundum iam dicta, & vt illi dicunt, esse semper est esse, quod non habet ex creatione neque per hoc ϕ est in alio, sed ϕ est in alio hoc habet per creationem, & per illam creationem habet respectum ad Deum, esse ergo secũdum ϕ sequitur ex dicto illorum ex se absque esse in alio & absque dicto respectu, est aliquid per essentiam, & ita determinatum ad genus aliquod. Siue ergo creetur in se siue in alio, oportet ϕ ex se sit principaliter res alicuius prædicamenti, & sic nó per reductionem, vt principium aliquod illius. Et sic sicut res aliæ absolutæ quoruncunque generum non creantur secundum illos nisi quia esse aliquod aliud re ab illis, eis acquiritur, similiter nec res illa, quæ secundum se est ipsum esse & sic procederetur in infinitum, vt dicit ratio præcedens, aut si in natura ipsius esse per creationem nihil acquiritur, nisi respectus aliquis, eadem ratione nec in quacunque re alia absoluta. Et sic vt videtur illi in dictis suis istis propriam vocem ignorauerunt.

Quintum principale.

Circa quintum sic procedũt illi dicentes: Postquàm soluimus rationes, & improbauimus distinctiones, & ostendimus ϕ ea, per quæ confirmant rationes prius factas, non sunt sufficiẽtia nec quietant intellectum, ostendere volumus ϕ non benè exponitur auctoritas Boetij; Arguebatur enim cõtra me (vt dicunt, & verum est) per Boetium dicentem: Diuersum est esse & id quod est, differunt ergo secundum rem. Hoc soluebam dicens, ϕ Boetius per esse intelligit ipsum principium; per id quod est, id quod est ex principio, & sic diuersum est esse & id quod est, quia differunt re, creator & creatura. Hæc re vera dixi, & adhuc dico, & est vna expositionum Commen. & vera est, vt secundum Commen. sicut & illi confitentur, per esse debeamus intelligere principium siue Deum eo modo quo ipse est esse omnium, s. non formaliter, sed causaliter, quia, s. omnia dicuntur esse per ipsum, quod sufficit nobis ad propositum nostrum contra illud argumentum. Vel si velimus secundum aliam expositionem dictum illud esse de solo esse creaturæ, & dicere quòd diuersum est esse & id quod est, dicendum, quòd non intelligitur ista diuersitas de diuersitate secundum rem, sed tantũ vel de diuersitate secundum rationem, vel de diuersitate secundum intentionem. Compositio em in creatura non semper intelligitur ex diuersis secundum rem, secundum quod dicit idem Cõmen. Est igitur intelligendum quòd secundum iam dicta superius & secundum illos, esse vno modo dicit esse essentiæ prędicamenti alio modo dicit eius existentiam. Loquendo de esse primo modo, vno alio modo à prædicto exponitur dictum Boetij, ϕ diuersum est esse & id quod est, quia quælibet res creaturæ per rationem ipsius esse quid indeterminatum est, nec determinatur ad genus, sed solùmmodò per rationem suæ essentiæ in qua tale esse est quædam diuina participatio secundum rationem causæ formalis exemplaris. Vnde secundum Commen. homo humanitate non habet esse, sed tantùmmodo esse aliquid. Et secundum hoc aliquando diximus in quæstione quadam de prædicamentis in communi, quòd prædicamentum nominat aliquid cui conuenit esse, & est quodlibet prædicamentum in ratione eius cui cõuenit quòd sit genus generalissimum, puta in eo quod est substantia, aut quantitas aut huiusmodi compositum ex esse tal. & eo cui conuenit esse. & est diuersum in eo esse & id quod est cui conuenit esse, sed hoc non sicut re differentia, sed sicut differẽtia intentione tantùmmodo, vel ratione. Hoc quidem esse licèt secundum prędicta sit prima rerum creatarum, quia tamen ex se non est determinatum ad genus, & per consequens nec ad speciem nec ad indiuiduum, ideò per se separatim absque essentia quæ se habet ad illud per informationem creari non potest, nec est re aliud ab eo quod ipsum informat. Loquendo autem de esse secundo modo, tertio modo potest exponi dictum Boetij dicendo quòd diuersum est esse & id quod est, quia quælibet res siue essentia creaturæ, includens in se esse secũdo modo dictum, per quod existit extra intellectum, est quędam diuina participatio secundum rationem causæ efficientis, & sic homo humanitate habet esse aliquid cui conuenit esse, sed hoc modo non sicut superius & magis commune essentiale conuenit suo inferiori & minus communi sicut conuenit esse primo modo homini, sed sicut accidentale

dentale quid suo subiecto. Vnde si Deus ad momentum subtrahat se, vt causa efficiens & conseruans, à creatura, vt à suo effectu, subito cadit in nihilum & in non esse oppositum esse actualis existentiæ, non tamen in non esse oppositum esse primo modo dicti. Sicut enim non potest cadere à sua essentia, vt non sit essentia secundum prædicta, sic nec à tali esse, aliter enim non esset quid intelligibile, sed imaginabile tantum, vt chimæra vel hircocernus. Nec hoc esse oportet intelligere, vt rem aliam absolutam ab ipsa essentia, immò est è conuersò esse essentiæ, quod sola ratione ab ipsa differt. Similiter nec esse existentiæ oportet intelligere, vt rem aliam absolutam ab essentia, sicut illi dicunt, sed sufficit intelligere, vt intentione aliud, quod quidem esse tam primum quàm secundum, quia nihil nisi respectum quendam addit super essentiam cuius est respectus, qui separatus esse non potest: idcirco per se separatim creari non potest, quod re vera posset si diceret rem aliam absolutam ab essentia cuius est. Tunc enim ex eo φ in se esset quædam essentia secundum prædeterminata esset determinatum ad genus, & per consequens ad speciem, & etiam ad individuum sub specie, eo quòd secundum φ dicunt illi, esset maioris actualitatis, quàm essentia cuius est, vt patet ex prædictis.

Sexti principalis primus articulus.

Circa sextum quo ad primum eius articulum sic procedunt dicentes, φ non possit creatura in nihilum redigi, nisi differret in ea realiter esse, & essentia, triplici via probamus. Prima ex ipsa creaturæ productione, secunda ex conseruatione eius, tertia ex defectibilitate eius. Prima via, vt dicũt, sic patet. Nam φ esse secundum se possit incipere esse, & φ actus secundum se possit incipere esse actu per se loquendo contradictionem implicat, quia semper hæc est vera, esse est esse, & actus est actus. Si ergo actus vel esse incipit esse oportet, φ sit tale φ non sit esse vel actus per se sed in alio. Ex hoc enim potest nõ esse, quia ab illo potest separari. Oportet ergo, φ omne esse vel actus creatus sit in alio receptum. creatura ergo non potest esse actus tantùm, similiter nec potentia tantùm, quia potentia tantùm nõ potest actu esse, & sic est composita ex potentia & actu, & hoc differentibus re, quia sicut non differunt, sic non possunt separari: si ergo non differunt realiter, realiter non possunt separari, quia nihil potest separari à se nec seipsum perdere, ergo &c.

Prima via

Responsio ad eam.

Et ego respõdeo hic secundum prædicta, quòd esse si esset res absoluta, & actualitas alterius in se posset esse. Similiter qđ dicitur de actu quòd implicat contradictionem ponendo quòd secundum se possit incipere esse, falsum est, & instantia est in anima rationali & in quantitate continua, quę naturaliter actus sunt alterius, & tamen secundum se possunt incipere esse, quia Deus potest illa secundum se creare, sicut potest ea à suis possibilibus separare. Quod autem arguunt ad illius probationẽ, quòd hæc semper est vera: esse est esse, & actus est actus. Dico, quòd licet hoc verum sit, esse ens esse incipit actu, & actus incipit esse actu, sicut hæc semper est vera, homo est homo, & tamen hæc est vera; homo incipit esse homo. Illa enim semper est vera, homo est homo, vt ly homo in subiecto stat pro forma siue pro significato. Et similiter illa est vera homo incipit esse homo, vt ly homo in subiecto stat pro supposito. Adam enim vt erat subsistens ex corpore hoc siue ex hac materia, & hac anima coniunctis, incepit esse homo corpore formato de materia, & anima per creationem ei adiũcta; et similiter desijt esse homo corpore illo corrupto & forma eius corporali in potentiam materiæ resoluta, & per hoc anima ab ipso separata. Similiter illa, esse semper est esse, est vera, vt esse in subiecto stat pro significato, & cum hoc illa similiter est vera, esse incipit esse secundum quòd ipsum esse stat pro supposito, quod est quędam essentia singularis, cui acquiritur respectus ad Deũ per creationem, cuius naturæ necesse habet ponere ipsum esse, qui ponit quòd sit res absoluta secũdum prædicta. Similiter illa est vera, semper actus est actus, & similiter illa, aliquando actus incipit esse actus siue ens in actu. Hæc enim anima separatim creata est actus subsistens, & incipit esse actus, & secundum id quod est in se, & similiter compositi ex anima & corpore. Et sic esse & actus consimiliter potest desinere esse secundum se absque hoc quòd possit ab alio separari, quia possõ separari ab alio non est causa alicuius, quòd possit in se corrumpi, sed magis è conuersò. Quod assumitur in fine, sicut aliqua non differunt, sic non possunt separari, verum est. Quod autem concluditur ex hoc, si ergo non differunt realiter, realiter non possunt separari, dicendum est, quòd verum est intelligendo per realiter separari separationẽ rei à re. Sic enim nihil potest separari ab eo à quo non differt secundum rem, sicut nec à se. Et sic ponendo, quòd esse non apponat rem aliam super essentiam non separatur ab essentia realiter, sed rõ intentionaliter, sicut intentionaliter differt ab illa. Intelligendo verò per realiter separari separationem secundum naturam rei, quod distinguitur cõtrà intellectualiter separari, sicut nigredo separatur à corno, sic esse separatur ab essentia realiter per ipsius corruptionem licèt ab illa differat intentione sola, & sic quicquid accipitur in argumẽto, sophisma est.

Tertia via

Sexti principalis articulus secundus.

Secunda via.

Secunda via (vt dicunt) sumitur ex conseruatione rerum: nam in ipsa essentia creaturæ, vt est coniuncta essentiæ creatoris fit actualitas quędam quam appellamus esse, quam perdit cum separatur à Deo. illud autem actuale (vt sępè dictum est) non potest dicere respectum tantùm, quia solus respectus non potest acquiri aut perdi, ergo &c.

Sed dico ego, quòd re vera ex sola coniunctione essentiæ creaturæ cum essentia creatoris secundum modum coniunctionis causæ efficientis cum effectu, fit actualitas quædam in essentia, quam appel-

appellamus esse, & ex separatione vnius ab altero perditur, nec est tamen aliud esse ipsum super essentiam, quàm respectus in essentia creaturæ fundatus in ordine ad Deum, vt sæpè dictū est. Quod autem additur, ꝙ respectus non potest acquiri, nec perdi, dicendum, ꝙ immò secundum prædictum modum. Et sic nihil continetur hic nisi repetitio prætactorum.

Tertia via

Tertia via (vt dicunt) ad idem sumitur ex defectibilitate rerum. nam omnis defectibilitas accidit ex potentialitate secundum Philosophum 9. Metaphys. permanentia verò ex actualitate, & hęc oportet differre secundum rem, quia cum actus secundum ꝙ huiusmodi non deficit ab actu, sed sola potentialitas, secundum igitur ꝙ in re differunt potentia & actus, sic poterit in rē esse defectus. Si ergo non differrent realiter potentia & actus nunquàm creatura deficeret ab actualitate secundum rem, licèt fortè secundum intellectum & sic nullo modo annihilari posset. Sed dico ego secundum iam dicta, ꝙ re vera omnis defectibilitas est à potentialitate, & ideò actus cui nulla potentialitas admiscetur omninò deficere non potest, cuiusmodi est actus diuini esse tantùm modo, omnis autem alius actus potentialitatem habet coniunctam suæ actualitati, qua potest deficere ab actu, & hoc ratione qua est potentialitas simpliciter qualitercūque ponatur differre ab actu, in hoc enim nulla est differentia. Non enim secundum modum differētiæ illorum est modus differens defectibilitatis actuum, vt si non differant secūdum rem nihil possit deficere vt illi dicunt: immò æqualiter secundū rem potest creatura deficere & annihilari ponendo, ꝙ in eadem non differant secundum rem potentia & actus, & ponendo, ꝙ differant secundum rem & magis propriè, secundum ꝙ supra dictum est è contrariò de creatione.

Sexti principalis articulus secundus.

Circa sextum quo ad secundum eius articulum sic procedunt dicentes, si creatura de necessitate fuisset ab æterno & esset necesse esse, adhuc possemus saluare ꝙ esset creata à Deo & conseruata in esse, & dependens ab eo & deficiēs ab illo, sed hoc ponendo non possemus ponere ꝙ creatura procederet à Deo mera libertate arbitrij, sed sola necessitate naturæ, sicut vmbra à corpore, aut imago à facie, aut sicut vestigium à pede. Et quantum nobis occurrit, oportet ponere idem eos, qui dicunt in creaturis essentiam non differre ab esse, vel ꝙ creatura nullo modo indigeret factore. Si enim vera esset opinio Philosophorum, qui dicunt creaturas non procedere à Deo mera arbitrij libertate, sed sola necessitate naturæ, difficile esset valdè probare ꝙ realiter differrent essentia & esse scilicet actualis existentiæ. Sed non videtur habere dubium, quin si tolleretur ab eis talis differentia saluare nō possemus ꝙ creaturæ de nouo possent creari à Deo, nec ꝙ possent procedere ab ipso ex mera arbitrij libertate, sed ex necessitate naturæ.

Quod (vt dicunt illi) volumus quatuor vijs inuestigare, quarum prima sumitur ex generali habitudine creaturæ ad Deum. Secunda ex speciali habitudine eius ad diuinam naturam. Tertia ex speciali habitudine eius ad diuinum intellectum. Quarta ex consideratione naturæ, & suppositi in creaturis. Propter primam (vt dicunt) Sciendum est, quòd creatura quatuor habet habitudines ad Deum. Primò vt à Deo est producta simpliciter. Secundò vt à Deo causaliter est producta. s. vt dependens & deficiens ab eo. Tertiò, ꝙ ab ipso est sine eius mutatione creata. Quartò, ꝙ continuò indiget conseruari ab ipso per præsentiam eius in ipsa.

Si ergo (vt dicunt) consideremus creaturam solùm sub hac habitudine, vt est à Deo producta, & non etiam consideretur qualiter producta sit, nihil est in creatura, nisi natura & respectus fundatus in natura, quia oportet, ꝙ productio terminetur ad naturam aliquam, & ꝙ productum realiter referatur ad productorem. Sed si vlterius consideretur illa natura, vt habet dependentiam ad producentem, oportet, ꝙ natura illa dicat aliquid defectuum, & ideò creatura non solùm in se habet naturam & respectum, sed etiam defectum. Ex quo possumus inuestigare in eis differentiam inter essentiam & esse, ꝙ videlicèt creaturæ etsi necessitate quadam essent à Deo ab æterno, non essent suum esse, sed essent compositæ ex essentia & esse. nam si creatura à Deo producta & actu dependens ab ipso habet actualem respectum ad ipsum: iste actualis respectus vel debetur ei ex natura sua & tunc à Deo processisset, & non potuit à Deo non procedere, & hoc est incidere in opinionem Philosophorum, s. ꝙ quicquid potuit immediatè à Deo procedere, totum de necessitate naturæ ab æterno processit ab ipso, sed si essentia vel natura creaturæ non est sufficiens fundamentum huiusmodi respectus, oportet ꝙ aliquid addatur ei qd faciat ipsam essentiam esse in actu, respectu cuius superadditi ipsa essentia se habebit, vt potentia ad actum quem vocamus esse. Ex hoc ergo dicimus, ꝙ creatura eo ipso ꝙ non est de necessitate, æterna sed pōt de nouo creari, differunt in ea esse & posse esse & essentia, actus & potentia, & est cōposita ex illis: in quo toto compositō fundatur iste actualis respectus, & sic si ipsa habet actualem respectum ad Deum hoc est inquantum est coniuncta cum ipso esse qd dependet ex mera voluntate Dei. Sed si ille actualis respectus fundaretur in sola essentia creaturæ, tunc ipsi deberetur ex se talis actualis respectus, quo posito, creatura vel esset de necessitate æterna, & hoc ponendo respectum illum semper fundari in ipsa essentia, vel non posset produci in esse sine motu præcedente in Deo vel mutatione aliqua vnde surrexit iste nouus respectus, & hoc ponendo creaturam non æternam, & non semper habere actualem respectum ad Deum.

Sed fortè dices (inquiũt illi) ꝙ creatura ex ſe non habet illum reſpectum, ſed ex mera Dei voluntate illum acquirit & perdit. Sed hoc (vt inquiunt) ſatis improbatum eſt, quia ſolus reſpectus non poteſt de nouo acquiri aut perdi, quare ſi productum nihil habet reale additum ſuper eſſentiam, oportet, ꝙ eſſentiæ de ſe debeatur talis reſpectus, & oportet illum eſſe inſeparabilem ab ipſa, ſicut appãret in productione diuinarũ perſonarum, vbi perſona producta ſuper naturam nihil addit, niſi reſpectum ad producentem. In talibus ergo ex quo producens eſt æternum, oportet, ꝙ etiam productum ſit æternum, vel ꝙ ſit facta mutatio in producente ſi ſecundum hunc modum aliquid ab eo produceretur de nouo ſiue in diuinis ſiue in creaturis. Nunquàm enim reſpectus aliquis de nouo acquiritur vel amittitur, niſi ſimul aliqua mutatio fiat in ſubiecto illius aut in aliquo alio ſecundum rem aliquam, qua acquiſita acquiritur reſpectus, & qua perdita perditur reſpectus. Ipſe enim reſpectus, quia non eſt aliquid, ſed ad aliquid, per ſe nec acquiri nec perdi poteſt. Vnde ſi creatura dicit aliquid cõpoſitum ex pluribus rebus ſecundum ꝙ illæ res coniunguntur vel ſeparantur, ex mera Dei voluntate poteſt reſpectus ille acquiri vel perdi. Si verò dicat vnam rem ſimplicem, reſpectum illum nõ poteſt de nouo acquirere nec de nouo perdere, quia hoc eſſet per aliud, & ſic facta eſſet mutatio in alio, & hoc ſolùmmodò in eo ad quem terminatur reſpectus ille, & ſic in propoſito facta eſſet mutatio in ipſo Deo. Per ſe enim non poteſt aliquid acquirere vel perdere huiuſmodi reſpectum. reſpectus enim non acquiritur vel perditur, niſi quia acquiritur vel perditur eius fundamentum, quare cum in creatione & annihilatione ſemper nouus reſpectus acquiratur vel amittatur, & res noua aliqua alia acquiritur vel amittitur, & ſic creatio & annihilatio requirunt compoſitionem in creatura ex rebus diuerſis. Quia igitur ex tertia habitudine creatura eſt à Deo producta de nouo dependens ab ipſo ſine ſui mutatione, manifeſtè concluditur ꝙ ipſa eſt ex diuerſis ſecundum rem compoſita.

Reſponſio auctoris.

Sed ego dico ad ſingula iſtorum, incipiendo à primo. Quod enim dicunt primò, ſi creatura de neceſſitate, &c. omninò falſum eſt. Si enim creatura ſic de neceſſitate fuiſſet ab æterno ꝙ eſſet neceſſe eſſe, nullo modo eſſet à Deo creata & conſeruata & dependens & deficiens ex ipſo, quia quod eſt neceſſe eſſe in ſe formaliter eſt ipſum eſſe, tale autem etſi habet eſſe ab alio, vt patet in diuinis perſonis, non tamen per creationem, quia nihil creatur, niſi quod ex ſe eſt non ens, nec conſeruatur vt dependens ſecundum ſuum eſſe, quia eſſe ſuum amittere non poteſt, nec habet eſſe deficiens, quia nihil eſt deficiens ratione neceſſitatis in eſſe, ſed ratione poſſibilitatis ad eſſe, ſecundum ꝙ iſta pertractauimus nono Quolibet. quæſt. 9. Quod verò addunt ſecundò, ꝙ ponendo in creatura non differe ſecundum rem eſſentiam & eſſe, oportet ponere eam procedere à Deo naturæ neceſſitate non libertate arbitrij, aut nullo modo indigeret factore: Dico ꝙ falſum eſt. Factore enim creatura indiget, quia non habet ex ſua eſſentia quòd ſit, neĉ eſt differentia, quo ad eſſentiam, & eſſe ſiue ponatur procedere à Deo naturæ neceſſitate, vt ponũt Philoſophi, ſiue libera voluntate, quia indifferentia ſecundum rem inter eſſentiam & eſſe, non magis repugnat vni illorum modorum producendi, quàm alteri, neque ſimiliter ſtifferentia eorum ſecundum rem. Sicut enim ſi in lignò eſſet vis factiua nauis, quæ eſt quid artificiale, ſic operaretur natura nauem ſicut ars: vt dicitur in ſecundo Phyſicorum, ſimiliter & è conuersò, ſi ars eſſet factiua alicuius rei naturalis, ſic operaretur illam ſicut modo eam operatur natura.

Quare ſi Deus produceret creaturam modo neceſſitatis naturalis, in ea eſſent vel poſſent eſſe indifferentia ſecundum rem eſſe & eſſentia. Similiter ergo, & cum modo producit eam per libertatem arbitrij modo artis, producit eam vel poteſt ſic eam producere ſub tali indifferentia inter eſſentiam & eſſe.

Quare cum in vnoquoque dignius eſt ponere pauciora quàm plura, cum tamen eſt æquè poſſibile, potius ergo ponendum eſt creaturam produci à Deo ſub indifferentia reali inter eſſentiam & eſſe, quàm ſub differentia, ſiue producatur modo naturalis neceſſitatis, ſiue modo artis, & liberæ voluntatis.

Quod verò dicunt tertio arguendo via prima, quòd ſi creatura eſt producta à Deo & dependens ab ipſo, & per hoc habens actualem reſpectum ad Deum: aut ergo ille reſpectus debetur ei ex natura, vel eſſentia creaturæ, aut ab aliquo alio.

Dico ego, ꝙ partim ex natura ipſa creaturæ, partim ex creante ipſam. Reſpectus enim ille ſecundum potentiam eſt in natura & eſſentia creaturæ, inquantum ipſa eſt poſſibilis creari, ſecundum actum verò eſt à creante inquantum ipſam producit ſecundum actum. Quod autem aſſumitur contrà hoc, quòd tunc ſemper à Deo proceſſiſſet, &c.

Dico ego, quòd non ſequitur, niſi ſecundum actum eſſet ex ipſa natura creaturæ, ſed tunc non haberet reſpectum illum, eo quòd procederet à creante. Et ideò non propter illum reſpectum ſequitur quòd ab æterno procederet ab illo. Eſt tamen ipſa natura ſecundum ſe ſufficiens fundamentum illius reſpectus, nec per aliud additum eſt ſecundum actum fundamẽtum illius per quod fiat in actu fundamentum, ſed ſolùm per agens & faciens ipſam naturam, ſiue ab æterno (ſi tamen hoc ſit poſſibile) ſiue ex tempore. In hoc enim nulla eſt differentia ſicut dictum eſt. Vnde falſum eſt, quod aſſumitur: ſi ille reſpectus actualis fundaretur in ſola eſſentia creaturæ, tunc ipſi deberetur de ſe.

Non

Non enim deberetur ei de se, nisi secūdum potentiam tantùm. sicut respectus in diuinis personis, filio. s. & Spiritu Sancto, fundatur in sola diuina essentia, non tamen ipsi debetur de se esse secūdum actum, sed sola actione generationis & spirationis circa ipsam. Sed quòd arguitur contra hoc, ꝙ tūc non posset creatura produci à Deo sine mutatione præcedente in Deo aut in alio aliquo, de qua mutatione surrexit iste nouus respectus: Dico ꝙ verum est, & ista mutatio præcessit natura non duratione, non in Deo, sed in ipsa essentia creaturæ, quæ est subiectum & terminus transmutationis illius, quæ. s. est creatio, sed ipsa essentia creaturę est prius natura subiectum transmutationis, quæ est creatio, quàm terminus, secundum ꝙ alibi exposuimus, & sic ex mera volūtate Dei per eius actionem, quæ est creatio, illum respectum secundum actum acquirit creatura inquantum ipsa est terminus creationis, licèt secundum potentiam sit in ipsa de se. Et quod arguitur contra hoc, ꝙ solus respectus non potest acquiri: Dicendum, ꝙ verum est, sed hic non solus respectus acquiritur, immò ipsa essentia vt est terminus creationis acquiritur sub ipso respectu, & per hoc respectus ille in ipsa. & quia actio diuina circa ipsam essentiam creaturæ quo ad ipsius conseruationem est separabilis ab ipsa, ideò & respectus ille secundum actum est separabilis. Nec est simile de respectu semper fundato in diuina essentia quo ad diuinas personas, quia diuina actio inseparabiliter est circa ipsam, & sic creaturam producens est ęternum, & productum temporale, & hoc absque mutatione producentis, sed solùm per mutationem circa rem, quæ acquiritur, qua acquisita acquiritur ille respectus. Sed non oportet, quòd illa res acquisita sit aliquid aliud ab ipsa essentia re absoluta, vt dictum est, immò secundum illos non solùm creationis terminus est res illa in essentia creata, sed etiam ipsa essentia sub illa, vt potentia sub actu, vt non solùm respectus ille sit in essentia per rem illam creatam in ipsa, sed etiam per hoc quòd ipsa essentia creata est sub illa, est respectus ille in illa, sed hoc non est ratione qua sub illa creata est, sed ratione qua creata est simpliciter, ita quòd si per se ponatur creari sine illa re, nihilominus per hoc quòd ipsa est terminus creationis erit secundum actum respectus ille fundatus in essentia sola, & sic acquiritur respectus per hoc quòd acquiritur suum fundamentum simpliciter, in quo nullam oportet esse compositionem ex rebus diuersis, vt videlicèt si creatura dicat aliquid compositum ex pluribus rebus secundum quòd illæ res coniunguntur vel separantur ex mera Dei voluntate respectus ille potest acquiri vel perdi, quasi respectus iste acquiratur ex tota coniunctione diuersarum rerum quas Deus res faciēdo ipsas coniungit per creationem, non autem ex earum productione qua ipsas res coniungendo facit, cuius contrariū verum est. non enim ex coniunctione haberur talis respectus, nisi quia fit in ipsis coniunctis ex illorum factione, ita quòd quodlibet illorum proprium respectum habeat ad factorem, & quòd tot sint tales respectus in eodē, quot sint res absolutæ diuersæ, & per hoc tot esse, nec ipsum compositum habeat alium respectum, quàm componentium, ita tamen quòd formale in composito communicet respectum suū composito sicut & esse suum, tanquàm id cuius esse & respectus sunt principaliores. Quod tamen esse, vt est communicatum compositō, est esse suppositi, quod secundum hanc rationem neutri partium conuenit. & sic ad huiusmodi respectum fundandum in re absoluta nulla requiritur rerum cōpositio, sed sufficit rei cuiusque productio, siue secundum se, siue in composito, & similiter conseruatio eius talis sufficit ad cōseruandum esse in ea, & talem respectum.

Secunda autem via (vt illi dicunt) est quòd quælibet creatura est similitudo quædam diuinæ naturæ, licèt vna earum imitetur illam vno modo, alia verò alio modo, ita quòd quælibet creatura suo proprio & speciali modo imitatur illam, quod habet ex natura suæ propriæ essentiæ qua determinatur ad proprium genus & ad propriam speciem. Sed quòd est similitudo agentis non est ex sua natura, sed ex sui productione, ad quam requiritur aliquid aliud, quod est subditum voluntati agentis, & oportet quòd illud naturaliter procedat ab agente. Sed quia non producitur creatura, nisi prout essentia eius coniungitur suo esse, quod est illud aliud, ideò ad nutum voluntatis agentis creatura producitur in esse illo alio producto in ipsa, & quandiù vult quòd duret talis coniunctio ipsa perdurat in esse. *Secunda via.*

Et dico ego, ꝙ dictum illud, quod est similitudo diuinæ naturę ex sua natura &c. simpliciter verum est: omnis. n. creaturę essentia est propria similitudo diuinę naturę secundum rationem causæ formalis exemplaris, & hoc ab eo ꝙ essentia est, non ab eo ꝙ producta est. *Responsio Auctoris.*

Quę quidem essentia secundum se & ex se sola subdita est diuinæ voluntati vt producibile, & sm̄ hoc respectū hēt ad producentē in habitu ab ęterno. pp qd volūtate diuina pōt procedere sm̄ suam simplicitatem in esse ab omni alia re sibi cōiuncta, ex quo processu est similitudo agentis inquantū est agens.

Tertia via (vt dicunt illi) est, ꝙ creaturę comparantur ad intellectum diuinū speculatiuū naturaliter, quia quæcunq; Deus speculatiuè intelligit, naturaliter & ab æterno intelligit, cōparantur aūt ad intellectū Dei practicum sm̄ dispositionem diuinę voluntatis. Cuius causa est, quia comparātur ad intellectum speculatiuum ratione essentiarum suarum simpliciter, inquantum per ipsas determinantur ad genus & ad speciem simpliciter. comparantur verò ad intellectū practicum, vt nata sunt recipere esse & illi coniūgi, & quia hęc cō iunctio dependet à voluntate diuina. eo enim ꝙ *Tertia via.*

intellectus est practicus & ordinatur ad opus, dependet quo ad effectus productionem à diuina voluntate. quare si res actu existerent per suam essentiam, tunc æqualiter per suam essentiam comparantur ad intellectum Dei speculatiuum & practicum. Ex quo sequitur, ꝙ sicut ab æterno sunt intellectæ semper speculatiuè & naturaliter, ꝙ similiter sunt intellectæ practicè, siue productiuè, & sic consimiliter ab æterno essent productæ. Nec valet (vt dicunt) si quis diceret, ꝙ vltra essentiam est ibi respectus quidam. Nam intelligibile speculatiuè intelligitur habere talem respectum. Rursus, vt pluries dictum est, respectus secundum se non subditur voluntati, nec factio terminatur ad ipsum.

Responsio. Sed dico ego, ꝙ cætera concedo vsque ad hoc quod dicunt, si res actu existerent per suam essentiam, &c. Hoc enim potest intelligi dupliciter. Vno modo, vt intelligatur res ex hoc existere, ꝙ est essentia. hoc autem falsum est, & secundū hunc intellectum illi procedunt falsum cōcludendo ex falso. Alio modo, vt intelligatur res ex hoc existere, ꝙ eius essentia in sua simplicitate non per aliquam rem additam habet esse in actu, & hoc quia per quod ipsa secundum se essentia ab æterno est aliquid respectu intellectus diuini speculatiui, per illud idem res ipsa est ex tempore aliquid respectu intellectus Dei practici & diuina factura, vt licèt æternum sit ꝙ essentia sit essentia, nouum tamen est ꝙ essentia sit facta. Dico in seipsa secundū simplicitatem suæ essentiæ, non in aliquo composito ex alicuius rei alterius coniunctione cū ipsa, quæ nequaq̄ requiritur. & sic non tenet processus, vt per hoc ꝙ ipsa essentia sit facta, sit in ea aliquid aliud vltra essentiam per qd est in ea actualis respectus ad agens, tanq̄ respectus alicuius præter illum quē intelligitur habere speculatiuè ad Deū, & fundatus super aliud. quod nullo modo oportet, quia ambo fundantur super simplicitatem ipsius essentiæ. Ille enim primus est secundum genus causæ exemplaris & ab æterno, in quo non distant nec differunt actus & potentia. Iste verò secundus est secundum genus causę efficientis & secundum actum ex tempore, licèt secūdum habitū & potentiam fuerit in ipsa essentia ab æterno. Qui quidem respectus vt pluries dictum est (& totiēs iterare idem vanum est nisi cogeret eiusdem argumenti frequens repetitio) benè subditur diuinæ voluntati per accidens, licèt non per se, inquantū factio terminatur ad ipsum per accidens. i. per ipsam essentiam factam, non vt est essentia, sed vt est facta ex tempore æterna sua actione in determinato suppositō, vt dictum est.

Quarta via. Quarta via (vt dicunt) est, ꝙ si creatura nihil plus diceret q̄ essentiam & naturam in qua fundatur respectus, sicut non dicit aliud suppositum in diuinis ab ipsa diuina essentia: ergo naturæ secundum se debetur respectus ille.

Responsio. Et dico, ꝙ debetur naturæ secundum se potentialiter & quasi inchoatiuè, non autem actualiter, & quasi completiuè, vt iam dictum est. Propter qd non est dicēdum vllo modo ꝙ essentia seipsa, hoc est eo ꝙ est essentia refertur ad Deum, siue formaliter siue subiectiuè, nisi quo ad hoc, ꝙ non per aliā rem sibi additam sic refertur. Sed propriè loquendo ipsa essentia respectu fundato in ipsa refertur, ad quem per nullam rem additam vel aliam à se subiectiuè siue fundamentaliter se habet, vt per quam sit fundamentum illius, habet tamen eum per aliam rem à se effectiuè siue completiuè. i. per Deum facientem creaturæ essentiam sua actione æterna existere ex tempore in supposito determinato. Quæ quia nō semper producitur ab eo, ideò non semper habet secundum actum respectum illum in se fundatum, nec illo semper refertur ad Deum, & hoc absq; omni defectu in eo, quia facit qd facit mera voluntate nulla naturæ necessitate.

Propter quod ad fugam huius inconuenientis .i. ꝙ essentiæ rerum quantum est de se sint semper productæ, & ꝙ non procedunt à Deo ex mera libertate arbitrij, sed magis ex quadam naturæ necessitate, non oportet ponere, secundum ꝙ illi dicunt esse ponendū, omnem creaturam de necessitate esse cōpositam ex re & re, quarū vna se habet vt potentia, reliqua verò vt actus. & ꝙ actualis respectus ad productorem fundatur non in potentia secundum se, quia tunc potentia illa semper esset producta, nec in actu secundum se, quia tunc similiter actus ille semper esset productus, sed fundatur in coniunctione vtrorunque vel in quolibet horum, vt coiungitur alteri. Et quia ista coniunctio dependet ex mera voluntate Dei, ideò productio rerum ex voluntate Dei dependet, & sic suppositum in creaturis non dicit respectum tm̄ super naturam vt in diuinis, sed oportet ponere creaturam esse compositam in sua essentia & ex esse qd consequitur essentialiter prædicamenta, & eo qd aliquid est, vt ex eo quod est & quo est, & similiter ex genere & differentia, & in existentia ex ipsa essentia & ipso esse actualis existentiæ quasi sit additum rei absolutæ super essentiam. *Inconueniens.*

Sed ego dico, ꝙ in rei veritate sufficit ponere omnem huiusmodi compositionem ex differentibus ratione vel intentione, vt etiam ipsum esse existentiæ dicat solùm respectum ſepe dictum, qui fundatur in sola essentia, quæ non idcircò semper est producta, quia non fundatur in ipsa ex se, nisi potentialiter, vt dictum est, sed idcircò non semper est producta, quia Deus non semper facit, ex qua factione fundatur in illa completiuè, & secundum actum respectus ille. *Fugatur.*

Vtrum autem non semper eam facit Deus, quia non semper eam facere voluit, licèt ipsa semper fieri potuit: an quia ipsa non potuit fieri semper, non est præsentis speculationis. Quod autem dicunt illi quòd dictus respectus fundatur in coniunctione duorum, vel in quolibet illorum, vt coniungitur alteri, & ideò productio rerum dependet

pendet ex Dei voluntate, quia ab ipsa dependet illa coniunctio, hoc non oportet, quia non solùm illorum coniunctio à voluntate Dei dependet, sed etiam ipsorum coniungendorum vel coniunctorũ productio, quia coniugi non possent, nisi essent producta, aut est ponendum, ꝙ separata haberent ex se esse ab æterno, sed coniunctionem ab alio ex tempore, quemadmodum si anima humana ex se fuisset ab æterno & similiter corpus humanum, sed de nouo & ex tempore fuisset coniuncta corpori, hoc autem est hæreticum ponere. Oportet ergo illos ponere, ꝙ nõ solùm illorum coniunctio dependet à voluntate Dei, sed etiam ipsa secundum se productio coniunctorum. Naturaliter em̃ coniunctio supponit productionem coniunctorũ. Non ergo quia coniunctio illa dependet à Dei voluntate, ideò dependet ab illa rerum productio, sed potius è cõuersò, nisi loquamur de productione compositi talis, sub ratione qua compositum est, sed tunc vnum eorum non est potius ratio alterius, quàm è conuersò. Ipsa enim illius compositi sub ratione compositi productio est ipsorum componentium coniunctio, & è conuersò. Oportet tamen ꝙ in tali composito ambo componentia sint producta, ꝙ si sic, licèt producantur vnica productione, tamen quodlibet illorum proprium respectum alium & alium habet ad producentẽ, sicut sunt alia & alia res, nec oportet ꝙ compositũ habeat alium respectum, quàm illum, qui est formalis in illo, sicut nec aliud esse, quàm sit esse ipsius formalis secundum dictum modum. Non ergo propter talem respectum fundandum in essentia creaturæ, aut propter nouitatem productionis creaturæ oportet ponere in creatura qualibet esse compositionem ex diuersis rebus. & sic suppositũ in quibusdam creaturis benè potest dicere respectum tãtùm super naturam & essentiam eius absque compositione ex rebus diuersis, quę tamen essentia in creaturis talibus pura in illis, quæ non sunt compositæ ex materia & forma, sed sunt forma tantùm absque materia, necessariò est composita alijs compositionibus pluribus. s. ex quod est, & quo est, ex genere & differentia & alijs quibusdam, secundum ꝙ alibi declarauimus, ex quo excedit eam simplicitas diuini suppositi, in quo nulla omninò intelligitur compositio. In creaturis autem compositis ex materia & forma, suppositum etsi in ordine ad Deum dicit respectum tantùm super essentiam, illa tamen essentia composita est ex rebus diuersis simplicibus, quæ multò magis recedit à simplicitate diuini suppositi. Et ita licèt ꝙ essentia sit essentia, hoc habet ab æterno, & non ab aliqua factione in quo nulla est differentia siue intelligatur simplex siue composita realiter: Si enim à nominat essentiam simplicem: & similiter b: & c nominet essentiam compositam ex a & b: vt ex rebus diuersis, & ꝙ a sit a & ꝙ b sit b, æternum sit & absque factione, similiter & ꝙ c sit c, ꝙ tamen essentia aliqua creaturæ, siue simplex, siue composita sit in existentia actuali hoc habet a factione. Omnis enim essentia creaturæ existens facta est, licèt non est factum, ꝙ ipsa sit essentia. Vnde creare essentiam sicut non est facere, ꝙ essentia sit essentia, sic nec solùm facere ꝙ essentia sit sub esse. Similiter creare esse sicut non est facere ꝙ esse sit esse, sic non est solùm facere, ꝙ esse sit in essentia. Similiter & de materia & forma, nisi ponatur, ꝙ huiusmodi componentia secundum se habent esse ex se ab æterno, sed de nouo componantur. Sed creare essentiam, vel materiam, vel formam, vel esse, si sit res aliqua absoluta, est facere ipsam essentiam, vel materiam, vel esse, vel formam, creare verò compositum est creare vnum illorum sub alio & vnum in alio, quæ tamen creatio in alio & sub alio supponit creationem vniuscuiusque eorum sm̃ se, quamuis etiam alterum eorum non sit natum creari separatim. Et sic super essentiam simplicem creaturę non oportet ponere ad hoc vt sit in existẽtia actuali aliud, quàm ipsam factionem diuinæ actionis, per quam in ea secundum actum fundatur sæpè dictus respectus ad Deum. Et sic nec oportet nec est possibile imaginari imaginatione recta, ꝙ esse existentiæ super essentiam creaturæ aliquid nominet re diuersum ab ipsa, sed solùmmodo respectum prædictum.

Inconue. nient.

Fugacim

Comment. in Quæstionem Tertiam, quæ est,

Vtrum in composito ex materia, & forma educibili de potentia materiæ, creato, principalius creetur materia, an forma.

IN titulo not. ꝙ dilatatur hæc quæstio etiam ad esse, & essentiam. Ita ꝙ cum omne creatum sit vel ex materia & forma, vel essentia & esse, vt illud quid corporeum, hoc incorporeum, & spirituale; quæritur quid nam prius creetur in creato, in constante quidem ex materia & forma, an prius materia, an forma. In creato verò ex esse & essentia, quid prius an esse, an essentia.

Nor. Ly educibili de potentia materiæ, quia dum loquimur de ea, quæ non est educibilis aliter procedendum est. si.n.de hac loquimur; Plato in Timęo videtur velle prius formam creari, animam.n.statuit corpore antiquiorem. Scriptura tamen Sacra manifestat. Quod post corporis protoparentis creationem, inspirauit Deus in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem, & id tota Philosophorum schola habere videtur, quòd si datur huiusmodi creatio, prius sit materiæ. Et quidem Aristotèles cum dicat animam de foris venire, & extrinsecus accedere, manifestat eam esse posteriorem corpore. Sed quicquid sit de hoc negotio, sermo nunc est de forma educibili de potentia materiæ, vt in corporeis forma corporeitatis, & in spiritalibus esse de essentia, quid nam sit prius in creatione.

Not. quòd tametsi prolixa videatur hæc quæstio Doctoris, non omnia tamen tendunt immediatè, & directè ad hoc quæsitum, sed potius ad illud, quod habitum est in præcedenti quolibet. quæst. 7. Vbi quærebatur. Vtrum ponens essentiam creaturæ esse idem re cum suo esse, posset saluare creationem. Instituit autem disputationē contra eos aduersus quos etiam ibi disputauerat. Et hoc, quoniam stante sua opinione, & realiter non differunt essentia & esse, cessare videtur hæc quæstio, quod nam ipsorum prius, vel posterius intelligatur creari. Ita autem ordinat, & habet suam disputationē, vt nos teneri non videamur aliquid dicere, sed tantùm conclusiones ad speciale quæsitum elicere, vt sciat lector quid breuiter teneat, & cætera deinde ex se legat in vestibulo quæstionis ab Auctore ipso proposita, ordinata, disposita, & clarè iuxta ordinem, & dispositionem huiusmodi pertractata, igitur ita procedemus.

In corpore habita distinctione bimembri duabus conclusionibus respondet. Est autem distinctio hæc de eo, quod est aliquid propriè creari, sic & prius.

Aliquid propriè creari & prius est vel

Ex parte actus creationis propter eius vnitatem.

Prima conclusio.
Non magis propriè, ac prius creatur materia, & essentia, quã forma, & esse.

Ex parte ordinis naturæ, quem habent inter se ipsa creata.

Secunda conclusio.
Magis propriè, ac prius creatur materia, & essentia, quàm forma, & esse.

Pro prima conclusione not. q terminus eius ad quem, vnde specificatur, est suppositum, totaq; substantia rei; Quo fit, vt si sit creata, nihil habeat præsuppositum. haberet autem si præsupponeretur materia in creatione formæ, vel contra.

Not. etiam, q si re vera aliqua difficultas oriri potest, illa est, quoniam videtur aperte, vt etiam dicit D. Thomas, q aliqua creatio præsupponit materiam in qua, non ex qua. Vnde videtur in aliquibus materiam creari primò, quod vtique verum est habito respectu ad formam non educibilem de potentia materiæ, quæ, vt dictum est in titulo, præsupponit materiam in qua. Sed dum loquimur de educibili, non potest esse terminus creationis, nisi forma in materia simul.

Et not. q per hoc non tollitur quòd non potuerit creare materiam Deus informem, immò & creauerit, iuxta Sanctorum dicta, sed quærimus de composito. Et non quidem vniuersali, sed particulari. Vt de corpore protoparentis, vel melius de corpore cœlesti, atque de Angelo.

Pro secunda conclusione notare illud debemus. Quòd ordo naturæ vult potentiam præcedere actum, vnde in primo signo præconcipimus prius materiam quàm formam, essentiam quàm esse; hinc est, quòd inspiciendo hunc ordinem, talem ponit conclusionem. Et quidem hunc ordinem habent ipsa creata, s. materia, & forma, esse & essentia, cætera dimittuntur lectori diligenti.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum aliqua creatura posset transubstantiari in deitatem, puta substantia panis in substantiam deitatis Christi, sicut transubstantiatur in substantiam corporis Christi.

SEQVITVR vnicum propositum pertinens ad creaturarum reductionem in Deum. Vtrum. s. aliqua creatura posset transubstantiari in Deitatem, puta substantia panis in substãciam Deitatis Christi, sicut transubstantiatur in substantiam corporis Christi. Et arguitur q sic, quia ex hoc variatio nulla ponitur circa Deitatem aut personalitatem Christi, nec inconueniens aliquod sequitur, ipsa autem Deitas quantum est ex se potest esse terminus omnis actionis, quæ nullam mutationem ponit circa eam, aut inconuenies, quia ad ipsam immediatè terminatur bonorum voluntas & cognitio per actus ipsorum volendi & intelligendi.

Arg. princ. Primum.

Secundum.

Item diuinum esse est quodammodo esse omnium, & hoc magis, q esse vnius creaturæ sit esse alterius. Et similiter essentia Dei est quodammodo omnis essentia, quia omnium in se perfectiones continet, non sic autem vna creatura continet in se perfectiones alterius, vnumquodque autem magis natum est conuerti in sibi conueniens, quàm in disconuenions, cum igitur substantia panis conuertitur in Corpus Christi, multò fortius potest conuerti in Deitatem eius.

In oppos.

Contra, per conuersionem id in quod fit conuersio de novo existit vbi prius non existebat. s. vbi prius erat id quod conuersum est, propter hoc enim Corpus Christi simul est in pluribus altaribus, in quibus prius non erat, sed Deitas nullo modo potest esse vbi prius non erat, quia ipsa semper est vbique: ergo &c.

Responsio.

Dico, q sic est in conuersione trãsubstantiationis q conuersum, quia post conuersionem non est nihil, eo q per conuersionem non est omninò annihilatum, ideò necesse est ponere q post conuersionem sit aliquid, quia esse nihil, idem est, quod non esse aliquid. Cuicunque ergo conuenit q non sit nihil, siue q non sit non aliquid, necesse est concedere, q ipsum sit aliquid, quia si non, starc posset contradictorium, s. q non esset aliquid, & sic contradictoria essent simul vera. s. q non esset non aliquid, & q non esset aliquid. id ergo quod conuersum est, post conuersionem quodammodo est aliquid, quia non est nihil, sed hoc non quod erat prius, quia illud totum conuersum est, nec aliquid

Obiectio

aliud

aliud ab illo in quod conuersum est, vt nunc cum substantia panis conuertitur in corpus Christi, sicut post cõuersionem substantia panis.i.quod fuit aliquando substantia panis, non qd modo est substantia panis, non est panis, sic non est lignum, nec lapis, nec aliquod cæterorum, quæ sunt aliquid aliud à corpore Christi.

Oportet ergo sentire, quòd conuersum post cõuersionem sit aliquid, vt videlicèt id in quod conuersum est, vt verum sit dicere, quòd id quod fuit substantia panis sit corpus Christi, aut si hoc non concedatur, saltem oportet concedi, quòd secundum aliquem modum mirabilem, & fortè nobis pro hac vita nõ planè intelligibilem, verum sit dicere, quod id aliquid quòd est corpus Christi, siue aliquitas corporis Christi (vt ita liceat loqui) sit aliquid eius, quod fuit substantia panis, & per hoc etiam esse corporis Christi sit secundum eundem modum eius, quod erat substantia panis. Aliter enim nullo modo posset dici quòd conuersum post conuersionem esse aliquid sit, siue quòd esse aliquo modo ei conueniret: immò oporteret dicere, quòd omninò esset annihilatum.

Quòd si sic, in omni ergo transubstantiatione aliquitas, siue esse eius in quod conuertum est per conuersionem aliquo modo habet esse eius, quod conuersum, vt in proposito eius quod fuit substantia panis. Quare cum substantia panis, & vniuersaliter omne conuertibile per transubstantiationẽ in aliud, sit finitum in esse & quiditate, siue aliquitate: aliquitas autem Dei sit infinita, & similiter esse eius sit infinitum, quæ in infinitum excedunt quodlibet finitum: si autem quod ex natura sua est omninò finitum, nullo modo conuenire poterit esse, quod est infinitum, vt per illud infinitum dicatur esse aliquid & manere, & esse illud quoquo modo dicatur esse illius: idcirco ergo dico simpliciter, quòd nulla creatura potest transubstantiari in Deitatem Christi, quod non solum facit infinita distãtia inter essentiam creatam & increatam, vt aliqui possent opinari, quia illa benè potest transiri, siue absolui per actionem virtutis infinitæ, à qua causatur omnis transubstantiatio, sed hoc facit infinitus excessus aliquitatis, & esse Dei super aliquitatem & esse creaturæ, quia oportet, q illa quæ sic se habent inter se, quòd vnum eorum possit transubstantiari in aliud, sic similiter se habeant inter se, quod esse eorum, & aliquitates sint proportionalia, vt sicut hoc potest per transubstãtiationem conuerti in illud, sic è conuersò illud possit conuerti in hoc. Et hç æquè impossibile est panem transubstantiari in Deitatem, sicut impossibile est Deitatem transubstantiari in panem. Hoc dixerim opinando, & sine præiudicio.

In oppos.

Responsio.

Obiectio. Sed dicet aliquis, quòd non obstante ista ratione posset fieri conuersio panis in Angelum, quod tamen multi non concederent: deberet enim esse causa communis, quare nec in Deum, nec in Angelum posset fieri transubstantiatio: non ergo huius causa est infinitas excessus Dei supra quancunque creaturam, quoniam Angelus non excedit in infinitum creaturam corporalem, cum ambo sint finita, eò quòd sunt creaturæ. Et est dicendum, q *Responsio.* dicta causa propria est ex parte Dei, quare scilicèt in ipsum non potest fieri transubstantiatio, & nullum est inconueniens, quòd eiusdem sunt plures causæ in eodem, propria scilicet & communis. Sed ista propria sufficit ad præsens. Quæ autem *Quolib. 9. quæst. 5.* sit illa causa communis declarabitur quando quæstio occurret, An panis possit trãsubstantiari in Angelum, & an vnus Angelus possit transubstantiari in alium.

Ad primum in oppositum, quòd conuersio in Deitatem nullam poneret variationem in illa. Dicendum, quòd verum est, sed non negatur fieri propter variationem, quam faceret circa ipsam, vt insinuat argumentum, sed propter aliud, vt dictum est. *Ad primum principale.*

Ad secundum, quòd diuinum esse, & essentia eius sint quodammodo esse, & essentia omnium, verum est, sed modo eminenti, vt in alijs quæstionibus exposuimus, propter quod habent infinitũ excessum essentia, & esse Dei super essentiam, & esse creaturæ, propter quod licèt essentia & esse vnius creaturę non contineat essentiam & esse alterius creaturę, sicut essentia & esse Dei cõtinet essentiam & esse omnis creaturæ: cum tamen ista conuenientia in continẽdo ex parte Dei sit excessiua: essentia autem vnius creaturæ licèt non continet essentiam alterius dicto modo, conuenit tamen cum ea absque omni excessu infinitatis: idcircò propter illam conuenientiam creaturæ, quam habent illa inter se, virtute diuina inuicem transubstantiari possunt, quæ conuenientiam ad hoc habent absque omni excessu secundum rationem infinitatis: quæ verò non habent eam, secundum aliquorum opinionem, nequaquam possunt inuicem transubstantiari. Quę autem sit illa conuenientia, & inter quæ, & inter quæ non, propter quam quædam creaturæ inuicem possunt transubstantiari, & quædam non, nõ pertinet propriè ad propositam quæstionem, quia in illa consistit communis causa, quare in nullam substantiam spiritualẽ, siue creatam, siue increatã possit fieri transubstantiatio, vt aliqui dicunt. *Ad secundum.*

Argumentum in oppositum non concludit. Licèt enim per conuersionem alicuius in Deitatem ipsa non posset esse vbi prius non fuit, si tamen aliquid conuerteretur in ipsam, puta substantia panis, posset esse alicubi vbi fuit prius alio modo, q̃ibi prius fuit. i. sub speciebus panis sacramentaliter, sub quib. nõ fuit prius nisi naturaliter. *Ad arg. in oppos.*

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem Quartam, quæ est,

Vtrum aliqua creatura posset transubstantiari in Deitatem, puta substantia panis in substantiam Deitatis Christi, sicut transubstantiatur in substantiam Corporis Christi.

IN titulo diffinienda est transubstantiatio, ex qua facilè resoluitur quæstio. Sed not. q̃ ablata omni difficultate in diffinitione transubstantiationis auferetur tota &c. circa quæstionem. Diffinitur autem ab Aliacense, Occam, &c. alijs, q̃ sit immediata successio substantiæ ad aliquod positiuum desinens esse secundum se, & quodlibet sui sub eiusdem accidentibus, vel loco eius, quod desiit esse. Sed hæc diffinitio, cum vtatur ly successio, atque verbo desinere, annihilationem panis sopponere videtur, cuius contrarium superius visum est. Neque certè est Catholica sententia, q̃ transubstantiatio successio sit; sed vtique conuersio huius in hoc, totius in totum, & partis in partem. Vt quidem totus panis conuertatur in totum Christi Corpus, materia in materiam, forma in formam. Vnde potius diffiniremus transubstantiationem, q̃ sit conuersio totius substantiæ in totam substantiam, & partium essentialium in partes essentiales, sub accidentibus manente eius, quod conuersum est. Ex qua diffinitione colligitur, siue supponitur, quod id, quod conuertitur, non annihiletur, sed maneat aliquid. In sacramento Eucharistiæ non annihilatur panis, sed manet aliquid, nempè manet Corpus Christi, ita quod illudmet, quod erat panis, post consecrationem est Corpus Christi. Ideò etiam D. Thomas in 4. sententiarum dist. 8 quæst 2. art. 2. non vult, &c. rectè quidem, transubstantiationem esse cum successione. Et quidem q̃ data à nobis diffinitio simpliciter bona sit, illorum verò falsa, ita vt rectius, melius, ac verius loco successionis debeamus dicere conuersionem totius in totum, vt dictum est, patet in Sacro Concilio Trident. sess 13. cap. 4. Vbi conuersio panis in Corpus Christi, &c. vini similiter in sanguinem eiusdem, appellat transubstantiationem, & sic semper acceptum à sancta Catholica Ecclesia.

In corpore igitur tria præsertim habentur. Primum est suppositum quoddam. Secundum responsio ad quæsitum. Tertium ad obiectionem quandam satisfactio.

De primo suppositum est. Quòd panis in conuersione in Corpus Christi non annihilatur, sed remanet aliquid, hoc autem aliquid non est nisi Corpus Christi. Vel illud aliquid, quod est Corpus Christi, sit aliquid eius, quod fuit panis substantia, & sic aliquitas Corporis Christi sit aliquid eius, quod fuit panis.

De secundo, est responsio. Quod panis, vel alia creatura non potest transubstantiari in Deitatem. Probatur. Nullum finitum potest transubstantiari in id, quod infinitũ est; sed omnis creatura ante, & post manet finita, igitur non potest transubstantiari in infinitum, ergo nec in Deitatem. Maior propositio patet, quia infinitum excedit finitum, igitur totum in totum conuerti non potest. Minor patet, quia si quod transubstantiatur manet aliquid, oportet quòd habeat esse finitum, siquidem aliquitas illa sit finita. Vltima etiam consequentia patet, quoniam Deitas est quid infinitum.

Not. q̃ fortè nulla est difficultas circa hanc resolutionem quęstionis, vel saltem circa ipsam conclusionem, sed vtique difficultas est circa suppositum. Vbi n. supponit Auctor, q̃ aliquitas Corporis Christi sit eius, quod fuit panis, subtilissimus Scotus insurgit, & quolibet. decimo duobus præcipue argumentis arguit contra.

Primò quidem, quod nullo modo aliter se habet in se post conuersionem quàm prius se habuit, nec aliquid in se aliter se habet; non habet aliquam aliquitatem, quam prius non habuit; Corpus Christi nullo modo in se aliter se habet post conuersionem, quàm antè, sed antè conuersionem panis non habuit in se aliquitatem panis, nec aliquitas corporis erat aliquitas panis, nec ergo post conuersionem.

Secundò. Esse termini ad quem conuersionis requirit non esse termini à quo. patet, si termini sint oppositi, cum esse vnius oppositi excludat esse alterius oppositi, ergo terminus ad quem conuersionis, vt talis non habet in se entitatem, vel aliquitatem termini à quo.

Cœterum ad primum istorum negatur maior, quoniam oppositum supponitur à Doctore, scilicet q̃ idem Christus manens idem post conuersionem habeat aliquitatem panis, quam non habebat prius, & hoc probare debuerat Scotus. Quod si per hoc probaret, quod illud videtur impossibile aliquid habere, quod prius non habebat sine sui mutatione, recurrat ad opinionem, & orationem in susceptione veritatis, & fallitatis, secundum q̃ manifestat Philosophus in cap. de substantia. Eadem enim est ratiõ hic, & ibi. Quippè oratio manens eadem modò est vera, modò falsa, atque sic opinio, & quidem sine sui mutatione, sed cum mutatione rei, circa quam sit ipsa orãtio, vel opinio. Ab eo n. quod res est, vel non est oratio dicitur vera vel falsa, & sic etiam opinio. sic in proposito, non ob mutationem sui ipsius Christus dicitur modò habere aliquitatem panis, modò non habere; sed vtique verum est dicere in Christo esse, vel non esse aliquitatem panis. non esse quidem ante conuersionem, esse verò post conuersionem.

Ad secundum distinguimus de entitate, vel aliquitate termini à quo; quod vel intelligitur sub eodem esse, quod præcisè habet, & respectu substantiæ, & communiter materiæ, & formæ, vel tantùm sub esse accidentium eorundem, & sub esse conuerso in aliud secundum substantiam. Si primo modo, tunc dicimus impossibile esse, vt terminus ad quem habeat aliquitatem, vel entitatem aliquam termini à quo. Si secundo modo concedimus, & in proposito dicimus q̃ aliquitas panis in Christo non est sub esse substantiali, quod habebat in termino à quo, nec est sub eadem materia & forma, sed sub esse conuerso in Corpus Christi, & sub prioribus prorsus accidentibus. Sed de hac materia vide plura quolibet. nono quæst. nona superius. cętera clara sunt.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum agens operationes vitales cognitiuas quæ sunt visio, auditio, & vniuersaliter sensatio ex parte sensus, & intellectio ex parte intellectus, sit extra sentientem, & intelligentem, an intra.

SEQVVNTVR proposita pertinẽtia ad creaturam, & hoc intellectualem specialiter. Quorum quædam pertinebant communiter ad Angelum & ad hominem, quędam verò propriè ad singulos eorum. Pertinentium autem communiter ad vtrunque, vnum pertinebat ad solam partem cognitiuam. alia autem plura pertinebant communiter ad partem cognitiuam & appetitiuam. Illud vnum erat, Vtrum agens operationes vitales cognitiuas quales sunt visio, auditio, & vniuersaliter sensatio ex parte sensus, &

intelle-

intellectio ex parte intellectus, sit extra sentientem, & intelligentem, an intra.

Arg. prim. Et arguitur, quod non est extra, sed intra tm.

Primum. Primò sic. Agens per se operationem vitalem non est nisi viuum, quale non est aliquid extra, vt obiectum, de quo maximè videtur, quia nec in se, nec in sua specie, nec in aliquo quod ab ipso sit in cognoscente, est viuum quid: ergo &c.

Secundò. Secundò sic. Nullum agens per se elicit actionē quæ transcendit suam speciem, quia omnis actio est proportionalis agenti, sed actio Vitalis, cuiusmodi est sensatio, aut intellectio, transcendit speciem omnis non viui in nobilitate, quia est nobilissima operatio: ergo est nobilissimi agentis cuiusmodi non est nisi viuum, quia non est aliquid extra existens, sed intra tantùm: ergo &c.

Tertium. Tertiò sic. Actio quæcunque principaliter attribuitur agenti, & denominat ipsum, vt calefactio calefacienti: ergo si aliquid extra causaret actionem sentiendi, vt calor, vel intelligendi, vt intelligibile, tunc potius diceretur calor sentire, quàm sensus, & intelligibile intelligere, quàm intellectus, consequens est falsum: ergo &c.

Quartum. Quartò sic. Nullius passionis sensibilis causa est natura corporalis, sed anima formae eam in seipsa ad præsentiam illius, vt dicit August. in 6. Muticę: ergò multò fortius, nec aliquid extra est causa intellectionis: ergo &c.

Quintum. Quintò sic. Sicut actio calefaciendi attribuitur calido, sic & actio viuendi viuo: tale autem nō est aliquid extra: ergo &c.

Sextum. Sextò sic. Cuiuslibet actionis naturalis principium est intra, actiones sentiendi, & intelligendi sunt naturales: ergo &c.

In oppos. Contra. Tales actiones vitæ passiones sunt respectu sensus & intellectus, & vt potentiæ passiuæ se habēt ad illas: secundum enim Philosophū, sentire pati est, & similiter intelligere: præter sensum autem & intellectum non est aliud principiū agens intra; ergo &c.

Respons. Dicēdum ad hoc, quòd secundum Philosophū in secundo de anima, agere & pati tripliciter dicūtur secundum tres modos alterationis diuersos. Est enim vnus modus alterationis, quæ est secundum priuatiuas dispositiones mutatio, quæ est à contrario in contrarium, per vnius illorum corruptionem & alterius generationem, vt est illa, qua aliquid realiter mutatur à calido in frigidum, vel è conuerso & dicitur hæc mutatio contrarij abiectio. Alius verò modus est alterationis, quæ est cōnaturalis dispositionis receptio, quæ est à potentia in actum deductio, absque omni contrario, & hæc mutatio dicitur salutis receptio, & hęc est duplex, vna qua acquiritur dispositio in re ad suam propriam operationem, & est illa, qua aliquid intentionaliter mutatur à sensibili, aut intelligibili: altera verò est qua elicitur à re sua propria operatio, & est illa, qua aliquid dispositum seipso inducitur in actum, vt qua non videns, aut non intelligens secundum actum, factus est videns, aut intelligens, & dicitur salutis adeptio propriè. Sed primus modus ex parte sensus duplex est. Est enim quædam alteratio sensitiui principaliter in ipso organo sentiendi, quæ est per speciem sensibilis receptam in illo per mediū à sensibili extra. Est autem alia alteratio sensitiui principaliter in ipsa vi sensitiua, quæ in ipsa est inclinatio quædā ad actum operationis suæ eliciendum, & est specie dicta agente in virtute sensibilis extra, & hoc ex parte sensus: ex parte autem intellectus nostri est ab ipso intelligibili vniuersali, quod seipso est præsens intellectui in phantasmate actione intellectus agentis, propter quod seipso inclinat intellectum non mediante specie, quàm solùmmodò ponimus in sensu, quia sensibile in seipso non potest esse præsens intrà, vt inclinando sensum ducat ipsum in actum, & est hæc inclinatio intellectus initium habitus cognitiui.

Tamen circà præcedentia intelligendum, ꝙ in primo genere alterationis, quæ est contrarij abiectio, alteratur corpus, vt est corpus naturale simpliciter.

In secundò autem genere, quæ est ex parte sensus per speciei receptionem, alteratur corpus naturale, non vt corpus simpliciter, sed vt organum animæ.

In tertiò autem genere ex parte sensus alteratur corpus naturale organicum, non inquantum est corpus simpliciter, neque inquantum est organicum, sed inquantum est corpus naturale organicum viuum, quod dicit quid compositum ex corpore naturali organico, & anima, prout ipsa est potentia, & etiam circa actum, qui est operatio, siue in sensu, siue in intellectu, quod minimè habet rationem alterationis, siue mutationis, aut motus. Mutatio enim omnis propriè dicta: & similiter motus ex vna parte, & operatio ex altera, magnam habent differentiam. Motus enim omnis est actus, siue dispositio imperfecti, secundum quod imperfectum est, & tendit ad aliquid aliud causandum & relinquendum in moto, quemadmodum calefactio est actus calefacti, & relinquit in ipso calorem, & sic omnis mutatio propriè dicta, & similiter motus ordinantur ad aliud, vt ad finem, & non habent in se rationem finis, & nō habent rationem nisi actionis transeuntis in aliud secundum quod est aliud. Operatio autem est actus, siue dispositio perfecti, secundum quod est perfectum & non ordinatur ad aliud, sed est finis & perfectio vltima eius, cuius est. Actiones autem vitales, quæ sunt sensatio, & intellectio, non sunt mutationes, aut motus, sed sunt propriè operationes sensus, & intellectus, & habent rationē actionis manentis in agente, quemadmodum operatio lucis est lucere in seipsa: non autem transeuntis in aliud, quemadmodum motus à luce est illuminare aliud à se, & quemadmodum calere est operatio calidi in seipso manens; non autem quemad-

modum

modum calefactio est motus à calido in aliquid extra egrediens. In huiusmodi autem propriam operationem suam non potest res, nisi postquam fuerit in actu secundum omnes dispositiones absolutas, quæ ad actum requiruntur, quæ sunt duę ex parte sensus, vna substantialis, quæ prima est, & altera accidentalis, quæ est secunda. Et similiter duæ correspondentes ex parte intellectus. Prima enim immutatio, qua sensus habet esse in actu est à generante, quo ad vim sentiuam, & dispositionem organi naturalem, & ita ab extra: secunda autem immutatio eius est à sensibili secundum qd speciem suam immittit in organum, qua existẽte in ipso non in hoc adhuc existit sensatio, vt visio, vel auditio, quã talem operationem virtus sensitiua in organo existens non elicit, nisi excitata, & inclinata, & determinata ad actum respectu determinati obiecti, quã species existens in organo agit per virtutem eius, à quo processit in vim sensitiuam, cuius signum est, quòd cum ipsa fuerit impedita magno impulsu debet excitari, vt actum suũ eliciat, & illa est tertium ad quam sequitur visio vt quartum, quia ipsa est terminus alterationis qua inclinatur vis sensitiua iam dicto modo. Illa enim inclinatione completa, totum compositum ex organo & specie & visiua vi, statim operationem suam elicit, non vt motum aliquem successiuum, neque vt mutationem transeuntem extrà, sed vt simplicem actionem manentem intrà. Hinc August. 11. de Trinit. capit. 2. declarando in sensu visus, dicta quinque necessaria in quolibet sensu, quæ sunt, sensibile extra, species ab ipso impressa, excitatio per illam, vis sensitiua, ipsa sensatio, dicit sic, Cum aliquod corpus videmus, tria facillimum est considerare. Primum est ipsa res, quàm videmus, ecce primum. Deinde visio, ecce secundum, vt iam patebit. Sequitur tertium, quod in ea re, quæ videtur quandiu videtur visum detinet oculorum. i. animi intentio, ecce tertium. Quod enim detinet sensum non est nisi illa excitatio per dictam inclinationem, de qua post pauca subdit. Quæ in ea re, quam videmus, sensum tenet atque vtrunque coniungit. Vocat autem August. illam animi intẽtionem causaliter, quia per ipsam fit sensus animi intentus ad obiecta percipienda. Sequitur. Sensus autem qui iam exiſtit in animante prius, q̃ visibile aliquid occurrat, ad animantis naturam pertinet, ecce quartum. Sequitur. Tum ex corpore, quod videtur gignitur visio. i. sensus ipse formatur, qui visio vocatur, ecce quintum.

Est autem hic aduertendum, quòd Aug. æquiuocatione inconsueto modo sermonem suum inuoluens modo suo consueto in libro de Trinitate. aliter in isto quinto sumit visionem, quàm iam supra in secundo. Ibi enim visionem appellat specie sensibilis organo impressam, secundum quod de ea postquàm induxit tertium prædictorum, dicit sic. Ipsaque visio quid aliud, quàm sensus ex ea re, quæ sentitur informatus apparet. Hanc autem informationem exponit subdens. Et ipsa forma, quę imprimitur sensui ab eodem visio vocatur. Quòd autem in quinto appellat visionẽ ipsam visus operationem, patet cum declarat modam genitionis eius subdẽs post prędicta de illo quinto, quod vocatur & visio. Gignitur autem ex re visibili visio, sed non ex se sola, nisi adsit & videns. Intelligo autem quòd adest per tertium prædictorum, vnde illud comprehendendo subdit continuò dicens; Quocirca ex visibili & videte gignitur visio: quomodo tamen differenter, quia scilicet à sensu vidente, qui pertinet ad quartum prædictorum, vt est informatus principaliter tertio: à visibili autem vt ab imprimente speciem, quæ pertinet ad secundum, per quam tertium formatur in sensu, declarat subdens. Ita tamè, vt ex vidente sit sensus oculorum & aspectus, atque intuentis intentio: illa tamen informatio sensus, quæ visio dicitur, à solo imprimitur corpore, quod videtur. i. à re aliqua visibili. & infra. Itaque non possumus dicere, ꝙ sensum gignit res visibilis: gignit tamen formam velut similitudinem suam, quæ fit in sensu cũ aliquid videndo sentimus.

Nota, ꝙ cũ dicit, nõ possumus dicere, ꝙ sensum gignit res, sensum ibi sumit pro visione, hoc sensatione, q̃ pertinet ad quintũ p̃dictorũ in qua agens principale est vis animæ inclinata: agens autem instrumentale est organum informatum specie, dicente Aug. modicum ante iam dicta. Sensus autẽ oculorum nõ ob aliud sensus corporis dicitur, nisi quia & ipsi oculi membra sunt corporis, & quamuis non sentiat corpus ex anima, anima tamen cõmixta corpori per instrumentum sentit corporeũ. & infra. Atque his tamen sensus non procedit ex corpore illo, quod videtur, sed ex corpore sentiẽtis animantis, cui anima suo quo iam miro modo contemperatur, tamen ex corpore, quod videtur gignitur visio. i. sensus ipse formatur, vt iam non tantùm sensus, qui etiam in tenebris esse integer potest, sed etiam sensus informatus hic, qui visio vocatur. Intelligo autem, quod hic informatus ipsa sensatione, quæ est forma compositi ex sensu, & organo informato specie, & tunc immediatè sequitur, quod iam dictum est, gignitur ergo &c. Sic ergo visio, & vniuersaliter sensatio actio est viuentis secundum quod est viuens, quæ est operatio non motus, neq; alteratio, nisi extendendo nomen alterationis, vt dicitur secundo de anima, & non dicitur sensatio passio, nisi quia siue passione aliqua sensus informatus & dispositus sentire non potest. Et est illa passio duplex, vna quę principaliter est ipsius organi corporalis, quę est dictę speciei receptio, alia quę est ipsius virtutis sensitiuæ, quæ est dicta inclinatio eius ad percipiendũ. Quantuncunq; enim organum sit specie sensibilis informatum: si tamen vis sensitiua sit impedita, quia ligata vt in somno, vel detracta per aliam virtutem superiorem operi suo multum intentam, vel quia est circa aliud intẽta, nullo modo fit sen-

De intellectu huius.

satio

fatio nisi tantùm sit excitata, & quasi vocata fortiinclinatione per speciē fortiter organo impressam, vt conuertat se ad percipiendum. Vnde quialiquando vocati voce summissa non audiunt, nec percipiunt licèt organum auditus informetur specie soni talis non sufficienter excitantis & inclinātis, & quasi ad se vocantis vim auditiuam, vocati vocè vehementiori statim audiunt, & percipiunt inclinata vi illa sufficienter.

Est ergo sciendum, quòd ad sensationem secundum actum ante omnem motum, aut mutationē ad illam, quatuor debent præsupponi disposita secundum congruentiam & correspondentiam, & à natura, quæ sunt obiectum sensibile extra, medium, organum, & vis sensitiua. Secundum Philosophum enim in secundo de anima, debet esse congruentia & correspondentia proportionalis organi, medij, & obiecti. Et etiam secundum August. vt iam dictum est, anima quodam suo miro modo contemperatur organo: & ita etiam alijs duobus quibus organum contemperatur.

His sic dispositis à natura sequuntur alia quatuor: obiectum enim similitudinem suam generat in toto medio vsque ad organum: & deinde medium immediatè tangens organum, per speciem qua informatur congenerat speciem consimilem in organo: tertiò autem species in organo existēs, inclinando vim visiuam facit esse intētam ad percipiendum, & tunc demum formatur in composito ex vi sensitiua, & organo specie informato ipsa operatio, quæ dicitur sensatio, quam vis sensitiua elicit principaliter, sed organum informatum specie instrumentaliter. Ex parte autem intellectus sunt duo correspondentia duobus prædictis in sensu, quæ ad vitalem operationem requiruntur. Prima enim immutatio, qua intellectus habet esse in actu est à causante ipsum, & hoc quo ad nudā vim intellectiuam. Secunda autem eius immutatio est ab intelligibili sibi præsente, & hoc nō mediante aliqua specie ab illo impressa intellectui, sed ab ipso intelligibili immediatè. In quo differt secunda immutatio, quæ fit in intellectu, ab illa quæ fit in sensu, cuius ratio est, quia sensibile, cò ꝙ non potest per suam substātiam esse in organo, & præsens vi sensitiuę ad ipsam mouendam, oportet, ꝙ sit ei præsens per suam speciem, & quia non multiplicat suam speciem nisi per actpm lucidi, & in lucido, immediatè non potest speciem suam facere in organo, nisi per medium, vt dictum est, & tunc organum per speciem illam habentem vim eius, cuius est, immutat vim illam inclinando, vt dictum est. Intelligibile autem, quia benè potest esse præsens intellectui humano, & Angelico, licèt aliter & aliter secundum quod alibi declaratur; & infra dicetur in parte; res autem obiecta quando presēs potest esse multo melius mouet, q̄ eius species, & est maioris virtutis & actiuitatis in agēdo, propter hoc ex parte intellectus non debet poni species, sicut ponitur ex parte sensus.

De intelle ctione.

Sed quemadmodum in sensu species existēs in organo, siue organum per illam speciem immutat vim sensitiuam ipsam inclinando ad percipiendū per actum sensationis ipsum obiectum sensibile, sic in intellectu intelligibile presens sub ratione obiecti uniuersalis, uel in phantasmate, uel in habitu immediatè immutat ui sua actiua ipsum intellectum inclinando ipsum ad se percipiendum per actum intellectionis, & dispositione illa, qua sic est inclinatus, est dispositus ultimatè ad eliciendū intellectionem tanquàm suam propriā operationem, non tanquàm ad motum, aut aliquam mutationem, quæ est actus imperfecti secundum qd imperfectum est, sed tanquàm operationem, quæ est actus perfecti secundum quod perfectum est. *Quolib. 4. quæst. 7. & Quol. 5. quæst. 14.*

Per hæc patent argumenta. Cum enim arguitur ad unam partem primò, ꝙ operationes huiusmodi sunt omninò ab agente intrà absque cooperatione agentis extrà, falsum concluditur, & ad alteram partem, ꝙ sunt omninò ab agente extrà, similiter falsum concluditur, & sic ad singula respondendum est. *Ad obiecta.*

Quod ergo arguitur primò, ꝙ actio uitalis non procedit nisi à viuente: Dicendum, ꝙ verum est, vt à proximo eliciente ipsam, quia tamen eam non elicit intellectus vel sensus, nisi primo immutatus & ad hoc inclinatus ab obiecto, vt ab agente extrà, in cuius virtute per dispositionem dictam actum elicit, ideò vt à primo agente dicitur esse ab obiecto. Quod quidem quia est extrà animæ essentiam & non in ipsa per aliquam impressionem, etiam si sit intrà per præsentiam secundum rationem obiecti mouentis ipsum, dicitur mouens extrà, inquantū tamen intelligibile est intrà & presens sub ratione obiecti dicitur mouens intrà, non sic autem ipsum sensibile: ideò respectu obiecti sensibilis obiectum intelligibile dicitur esse mouēs intra, & obiectum sensibile dicitur esse mouens extra, dicente Philosopho in secundo de anima & comparante hæc duo sic. Differt autem ꝙ huius quidem accidentia operationis extrà sunt visibile, audibile, similiter autem & reliqua sensuum, causa autem est, quia singularium secundum actum sensus est, scientia autem vniuersalium, hęc autem in ipsa quodammodò sunt anima, & ideò est, ꝙ quęlibet animæ ex parte cognoscitiuæ operatio, passio dicitur, quia non elicit eam nisi per illud quod primo passa recipit ab obiecto. Sic etiam contingit ex parte irascibilis & concupiscibilis tàm sensualis, q̄ intellectualis. Non sic autem ex parte volitiuæ, quæ non requirit nisi præsentiam obiecti in cognitiua absque omni inclinatione facta in ipsa, qua necessariò elicit suam operationem, sicut contingit ex parte cognitiuæ. *Ad primum primo.*

Ad secundum, ꝙ nulla actio transcendit speciē agentis: Dicendum, ꝙ verum est de actione, quę est operatio quā operatur intra se, talis enim operatio propria est cuique secundum suam speciem, vt determinatur in fine quarti Metaphys. & ideò *Ad secundum.*

obie-

obiectum siue sensibile siue intelligibile inquantũ obiectum etiam si esset nobilius, quàm sit ipse intellectus, nullo modo operatur in se huiusmodi operationem, sed in alio tantùm, & hoc dispositiuè. De operatione autem quam operatur in alio extra se & sicut agens primum disponens agens proximum, benè potest transcendere suam speciẽ in hoc ꝙ agat nobiliorem operationem, quàm sibi competat operari in seipso, & sic obiectum non viuum benè operatur in alio operationem viualẽ, quemadmodum & cœlum operatur in viuens per generationem naturalem licèt in se non sit viuens.

Ad tertiũ. Ad tertium, ꝙ actio denominat agentem: Dicendum, ꝙ verum est quando est ab ipso, vt ab agente proximo, etiam si non sit in eo secundum ꝙ agens denominatur ab eo, quod non est secundum rem nili in passo, quando autem est ab alio, vt à proximo agente in quo est, non oportet. Nulla enim operatio alium denominat, quàm illum in quo est.

Ad quartum. Per idem patet ad quartum. Verum est enim ꝙ nullius actionis sensibilis causa est natura corporalis, vt agens proximo eliciens: benè tamen est agens primum, secundum dictum modum, & sic intelligitur dictum Augustini ꝙ anima operationem suam formet in seipsa & sensibilem & intelligibilem ad præsentiam sensibilis & intelligibilis. Dico autem ad præsentiam sensibilis & intelligibilis nõnihil facientis ad illam formationem quia per inclinationem quæ ipsam ad actum determinat dat ei vim quodammodo ad informandum seipsam, & ita informando seipsam est mouens mota. Sine enim determinatione quam habet intellectus nunquàm aliquid determinatè intelligeret: Et si omninò nihil ab obiecto reciperet, omninò nihil intelligeret. Et similiter ex parte sensus.

Ad quintum. Per idem patet ad quintum. Attribuitur enim actio vitæ viuo, vt actio calendi calido, quo ad hoc ꝙ eius est vt principij proximi & in ipso, non tamen sic, ꝙ absque alterius actione præcedente à quo patiatur & disponatur ad actum, sicut calor calet, & lux lucet, in quo differunt operationes cognitiuarum virtutum ab omnibus alijs.

Ad argumentum in contrarium. Ad argumentum in contrarium, ꝙ tales operationes passiones sunt: Dicendum, quòd nec sunt passiones, nec propriè actiones, sed sunt propriè operationes, sed dicuntur passiones, quia non eliciuntur à virtute, nisi per hoc, quòd est prius passa ab obiecto, sicut dictum est.

Comment. in Quæstionem Quintam, quæ est,

Vtrum agens operationes vitales cognitiuas quæ sunt visio, auditio, & vniuersaliter sensatio ex parte sensus, & intellectio ex parte intellectus, sit extra sentientem, & intelligentem, an intra.

Arg. primum. IN titulo not. ꝙ hoc quærere est idem, ac si quæratur, vtrum sentire sit agere, vel pati. si.n. agit tunc sensatio, & intellectio videbitur intranea. si patitur, videbitur extranea, (ab extra, nempè vel a generante, seu causante vim illam siue sentiendi, siue intelligendi, vel ab obiecto siue sensibili, siue intelligibili. Generans n. tametsi sit quoddam potentiæ subsantiale, & obiectum accidentale, vtriunque tamen dicitur extra esse. In corpore est conclusio. Quod tum sentire, cùm etiam intelligere partem est ad intra, partim ad extra. Ad intra quidem, quoniam tùm sensus, cùm etiam intellectus agunt, ad extra verò quia vtique patiuntur.

Not. ex responsione ad argumentum in oppositum, ꝙ sensatio, & intellectio dicuntur operationes, & quidem sunt operationes immanentes, non autem transeuntes in alienam materiam. Quo fit, vt cum dicantur operationes, tùm quidem sensus, hæc intellectus, videtur ꝙ sint intraneæ, i. prouenientes ab ipsis potentijs operationem est operantis, operatio. Vnde si dicuntur operationes sensus, & intellectus, proculdubio etiam sunt huiusmodi potentiarum, & non videntur esse passiones. Operatio nanque magis dicit actionem, quam passionem. Veruntamen ex hoc videtur includere passionem, quatenus non fit sine passione, quia dependet etiam secundum D. Thomam iuxta eius perfectionem a principio obiecto, forma, genere, habitu, delectatione. Quoniam autem tota difficultas videtur in hoc posita, quo modo sensus, ac intellectus immutentur, potissimum ab obiecto id declarat, quibusdam diuisionibus, & subdiuisionibus atque item conclusionibus, quæ primo de sensu loquentes ponimus sub hac forma præmissa hac propositione Aristotelis Quod quicquid patitur, patitur secundum quòd alterat.

Alteratio autem est vel

Mutatio secundum priuatiuas dispositiones à contrario in contrarium, & per corruptionẽ vnius, & alterius generationem.

Connaturalis dispositionis receptio, s. deductio in actum à potentia absq; contrario, & hoc vel

Qua acquiritur dispositio in re ad suã propriam operationem, & hæc ex parte sensus vel est

Qua elicitur à re sua propria operatio.

Principaliter in ipso organo sentiendi, quæ est per speciem sensibilis receptã in illo per medium à sensibili extrà.

Principaliter in vi sensitiua, quæ in ipsa est inclinatio quædam ad actum operationis suæ eliciendum.

Prima conclusio. Alteratur corpus simpliciter naturale.

Secunda conclusio. Alteratur corpus, vt organum animæ ab obiecto, & generante.

Tertia conclusio. Alteratur corpus, vt organicũ viuum ab obiecto, & generante.

Quarta conclusio. Excitatur potentia ab obiecto, & generante.

Et c.

Et ex his patet, quomodo sentire sit pati, atque non sit. Non est primò pati primo modo, est verò pati aliis modis, ex quib. sequitur operatio, quæ est ipsa sensatio, quæ sunt illa quatuor per ordinem, quæ ex Augustino in litera declarat, vel saltem correspondentia. Quod autem dictum est de sensu dicitur etiam de intellectu. Accipiendo membrum illud, ex quo tertia conclusio elicita est, & quarta, quia videlicet intellectus à generante, & obiecto inclinatur, & excitatur, hoc autem inclinari, & excitari est quoddam pati. Est tamen differentia inter sensum & intellectum, quod in sensu ponitur species sensibilis agens, & immutans sensum, inclinando, ac excitando; in intellectu verò non ponitur huiusmodi species, quod quomodo intelligatur, iam visum est Quol. 4. quæst. 7. & Quol. 5. q. 14. Cætera diligenti lectori poterunt hoc lumine nota esse.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum aliquid possit deducere se de potentia ad actum.

SEQVVNTVR pertinentia cõiter ad hominẽ, & ad Angelum ex parte virtutis appetitiuę. Vbi duo proponebantur pertinentia ad actionem eius simpliciter. Quorum primũ erat, vt actio procedit ab agẽte: Vtrum aliquid potest reducere seipsum de potentia ad actum. Secundum erat, vt actio procedit in obiectum: Vtrum in substantia intellectuali creata, possit esse virtus vna actiua, quæ possit in contraria. Alia verò duo proponebantur pertinẽtia specialiter ad passionem doloris: quorum Primum erat ex parte agentis & inferentis ipsum, Vtrum verus dolor sit ex sola immutatione p apprehensionem, an ex alia immutatione reali. Secundũ erat ex parte subiecti recipientis ipsum: Vtrum ratio formalis ipsius doloris sit in vi apprehensiua, an in vi appetitiua.

Arg. princ. primum. Circa primum arguitur primò sic. Quod participat aliquid nobiliori modo non facit ex se, vt habeat illud modo ignobiliori: si autem aliquid reducit se de potentia ad actum ex se primò est virtute tale, quale se facit secundum actum, quod autem ex se est virtute tale, nobiliori modo tale est, q̃ quod est actione, vt patet in Sole, qui nobiliori modo est calidus virtute, quàm aliud quod facit calidum actione: ergo &c.

Secundum Item quod mouet se primò est primum mouẽs & vniuersale omnium eorum inter quę est ordinatum, quo mouentur oĩa alia, non sic autẽ voluntas, quia volẽdo me videre non video, & nolẽdo me videre, apertis oculis oportet me videre: ergo &c.

Tertium. Item potentia actiua secundum Philosophum est principium transmutationis in aliud, sed voluntas est subiectum in quo fiunt per transmutationem eius accidẽtia, quorum vnũ est actus eius, ipsa autem non est alia à seipsa: ergo &c.

Quartum Item. 1. Physico. dr̃; Materia cum forma causa est oĩum accidentium vt mater: non ergo est subiectum vt efficiens: volũtas aũt respectu sui actus est huiusmodi: ergo &c.

Quintum. Item Aug. dicit in 1. de Trin. Nulla res seipsam gignere potest, quare si volũtas, siue aliquid aliud generaret suũ accidens, vel actum, generaret seipsam, saltem per accidens, quia per partem.

Sextum. Item inconueniens est, q̃ per se generans coincidat in idem cum termino generationis, sicut totum, aut sicut pars, & hoc indifferenter, siue illud generatum fuerit vnum substantialiter, siue accidentaliter, quia sicut generans ignem nullo modo est ignis generatus, sicut pars, aut sicut totum, ita nec generans ignem calidum est ignis calidus generatus, neq; sicut pars, neque sicut totũ, alioquin sequeretur, q̃ ipse generaret seipsum: hoc aũt sequeretur, si subiectũ cum accidẽte esset causa sui accidentis, aut voluntas sui actus: ergo &c.

Septimum Item generans & generatum semper differunt subiecto & loco, sed subiectum & accidens eius nõ differunt loco: ergo &c.

Octauum Item idem non est ens & non ens respectu eiusdem, sed quod est in potentia ad aliquid puta ad esse frigidum, non est ens respectu illius, secũdum quod efficit se in actum, est ens respectu eius, qđ efficitur: ergo &c.

Nonum Item quod p aliud determinatur ad actum, nõ vadit ad actum per se, voluntas per intellectũ determinatur ad actum: ergo &c. Maior patet. Minor probatur sic, existente recta ratione in apice rectitudinis voluntas in illo instanti, aut põt cum effectu in oppositum, aut non põt. Si non, ergo ipsa determinatur. Si sic, tũc falsa est illa propositio, quæ solet cõcedi, non est malitia in voluntate nisi sit error in ratione.

Euasio. Si dicatur, q̃ duplex est error rationis, quidam per obscurationem rationis, quidã verò per eius excæcationem, & quòd error rationis ex obscuratione semper est cũ malitia voluntatis: non autem ille, qui est ex excæcatione.

Reprehensio. Hoc nõ valet, quia recta ratio in apice rectitudinis opponit oĩ obscurationi rationis; et ideò nõ est in eod. instãti cũ rationis obscuratione, sed existente ratione recta in apice rectitudinis, vt dicis, volũtas vult contrarium; ergo ad malitiam voluntatis in eodẽ instãti, nõ sequit aliqua obscuratio rõnis.

Determinatio Item rectitudo in voluntate nõ ponit rectitudinem in ratione, quia dicitur, q̃ errante ratione volũtas potest esse recta; ergo nec malitia in voluntate ponit obliquationem in ratione.

In oppositum Contra. 9. Metaph. dr̃, q̃ in rationabilib. voluntas est verè dña. i. primus motor; talis autem si mouetur mouet seipsum. ergo &c.

Decisio Respon. ad hanc q. patet ex dictis in q. prœced. Non. n. mota est nisi pp actum, siue motũ voluntatis, qui dr̃ uelle, qui nõ est propriè motus, aut mutatio, sed operatio uoluntaris, quẽadmodũ intelligere est operatio intellectus, & sic cũ sit operatio uitalis, erit uiuẽtis, & principiũ elicitiuũ eius est principium uitæ, cuiusmodi est uoluntas potentia.

Sed non reſtat in hoc dubitatio alia, q̃ an volũtas facit ſe in actum volendi prius ab alio mota, & inclinata, ſicut intellectus facit, vt iam dictum eſt, an abſq; omni motu & tranſmutatione præcedente in voluntate ipſa ſeipſam facit in actum volẽdi. Sed quo ad hoc, ſuſtinendo, ꝙ abſq; omni trãſmutatione, aut inclinatione præcedente maximè ipſã neceſſitate, iſtam quæſtionem anno præcedente determinaui in decimo Quolib. queſt. 9. & prius in nono Quolib. q. 5. vnde corpus ſolutionis ſuppono ex eis, quæ dicta ſunt ibi. Et fortè propter noua argumenta, quæ videntur contrariari dictis meis ibi: quæſtio iſta iteratò repetebatur.

Eſt igitur aduertẽdum ad maiorem declarationem ibi dictorum circa hanc quæſtionem, ꝙ ex eo ꝙ dixi determinando, ꝙ voluntas eſt primum mouens ſe, & faciens ſe in actum quo ad ſuum accidens commune, quod eſt motus, & ꝙ non eſt incõueniens aliquid ſeipſum facere in actum, & quo ad accidentia propria, & quo ad cõia, aliqui dubitant, & dicunt, ꝙ de accidentibus proprijs & inſeparabilibus non videtur multùm inconueniẽs, ꝙ ſubiectum ſit cauſa agens ſuorum accidentium. Cum.n. talis ſubſtantia ex principijs ſuis ſit determinata ad talia accidentia, & ſe habet ad illa, vt qua poſita illa ponuntur, & tale conſuetum eſt dici eſſe cauſa, per hoc talem ſubſtantiam, vel tale ſubiectum dicunt eſſe cauſam talium accidentium. Sed (vt dicunt) de ſeparabilibus & cõibus accidẽtibus hoc videtur omninò abſurdum dicere, vt ꝙ lignum dicatur eſſe cauſa effectiua ſuæ albedinis, & ſuę nigredinis, cum ex ſuis principijs non ſit determinatum ad duo contraria, nec poſſet determinari ad illa per quancunque virtutem ſibi impreſſam à generante, quia ſine violentia põt eſſe ſine vno, & ſine altero, ſicut Diaphanum lucidum, & tenebroſum. Et ſimiliter eſſe nõ inconueniens, ꝙ voluntas dicatur eſſe cauſa ſuæ volitionis, cũ abſque violentia poſſit eſſe ſine volitione. Et patet, ꝙ iſta non repugnant dictis noſtris quæſtione nona Quodlib. noſtri decimi, in qua iſta materia tractat. In diſſoluendo.n. quæſtionem illam circa principium inſinuabamus quandam diſtinctionem accidentium, cuius vnum membrum ſubdiſtinximus, quia ſolum pertinebat ad noſtrum propoſitum, ꝙ aliud omiſimus. Eſt autem diſtinctio talis, ꝙ quędam ſunt accidentia, quę exiſtente ſuo ſubiecto ſecundum formam ſubſtantialem conſtituto in eſſe de neceſſitate ſequuntur ipſum ſecundum eſſe actuale ipſorum, niſi impedimentũ coincidit, & cũ impedimentum interuenit, quod impedit illorum accidentium conſecutionem, tunc ab agente eſt in illis virtus ad producendum ſecundum eſſe accidẽtale illa accidẽtia, ſiue ſint cõia, ſiue propria, vtpotè generans aquam producit in illa ſecũdum actũ grauitatem: & ſi extra locum aquæ generat eã, dat ei, vt agens primum, motum deorſum, dando ei grauitatem, vt agens proximum, & ſic per motũ dat ei proprium locum aquæ, ꝙ ſi generetur extra ſuum locum, & per impediens ibi moretur, ſimiliter ſi per contrarium agens calefiat, generans cum generauit aquam virtutem impreſſit ſuæ formæ, qua ceſſante impedimento in contrarium agente, generat in ſe motum quo tẽdit ad locum ſuũ deorſum, & quo reuertitur ad frigiditatẽ, & ſumo motum cõiter ad verum motum & mutationem. Qđ dico propter graue exiſtens ſurſum, quod remoto impedimento, & reſiſtente ſubitò facit ſe deorſum per mutationem non per motum: mouetur autem à ſe per accidens, cum inuenit medium reſiſtens. Alia verò ſunt accidentia, de quib. in dicta queſtione non fecimus mentionem, quia nõ pertinebant ad propoſitum, de quib. tamen illi opponebant, q̃ ſuo ſubiecto ſecundum formam ſubſtantialem conſtituto in eſſe, non de neceſſitate ſequunt ipſum ſm̃ eſſe actuale ipſorum ceſſante cõi impedimento, & hæc non ſunt niſi accidentia cõia & ſeparabilia, quę non conſequuntur ratione formæ ſubſtantialis vllo modo niſi determinentur p agẽs aliud, q̃ ſit ipſum generans, rõne qua generat ipſum ſm̃ formam ſubſtantialem, qualia accidentia ſunt albedo & nigredo circa lignum, pp hoc lignũ in eo, ꝙ lignum nullo modo poteſt eſſe cauſa ſuæ albedinis, aut nigredinis, quia ad neutrum illorũ determinatur forma ligni, neq; per generans ipsũ ſecundum formam ſubſtantialẽ inquantum hmõi. Aqua aũt in eo, ꝙ aqua, determinat ſibi grauita. ẽ & frigiditatem: & ideò ceſſante impedimento, & agente contrario, virtuce q̃ habet à generãte facit ſe in motum ad deorſum, & ad frigidum, & eſt ſecundum prædictũ modum cauſa ſui motus, & ſui eſſe deorsũ & ſuæ frigiditatis, nec eſt in hoc differentia, ſiue accidentia ſint propria, ſiue cõia, dum tñ ad illa determinatè ſe habet ſubſtãtialis forma. Quod autẽ arguit adhuc ab alijs, ꝙ licèt talis motus ſit grauis à natura ſua; graue tñ propriè nõ dr̃ efficere motũ illum, quia à ſe nõ habet naturam, q̃ ſequit̃ iſte motus, ſed à generãte. Si ergo non dicimus graue licèt frigiditatem habet à generante, ꝙ infrigidet ſe, ſimiliter nõ debemus dicere ſi graue motũ habet à generante, & naturam p quam mouet, ꝙ pp hoc moueat ſe. Et eſt dicẽdũ, ꝙ bona eſt cõparatio de graui & frigiditate, q̃ ſimul habet cũ generat, & ſimiliter de motu, quẽ habet cum generat, ſed de motu quẽ habet poſt impedimentũ ceſſans, & ſimiliter de frigiditate, quia de nouo grauitatem nullo modo habet à ſe, nec accidentia, q̃ ſimul generantur cũ ipſo, circa quę nõ cadit impedimentum: illa tñ quæ poſt impedimentum ceſsãs fiunt in ipſo à natura q̃ recipit à generante, benè poſſunt dici fieri ab ipſa, quia fiunt à natura ipsius, & quæ eſt in ipſo principiũ motus, & ſtatus. Quòd arguitur ab aliquibus adhuc de volũtate reſpectu velle & non velle, à ſimili de ligno reſpectu albi & nigri, ꝙ quia lignum ex ſua forma non eſt alterum illorum determinatum: ideò nullo modo põt dici illorum cauſa, quare neq; voluntas ſui velle, aut nolle, cum ad neutrũ illorum ſit determinata.

Dicendum,

Dicendum, ꝙ differunt sic vires rationalium & non rationalium. Vires enim & potentiæ rationalium, quæ rationales vocantur valent ad oppositа, quæ verò sunt non rationalium, quæ irrationales vocantur, non valent ad oppositа, sed ad vnū tantum, siue ad alterum oppositorum. Licèt ergo lignum, quod non est rationale, sed est purum naturale à generante non rationali, & purè naturali nō potest habere potētiam, vel vim qua possit ad oppositа, aut etiam ad alterum eorum, quia naturaliter est susceptibile vtriusque, & hoc non ex præcisa natura sui generantis inquantum est ipsum, sed solùmmodò per eius contrarias dispositiones, sed solùm illa naturalia à generante habent vim, ꝙ ex se per vim, quàm habent à generante possint in alterum ipsorum, quæ ex præcisa natura generantis, & suæ formæ ad illud sunt determinata: voluntas tamē quia est rationalis, ex natura sua valet ad oppositа. ſ. ad velle & non velle, siue nolle.

Quod arguitur contra modum ponendi sic, ꝙ sicut substantia habet à producente virtutem, qua est immediata causa effectiua accidentium, consimiliter habet ab agente, ꝙ sit subiectum eorundē: oportet ergo, ꝙ habeat virtutem sibi impressam à producente ad hoc, ꝙ sit causa materialis, quod non oportet ponere: ergo &c.

Respondendū est ad hoc respondendo ad quęstionem quam quærit cōtinuè de illa virtute an sit idem cum substantia producti an accidens eius.

Dicendo, ꝙ non est accidens eius, quia vnumquodq; per suam formam qua est id, quod est, potens est in suam propriam operationem, & in illud, quod per ipsam habet produci, vt lux ad lucē, calor ad calefaciendum, & sic de singulis. Singula .n. aliqua propria operatione determinantur, vt dr in 5. 4. Meteoro. Est ergo substantia rei sub ratione respectus, & hoc habet à producente, & ꝙ sit id, quod est sub ratione absoluti, & quod est sub ratione talis respectus. Sed inquantum est producēs simpliciter habet ab eo, qd simpliciter est, & absolutè. Inquantum verò est producens determinans ad aliquid determinatum habet à virtute, & id qd est sub ratione respectus. Et hoc vt dixi in quæstione prænominata, tàm sub ratione respectus ad receptionē, q̄ ad productionem alicuius. Habet .n. à producente suo ex parte suæ materiæ, siue principaliter ratione suę materiæ, vt sit dispositа ad receptionē, sicut subiectū. Ex parte verò suę formę, siue principaliter rōne suæ formæ habet ab eodē, ꝙ sit dispositа ad productionē accidētis, sicut efficiens. Si verò id nō sit nisi pura forma, q̄ non est à se immediatè receptibilis aliorū accidentiū receptibilis tm̄ est in se, & à se actuū suorū accidētaliū, vt cōtingit circa volūtatē in aia rōnali, id ipsum à generāte dispositū est ad vtrūq;, nec īportat illa dispositio super essentiā rei aliud, quam rationem respectus.

Quod arguitur contra membrum concessum, quòd virtus illa non sit substantia, sed est accidens rei, quia si est substantia rei, tunc non est secundū diuersa causa effectiua, & materialis: Dicendum est ꝙ verum est secundum diuersa absoluta: est tamen secundum diuersos respectus secūdum quod alium respectum in eodem nominat potentia passiua, & potentia actiua.

Quod verò arguitur contra hoc, quòd tunc modus considerandi erit causa tantæ diuersitatis realis quæ est in efficiendo accidens, & in recipiendo illud. Dicendum, quòd non est ita, quia respectus illi nō sunt rationales ex sola consideratione intellectus, sed reales, & ex natura rei, & sunt relationes secūdum rem, non autem secundum rationē, quamuis non sunt res alia absoluta à suis fundamentis, vt alibi expoſuimus in quæstione quadam de relationibus in generali.

Similiter quod arguitur ad idem secūdò: Sicut est diuersus modus considerandi rem in se, & vt est effectiua accidentis, ita diuersus modus est considerandi rem in se, & vt est subiectum accidentis, & tamen propter illam diuersitatem non dicitur, quòd res considerata in se nō est subiectum accidentium, sed aliqua virtute: ergo nec dicendum est, ꝙ de se non sit causa accidentium, sed ratione virtutis. Hoc benè concedo: sicut enim nō est effectiua alicuius, nisi sub ratione qua est potentia, sic nec receptiua: qualitercunque autem nominetur differentia inter substantiam fundamentalem huius respectus, & ipsum respectum, siue secundū rationem, siue secūdum intentionē, dum tamen intelligamus, ꝙ sit respectus realis ex natura rei, non autem rationalis ex intellectus nostri cōsideratione, de hoc non est mihi curæ ad propositum, ex eo, ꝙ respectus reales sunt res & continētur sub ente verò reali, non tm̄ alia realitate fm̄ rē, q̄ sit res fundamenti, nec m̄ alietate fm̄ rationem nostræ considerationis tm̄, quia tunc non essent alietates reales, sed alietate fm̄ intētionem. Et qd in proposito sic facit differre aliqua, est realitas, siue entitas vera, non diminuta ex parte vtriusque differētium, sed aliter in illis, q̄ differunt, sicut res absoluta, & relatio realis fundata in illa, q̄ in illis, quæ differunt, sicut diuersæ res absolutæ. In istis, quod facit ista differre, vt album & nigrū inter se, est ex vtraq; parte res vera, & secūdū rem existēs: & ideò propriè dicuntur differre secundum rem. In illis verò, quod facit illa differre, vt album & simile, quod super albedinē fundatur, ex vna parte est res vera & fm̄ se existens, q̄ est albedo, ex altera parte est res vera similiter & eadē res, sed ad alterum existens. Et sunt fm̄ se existere, & ad alterū existere reales cōditiones & ex natura rei, non aūt rationales ex cōsideratione rationis, pp qd differētia, q̄ faciunt circa eandem rem, sicut non pōt dici realis, sic fm̄ rem propriè loquēdo, quia nō est diuersarum rerū tm̄ se existentium, non pōt dici rationis, siue secundum rationem, sicut illa, quæ differunt pura ratione fm̄ admirationem intellectus.

Alio ergo modo proprio differunt, quocunque nomine nominetur illa differentia, qui modus nō

differt ab altero illorum ſecundum magis & minus tantùm, ſecundum quod ſm̃ rationem differẽtiũ vna differentia ſecundum rationem poteſt eſſe maior, vel minor, ſecundũ quod aliqui dicunt, ꝙ hæc differentia quam appellamus ſecundum intẽtionem non eſt niſi ſecundum rationem, licèt fortè ponat maiorem differentiam, q̃ habent illa, quę propriè ſecundum rationem dicuntur differre. Sed iſte modus differendi medius eſt inter illos, & differt ab vtroque illorum non ſolum ſecundum magis & minus, ſed ſm̃ ſpeciem. Ad differentiã aũt ſecundũ rationem non põt iſta differentia reduci, quia differentia ſecundum rationem quęcunque differunt non differunt ſecundum ſe, ſed ſolũ ſecundum conſiderationem noſtrã. Reſpectus autem realis, uel in relatiuis ſm̃ rem nõ differt à ſuo fundamento ſecundum ſolam noſtram conſiderationem tantùm: tunc.n. non eſſet reſpectus realis ex natura rei, ſed ſolùmmodò rationalis ex ratione conſiderationis noſtræ, quod falſum eſt. Sed de hoc alibi exquiſitius locuti ſumus. Et ſic ad reddẽdum cauſas effectuum, nõ oĩum dico, ſed illorum qui procedunt à rebus ex ſeipſis non ab aliquo extrinſecus agente, ſufficit dicere, ꝙ hoc ſub tali intentione, & reſpectu eſt cauſa huius, & ſub tali eſt cauſa illius, & ſic non eſt facilè omnia ſoluere. Sed ex hoc non poſſum dicere, ꝙ ignis non facit aquam calidam, ſed aqua ipſa per quandam virtutem intentionalem, quam recipit ab agente nõ facit ſe calidam, vt ignis appoſitus non ſit cauſa niſi ſine qua non. Similiter nec poſſum dicere, ꝙ gene rans non generat cõpoſitum ex materia & forma, ſed materia per quandam virtutem, quam recipit ab agente, facit ſe ſub tali forma. Nec ſimiliter, ꝙ vnunquodq; ſe producit in aliquo eſſe per virtutem, quam habet ab alio, quia hoc non poſſum dicere niſi de ꝓductione talium, quæ de neceſſitate conſequuntur productionem aliorum, aut habent ſtatim exiſtere illis exiſtentibus, niſi fuerit impedimentum, & quæ poſſunt impediri illis productis ad quorum eſſe neceſſariò conſequitur eſſe illorum: talibus enim product's à producente imprimitur virtus & diſpoſitio, quæ ſummè diſponitur diſpoſitione, quæ eſt neceſſitas vnunquodq; talium, ꝙ quantum eſt de ſe eſt in potentia accidẽ tali ſi abſit impedimentum, vt ſtatim illo producto, & exiſtente, exiſtit in illo tale per eius, in quo exiſtit actionem, quemadmodum producto igne ſtatim leuitas, & caliditas & motus ſurſum ſi generatur extra ſuum locum habent eſſe ab ipſo per productionem in illo, & hoc per virtutem producentis ignem impreſſam igni, ſecundum quod expoſuimus in prędicta quęſtione decimi Quodlibeti. Si verò in aliquo talium prædictorum contingat impedimentum, vt non ſtatim conſequatur aliquod ſic natorum conſequi ipſum à ſuo producente, ſummè tamen diſpoſitum eſt diſpoſitione, quę eſt neceſſitas per virtutem producentis conſeruatam in ipſo, vt ceſſante impedimento totum illud ſecundum actum conſequatur, quod neceſſitate naturali natum eſt conſequi formam ſuam, ſicut graue generatum ſurſum, & impeditum, ne deſcendat, ceſſante impedimẽto ſtatim facit ſe deorſum, ſecundũ quod ſimiliter diffuſius expoſuimus in dicta quæſtione. Ex quo patet; quare ex hoc dicto noſtro nullus poteſt dicere, ꝙ ignis non facit aquam calidam, ſed aqua ſeipſam, quoniam caliditas non eſt accidens, quod per ſe cõſequitur formam aquæ: immò eſt contrarium illi, & propter hoc non habet virtutem à generante, vt ſe faciat calidam, ſed requirit agens extra, vt ignem, & hoc vt cauſam per ſe, nõn autem vt ſine qua non: immò quia frigidum per ſe conſequitur formã aquę ſecundum dictum modum, ideò ceſſante cõtrariò agente, ſcilicèt calefaciente aquam, quod eſt impedimento, ne aqua poſſit moueri, & reuerti ad frigiditatem, ſtatim ſeipſa mouetur motu infrigidationis, & ſeipſa in fine motus ſeipſam facit perfectè frigidam, & eſt id quod amouet calefaciens illius infrigidationis, & generationis frigiditatis cauſa ſine qua non. Per eandem rationem non poſſum dicere, ꝙ generans non generet compoſitum, ſed materia, quia ipſa per ſe non eſt nata produci ſic, quòd ad eius productionem conſequatur aliqua forma determinata, ſicut ad aquam conſequitur eſſe frigidum: & ideò nullam virtutem habet omninò materia ad aliquid in ſe producendum. Similiter non poſſum dicere, ꝙ ignis illo modo poſſit ſe facere calidũ ſe ſolo abſq; generante ſibi coniũcto ſm̃ actum, licèt aqua poſſit ſe facere frigidã, quia forma ignis nou compatit frigiditatem ſecũ ſicut aqua caliditatem, vt ibi amoto frigefaciente ignis calefaciat ſeipſum, ſicut hic aqua ſeipſam infrigidat. Vnde ſi impoſſibile aqua generaretur & poſſet habere impedimentum, ne eã ſtatim conſequatur frigiditas, amoto illo impedimẽto, ſtatim moueret ſe ad infrigidationẽ, ſi eſſet ſub contraria diſpoſitione. ſ. ſub caliditate, aut ſi per impoſſibile nõ eſſet calida, neq; frigida, ceſſante impedimẽto, ſeipſa citò eſſet frigida: cõtraria.n. diſpoſitio facit ꝙ p motũ graue deſcendit, & ſic, ꝙ aliquid eſt cauſa efficiens ſui accidentis in eſſe: & hoc eſt in naturalib. quia natura rei determinata eſt ad illud à generante, & patit impedimentũ niſi illud conſequatur, & ſit ſimilis cũ eo. Qñ aũt natura rei nõ eſt determinata ad illud, nec adſit impedimẽtũ, ne ſit in illo, nullo modo in re naturali eſt virtus efficiendi aliq̃d in ſeipſa, vt dicto modo duo oporteat cõcurrere ad hoc, vt res moueat ſeipſam, aut aliquid efficiat, ſiue agat in ſeipſa. Qd arguit vlterius ſic, ꝙ oẽ qd̃ præſupponit in re ante formã, quę debet in ea acquiri, materiale eſt reſpectu illius formæ, ſicut non ſolùm corpus, ſed cum ſuperficie eſt ſubiectũ qualitatis, ſed virtus illa præcedit accidens, quod ponitur cauſare: ergo eſt ſubiectum & materia illius, quod non incidit cum cauſa efficiente. Dicendum, ꝙ verum eſſet ſi eſſet aliquid abſolutũ, & res alia à ſubſtãtia, quemadmodũ ſuperficies eſt

res

res alia absoluta à corpore, quod est substantia, & ideò color vt in subiecto est tàm in superficie, q̃ in corpore. nunc aũt, quia nõ est nisi respectus super substantiã, immò est ipsa substantia sub rõne respectus, ipsa vt est virtus agentis siue ab agente, benè est agens, & ſm̃ id benè est subiectũ & materia, & sic benè coincidunt absque inconuenienti. Itẽ quod arguitur, ꝙ de materia non distinguimus, ꝙ est principium formæ substantialis & ꝙ est subiectum, quare neque de toto composito ꝙ est subiectũ & materia respectu accidentium: Dicendum secũdum iam dicta, ꝙ de composito, vt est aliquid absolutũ nõ sic distinguimus, sed vt vno modo est absolutũ, alio modo habet rationẽ respectus, & sic habet rationẽ efficientis. Et similiter de materia distinguimus, ꝙ potest considerari in se, uel prout est principium formæ, non efficiens, sed receptiuũ principium, & sic sicut in rebus naturalibus agẽtibus ad generationẽ accidentis in se dicimus, ꝙ sicut res est principium actiuum principaliter rõne formæ, sic est principium receptiuum ratione materiæ, & ratio principij semper importat rationẽ respectus circa id quod est aliquid in se absolutũ, & sic illud quod facit se tale in tali productione per illam uirtutẽ est quodammodo tale quale fuit generans, & sic est tale uirtute quale se facit actione. Sed arguitur contra hoc, ꝙ uirtute tale non facit se tale, sed aliud, ut uirtute calidum non facit se calidum, sed aliud, sicut cõtingit in agente uniuoco, quod est tale formaliter non facit se tale, sed aliud ut ignis calidus non facit se calidũ, sed aliud. Et est dicendum, quòd esse aliquid uirtute tale cõtingit dupliciter, uel particulari & determinata ab agente tali ſm̃ actionem, uel uniuersali indeterminata omninò. Primo modo aqua calida actu est uirtute frigida, & ideò eius generatio est uniuoca, quæ facit se frigidam, sicut erat uniuoca q̃n frigidum generans ipsam facit eã frigidam. Secundo modo sol calidus est uirtute, & ideò eius generatio qua generat calidum est æquiuoca. Et quia nõ habet hanc uirtutem à producente nato ipsum calefacere actione, nullo modo hẽt ipsam ad faciendum se calidum, sed solùmmodo aliud. Et quia est se tale uirtute particulari, & esse tale actione siue formaliter sunt in eodem aliud & aliud & alterius rationis, esse autem actione & formaliter tale non possunt esse plura simul in eodem, eo quòd sunt unius rationis, ut plures albationes: idcircò licèt ignis calidus actione non potest facere seipsum, ignis tñ si per impedimentum possit esse calidus uirtute, ita qròd non formaliter, seipsum faceret actione calidum, ut dictum est. Et quia ista uirtus ut dictum est, non est alia à substantia nec accidens superueniens ei, & est necessariò in omni eo quod ex sua natura à producente determinatur ad aliquid, & hoc ex eo quòd determinatur ad illud: idcircò dico ulterius, quòd ad omne illud ad qđ determinatũ res quęcunq; ſm̃ suam naturã à producente ipsam, habet talẽ uirtutem illud in se producendi & causandi, si contingat ipsam pati impedimentum ne habeat actu in se illud, & hoc siue pertinet ad primas actiones siue ad sequentes.

Ad omnes enim terminatur à producẽte illam in sua substantia necessariò & inuariabiliter. Idcirco dico circa uoluntatem, propter quã circa naturalia omnia prædicta introducta sunt, & ratione uoluntatis circa totam animam humanã, quòd ipsa anima respectu omnium suorum accidentium & primorum & secundorum ex rõne suæ naturæ, & essentię à producente ipsam habet quòd sit substantialiter suæ potentiæ, secũdum quòd diffusius perscrutati sumus in quadam quæstione de Quolibet.

Rationes probantes potentiam naturæ differre ab eius essentia.

Quod autem adhuc arguunt aliqui primò sic: actus animę secundarij possunt adesse & abesse, & sic anima non est determinata ad illos, & sic determinatur ad illos per aliud quod uocatur potentia. Dicendum, quòd uerum est, sed non ut per aliud re absoluta, sed respectu solùm, ut dictum est. Secundò sic. Ea quæ hñt esse in fieri in subiecto præsupponunt aliquod accidens, ut motus dealbationis nigredinẽ, ergo motus in spiritualibus qualis est intelligere & uelle præsupponit accidens in subiecto, qđ non est nisi potentia: ergo &c. Istud modicum cogit. Quod.n. motus siue corporalis siue spũalis supponit accidens in subiecto, hoc non contingit, nisi quia est à contrario uel à priuatiuo in contrariũ, & sic tanq̃ accidens supponit in subiecto nõ semper ipsam potentiã qua elicitur actus, sed ipsum contrarium uel priuatiuum actus aut accidentis quod per actum acquiritur, quemadmodam dealbatio præsupponit nigredinẽ ut contrarium albedinis producendæ. Et similiter dealbationis motus præsupponit q̃dtẽ sibi contrariam præcedentẽ in nigredine. Et sic accidens qđ præsupponit in subiecto motus, qui est uelle uel intelligere non est potentia qua uult aut intelligit, sed priuatio huius uel illius, ut non uelle, uel non intelligere. Tertiò sic. anima de se limitata est, ergo seipsa non põt determinari ad diuersa: ergo per alia à se, nec per diuersos respectus, quia illi non sunt rationes agendi: ergo &c. Dicendum, ꝙ anima determinatur ad diuersos actus vel ſm̃ genus, vel ſm̃ speciem, vel ſm̃ numerum. Genere em̃ aut specie differunt intelligere, velle, sentire. Specie aũt differunt videre & audire. Numero verò differunt intelligere, velle &c. hoc vel illud. Dico ergo, ꝙ determinatione prima & secunda determinatur à solo producente animam, qui essentię eius secundum id quod est indidit, ꝙ potens est ad illos actus differentes genere vel specie, licèt non cum effectu nisi per determinationem ab organis quo ad potentias organicas, & alio modo quo ad potentias non organicas, quam assignauimus in dicta quæstione de potentijs animæ.

Tertia autem determinatione determinatur ab obiectis. Formaliter autem præter istas determinationes determinatur per respectus importatos in

nominibus potentiarum. Substantia enim etsi cū respectu cadat in significatione potentiæ: formaliter tamen significat respectum, & ab ipso imponitur, qui quidem respectus ad actum determinat; licèt elicitiuum actus non sit nisi substantia, vt tamen sub ratione respectus existens, secundū quod in quæstionib. alijs ista clarius exposuimus. Quartò sic. Diuersi respectus reales supponunt diuersa fundamenta realia, quæ non possunt esse in anima nisi accidentia: ergo, &c. Dicendum, ꝙ falsum est, quia super idem re diuersi respectus reales in ordine ad diuersa benè fundantur, vt super eandem albedinem respectu alterius albedinis similitudo, & dissimilitudo respectu nigredinis: & tamen similitudo & dissimilitudo important diuersos respectus reales, quorum realitas etsi sit à fundamento, diuersitas tamen est ex ordine ad diuersa, vt expositum est in quæstionibus ordinarijs: quem tamen ordinem non habent ex illis diuersis, sed ex ipso producente substantiam, & ordinante ipsam. Causaliter enim in proposito actus potius determinatur per potentias, q̄ è conuersò. Dico quantum est ex parte rei, licèt quantum est ex parte notitiæ potentiæ distinguuntur per actus, & actus per obiecta secundum Philosophum. Quintò sic. Membra leonis nō differunt à membris cerui, nisi quia anima differt ab anima, vt dicit Commentator super primum de anima: in homine ergo in quo differt vnum membrum ab alio, oportet quòd sit propter diuersitatem à natura animæ ipsius, quæ non potest esse ex parte essentiæ animæ, quę est eadē numero in toto homine, & in qualibet eius parte: ergo ex parte potentiarum eius: ergo &c. Et est dicendum secundum iam dicta, quòd verum est secundum modum iam determinatū diuersitatis potentiarum, cuius prima & principalis causa nō est nisi producens animam, propter quod diuersitas potentiarum animæ & distinctionis earum non supponit distinctionem organorum tanquàm potentia sit consequens compositum ex anima & corpore organico, in quo sit vt in subiecto, aut fundamento, sed magis è conuersò, licèt aliqua secundum organa sit potentiarum organicarum determinatio, vt, s. possit cum effectu in actus diuersos, vt in quæstione prædicta est expositum. Non tamē ex hoc ois potentia animæ ponitur organica. Potest.n. alicuius potentiæ non organicæ, vt intellectiuæ, & mediante intellectu volitiuæ, determinatio, vt. s. possit in actum suum cum effectu, quoquo modo fieri per organum, s. inquantum intellectus vtitur organo phantasiæ, quo ad suū actum intelligendi, sed hoc non quemadmodum sensitiua vtitur organo ad suum actum. Illa.n. non exercet actum nisi in organo informato specie sensibilis. Intellectiua aūt quo ad intellectum plenum vtitur organo, vt in quo suum obiectum sibi manifestat per illustrationem intellectus agentis, actione tamen eius existente separata absq; organo & absq; omni specie à phantasmate recepta in intellectu, siue in essentia animæ.

Ad arg. princ. primum.

Quod ergò primò arguebatur ad quæstionem principaliter, ꝙ si voluntas faceret se in actu, esset virtute tale, & ita nobilius &c. Dicendum, secundum iam dicta, ꝙ hoc solum verum est de tali virtute vniuersali, & indeterminata: non autem de eo, quod est virtute determinata tale: & ideò nobilius est voluntati velle secundum actum, quàm secundum virtutem, quia quod est virtute tale, nō solum est tale ad agendum id, quo sit actu tale, sed etiam ad recipiendum illud in se, nō sic autem qđ est tale virtute vniuersali: & ideò non potest se facere tale actione, siue formaliter, & nobilius est ei se non facere tale, quàm facere.

Ad secundum.

Ad secundum, ꝙ primū mouens est motor omnium aliorum in omnibus suis motibus, &cæt. Dicendum, ꝙ verum est quando sic se mouet, ꝙ à nullo alio dependet, vt vadat in actum, cuiusmodi est motor omnium vniuersalis simpliciter, sed hoc multum extendendo motum: non autem de moueṫ te se dependente in suo motu ab alio, quia.n. motus voluntatis dependet ab intellectu, & motus intellectus à motu sensus; ideò oportet vires apprehēsiuas prius ab alijs moueri, q̄ à voluntate, vt voluntas moueat seipsam, sed postquam fuerit mota habet vim mouendi alias potētias ad suas actiones, & retrahendi ab eis, nisi quatenus mouētur ab alijs naturaliter.

Exclusio erroris de motu voluntatis.

Ad excludendum autem prauum modum aliquorum in ponendo voluntatē mouere se & alias vires quantum ad exercitium actus, sed non quantum ad determinationem. Sciēdum, ꝙ illi in quodam tractatu paruo dicunt sic. Ad intellectū eius, quod dicitur, ꝙ voluntas mouet se & alias vires q̄tum ad exercitium actus, sed quantum ad determinationem actus est motio voluntaris ab obiecto. Dicendum, ꝙ voluntas mouet suo imperio q̄tum ad exercitium actus, & ēt q̄tum ad determinationē actus, atq; modi agēdi, oēs alias vires animę, & ēt membra corporis, benè verum est: Sed ꝙ ab aliquo alio moueat prius, aut q̄tum ad sui actus determinationē, aut q̄tum ad eius exercitium, aut ad ipsum actū voluntatis eliciendū, vt sic ab illo mouente habeat virtutē mouēdi alia, vt isti iam in sequentib. ponunt, hoc penitus falsum est, sed ipsa est primū mouēs in regno aīæ; ideò & seipsam mouens in actū, & sibiipsi actū suum determinat, sīm ꝙ iam diximus supra, & in alio Quolibet. satis declarauimus. Sequit. Notandū est, ꝙ respectu primi actus intelligere, qui præcedit scdm naturam quēlibet actum voluntatis, voluntas non habet rationē mouentis p modum mouentis, vel impellentis q̄tum ad exercitiū huiusmodi actus: immò huiusmodi actus, vel motus ītellectus est ab obiecto intelligibili, & q̄tum ad exercitium actus, & quantum ad determinationem eius.

Dicendum, ꝙ voluntas respectu primi actus intelligendi, qui conuenit intellectui postq̄ aliquando nihil intellexit, nō habet rationem mouētis ad

actum

actum huiusmodi eliciendum vel determinandū, sed potius obiectum; benè verum est, falsam tamē est dicere, ꝙ exercitium eius quo ad actus continuationem, & discursum ab vno actu intelligendi ad alium sit ab obiecto solo & non à voluntate: immò est à voluntate potius q̄ ab obiecto. In potestate enim voluntatis est statim posq̄ actus huiusmodi est elicitus, intellectum ab ipso retrahere vel in ipso conseruare & actum ipsum continuare, quod pertinet ad exercitium huiusmodi actus, sm̄ ꝙ ipsimet statim dicunt inferius. Sequitur.

Intellectus autem sic motus ab intelligibili, & cum hoc apprehendit bonum & perfectum vel ipsius intelligibilis vel propriæ operationis, inclinat voluntatem in hoc bonum. Dicendum, ꝙ etsi verum sit appellando inclinationem excitationē ad motum quo ferri potest in illud bonum, secundū ꝙ aliàs declarauimus, huiusmodi inclinationem posse poni in voluntate absque omni inconuenientī circa libertatem arbitrij: non tamen verum est appellando inclinationem ipsam motionem voluntatis qua fertur in bonum cognitum, quod tm̄ implicat littera sequens, quia sequitur. Et hæc inclinatio, quæ est motio voluntatis à bono apprehenso habet virtutem, vt sit vis motiua, quasi impulsionem ipsius intellectus ad suum actum, qui est intelligere, exerceat continuè circa illud intelligibile, vel se & vires alias, quæ sunt necessariæ ad intelligendum applicet ad intelligendum aliud, quod consequitur naturaliter ad primum. Dicendum, ꝙ dicta inclinatio etsi ponatur, de quo tm̄ dubium est, an sit ponenda in voluntate ab intellectu an obiecto intellecto, quia fortè non nisi seipsam inclinat, ꝙ sit formaliter ipsa motio, qua voluntas fertur in bonū, vt bonum cognitum moueat volūtatem in seipsum: hoc simpliciter falsum est. Illa enim inclinatio non est nisi dispositio ad motum: qualis est ab habitu ordinante potentiam ad actū sibi respondentem. Falsum etiam est dicere, ꝙ hæc inclinatio habet virtutem, vt per ipsam voluntas sit vis motiua intellectus & aliarum virtū, ac si dicatur, ꝙ sicut tm̄ ipsos voluntas non habet ex se, ꝙ moueatur, sed solum ab intellectu vel obiecto intellecto, sic nec ex se, sed ex illo habeat, ꝙ mouere possit alias vires, sm̄ quòd super hoc continuò se exponunt cum sequitur. Et illo modo potest dici voluntas mouere alias vires inferiores & superiores quantum ad exercitiū, & esse domina omnium operationum humanarum, quia. s. motio eius, quæ est ab intellectu & bono apprehenso sm̄ actum intellectus factiua est, vt intellectus exerceat operationem, quæ est intelligere dicto modo. Dicendū, quòd isto modo voluntas moueat alias vires etiā superiores, quasi intellectus sit vis superior volūtate, est falsum. Etenim licèt dicta inclinatio ponatur in voluntate ab intellectu, per illam tm̄ non est necesse voluntatem moueri, vt illi volunt, nec per illam habet vim mouendi alias vires, quia voluntas quantuncūque inclinetur ab intellectu, liberè pōt huiusmodi inclinationi contraire & non moueri in id ad quod intellectus inclinat, immò si mouetur & fertur in illud volendo, hoc liberè facit & sua propria virtute. & eadem virtute habet, quòd possit mouere alias vires inferiores, nullam autem superiorem, quia simpliciter superior potentia est voluntas, q̄ sit intellectus, vt alibi declarauimus, & per illam eandem vim voluntas potest seipsam inclinare ad actū suum & seipsa eum elicere, & vlterius alia mouere, & sic esse domina omnium operationū humanarum perfectius q̄ secundum modum illorū, vt sic nullo modo sit necesse poni voluntatem inclinari ab aliquo alio à se. Et sm̄ hoc etiam falsum est quod sequitur. Et ratio appetitus vel voluntas dicitur mouens, motum tm̄ ab appetibili apprehenso. & hæc est vis motiua eius per comparationem ad alias vires vt exerceāt suas operationes mouentes aliud, si sint actiuæ, vel motæ ab alio, si sint passiuę. respectu autem suijpsius non habet vim motiuam nisi per accidens, inquantum. s. mouet intellectum à quo mouetur.

Dicendum est, quòd contrarium verum est, quia voluntas respectu suijpsius habet vim motiuam per se, & mouet se per se, mota autem à se non ab alio, mouet alia à se, intellectum autem prę̄supponit voluntas sicut causam sine qua nō tantùmmodo, vt alibi declaraui. Sequitur. Sicut graue mouens & diuidens aerem à quo defertur, dicitur mouere se per accidens. Dicendum, quòd exemplum hoc si benè respiciatur, multum est contra eos. Graue enim quòd mouetur per accidens à seipso, hoc non est nisi quia graue impellens se deorsum & inueniens aerem sibi resistentem ipsum impellit, & ipsum impulsum successiuè diuidit, & p hoc successiuè & per motum descendit & defertur per aerem inferius, cum tm̄ se per seipsum deorsum impellat, ita quòd si non esset mediū resistens, sed sicut vacuū, subito descenderet ipso immutante seipsum deorsum. & sic licèt per accidens à seipso mouetur, hoc tamen non est nisi quia prius per se à seipso mutat, & ipsum à se mutatū mouet aliud, quo moto ipsum cum illo & in illo mouetur per tempus, quia sine illo per se subito mutaretur & pertingeret eundem terminū per se subita mutatione, quem per aliud attingit motu successiuo. Et sm̄ eundem motū in parte volūtas primo seipsam immutat sm̄ actum volendi, & ipsa immutata mouet intellectū in actus eius exercitium, quo intellectu sic moto, voluntas iterum mouetur sm̄ alium actū volendi, nō aūt ab intellectu mota, quemadmodum graue mouetur ab aere moto, sed à seipsa tm̄, modo materiæ, & non ab intellectu, nisi sicut à causa sine qua non. Secundum quod deficit similitudo de motu grauis & de motu voluntatis, quia graue verè mouetur ab alio per accidens secundò, licèt primo à se per se immutatur, non sic autem voluntas ab intellectu, sed & primò & secūdò per se mouetur à se. Est autem solùmmodo simile in hoc, quòd sicut anteq̄ graue propriè moueat prius

oportet

oportet moueri aerem, ſic anteq̃ mouetur voluntas oportet prius moueri intellectum, licèt intellectus motus non mouet voluntatẽ, ſicut aer motus deferendo mouet graue. Et ſic propriè loquendo graue non mouetur à ſe niſi per accidens, immutatur tñ prius à ſe per ſe, q̃ moueatur à ſe per accidens, voluntas aũt nullo modo aut immutatur aut mouetur, quocunque modo ſumatur mutatio aut motus, ab alio à ſe, neque per ſe neq; per accidens niſi ſicut à cauſa ſine qua non, ſm̃ quòd alibi diffuſius declarauimus. Sequitur. Totus aũt homo qui mouetur per voluntatem, quæ eſt aliquid ſui, dicitur ſeipſum mouere per ſe. Dicendum, quòd re vera quia actus, & operatio omnis vt per ſe agentis, non ſunt niſi ſuppoſiti, & hoc ſiue in creaturis ſiue in Deo, ſecundum quòd alibi declarauimus, ideò benè verum eſt, quòd totus homo mouetur ſm̃ actum volendi per voluntatem, ſimiliter ſm̃ actum intelligendi per intellectũ, & ſm̃ actum ſentiendi per ſenſum, & conſimiliter in cæteris motibus ſuis, quos agit per id quod eſt formale in ipſo, inquantum habet rationes diuerſarũ potẽtiarum quibus non attribuitur actus ſicut agenti propriè loquendo, ſed potius ſicut medio quo agit. Non.n. voluntas propriè vult ipſa voluntate, & ſic de cæteris. Et ſic per ſe dicitur agere & mouere, quia p aliquid ſui, attamen nõ dicitur per aliquid ſui mouere ſic per ſe vt verum ſit dicere ipſum mouere p ſe & non per accidens. Quod enim ſic mouet per ſe, quòd nullo modo per accidens ſic mouet quòd ſe toto primo mouet, non aũt per aliquid ſui, & ſic verum eſt dicere quòd homo moueat ſe & moueatur à ſe, non mediante alio extrà, ſed ſolùmmodò mediante aliquo ſui, vt iam dictũ eſt de motu grauis, vt ſic homo ſit primũ mouens ſe non motũ ab alio, quia id quo mouet ſe primò, vt voluntas, quæ eſt aliquid ſui eſt prima ratio mouendi abſq; motu præcedente in homine ab aliquo alio extra. Quare cum extendimus nomen & dicimus id quo homo mouet aut mouetur, mouere aut moueri, puta voluntatẽ qua homo vult dicimus velle, ſicut ergo voluntas eſt, qua homo vult & dicitur mouere ſe per ſe, conſimiliter dicetur voluntas velle & ſm̃ actum volendi mouere ſe per ſe, aut ſi voluntas nõ ſit prima ratio qua totus homo mouet ſe per ſe, oportet ponere quòd non voluntate mouet ſe per ſe primò, ſed potius illa alia ratione, puta intellectu ſm̃ illos, qui ponunt quòd intellectus moueat voluntatẽ, & ſic homo non mouet ſe per voluntatẽ, niſi quia illa mota eſt ab intellectu, & ſic non p ſe mouet ſeipſum voluntate, ſed potius per accidens & per aliud quod primò mouet voluntatem. Quare cum nec intellectu poteſt dici homo mouere ſe per ſe, ut per aliquid ſui, quia intellectus non mouet niſi prius motus ab obiecto, & eadẽ de cauſa multò minus aliqua alia ui, puta ſenſitiua, nullo ergò modo poteſt dici, quòd totus homo mouetur per ſe, quia per aliquid ſui, & p illud ſeipſum mouere per ſe, niſi illud ſit prima ratio mouendi, ſ. ꝙ mouet non mota. Quare cum etiam ſm̃ illos, ratio illa non põt eſſe ſenſus aut intellectus, & præter illas uires non reſtat niſi uoluntas, totus ergo homo aut nullo modo poteſt dici moueri per aliquid ſui, & per hoc mouere ſeipſum per ſe, niſi uoluntas ſit prima ratio homini qua mouet ſe, non mota, vt per hoc etiam ipſa voluntas dicatur mouere per ſe ſeipſam non mota ab alio prius. Sequitur. Et ideò quodcunque facit, quia non determinatur ad hoc ſm̃ naturam, ſed potius per inuentionem & doctrinam, ipſi imputatur, ſiue bonũ, ſiue malum. Dicendum, ꝙ voluntas ſiue homo nõ determinatur per naturam ad faciendum quod facit, benè verum eſt, ſed ꝙ ad hoc determinatur per inuentionem & doctrinam, hoc eſt per notitiam intellectus propria induſtria acquiſitam, aut alterius inſtructione, quaſi intellectus ſua notitia determinet agenda, ſic vt neceſſe ſit voluntatem velle ſimpliciter & abſolutè ſibi determinatum, aut ſaltem ſub cõditione, ꝙ. ſ. neceſſe ſit eam illud velle ſi aliquid velit, vt, ſ. non poſſit illud nolle, volendo contrarium, hoc omninò falſum eſt ſecundum prædicta, quia pluribus propoſitis ſiue oſtẽſis per intellectum, poteſt velle aliud ab illo quod eſt determinatum. Vnico etiam oſtenſo & illo determinato, ꝙ non poteſt velle aliud, hoc non eſt propter aliquam determinationem, ſed propter nullius alterius oſtenſionem, quemadmodum cum nihil omninò eſt oſtenſum per intellectum, voluntas nihil omninò poteſt velle, non propter aliquã determinationẽ, ſed quia nihil omninò eſt oſtenſum. Quod ergo illi dicunt, ꝙ vno determinato p intellectũ voluntati imputatur ꝙ non vult aliud ſiue aliud ſit oſtenſum ſiue nõ, omninò falſum eſt: immò non debet voluntati imputari ſi volẽdo determinatum non velit contrarium eius, quod eſt determinatum ab intellectu ſub ratione boni, qd tñ eſt malum ſimpliciter. Propter quod ẽt ſm̃ illos imputatur voluntati ſi velit illud, & eſt peccatum cõmiſſionis, quia ſm̃ illos, non oportet eam illud velle ſimpliciter, ſed ſolùm ſub conditione ſi aliquid vellet, & ideò ei meritò imputatur. Quod ſi ſimpliciter oporteret eam illud velle, quod videtur dicere litera illorum ſuperior, qua dicunt: Intellectus autem ſic motus ab appetibili, &c. nullo modo ei deberet imputari. In eodẽ aũt caſu voluntatẽ ſtare, vt non velit contrariũ nec nolit determinatum, neceſſariò eſſet peccatũ omiſſionis ſm̃ illos. & ſic eſſet voluntas perplexa, quia peccaret illud volendo, & peccaret contrariũ non volendo, quod eſt impoſſibile. Standũ eſt igitur in prædictis, ꝙ. ſ. voluntas, quia eſt primum mouens in actũ volendi & nolendi, ſeipſam libere determinat ad faciendũ vel non faciendum, & ideò ipſi ſemper imputatur. Sequitur. Supposito igitur ꝙ omnis virtus paſſiua ab obiecto ſicut ipſa ex determinato obiecto mouetur ad determinationem actus, ita ẽt ex obiecto ſimpliciter mouetur ad actũ ſuũ ſimpliciter, vel ad exercitium ſui actus ſimpliciter.

Dicen-

Dicendum, ꝙ istud simpliciter verũ est, & necessarium. Sicut enim se habet determinatum ad determinatum, sic & simpliciter ad simpliciter. Quod benè declarant in exemplo quod sequitur. Verbi gratia, obiectum intelligibile determinatum, quod mouet intellectum vt hoc determinatè intelligat, mouet eum simpliciter, vt exerceat actum intelligendi. Dicendum, ꝙ verum est, obiectum enim intelligibile determinatum & est intelligibile simpliciter, & est intelligibile tale, quia sic determinatũ, & rõne qua est intelligibile simpliciter mouet intellectum, vt simpliciter intelligat & exerceat actũ intelligendi simpliciter, rõne autẽ qua est intelligibile hoc determinatum, mouet intellectum vt intelligat hoc determinatum & exerceat actum intelligendi hoc determinatum. Et sicut hæc vera sunt ex parte intellectus, sic oportet esse similiter ex parte voluntatis, si ipsa sit virtus passiua ab obiecto volibili cognito, vt videlicet obiectum volibile determinatum quod mouet voluntatem, vt hoc determinatè velit, moueat eam simpliciter vt exerceat actum volendi simpliciter, ita ꝙ sicut intellectus & voluntas mouẽtur ex determinato obiecto ad determinationem actus, ita ẽr ex obiecto simpliciter mouentur ad actus suos simpliciter, quod necesse habent dicere de voluntate sicut & de intellectu, cum non minus ponant eam virtutẽ passiuam, q̃ intellectum, & hoc ab obiecto, & ipsi generaliter dicunt hoc de omni virtute passiua ab obiecto. Sicut ergo sm̃ ipsos intellectus à determinato intelligibili determinatur, vt illud intelligat, & exerceat actum intelligendi circa illud, sic ꝙ nõ possit ipsum non intelligere cũ sic determinatur: cõsimiliter oportet ponere secundum ipsos, ꝙ voluntas à determinato volibili determinatur, vt illud velit, & exerceat actum volendi circa illud. Quod re vera necesse habent dicere ponendo voluntatem passiuam ab obiecto dicto modo, vt sic sm̃ eos quicquid vult voluntas necessariò velit, nec habet in hoc aliquam libertatem aut dñium proprium, quod tñ est incõueniens illis. Vnde nec hoc consueuerunt expressè asserere, sed consueuerunt dicere, ꝙ intellectus per obiectum cognitum & prẽsentatum voluntati actum volendi determinat, dicendo, ꝙ hoc est eligendum simpliciter, ita ꝙ non aliud nec contrarium eius, sed ꝙ voluntas maneat adhuc libera ad volendum illud vel non volendum, ita tñ ꝙ illa determinatione stante nõ posset velle aliud aut cõtrarium, vt q̃is, quantum erat ex se, posset uelle hoc uel aliud, uel contrariũ, tñ propter determinationem factam ab intellectu potest tãtùm uelle hoc & non aliud aut contrariũ, ut iam dictum est supra. Sed hoc dictum eorum ꝙ consueuerunt dicere omninò est inconueniens in seipso. Si enim actus aliquis simpliciter est determinatus alicui uoluntati, nõ solùm sic determinatur ut possit uelle tantùm hoc, ita ꝙ non aliud, sed etiam sic determinatur, ut possit uelle illud, ita quòd non possit non uelle. Aliter enim non esset determinatio actus simpliciter, sicut planè contingit ex parte intellectus in determinatione actus intelligendi, ut patet consideranti. Est.n. alia indifferentia ad uolendum hoc uel non uolendum, pertinens ad quoddam exercitium actus, sicut & illa alia quæ est ad uolendum hoc uel aliud. Non.n. est ratio, quare ꝙ obiectum potius tollatur una indifferentia q̃ alia, ut ꝙ determinetur uoluntas ad uolendum hoc, ita ꝙ non aliud, & nõa determinetur ad uolendum hoc, ita ꝙ nõ maneat indifferens ad non uolendum, ſm ꝙ utraque indifferentia tollitur ex parte intellectus per obiectum, ut patet de se, quia non uelle hoc bonum, alio simul ostenso, si sit uoluntas rationalis non est nisi propter uelle aliud, quia non uelle hoc bonum nec uelle aliud, nõ est uoluntas simpliciter, quia non est uoluntas siue actus uoluntatis nisi boni, nec est mali nisi qa apparet bonum. Multò fortius ergò uoluntas non deserit uelle unum bonum, nisi quia uult aliud, & sic si manet indifferentia quo ad actus de uolendo hoc uel non uolendo, necessariò consimiliter manet quo ad obiecta de uolendo hoc uel aliud, & sic impossibile est ꝙ sit determinatio actus respectu obiecti de uolendo hoc, ita ꝙ non aliud, & maneat indifferentia actus respectu sui contradictorij de hoc uolendo uel non uolendo, sicut impossibile est qđ dicunt, ꝙ libertas est in uoluntate quo ad exercitium actus de hoc uolendo uel non uolendo, nõ autẽ quo ad determinationem actus ad obiectum de uolendo hoc uel aliud, cum utrunque sit quoddam exercitium actus, uel unius circà diuersa obiecta, uel contrariorum circà idem obiectum. Et sic patet ꝙ nulla est distinctio qua dicunt, ꝙ uoluntas pót moueri uel ad determinationem actus uel ad exercitium actus, quia determinatio ad obiectum nihil aliud est q̃ ablatio unius exercitij actus, quæ non potest auferri alia manente, ut est dictum, ut sic intelligamus triplex exercitium in actu uoluntatis. Duplex enim exercitium actus conuenit ei circa seipsam, unum quo ad actus uolendi positiuos diuersos circa obiecta diuersa, cuiusmodi consistit in uolendo hoc uel uolendo illud. Alterum quo ad actus uolendi contrarios circà idem obiectum, cuiusmodi consistit in hoc uolendo uel nolendo, & hæc duo exercitia iam retigerunt. Tertiũ autem exercitium conuenit ei circa uires aliàs in mouendo ipsas ad exercitia suorum actuum, quod etiam tetigerunt iam supra, quo ad modnm mouẽdi in hoc alias uires à uoluntate, qđ repetunt cum sequitur. Si uelimus autẽ dicere uoluntatem motiuã aliarum uirium quantum ad exercitium actus, oportet hoc intelligi dicto modo, ut.l. prẽsuppositis eius motione ex apprehensione boni, in quo est perfectio aliarum potẽtiarum, inest ei quasi uis impulsiua, ut aliæ uires applicentur ad suas operationes si sint actiuæ in mouendo aliud, si sint passiuæ in moueri ab alio. Et est dicendum, ſm ꝙ patet ex iam dictis, ꝙ licet uoluntas habeat uim motiuam aliarum uirium, hoc tamen non fit ſm hunc modum.

dum quem iam repetũt, sed ſm alium prędictum, & prõpter illum habet uoluntas libertatem plenã ſuper actum uolendi ſimpliciter, & ſuper triplex exercitium eius prętactum. Sequitur. Officium.n. volũtatis eſt alias vires excitare ad ſuas perfectiones aſſequendas, & præcipuè intellectum, vt fiat in ſua vltima perfectione, quæ eſt intelligere diuinam eſſentiam. Hoc enim finaliter appetit voluntas, & cum hoc acquirit intellectus, tunc voluntas eſt in ſua vltima perfectione, in qua ſiſtit ſuus appetitus, quia ad perfectionem intellectus finaliter tendit. Dicendũ, quòd verum eſt ꝙ voluntas alias vires & præcipuè intellectum ad ſuas perfectiones excitat, ſecũdum modum quem aſſignauimus, licet non ſecundum modum quem illi cõfingunt. Sed ꝙ hoc finaliter ex parte intellectus appetat voluntas, ſ. ipſius intellectus perfectionem, quæ eſt in intelligendo diuinam eſſentiam, potius q̃ ſuam propriam perfectionem, quæ eſt in diligendo ipſam, hoc eſt falſum. Hoc enim à natura inditum eſt vnicuiq; appetitui ꝙ plus ſuam perfectionem appetat q̃ cuiuſcunq; alterius. & ſic voluntas finaliter appetit ſuam propriam perfectionem, nec eſt in ſua vltima perfectione per perfectionem cuiuſq̃ alterius quouſque ſuam propriam perfectionem adipiſcatur, citra quam nullatenus ſiſtit, & eſt illa multò perfectior, q̃ quæcunq; alia, quemadmodũ perfectius eſt transformari in rem nobilem, q̃ aſſimilari illi, ſecũdũ ꝙ alias declarauimus. Sequitur. Et ideò quia in via vitæ præſentis non poteſt intellectus attingere ſuam perfectionem, nec per conſequens voluntas, propterea ſi in via voluntas, quæ in ſe eſt imperfectior intellectu, debeat altius eleuari, q̃ intellectus, oportet ꝙ hoc ſit per altiorem habitum, vtpotè per charitatem, q̃ ſit habitus intellectus, qui eſt lumen fidei. Dicendum, ꝙ in via præſentis vitę nec intellectus nec voluntas poſſunt attingere ſuam perfectionem, & hoc quia intellectus perfectio conſiſtit in perfecta diuinæ eſſentiæ cognitione, quę non habetur niſi in eius aperta viſione. Perfectio autem voluntatis non conſiſtit, niſi in perfecta eius dilectione, quæ requirit apertã viſionem præcedentem, non vt cauſam propter quam ſit, vt illi intendunt in principio huius clauſulæ, quaſi voluntas ſuam habeat perfectionem non in ſe, ſed in ipſo intellectu, vt iam dictum eſt, ſed vt cauſam ſine qua non. Habet enim voluntas in ſe ſuam perfectionem ſuperiorem perfectione intellectus, ſecundum ꝙ hoc alibi latius declarauimus. Et ſic voluntas in via non ſolùm altius eleuatus per altiorem habitum, q̃ ſit habitus intellectus, ſed & ipſa eſt ex ſeipſa altior potentia & altius elenata, q̃ ſit intellectus, vt ſimiliter alibi declarauimus, ita ꝙ habitus voluntatis, qui eſt charitas, non ſolùm ſit altior, q̃ ſit habitus intellectus in via, qui eſt fides, ſed etiam q̃ ſit quicunque habitus intellectus in patria, & hoc quia perfectione ę quinoca perfectior eſt habitus intellectus in patria q̃ in via, vniuocè autem perfectior eſt habitus voluntatis in patria, q̃ in via, eo ꝙ idem habitus numero voluntatis, qui eſt in via erit in patria, licèt augmentatus, quia charitas nunq̃ excidit. Habitus autem intellectus muratur, quia fides ominò euacuatur adueniente viſione, ſecundũ Apoſtol. primæ Corinth. 13. Sequitur. Et quia voluntas fertur finaliter in perfectionem intellectus ſm ꝙ in illam tendit non ſiſtens in propria perfectione ſua quam habet ex obiecto ſuo, pro tanto dicitur ferri in rem extra. intellectus autẽ ſolùm fertur in perfectionem quam habet ab obiecto proprio. Dicendum, ꝙ hoc totum falſum eſt, ſecundũ ꝙ litera iacet, & contrarium ſimpliciter verum eſt, quia intellectus tendit finaliter in perfectionem voluntatis non ſiſtens in ſua propria perfectione, quã habet ex obiecto ſuo, & pro tanto intellectus tendit finaliter in rem extrà, vt eſt res, voluntas autem ſolùm fertur per ſe in perfectionem, quam hẽt ab obiecto proprio, vt eſt res, & ſi aliquo modo intendit perfectionem intellectus illam intendit ſolùm vt eſt ratio, & hoc per accidens. ſ. vt eam ducat in ſuam perfectionem propriam. Sequitur. Vt ſimilis ſit comparatio intellectus, & voluntatis referendo ipſa ad obiecta propria tantùm quo ad modum eſſendi in obiectorum, quia ſicut intellectum eſt in intelligente non per ſpeciẽ impreſſam, ſed per actum quo intelligitur, qui eſt in intelligente, ita volitum eſt in volente per actum volendi, quo voluntas vult ipſum, qui eſt in ipſo volente, per quem voluntas exiſtens in actu habet vim mouendi alias vires. Dicendum, ꝙ hoc totum eſt falſum, quia omninò eſt diſſimilis comparatio intellectus & voluntatis referendo ipſa ad obiecta propria tm̃ quo ad modum eſſendi in, quia intellectum, vt intellectum ſimpliciter eſſe habet in intelligente & non niſi in intelligente, vt in illo quẽ informat, volitum autem vt volitum nullo modo habet eſſe in volente, ſed potius è conuerſo volens in volito, vt in eo in quod transformatur. Quod autem ſequitur. Sicut intellectum eſt in intelligente, &c. Similiter falſum eſt. Quoniam duplex eſt actus, quidam qui eſt factio, qui non eſt in factente, ſed in re extra, quæ eſt facta, vt illuminatio à ſole in illuminato eſt. Alius eſt actus, qui eſt operatio, qui non eſt niſi in operante, vt in ſubiecto, ſed alio & alio modo in intellectiua vi & in volitiua, quia operatio intellectiua habet eſſe in intellectu quoquo modo ab ipſo obiecto, & ſiſtit in ipſo obiecto vt quo perficitur. Et quia iſte actus ſiue operatio habet eſſe in intellectu ab obiecto per ipſum obiectum, quoquo modo habet eſſe in ipſo intellectu ipſum obiectum. Operatio verò uolitiua habet eſſe in uolente nullo modo ab ipſo obiecto uolito, niſi ſicut ſine quo nõ, fertur autem per ipſum actum uolendi in obiectum, vt in quod transformatur. Et quia iſte actus ſiue operatio non habet eſſe in uoluntate ab ipſo obiecto, ſed potius à ſeipſo ſolo nullo modo per ipſum actũ uolendi habet eſſe uolitũ in uolente, & ſic omninò eſt diſſimile.

Sequi-

Sequitur. Et hæc conuenienter intelliguntur in simili quodam. Suppoſito enim motu locali cordis à generãte, qui eſt primus motus ex ſe in animali, ſicut in toto mundo motus cœli, vis motiua in corde ad apprehenſionem ſenſus habet virtutem, vt ex ea ſequatur motus in quibuſcunque alijs partibus corporis, qui diuerſificatur ſecundum diuerſitatem apprehenſionis, & alterationis primò factæ in corde. Sic enim ad apprehenſionem delectabilis cor mouetur ad pudenda, ſecũdum ꝙ hęc planè traduntur ab Ariſtotele de cauſa motus & progreſſuũ animalium, & in tertio de anima cap. de mouente. Dicendum, ꝙ ſimile hoc quod de corde inducunt pro ſe, ab illa parte: Vis motiua in corde & cętera multum facit pro nobis, pro parte eius præcedente in qua nullam perpẽdunt ſimilitudinem, eſt tamen magna, licèt ſit diſſimilitudo in aliquo in ordine ad habita in ſecunda parte. Similitudo enim eſt in hoc, ꝙ ſicut cor mouetur à generante non ex continua impreſſione facta in ipſo à generante, ſed ex virtute, quam ipſi in prima generatione impreſſit, & motu locali continuò mouetur dilationis, ſ. & cõtrictionis, niſi fortè adſit impedimentum, vt in ſyncopi, quo amoto ſtatim ad ſuum motum reuertitur, licèt non ſecundũ idem indiuiſibile corporis ſit mouens & motum, vt alibi declaraui ſecundum ꝙ dictum eſt ibidem de graui, conſimiliter ad ſeipſam mouendam virtutem quandam naturalem à creante habet voluntas in qualibet ſubſtantia incorporea ceſſante impedimento ſecundum vnum & idem indiuiſibile, in quo differunt motus cordis & voluntatis. Vnde propter illam virtutem dixit Anſelm. ꝙ primus motor voluntatis Deus eſt, quemadmodum etiam graue dicitur moueri à generante. Eſt aũt diſſimilitudo in hoc, ꝙ à virtute motiua localiter in corde non ſequitur motus in alijs membris corporis animalis bruti, niſi illa vis motiua cordis fuerit alterata ad apprehenſionem ſenſus, ſecundum cuius diuerſitatem diuerſificatur cordis alteratio & motio eius localis, & ſecundum alterationis illius diuerſificationem diuerſificatur aliorum membrorũ motio, & eſt cordis illa prima alteratio purè naturalis & inuoluntaria, ſicut & ſequens pudendorũ, ex quo mouentur localiter inordinatè. dicente Philoſopho in fine de motibus animalium, Dico aũt motus inuolũtarios, vt puta qui eſt cordis, & eum qui eſt pudendi, nullus enim dominus eſt horum. Sed qm̃ neceſſe eſt alterari alteratione naturali animalia, vt alteratis partibus moueantur & permutentur natis haberi permutationibus inuicem, cauſa autem motuum caliditas & frigiditas, quæ deforis & intus, & prẽter rationem vtiq; facti ſunt motus dictarum partium, & alteratione ineidente fiunt. A virtute autem motiua in voluntate ad actum volendi ſine omni alia alteratione voluntatis benè ſequitur motus aliarum virtutum & membrorum corporis, & ſic non oportet motum voluntatis diuerſificari per alterationem factam in ipſa ab apprehẽſione intellectus. & per hoc diuerſimodè mouere alias vires & membra, ſed ſecundum merum Imperium ſuum mouet prout vult. Aliter enim eſſet ſimile in motibus naturalibus elementaribus & motibus appetitus ſenſitiui brutalis, ad motum voluntatis, quod abſurdum eſt valde, & multum inconueniens dignitati humanæ. Propter illos enim motus alterationis, vt infra dicetur ſecundum Damaſcen. Bruta in ſuis appetitibus potius aguntur, q̃ agant, intellectualia autem, quia non mouent ſic mota, potius agunt q̃ aguntur. & in hoc omninò deficit ſimile quod adducunt.

Sequitur. Et hac motione voluntatis à bono apprehenſo ſuppoſita debet quæri libertas & dominium ſuarum operationum in homine, qui voluntarius operatur, & libertas, quæ coactionem & neceſſitatem ſimpliciter non patitur. Saluatur enim æquè faciliter iſto ſuppoſito, ſicut ſi ponatur volũtas non mota ab obiecto per ſeipſam à ſeipſa eſſe in actu volẽdi. Si iſtud declaraſſent benè feciſſent: ſed hoc eſt omninò impoſſibile. Dictum enim illorum, vt patet ex iam dictis, omninò libertatem tollit à voluntate, & in eliciendo actum volendi, & in exercendo ſe in actu intelligendi, ſecundum dũo genera exercitij prędicta, licèt in tertio genere exercitij maneat libertas in actione, quam tñ, vt dicunt, non habet voluntas ex ſe, ſed potius ab intellectu, inquantum ſecundum prædicta vim mouendi alias vires habet per hoc, ꝙ in actum volendi mouetur ab intellectu. Et ſic libertatem arbitrij ſimpliciter tollunt à voluntate, & cui non audent expreſsè contradicere, implicitè impugnant, vt ex hoc expreſsè liqueat, ꝙ illi aliud prætendũt & aliud intendunt, aut miſere decepti ſunt.

Ad tertiũ principaliter ſuperius adductum ad quæſtionem, ꝙ potentia actiua eſt principiũ tranſmutationis in aliud, non ergo in ſeipſum: Dicendum, ꝙ in re duplex eſt tranſmutatio (dico quo ad diſpoſitiones naturales natas neceſſariò ſequi rem ſecundum actum) quædam prima quæ eſt à generante, à quo res habet omnes ſuas proprietates naturales, niſi impediens interueniat, quædam ſecunda, quæ eſt à diſpoſitione, quam rei impreſſit generans impeditum ne mediante illa diſpoſitione illam proprietatem poſſet inducere. De potentia actiua primæ tranſmutationis verum eſt, ꝙ eſt principium tranſmutationis in aliud ſecundum ꝙ eſt aliud, ſic. n. à generante graue ſurſum non impedito eſt deſcenſus eius deorſum. De potentia verò actiua ſecundę tranſmutationis nequaquàm. Sic enim à forma grauis ceſſante impedimento, quo quieſcebat ſurſum, graue deſcendit. & p hunc modum voluntas à ſe mouetur, vt ſæpè dixi. Nec eſt differentia in prima tranſmutatione & ſecũda, niſi quòd ſine interuallo temporis in prima res habet ſimul à generante diſpoſitionem dictam naturalem & proprietatem, ſiue tranſmutationem debitam illi. Sed tamen non habet illam tranſmutationem, niſi mediãte illa diſpoſitione, vt illa diſpo-

Ad primum principale.

ſitio

sitio sit illius causa proxima, & generans prima, licèt non attribuatur, nisi generanti propter illam simultatem. In secunda verò per interuallum temporis res habet esse à generante sub illa dispositione, per quam habet esse sub illa transmutatione, & ideò licèt æqualiter mediante dicta dispositione est illa transmutatio sicut prius, tamen non attribuitur generanti, quia propter illud interuallum in se absens est, & sic generatio rei ex hoc, ꝙ per ipsam habetur vis proxima motiua est causa omnis transmutationis naturaliter sequentis illam, siue simul cessante impedimento, siue non simul interueniente impedimento & postmodum cessante. propter quod Philosophus dicit de motibus animalium. Primus motus generationis causa vtique erit & aliorum motuum, fortè omnium. Et sequitur post modica. Primæ autem augmentationis & alterationis motus ab alio fiunt.

Ad quartum prin. Ad quartum, ꝙ subiecta materia cum forma est causa accidentium, vt mater: non ergo vt efficiés: Dicendum, ꝙ subiectum inquãtum subiectum ex se & per se nunquàm est efficiens, per aliquam tñ dispositionem ipsi influxam à generante benè potest se mouere, vt patet de corde, quod motu naturali ordinato semper se mouet per virtutem sibi influxam à generante, & similiter de graui in descendendo, vt sæpè dictum est.

Ad quintum. Ad quintum, ꝙ nulla res seipsam gignit vt sit: Dicendum, ꝙ verum est secundum totum: sic.n. nec per se nec per accidens quicquàm seipsum gignit, quia tunc esset antequàm esset, dicente Philosopho de motibus animalium: Generationis & corruptionis nequaquàm possibile est ipsum causam esse sibi, præexistere enim oportet ei quod mouetur mouens, & generans ei, quod generatur. nihil autem prius est ipsum seipso. Aliquo tamẽ recepto in aliquo, vt in aliqua parte eius quod habet vim generantis primi, benè potest generare seipsum per accidens, vt quoddam totum per accidens vnum compositum ex subiecto & accidente, quale est graue, quia potest motum deorsum, generare autem seipsum per accidens, sed vt vnum ens per se compositum ex materia & forma substantiali omninò est impossibile, quia neutrum illorum secundum communem cursum rerum naturaliũ natum est produci secundum se altero non producto propter impedimentum interueniens, vt sic in altero illorum recipi possit & manere virtus productiua alterius, subiectum autem compositum substantiale est natum secundum se produci & habere à producẽte vim, qua alterum in ipso produceretur, nisi adesset impedimentum, propter quod cessante ipso impedimento illa vi potest producere illud accidens, & sic seipsum per accidens, inquantum est vnum per accidens. s. per alteram eius partem.

Ad sextũ. Ad sextum, ꝙ generans non incidit in idem cũ generato, neque vt totum neque vt pars: Dicendum secundum iam dicta, ꝙ verum est vniuersaliter de generante primo. Et similiter qñ generatum est vnum per se & substantialiter, non autem de generante proximo, & qñ vnũ est per accidens, & iam visa est causa, & hoc per tale accidens, quod non de necessitate consequitur existentiam subiecti propter impedimentum interueniens, sed qđ de necessitate sequitur ipsum, vt subiectum quod est necessitas ad illud accidens cessante illo impedimento, & sic generans ignem calidum, vt generans primum nunquàm coincidit in idem cum genito neque vt pars, neque vt totum. Si tamen generans ignem posset impediri ne ignis generatus esset ex generatione calidus aut manens ignis posset amittere suam caliditatem, sicut aqua potest amittere suam actualem frigiditatem, proximum generans calidum benè posset incidere in idem cũ igne calido generato, vt pars eius, sicut dictum est.

Ad sept. Ad septimum, ꝙ generans & genitum semper distant subiecto & loco: Dicendum secundum dicta, ꝙ verum est vniuersaliter in generato substantiali & de generante primo, non autem in generato accidentali & generante proximo, vt patet ex iam dictis.

Ad octauũ Ad octauum, quod efficit aliquid tale est actu tale, quod fit tale non est actu tale: sed potentia tantùm, ergo &c. Dicendum, ꝙ efficit tale oportet vt sit tale vel formaliter vel virtute. Formaliter quando efficit sicut agens primum vniuocum: Virtute qñ est agens primum vniuersale vel proximum particulare, vt patet ex dictis, & quod sic est in virtute tale non est actu tale, sed in potentia. Quod autem sit actu tale formaliter, & faciat seipsum tale, hoc est omninò impossibile, quia sequeretur (vt arguitur) ꝙ respectu eiusdem idem simul esset ens & non ens tale.

Ad nonũ. Ad nonum, ꝙ ratio siue intellectus in suo actu determinat voluntatem, quia non mouet seipsum in suo actu: Dicendum secundum prædicta, ꝙ nullo modo eam determinat, immò potest agere liberè contra rationis determinationem.

Quæstio. Quod autem quæris ad probationem illius, an ratione existente in apice rectitudinis in illo instãti, in quo est i tali rectitudine, potest voluntas velle oppositum cum effectu: an non: Dicendum, ꝙ simile huic est quærere, an materia existente sub forma aeris, in illo instanti in quo est sub tali forma, potest ignis cum effectu corrumpere formam aeris: Et est dicendum, ꝙ non: non propter aliquem defectum ignis, aut ligamẽ quo ad vim eius actiuam & corruptiuam formæ aeris, sed propter incompossibilitatem partium cõtradictionis, quia in illo instanti, in quo aliquid corrumpitur cum effectu, tunc primo non est. Ponere ergo ipsam corrumpi ab igne in illo instanti in quo est sub forma aeris, est ponere ꝙ posset facere contradictorium esse simul cum contradictorio, super quod nulla potest potentia, non propter aliquam sui impotentiam, sed propter rerum repugnantiam, & ideò si ponitur esse in instãti aliquo, à nulla virtute

etiam

etiam infinita potest corrumpi in illo, simpliciter tamen potest in illo corrumpi, nec tamen potest esse omninò in illo si corrumpatur in illo, nec est illud ponibile, quia repugnat posito, & hoc quemadmodum sedens potest stare in quolibet instanti temporis suæ sessionis, licèt non possit stare dum sedet. Sed quod in aliquo instanti corrumpitur, in toto tempore præcedente fuit, & in illo instanti primum non est, & quod sic potest in aliquid, simpliciter potest.

Responsio. Dicendum ergo ad quæstionem propositam, ꝙ in illo instanti rectitudinis præcedente non potest ratio obliquari cùm effectu, quia hoc esset in eodē instanti ipsam esse & non esse in apice rectitudinis. Voluntas autem volens cum effectu oppositū necessariò obliquaret rationem in illo instanti in quo sic vellet. Et sic dico ꝙ non potest in illo instāti cum effectu velle oppositum, non propter aliquē defectum voluntatis, aut determinationem impossibilitatis ad actum, sed propter rerum incompossibilitatem. Et sic absolutè dico ꝙ in quolibet instanti signato voluntas potest in oppositum, ratione existenti in apice rectitudinis, non cum effectu tamen pro illo instanti, sed pro toto tempore præcedente. Et in illo instanti in quo voluntas vult oppositum, obliquatur ratio, etsi non totaliter excæcatur.

Replica. Solutio. Quod arguitur contra hoc, ꝙ tunc secundum positionem stat ratio in apice: Dicendum, ꝙ falsum est: sed pro toto tempore precedenti. Impossibile est autem simpliciter corruptibile poni esse in vltimo instanti suæ corruptionis, sed solùmmodò in illo non esse habet. Est igitur sciendum, ꝙ aliquid est possibile simpliciter, vt rationem existentem in apice rectitudinis in intellectu humano viatoris obliquari: est tamen alteri incompossibile, vt scilicet obliquetur in eodem instanti in quo stat: sed est simpliciter possibile, quia non transit in instans, in quo non possit obliquari rectitudine præcedente in toto tempore præcedenti. Est autē aliquid impossibile simpliciter, vt apicem rectitudinis hominis beati posse obliquari, non tamen est incompossibile alicui alteri si obliquetur manente in apice rectitudinis intellectu diuino. Est tertio aliquid simpliciter impossibile & alteri incompossibile, vt apicem rectitudinis beati posse obliquari in eodem instanti, in quo stat, & tali modo opponens putat impossibile esse, ꝙ intellectu manente in apice rectitudinis voluntas possit in oppositum cum effectu, quia si intellectus determinaret volūtatem, non solùm esset incompossibile voluntatem posse in oppositum in illo instanti, in quo stat rectitudo: immò esset omninò secundum se impossibile, quod est falsum. Et sic, ꝙ voluntas non potest in oppositum cum effectu, non est propter aliquam impossibilitatem, sed propter solam incompossibilitatem, & hoc non per se, sed solummodò per accidens. Voluntas enim quantum est ex se & ex actu suo sine omni incompossibilitate per se dicta potest cum effectu in oppositum, stante apice rectitudinis intellectus, quia ex se sunt solummodò disparata, non autem repugnantia aliqua oppositione quin possint esse simul in eodem instanti, sicut currere in Sorte & stare in Platone. Quia autem velle oppositum cum effectu necessariò ponit obliquationem rationis, quæ per se opponitur apici rectitudinis, idcircò per illam obliquationem, & ita per accidens contingit, ꝙ voluntas in illo instanti non possit in oppositum: sed per se & simpliciter potest, ita ꝙ cum naturaliter velle oppositum precedat obliquationē, sicut causa effectum, licèt ambo sint simul & in eodem instanti secundum rem, & apex rectitudinis nequaquàm, sed solummodò præcessit in tempore præcedente, cum in signo posteriore habeat esse & fieri illa obliquatio, & in signo priore actus volendi oppositum, sicut secundum naturam vnum precedit alterum, ita etiam ꝙ in eodem signo sunt naturaliter apex rectitudinis, & velle oppositum, inquātum ex se non repugnat naturaliter, licèt secundum rem & effectum non est in eodem signo apex rectitudinis, & velle oppositum, vt dictum est. Et sic sicut ea, quæ sunt simul simpliciter in eodem instanti, sunt tamen in alio, & alio signo, quia non sunt simul natura, sed ordinē habent naturæ, sic ea quæ non sunt simul simpliciter, nec in eodem instanti, sunt tamen simul in eodem signo, quia sunt simul natura, & nullam habēt naturarum repugnantiam, aut ordinem naturę inter se, ita ꝙ quantum est ex se possent esse in eodē instanti.

ad decim. & vltim. principal. Quod arguitur vltimò, ꝙ rectitudo in voluntate non ponit rectitudinem in ratione, quare nec obliquatio obliquationem: Dicendum, ꝙ non sequitur, quia facilius est destruere, quàm construere, eo ꝙ plura ad illud requiruntur. Quemadmodū enim videmus, quòd ad hoc vt operatio, quæ est visio, sit perfecta, duo requiruntur. s. vt sit obiectum perfectè mouens, & virtus intenta: alterum tamen sufficit per suum defectum, vt non sit perfecta, sic ad perfectam rectitudinem intellectus duo requiruntur. s. vt sit obiectum rectè moues & intellectus directè intendens, alterum tamen sufficit vt obliquetur per suum defectum, & ideò voluntas obliqua retrahendo eam ipsam obliquat, recta autem non dat illa duo, & ideò non per se rectificat, etsi aliquid faciat retrahendo ipsam ab obiecto obliquante, per quam retractionem minus est obliqua ta, saltem secundum actum, quia obliquum recipit magis & minus, rectum autem non, quia consistit in puncto.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem Sextam, quæ est,

Vtrum aliquid possit deducere se de potentia ad actum.

IN titulo prænotare oportet, quod omne patiens quatenus patiens dicitur esse in potentia ad passionem illam; Vnde cum intelligere, atque sentire sit quoddam pati, necesse est, vt dicantur intellectus, & sensus potentiæ passiuæ. Videtur autem, quod potentia passiua in hoc differat ab actiua secundum Auer. 4. cœli. c. 2. & 2. de anima c. 52. & 12. Meth. c. 54. Quòd actiuæ non indigent cum exiuerint de potentia ad actum motore extrinseco. passiuæ autem necessariò illud exigere videntur. Et hinc quidem collectum est in præcedenti quæstione, sensum, & intellectum deduci ad actum ab extrinseco motore tùm generante, cùm etiam ab obiecto, ita quod ex se non possunt prorsus in actum exire. Nunc ergo cum voluntas exeat in actum, & obiectum oblatum eligat, illud in quæstionem vertitur vtrum ab hoc ipso obiecto deducatur in actum electionis, an potius à seipsa deducatur de potentia in actum. Propter voluntatem.n. motam esse hanc quæstionem dicit ipse Auctor. Et vt eius verbis vtamur, quæritur, an voluntas facit se in actum volendi prius ab alio motu, & inclinata, sicut intellectus facit, an absque omni motu, & transmutatione præcedente in voluntate ipsa seipsam facit in actum volendi.

Not. autem, quòd tametsi id quærat Auctor, id tamen non resoluit, sed supponit resolutionem ex quæstione quinta noni quolib. vbi id determinatum est, voluntatem, si non moueri nisi seipsa, ita q inter mouens & motum nulla est differentia in voluntate nisi rationis. In decimo autem quolib. quæst. 9. determinatum est voluntatem esse causam suorum accidentium, nempè sui motus. Immò & q substantia sit causa accidentium, si non omnium, eorum saltem, quæ consequuntur necessariò formam, & in aliquibus sola, in aliquibus concursu generantis, & remouentis. Nunc autem in hac quæstione nihil aliud facit Auctor, nisi q obiectionibus respondet contra huiusmodi determinationes. Quantum enim licet colligere, & audiuimus ab alijs verisimilibus, quæstiones huiusmodi inducebat Henricus in Scolis suis secundum occasiones, quæ dabantur illi. Et quidem existimamus quod huiusmodi quæstiones ipse legeret, vt solet dici diebus extraordinarijs, quod Patauij fieri obseruauimus etiam, q in his diebus leguntur etiam quædam extraordinaria à lectoribus quibusdam ordinarijs, vt à Philosophis Metheorologica, audiuimus quondam, de sentibus internis, & alia huiusmodi. Cum ergo superiori anno legisset illam quæstionem decimi, audisse q postea obijci sibi plurima, anno sequenti repetens huiusmodi quæstionem, tametsi sub alio titulo, obiectis omnibus voluit satisfacere. Non est autem, q expectet diligens lector, vt aliquid nos addamus, nisi fortassis inanem retexere velimus orationem, quando satis clarè procedat.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum in substantia intellectuali creata possit esse virtus vna actiua, quæ possit in contraria.

Arg. prin. prim. ex parte intellectus per habitum.

ARCA secundum arguitur q in nulla substantia intellectuali potest esse virtus ad contraria. Primò ex parte intellectus, q nó potest in contraria per habitum aliquem sic, quia quod per se & per suam naturam ad aliquod genus est determinatum & similiter ad speciem, non potest esse ratio repræsentatiua contrariorum, habitus est huiusmodi. ergo &c. Maior probatur, quia omne tale quid potentiale est non natum per se mouere virtutem actualem per aliquid quod est in se. Item quod tale est & alia à se quæ sunt eiusdem generis differunt ad minus per contrarias differentias, propter quod non potest illa præsentare: quare multò minus res aliorum generũ propter maiorem distantiam. Diuersum enim aut contrarium non est præsentatiuum diuersi aut contrarij: impossibile enim est, q aliquid sit expressiuum alterius, nisi habeat in se omnes conditionis eius. Minor scribitur in prædicamentis.

Maior probatur.

Secũdum. Arg. de spe cie.

Secundò sic. illud quod solùm habitrat potentiam ad actum non est ratio elicitiua illius obiectũ præsentando. Non enim habitus artis est ratio intelligendi artificiatum. habitus est huiusmodi: hæc enim est eius natura, ergo &c.

Primum.

Quod similiter non possit in contraria per speciem, arguitur sic, quia si species repræsentaret contraria, vt species alicuius quiditatis id quod est cõtrarium illi, multò magis præsentaret singularia sub illa, & proprietates: hoc autem est falsum, quia ad illa non se extendit species essentiæ speciei. ergo &c.

Quod voluntas non possit in contraria, arguitur: quia ad talia non extendit se natura elementi, ergo à simili nec voluntas.

Secũdum.

Item voluntas potest solùm exire in actum ad præsentiam alterius, quare ad nihil potest ex se, quare neque ad contraria.

In oppos.

Oppositum arguitur per Philosophum 9. Metaphys. vbi vult q potentiæ rationales eædem possunt in contraria: omnis substantia intellectualis est rationalis, & ex parte intellectus, & ex parte voluntatis: ergo &c.

Resolut. q

Dicendum, q posse in contraria: potest intelligi multipliciter. Vno modo ex parte obiectorum, quæ sunt bonum & malum ex parte voluntatis, verum & falsum ex parte intellectus. Et q in talia cõtraria ex se possit omnis substantia intellectualis: clarum est & per voluntatem & per intellectũ. Potest enim homo per voluntatem velle bonum & velle malum: licèt non malum, nisi sub apparẽtia boni. Potest etiam intellectus intelligere verũ, & falsum tàm speculabile, quàm operabile, licèt non falsum, nisi sub apparentia veri.

Alio modo intelligitur posse in cõtraria ex parte actuum circa obiecta contraria, vt fugere malum, & consequi bonum ex parte voluntatis: assentire veritati, & dissentire falsitati ex parte intellectus.

Et hoc

Et hoc modo etiam clarum est, ꝙ possunt in contraria. Sed hoc non est verè posse in contraria: sed in actibus substantiæ intellectualis per voluntatem, aut intellectum verè posse in contraria intelligitur in actibus contrarijs circa idem obiectum: cuiusmodi ex parte voluntatis sunt fugere, & non fugere, consequi & non consequi idem. Similiter ex parte intellectus assentire & non assentire, dissentire, & non dissentire eidem. Hoc ergo modo intelligendo contraria.

Responsio. Dico ꝙ omnis substantia intellectualis potest in contraria: sed sola voluntate, quia ipsa sola libera est, & à nullo determinabilis aut determinata, nisi à summo bono principaliter intellecto, secundum ꝙ hoc de voluntate alias declarauimus sufficienter.

Ad primũ princip ex parte intellectus. Per intellectum autem non potest in contraria, quia ipse sic determinatur quantum est ex se per verum, vel apparens verum, vt nullo modo possit ab eo dissentire: sed necesse est ei assentire. Similiter per falsum, aut apparens falsum, vt nullo modo possit ei consentire: sed necesse est ab eo ipsum dissentire, & si aliqua quandoque adsit ei facultas assentiendi ei quod sibi apparet falsum, vel è conuersò dissentiendi ei quod sibi apparet verum, hoc solùm potest per dominium & libertatem voluntatis, ita ꝙ libertas voluntatis non depẽdeat ab intellectu, vt aliqui volunt dicere: sed magis è conuersò. Similiter nec aliqua virium appetitiuarum: puta irascibilis, aut concupiscibilis, siue fuerit sensibilis siue intellectualis, quia seipsas ad actus suos non determinant, nec in seipsis est refrenare executionem: sed est ex parte voluntatis in homine, quia vis volitiua est superior vt irascibili & concupiscibili, & de se libera.

Quod ergo arguitur ꝙ substantia intellectualis non potest in contraria per intellectum quo ad obiecta contraria: falsum est hoc: sicut & de voluntate, & secundum hoc procedit vltima ratio, quia aliter posse in contraria, q̃ contrarietate obiectorum vel actuum circa ipsa, non intelligit Philosophus potentiam rationalem cognitiuam posse in contraria, & quod magis est: nec volitiuam. Ponebat enim (vt videtur) voluntatem inclinari per intellectum & necessitari in actum suum quo ad velle & executionem operis: si adsit facultas, quia vt dicit de motibus animalium: Quomodo autem intellectus quandoque operatur, quandoque non operatur, aut etiam mouet quandoque, quandoque aũt non mouet: vr̃ similiter accidere syllogizanti; cum.n. duas propositiones intellexerit, & conclusionem intellexit & composuit. Hęc autẽ ex duabus propositionibus conclusio fit operatio, secundum ꝙ alibi declarauimus, & similiter ostendimus ꝙ illud non est verum: sic enim non plus posset in oppositum, quàm appetitiua sensitiua. Et est tota ratio quare potest in verò, contraria, quia scilicet est suipsius volitiua & ad actionem determinata.

Quod autem arguitur primò, ꝙ per habitum non potest intellectus in contraria, quia est determinati generis: argumentum hoc & alia duo sequentia quærunt per quid intellectus intelligit cũ sit virtus passiua & non intell. per suam speciẽ. Et conantur aliqui conuincere, ꝙ per species rerũ intellectui impressas, vt earum similitudines, quæ sunt verissimè expressiuæ rerum, & simillimæ eis, qd̃ nituntur probare auctoritatibus Philosophorum, quia dicitur in libro de causis, ꝙ omnis intelligentia plena est formis, qd̃ nõ oportet aliter exponi, q̃ de formis, & essentijs rerũ, quæ intellectui intelligentiæ prę̃sentantur, & sunt in ipso vt cognita in cognoscente, sed quia seipsis præsentari non possunt, quia non subsistunt in se extra singularia, nec inhærent intellectui, oportet ꝙ præsententur per aliquid inhærens illi si naturaliter præsententur. Vnde dicunt ꝙ prę̃sentantur per rerũ species.

Per habitũ

Quod ẽt confirmant per Philosophum, qui dicit tertio de anima ꝙ intellectus est locus specierum: quod verissimum est: sumendo species sicut formas & pro formis. Locus.n. debet esse separatus à locato & è conuersò, & species expressæ, separatæ sunt ab intellectu inquantum huiusmodi, non sic aũt species inhærens. Vnde de esse talis formæ vel speciei in intellectu, dicit expresse Commentator super 11. Metaphys. Balneum duplex habet esse, vnum in intellectu, alterum in materia, & nisi esset materia balnei verum balneũ esset in anima, & esset eadem forma principium motus desiderij & finis. Constat autem ꝙ etsi ita esset, ꝙ tamen nullo modo balneum in anima esset forma, vel species ei impressa, quia illa non eadem est forma cum illa, quæ est in anima. Et sic propter illa dicta non oportet ponere alias species in intellectu, q̃ ipsas formas, quæ sunt ipsa intelligibilia.

Nobis autem videtur, ꝙ inhærens per quod prę̃sentetur obiectum sit habitus, qui ęqualiter imprimitur ab obiecto sicut & species & actus. Eadem enim quo ad hoc est ratio speciei, habitus & actus. Sed quia actus non est manens, ideò ei non potest attribui præsentatio: alijs autem duobus æqualiter attribui potest, quia ab eodem in nobis, scilicet ab obiecto intelligibili formãtur, & virtutem eius retinent ad ipsum præsentãdum, quemadmodum idem natum est præsentare seipsum. Sed hoc non sic intelligendum, vt ante primum actum intelligendi aliquid inhærẽs intellectui nostro proponatur vt intelligibile intellectui, & illo moueatur in actum intelligendi, quemadmodum præsentatur per phantasiam in primo actu intelligendi: sed vt id quod impressum est intellectui per primum actum intelligendi, quem elicit solùm obiectum virtutem eius retinens, inclinet intellectum ad determinatum actum intelligendi terminatum ad certum obiectum, & præsentet obiectum, quod quidem inclinans proximum est ipse habitus, & habet in se vim præsentatiuam solus omnium obiectorum à quibus impressus est.

Ex hoc enim tenet vim illorum: nec aliâ vim haberet ſpecies & ſuperfluum eſt ponere aliquid fieri per duo cum poteſt fieri per vnum, quia cum ſecundum omnes neceſſe eſt ponere habitus ad inclinandum, & non niſi inclinando poteſt quodcunque ſit illud præſentare: ſuperfluum ergo eſt ponere ſpecies in intellectu ad præſentandum obiecta aliàs ab habitu.

Sic ergo licèt ſecundum ꝙ procedit prima ratio, habitus ſit res determinati generis, & quo ad hoc ſolùm eſſet ſuijpſius præſentatiuus & hoc tanquàm aliquid intelligibile inclinans intellectum per aliquam diſpoſitionem, quam ei imprimit ad actum intelligendi ſeipſum, tamen vt habet virtutem cuiuslibet à quo impreſſus eſt, non minus habet vim præſentandi quàm ſpecies, nec eſt minus ſpiritualis res, nec plus eſt de prædicamento habitus quàm ſpecies, ambo enim ſunt aliquid in anima reale, de potentia eius educta, vt habitus vnus ſcientialis repreſentet omnia ſcibilia in ea quo ad eorum quiditates & eſſentias. Domus enim in materia producitur à domo, quæ manifeſtatur in arte artificis, vt non ſolùm habitus ſcientialis habilitet potentiam ad actum, ſed etiam repreſentet actum. Licèt enim illud ſit ei commune cum alijs habitibus, hoc tamen eſt ei proprium ratione qua eſt habitus cognitiuus. Eſt igitur ſciendum ꝙ habitus ſcientialis dupliciter habet conſiderari. Vno modo ſecundum id quod eſt aliquid de genere entiũ diſtinctum ab alijs, & ſic vt obijcitur eſt quid potẽtiale non determinatiuum, ſed tantùm inclinatiuũ ad actum abſq; omni ratione preſentandi aliquid, ſicut ſunt habitus partis appetitiuæ, in quo conuenit cum eis. Alio modo vt eſt formatus à re intelligibili, vt notitia eius habitualis, & ita vt eius ſimilitudo per quam habet relationem ad intelligibile ſicut ſcientia ad ſcibile, & ſecundum hoc à nullo genere entium diſtinguitur, ſed eſt quodammodo omnia entia ſcibilia per illum, quemadmodum ſcientia eſt quodãmodo omnia ſcibilia per ipſam, & ſecundum hoc eſt omnium præſentatiuum, non ratione alicuius contrarietatis aut diſparationis, ſed veræ ſimilitudinis. Et ſic habitus ſcientialis de prima ſpecie qualitatis inquantum ipſemet ſcibile quoddam eſt & imprimitur à ſeipſo, repreſentatiuus eſt ſuijpſius. Similiter inquantum qualitas de ſecunda ſpecie qualitatis, ſimiliter de tertia, & de quarta, & ſimiliter res quæcunque cuiuslibet alterius prædicamenti, inquantum eſt ſcibilis per illum, & vt obiectum intelligibile impreſſiuum illius, repreſentari habent æqualiter per illum ſecundum iam expoſitum modum. Ille autem qui has rationes inuenit, reſpexit ſolùm ad primũ conſiderandorũ circà habitũ ſcientialem & nõ ad ſm.

Argumentum in oppoſitum ꝙ ſpecies vna non præſentat contraria, mihi videtur concedendum: eſt enim idem habitus ſcientialis cõtrariorum potius quàm eadem ſpecies. *Ad arg. de ſpecie.*

Ad primum ꝙ voluntas non poteſt in contraria, quia nec natura elementaris, patet ꝙ non valet, quia illa eſt limitata per naturam, voluntas autem à nullo limitata eſt aut determinata. *Ad primũ*

Ad ſecundum, ꝙ licet voluntas non poſſit in ſuum actum, niſi ſuppoſito actu intellectus, quia tamen intellectus nullam determinationem, nullamque neceſſitatem imponit voluntati reſpectu ſui actus idcircò non obſtante, ꝙ intellectum præſupponat, benè adhuc poteſt in contraria. *Ad ſecundum.*

Comment. in Quæſtionem Septimam, quæ eſt,

Vtrum in ſubſtantia intellectuali creata poſſit eſſe virtus vna actiua, quæ poſſit in contraria.

IITVLVS intelligi non rectè poteſt, niſi de quibus contrarijs intelligat, aperiatur. Cæterum quoniam in corpore id fit, nè inanis fiat repetitio, manifeſtemus ꝙ habet in corpore. Not. autem, ꝙ per ſubſtantiam intellectualem intelligit tùm intellectum, tùm etiam voluntatem.

In corpore igitur habita diuiſione de poſſe in contraria, itemque ſubdiuiſione, tribus concluſionibus videtur ſatisfieri quæſito, quæ omnia ad hanc formam reduci poſſunt.

Poſſe in contraria intelligitur vel

- *Ex parte obiectorum contrariorum, vt bonum malum, verũ & falſum.*
  - *Prima concluſio.* Omnis ſubſtantia intellectualis poteſt in contraria.
- *Ex parte actuum, & hoc vel*
  - *Circa obiecta contraria.*
    - *Secunda concluſio.* Omnis ſubſtantia intellectualis poteſt in contraria.
  - *Circa idem obiectum.*
    - *Tertia concluſio.* Volũtas principaliter, ĩtellectus verò mediante volũtate põt in contraria.

In prima concluſione not. ꝙ de voluntate patet, quia põt eligere bonum, & põt ẽt eligere malum, quę ſunt obiecta contraria. ſic intellectus põt intelligere verum, & illi aſſentire, atq; ẽt intelligere falſum, et pariter aſſentiendo. ſciendũ tñ, ꝙ dum voluntas eligit malum, non eligit illud ſub ratione mali, ſed ſub ratione boni. ſic dum intellectus aſſentit falſo, non aſſentit ei ſub ratione falſi, ſed vtique ſub ratione, & imagine veri. Quod vltra Auctorem dicunt oẽs & Philoſophi, & Theologi.

In ſecunda concluſione not. ꝙ hoc intelligitur, cum voluntas eligit. v. g. eodẽ actu bonum, v. reſpuere malum, & è contra. ſi intellectus dum aſſentit veritati, diſſentit ſimul ipſi falſitati & è contrà, ſed hoc, vt dicit Auctor, non eſt proprie poſſe in contraria, vt manifeſtum eſt.

In tertia concluſione, quæ maximè propria eſt, & reſponſiua quæſito, quippè iuxta membrum ſubdiuiſionis, vnde naſcitur, præcipuè intelligitur quæſtio, & qõnis titulus. Probatur de voluntate, qđ ita poſſit in contraria. Quod a neutro contrariorum determinatur, in idẽ põt per contrarios actus, ſed volũtas à nullo determinatur, ſiquidem libera prorſus eſt. Probatur,

Probatur

Probatur de intellectu, quòd non possit ex se; quod determinatur ab aliquo contrariorum, & quòd ab eo recedere non potest, non potest in idem per contrarios actus, sed intellectus determinatur a vero, ita quod non potest ei non assentire, siue sit reale, siue sit apparens. Igitur &c. si ergo potest, potest tantùm voluntate.

Not. ꝙ cum voluntas libera sit, vt alibi dictum est, potest idem bonum velle, & etiam non velle, sed hoc certè, quantum nobis videre licet, hoc non est posse in contraria, sed potius in contradictoria. dicuntur tamen contraria, quia velle, & non velle videntur esse voluntatis actus reducibiles ad terminos positiuos.

In responsione ad primum tangitur quæstio de speciebus, pro qua vide ea, quæ alibi dicta sunt, in primo, & quarto quolib.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum verus dolor sit ex sola immutatione per apprehensionem, an ex alia immutatione reali.

Arg. prim. Circa tertium arguitur ꝙ dolor verus ex sola apprehensione procedit, quia aut procedit ex illa, aut ex immutatione reali, quæ fit per abiectionem contrarij. ab ista autē immutatione reali non potest procedere, quia ipsa impedit perceptionem eo ꝙ impedit sensum: ex hoc ꝙ sensibile positum supra sensum, secundum Philosophum 2. de anima, nullum facit sensum, immò potius impedit ipsum ne fiat, & ita dolorem, eo ꝙ nō est nisi cū perceptione, quia insensibilia licèt realiter immutant omninò tamen nō dolent: ergo &c.

In oppos. Contra. ad immutationem, quæ per se delectat nullo modo sequitur dolor, quia cum dolor sit cōtrarius delectationi, tunc ex eodem actu sequerētur duo contraria: quare cum omnis apprehensio vt visio, intellectio, & quæcunque alia per se delectat: ergo &c.

Responsio. Dicendum de dolore sicut & de quacunq; alia animi passione, quæ pertinet ad tertiam speciem qualitatis, ꝙ sequitur ex duplici radice: prima scilicet & proxima. Radix prima passionum, quæ ad fugam pertinent, vt sunt dolor & timor, est immutatio corruptiua siue offensiua dispositionis naturæ conuenientis. Et hoc vel iam assistens, vt in dolore, vel quæ iam imminet, vt in timore. Et hoc quemadmodum è contrariò radix prima passionum, quæ pertinent ad immutationem, cuiusmodi sunt delectatio & spes, est immutatio inductiua & saluatiua dispositionis naturæ cōuenientis, & hoc vel iam assistens, vt in delectatione, vel quæ iam imminet, vt in spe. Propter qd dicitur ꝙ delectatio est coniunctio conuenientis cum conuenienti, & è contrariò, ꝙ dolor est coniunctio disconuenientis cum disconuenienti. Dicente Auicenna in fine 8. Metaphys. Scias ꝙ delectatio cuiuscunque virtutis plena est perfectionis suæ acquisitio, & id est sensui sensata conuenientia, & iræ vindicta, & spei consecutio, & vnicuiq; rei id quod est ei proprium & animæ rationali ipsum fieri secundum intelligibile in actu. Et lib. 9. Quia delectatio voluptatis & bonitas eius est vt perueniat ad eam qualitas sentibilis cōueniens aliqua ex quinq;. Delectatio irę est victoria, & delectatio ęstimationis est fiducia, & delectatio cōseruatiuæ est recordatio rerum conuenientium. Non vniuscuiusque eorum est id quod contrarium est ijs, sed omnes cōueniunt in vno communi, in percipere quod suum conueniens est & sibi aptum est. Vt n. dicit Philosophus, 10. Ethicorum, Similibus existentibus & adinuicem secundum eundem modum habentibus passiuo & factiuo, idē aptum natum est fieri, scilicet vt dicit Commentator, delectationem in operationibus. Vbi clarior est alia translatio, quæ dicit sic, Quoadusque durauerint sensibile & intelligibile, secundum ꝙ oportet erit delectatio in actione, hoc est quandiù durauerint agens & patiens similia, & fuerit relatio cuiusque eorum ad suum compar secundum dispositionem vnam. Radix verò proxima omnium talium passionum est illius immutationis apprehensio. Apprehendens enim per talem immutationem iam inesse delectatur si est conueniens, & dolet siue tristatur si est disconueniens. Et quia apprehensio est virtutis cognitiuæ, quæ non percipit, nisi quod fit in seipsa, vel in organo quo operatur, & hoc per suam actionem cognitiuam, quæ non excedit virtutem cognitiuam aut organum eius: ideircō passio non est nisi ex immutatione in ipsa virtute cognitiua, aut organo eius. Propter quod ex immutatione, quæ fit in ossibus & alijs non sentientibus in animali nullus consequitur dolor, quia illa nullo modo apprehenditur. Est autem hæc dispositio naturę conueniens aliter in viribus sensitiuis & aliter in viribus intellectiuis.

Dispositio enim conueniens in viribus sensitiuis attenditur & ex parte organi, non ratione qua est corpus naturale simpliciter, nec tōne qua animatum siue viuens simpliciter per substantiam animæ, & vt in ipso operatur actum primum, qui est esse siue viuere, quod est esse, neque ratiōne qua est viuens vita vegetatiua & organica ad operationes vegetatiuæ, sed ratione qua est organicum sensitiuum animatum, potentia animæ sensitiuæ, & vt in ipso operatur actum secundum, qui est sentire siue viuere quod est sentire. Et est illa dispositio ex parte organi media quędam ratio & proportio suorum sensibilium propriorum cōtrariorum, in potentia vtrunque, & actu neutrum existens: aliter enim illorum non esset susceptiuum. si enim esset actu alterum, non esset susceptiuum per secundum genus immutationis prædictæ alterius contrariorum.

Secundum hoc enim ſuſceptiuum coloris eſt non color, & ſoni aſonum, & ſic de cæteris, ſuo tamen ſemper modo licèt diuerſo in alijs & alijs ſenſibus & ſenſibilibus. Per hunc enim modum intellectus poſſibilis, vt omnium formarum materialium ſit ſuſceptiuus nullam illarum ex ſe habet actu, ut determinat Philoſophus in prĩcipio tertij de anima. Diſpoſitio autem in viribus ſenſitiuis ex parte animæ eſt, quòd ipſa per diuerſas potentias eſt contẽperata diuerſis organis, & per hoc quodam miro modo media proportio contrariorũ ſenſibilium. In viribus autẽ intellectiuis illa diſpoſitio naturæ conueniens attenditur non ex parte organi, niſi in nobis fortè per accidens, quia vis intellectiua non eſt organica, ſed ex parte virtutis ſolùm, & eſt in ipſis viribus talis diſpoſitio media ratio & proportio cognoſcibilium qua percipiuntur ſcibilia, tàm ſpeculandorũ, quo ad intellectum ſpeculatiuum, q̃ agendorum & q̃ faciendorum, & hoc quo ad intellectum practicum. Quę quidem diſpoſitio duplex eſt, & naturalis indita naturaliter animæ in ſuis potentijs, & accidentalis ſuperueniens per habitus in potentijs animæ acquiſita.

Eſt autẽ aduertendum primò quomodo dolor contingit in viribus ſenſitiuis: Deinde quomodo in intellectiuis, & iuxta hoc de alijs paſſionibus cõ ſimiliter. De primo ſciendum ſecundum aliquos, quòd licèt duæ ſint radices doloris prędictæ. ſcilicet immutatio corruptiua & eius apprehenſio, ſola tñ apprehenſio ſufficeret ſi poſſibile eſſet eã eſſe ſine illa immutatione talẽ qualis eſt cum illa, ſic etiã ꝙ multò maior eſſet dolor ex ſola apprehenſione, quemadmodũ fit in viribus intellectiuis, qđ procul dubio verũ eſſet quòd illa immutatio pro quãto corrumpit proportionẽ, pro tanto adimit ſiue diminuit ſenſum ſiue apprehenſionem, & per conſequens dolorem, ita ꝙ ſi fieri poſſet immutatio illa qua fit apprehenſio quam ſequitur dolor, abſque temperamenti corruptione, quod eſt in virtute, & in organo, integra & perfecta fieret apprehenſio, & ideò perfectiſſimus ſequeretur dolor. Et ponunt aliqui ꝙ poſſibile eſt ita eſſe, & ꝙ tali modo cruciabuntur ſecundũ corpus homines damnati, quia corpora eorum erunt incorruptibilia, vt infra dicetur: paſſibilia tamen. Dicunt enim, ꝙ ignis inferni eſt ardentiſſimus attingens carnes eorum, nec comburet eas, nec immutabit reali immutatione ſecundum primum genus immutationis ſuperius expoſitæ, quæ fit per contrarij abiectionem, ſed manebunt caro, vt medium ſecundum tactum, & neruus, vt organum in ſuo naturali temperamento ſine calefactione, immutabit tamen ea ſecundo genere immutationis per ſpeciem intentionalem caloris, ac ſi arderent & ſummè calefierent.

Organo autem ſic immutato per ſpeciem caloris, immutabitur exceſſiuè vis tactiua ſenſatione tactiua: ad quam ſummus ſequetur dolor. In nobis autem pro ſtatu vitæ præſentis, quia nõ poteſt naturaliter ſenſum ſic exceſſiuè immutare, niſi calefaciat medium & organum realiter, non ſolùm intentionaliter, & ſic corrumpit proportionem, qua impeditur tàm exceſſiua apprehenſio, ideò impoſſibile eſt in nobis ſequi tàm exceſſiuum dolorem Sed quomodo hoc poſſit fieri naturaliter, non video. Si enim in tali immutatione nulla fiet omninò abiectio penès primum genus immutationis, in tali apprehenſione nihil percipietur naturaliter, niſi ſenſibile ſub ratione qua eſt ſenſibile, ſub tali autem ratione non eſt niſi ſalubris & conueniens naturæ ſicut ſalus eius. Ex perceptione autem conuenientis & ſalubris inquantum huiuſmodi nõ dolor ſequitur naturaliter, ſed delectatio tantùm. Quare ſi hoc modo ignis affligit corpora damnatorũ, non naturaliter ſed modo quodam ſupernaturali & miraculoſo affligit ea: ita ꝙ ſi miraculum huiuſmodi ceſſaret: nullo modo affligeret ea, ſicut ſi corpora glorioſa eſſent in igne inferni, & dicto modo immutarentur per ſecũdum & tertium modum immutationis, quales poſſibile eſt fieri in ipſis ſecundũ ſenſus omnes, qui erunt in ipſis perfectiſſimi, nullo tamen modo ab igne illo affligi poſſent. Si ergo ſecundum fidem oporteat ponere, ꝙ corpora damnatorum ab illo igne affligẽtur purè naturaliter quantum eſt ex parte ipſorũ corporum afflictorum, vt verè paſſibilia, quàmuis ſint incorruptibilia, aliter enim fruſtra eſſent verè paſſibilia naturaliter, quia nunquàm paterẽtur naturaliter, nec etiam omninò paterẽtur calefactionem aut infrigidationem, ſed ſolùmmodò ſupernaturaliter dolorem, qui natus eſt huiuſmodi immutationes concomitari naturaliter, & ſic nõ propter temperamentum manens in ſenſibus aut ex ipſo actu ſentiendi vllo modo ſequeretur ille dolor, ſed à Deo immediatè imprimeretur, nec ad hoc vllo modo neceſſarius eſt ignis, aut immutatio vlla penès ſecũdum genus immutationis factæ ſecundum rem & veritatẽ, & apprehenſione non decepta, licèt apprehenſione cum perceptione decepta poſſet verus dolor cauſari ab igne, quemadmodum cauſatur in dormientibus ſomniantibus ſe comburi ab igne, ſecundum ꝙ dicit Auguſtinus 12. ſuper Geneſim ad literam: Dicendum eſt igitur, ꝙ nullo modo naturaliter poteſt cauſari dolor niſi adſint illæ duæ radices, & neutra ſufficit ſine altera. Inanimata enim immutantur immutatione corruptiua, ſed non dolent, quia nihil ſentiunt ſiue apprehẽdunt per ſenſum, animata autem ſenſitiua, ſi non ſint immutata, etſi apprehendunt ſua obiecta ſenſibilia, non dolent, quia non apprehendunt immutationem corruptiuam ſeu læſiuam.

Eſt igitur ſciendum, ꝙ circa apprehenſionem ſenſitiuam eſt conſiderare duo, vnum. ſcilicet ipſum actum apprehẽſionis, & alterum, ſcilicet ipſam perceptionem, quæ annexa eſt apprehenſioni. Ex actu apprehenſionis inquantum eſt apprehenſio, ſi intelligatur ſeorſum à perceptione, nunquàm ſequitur dolor: ſed potius delectatio, vt dictum eſt. Ex actu autẽ perceptionis ſeorſum conſideratæ, ſequitur omnis

dolor:

dolor: non tamen potest esse sine apprehensione, vt secundum hoc apprehensionem sequitur dolor vt causam sine qua non: perceptionem autem vt causam propter quam sit, & sic ad actum apprehẽ sionis inquantum includit in se perceptionem, sequitur dolor non ratione apprehensionis, sed ratione perceptionis. Et q̃q̃ secundum vsum cõmunem sermonis de apprehensione loqui solemus vt includit perceptionẽm: differunt tamen, quod discernimus ex differentia obiectorum, quoniam proprium & per se obiectum apprehensionis sensitiuæ est ipsum sensibile, vt visionis color vel lux, auditionis sonus: tactus tãgibile, & sic de cæteris. Obiectum autem proprium perceptionis sunt intẽtiones circa sensibilia vel circa intelligibilia, quę quidem intentiones sunt per se causa passionum doloris, delectionis & huiusmodi. Illæ enim intentiones important rationem conuenientis vel discõuenientis & habent in se vim illarum rerum circà quas sunt ad commouendum passiones: dicente Philosopho de motibus animalium. Alterant phãtasiæ & sensus & meditationes, phantasia aũt & intelligentia habent rerum virtutem, aliquo enim modo species intellecta calidi aut frigidi aut delectabilis aut tristabilis talis existit qualis quidem & rerum vnaquæque. Propter quod tremunt & timent intelligẽtes solùm. hæc autem omnia passiones & alterationes sunt. & infra. Intellectus enim & phantasia sicut dictum est prius factiua passionum: species enim factiuorum afferunt, quę re vera tantò magis sunt factiuę, quantò fortius imprimuntur & intensius magis, quia per hoc assimilãt sensum rei, quæ sentitur. ad quod maximè operatur appetitus, qui vt dicit Augustinus. 11. de Trinit. cap. 2. habet vim copulandi hæc duo, vt & sensum formandum admoueat rei quæ cernitur, & in ea formatum teneat. & si tàm violẽta est vt possit vocari libido, etiam cæterum corpus animantis vehementer afficitur. Et vbi non restat pigrior duriorque materies, in similem speciem colorem que commutat. Licèt videre corpusculum Cameleontis ad colores quos videt facillima conuersione variari. Aliorum autem animalium, quia non est ad conuersionem facilis corpulentia, fœtus produnt plærunque libidines matrum, quod. s. cũ magna delectatione conspexerint. Quàm. n. teneriora atque formabiliora sunt primordia seminum, tàm efficaciter consequuntur intentionem animæ maternæ, & quæ in ea facta est phantasiam per corpus quod cupidè aspexit. Vbi dat exemplum in ouibus Iacob. Nam vt dicit cap. 4. interdum homines nimia cogitatione rerum visibilium vel illecti, vel territi, ẽt eiusmodi voces repente ediderunt, quasi re vera in medijs talibus actionibus vel passionibus versarentur. vbi dat exemplum de abstracto à sensibus exterioribus conuerso ad interiorẽ imaginationem, qui mulierem imaginatã interius verã mulierem extra existimauit, vt & ei se misceri sentiens etiã genitalibus flueret. Ex quo patet, ꝙ eandem vim immutandi, quã habet res vt est existens extra, habet vt est imaginata vel intellecta. & ipsam vt est imaginata vel intellecta appellat Philosophus speciẽ factiui, cuius habet factiuam virtutem. Non ergo hic appellat id quod organo est impressum speciem factiuam: sed potius rẽ imaginatiè vel intellectualiter, vt obiectum apparens in actione imaginandi aut intelligendi, quod est forma siue species non impressa: sed expressa. Vnde Augustinus vbi supra de auersis à sensibus & conuersis ad ea, quæ intus imaginantur dicit sic. Tãta effunditur similitudo speciei expressa ex memoria, vt nec ipsa ratio discernere sinatur, vtrum foris corpus ipsum videatur, an intus tale aliquid cogitetur: nam interdum homines, &c. vt supra. Formatur autẽ ipsa forma expressa in imaginatiua ab ipsa forma, siue specie impressa in memoria, vt à memoria per speciẽ sibi impressam nihil formetur in imaginatiua nisi operatio imaginandi, terminata ad illam speciem expressam. Hinc dicit Augustinus ibidem. Interdum ita contingit vt cogitatione occupata se voluntas auertat à sensibus, atq; ita formet animi aciem varijs imaginibus rerum sensibiliũ, tanq̃ ipsa sensibilia sentiantur, non tm̃ autẽ cum appetendo in talia voluntas intenditur: sed etiã cum deuitandi & cauendi causa rapitur animus incontuenda ea quæ fugiat. Vnde non solũ cupiendo, sed etiã metuẽdo informatur vel sensus ipsis sensibilibus vel acies animi informanda ipsis imaginibus sensibilium. Ita vt metus aut cupiditas quantò vehementior fuerit tantò expressius formetur acies, siue sentientis ex corpore quod in loco adiacet, siue cogitantis ex imaginatione corporis, quæ memoria continetur, & sic ꝙ perceptio mouet non est nisi per accidens, quia affert motiuum. Vnde dicit ibidẽ Philosophus. Videmus mouentia animal intellectũ & phantasiam. Etenim phantasia & sensus & intellectus eundem locum habent: iudicatiua enim omnia, quare mouet primũ quod appetibile & qđ intellectuale, non autẽ omne: sed qđ operabilium finis. quod quidẽ primũ non motũm mouet, appetitus autem & appetitiuum motum mouet: vltimum autem motorũ non est necesse aliquid mouere.

Intentiones autem dictæ conuenientis vel discõuenientis dupliciter possunt percipi puta intentio nociui. Vno modo sub ratione nociui imminentis & comminantis malum futurũ. Alio modo sub ratione instantis & inferentis malum præsens. Primo modo est intentio insensata, quia non est nata percipi à sensu particulari. Secundo autẽ modo est intentio sensata, & percipitur à sensu particulari, vt sensibile commune. Secũdum hoc igitur dictæ intentiones conuenientis & disconuenientis quandoque percipiuntur non ab ipsa eadem virtute apprehensiua sensibilium aut intelligibilium: sed ab alia, & hoc vel sensitiua vel intellectiua. Sensitiua vt ad præsens loquamur de intentione inconueniente, ad quã sequitur dolor in vi sensitiua:

us, quemadmodum ouis videns lupum statim existimat inimicum, & timens fugit. Vel intellectiua, quemadmodum videns errabundum de nocte suspicatur furem, & timens, merces suas abscondit. Quandoque autem illa intentio percipitur ab eadem virtute sensitiua apprehensiua, & hoc vel circà organum ipsius virtutis, vel circà ipsam virtutem, vel circà eius operationem. Circà virtutis organum apprehendendo percipit illam intentionem, percipiendo læsionem, quæ fit in organo, ex qua sequitur dolor. Sed hoc non principaliter, quia læditur immutatione corruptiua tẽperamẽtum organi, sed quia offenditur temperamentum virtutis existentis in organo, quo ipsa cõtemperata naturaliter est organo, cuius est sentire principaliter, & suiipsius offensionem principalius percipere.

Hæc autem læsio in organo cuiuscunq; sensus etiam dupliciter potest cõtingere, vel per accidẽs, vel per se. Per accidens quando organum sentiendi, puta visus inquantum visus est, & media ratio visibilium, lęditur immutatione reali, puta calefactione, & hoc per se inquantum est corpus naturale simpliciter, per accidens inquantum est organum visus, & est simile de organis aliorum sensuũ. Omnia enim quo ad sua tẽperamenta habent corrumpi per accidens, qualitatum actiuarum & passiuarum contrarietate; quæ sunt calidum & frigidum, humidum & siccum, quibus etiam corrumpitur totum animal. Per se autem contingit læsio in organo cuiusque sensus, quando læditur immutatione intentionali per speciem sui proprij sensibilis excessiuam, inquantum excellentiæ sensibiliũ corrumpunt per se sensus, secundum Philosophũ secundo de Anima. Quamuis aliqui dicunt, ꝙ hoc contingit per dictam actionem realem per se. Immò dico, ꝙ species excessiua commensurationem organi vt sensitiuum est, corrumpit per se. Sed actio realis, quæ per se corrumpit corpus, vt est corpus mixtum, per accidens corrumpit illam commensurationem, sicut etiam per accidens corrumpit totum animal, vt cum ictus tonitrui cõtingit simul cum sono, vt dicitur in tertio de Anima; Sicut enim temperamentum, vt medium reale qualitatum sensibilium realium, puta calidi, frigidi, humidi, & sicci, à temperato & non nimium excedente calido in suo temperamento conseruatur: ab excedente autem corrumpitur per se inquantum est corpus mixtum & harmonia media realis inter reales qualitates tangibiles: per accidens autem inquãtum est harmonia media intentionalis inter species intentionales illarum qualitatum, & similiter vt est media inter species aliorum sensibilium, quo ad organa aliorum sensuum à tactu, qui organum suum habet sub organis aliorum sensuum, sic temperamentum vt est organum & medium specierum intentionalium, puta speciei albi & nigri, & mediorum colorum, à temperata & non nimium excedente specie impressa in organo conseruatur: ab excedente autem nimium corrumpitur: puta temperamentum organi visus inquantum organum tale ab excedente specie lucis diffusa ab nimis fulgida luce & ab excedente specie cuiuscunque coloris diffusa ab excedente colore. Vnde contingit, quòd organum informatum temperata luce, & temperato colore aliquo, in nullo impeditur ab informatione à quacunque alia luce temperata, aut colore: simul enim informatur speciebus contrariorũ colorum, & statim cum ablentatur sensibile extra, euanescit illa species ab organo. Sed cum informatur specie excedente nimium organi harmonia impeditur, ne informetur speciebus aliorum, & auerso sensibili extrà adhuc manent reliquiæ illius speciei impressæ, ita quòd visus conuersus ad alia visibilia non informatur speciebus colorum illorum, sed apparent ei omnia colorata colore, cuius specie erat excessiuè informatus, quæ quidẽ impressio maximè apparet oculis clausis. Ita etiam, ꝙ si huiusmodi impressio fortis fit multum, corrumpitur organi harmonia omninò, & manet impressio illa sensibiliter nõ quasi species lucis, aut coloris, sed quasi verus color, & nullius speciei organum de cętero est receptiuum. Si verò huiusmodi impressio non fit ita fortis, vt corrumpat harmoniam, licèt debilitet, continuò euanescit, & reuertitur vigor temperamenti, dicente Auguſt. 11. de Trin. cap. 2. Plerunque cum diutile attenderimus quæcunque luminaria, & deinde oculos clauserimus, quasi versantur in cõspectu quidam lucidi colores variè sese communãtes & minus minusque fulgentes, & quodammodo gradatim deficiẽdo variari, donec omninò desistant, quas intelligendum est reliquias illius ellæ formæ, quæ facta erat in sensu cum corpus lucidum uideret.

Et est aduertendum, quòd quantò fortius est impressa, tantò tardius deficit, & quòd pro quantò manet post corporis exterioris ablentiam, pro tantò erat species illa impressa excessiua & læsiua, & non recepta sub ratione speciei tãtùm, sed quodammodo ueræ rei, ut non tantum sub ratione speciei lucis, aut coloris, sed sub ratione lucis quodãmodo, aut coloris, quam ut est dictum non solum res uera extrà, sed species eius in uirtute sua potest imprimere susceptibili corpori, quale est illud organum, & hoc quodammodo, quemadmodũ lux in nube formaliter impressa ex plurium radiorum concursu multiplicat se sub specie coloris non lucis, ut patet in coloribus iridis. Et ille color existẽs in exteriori parte organi sic debilitati, non autem corrupti, uidetur à ut uisiua in organo, quo ad partem eius interiorem, & hoc ad ablentiam primi sensibilis, ut licèt sensibile positum supra sentiens nullum facit sensum: sensibile tamen positum in sensu dicto modo, aliquo modo facit sensum, ut sit idem medium sentiendi respectu sentibilis exterioris, & obiectum respectu sentientis interioris, q. inquantum huiusmodi impedit sensum ad alia

percl-

percipienda extra. Et per hunc modum sentiunt aliqui continuum tinnitum in auribus, & multum impediuntur ab audiendo alia.

Circa verò uirtutem sensitiuam ipsamet uirtus percipit intentionem incõuenientis circa seipsam, & hoc dupliciter. Vno modo per aliquam suiipsius læsiuam læsionem. Alio modo per inconuenientis offendentis perceptionem. Primo modo deficit delectatio, & sequitur dolor ex labore in operatione diurna. Vnde quærit Philosophus. 10. Ethic. Quare continuè nullus delectatur? & respondet subdens. Vel laborat; natura enim humana opera non potest continuè operari, nõ fit igitur delectatio, vbi Commentator quærit; Nonne cum ex labore nõn operari vtimur non delectamur? & respondet. Ex sensibus non delectamur, secundum reuersionem naturæ delectamur. Quia igitur in operibus delectationes fiunt, quæcunque semper, & continuè operari possunt, continuè delectantur vt intellectuales naturæ, quorum autem operatio labore interscinditur, horum & delectatio deficit. Sed quia virtutes non læduntur, nisi quia sunt in organo, quod læditur per se: ideò virtus non læditur nisi per accidens. Et sic dolor iste sequitur ex læsione organi per se, ex læsione ipsius virtutis nõ nisi per accidens, & sic iste modus causandi dolorem debet per se reduci ad modũ prædictum causandi dolorem, scilicèt ex læsione organi.

Secundo modo sequitur dolor, quia nõ est proportio actiui ad passiuum, & hoc dupliciter, vel partim ex parte vnius partim ex parte alterius, vel ex parte vnius omninò. De primò dicit Philosoph. 10. Ethic. post superius tacta secũdum aliam trãslationem: postquàm enim dixit quousque durauerint sensibile, & intelligibile, continuò sequitur. Et propter istud non est possibile, vt delectetur homo delectatione continua, eò quòd res humanæ non possunt agere actionem continuam propter mutabilitatem similitudinis, quæ est inter agẽs & patiens. Secundum patet ex hoc, q̃ existente optima organi dispositione propter obiecti indispositionem sequitur dolor, & hoc quemadmodum ẽt bruta animalia delectantur ex sonorum & cantuũ melodia, & tristantur ex eorum discordia, quia cõcordia melodiæ concordat temperamento virtutis, & sui organi naturaliter, & discordia discordat. Et quantò magis ex natura speciei, vel individui temperatum est organum, & virtus sensitiua ei naturaliter contemperata, tantò magis illã delectat melodia, & contristat discordia. Ita q̃ aliqui homines, qui scilicèt sunt in optima dispositione temperamẽti circa organum audiens, maximè delectentur in melodijs, qui verò non, nequaquàm illis delectantur, sed fortè potius offenduntur & tristantur, & sic in alijs sensibus quidam odoribus & saporibus aromaticis delectantur, quidam tristantur.

Circa operationem autem virtutis sensitiuæ ipsa virtus percipit intentionem inconuenientis per ipsius operationis defectionem: quia enim operatio cuiuscunque virtutis nata est per se delectare, q̃ ipsa non delectat hoc solùm contingit propter perceptionẽ alicuius imperfectionis circa ipsam, quæ scilicèt non perfecta operatio elicitur à virtute, quæ imperfectio nõ contingit ex se, sed solùm modò ex organi defectu. Vires enim non senescũt in se, nec deficiunt, sed ex organo. Omnis ergo dolor talis ꝓcedit ex perceptione illius imperfectionis, sicut è contrariò ex perceptione perfectionis eius nascitur delectatio.

Ad quæstionem ergo respondendum, quo ad vires sensitiuas, quòd omnis dolor in animali tanquàm ex radice prima, & ex causa propter quam sic, non sequitur ex aliqua apprehensione, sed ex sola organi læsione, vel virtutis offensione, vel operationis defectione tanquã ex inconuenientis cõiunctione. Sicut è contrariò, delectatio vt ex radice prima non sequitur ex aliqua apprehensione, sed ex sola organi confortatione, vel virtutis pacatione, vel operis perfectione. Et vt generaliter causas horũ assignemus, quo ad omnes passiones sensibiles, vt ex radice prima sequuntur ex intentione conuenientis & disconuenientis imminẽtis, quo ad passiones, quæ respiciunt malum futurũ, vel bonum futurum, quales sunt timor & spes, vel instantis, & hoc quo ad passiones, quę respiciunt malum prẽsens, vt sunt dolor & tristitia. Tanquã autem ex radice proxima dolor sensitiuus, & cẽteræ passiones ex apprehensione, sicut ex causa sine qua non, ex perceptione vt ex causa propter quã sic, sed per accidens: ex intentione autem percepta circa sensibile, vt ex causa per se propter quam sic: ipsum enim sensibile puta lupus, aut mulier apprehensa sensu, aut imaginatione, aut intellectu non sunt per se factiua passionum, quia sola imaginatione, vel intellectu speculatiuo, aut sensu particulari apprehendunt, quæ nihil dicunt de actuali bono, aut malo, neque de fugiendo, vel imitabili, etiam cum apprehendunt timendum, aut lętandum, non iubent timere, aut lætari, & sunt sicut intelligere, & imaginari in nobis cum volumus. In nobis enim est facere hoc prę oculis, sicut contingit positis in recordatiuis. Secundum phantasiam enim & intellectũ huiusmodi, nos habemus sicut si essemus considerantes in pictura difficilia, & contristantia: ipse autem intentiones circa sensibilia, & intelligibilia, quæ consistunt in ordine & relatione rerum contristantium & lætãtium ad animata sensibilia, puta lupus, aut mulier, vt inimi cum & amicum naturæ perceptæ æstimatione, vel opinione, vt bonum, vel malũ actuale, quæ iubẽt, aut timere, aut lætari, & dicunt de fugiendo & imitabili cum percipiunt timendum, aut lætandũ, & non sunt hæc in nobis cum volumus, & cũ existimamus, aut opinamur aliquid difficile, aut tristabile, statim compatimur, secundum quod hæc omnia habentur ex tertio de Anima. Et sicut est cum intentiones huiusmodi percipiuntur virtute alia,

alia, ſic eſt cum percipiuntur eadē. De dolore autem quomodo contingit in viribus intellectiuis: ſciendum ſecundum quod dictum eſt ſupra de dolore ex apprehenſione ſenſitiua, quòd vt ex radice prima contingit ex diſpoſitione, ſiue intētione diſconueniente corruptiua, quia illa non habet locum ex parte intellectus, eò quòd non eſt virtutis corruptibilis, nec in ſe, nec in organo, quia nullū habet, ſed ſolùm modò ex diſpoſitione offenſiua, & diſconueniente, & hoc non ex eius apprehenſione ſpeculatiua, niſi vt ex cauſa ſine qua non, ſed ex perceptione, & hoc vel quia illa intentio eſt diſconueniens virtuti, vel quia eſt diſcōueniens operationi. Sed hæc perceptio fit non niſi eadem virtute ſecundum rem & naturam potentiæ, qua fit apprehenſio, quia non eſt niſi vna potentia cognitiua intellectualis, quæ ſolùm diſtinguitur in ſpeculatiuam, & practicam ſecundum fines, vt alibi declarauimus. Appellando autem aliam virtutem, practicum & ſpeculatiuum, quandoque intentio nociua percipitur virtute alia, quandoque eadem. Sed nunquam niſi cum percipitur vt actualiter inſiſtens virtute alia percipitur, vel circa virtutē, vel circa eius operationem. Primo modo, vt quando de practicis fit conſideratio ſpeculatiua: tūc enim ſpeculatiua non ſolùm apprehendit bonum & malum preſens, ſed ſub ratione veri & falſi, & bonum & fallum, quo offenduntur aliæ vires percipit practica pars, ad quam ſequitur paſſio, vel quia intentio percepta eſt incōueniens ſibi, & offenſiua ſuiipſius, vel quia eſt offenſiua ſui, eò quòd eſt repugnans & diſconueniens virtuti alteri. Primo modo ſequitur dolor practicæ perceptionem, quia. ſ. offendit ſe & repugnat habitui ſuo practico, & ſic ſequitur dolor, quando muſicus apprehēdit diſcordantiam ſonorum, aut vocum, quia diſcordat à regulis habitus ſui, & è contrariò delectatio quandō apprehendit concordantiam, quia concordat habitui ſuo, & ſic in alijs artibus, & ſimiliter quādo prudens percipit operari non ſecundum regulas prudentiæ. Secundo modo dolor ſequitur perceptionem practicæ partis tripliciter, aut quia intentio percepta diſconueniens eſt ex parte appetitiuę partis vt volitiuæ, in qua eſt virtus iuſtitiæ, & ſic ſequitur dolor ex perceptione operis iniuſtitię, quia repugnat voluntati informatę habitu iuſtitię. Aut eſt diſconueniens vi concupiſcitiuę, in qua eſt virtus temperantiæ, & ſic ſequitur dolor ex perceptione operis intemperantiæ, quia repugnat virtuti temperantię. Aut eſt diſconueniens vi iraſcitiuę, in qua eſt virtus fortitudinis, & ſic ſequitur dolor ex perceptione operis formidinis, quia repugnat virtuti fortitudinis. Ex contrarijs autem ſequitur delectatio, & hoc indifferēter, ſiue homo talia opera percipiat in ſeipſo, ſiue in alijs. E contrariò autem in diſpoſitis habitibus cōtrarijs ex perceptione contrariorum ſequitur dolor, aut gaudium, ſiue delectatio. Puta inuidens cum videt in illo, cui inuidet proſperum, dolet: cum verò videt aduerſum gaudet. Si verò ab alia virtute percipitur intentio diſconueniens operationi, illa non eſt, niſi quia virtus non perfectè poteſt in ſuam operationem, & ſic pars ſpeculatiua percipit defectū operationis volitiuę & concupiſcibilis & iraſcibilis, & intellectualis practicæ, & ſequitur ſemper dolor. Si verò intentio dicta diſconueniens percipitur à virtute eadem quæ apprehendit, hæc perceptio contingit parti ſpeculatiuę, vel circa ſeipſam, vel circa ſuam operationem. Primo modo quando percipit aſſertionem cōtrariam habitui ſapientię, aut intellectus. Secundò, quando percipit defectū ſuę operationis intellectualis, & tūc ſemper ſequitur dolor. Si quis autem velit dicere, ꝙ quælibet virtus ad minus cognitiua percipit defectum ſuę operationis ſimiliter & profectum, tunc debet dicere, ꝙ ex perceptione eius virtutis, cuius eſt apprehendere ſequitur dolor, vel delectatio ſuā operationem, nec ſolùm ſequitur dolor intelligibilis ex perceptione diſconuenientis circa intelligibile, ſed etiam circa ſenſibile, vt omnibus modis prędictis, quib. cauſatur dolor in ſenſibili parte ex perceptione circa apprehēſionem ſenſibilem, eiſdem cauſatur dolor in parte intellectuali ex perceptione eōrundem, & etiam ex perceptione intellectualis ipſius paſſionis, quę eſt dolor ſenſibilis. Quia quicquid percipitur à ſenſu & vi ſenſitiua poteſt percipi ab intellectu & vi intellectiua. Et ex his patet etiam reſponſio ad quęſtionem quo ad vim intellectiuam. Quia autem quęſtio propoſita fuit tātum de dolore ſenſibili, & ex abundanti extendimus illam ad dolorem intellectualem, & argumenta ſolùm tangebant dolorem ſenſibilem: ideo ad illa ſpecialiter reſpondendum eſt, reſpiciendo ad dolorem ſenſibilem.

Reſponſio. Dicendū ad primum, ꝙ dolor ſenſibilis ſequitur apprehenſionem, vt radicem, & cauſam proximam: *modo tamen iam dicto: ſequitur tamen intentionem diſconuenientem vt radicem primam*, quæ multipliciter habet cauſari, vt ſimiliter habitum eſt ſupra. Et vnus illorum modorum eſt ex immutatione reali, ſed per accidens, vt dictū eſt.

Ad argum. primo. Similiter & quod arguitur contra hoc, ꝙ immutatio realis per qualitates reales corrūpit ſenſum. Dicendum, ꝙ verum eſt inquantum immutat organum realiter. Si tamen immutaret medium realiter & organum tantum intentionaliter, vel vtrūque tantùm intentionaliter, adhuc eſſet dolor ex leſione & corruptione organi per ſpeciē intentionalem. Sed ſecundum aliam rationem ſpecies illa eſſet immutatiua ad operationē ſenſus, & ſecundū aliam corruptiua organi, quia ſecundum qd non haberet rationē exceſſiui immutaret, & eſſet operatio illa ex ſe delectabilis non habens contrariū, ſicut nec delectatio ſecundum ſenſum: ſecundum verò, ꝙ habet rationem exceſſiui lędit, & impedit ſenſum: per apprehenſionem tamen qua immutat ſequitur dolor ſecūdum magnitudinem lęſionis percepię.

Et

Et per hunc modum, delectationi, quæ est in sensu ex perceptione conuenientis immutationis organi factæ per qualitates intentionales, contrarius est dolor, qui est in sensu ex perceptione immutationis contrariæ.

Ad argu. in oppos. Ad argumentum in contrarium, quòd apprehẽsio est per se delectabilis: ergo non sequitur eã. Dicendum, quòd verum est, vt causa propter quã fit, sequitur tamen eam, vt causam sine qua non, scilicet propter perceptionem: quia tamen etiam perceptio est per se delectabilis, adhuc non sequitur illam, nisi per accidens, sed per se sequitur perceptionem ratione percepti, quod habet vim per se actiuam passionis, vt patet ex prædictis.

Comment. in Quæstionem Octauam, quæ est,

Vtrum verus dolor sit ex sola immutatione per apprehensionem, an ex alia immutatione reali.

IN titulo, cum omnis quæstio, ex Aristotele, sit quæstio de causa, hæc præsertim est de causa doloris, sumpto nomine doloris pro communi ad verum dolorem, qui sensitiuus est, & ad tristitiam, quæ dicitur dolor intellectiuus; etenim de vtroque dolore quæstio est, & vtriusque causa inuestigatur. Ex consequutione autem quadam etiam aliarum passionum; vt timoris, ac spei, quarum timor correspondet dolori, spes delectationi, cuius causa etiam faciliter in hac quæstione cognoscitur ex eo, ꝙ oppositorum est eadem disciplina. Et nõt ꝙ dum quæritur harum passionum causa, quæritur causa radicalis, quæ & harum passionum est, & dicitur radix.

In corpore igitur tria præsertim habet. Primò habet distinctionẽ de radicali causa, tùm doloris, cùm etiam cuiuslibet passionis sensitiuæ. Secũdò de dolore sensus duplici conclus. rñdet quæsito. Tertiò de intellectiuo dolore vnica cõclus. satisfacit.

De primò, distinctio est, ꝙ alia est radix passionis prima, alia verò proxima.

Not. hanc distinctionem posse cognosci ex primo textu primi Physic. vbi elementa, tanquam causas proximas distinguere videtur à causis primis, quæ possent dici aliqualiter remotæ.

De secundò. Prima conclusio est. Causa prima, siue radix prima doloris sensitiui est organi læsio, vel virtutis offensio, vel operationis defectio, tanquam ex inconuenientis coniunctione.

Not. ꝙ ex hac conclusione colligitur, ꝙ habita ratione ad radicem doloris primam, ipse dolor est ex immutatione reali, non autem ex apprehensione tantum.

Probatur autem illa conclusio ex Auic. 8. Metaph. & 9. atque etiam ex Arist. 10. Ethic. quo ad vltimam partem, s. de coniunctione cùm disconuenienti. vnde patet etiam ꝙ antecedit, quia coniunctio disconuenientis, aut lædit organum, aut offendit virtutem, vel impedit operationem, ex quibus omnibus nascitur dolor.

Not. autem, ꝙ tantò quidem intensior dolor est, quantò hæc magis simul causauerit coniunctio disconuenientis, vt si hæc omnia causet, vt organum lædat, offendat virtutem, & impediat operationem, intensissimus videtur dolor.

Not. quoque, ꝙ ad huiusmodi radicem fortassis respexit Auerroes, cum dixisset dolorem esse diuisionem continui, ex qua sua diffinitione voluit inferre dolorem in sensu non esse nisi per immutationem realem, quod verum est inspecta prima radice. Similiter cum diceret Galenus, dolorem esse tristem sensationem à tangibilibus qualitatibus tactui non conuenientibus, vimque inferentibus factam. Quippè ex vi sequitur, vt vel lædatur organum, vel potentia offendatur, vel operatio impediatur. Pariter inspexit id Alexander Aphrodis. in 6. top. cap. 3. cum diceret dolorem esse passionem animalis per distantiam partium connaturalium cum violentia. Idipsum enim dicere videtur, quod Auerr. Idipsum credimus Eustratium considerasse 2. Ethicor. cap. 1. cum diceret dolorem esse cum impedimur, nè secundum naturam operari valeamus.

Not. aũt, ꝙ, vt dictum est, cum oppositorum sit eadem disciplina cum dolor radicaliter oriatur ex coniunctione obiecti disconuenientis illa facientis, quæ dicta sunt: profectò delectatio erit ex coniunctione obiecti conuenientis, vnde oppositi effectus oriuntur, scilicèt quod organum confortatur.

Not. quoque ꝙ dolori correspondet timor, delectationi spes, ita ꝙ dolor, atque delectatio nascitur ex coniunctione obiecti actualis; timor vero, ac spes ex imminente huiusmodi coniunctione.

Secunda conclusio. Inspecta radice proxima, seu causa proxima doloris, dolor est ex apprehensione, sicut ex causa sine qua non, ex perceptione, vt ex causa propter quam fit, sed per accidens, ex intentione autem percepta circa sensibile, vt ex causa per se, propter quam fit.

Not. ꝙ quicunque de dolore loquuti sunt inuestigantes causam immediatam, & proximam, illam voluerunt esse ex apprehensione, ita vt verum sit apud omnes illud Gab. Biel. ꝙ dolor sit passio consequens apprehensionem obiecti disconuenientis tanquam præsentis, vide ipsum 3. sent. dist. 15. ꝙ etiam visus est dixisse D. Thom. de verit. Non distinguentes apprehensionem à perceptione, & intentione, sed ad inuicem confundentes: facit autem distinctionem Auctor, manifestans, ꝙ apprehensio ideò dicitur causa sine qua non, non propter quam, sine qua non quidem, quoniam sine ipsa nullus fieret dolor, quod dicunt omnes cum Aristotele; non tamen propter quam, quoniam obiectum apprehensionis sensitiuæ est ipsum sensibile. Iam verò sensibile quatenus sensibile nullam rationem habet disconuenientis, igitur non causat dolorem necessariò. Perceptio autem est causa, propter quam, quoniam eius obiectum est intentio sensibilis, secundum quam percipitur, vt conueniens, vel disconueniens, sed vt disconueniens causat dolorem, igitur. Iam verò per accidens, quoniam tunc nascitur dolor cum sensus intendit obiectum disconueniens, s. tendit in ipsum, fugiens, iubensque fugiendum tanquam disconueniens, sed hæc intentio inducitur à perceptione. igitur &c.

Et hæc oĩa cõprobat Auctor ex verbis Arist. de motu aĩalium, & ex 2. & 3. de anima. Insuper ex Augustino, vt patet in litera.

Not. autem, ꝙ oritur quæstio vtrum dolor possit esse ex sola apprehensione, sine immutatione reali præcedente in sensu, scilicet vtrum stare possit hæc secunda conclusio sine prima, quam quæstionem contra quosdam Auctor ipse resoluit, manifestans, ꝙ stare non potest. Et certè vltra ea, quæ dicit ipse satis clarè, consideramus illud, quod Aristoteles vult sentire esse quoddam pati, vt sensatio sit, quædam passio. Et cum sensatio passio sit, oportet dicere, quòd dolor etiã passio quædam sit, quippè dolor sensatio quædam sit. Quod vtique intelligitur, vel formaliter, vel causaliter. Non formaliter; quod etiam dicit D. Thom. de verit. igitur causaliter, videlicèt quid esse non potest sine passione, & immutatione reali; Et nouissimè eodem modo hoc negotium intellexit Arch'Angelus secunda parte dilucidationum, quam sententiam ante magistrum omnium istorum, doctissimus Plato habuit in Philæbo, & in Timæo. si quidem in Philæbo dolorem fieri vult cum soluitur harmonia in animantibus. Et dum natura singulorum corrumpitur concretionibus, discretionibus, repletionibus, euacuationibus, & actibus quibusdam, ac corruptionibus.

Ex quibus omnibus fiunt immutationes reales. Et in Timæo dolorem vult afferre quæcunque affectione in nobis præter naturam sit violenta, & aceruata. Et ante ipsum fortassis eandem sententiam habuit Hippocrates in secundo lib. Aphoris.

Tertia conclusio de tertio. Dolor intellectiuus est ex apprehensione, vt ex causa, sine qua non; ex perceptione verò, vt causa

propter

propter quam, tametsi per accidens, ex intentione verò vt ex causa per se, propter quam.

Not. q in hoc dolore nō percipitur, seu nō inspicitur illa prima radix, qm intellectus est impassibilis, & nō alligatus organō.

Not. q cum intellectus dividatur per practicum, & speculativum, sm speculativum duplex nascitur doloris species plures asm practicum. Duplex quidem sm speculativū, quia primò nascitur dolor, cum impeditur eius operatio. Secundò cum oppositā suo habitui percipit conclusionem. At sm practicū, primò variatur sm affectum connecti. pōt n. esse bonum, vel malum moraliter. si. n. bonum sit, ex obiecto malo moraliter tristatur. Et quidem diuersim, secundum quod diuersæ malorum species, puta vitiorum percipiuntur, sic si malum oppositio modo se habere videtur.

Not. sm ex D. Tho. q species tristitiæ præsertim sunt quatuor. Misericordia, invidia, anxietas, vel angustia, & accidia, & hæc quo ad extra. Ad intra verò videntur plures. Quot. n. operationes impediuntur propositæ ab intellectu practico differentes respectu finis, tot sm species tristitiæ, sive doloris intellectui, sm plures in bono, q in malo. cum. n. virtus in mediocritate consistat, sm: plura esse vitia, q virtutes, nisi extrema coire velimus. Cætera autem clara videntur. Sistere tamen hic pedem aliquantulum debemus. Et à Scoticis telis liberare doctorem, quandoquidem in 3. sententiarum dist. 15. quæstione vnica. nonnullis argumentis nonnulla dicta Doctoris infringere prorsus conatur.

Primò quidem cum ponat Doctor illam primam doloris radicem, quam, vt vidimus, & alij plures pōsuere. arguit contra Scotus, vt iam nullam esse penitus ostendat. Secundum eum, inquit, sicut in dolore est immutatio corruptiua dispositionis conuenientis naturæ, ita in delectatione est immutatio inductiua, vel saluatiua eiusdem, sed ista immutatio nulla videtur esse, quia quæro, inquit, ad quem terminum est. Non ad primam sensationem, quia præcedit eam, sicut prima radix secūdam, nec multò magis ad passionem sequentem sensationē, quia ista sequitur vtranque radicem. Igitur ipsa est ad vtranque dispositionem, vt ad proximum terminum, quæ naturaliter præcedit omnem actum tàm sensus q̄ et potentiæ delectabilis, vel tristantis, sed nihil tale videtur necessarium ad delectationem, quia nihil præcedit ambo ista, nisi forte species obiecti, sed si species præmaneret in virtute phantastica conseruante species, nihil minus posset esse conseruatio necessaria, & omnis radix necessaria ad delectationem deberet tunc conseruari. si ch sensatio sola fieret non minus posset esse aliqua delectatio, quia non minus esset operatio perfecta, quam concomitatur delectatio secundum Philosophum 10. Ethicorum.

Secundo contra id, q vult Auctor secundam radicem non esse sine prima, sive non sufficere pro causando dolore.

Probatur, inquit, q sufficiat, quia licèt organum sit corpus naturale, & ideò passibile passione naturali, tamen inquantū organum est mixtum, ita quod est in media proportione sensibilium, hoc modo natum est immutari immutatione intentionali ab obiecto inquantum sensibile, & hoc modo aliquod obiectum est sibi conueniens, & aliquod disconueniens, & per consequens etiam aliquod delectans, & aliquod affligens. Igitur licet circumscribatur omnis actio prior ista actione intentionali ab obiecto, si ipsa sit alicuius obiecti disconuenientis in organum, vt est organum sensus, vel in sensu sequitur dolor, vt patet de amara potione, de qua dolet gustus, & si sit salubris infirmo.

Tertiò contra differentiam inter apprehensionem & perceptionem arguit. Videtur, inquit, q vnius potentiæ non sit nisi vnus perfectus actus simul, igitur sensus circa obiectum suum non sunt ponendi simul duo actus, licèt idem vt perfectus posset dici perceptio, & vt imperfectus posset dici apprehensio. Et sequitur. Vnde apprehensio dicitur qn. s. propter distractionem sentientis intus occupati intentionaliter propter operationem, vel circa actionem aliarum potentiarum operatio sensus est imperfecta. Et quando potentia superior concurrit copulans potentiam inferiorem cum obiecto, facit attentionem, & per consequens actus est intensior, qui dicitur intentionalis perceptio, si etiam ista deberent distingui, magis videtur perceptio remota à dolore, quàm apprehensio, quia magis videtur delectabilis operatio, quàm exprimit perceptio, quàm passio, quàm videtur exprimere apprehensio.

Quartò contra id, q dicit Auctor obiecta perceptionis esse intentiones. Non videtur, inquit, verum, quia nullus sensus pōt illas relationes percipere, sed tantùm aliqua absoluta, quæ sunt principia mouendi, relationes autem non sunt principia mouendi sensum aliquem ad actum quencunque. similiter si ista ponantur esse obiecta alterius actus ab apprehensione, videtur quod oporteat ponere duos sensus visus, & sic de alijs, quorum alter percipiat colorem, & alter percipiat intentiones illas circumstantes, quia potentiæ distinguuntur per obiecta.

Hæc præsertim Scotus, cæteris dimissis, quibus difficilè non est respondere.

Ad primum. n. horum dicimus necessariam prorsus esse primam illam radicem. Et cum quærit Scotus ad quem terminum sit, dicimus, quod est ad sensationem, & cum dicit, q id non potest esse, quoniam præcedit eam; negatur quo ad vtrunque sensum. Quippè stant simul sensatio, atq; immutatio realis. sensatio. n. passio est ex Aristotele, quia sentire est pati causaliter, vt dictum est etiam supra quæst. 5. & paulò supra in hac quæst. cum ergo sentire sit pati, illud sequatur oportet, vt fieri non possit sine illa radice. Et quod dicitur in dolore, dicitur etiam in delectatione oppositio modo loquendo. Vnde Galenus idcircò diffiniuit dolorem, q esset tristis sensatio. cum. n. sit tristis sensatio, sensus immutatus est ab obiecto disconuenienti, cum uero contra delectabilis sensatio fit, sensus pariter immutatus est ab obiecto conuenienti.

Ad secundum. Negatur q organum immutetur mutatione intentionali, non præsuppositā reali; cum. n. subiectum doloris maximè sit sensus tactus, vt docet Aristoteles, & ipse sit maximè materialis, non sentitur dolor, nisi prius immutetur immutatione reali ipse sensus. Et quod dat in exemplum de potione amara, quæ gustum affligit nihil est, quia & ipsa amaritudo immutat prius immutatione reali tactum. Est. n. gustus quidam tactus ex Aristot. Et quidem amaritudo dissoluit realiter, & ex dissolutione sequitur dolor. dissolutio autem est quid reale, non tantùm intentionale. Et certè qui solam intentionem ad verum dolorem causandum volunt, negant Auer. dicētem dolorem esse diuisionem continui, quę diuisio non est intentionalis tantum, sed vtique realis, & patefaciunt se nescire quid sit dolor. Vnde miramur q non dicunt sentire dolorem cum viderint ignem depictum. Quòd si fortis imaginatio eius etiam potest causare dolorem, oportet vt detur immutatio realis in tactu; vtpotè constrictio, vel dissolutio ex vehementi imaginatione. Quo fit, vt nec videamus fieri posse dolorem sine illa prima radice, nec audiamus aliquod dictum Scoti cogere ad oppositum.

Ad tertium dicimus, q differentia inter apprehensionem, & pereeptionem est, q apprehensio est sensibilis, vt sensibilis; perceptio verò est eiusdē sensibilis, vt conuenientis, vel disconuenientis, cui si intenditur fit dolor, vel delectatio. Cū ergo dicit, q vnius potentiæ vnicus est perfectus actus, conceditur respectu eiusdē obiecti, sub eadem rōne accepti, nō aūt sub diuersa. Vnde vnicus est actus respectu obiecti sensibilis, sub rōne, qua sensibilis, sed non est vnicus actus, & sub rōne sensibilis, & conuenientis, vel disconuenientis. Non dicimus itaq; q distinguantur secundum perfectum, & imperfectum, sed secundū diuersas rationes acceptionis obiecti. Cum aūt dicit, q magis remota à dolore videtur perceptio, &c. negatur, quia potius apprehensio cùm sit operatio naturalis potentiæ suæ sentientis, ex se nullum dolorem adducens, potius dicit quandā delectationē; perceptio verò dolori accedit vbi est disconueniēs obiectū, cōtra verò delectationi, vbi est obiectū cōueniēs.

Ad quartū. Attendat Scotus, q cum intentiones statuantur pro obiecto, non sunt relationes, sed correlationes. Vnde si relationes non mouent sensum, mouēt correlationes, si ipsa correlativa. Dicat nobis Scotus obiectū, vt obiectum non nè mouet ad id, cuius est obiectum? Certè id vulgatum est apud omnes, & forte ipse dicit idipsum. Cum ergo statuantur huiusmodi, intentiones pro obiectis perceptionis, cur non mouebunt sensum, cuius ipsæ sunt perceptiones? relatio igitur vt relatio non mouet, sed correlatiuum huiusmodi mouet. Cum autem dicit oportere ponere duos sensus &c. hoc falsum esse dicimus, quia idem est obiectum, sed sub diuersa rōne aceptum. Ad realem autem materialiumque simul obiecti multiplicationem multiplicantur potentiæ, non autem ad multiplicationem rationum acceptionis obiecti.

QVÆSTIO

QVAESTIO NONA.

Vtrum ratio formalis ipsius doloris sit in vi apprehensiua, an in vi appetitiua.

Arg prim. CIRCA quartum arguitur, ꝙ formalis ratio doloris sit in vi apprehensiua. Primò sic: In illa vi est formalis ratio doloris, in qua est formalis ratio sui contrarij. ſ. delectationis, quia contraria sunt nata esse circa idem.

Primum.

Auicenn. Formalis autem ratio delectationis est in vi apprehensiua, dicente Auicenn. 8. Metaphys. Delectatio est apprehensio conuenientis & sensibilis. Lætatio est apprehensio sensibilis conuenientis, & intellectualis. Delectatio est apprehensio intelligibilis conuenientis. Apprehensio non est nisi in vi apprehensiua. ergo &c.

Secundū. Secundò sic, in eo, quòd mouet corpus secundum qualitates calidi & frigidi, est dolor formaliter, quia passionibus mouetur corpus animalis: hoc autem est apprehēsio secundum Philosophū in de motibus animalium: ergo &c.

In oppoſit. Contra. Omnis passio est motus ad rem, in rem tendere proprium est appetitus non apprehensionis, quia apprehensio est motus rei in animam: ergo &c.

Reſponſio. Dicendum, ꝙ omnis passio animalis dispositio est ad operationem, siue motum, vel causandum, vel continuandum, vel subtrahendum. Oportet ergo, ꝙ sit in eo maximè, quod est causa motus, siue operationis, vel eius cōtinuationis, vel subtractionis, hoc est appetitus nó apprehensio, quia ad impetum appetitus mouetur apprehensio, vel ad motus cōtinuationem, vel ad eius subtractionem, vel ad aliquam aliam apprehensionem, q̄ prius, & quæcunque mouentur in animali motu animalis inquantum est animal. Idcirco ergo dico, ꝙ in solo appetitu habet esse omnis passio, & ita dolor. Aliter enim appetitus in animali non est mouens motum, nisi quia per apprehēsionem mouetur alteratione, quæ est passio, & tunc appetendo mouet alia, dicente Damasc. lib. 2. cap. 23. Passio est motus appetitus sensibilis in imaginatione boni & mali. Et loquitur de passione sensitiua, quare & consimili modo erit de passione intellectiua.

Item August. quarto de Ciuita. cap. 4. commēdat Philosophos appellantes passiones, perturbationes, & affectiones quasdam, quæ planè non sunt nisi in vi appetitiua, & secundum hoc, est concedenda vltima ratio.

Ad primū princip. Ad primam in oppositum, ꝙ delectatio est in vi apprehensiua, dicendum, ꝙ falsum est: immò in vi appetitiua, per quam apprehēsiuam detinet appetitiua in sua operatione, propter quod dicit Philos. 10. Ethic. Delectatio confirmat operationes, &

Ad Auicē nam. diuturniores facit. Quòd inducitur secundū Auic. quod delectatio est apprehensio conuenientis.

Dicendum, ꝙ opinio aliquorum fuit, ꝙ delectatio est ipsa operatio, in qua consistit rei perfectio. Et isti dicerent, ꝙ delectatio formaliter esset ipsa apprehensio, & ita in vi apprehensiua, in qua est ipsa apprehensio, vt procedit arg. Sed non est ita. Immò licèt sit inseparabiliter coniuncta ei non tamen est idem illi, dicēte Philos. 10. Ethic. Delectationes sunt ꝓpinquæ operib. & indiscretæ, sic vt habeat dubitationem si idē est operatio delectationi: inconueniens. n. sed propter non separari, vt idem quibusdam. Ponendo ergo, ꝙ differūt, & est quiddam consequens operationem, & firmans eam, & hoc non nisi quia per appetitum tenet sensum in sua operatione, & ꝙ secundum hoc sit in virtute appetitiua, dictum illud Auic. debet exponi secundum prædicationem causæ efficientis, vt delectatio dicatur apprehensio cōuenientis, quod ex illa consequitur.

Ad ſecundum. Ad secundam, ꝙ dolor mouet corpus secundū qualitates sensibiles, & hoc per apprehensionem. Dicendum ad huius declarationē, ꝙ in motu animalis sm̄ ꝙ tactum est in quæst. præc. est quoddam quod mouet non motum, quod est cōueniens, vel disconueniens apprehensum, quod mouet alterādo partes organicas secundum calidum & frigidū. Quoddam verò est mouens motum, & hoc multiplex est circa partem sensitiuam, quorum primū est ipsę partes organicæ, quę motæ per alterationē secundum calidum & frigidū mouent vim sensitiuam appetitiuam existentem in illis secundū passiones timoris, & doloris, & huiusmodi. Secundò mouens motum est ipsa vis appetitiua, quæ informata passione per illam elicit suam propriam operationem, quę est appetere. Tertiò mouens motū est ipsa vis appetitiua existēs informata operatione appetendi, qua mouet membra ad fugiendum, vel imitandum id, quod appetitur, quod erat primum mouens, & terminus motus, & illud vltimū motum non est necesse aliud mouere, sed potest esse motum non mouens, secundum qđ de primo istorum dicit Philosophus de motib. animaliū sic. Mouet primum, quod appetibile, quod quidem non motum mouet. Quod autem mouet alterando partes organicas secundum calidum & frigidū & huiusmodi dispositiones, exponit, subdens. In animali potest & maius & minus fieri, & figuræ permutari, partib. propter calorem, & frigiditatem alteratis. Alterāt aūt phantasiæ & sensus. Ex qua autem vi, & quomodo sic mouet exponit continuè subdens. Phantasia autem & intelligentia habent rerum virtutem.

Aliquo enim modo species intellecta calidi & frigidi, aut delectabilis, & tristabilis talis existit, qualis quidem & rerum vnaquæque.

De ſecundo autem & quomodo partes organicæ ſic motæ, & diſpoſitæ mouent vim appetitiuam ſecundum paſſiones metus & doloris & huiuſmodi, exponit ſubdens continuè poſt iam dicta. Propter quod tremunt & timent intelligentes ſolum: hæc autem paſſiones & alterationes ſunt: alteratis autem partibus in corpore, hæc quidem maiora, hæc autem minora fiunt. Adhuc autem ſecundum caliditatem & frigiditatem, aut ſecundum aliquam aliam talem paſſionem, cum fiat alteratio circa cor, & hoc ſecundum magnitudinẽ, in ſenſibili parte multam facit corporis differentiam in ruboribus, & palloribus, & tremoribus, & timoribus, & horum contrarijs. Repetens autẽ iam dicta circa hæc duo, ſubdit, dicẽs. Principium igitur motus perſequibile & fugibile: ex neceſſitate autem conſequitur meditationi & phantaſiæ ipſorum caliditas & frigiditas, ſed latet circa modica accidens hoc. Sunt autem delectabilia & triſtabilia ferè cum frigiditate & caliditate aliqua: hoc autem palam ex paſſionibus: audaciæ enim & timores & ad venerea motus, & alia corporalia: hęc quidem ſecundum partem cum caliditate, aut frigiditate ſunt: hæc autem ſecũdum totum corpus. Quare rationabiliter iam condita ſunt, quæ intus, & quæ circa principia organicarum partium trãſmutantia & mollia & dura ex inuicem.

De tertio autem quomodo per paſſiones mouetur vis appetitiua ad actum appetendi ſubdit dicens; Organicas partes ꝓparãt idoneæ paſſiones: appetitus autem paſſiones, appetitum autẽ phantaſia, quod intelligo ſic. Paſſiones idoneæ ſecundũ calidum ſcilicet & frigidum præparant ſua diſpoſitione organicas partes, vt poſſint mouere vim appetitiuam ad paſſionem metus & doloris, & huiuſmodi.

Iſtæ autem paſſiones, quæ propriè paſſiones dicuntur (licèt hic æquiuocet nomen paſſionis) prę parant appetitus, id eſt vires appetitiuas, vt poſſint elicere ſuas operationes appetendi. Phantaſia autem per ſenſum, aut intellectum præparat appetitum, id eſt id, quod appetitur, vt ſcilicèt per hoc, quod eſt apprehenſum & perceptum, poſſit mouere partes organicas, ſecundum calidum, & hoc neceſſitate naturali, & ſecundum quod continuò ſubditur. Simul & ſcito, quia paſſiuum & factiuũ ad inuicem ſunt ſecundum naturam, & ſecũdum quod præmiſit. His autem accidentibus ſecundum modum hunc, & adhuc paſſiuo & actiuo talem naturam habentibus, & nihil defecerit eorum, quæ in ratione: confeſtim hæc quidem facit hæc autem patitur.

De quartò autem ſcilicet quomodo vis appetitiua mota, & exiſtens in actione appetendi eadem neceſſitate naturali confeſtim mouet membra ad fugam, aut imitationem, continuò ſubdit, dicens; Propter hoc autẽ ſimul vt eſt dicere intelligit ambulandum, quia & ambulat ſi non aliquid impediat alterum. Quod lidèt fortè ſecundum ipſum æqualiter ſit verum de appetitiua intellectuali ſicut & de ſenſibili: tamen in rei veritate non eſt ita niſi de appetitu ſenſitiuæ: appetitus enim rationalis non niſi liberè mouet. De quinto autem, ꝙ vltimo motum eſt motum tantũ non mouens aliud, declarat reducendo hęc omnia ad tria, ſ. ad mouẽs primum non motũ, quod eſt appetibile, & ad motum vltimum nõ mouens, cuiuſmodi ſunt mẽbra, aut inſtrumenta exteriora, & ad mouens motũ cuiuſmodi ſunt omnia intermedia, quæ comprehendit ſub appetitu, vbi dicit; Quod quidem igitur primum non motum mouet: appetitus autem & appetitiuum motum mouet: vltimum autem motorum non neceſſe eſt mouere aliquid.

Eſt autem primò hic aduertendũ, ꝙ dicit ſimul intelligit, quia ambulandum & ambulat ſi non aliquid impediat alterum, qđ ſimpliciter verum eſt, & quo ad appetitum ſenſitiuum, & quo ad appetitum intellectiuum. Sed in brutis nullum põt eſſe impediens intra, ſed eſt in ipſis actiuis, & paſſiuis dictis modis diſpoſitis neceſſarius impulſus ad motus fugę, vel imitationis niſi ſit impediẽs extra, ſecundum qđ timore ictus cũ eleuatur claua, vel gladius fugit cánis, qui appetit euadere. Eſt.n. vt dicit aliqua magnitudo vigoris, & virtutis, ſecundum quam mouet mouẽs, & eſt quędam proportio neceſſariò motuum cõtrariorum, ſed obtinet ille, qui procedit ex maiore virtute.

In hominibus autem cum hoc, ꝙ poteſt eſſe impedimentum extra, ſicut & in brutis, põt eſſe impedimẽtum intra, cuiuſmodi eſt liberum arbitrium, cuius eſt poſſe refrenare pro volũtate ſua omnem appetitum, quo ad mouẽdum membra exteriora, licèt non quo ad interiora quędam. ſ. cor, & genitalia, quæ mouentur ad appetitus ſenſationis inuoluntariè, & ſimiliter quędam alia membra ad inſpirationem, & ſomnum non voluntariè, ſecundum quod dicit in eodem. Mouentur igitur motib. voluntarijs animalia: mouentur autem, & aliquibus inuoluntarijs quædam partium: plurimis autem non voluntarijs. Dico autem inuoluntarios, vt puta eum, qui cordis & eum, qui pudendi: multotiẽs enim appetente aliquo non tamen volente intellectu mouetur. Non voluntarios aũt puta ſomnum, & vigiliam, & reſpirationem, & quicunque alij tales ſunt: nullus enim dominus eſt horum ſimpliciter, neque phãtaſia, neq; appetitus. In alijs aũt omnib. motib, voluntas dña, & poteſt impedire ipſos. Aliter.n. ceſſante impedimento exteriori, quo ad motus illos nulla eſſet omninò differentia in nobis & in brutis. Secundò eſt hic aduertendum, ꝙ licèt principiatiuè omnis ſenſus & motus eſt à corde, & fortè omnis motus ſecundum paſſiones, & ſecundum ſitum incipiat in corde, & hoc quo ad valdè modicum, & imperceptibile quãdoque, ſecundum quod dr in de motib. animalium. Modica permutatio facta in principio multas & magnas facit differẽtias deinceps: nõ immaniſeſtũ, velut gubernaculo ſm̃ aliquid modicũ tranſpoſito magna

proræ fit transmutatio: adhuc autem secundum caliditatem & frigiditatem, aut secundum aliquã aliam passionem, cum fiat alteratio circa cor, & hoc secundum magnitudinem insensibilem, multam facit corporis differentiam in ruboribus, & pallioribus, & tremoribus, & timoribus, & horum contrarijs. Tamen non est vnicum membrum, siue organicum commune appetitus ad omnes passiones, & motus in se complendos, sed aliud & aliud, secundum quod sunt aliæ & aliæ passiones & motus, & similiter aliæ & aliæ alterationes disponentes secundum calidum & frigidum, & cæteras consequenter diuersimodè præparantes ad diuersas passiones, & diuersos motus, secundum quod hoc dicitur tertio de Anima de motu secundum passiones, & est idem intelligendum secundum alia. Dicit ergo sic. Intellectus multotiens intelligit timidum aliquid, aut iætum, non iubet autem timere, sed cor mouetur. Si verò lætum, altera quædam pars est, vbi dicit alia translatio. Multotiès cogitat intellectus in aliquo timoroso, sed non propter hoc erit timor, aut delectatio. Cor autem mouetur motu timoris, & cum cogitat in aliquo delectabili, membrum aliud à corde mouetur motu delectationis. Ecce, quàm planè posuit delectationem in organo aliquo appetitus per hoc indicans, quòd sit in vi appetitiua.

Tertiò hic est aduertendum, quòd passiones mutuò concurrunt, & secundum suos motus sese excitant, vel impediunt. Timor enim cum maior est per fugam impedit delectationẽ, quo ad prosequutionem delectabilis & è conuersò. Dolor autẽ ex inconuenienti illato frequenter excitat iram & motum ad prosequutionem vindictæ.

Quartò autem est aduertendum, quòd licèt passiones intellectuales non causentur per dispositiones alterationis secundum calidum & frigidũ, quia appetitus intellectualis non est virtus organica, tamen causantur per aliquid respõdens illi. In alijs autem omnibus conueniunt. Sicut primũ mouens in appetitu sensitiuo est conueniens, vel disconueniens apprehensione sensus perceptum, sic & motiuum primũ in appetitu intellectiuo est conueniens, vel disconueniens apprehensione intellectus perceptum. Ita quòd quemadmodum ex parte sensus, quantacunque sit alicuius perceptio, siue sit nociuum, siue non: si tamen non percipiatur sub ratione nocini, vel proficui, non sequitur passio, aut motus in appetitu, quantuncunq; enim ouis videret lupum venientem si non æstimaret eum nociuum, nunquam timeret, ac fugeret: & si videat canem custodem ouium: si tamen eum æstimet lupum, timet & fugit: similiter quantuncunq; sit lædens, vel offendens, siue delectans apprehensum præsentialiter: si tamen non percipiatur esse tale nunquam mouet. Similiter contingit ex parte intellectus.

Quòd autem nõ percipiatur tale apprehẽsum, contingit propter aliquod impedimẽtum ex parte sensus & intellectus, secũdm quod dicit Auicẽn. 9. Metaphys. Perfectio & res conueniens præparata virtuti apprehendenti si fuerit impediens animam abhorret eam, & eligit potius eius cõtrariũ. Sicut infirmus aliquis abominat sapores dulces, quia non est abominatio, sed priuatio delectationis, sicut cum formidolosus inuenerit victoriã non percipit eam, nec delectatur in ea, quousq; remoueatur impediens, & tunc redibit ad suam naturã. De delectatione autem circa spiritualia similiter loquitur ibidem; dicens; Quia nos in hoc sæculo, & nostro corpore demersi sumus in multa turpia: ideò non sentimus illam delectationem cum apud nos fuerit aliquid de causis eius, nisi prius deposuerimus à ceruicibus nostris iugum voluptatis, & irę sorores earum. Sicut autem post apprehensionem & perceptionem ex sensu non sequitur passio, aut motus appetitus sensibilis, nisi præcedat in organo alteratio secundum calidum & frigidum, sic post apprehensionem & perceptionem intellectus non sequitur passio, aut motus appetitus intellectualis, nisi præcedat in intellectu medium syllogisticũ coniungens perceptum ad motum consequentũ, vt præmissam minorem conclusioni. Cum enim sensus apprehensione, & perceptione sua, q. dꝯ imminet nociuum, statim naturaliter sequitur alteratio dicta, & ad illã motus appetitus sensibilis. Quæ alteratio si non intercederet, motus ille non sequeretur.

Cum verò intellectus sua apprehẽsione & perceptione dicit, dꝯ imminet nociuũ, nihil statim naturaliter sequitur, vt impressio aliqua ad qđ necessariò sequit motus appetitus intellectualis. sed si necesse est eũ sequi oportet adiũgi per intellectus apprehensionem, maiorem propositionem, quæ virtute continet conclusionem, scilicèt, quòd imminente nociuo fugiendum est, qua adiuncta penès intellectus assertionẽ necessariò sequitur passio timoris, & motus appetitus in appetendo longius abesse: & similiter motus fugæ, nisi sit aliud, quod obsistat. Et secundum hoc Philosophus in de motibus animalium postquam determinauit, quòd animalia, siue rationalia, siue irrationalia, mouentur secundum appetitum sensibilem alteratione facta secundum calidum & frigidum circa organum appetitus dicens; Mouetur & procedit animal appetitu, aut electione, alterato aliquo secundum sensum, aut phantasiam, statim subiungit de motu, secundum appetitum rationalem facta non alteratione, sed augmentatione, subdens. Propositio autem intellectus quandoque quidem operatur, quandoque non operatur, & mouet quandoque, quandoque autem non mouet. Videtur similiter accidere, & de immobilibus syllogizantibus: cũ enim duas propositiones intellexerit, conclusionem intellexit, & cõposuit. Hic autem ex duabus propositionibus cõclusio fit operatio, vtputa cũ intellexerit, quia omni homini ambulandum: ipse aũt homo, ambulat statim.

Si autem ꝙ nulli nunc ambulandum homini: ipse autem homo, ſtatim quieſcit, & hoc facit ſi nō aliquid prohibeat. ſimiliter faciendum mihi bonum, domus autem bonum, facit domum ſtatim, & concluſio operatio eſt. Ego autem deſcendens ad propoſitum addo ſic: Imminente nociuo, fugiendum eſt: nunc autem imminet nociuum: ergo nunc fugiendum eſt & fugit, eſtque concluſio fuga. Similiter imminente conueniēti imitandum eſt; nunc imminet: ergo &c. Vel, hoc imminens eſt conueniens, ergo &c. In hac autem argumētatione maior propoſitio debet poni ſub interrogatione & de ea certificari intellectus per inueſtigationem, quādo non naturaliter in eo habent eſſe eius notitia per minorem cognitā perceptione intellectus, ſtatim ſequitur motus, ſicut per perceptionem ſenſus habet ſtatim in organo appetitus eſſe alteratio ſecundum calidum & frigidum, propter quod in appetitu ſenſitiuo, tàm in brutis, q̄ in hominibus, qui non vtuntur ratione ex parte maioris propoſitionis ſtatim ſequitur appetitio & operatio, niſi ſit impediens, non ſic in intellectiuo apud homines, qui non operantur niſi ratione apparente in propoſitione maiore, quia quandoq; oportet prius ad notitiam maioris propoſitionis ratiocinari, ſed circa minorem propoſitionem non inſiſtunt, quia quaſi manifeſtam non conſiderant eam, & ſic iſti non ꝓp minorem, ſed propter maiorem propoſitionē, non velociter operantur. Alij autem, qui non curant de maiore, cui oportet ratiocinādo inſiſtere, ſed ſolum minori, quam oſtendunt ſenſus & intellectus, velociter operantur, vnde dicit Philoſoph. ibidem. Interrogantes ſic alteram propoſitionem .ſ. maiorem, eam quæ eſt manifeſta .ſ. minorē, neque intellectus conſiſtens conſiderat puta ſi ambulare bonum homini, quæ .ſ. debet haberi ex interrogatione, ꝙ autem ipſe homo non iam immoratur, quia .ſ. manifeſtum eſt ex ſenſu, vel intellectu: & ideò ſtatim concludit, quia bonum eſt ipſi ambulare & ſtatim ambulat, propter quod vt ſubdit, quæcunq; non ratiocinantes operantes nihil .ſ. cōſiderantes de maiore propoſitione, ſed ſolum ſequentes minorem, quam apprehenſio proponit, velociter operantur. Cum enim compertus fuerit aliquis illorum, aut ſenſu, aut phantaſia, aut intellectu, id quod appetit, ſtatim facit. Pro interrogatione enim, aut intelligentia, quæ deberet eſſe de maiore ꝓpoſitione ipſa appetitio fit operatio, q̄ ſtatim ad eam ſequitur operari. Potabile mihi appeto, dicit concupiſcentia, & hoc pro maiore propoſitione: iſtud autem potabile dicit ſenſus, aut phantaſia, aut intellectus, ſtatim bibit, & hoc non contingit, niſi quia per paſſionem abſorbetur ratio, nè conſideret illam maiorem. Sed qualitercunque in homine operari cōcludatur ſemp à libertate volūtatis impediri poteſt. Quòd ergo arguitur, ꝙ dolor, ſiue paſſio mouet corpus per qualitates ſenſibiles. Dicēdum, ꝙ verum eſt, ꝙ mouet corpus ad operis executionem, & continuationem mouendo immediatè appetitum ad actum appetiti, ſed non mouet corpus ad qualitates ſenſibiles, ſed magis è conuersò qualitates illæ mouent appetitum ſecundum paſſiones, vt patet ex prædictis.

Ad ſecundum in forma.

Comment. in Quæſtionem Nonam, quæ eſt,

Vtrum ratio formalis ipſius doloris ſit in vi apprehenſiua, an in vi appetitiua.

IN titulo not. ꝙ dolor ad ea, in quibus formaliter eſt, ſe habet velut obiectum, quia nempè id, vnde naſcitur dolor videtur huiuſmodi obiectum, quaſi dolor dicatur obiectum cauſaliter, cuius quidem obiecti duplex eſt ſit ratio formalis; altera obiecti ſecundum ſe, quæ eſt quid realiter ex .ſtēs formaliter in obiecto, altera eſt quid exiſtens in ipſa potentia, percipiente illud obiectum, quo amoto non perciperetur obiectum .ſ. eſt quid repræſentans præcisè ipſum obiectum; de ſecunda prælertim rationem formali intelligitur hæc quæſtio. Verū rurſum cum hæc ratio dupliciter repræſentet obiectum ſecundum Scotum, primò in ſe ſine aliquo reſpectu ad aliud; ſecundo in reſpectu ad aliud extrà, hoc loco accipitur ratio formaliter ſecundo modo, ſub qua percipitur obiectum vt diſconueniens, atque fugibile.

In corpore eſt cōcluſio, ꝙ ratio hæc formalis ſit in appetitu, non ītū in apprehenſione. Probatur per argumentum in contrarium, ſ. omnis paſſio eſt motus ad rem, in rem tendere eſt proprium appetitus, non apprehenſionis, quia apprehenſio eſt motus rei in animā: ergo &c. Prior propoſitio patet. Secunda verò confirmatur in corpore, quia ad impetum appetitus mouetur apprehenſio &c. Et per Damaſcenum: & Auguſtinum.

Not. ab hac parum diſtare rationem D. Antonini p. par. tit. 6. cap. 6. ante §. Pertinet autem, inquit, dolor ad appetitum, nam omnis motus appetitiuus, ſeu inclinatio conſequens ſe apprehenſionem pertinet ad appetitum intellectiuum, vel ſenſitiuum. Inclinatio.n. appetitūs naturalis non ſequitur apprehenſionem ipſius appetentis, ſed alterius; cum igitur dolor, ſicut delectatio præſupponat in eodem ſubiecto ſenſum, vel apprehenſionem aliquam, manifeſtum eſt, ꝙ dolor eſt in appetitu ſenſitiuo, vel intellectiuo &c. Quæ ratio eſt etiam D. Thomæ p. 2. q. 35. art. 1. & alibi, vt in 3. q. 84. artic. 8. & 9. & q. 85 act. 2. Et tamen oppoſitum apertè dicere videtur de verit. q. 26. art. 4. ad 4. Dicere autem, ꝙ impropriè ſit in appetitu, vt quidam dicunt, quoniam dolor non ſit paſſio animæ, hoc videtur deſtruere ſententiam D. Thomæ, qui p. 2. vult dolorem eſſe paſſionem animæ. Et quidem adeo propriè dicendum eſt eſſe in appetitu, ſicut propriè dicitur paſſio. Iam verò D. Thomas, dolor ſecundum quod eſt in appetitu ſenſitiuo, inquit, proprijſſimè dicitur paſſio animæ, ſicut moleſtiæ corporales propriè paſſiones corporis dicuntur. Vnde Aug. 14. de Ciuit. Dei, dolorem ſpecialiter ægritudinem nominat. Ira autem eſt in appetitu ſenſitiuo, ſicut dicitur eſſe ſenſus. Et quidem dicitur eſſe ſenſus, ait ad ſecundum, non quia ſit actus ſenſitiuæ virtutis, ſed quia requiritur ad dolorem corporalem, & cum hoc credimus poſſe contradictionē ſaluari, quod eſt in appetitu tanquàm obiectum diſconueniens: non eſt autem tanquam actus ſenſus, quoniam actus ſenſus eſt ſentire, non autem dolere. Et ſic credimus Ariſtotelem intelligere in 1. Rhetor. c. 10, cum dicit dolorem animi motū eſſe, & quidem ad appetitum pertinentem, cū dicat 2. Moral. ad Eudemum, dolorem inferre, quod præter cupiditatē eſt.

QVAESTIO DECIMA.

Vtrum Angelus possit assumere naturam humanam in eius personalitate.

SEQVVNTVR quæsita pertinẽtia specialiter: primò ad Angelum: secũdò ad hominem. Pertinentia ad Angelum erant tria cõiter pertinentia ad Angelum, tàm malum, q̃ bonum. Vnum pertinens ad eius personalitatem: vtrum. s. Angelus possit assumere naturam humanã in eius personalitate. Aliud de eius duratione: vtrum vnũ sit æuum oĩum æuiternorũ. Tertiũ verò de eius notitia: vtrũ Angelus põt naturaliter videre corpus Christi sub sacramẽto. Et vnum specialiter ptinens ad Angelũ malũ: vtrũ in dęmonib. cadat obliuio.

Arg. prim. Circa primum arguitur, ꝙ Angelus põt in suã personalitate assumere naturam humanam.

Primum. Primò sic, personalitas, vt vĩ absoluta qualis est in creaturis, non est aliud q̃ subsistentia ipsius naturæ per esse ipsius determinatum: nisi enim determinet habet rationem vniuersalis & indeterminati, determinabilis tamen: ipsa enim determinatio, quæ est hæc, ita ꝙ non alia dat ei rationẽ personalitatis & suppositi: personalitas aũt Angeli talis nõ minus nata est determinare naturam hoĩs, q̃ Angeli, quia natura Angeli minus est determinabilis, eo ꝙ magis est abstracta & in materialis, q̃ sit natura hominis, ergo &c.

Secundũ. Secundò sic, ꝙ natura diuina possit assumere in personalitate sua, hoc nõ est nisi per aliquam congruentiam naturæ diuinæ & humanæ. Sed maiorem congruentiam habet quęlibet natura creata ad aliã naturam creatã, q̃ ad naturam diuinam, quia vna natura creata non distat in infinitum ab alia natura creata, sicut quælibet natura creata distat à natura diuina. ergo &c.

In oppos. Contra. Personalitas cuiuslibet personę limitatæ limitata ast, & determinata singularitati naturæ suæ, quare cũ natura vna singularis Angeli nulli alij personalitati põt cõicari q̃ suæ, vt eadem natura determinetur duabus personalitatibus: ergo neque personalitas similiter singularis vnius naturæ singularis vllo modo poterit cõicari alteri naturæ singulari.

Responsio. Dicendum ſm̃ quod alibi determinauimus, ꝙ personalitas nihil aliud est, q̃ distincta ratio subsistendi circa singularem naturã, quæ in diuinis non est nisi respectiua, quia in diuinis eadem natura singularis non põt distingui, neq; determinari plurib. absolutis: in creaturis aũt ratio illa est absoluta, & habet quælibet natura singularis in creaturis talẽ singularitatem propriã sibi, qua non solum distinguitur vna natura creata ab alia, sed sic ĩ se determinatur, vt sit separata à qualibet alia, vt sic personalitas in creaturis circa naturam creatam non est nisi modus eius essendi separatim ab alia natura creata. Propter qd necesse est secundũ quod procedit vltima ratio, ꝙ personalitas quæcunque creata sit finita, & sua finitatione limitata ad naturæ suæ singularitatem, & illi appropriata, vt idcircò nullius creaturę personalitas plurib. naturis possit cõicari. Propter qd personalitatẽ cõicabilẽ plurib. naturis oportet esse ex se indeterminatã, & naturę indeterminatæ. Aliter. n. p ipsam naturã determinaret ipsa psonalitas. Et sic ẽt oportet ꝙ vtrunq; eorũ sit infinitũ, cuiusmodi sunt natura diuina, & q̃libet personalitas eius, & pp indeterminationem hmõi personalitatis, & naturæ põt ipsa personalitas cõicari naturæ creatæ limitatæ, eo ꝙ quicquid est in tali natura finita ẽt est in illa natura infinita, licèt submodo eminentiore: & idcirco coniunctum continens naturam diuinam & humana non requirit aliud personalitatis, q̃ alterum illorum tm̃. Propter quod quælibet persona diuina q̃libet naturam creatã cum sua natura põt sibi in eadẽ personalitate assumere: natura aũt vna singularis creata, quia oĩnò est extra aliam, & plus est naturalitatis in duab. q̃ in vna idcircò personalitas vni earũ appropriata immò propria, nullo modo põt esse alterius, sed quælibet requirit propriam personalitatem, & sic cõtrario modo se habet detrã substantiatione naturæ in naturã, & de assumptione naturæ ad alterius naturæ personalitatem, qm̃ natura finita in naturã infinitam trãsubstãtiari nullo modo põt, vt habitum est supra, sed ad solius naturæ infinitæ personalitatem assumi potest.

Ad primũ. Ad primũ in oppositum ꝙ personalitas Angeli nõ minus est nata determinare naturã hoĩs, q̃ Angeli. Dicẽdũ, ꝙ falsum est, quia cũ personalitas in creaturis debet sedm prædicta esse correspondens suæ naturæ & determinata illi, ipsa oĩnò est impropor tionalis alteri naturæ, siue sit superior, siue inferior, siue æqualis. Benè aũt verum est, ꝙ natura humana, quia materialis est, magis quo ad hoc determinabilis est, q̃ natura Angelica. Propter qd aliqui putauerunt, ꝙ nõ differunt in Angelo natura simpliciter, & suppositum, vt habitum est supra. Et sic non obstante maiori determinabilitate, quia tamẽ non est determinabilis nisi proprietate personali sibi congruente, qualis est solùmmodò sua personalitas finita, vel personalitas diuina infinita, continens in se oẽm rationem cuiuslibet personalitatis finitæ, licèt sub modo eminentiore, nullo modo potest humana natura assumi cũ Angelica in vnitate personæ Angelicæ.

Ad secundũ. Ad ſm̃, ꝙ maior est cõueniẽtia naturæ humanæ cũ Angelica, q̃ cũ diuina: ergo &c. Dicendũ, ꝙ assumptio naturæ cũ natura in sua psonalitate nõ est pp cõuenientiã in ratione cõi alicuius vniuersalis qualiter cõueniunt duæ naturæ creatæ inter se, & nulla natura creata cũ increata, sed est solùmodò pp cõuenientiã in aliqua singularitate, qualiter cõuenit q̃libet natura creata cũ natura diuina, in quã. s. natura diuina cõtinet in se, licèt p q̃ dã eminẽtiã q̃libet naturã creatã, & similiter psonalitas diuina q̃libet personalitatem creatã, pp qd q̃libet natura creata cũ natura diuina põt assumi ĩ vnitate psonę.

Comment. in Quæstionem Decimam, quæ est,

Vtrum Angelus possit assumere naturam humanam in eius personalitate.



ITVLVS intelligendus est similiter, ac intelligatur assumptio naturæ à verbo diuino, à quo terminata est personalitas naturæ humanæ, vt esset vnicum suppositum, & illud diuinum, sic in proposito; quæritur, Vtrum ita Angelus posset assumere naturam humanam, qua ea assumpta suppositum resultans esset Angelicum, quia sicut verbum determinauit sua personalitate naturam humanam, ita Angelus sua personalitate pariter terminaret.

In corpore conclusio est negatiua, s. quod non potest Angelus &c.

Probatur conclusio ex ratione in oppositum adducta in fronte quæstionis, s. personalitas cuiuslibet personæ limitatæ limitata est, & determinata singularitati naturæ suæ, quare cum natura vna singularis Angeli nulli alij personalitati potest communicari quàm suæ, eadem natura determinetur duabus personalitatibus, neque personalitas similiter singularis vnquam naturæ singularis vllo modo poterit communicari alteri naturæ singulari.

Ratio hæc repetitur pluribus verbis, & declaratur in corpore. Vt ex illa not. ꝙ ex eo, quod dicit Boetius, relationem multiplicare Trinitatem, videtur aperte, quod diuinæ personæ seorsum acceptæ non dicant quid absolutum, sed respectiuum; cum contra omnia persona creata dicat quid absolutum: absolutum autem in diuinis est essentia diuina. Et in hoc apparet differentia, quod persona creata limitata est, non autem persona diuina. Ratio nanque absolutè in persona dicit limitationem, vnde si diuinæ personæ essent absolutæ, tunc essent limitatæ, non quod omne absolutum sit limitatum, sed quia omne suppositum absolutum est limitatum. Et ratio videtur esse, quoniam supposita absoluta necessariò habent aliquod commune, tanquam species, vel genus, ꝙ non communicatur prorsus ita vni totum, quod & alteri. Neque n. tota ratio humanitatis, siue speciei humanæ est in Petro, sed ita est in eo, quòd etiam est in Paulo, & cæteris. In diuinis autem Pater est aliter essentia, quàm Petrus sit homo, quia tota essentia est in Patre, tota in Filio, totaque in Spiritusancto: non sic tota species humana in Petro, quia Paulus non esset homo: sic itaque suppositum absoluta sunt limitata. Quare cum Angelus sit suppositum absolutum, profectò est etiam limitatum. Quod autem est limitatum, ita est limitatum ad vnum, quod non ad aliud. Quo fit, vt sit limitatum ad solam propriam personalitatem, & non possit aliam terminare. Diuinum autem verbum nequaquam est limitatum: & ideò ita terminatur ad suam personalitatem, ꝙ potest & aliam terminare; collige propterea quod quantuncunque Angelus assumat corpus humanum, vel quomodocunque, illud nequaquam personat, quia corpus vnitur sine anima, & tantum tanquam motori.

QVAESTIO VNDECIMA.

Vtrum vnum sit tantùm æuum omnium æuiternorum.

Arg. prim. 

IRCA secundum arguitur, ꝙ nõ sit vnum æuum omniũ æuiternorum, quia de ratione mensuræ, quæ est vna pluriũ, oportet ꝙ illa sit mensura primi respectu aliorum, vt tẽpus primi motus respectu aliorũ temporalium, non sic æuum primi Angeli, quòd esset mẽsura aliorum Angelorum si aliquod esset, quia

Secũdum. ille lucifer est, cuius æuum non potest esse mensura bonorum Angelorum cum sint minus mutabiles in esse, quàm ille: ergo &c.

In oppoſit. Cõtra est illud Philosophi. 10. Metaph. In quolibet genere est vnum primum &c. quare in æuiternis est vnum æuum omnium aliorum mensura.

Reſolut. q. Dicendum, ꝙ ista quæstio plures potest habere sinus & intellectus. Vnum an singuli Angeli habẽt æuum proprium sibi, sic. s. ꝙ æuũ primi Angeli est mensura aliorum æuorum, & per hoc mensura omniũ Angelorum. Alium an sit vnum æuum vnius primi Angeli, quod est mensura omnium aliorum Angelorum, sic ꝙ nullus illorum habeat propriũ ęuum, quemadmodum vnum tempus est mensu-

Reſponſio. ra omnium motuum. Et dico, ꝙ plurium nunquã est vna mensura secundum numerum plurium, quę est propria vnius illorum, sic ꝙ nullum aliorum habet propriam mensuram, nisi illa cõnexionem, & connaturalitatem habeant inter se secundum rationem causę & causati, & sic esse omnium aliorum dependet ab esse primo, quemadmodum contingit in motibus naturalibus, quòd omnes habent causari à motu primi mobilis. Propter quod tempus, quod est mensura illius, mensura est omnium aliorum motuum. Quare cum vnus Angelus nullam habeat causalitatem in esse super alium: idcircò dico, quòd non est aliquod ęuum propria mensura vnius Angeli, & aliorum per illum, sic ꝙ nullus illorum proprium habeat ęuum: immò dico, ꝙ quilibet Angelus habet suum ęuum propriũ. Et tunc restat videre, Vtrũ ęuum alicuius Angeli sit mensura omnium aliorum Angelorum cum hoc, quòd sit mensura vnius propria, quod per se nullo modo potest esse.

Quòd enim mensura vnius propria sit mensura alterius, hoc non est, nisi quia illud vnum habet causalitatem in esse aliorum, siue alia ponantur habere proprias mensuras, siue non, quemadmodum siue motus alij à primo ponantur habere propria tempora, ac suas mensuras, siue non, tempus tamen primi motus nunquam diceretur esse mensura aliorum motuum, nisi quia primus motus habere causalitatem in esse super alios, & sic eadem ratione, qua prius vnum æuum non potest esse per se mensura omnium ęuiternorum.

Si ergo

Si ergò possibile est vt sit, hoc non potest esse nisi per accidens, s. quia vnum æuum est mensura aliorum quorum & per hoc est mensura aliorum æuiternorum, quod aliqui ponunt per allegatum in secunda ratione prędicta. Quia.n.æuorum omnium est vnum genus entis, oportet ꝙ in illis sit vnum primũ qđ est mensura aliorum. Sed hoc non potest stare, quia si aliquid est mensura mensurati, quia est mensura mensuræ: oportet ꝙ sit mensura mensurati sub illa ratione quâ est mensura mensuræ, vt si locus est mensura albedinis, quæ est in superficie quia ille est mensura superficiei, oportet ꝙ secundum eandem rationem mensurandi locus sit mensura superficiei & albedinis. Nunc autẽ aliter æuum est mensura æuiterni: aliter verò vnum cuum est mensura alterius æui. Æuum.n.est mensura cuiterni, quo ad modũ existendi in simultate quadam defectibili: quemadmodum æternitas est mensura Dei, quo ad modũ existendi in simultate quadam indefectibili. Et tempus est mensura motus, quo ad modum existendi in quadam successione, secundum ꝙ alibi planius exposuimus. Æuum autẽ vnum, est mensura aliorum æuorum, quo ad dignitatem naturæ existentis, & sic æquiuocè dicitur mensura hinc inde. Et secundum primum modũ mensurandi nihil potest esse per se mensura vnius, & per illud plurium aliorũ, nisi illud vnum habeat causalitatem in esse super alia, vt dictum est, de quo nihil ad præsens. Secundum autẽ modum mensurandi secundum, secundum ꝙ vnum est mensura pluriũ, de quo loquitur Philosophus, cum dicit 10. Metaph. In quolibet genere vnũ &c. & super quem fundatur tertius modus relationis: de quo loquitur in 5. eiusdem: isto modo mensura in vnoquoque genere appellatur id, in quo nobilissimè & perfectissimè reperitur natura illius generis: sic ꝙ in quocunq; alio illius generis reperitur per quãdam defectionem, & sub quodam gradu inferiori. Et per hoc mensura isto modo principium est cognoscendi quantitatem rei mensuratæ: non quantitatem molis, quæ cognoscitur per mensuram secundum primũ modum mensuræ: sed quantitatẽ perfectionis naturalis, qua secundum August. in ijs, quæ non sunt mole magna idem est maius esse qđ melius, & hoc melius non bonitate moris, sed bonitate naturæ, qđ est esse perfectius in illa natura. In quanto autem gradu dignitatis sit vnumquodq; mensuratorum, cognoscitur per mensurã eius, quia in tanto gradu est secundum quantum participat id quod est mensurę. Quod enim participat magis, est perfectius & melius, atque maius. propter quod dicitur, ꝙ mensura est vnigenea mẽ surato. i. vnius generis, & debet mẽsura esse aliquid vnum in natura singulare, in quo natura habet esse perfectissimè, & in quo est status omnium cõmunicantium naturam illam, vt in quodam supremo dignitate & perfectione, & quod omnia alia continet virtute, & eminentia quadam in natura simplicissima illius generis, à cuius simplicitate omnia alia recedunt per aliqualem compositionem, propter quod dicitur esse minimum in illo genere. Sed genus vnum, in quo habent esse vnigenea mensura, & mensuratum dupliciter est, & secundũ hoc duplex est vnigenitas, & duplex ratio mensuræ, de qua loquitur: quarũ vna magis propriè habet rationẽ mensuræ, q̃ alia, vt iam patebit. Est enim quoddã genus Metaphysicum, quod tã logicum. Genus Metaphysicũ accipitur penès cõmunitatem purè analogicã, quæ continet aliquid, cui principaliter nomen conuenit, quod est mensura, & alijs per quandam attributionem participatiuam ad illud, quæ sunt mensurata. & sic ens dicitur genus vnum, in quo est vnum primũ minimũ mensura aliorum. De isto genere loquitur Philosophus cum dicit 4. Metaphysic. Consideratio de omnibus entis formis vniuersaliter est vnius scientiæ secundum genus formæ, & est in rei veritate scientia prioris rei ex qua aliæ dependent, & per quam vocantur entia. Et hæc res in genere entis est Deus, & est proprijssimè mensura cuislibet alterius entis. Cum.n.proprijssimè dicitur mensura aliquid in aliquo genere: oportet ꝙ genus illud secundum cõmunitatem analogicam, non æquiuocam dicatur, secundum ꝙ dicit Philosophus ibidẽ. Ens dicitur multipliciter, & non æquiuocè. Diuidatur prima diuisione in id quod est mensura, & in id quod est mensuratum: sic ꝙ in primo membro diuisionis stet ratio nominis secundũ naturam rei simpliciter significatam per nomen absque omni alia additione. In secũdo verò membro stet per alicuius additionem, quod est extra naturam rei, vt per nomen significatur simpliciter. Et sic hoc nomen ens, quod imponitur ab actu essendi simpliciter, diuiditur in ens quod nõ est, nisi esse purum, quia nihil præter esse, & per hoc est in fine simplicitatis: cuiusmodi est Deus, qui est extra omne genus prædicamenti, quod est genus logicum, vt iam dicetur, & in ens cui conuenit esse, qđ in suo significato includit aliquid præter rationem esse. Et per hoc cadit in compositionẽ & deficit à simplicitate primi entis, cuiusmodi est creaturæ essentia, quæ pertinet ad genus prædicamenti, quod non tm̃ nominat esse: sed etiã aliquid cui conuenit esse; ita ꝙ res cuiuslibet prædicamenti ẽt in generalissimo considerata cõpositum quid nominat ex esse latissimo, & aliquo cui illud conuenit, vti alias declarauimus. Et secundum hunc modum potest exponi illud dictum Boetij de Hebd. Diuersum est esse, & id quod est, ꝙ quidem id quod est non est ipsum esse, vt dicit ibidem, sed accepta essendi forma est. Sed hoc non aliud re: sed intentione sola: si enim sola ratione differrent nullam facerent compositionẽ, & est vtrunque participatio, & partialitas quædam in se respectu esse Dei, & respectu eius, quod est id quod est Deus, in quo esse, & id quod est, siue quod est aliquid, siue aliquitas eius: differunt sola ratione. Vnum tamẽ

illorum,

illorum, vt ipsum esse, est quasi quiddam participatum ab eò quod est aliquid in ipso: non autem è conuersò: dicente Boetio. Quod est participat aliquo, sed ipsum esse nullo modo aliquo participat. Et sic mensura dicitur hic proprijssimè, quia naturam continet puram esse, & secundum veritatẽ simplicitatis, & essentia creata dicitur mensurata, quia continet esse & aliquitatem, vt participatam per quandam imitationem ad esse & aliquitatem Dei, & per quandam compositionem, & sic vniuersaliter natura in qua debet esse ratio vnigenitatis inter mensuram & mensuratum, in ipsa mensura est sub quadam simplicitate & claritate, & puritate spirituali, in ipso mensurato sub quadã grossitiæ, obscuritate, & impuritatis admixtione. Propter quod respectu Dei quælibet creaturæ essentia, materiale quid dicitur: propter quod etiã Deus non proprie dicitur ens, sed esse: creaturæ verò essentia è conuersò non propriè dicitur esse: sed ens, quod includit esse, & quod est, vt cõmune analogum ad Deum & essentiam creaturæ non propriè dicitur ipsum ens: sed ipsum esse, vt esse sit ipsum latissimum cõmuniter analogum ad esse Dei, hoc est qd est ipse Deus, qui nõ est nisi esse, & ad esse creaturæ, hoc est non quod præcisè est ipsa essentia creaturæ, quia ipsa est aliquid præter esse, quæ quidem aliquitas non cadit propriè in altero membro cum diuiditur esse: sed in quod esse descendens per identitatem realem ingrossatur, & obscuratur, vt sit quædam participatio & participatum esse. Sicut autẽ Deus minus propriè loquẽdo dicitur ens vel substantia, vt ens & substantia sint analoga quædam ad ens, siue substãtiam, quæ est Deus, & ad ens siue substantiam, quæ est creatura: consimiliter in tali genere entis, & substantiæ, mensura est ens siue substantia, quæ est Deus, mensuratum verò ens, siue substãtia, quæ est essentia creaturæ. Sicut autem secundum iam dictum modũ esse simpliciter est vnum genus, in quo mẽsura est primum esse, quod est Deus, & mensuratũ ipsa essentia creaturæ, & hoc per se, & per hoc ipsa essentia creaturæ continens in se esse, vt aliquid sui: sic ens quod propriè dicitur ens in creaturis est vnum genus, in quo consimili modo iam dicto ens est primum quod est mensura aliorum. Hoc enim ens diuiditur in ens, quod non est nisi ens, & in ens, quod est alicuius, vt sicut Deus est esse in sua puritate non per alicuius appositionem, quod facit compositionem cum ipso: & ideò primum esse inter omnia esse: sic substantia est ens in entitatis talis puritate non per alicuius additionem, & ideò primum ens inter entia inquantum propriè entia dicuntur: sicut Deus est primum esse inter alia esse. Et sicut esse quod conuenit essentiæ creatorç, est esse participatione quadam, qd per quandam compositionem habet esse in essentia creaturæ inquantum est essentia simpliciter: sic accidens est ens per quandam participationem, quod per quandam vlteriorem compositionem habet esse in essentia accidentis: inquantum accidens est, secũdum hoc enim substantiæ esse respectu accidentis; est esse simpliciter, & per consimilem attributionem, qua se habet omne aliud esse ad esse Dei, se habet omne aliud ens inquãtum est ens ad ens, qđ est substantia: & ideò in genere entis, qđ est cõmune ad sola decem prędicamenta, ens quod est substantia, est mensura, & ens quod est accidens, est mensuratum. Sicut autem ens secundum iam dictum modum est vnum genus ad decem prædicamenta sic accidens est vnum genus Metaphysicũ ad nouem prædicamenta accidentium, quod diuiditur consimili modo, modis iam dictis, in accidẽs quod est alicuius simpliciter absque alio addito: quod est quãtitas, & in accidens quod est alicuius per aliud, & sic per additum, vt sunt alia accidentia, quæ non insunt, nisi per quantitatem, & hoc loquendo secundum Philosophos, qui non posuerũt accidentia, nisi in substantijs corporalibus, & sic in genere accidentium mensura aliorum est quantitas, quia alia non accidunt substantię, nisi per quãtitatem. Similiter accidens per aliud est vnum genus continens octo alia prædicamenta, quod diuiditur in accidens per aliud simpliciter absque alio addito, quod est relatio, quæ nihil rei addit super suum fundamentum per quod accidit, & in accidens per aliud additum, q̃ sit illud per quod accidit simpliciter, vt sunt alia septem, quia qualitas præter hoc, ꝙ accidit per aliud, vt per quantitatẽ: rem propriam absolutam habet, & similiter cętera sex, & sic inter talia accidentia, quæ accidunt per aliud, mensura est relatio propter simplicitatem in accidendo per aliud. Propter quod tertio loco à Philosopho ordinatur post substantiam, secũdum ꝙ super ipsius ordinatione immediatè post quantitatem magnam disputationem ponit Simplicius super prædicamentum relationis, & sic in procedendo semper in quolibet genere Metaphysico est inuenire vnum primum minimum, quod est mensura aliorum in ratione illius communis, licèt non secundum id quod alia addunt, nisi per accidens, vt patet ex dictis. Non solùm autẽ secundũ dictũ modũ est inuenire mẽsuram in genere Metaphysico, quod secundũ dicta non habet communitatẽ, nisi analogicam puram, in qua est solùm nomen commune, & nulla res: neque secundum rationẽ naturæ, neque ſm rõnem considerationis: sed ẽt est inuenire eam in quolibet genere logico, in quo licet secundum Philosophum 7. Physic. semper latet aliqua æquiuocatio, quia semper in diuisione generis per differentias contrarias, est nobilius alterum extremum contrarietatis, vt dicit in 10. Metaphy. est tamen in ipso vniuocatio inquantum est in eo aliquid commune suis speciebus secundum considerationem, & est semper species, quę constituitur per nobiliorem differentiam mensura in illo genere puta in substantiæ genere. Cum enim ipsa diuiditur per incorpoream & corpoream, nobilius natura eius descendit in incorpoream, q̃ in

corpo-

corpoream. Propter quod loquendo de mensura in genere substantiæ, vt est genus prædicamenti vniuocè se habens ad contenta sua: substantia incorporea est mensura substantiarum corporearũ inquantum substantiæ sunt.

Vlterius autem inquantum corporeæ sunt vnũ genus, & similiter inquantum incorporeæ, & semper in quolibet vsque ad specialissima, est mensura aliorum secundum rationem illius generis species, quæ cõstituitur nobiliore differẽtia, sed in indiuiduis sub eadem specie specialissima, quia nihil rei addunt super speciem, & in ipsis non est ordo dignitatis naturalis: nec ante nec post, vt dicitur 5. Metaph. ideò in illis nullum eorum est mensura aliorum. Sunt autem ad intellectum dictorum tria hic aduertenda.

Primum est, ꝙ mensura, quæ est secundum genus logicum, non ita propriè & perfectè habet rationem mensuræ sicut illa, quæ est secundum genus Metaphysicum. In genere enim Metaphysico id quod est mensura in simplicitate quadam naturæ cadit in diuisione illius generis, & in illa stat, quam primo principaliter & immediatè significat nomen generis: à qua deficit natura, quam signat mensuratum & cadit in ratione compositi: ita ꝙ nihil cõ, neq; re, neque ratione habent mensura, & mensuratum. Sed ratio & nomen generis conuenit mensurato per quandam attributionem, & imitationem ad mensuram, & non est inter illa nisi vnigeneitas imitationis propter nimium excessum, & supereminentiam naturæ, vt signatur per mensuram respectu eius, vt signatur per mensuratum. Propter quod virtute perfectissimè continet mensura in se mensuratum, & inter hæc verissimè habet rationem mensuræ, quod est prima mensura sub latissimo genere. s. sub esse vt Deus, quia se toto est mensura totius mensurati, & nõ sic aliqua aliarum. Deus enim nihil aliud existens, q̃ esse, est mensura cuiuslibet esse inquantum est esse: licet enim non inquantum est aliquid essentia creaturę, Deus non est eius mensura inquantum ipse est esse, inquantum tamen ipse est aliquid secundum rationem differens ab esse, est mensura cuiuslibet, inquantum est aliquid, sicut & est mensura substãtiæ, inquantum est eminenter substantia, & mensura nostræ sapientiæ, inquantum est eminenter sapientia, & se sic cæteris, quæ ratione nobilitatis, quam important secundũ nomina sua transferuntur ad Deum. Substantia autẽ etsi inquantum est ens secundum totalitatem entitatis suæ, quam ens primo signat est mensura aliorum entium inquantum sunt entia: non tamen est mensura illorum ratione eius, quod addunt secundum prædictum modum: sed mensura secundum genus logicum, quia non stat in simplicitate generis. Cum enim dicitur: Substantiarum alia corporea: alia incorporea, incorporeum, quod est mensura non stat in simplicitate substantiæ, nihil addendo super illud quod primo signat substãtia: sicut stat ꝙ est mensura sub genere Metaphysico. Cum enim dicitur entium aliud substantia aliud accidens: substantia nihil addit super aliquid significatũ nomine entis, quia nihil signat primo, nisi ens quod est substantia, & sic cum incorporeum sit mensura corporeorũ nõ secundum se totum hoc est mensura, neque illud mensuratum, quia incorporeum non est mensura illius, nisi inquantum est substantia, non inquantũ est talis substantia secundum rationem suæ differentiæ, quam addit supra genus. Similiter nec corporeum est mensuratum nisi ratione, qua est substantia simpliciter: non ratione differentiæ suæ. Ratione enim differentiæ vna nõ est in illa aliquo modo, neque secundum esse nobilius, neque alio modo, licet vna differentia sit nobilior, q̃ alia, sed solùmmodo est in illa virtute, vt in nobiliori inquantum est nobilior ratio substantialitatis descẽdens in speciem per differẽtiam nobiliorem, q̃ per differentiam minus nobilem. Secundum autem quod hic est aduertendum est, ꝙ aliter descendit genus, quod est substantia in species corporeas, & incorporeas. In istis enim descendit per solam formam separatam, quam addit differentia super formam generis, & super solam formam: in illis autẽ per formam differentiæ, quæ recipitur in materia. Et sic non per solam formam, sed etiam per materiam, quæ facit ꝙ corporeum sit genus subalternũ non solùm logicum, sed naturæ, & sic etiam nobilius esse habet subalternum in incorporeo, quia in illa descendit per differentiam, quę est forma immaterialis, & sic manet in illo forma immaterialis, q̃ in corporeo, quia in illa descendit per differentiam, quæ est forma materialis, & sic fit quodammodo in illo forma materialis. Propter quod, vt dictum est, incorporeum mensura est corporei. Secundum autem istos diuersos modos descendẽdi genus in species diuersificatur ratio mensuræ sumendæ in genere corporei, & in genere incorporei, quia enim vt alibi declarauimus in genere incorporei quanto differentia prius stat constituendo speciem specialissimam: tanto speciem perfectiorem constituit, & ipsa in se est perfectior, & quanto tardius constituit speciem specialissimam; sed prius constituit speciem subalternam, quæ per vlteriorem differentiam descendit quousque perueniatur ad speciem specialissimam, tanto constituit speciem imperfectiorem & ipsa est in se imperfectior: ita ꝙ in incorporeis species specialissima, quæ plures differentias in se colligit, & in quam vltimo descendit genus illa est imperfectissima, & illa in quã vnica differentia descẽdit genus, illa est simplicissima & perfectissima omnium aliarum perfectiones in se continens, inquantum sunt substantiæ sub ratione eminentiori. & ideò illa species est mensura aliarũ in genere incorporeorum. In genere autem corporei quanto differentia prius stat constituendo speciem specialissimam: tanto speciẽ imperfectiorẽ constituit, & ipsa in se est imperfectior. Et quanto tardius constituit speciem specialissimam:

lissimam: sed prius constituit speciem subalternã, quæ per vlteriorem differentiam descẽdit, quousque perueniatur ad speciem specialissimam: tanto constituit speciem perfectiorem, & ipsa in se est perfectior. Ita ꝙ in corporeis species specialissima, quæ plures differentias colligit in se, & in quam vltimo descendit genus: illa est perfectissima omniũ aliarum perfectiones in se continens in vna simplicissima re secundum ꝙ corporea, licèt plures contineat intentiones. Et ideò illa species est mensura aliarum in genere corporeorum, vt est species humana secundum ꝙ corporea, & habet perfectius rationem mensuræ respectu omnium corporeorum, quia secundum omnem rationem. s. & secundum rationẽ corporei mixti, & secundũ rationem animati vegetabilis & sensibilis: licèt secundum rationẽ rationalis nullius sit mensura, quia per illã differentiam ab alijs distinguitur & mensuratur per mensurã incorporeorum, eo ꝙ anima rationalis secundũ rationalitatem infima est intelligẽtiarum, & per ipsam est confinium incorporeorum & corporeorum per differentias alias, cũ tamen mensura incorporeorum non est mensura aliorum, nisi secundum rationem substantiæ, vt dictum est.

Tertium est, quod hic aduertendum est, ꝙ cum indiuidua sub eadem specie nõ possunt habere rationẽ mensuræ ratione qua indiuidua, quia nullũ eorum potest esse aliorum mensura, vt dictũ est, ꝙ nihil esse habet mensura nisi ratione formę speciei, & hoc specialissimæ solùm, quia in illa est sola perfectionis ratio. Quod si ratio mẽsurę sit in vnico indiuiduo: hoc est solùm per accidens. s. quia species non subsistit in alio, quæ tamen posset, vt habitum est supra esse in pluribus, vt patet in corpore orbis primi quod ponitur mensura omnium corporum sm̃ ꝙ sunt corpora, & in primo Angelorum: si sit vnicus sub sua specie: si tñ sit ponere aliquẽ primum & supremum. Quod dico, sed non asserendo: si enim esset aliqua substantia separata, quæ esset mensura aliorum, in ipsa esset status. Sed sm̃ acticulum quendam dãnatum Parisij nulla creatura habet statum in supremo, qm̃ superior ea esse potest, eo ꝙ in infinitũ semper distat à substantia increata. Sed in infima est status. s. in anima rationali, propter quod aliqui ponunt eam esse mẽsuram omnium substantiarum separatarum, quia dicit Auerr. si ignoratur intellectus possibilis, tũc non scitur numerus substantiarum separatarum. Item quia vt argutum est tunc diabolus lucifer esset mensura omnium sm̃ opinionẽ illorum, qui dicunt ipsum fuisse supremũ Angelorum: an in infinitum procederet processus Angelorum sm̃ perfectius & perfectius, & sic sm̃ species diuersas, nõ video. Sed video ꝙ si sic sit, ꝙ tunc infinitæ ideę Angelorum sunt in Deo, & similiter infinitę essentię specierum Angelorum sunt in eius notitia: licèt non sit ponere aliquem vltimum in actu propter processum in infinitum, quod si sit, non video quin vniuersitas illarum essentiarum etiã in infinitum distat à diuina essentia, sicut & quælibet illarum secundum se, vt extra illam eadẽ ratione sit ponendum aliam omnibus, quæ sunt in illa, superiorem quæ potest similiter fieri secundum actum à Deo, & sic etiam in infinitum, vt esset alia infinitas caliũ essentiarum in diuina notitia, & similiter idearũ earundem, & sic in infinitum esset ponere infinities infinitas ideas in Deo, & infinities infinitas essentias Angelorum in diuina notitia. Nec sufficit dicere, ꝙ illa summa infinitarum essentiarum à diuina essentia distat distantia infinita, considerando diuinam essentiã, vt est essentia non tamen considerando ipsam, vt est idea. Quia. s. sicut infinitæ essentiæ Angelorum sunt infinita cognita in diuina notitia, sic sunt earum infinitæ ideæ in diuina essentia, & sic inquantum est vtrobique infinitas non distant omninò, sed æquiparantur, licèt distẽt in infinitum, quo ad essentiam maximè cuiusque illorum secundum se, & sic quia ratione numerorum est æquiparatio, nõ est processus in infinitum super totam summam prędictam, licèt super quẽlibet singulariter datum procedit processus in infinitum.

Respondendum est. n. ꝙ sicut numerus infinitus essentiarũ æquiparatur numero idearum: sic vnitas essentiæ cuiusque illarum æquiparatur vnitati ideę suæ: sicut ergo non obstante ista æquiparantia sm̃ rationem vnitatum, qua vnitati essentię respõdet vnitas ideæ, vt ꝙ vnitati essentiæ cuiuslibet Angeli vnitas suæ ideę respondet: propter distantiam tamen infinitam inter essentiam cuiusq; Angeli, & essentiam diuinã est sumere essentiam Angeli specificam, vnam super alteram in infinitum, sic non obstante illa æquiparantia secundum rationem infinitatum, qua infinitati essentiarum respõdet infinitas idearum, vt ꝙ infinitis essentijs specificis Angelorum respondent infinitæ ideæ: propter distantiam tamen infinitam illarum essentiarũ infinitarum, inquantum sunt essentiæ ab essentia diuina, est eadem ratione sumere super quamlibet summam infinitarum essentiarum Angelorum alĩ quam essentiam Angeli superiorem. Semper enim æquè infinita distantia manet inter quãcunq; vnã essentiam datam, & quãcunque summam infinitarum essentiarum Angelicarum ad diuinam essentiam, & sic benè procedit argumentatio iam inducta. Non video ergo posse absolui infinitam distãtiam creaturæ ad Deum per hoc ꝙ fit semper sumere Angelum super Angelum in infinitum, nisi aliqua essentiarum infinitas adęquet quoquo modo infinitatem diuinæ essentiæ: non tantùm quo ad numerum essentiarum, sed etiam quo ad quãtitatem perfectionis ipsius essentiæ, vt est essentia. Videat ergo qui poterit si infinities infinitæ essentiæ creaturarum possunt adæquare illam infinitatem: ita ꝙ remaneat distantia infinita inter illas, & an sumendo vnum inconueniens, ne. s. ponatur finita distantia inter creatorem & creaturam, incidatur in aliud. s. ꝙ in infinitum Angelorum perfectio

factio & simplicitas procedit, & ꝙ sic vniuersitas aliqua creaturarum posset adæquare diuinam infinitatem, quo ad perfectionem & simplicitatem essentiarum. Videat ergo qui poterit, an sit inconueniens ponere primum & supremum Angelum, & manere illam infinitam distantiam, quia æqualiter videtur manere, etsi processus ponatur procedere in infinitum. Quantum enim nunc distat diuina substantia à nouem generibus accidentium, tantùm distaret substantia simpliciter ab accidente: etiam si ponatur ꝙ in infinitum posset procedere processus, vt semper genus accidentis aliud & aliud nobilius & nobilius fieri posset, nunquàm enim infinitas generum accidentis posset attingere dignitatem eius, quia est eius mensura secundũ naturam. Et similiter quantum distat infimá substantia puta materia à Deo, tantùm distaret supremus Angelus non solùm, qui factus est, sed etiam, qui fieri posset, quia licet inter creata finita secundum ꝙ inter se comparentur, secundum hoc ꝙ sunt finita magna est distantia secundum gradus: inter ipsa tamen secundum ꝙ comparantur ambo ad Deum ad quem habent distantiem infinitam, nulla est distantia maior inter vnum eorum, & Deum, & inter alterum eorum, & Deum, quemadmodum si duæ lineæ coniunctæ in aliquo puncto ambæ essent infinitæ ex parte vna, & finitæ ex altera, quantuncunque vna earum excederet alteram ex parte illa, quæ sunt finitæ, æqualiter tamen essent infinitæ ex altera, & à partibus finitis signatis in dictis punctis æqualiter distaret quicquid in infinitum vel infinitè distaret ex parte alia, quia ex parte infinitæ distantiæ non est comparatio secundum magis, nec secundum minus, nec secundum æquale: inter se tamen sese haberent finita secundum excessum, & qualis esset excessus secundum situm in corporalibus & lineis: talis est in spiritualibus secundum naturę gradus. Sed qualitercunq; res se habeat in hoc, tamen si aliquis Angelus secundum aliquam speciem vel aliqua species Angelorum esset mensura omnium Angelorum simpliciter; re vera non posset fieri superior, quia status est in mensura simpliciter. Nihilominus tamẽ, quia Angelus superior semper in dignitate superior est inferiore: ille secundum hoc manet mensura illius: quodlibet enim genus, vt iam dixi habet suam propriam mensuram in specie nobilioris differentiæ licèt sit alia superior, vel posset esse etiá in infinitum. secundum enim hunc modum mensura prima accidentis in eo, ꝙ habet esse, Deus est: in eo tamen ꝙ est ens pertinens ad prædicamentum, substantia quæ est in prædicamento est eius mensura etiam ratione generis, licet aliqui dicant ꝙ non sit ita. Quod autem dicunt aliqui, ꝙ anima rationalis sit mensura Angelorum: hoc omninò est contra rationem mensuræ, de cuius conditione est esse perfectissimum, vt habitum est supra. Et quod dicit Auerro. ꝙ ignoto intellectu possibili ignoratur numerus substantiarum separatarum: hoc non dicit quia per eius notitiam, vt per mensuram cognoscuntur, quod etsi esset verum non tamen per eius notitiam cognoscitur numerus earum, quia mensura non facit notitiam, secundum rationem differentiarum qua inter se distinguuntur mensura & mensuratum nisi in solo Deo, vt dictum est. Sed id dicit Auerrois, quia intellectus possibilis est vna substantiarum separatarum, qui nõ cognita impossibile est, ꝙ omnes sint cognitæ.

Responsio.

Tunc descendendo ad propositum: dico ꝙ sicut in substantijs in quolibet genere est ponere mensuram & mensuratum sic & in accidentibus, quare cum ponendo æua differre secundum differentiam Angelorum est vnum genus subalternum æuorum sicut & Angelorum: secundum eundem modum quo est ponendum vel non ponendum mensuram vnam Angelorum secundum substantiam in vna specie Angeli: sic est similiter ponendum in æuis, ponendo. s. vel non ponendo æuum illius esse mensuram aliorum æuorum, sed nullo modo aliorum æuiternorum propter mensuræ æquiuocationem, vt habitum est supra. Vnde negãtes aliquam speciem Angeli esse secundum substãtiam aliorum mensuram, negant æuum cuiuscunque esse mensuram aliorum æuorum. Si autem poneretur, & liceret ponere vnam speciem Angeli, tanquàm superiorem, re vera æuum illius communiter deberet poni mensura omnium æuorum. Nihilominus tamẽ sicut in speciebus Angelorum, quæ sunt, est ponere aliquod genus Angelorum, quod non est minus, siue superiores fiant, siue non, secundum illud genus saltem est ponere vnam speciem mensuram aliarum, & æuum illorum aliorum æuorum. Quod autem aliqui dicunt, ꝙ licèt non sit vnum æuum omnium æuiternorum hoc est mẽsura eorum aut suorum æuorum, reducuntur tamẽ in vnam mensurã primam omnium, quæ est æternitas; quod verum est: nihilominus tamen præter illam, quæ est extra genus logicum, quęrendę sunt propriæ in quolibet genere logico, quemadmodũ in genere colorum ponitur mensura albus color.

Ad secundum.

Quòd arguitur si Angelus vnus esset mensura aliorum, & eius æuum aliorum æuorum, ille esset lucifer, & videtur inconueniens, ꝙ sit mensura bonorum Angelorum, hoc certè verum esset si ratio mensuræ sumeretur secundum rationem gratiæ, nunc autem non sic est, sed sumitur secundum rationem naturæ, quam non mutat gratia, nec in Lucifero deleuit culpa: propter quod nullum esset inconueniens ipsum, & suum æuum ponere mẽsuram aliorum Angelorum, scilicet beatorum & æuorum ipsorum.

Comment.

Comment. in Quæstionem Vndecimam, quæ est,

Vtrum vnum sit tantùm æuum omnium æuiternorum.

IN titulo declarandum esset quid sit æuum, &c. quid æuiternum, sed quoniam id factum à nobis est in quinto quolibet quæst. 13. ibi remittimus lectorem.

Not. autem, q aliud est quærere vtrum æuum vnum sit mensura omnium æuiternorum, & aliud, vtrum sit mensura omnium æuorum. si primum nanque dicatur, & affirmetur, tunc statuetur accidens mensuram esse substantiæ, quippe æuum sit accidens, æuiternum autem substantia. Et dum quæreretur hoc, posset intelligi vel per se, vel per accidens.

Not. insuper, q si quæratur vtrum vnum æuum sit mensura omnium æuorum, potest id intelligi dupliciter. primo quidē, quod æua huiusmodi omnia sint propria suis æuiternis, vt quodlibet æuiternum habeat suum proprium æuum, & tunc quæratur, Vtrum inter hæc æua detur Vnum primum, quod sit mensura omnium aliorum. secundò potest intelligi quod nullum æuum sit alicui æuiterno proprium, sed commune, ita tamen vt vnum sit mensura omnium aliorum.

Not. amplius, q dum id quæritur, per æuiterna aut intelligimus Angelos tantùm, aut etiam animas ipsas rationales.

Rursum id intelligi potest vel secundum genus Metaphysicum, vel secundum genus logicum. Vbi in Metaph. breuiter, id dicitur primum, cui principaliter atque simpliciter nomen generis conuenit, cætera verò secundario, per quandam participationem ab ipso. Vt in genere entis Metaphysico Deus est primum, cætera verò secundaria, quasi participationes, ac imitationes illius primi. In logico verò illud est primum, quod coarctatum per nobiliorem differentiam. Vt in genere substantiæ logico, incorporea substantia primum est, & cæterorum mensura illius generis.

His sic adnotatis procedendum est per conclusiones in hac quæstione, vt melius, atque facilius Doctoris sententia intelligatur.

In corpore igitur septem conclusionibus videtur quæsito satisfieri. Quarum Prima est. Non datur æuum, quod sit propria mensura vnius Angeli, & aliorum per illum, sic quod nullus illorum proprium habeat æuum.

Probatur conclusio vbi non est connexio causæ & causati, ita vt posteriora dependeant à primo, ibi non datur huiusmodi mensura, sed inter æuiterna, vt inter Angelos, non datur huiusmodi connexio, vel connaturalitas, igitur &c.

Secunda conclusio. Æuum vnius Angeli proprium per se non potest esse mensura aliorum Angelorum, etiam quod vnusquisque habeat proprium æuum.

Probatur eadem ratione. Ibi enim mensura vnius propria est mensura alterius, vbi vnum habet causalitatem respectu aliorum inesse, sed inter æuiterna non est causa aliorum, igitur &c.

Not. q oporteret æuiternum aliquod æuiterno esse mensura, sed non ad hoc tendit ratio, quia circa hoc erit inferius conclusio.

Tertia conclusio. Vnum æuum vnius Angeli proprium non potest, & etiam per accidens.

Not. q hæc conclusio ponitur propter hoc, q aliquis dicere posset, q ideò vnum æuum poterit esse omnium æuiternorum mensura, quatenus vnum æuum erit mensura omnium æuorum, &c. sic æuum vnius erit mensura æuiternorum omnium per aliud, quod est per accidens. Dato autem pro nunc, & non absolutè concesso, quod Vnum æuum sit mensura omnium aliorum æuorum, improbat tamen consequentiam, quæ est tanquàm conclusio.

Ratio igitur est quodlibet est mensura alterius per accidens non est nisi eadem ratione, qua est eius, cuius est mensura per se. Vt eadem ratione mensura est mensurati, qua est etiam mensuræ, sed non eadem ratione æuum est mensura æuiterni, &c. æui, igitur æuum non mensurat æuiternum per æuum. Maior patet in exemplo de loco mensurante colorem per corpus, quòd mensurat eum eadem ratione. Minor patet, Quia æuum mensurat æuiternum, quo ad modum existendi in simultate defectibili, &c. Æuum Verò mensurat æuum, quo ad dignitatem naturæ existentis. Quo fit, Vt diuersa sit ratio mensuræ, &c. prorsus æquiuoca.

Quarta conclusio. Æuiternum non est mensura æuiterni secundum genus Methaphisicum. Patet in Angelis, quia si daretur talis mensura, daretur Vnum primum, cui simpliciter nomen generis conueniret, puta Angeli, vel æuiterni, cæteri verò essent secundum aliquam participationem, hoc autem falsum est, igitur.

Quinta conclusio. Æuiternum secundum genus logicum est mensura æuiterni, sumpto quocunque æuiterno simul.

Not. q includimus etiam animam rationalem, qua cum nobilior sit Angelus, profectò eius mensura est Angelus ipse contrahitur enim à genere suo subalterno communi ad animam rationalem per differentiam nobiliorem, Vnde sic etigitur ratio.

Nobiliori differentia præditum secundum genus logicum est mensura aliorum, quæ ignobiliori differentia prædita sunt, sed Angelus nobiliori differentia, igitur &c.

Sexta conclusio. Eo modo, quo æuiternum est æuiterni mensura, eo modo &c. æuum est æuorum aliorum mensura. Patet hæc conclusio, quia sicut se habent in genere logico substantiæ, ita &c. in quolibet genere accidentis logico, sed in illo datur talis mensura, igitur & in hoc est autem æuum accidens, & genus respectu suorum æuiternorum, igitur.

Septima conclusio. Si inter Angelos datur nobilior species, tunc dicendum est, quod vnum æuiternorum in Angelis secundum genus logicum erit mensura aliorum.

Not. q hanc conclusionem ponit Auctor cum conditione, ob articulum Parisijs condemnatum, in quo. s. non videtur concedi status in perfectione creaturarum, qui tamen datur, vt visum est quolibet octauo quæst. 8. Vbi tametsi Auctor articulos magnificauit, videtur tamen inclinare ad statum, vt patet hic & ibi, sed notato, quod hoc dupliciter intelligi potest. Vel q non detur status ita, vt non possit assignari nobilius in creaturis æuiternis communiter, vel tantùm in Angelis. Si primum, visum est ibi, & veritas hæc est, quod natura Angelica nobilior est cunctis alijs, & ideò, vt dictum est in quinta conclusione, Angelus est mensura aliorum æuiternorum. Si secundum, tunc dicunt quidem non esse nisi lucifer, quem tamen esse mensuram nolunt, vt patet in argumento in fronte quæstionis, cui satisfaciens Auctor concedere videtur sine conditione conclusionem positam vltimo loco, & affirmatiuè. Ex his credimus tantum lumen huic quæstioni attulisse, vt diligens lector possit modo faciliter percipere. Ideo hæc satis.

QVÆSTIO

QVAESTIO XII.

Vtrum Angelus poteſt naturaliter videre corpus Chriſti ſub ſacramento.

Arg. prim. CIRCA tertium arguitur, quòd Angelus naturaliter poteſt videre corpus Chriſti ſub ſacramento, quia ſenſus viſus poteſt videre album colorem & nigrum in corpore aliquo, ſed ſi albus color vertatur in nigrum, adhuc videbit ipſum nigrum colorem in corpore eodem, quare cum Angelus per intellectum poteſt naturaliter videre ſubſtantiã panis & corpus Chriſti, ſi vertatur ſubſtantia panis in corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis adhuc videbit ipſum Chriſti corpus ſub illis; hoc autem eſt videre ipſum ſub ſacramento: ergo &c.

In oppoſit. Contra. Quia diabolus poteſt naturaliter videre qđ Angelus bonus, diabolus ergo poſſet videre myſterũ ſacramenti naturaliter, conſequens eſt falſum, quia tunc non eſſet myſteriũ: ergo &c.

Reſponſio. Dicendum, quòd myſterium, ſiue ſacrum ſecretum huius ſacramenti in tribus conſiſtit, quorum primum eſt conuerſio panis in corpus Chriſti. Secundum quomodo quod fuit antequam eſſet ibi corpus Chriſti non eſt annihilatum, ſed eſt aliquid in corpore Chriſti, ſiue aliquid eſſe habet in illo, ſiue eſſe illius, quod eſt corpus Chriſti aliquo modo conuenit ei, quod fuit ſubſtantia panis, ſecundum quod tactum eſt ſupra. Tertium quomodo corpus Chriſti habet eſſe ſacramentaliter ſub ſpeciebus illis, ſub quibus fuit prius ſubſtãtia panis. Et ad nullum iſtorum poteſt ſe extendere videre Angeli naturale, quia quodlibet illorum eſt quod ſupernaturale. Non enim poteſt videre illã tranſmutationem, licèt poteſt videre defectũ ſubſtantiæ panis ſub illis ſpeciebus, nec poteſt videre naturaliter quomodo eſſe aliquod conueniat in corpore Chriſti, ei quod prius fuerit ſub ſpeciebus panis. Nec etiam tertio poteſt videre quomodo corpus Chriſti eſt ſub ſpeciebus panis, & etiam an ſit ibi, quia non eſt ibi per ſe niſi ratione ſubſtantiæ, quæ licèt ex ſe viſibilis ſit naturaliter Angelo per intellectum: non tamen vt eſt ibi per accidentium concomitantiam, ſed ſolùmmodò, vt eſt alibi per accidentium in loco proprio ſignationem, & ſecundum hoc concedenda eſt ratio ſecunda.

Ad primã prin. Ad primam de uidere album & nigrum: dicendum, ꝙ licèt ſenſus uiſus poſſit uidere album & nigrum ſeorſum in aliquibus corporibus diuerſis, non autem in eodem ſecundum idem: tamen ſi album uertatur in nigrum, licèt adhuc uideat ipſum nigrum ubi prius uidit ipſum, ſcil. corpore, in quo prius uidit ipſum: non tamen uidet ipſum ſub quantitate, ſiue in quantitate in qua, uel ſub qua prius uidit album, & ſimiliter in propoſito, licèt Angelus uidet corpus Chriſti ubi prius uidit, ſ. ſub proprijs dimenſionibus, non tamen ſub ſpecie ſacramenti ubi prius ipſum non uidit.

Comment. in Quæſtionem XII. quæ eſt,

Vtrum Angelus poteſt naturaliter videre corpus Chriſti ſub ſacramento.

IN titulo ly naturaliter intelligitur, ſ. per cognitionem eorum naturaliter. Etſi enim Angelus ſit ſubſtantia intellectiua ſupranaturalis, duplicem tamen habet cognitionem, naturalem ſ. & ſupranaturalem quemadmodum euenit in nobis, tametſi eorum cognitio naturalis ſit purior, atque excellentior noſtra naturali. Eſt autem cognitio naturalis in Angelo illa habitualis cognitio, de qua alibi dictum eſt.

In corpore quæſtionis habetur concluſio negatiua, ſ. quòd Angelus non poteſt videre naturaliter corpus Chriſti ſub ſacramento.

Probatur hæc concluſio. Naturaliter videre nõ poteſt, & in quibus conſiſtit ſacramenti huius ſecretũ, ſ. conuerſionem, aliquitatem panis annihilatam, & modũ, quo corpus Chriſti, &c. igitur nec corpus Chriſti. Patet conſequentia. Antecedens probatur, quod eſt cõtra ſupra naturale videri naturaliter non poteſt, ſed Quodlib. illorum trium eſt ſupra naturale, igitur &c.

Probatur etiam per ſecundum argumentum in fronte quæſtionis, quod ſequeretur, Diabolum id videre poſſe.

Hanc eandem ſententiam habet Richardus in 4. ſentent. diſt. 10. art 5. quæſt. 1. Habet eandem D. Thom. & plures alij: veruntamen Scotus in 4. ſentent. arguit contra probando quod intellectus quilibet ſeiunctus à materia, ac corpore, naturaliter videre poteſt corpus Chriſti ſub ſacramento.

Primò ſic. Ens creatum eſt obiectum intellectus, cum ergo tàm corpus Chriſti, quàm eius exiſtentia in ſacramento ſi creatura ſequitur vt ab intellectu percipi poſſit.

Secundo. Subſtantia per ſe eſt intelligibilis prius natura, quam quicunque eius modus exiſtendi, qui eſt ei accidentarius, ergo quomodocunque exiſtat in illo priori poteſt intelligi naturaliter.

Tertiò. Poteſt intellectus percipere illic non eſſe panem, ſed abſentia panis fit per præſentiã corporis igitur intelligit corpus.

His præſertim Scotus infringere quærit concluſionem, ſed non difficilè eſt ipſi ſatisfacere adnotato hoc, quod intellectus non põt naturaliter aliud percipere, niſi quod illi eſt obiectũ naturaliter. Iam verò naturaliter nõ eſt illi obiectũ, niſi quod naturale eſt, vel ens inquantum ens, vt docet Ariſt. Iam vero cognoſcere ens inquãtum ens non eſt cognoſcere naturaliter, non eſt cognoſcere, niſi quo ad oẽs eius modos exiſtendi naturaliter, nõ aũt quo ad oẽs modos exiſtendi ſupernaturaliter, & cum Primo dicit, ꝙ ens creatum eſt obiectum intellectus, id conceditur, & eius ratione, qua eſt obiectũ, quod cognoſcitur, ſed nõ eſt obiectum, quo ad oẽs modos exiſtendi. vnde negatur quod exiſtentia corporis Chriſti in ſacramento ſit naturaliter obiectum intellectus. Ad ſecundum dicimus, ꝙ verum eſt, dari talem priorita ẽ facta comparatione inter ſubſtãtiã, & modum eius exiſtendi naturalem, non tamen facta comparatione inter eandem ſubſtantiam, & modũ exiſtendi ſupra naturalem, ad quem nullo ordine ſe habet, ita vt nec prius, nec poſterius cognoſcatur modus ille in ordine ad ſubſtãtiam, ſed vtrq. ſeorſum cognoſcitur per virtutem ſupernaturalẽ. Ad tertium reſpondere vt Auctor, quod tametſi abſentiã panis Angelus videat, nõ tñ põt videre illam tranſmutationem, nec modum exiſtendi illic. Et not. quõ Scotus ſuppoſuit in ſua argumentatione panem annihilari, quod tamen alibi exploſum eſt. Non obſtat igitur, quod ad abſentiam panis, ſ. ad abſentiam ſubſtantiæ panis, ſit corpus Chriſti, quia ſtare poteſt, vt videat abſentiam panis, ſed nequaquam modum.

HENRICI A GANDAVO

QVAESTIO XIII.

Vtrum in dæmonibus cadat obliuio.

Arg princ. CIRCA quartum arguitur, ꝙ in dæmonibus cadat obliuio, ſic. Auguſt. dicit ſexto Muſicæ. Species, quæ eſt in memoria, quàm citò ineſt incipit labi, & hoc cauſat obliuionem, quare quia dæmon cognoſcit per ſpeciem, ſiue quæ eſt habitus, ſiue aliquid aliud (in hoc enim nulla eſt differentia) poteſt obliuiſci.

In oppoſit. Contra. in ipſo nulla euenit deletio, nec per ſe naturaliter, quia in ipſo nihil naturaliter productum eſt: nec per accidens, quia nec per ſubiecti corruptionem, quia ipſe incorruptibilis eſt: nec ꝑ accidens, quia nec per ſubiecti corruptionem, quia ipſe incorruptibilis eſt: nec per actus ceſſationem quia ꝑ actus nihil in ipſo generatum eſt. ergo &c.

Reſpenſio. Dicendum, ꝙ in diabolo ſicut & in Angelis bonis duplex habetur ſcientia. Vna ab æterno ſuo ſiue ab initio ſuæ creationis, putè ſpeculatiua circa æterna & rerum omnium vniuerſales eſſentias, quæ ei naturaliter eſt indita à producente ipſum in eſſe. Altera ex tempore practica ſiue experimẽtalis, acquiſita ex factis & contingentibus particularibus.

De prima dico ꝙ circa eam in dæmonibus nulla omninò cadit obliuio, quia ſicut integra ipſis manent naturalia, vt dicit Dionyſius. 4. cap. de Di. no. ſic integra manet & talis notitia.

De ſecunda dico, ꝙ hæc tria differunt, neſcientia, ignorantia, & obliuio, quoniam omnis ignorantia & obliuio eſt neſciẽtia, ſed non cõuertitur, qui. n. ignorat aliquid aut oblitus eſt eius neſcit illud, quod enim aliquis nunquàm ſciuit, neſcit: nõ tamen ignorat aut oblitus, quia nunquàm illud ſciuit. Ignorantia autem & obliuio propriè loquẽdo præſupponunt habitum fuiſſe, vel ad minus, quæ ad ignorantiam potuiſſe fuiſſe.

De neſcientia verum eſt, ꝙ eſt in dæmone, quia multa potuiſſet ſciuiſſe ſi ſteriſſet, quæ nunquàm poſtea ſciuit. Multa etiam ſunt ſcibilia Deo de ſe ipſo, quæ non poſſunt ſciri modo quo Deus illa ſcit à creatura. Et ſic quo ad illa diabolus habet neſcientiam. Quę ſi largo modo poſſit dici obliuio talis obliuio cadit in dæmone ex merito peccati ſui, dicente Gregor. 4. libro Moral. ſuper illud Iob tertio; Obſcurent eum tenebræ & vmbra mortis.

Per vmbram mortis obliuio debet intelligi, quia ergo apoſtata Angelus æternæ obliuioni traditur, vmbra mortis obſcuratur. Obliuio autem propriè dicta eſt carentia notitiæ prius habitę per deletionem interius illius, quo eam habuit, ſiue ponatur fuiſſe ſpecies, ſiue habitus, & quia in ipſo interius nulla poteſt fieri deletio eorum, quæ à creatura & ex creatione naturaliter habuit, idcircò in ipſo nulla proptiè loquendo cadit obliuio. Ignorantia autem tripliciter cauſatur. Vno modo, quia aliquis neſcit aliquid quod potuit ſcire & addiſcere, ſed noluit, faciendo quod eum ab addiſcendo impediuit, vel impoſſibilem ad addiſcendum reddidit. Alio modo, quia per deletionem alicuius, quo ſciuit interius eſt oblitus ſimpliciter. Tertio modo, quia propter paſſionem ſuperuenientem non aduertit ad tempus. Primo modo dico, ꝙ multa ignorat, quæ modo ſciunt beati Angeli. Secundo modo nihil ignorat ſicut nec propriè eſt oblitus, vt enim alibi dixi: Angelus per habitus innatos, cognoſcit rerum vniuerſalia, per quæ abſq; omni ſua immutatione cognoſcit eorum ſingularia ſecundum ꝙ ſuccedunt ſibi & ſecundum ꝙ cõtingunt in tempore. Sed ex illis Tertio modo aliquando cognoſcit aliqua certa experientia coniecturali quibus opinanter adhæret. puta de Chriſto, ꝙ erat filius Dei: ſuperueniente tamen motu iræ & inuidiæ opinatus eſt contrarium, & ſic ad horam ignorauit quod prius ſciuit. Aut fortè quod aliquando verè ſciuit ex habitu interiore, vt quod Deus iuſtus eſſet, per paſſiones obnubilatus ad horam ſine variatione facta in habitu: ſed ſolùm in actu mentis potuit aliquando ad horam ignorare, quod prius ſciuit. Quod enim ad actus mentis, & voluntatis in ipſo ponatur mutatio, nullum eſt inconueniens. Et hoc modo ignorando largè loquẽdo appellando ignorantiam hanc ad tempus obliuionem, in ipſo cadit obliuio: alias autem nõ, quæ in bonis Angelis nequaquàm cadit, quia in ipſis non prouenit aliqua paſſio obnubilans. Vnde Ioannes † Damaſcenus. 4. cap. Cœl. Hierarch. loquens de dæmonibus & de obliuione ipſorum propriè dicta, dicit ſic. Angeli ſemper diſcere poſſunt, ſed nunquàm obliuiſci, & ſequitur. Malitiam omnem ſuperat & obliuionem.

† Sarace. nus.


Per iam dicta circa corpus quæſtionis patent argumenta vtriuſque partis.

Comment. in Quæstionem XIII. quæ est,

Vtrum in dæmonibus cadat obliuio.

TITVLVS ex se clarus. Not. tamen ꝙ quæstio dilatatur, vt resoluatur etiam quo ad scientiam, nescientiam, ignorantiamque.

In corpore sex conclusionibus respondetur, habitis his, quæ ad tabellæ formam sic possumus redigere.



Prima conclusio patet, quia ex Dionysio integra in dæmonibus manserunt naturalia, ideò & notitia.

Secunda patet, quia potuisset plura scire, si stetisset.

Not. ex hoc, quod propterea Angeli Sancti plura sciunt, quàm dæmones scientia huiusmodi practica. si.n. quia non steterunt, multa nescierunt, sequitur ꝙ qui steterunt, multa sciuerint.

Amplius patet ex eo, quod multa scit Deus de seipso, quorum nescientiam habent dæmones. Et quod largo modo hæc nescientia possit dici obliuio, colligit ex Gregorio.

Tertia patet, quia cum non steterint dæmones, impediuerunt se, ne plura scirent, quæ scirent, si stetissent.

Quarta, & Sexta patent, quia per habitus innatos cognoscit id omne, quod ab initio suæ creationis agnouit ipse dæmon, & ipsi habitus ideò manserunt, quia naturales erant, & sunt. Naturalia autem ex Dionysio manserunt integra. Et id dicunt omnes

Quinta conclusio patet per duo exempla in litera de Christo, quem agnouit filium Dei, ex passione autem obnubilante dubitauit. Collige hoc ex tentatione à dæmone facta Saluatori. Et de cognoscente Deum tanquam iustum, & deinde ex passione contra. &c.

QVAESTIO XIV.

Vtrum anima separata non impedita suo corpori omninò dispositò propria virtute possit reuniri.

SEQVVNTVR quæsita specialiter pertinentia ad hominem, & erat vnũ pertinens ad statum separationis animæ hominis à suo corpore, & plura alia pertinentia ad statum coniunctionis eius cum corpore. Illud vnum erat. Vtrum anima separata non impedita suo corpori omninò dispositò propria virtute posset reuniri.

† Saracenus.

Arg. prin. Et arguitur quòd non, quia vt videtur sicut anima se habet ex se ad separandum se à suo corpori sic se hẽt separata ad reuniendum se illi: sed aĩa à suo corpore nõ põt se sua propria virtute separarẽ, quia naturale sibi est esse in corpore; ergo &c.

In oppos. Contra. anima separata naturaliter inclinatur ad suum corpus secundum August. (vt alias exposuimus) & si non impediatur potest se applicare illi sicut & alij. & intrare ipsum in intimis. Forma autem naturalis non potest sic intrare materiam propriã, nisi ei vniatur, vt forma & actus. ergo &c.

Responsio. Dicendum, ꝙ cum anima non sit forma educta de potentia materię, immò per hoc corpori infundatur ꝙ in eo creatur ac si de potentia eius educi posset & per hoc diuina actione est ei præsens, vt proprio perfectibili, & vt proprium actiuum suo proprio passiuo: Dico quo ad actionem qua recipit passum actum primum, qui est esse, quem anima ex seipsa agit naturaliter in proprium corpus cum sic ei est approximata, & per hoc ei vnitur, & inhæret naturaliter, vt perfectio perfectibili agendo actionem perficiendi in esse primo, quod perficiendo dat corpori seipsa, quemadmodum calidum approximatum calefactibili agendo actionẽ perficiendi in esse secundo quod dat passiuo calore quem agit in ipso. Proprium enim actiuum approximatum proprio passiuo: impossibile est non agere suam propriam actionem.

Nec differt ex parte animæ in animando, & calidi in calefaciendo, nisi ꝙ anima seipsa animat, & perficit & naturaliter vnitur perfectibili, calidū autem non nisi calore, quem in passo generat. & sic anima vnita communicat ei vires suas, vt forma materiæ. Ideò dico ꝙ parata materia sine corpore sicut erat hactenus, cum non impedita, potest se intimare corpori suo dispositō & præsentem facere sicut & cuilibet alteri corpori, cum autem intimata fuerit sic illi, quia ex se naturaliter se habet ad ipsum sicut propria & naturalis perfectio ad suum proprium & naturale perfectibile, & sicut proprium actiuum ad suum proprium passiuum in recipiendo actum primum, qui est esse, vt dictum est: naturaliter secundum modum iam dictum, vnit se tali corpori, & agit in ipsum actum primū, qui est perficere & creare esse. Ita ꝙ licet anima non impedita voluntariè transferat se in suum corpus & ei intimetur: per hoc tamen non vnitur ei. Sic enim ràm anima, quàm Angelus possunt se trāsferre in lapidem, & intimare se illi aliquid aliud agendo circa ipsum, quàm actum primum, qui est dare esse. Sed sic intimàta voluntariè corpori suo dispositō, & sic approximata, vt naturale actiuum naturali passiuo, naturaliter non voluntariè, nisi voluntate concomitante vnitur corpori, & agit in ipsum actum primum, qui est perficere & dare esse primum substantiale. Et hoc quemadmodum si sub speciebus sacramenti altaris virtute diuina operante reuerteretur substantia panis, & debito modo dispositā appropinquaretur sic illis speciebus, illæ species naturaliter se reunirent substantiæ panis agendo circa ipsam actum perficiendi, & dandi actum, qui est esse secundum accidentale, & etiam quemadmodum graue non impeditum potest se facere deorsum, & attingens deorsum illi se vnire, & in ipso quiescere. sic enim anima non impedita voluntario appetitu & amore ad suum corpus (secundum ꝙ dicit August. Amor meus, pondus meum, eo feror quocunque feror) potest se transferre ad suum corpus & illi se intimare & sic vnire, vt quiescat & terminetur eius appetitus, & hoc est reunire suo corpori. Sed quodammodo aliter hoc contingit in graui, aliter in anima, quia graue per idem pondus naturale grauitatis, quo fertur deorsum vnit se centro & quiescit in illo. Anima autem non sic, quia ipsa per pondus amoris volūtarij fertur ad suum corpus & ei intimatur. Per pondus autem amoris naturalis ei vnitur, & quiescit eius appetitus voluntarius & naturalis in vnione cum ipso. & sic propria virtute potest non impedita se trāsferre ad suum corpus, & ei se vnire, sed alia & alia, vt patet ex dictis, & secundū hoc concedenda est secunda ratio.

Ad primam, ꝙ non potest se separare à suo corpore quare nec vnire: Similiter posset argui, ꝙ graue non potest se separare à centro, vt ascendat sursum, quare nec vnire descendendo deorsum: Dicendum, ꝙ non est simile, quia sola voluntate non potest facere suum corpus indispositum ad se conseruandum etiam si vellet contra naturale suū desideriū, quo vult esse in corpore, propter quod non potest ex se recedere, quia sine indispositione naturali non potest naturaliter recedere, eo ꝙ nō potest recedere non naturaliter: sicut nec è conuerso intrare si esset indispositum. Indispositum enim intrare non potest, nec manere in eo, dispositum aūt non pōt relinquere, & pōt ipsum intrare, per instrumenta trā, & membra corporis potest suum corpus facere indispositum, & sic recedere sicut faciunt occidentes se: nullo tamen modo indispositum ex se potest facere dispositum.

Ad. argū. primū.

Comment. in Quæstionem XIIII. quæ est,

Vtrum anima separata non impedita suo corpori omninò dispositō propria virture posset reuniri.

QVITVLVS satis clarus.

In corpore conclusio est affirmatiuè responsiua quæsito, ꝙ scilicet posset reuniri. Probatur. Proprium actiuum approximatum passiuo dispositō, nullo impedimento existente impossibile est non agere, sed anima se habet velut proprium actiuum ad suum corpus, quod supponitur dispositum, & ꝙ nullum impedimentum adsit. Igitur impossibile esset non agere in ipsum. Iam verò agere animæ in corpore non potest nisi ipsi vniatur, igitur &c. Patet maior, & minore probatur, quia tametsi anima non sit educta de potentia materiæ, in corpore tamen ita à diuina virtute creata est, ac si educta fuisset. Probatur, quoniam est informans ipsum, atque ideò est præsens suo corpori, vt proprio perfectibili, & ut actiuum suo proprio passiuo. &c.

Not diligenter ꝙ ponit Sotus in 4. dist. 43. quæst. art. 5. Et cum eo Richardus, immò & D. Thomas. Animam separatam eandem perseuerare, nempè cum eadem natura, affectioneque ad corpus, quam retinet. Quo fit vt approximata dispositō corpori vniri facile posset. In corpore tamen nequaquam manet affectio ad animam, quando ita resoluatur, vt stante dispositione, quam habet, nullo modo posset animam sustinere. Propterea eam amisit. Sola autem in corporibus ita resolutis remanet obedientialis illa potentia, qua ad voluntatem Dei resurgere possint. Et illud quidem faciliter nobis persuademus, siquidem Philosophus non vult ex duobus existētibus omninò perfectis fieri vnum, ita vt quodlibet eorum habeat sine altero suam completam perfectionem. Cum autem ex anima & corpore fiat vnum, oportet dicere, quod alterum sine altero non possit habere suam completam perfectionem, igitur anima à corpore separata necessariò habebit inclinationem ad corpus, tametsi non corpus è contra, nisi in ratione materiæ primæ, formam appetentis.

QVAE-

QVAESTIO XV.

Vtrum ceſſatio motus cœli poſt iudicium erit cauſa incorruptionis corporum damnatorum.

SEQVVNTVR quæſita pertinentia ad coniunctum ex corpore & anima in homine, & erat vnum pertinens ad hominem damnatum: plura autē alia pertinentia ad hominem viatorem. Illud vnum erat vtrum ceſſatio motus cœli poſt iudicium erit cauſa incorruptionis corporum damnatorum.

Arg. prin Et arguitur ℔ ſic, quia cauſa illius nō eſt ex parte corporis: eo ℔ nullam habet dotem incorruptibilitatis: *Secunda pars.* Neque ex parte ignis, quia non impeditus, quin faciat ad corruptionem quod in ſe eſt, ℔ ergo incorruptum manet non eſt, niſi quatenus corruptio eius dependet à motu cœli; ergo &c.

In oppoſit. Contra: omnis paſſio magis facta abijcit à ſubſtantia, niſi ſit virtus impediens: ignis corporibus damnatorum maximam infert paſſionem: ergo ſi non eſſet impediens abijceret à ſubſtantia, & ſic finaliter corrumperet, nō impedit quies cœli, quia defectus eſt & ſola priuatio; ergo &c.

Opin quorundam. Dicunt aliqui ſupponendo duos primos modos immutationis ſupra expoſitos, ℔ omnis immutatio realis ad motum cœleſtem reducitur, vt ad motum primi motoris, mediante quo virtutem motiuam influit cuilibet mouenti poſteriori, ſine qua penitus non moueret, neque ageret. Propter quod cœlo non moto nihil realiter immutari poſſet ab agente naturali, & ideò corpora humana damnatorum & beatorū neceſſe erit incorrupta manere inęternum, quia ſublatum eſt principium mouens & corrūpens. Sed in beatis per plenam ſubiectionem corporis ad animam & per donum gloriæ ſpecialiter ab omni corruptione præſeruabuntur. Immutatione autem intentionali, quia reducitur ad non immutatum intentionaliter: licet immutatio realis reducitur ad non immutatum realiter: benè poteſt cœlum mutari etſi ſtet, & ideò ipſo ſtāte benè poſſet fieri immutatio intentionalis ſecundum ſenſum, propter quod corpora damnatorum non immutabuntur realiter, ſed intentionaliter tantùm.

Cōtra opi. Quòd ſtante cœlo omnis motus excepto illo, qui fit per immutationem intentionalem ceſſaret: falſum eſt omninò: ſtante enim cœlo ſi graue eſſet ſurſum nullo impediente deſcenſum impoſſibile eſſet ibi quieſcere, quia eſſet perpetua violenta quies ſine aliquo inferente violentiam, quod falſum eſt: deſcenderet ergo. Similiter animal ſtante cœlo non impediretur à ſuo motu progreſſiuo: cum etiam dicit Auerro. ℔ iſti motus eſſent in vacuo. Similiter animalia, quæ reperirentur viua in hora ſtatus cœli, ſemper & inęternum viuerent naturaliter. Similiter ſi eſſent inuenta mortua cadauera ipſorum inæternum manerent incorrupta eadem ratione qua corpora damnatorum.

Reſpon. Licèt ergo motus, qui requirunt principium extra non eſſent ſtante motu cœli: motus tamen qui habent principium ſufficiens intra: poſſent eſſe etſi ſtaret cœlum, & hoc maximè quando motus non tàm cauſatur à virtute, quàm à defectu virtutis, cuiuſmodi eſt motus corruptionis, & hoc maximè quando corruptio eſt ſine generatione. Cum enim ſimul currunt naturaliter generatio & corruptio, agens per ſe generat, corrumpit autem per accidens, quia inducit contrariam virtutem illi, quæ conſeruabatur quod corrumpitur, per cuius defectum corrumpitur, & ſic potius per defectum, & virtutis ſubtractionem, quàm alicuius poſitiui impreſſionem. Signum autem ad hoc ſufficiens eſt ſecundum ℔ dicit Philoſophus. 4. Phyſicor. ℔ nihil fit niſi moueatur, corrumpitur autem cum nihil mouetur & nihil generatur, niſi per tranſmutationem ab alio. Corrumpitur autem aliquid etſi ad hoc à nullo alio recipiat tranſmutationem. per motum enim nihil fit per ſe niſi corruptio. Per accidens autem per ipſum fit generatio. ſ. per virtutem mediante motu impreſſam paſſo. Propter qđ dicit Philoſophus ibidem. Mutatio omnis natura remotiua eſt, & magis per ſe corruptionis cauſa, quam generationis, deſtitutiuum enim eſt mutatio per ſe, generationis autem & ipſius eſſe ſecundum accidens, & tunc ſequitur quod iam dictum eſt. Signum autem, &c. Quia ergo cœlum per ſe ſuo motu eſt cauſa generationis vim generatiuam per motum ſuum influendo: corruptio autem fit etſi nihil ſit extra à quo moueatur: quare etſi ſtante cœlo non poſſet fieri motus generationis, quia non eſſet vis generans, poſſet tamen fieri corruptio, & licet non per agens, & mouens extra: fieret tamen ſufficienter per defectum virtutis conſeruantis intra. Mixta enim non ſolùm ſunt virtute cœli generata: ſed etiam poſt generationem conſeruata ſunt in eſſe per virtutem eiuſdem, & hoc quouſque virtus conſeruans omninò deficiat ſubtracta, & tunc ſequitur corruptio non ex virtute agente, ſed potius ex virtute deficiente, vt non ſit in tali corruptione quærenda cauſa poſitiua, ſed potius negatiua. Vnde Philoſophus ſecundo de Generatione: aſſignans cauſam continuæ generationis, & corruptionis mixtorum: primo oſtendit qualitates actiuas, & paſſiuas alterantes, materiam non eſſe per ſe cauſas horum maximè generationis, niſi inſtrumentales, & adhuc minus, quàm inſtrumentales: dicens ſic. Potentias attribuunt corpori propter quas generant valde organicè auferentes eam, quæ eſt ſecundum ſpeciem cauſam.

Videtur autem & ipse ignis specie motus pati. quo circa se valdè & maximè facit & mouet ignis. Sed quomodo mouet nō vident, qm̄ deterius, q̄ organa. Super illud: Quomodo mouet non videtur, dicit Auerrois Comment. Non faciunt nisi agens in genere instrumenti non agens verū cum destruūr primum agens habentibus, quia enim videmus in quibusdam, ꝙ magis sunt agentia, q̄ alia: digniora sunt, vt corrumpant, q̄ vt generent, quapropter necesse est si generent res, vt habeant agens, quod faciat ea per temperamentum natura. Instrumentum enim non mouet sine artifice, & cum mouebit cum artifice mouebit ad generationem tantū: ignis autē cum non mouebit per primum mouens mouebit ad corruptionem tantùm. Deinde Philosophus continuò determinat generationem & corruptionem fieri per primum mouens circa vnumquodque generabile & corruptibile, & hoc motibus contrarijs per vnam. s. generationem, quia adducit generans vim generatiuam, & conseruatiuā influendo, per aliam corruptionē vim generatiuā, & conseruatiuam subtrahendo: dicens sic. Quoniā transmutatio, quę est secundum allationem perpetua est, necesse est & generationem esse continuè, quia adducit generans, & allatio prima causa generationis est. Qm̄ autem continua est rebus generatio & corruptio: dicimus causam esse allationem generationis. Vna quidem ente allatione non contingit fieri ambo, quia contraria sunt. Idem enim similiter se habens semper idem innatum est facere, quocirca generatio erit semper, aut corruptio, Oportet autē multos esse motus & contrarios, aut allatione, aut inæqualitate: contrariorū enim esse contraria. Ideoque non prima allatio causa est generationis & corruptionis. sed quæ circa obliquū circulum, in hac enim & continuū ineſt & moueri duos motus: necesse enim si semper erit continua generatio, & corruptio semper aliquid moueri, vt non deficiant transmutationes: duo autem vt non alterum contingat solùm. Continuitatis quidem igitur totius allatio causa: præsentiæ verò & absentiæ inclinatio. Contingit enim quandoque longè fieri, quādoque propè, in æquali verò distantia æqualis erit motus. Quocirca si in adueniendo, & propè esse generat, & in recedendo & longè esse idē ipsum corrumpit, & si in multotiens aduenien do generat, in multotiens recedendo corrumpit. Contrariorum enim contraria esse, & in æquali tēpore corruptio & generatio, quæ secundum naturam. Ideò & tempus vitæ vnuſcuiuſque terminū habet, & hoc determinatur, omnium enim est ordo, & omne tempus & vita mensuratur periodo, non tamen eadem omnes, sed hi quidem minore: hi verò maiore: ijs quidem enim minus, ijs autē maior, alijs autem minor periodus est mensura. Apparent autem & secundum sensum, quæ dicta sunt: videmus enim qm̄ aduenientę solę generatio est: recedente autem diminutio, & in æquali tempore alterutrum. Æquale enim tempus corruptionis & generationis illius, quæ est secundū naturā. Sed contingit multotiēs in minori corrumpi propter adinuicem confusionem: inæquali enim ente materia, & non vbique eadem necesse est & generationes inæquales esse: has quidem citiores: has verò tardiores. Hunc textum integrū, vt magis apparet exponet declaratio nostra iam sequens applicanda ad propositum nostrum. Notandum est igitur ad huius literæ planiorē intellectum ꝙ periodus idem est quod modulatio harmonica à motu harmonico cęlesti harmonicè impressa, siue influxa inferioribus causis & principijs motiuis ad formarū materialium productionem maximè mixtorum, & in illis præcipuè viuentium, atque in esse & viuere secundum eaſdē formas conseruationem quā harmoniam iam appellauit Auerr. contemperamentū. Et cum multi sint cęlestes circul, tamen omnium eorum non sunt nisi duo motus, vt vult Philosophus. 3. Metaphysic. s. aplanes, & planes. Motus autem aplanes, qui idē est quod ordinatus: est motus primi mobilis, q dicitur diurnus, & procedit ab oriente in occidentē super polos mundi sm̄ circulos æquidistantes: quorum medius & maximus est æquinoctialis & affert secum cæteros orbes inferiores, & stellas, quæ sunt in eis, solē & cæteros planetas, & omnes stellas fixas in eo, & oēs gradus totius orbis ab oriente in occidentem. Motus autē planes, qui dicitur idē quod erraticus est motus septē orbium septem planetarum ab occidente in orientē contra motum primi mobilis & in circulo signorum super polos Zodiaci, qui distat à polis mundi, tàm ab inferiori antarctico, q̄ à superiori arctico per xxxiij. gradus & xxv. minuta. sub quo circulo motu fortiore primi mobilis motu raptus feruntur vij. orbes planetarum ab oriente in occidentem, propter quod stellæ motæ in illis oblique mouentur respectu polorum Mundi. s. ab ante in retro, vt ab aquilone in meridiem, & è conuersò secundum ꝙ sol mouetur à capricorno in cancrum & è conuersò, propter quod dicuntur stellæ erraticæ, & earum motus dicitur erraticus. Et propter illos motus diuersos primi mobilis ab oriente in occidente, & planetarum è contrariò ab occidente in orientem dixit Philosophus ꝙ oportet motus esse contrarios. Propter autem motus proprios planetarum ab ante in retro, & è conuersò, dixit ꝙ oportet motus esse inæquales, vt sit disiunctiua artis. Vtraq; enim diuersitas requiritur, quia vt dicit, continuationis secundum generationem & corruptionem causa est contrarietas.

Quòd autem modo fit aliculus generatio modo eiusdem corruptio, causa est inæqualitas motus in obliquo, siue declini circulo, per quam generans modo est præsens modo absens. Et quia secūdum quod dicit Philosophus in sequentibus: si sint motus plures necesse est, vt sint plures motores, & quia omnia mota aliquo modo mouentur eodem motu, & quia est motus diurnus, necesse est, ꝙ oēs

motores

motores contineantur ſub vno principio primo mouente, quod eſt immobile, & ingenerabile, & inalterabile. Iſtis autem duobus motibus, quia diuerſimodè adducitur ſol præcipuè, quia præcipuè eſt generãs, propter quod de Sole potius dedit exemplum, quam de ſtella: & ſimiliter planetæ alij adducuntur contemperantes virtutem Solis ad variam & diuerſam generationem: diuerſimodè elementa inter ſe tranſmutantur ſuis actionibus & commiſcentur adinuicem ad generationẽ mixti, quia Sole verſus Capricornum deſcendente vincunt elementa inferiora, & quando aſcendit verſus Cancrum incipiunt vincere elementa ſuperiora, & ſic ſemper tranſmutantur in inuicẽ, & in mixtũ diuerſimodè & circulariter, quia cũ adducitur generans, quæcunq; tunc generãtur, è cõtrariò, tunc corrumpunt cum ab eis abducitur. Generans autem hic non ſolus appellatur Sol, licèt ſit præcipuè, nec etiam planetæ cum ipſo, ſed etiam omnes conſtellationes ſtellarum fixarum, ſecundum quancunque determinatam omnium illorũ concurſuum appropinquationem & remotionem. Sicut enim non ſolus Sol eſt cauſa generationis. licèt præcipuè ſit generans in eo, quòd omnes ſtellæ illuſtrantur à Sole: ſimiliter nec ſolus Sol acceſſu ſuo, & receſſu per obliquum circulum & decliuem facit periodum, licèt principaliter ipſam faciat, ſicut principaliter generat, quia aliter nihil deberet nasci in hyeme, ſed tantum in æſtate, & nata in æſtate ſtatim deberẽt corrumpi in hyeme, & nullius periodus, aut duratio pertranſiret annum, quod manifeſtè falſum eſt. Sed generationẽ & periodum conſeruationis generati in eſſe faciũt omnia prædicta ſimul circa quodcunque generatum in aliqua hora certa ſecundum ordinem & reſpectum quem habent inter ſe ſex ſigna tunc aſcẽdentia cum omnibus planetis & ſtellis, quæ ſunt in eis, & etiam ſecundum ordinem & reſpectum quẽ habent ad alia ſex ſigna oppoſita cum omnib. planetis & ſtellis, quæ ſunt in illis. Ex omnibus enim dictis ſecundum quemlibet ordinem & reſpectum vna virtus contemperatur ad aliqua generanda, & alia ad alia ſecundum alium & alium ordinem, ita quòd vna virtus ſecundum vnum ordinem aliquando nata eſt generare alia, quàm alia virtus nata eſt generare ſecundum alium ordinem, & tunc eadem nata ſunt generari ſecundum virtutes contemperatas diuerſas ſecundum diuerſos ordines, aut ſecundum omnes. Fortior tamen eſt virtus illa ſecũdum vnum ordinem, quàm ſecundum alĩ: & ſecundum fortitudinem illius virtutis naturaliter fortiores ſunt generati in vna hora, q̃ in alia. Ita, quòd ſi nulla eſſet diuerſitas ex parte materiç, ex qua generantur illa, quæ ſunt vnius ſpeciei, omnium generatorum vnius ſpeciei in vna hora eſſet eadẽ periodus. Sed quia diuerſa eſt diſpoſitio materiç ex qua generantur diuerſa & in vna parte eſt obedientior & receptibilior virtutis cœleſtis eis imprimendæ: ideò non generantur in eadem hora eiuſdem fortitudinis, neque eiuſdẽ periodi ſunt. Eſt ergo cauſa periodi cuiuſcũque dicta fortitudo virtutis ſtellarum, quæ ſunt in ſex ſignis incipientibus aſcẽdere hora generationis cum ſuſceptibilitate materiæ: ſecundum hoc enim aliquorũ periodus habet eſſe dies vnus tantum, vt illius piſcis, qui dicitur ephimera, cuius generatio quo ad totam ſpeciem, & omnia indiuidua eius perficitur in vno die artificiali: & ſimiliter eius corruptio in nocte artificiali, vnde in eodẽ die artificiali, in quo oritur & moritur, nec eſt natus generari niſi in cõſtellatione tam debilis virtutis, & de materia debiliter receptibili impreſſionis ab illa virtute. Et ſecundum hunc modum aliorum periodus eſt annus, aut plus huius, aut minus, & hoc quandoque ſecundum totam ſpeciem, & omnia eius indiuidua quandoque autem ſecundum diuerſa indiuidua tantum, quia alia indiuidua eiuſdem ſpeciei nata ſunt naſci in hora conſtellationis alterius virtutis, & ex materia alio & alio modo diſpoſita, & ſemper periodus eſt maior, vel minor ſecundum quod fortior, vel debilior eſt virtus cœleſtis, à qua generantur, & ſecundum quod materia eſt receptibilior, vel minus receptibilis illius. Et ſic quælibet ſtella fixa & erratica ſecundũ reſpectum ſex ſignorum aſcendentium hora generationis operatur ad rei generationem ad eius profectum. E cõtra quælibet ſtella fixa, & erratica ſecũdum reſpectum ſex ſignorum oppoſitorum cum incipiunt deſcendere operatur ad eius defectum & corruptionem, & ſecundum hoc vult Philoſophus, quòd contrariorũ contrarij ſint effectus. Sed intelligendum, quòd operantur ad corruptionem per accidens, & hoc dupliciter. Vno modo, qa ex materia illius aliud generant ſecundum quod nata ſunt generari. Alio modo, quia per hoc, quòd huiuſmodi ſtellæ cum huiuſmodi ſignis adducuntur, adducuntur contrariæ, quæ erant cauſa generationis, & per abductionem ſubtrahitur earum virtus & debilitantur, & cum per perfectam elongationem perfectè ſubtrahitur per defectum eius corrumpuntur. Et quia æquale eſt tempus adductionis talis generãtis vſquequo fit in perfectione virtutis, qua perficit generatum & abductionis, qua deficit: idcircò ſecundũ reſpectum æqualem eſt tempus generationis cuiuslibet & corruptionis, quia reſpectu primi ſigni aſcendentis in hora generationis, qua incipit eſſe ſecundum formam generatam vſq; ad ſextum incluſiuè computatur rei generatio ſub generatione computãdo rei profectum: reſpectu verò ſeptimi ſigni cũ incipit aſcendere vſq; ad duodecim ſimiliter incluſiuè computatur rei corruptio ſub corruptione computando omnem eius defectum.

Sunt autem iſti reſpectus ſemper æquales ſecũdum naturam, quia tantum temporis elabitur ab aſcenſu primi vſq; ad ſeptimum quantum ab aſcẽſu ſeptimi vſque ad primum excluſiuè, v. g. ab ariete per taurum & geminos & deinceps vſque ad

libram

libram tantum est quantum à libra per scorpionē & sagittarium & deinceps vsque ad arietem, & sic secundum naturā tantus est periodi defectus, quāt⁹ est eius profectus. Vt si profectus est triginta annorum alicuius hominis, defectus eius est aliorū triginta annorum, & erit tota periodus vitæ illius sexaginta annorum. Potest tamen contingere circa hoc impedimentum, vel in tempore profectus, vel in tempore defectus, vel in vtroque, vt per variationem regionis, & regimē malum, aut aliquorum huiusmodi, & tunc secundum quantitatem impedimenti citius, vel tardius deficit, sed vltra progredi per naturam non poterit, & tale impedimentum comprehendit Philosophus sub confusione & inæqualitate materiæ. Vocat enim confusionem & inæqualitatem materiæ indispositionē eius ad recipiendum impressionem à virtute cœlesti ante generationem, & impedimentum ad continuādum eius actionem post primam generationem. Et qui secundum dictum modum sciret vires signorum, & constellationum in rerum generatione & materiæ receptibilitatem posset prognosticare cuiuslibet generati durationem naturalē, quæ tamen per accidens posset impediri, vt dictū est. Et similiter per accidens per omnimodam materiæ indispositionem posset impediri cuiuslibet generabilis generatio. Ideò dicit Philosoph. ibid. Futurum nihil prohibet non generari: futurus. n. incedere non incedet, & sic generabile nulla necessitate generabitur nisi ex hypothesi, si virtus cœlestis inuenerit materiam dispositam. Sed tamen omne corruptibile necessariò corrumpetur, quia necesse est cuiuslque periodum ad finem venire, ad quem cum peruenerit cessante influentia conseruante per continuā subtractionem necessariò corrumpitur generatum, & accidit corruptioni, ꝙ tunc ex corrupto aliquid aliud generetur, aut ꝙ prius per aliquod accidens corruptio acceleretur. Sed subtractione omnimoda virtutis conseruatiuæ, etsi non sit causa agens statim res prius generata corrumpitur. Nec est in hoc differentia, siue successiuè subtrahatur quousque perueniatur ad finem periodi naturalis, vel tota simul, & hoc per aliquam violentiam factam circa generatum, vt cum subitò materia fit indisposita ad formæ conseruationem: sicut enim indisposita materia non potest formam recipere, sic nec facta indisposita potest eam conseruare, vel per aliquam transmutationem circa cœlum, à quo virtus influitur, quę est cessatio à motu. Et ideò dico descendendo ad propositum, quòd si cœlum staret omnia corruptibilia statim corrumperentur, vt sunt omnia mixta. Elementa autem, quia ex se sunt incorruptibilia, & nullo modo corruptibilia nisi per accidēs, quia sunt in potentia ad formas alias elementorum & mixtorum ideò cessante actione generationis, quę non est in elementis, nisi ex virtute cœlesti cessabit, & generatio & corruptio elementorum. Vnde quærit Philosophus loquens de elementis, quare vnoquoque corporum in propriam allato regionem in infinito tempore non distant corpora? Commentat. v. g. aeris ascensus, & aquæ descensus, vt. s. aer non descendat ad locum aquæ, neque è conuersò. Et respondet Philosophus subdens. Causa huius est, quæ adinuicem transitio. Si enim vnumquodque maneret in sua ipsius regione, & nō transmutaretur ad id, quod propè est, iam vtique destitissent: transmutātur quidem igitur propter allationem duplicem, quia autem transmutantur non contingit manere vllum eorum in vlla regione ordinatum. Est igitur transmutatio vnius elementorum in aliud per duplicem allationem, causa quare nullum eorum manet totaliter quietum in regione loci sui naturalis, sed vnum eorum ascēdit ad locum alterius: ergo à contrario stante duplici allatione nullum eorū trāsmutatur in aliud, sed manebit vnumquodque eorum imperpetuum in proprio loco distans ab alio, sic ꝙ nullum eorū subintrabit locum alterius, licèt erunt tangentia se, & contigua.

Dico ergo breuiter ad quæstionem, quòd corpora damnatorum, aut beatorum non manent incorrupta, quia corruptio ipsorum dependet à motu cœli: immò è conuersò, quia esse & conseruatio eorum vsque ad finem periodi dependet à motu cœli; ideò cessante motu cœli omnia subitò corrumpuntur, & in elementa resoluuntur, quia illa cessatio motus finem omnium periodorum ponit: subtrahit enim simul omnem virtutem, quā quæcunque periodi possent subtrahere successiuè: & ideò sicut finita periodo necesse esset quodcunque mixtum corruptibile corrumpi etsi nullum esset corrumpens extra, quia illud accidit corruptioni, & accidit illi, quod corrumpitur, aut etiam accidit corruptioni, vel corruptibili, ꝙ per corrūpens extra accelereretur corruptio, vt iam habitum est, sic cessante motu cœli necesse est illico omne mixtum corruptibile corrumpi, vt dictum est. Si ergo corpora damnatorum maneant in perpetuò incorrupta, oportet illius quærere aliam causam supernaturalem, quæ secundum quod alias determinauimus ex parte corporum beatorum est dos incorruptibilitatis, qua non solum nunqnam corrumperentur, quemadmodum aliqui dicunt, ꝙ nunq̄ corrumperentur propter perfectam subiectionem eorum ad animas suas, & pp donum gloriæ, quēadmodum Adam fuit non corruptus propter bonum innocentiæ, & donum originalis iustitiæ, sed qua omninò non possent corrumpi, & essent omninò incorruptibilia sicut corpora cœlestia, aut Angeli. Ex parte autem corporum damnatorum, vt videtur, opinio beati Greg. est, ꝙ sicut semper sunt & manent passibilia, sic semper sunt & manēt corruptibilia. Super illud enim Iob 10. Vbi nullus ordo. lib. 9. Moralium dicit sic, Ordo in supplicijs non erit, quia rebus in pœnam surgentibus qualitas non seruatur, hic flamma, quæ succendit illuminat, illic ignis, qui cruciat obscurat, & quāuis

illic

illic ad consolationem non luceat, tamen vt magis torqueat ad aliquid lucet, supplicia vltra vires cruciant, & vitæ subsidium extinguentes seruant, vt sic vitam terminus puniat quatenus semper sine termino cruciatus afficiat, quia & ad finem per tormenta properat, & sine fine deficiens durat. Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu, quia & mors viuit & finis semper incipit & defectus deficere nescit. Quia igitur mors perimit non extinguit, flamma comburit, sed nequaquam tenebras discutit, quia in obscuritate cruciat: sciendum tamen est, ꝙ ita lumen ad tormenta seruat, vt ad consolationis gratiam ignis supplicij nulla claritate candeat, & ad doloris cumulum, quos inordinatè nunc reprobi diligunt qualiter crucientur ostendat. Ad omniū autem horum declarationem tanquam in simili dicit sic. Quantum per notitiam præsentis vitę colligitur, supplicia ordinem non habent, quæ non suam per omnia qualitatem tenent, quod si probare testimonijs in sua expressione nó possumus, supereſt vt è diuerso doceamus. Tres quippè pueri succensis ignibus ligatis manibus & pedib. proiecti sunt, quos tamen rex illæsis vestibus deambulantes uidit, ubi apertè colligitur, ꝙ mira dispensatione conditoris, ignis qualitas in diuersa uirtute temperata, & uestimenta non attingit & uincula incendit, sanctisque uiris & ad inferendū tormentum flamma friguit, & ad solutionis ministerium exarsit. Per hunc ergo modum intelligit Grego. quòd sicut circa illos pueros ignis seruauit secundum actum operationis qualitatem suam in comburendo uincula: non seruauit autem eam in comburendo ipsos pueros, aut eorum uestimenta quamuis ipsa erant in se combustibilia sicut & uincula, sic circa damnatos ignis suam qualitatem ex parte lucis seruat in ostendendo ea, quæ cum uidẽtur cruciant: non seruat autem eam in ostendendo illa, quæ cum ostenduntur delectant, quamuis ambo uisibilia sint, quæ delectant sicut & quæ cruciant. Et consimiliter circa corpora damnatorum ignis, qui cruciat ex parte caliditatis qualitatem suam seruat in calefaciendo: non seruat autem eã in proportionem organorum ipsorū sensuum ullo modo alterando, neque in formam corporis substantialem aliquam corrumpendo, aut harmoniã illam, quam anima requirit in corpore, ut permaneat in ipso. Si enim formaret suam qualitatem in corrumpendo proportiones organorum, quib. anima unitur corpori, & conseruatur in ipso, & exercet in ipso actum primum, qui est esse, siue uiuere per suam substantiam, & actus secundos, qui sunt sentire, & similiter intelligere inquantum non est sine phantasmate, maior esset uis eius & fortior actio eius in agendo corruptionem, si corpora illa haberent rationem corruptibilis, quã esset uis illorum, & actio eorum in resistendo, aut animæ in corpus à corruptione conseruando, & per hoc necessariò corrũperentur, quia secundum Philosophum de morib. animalũ, in omni actione naturali, quæ fit per contrarietatem actiui, & passiui necessariò est quædam proportio virtutum qua mouens mouet & transmutat passum, & quá passum contra agendo manet in eo, quod est, & tenet se, nè ab illo transmutetur, ita quod semper excedens obtinet, & in æqualitate existentia impassibilia sunt adinuicem. Vnde quia non seruat suam qualitatem in corrumpendo dicto modo, sicut conseruat eam in calefaciendo: ideò in eis est summa immutatio secundum primum genus trãsmutationis, & excessiuè calefiunt, quia sunt verè passibilia à calido ignis. Et quia in eis mãet proportio organorum illæsa est etiã in eis ob hoc summa immutatio secundum secundum genus immutationis, & excessiuè immutantur organa secundũ speciẽ calidi. Et ex hoc tertio est in eis summa immutatio secundum tertium genus immutationis, & perfectissimè sentiunt caliditatem ignis, & percipiunt lęsionem per calefactionem excessiuam circa proportionem, quæ debet esse circa corpus animalis, vt mixtum est inter calidum & frigidum, humidum & siccum. Et ex illa perceptione quarto afficiuntur summo dolore & cruciantur vltra vires. i. vltra quam possent sustinere citra suam corruptionem si ignis seruaret suam qualitatem secũdam sicut & primam: dum tamen essent corruptibilia sicut & passibilia. Tunc enim potius corrũperentur, quam persisterent in tormento tanto procedente ex tanta immutatione. Et est intentio Grego. ꝙ verè manent corruptibilia, sicut & passibilia. Aliter enim non diceret, quòd ignis primã qualitatem seruat, secundam autem non seruat, sicut ignis ex parte lucis seruat qualitatẽ suam in ostendendo captiuatis ea quibus magis torqueantur: non autem in ostendendo ea, quibus consolentur. Constat enim, quòd hoc fit per miraculũ, & lucis sũspensionem quandam, quia ita sunt ostẽsibilia quantum est ex se, ea quibus consolentur, vt ea quibus torquentur. Similiter ergo fit per miraculum ex parte caloris, quòd suspenditur eius qualitas secunda, quod nullo modo oporteret ponere nisi illa corpora essent verè corruptibilia sicut & sunt verè passibilia. Et sic secundum Gregorium, si seruaret ignis ex parte caliditatis suam qualitatem secundam, omninò ipsa corrumperet etiam stante cœlo licèt nihil generaret, mixtum, & per hunc etiam modum festucas combureret stante cœlo. Secundum sententiam autem Gregorij etiam si inæternum moueretur cęlum, & fierẽt naturalis generatio & corruptio propter illius secundę qualitatis suspensionem, ignis nullo modo corpora damnatorum corrumperet, quia cum cœlum non agit nisi mediante elemento, suspensa qualitate elementi, quo ad actum corruptionis suspensa esset, & actio cœli, quo ad eũdem, & sic secundum Gregorium ille ignis quantũ est ex actione secũdum primam dictarum qualitatum vitam damnatorum extinguit, quam tamen seruat propter

pter suspensionem qualitatis secundæ, vt sic termi nus & excessus immutationum secundum primã qualitatem vitam puniat, vt semper sine termino cruciatus afficiat, & sic etiam semper ad finem p tormenta properat, & sine fine defectus durat, i. sine fine vita durat sub tali excessu sub quali alias necesse esset eam deficere, & per hunc modum fit miseris mors sine morte & finis sine fine & defectus sine defectu. Et ponit Gregor. consimilem dispositionem ignis quo ad primam eius qualitatem in cruciando corpora æqualiter passibilia inæqualiter, quia non secundum dispositionem passibilitatis in corporibus, sed secundum dispositionem vitiorum in animabus. Dicit enim ibidem paulò prius. Sicut in domo patris mansiones multæ sunt pro diuersitate virtutis, sic damnatos diuerso supplicio gehennæ ignibus subijcit diuersitas criminis, quæ. l. gehenna quàmuis cunctis sit vna non tñ cunctos vna eademque qualitate succendit: rã sicut in vno Sole omnes tangimur, nec tamèn sub vno & eodem ordine omnes æstuamus, quia iuxta qualitatem corporis sentitur & pondus caloris: sic damnatis vna est gehenna, quæ afficit: non tamen vna omnes qualitate comburit, quia hoc, qđ hic agit dispar valetudo corporum, hoc illis exhibet dispar causa meritorum. Sed si corpora illa verè sunt corruptibilia sicut & verè sunt passibilia, vt videtur sentire Grego. qua ergo virtute manẽt inæternum absque corruptione? Est enim aliqua multitudo virtutis secundum quam manet quod manet, quemadmodum & secundum quam mouet mouens, vt dicit Philosophus de motibus animalium, vt non sufficiat dicere, ꝙ manet, quia nõ adest corrumpens. Quemadmodum etiam dicit Auerr. in fine de substantia orbis, ꝙ non est dicere ꝙ terra quiescit perpetuò in centro, quia non habet mouens eam extra centrum, vt dixit Ioannes Grammaticus, sed quia habet in se virtutem, qua quiescit in centro, sicut & qua mouetur ad centrũ, cum est extra ipsum. Oportet ergo ponere, ꝙ sit aliqua virtus positiua, qua perpetuò manent. Constat autem, quòd illa non est naturalis, quia omnis virtus corporis naturalis est finita, quæ ex se non potest esse causa durationis infinitæ, vt dicit Auerrois de substantia orbis. Oportet ergo, ꝙ sit supernaturalis, & hoc vel sola voluntas diuina, quæ ipsa corpora conseruat semper & in æquali incorruptibilitate, vel aliqua dispositio ipsis corporibus à Deo impressa.

Quòd primo modo benè possibile sit Deo conseruare in esse, sicut & suspendere calorem ignis, quo ad actum corrumpendi illa corpora, planè profitemur. Sed tunc necessariò ad hoc, quòd corpora dicta perpetuò conseruentur absque corruptione in tali igne, duplex concurrit miraculum. Vnum. l. in dicta suspensione qualitatis ignis, ne corrumpat. Alterum verò in corporum perpetua conseruatione secundum statum corruptibilem. Si verò ponamus, quòd conseruentur aliqua dispositione dictis corporib. impressa, quæ sit quasi dos in faciendo illa corpora incorruptibilia, licèt non impassibilia, sicut vera dos facit corpora gloriosa simul & incorruptibilia, & impassibilia, non oportet ad perpetuam punitionem ab illo igne dictorum corporum ponere aliud, quàm hoc vnicum miraculum, quo fiunt illa corpora incorruptibilia. Semper enim melius est cum possibile fuerit pauciora ponere, quam plura, & quod possibile est fieri per vnum potius fieri per illud, quàm pauciora. Et similiter cum oportet currere ad miraculum, quod potest poni æquè benè fieri per vnicum miraculum ad illud ponendum fieri non est ponendum plura adhiberi miracula, quemadmodum dicimus, quòd corpus Christi in triduo ad animę separationem per miraculũ mansit idem numero incorruptum, sed hoc non p aliud miraculum, q̃ illud erat, quo verbum Dei est incarnatum, & sibi partes ambas humanę naturę. s. animam rationalem, & carnem assumpsit, & hoc inseparabiliter nunq̃ alteram illarum dimissurus, & hoc ne plura miracula ponamus ad aliquos effectus plures quando & vbi vnicum sufficit. Et sic videtur potius ponendum, ꝙ illa corpora p miraculum sunt facta incorruptibilia, q̃ per miraculum in sua corruptibilitate conseruata, quia cũ illo secundo si non corrumpantur ab igne, oportet ponere aliud, quemadmodum oportet ponere miraculum aliud, quo idem ignis non secundũ dispositionem corporum, sed secundum dispositionem criminum corpora damnatorum succẽdit secundum prædicta: cum isto autem nequaquam, vt dictum est.

Nec tunc restat aliud, q̃ intelligere, & exponere Gregorium, vt intelligamus ignem gehennæ ex parte caloris non seruare suam qualitatem in corrumpendo, sicut in succendendo per calefactionẽ, non quia aliquo modo suspensa sit, nè corrumpat præsens corruptibile, sed quia quo ad hoc virtus illa propter contrariam dispositionem corporum non potest sortiri effectum, sicut non potest sortiri effectum corrumpendi subitantiam dęmonum, licèt ipsos crucięt eadem qualitate ignis, qua cruciat & damnatorum corpora, dicente Greg. ibidẽ. Quamuis Angelorum, atque hominum longè ut natura dissimilis: vna tamen pœna implicat, quos vnus in crimine reatus ligat. Et quo ad hoc est simile de corporibus damnatorum, & corporib. illorum puerorum, scilicèt quòd ignis ille, sicut corpora puerorum non tangit molestando per calefactionem, neque eorũ vestimenta per corruptionem, sed solùmmodò vincula, sic nec corpora dãnatorum ignis gehennæ tangit per corruptionem, sed solùmmodò per cruciatum afficiendo. Non autem est simile, quo ad hoc, ꝙ corpora puerorum, & vestimenta, quę verè erant corruptibilia non tãgebantur vllo modo, ignis calore suspenso. Corpora autem damnatorum, quia sunt incorruptibilia non tanguntur corruptione: tanguntur tamen

ha

passione, & sic non erat omninò simile de ignis calore non agente circa pueros, & eorum vestimenta, & eorum vincula, nisi quòd sicut vincula corrumpebantur, sic damnatorum corpora patiuntur, & sicut corpora puerorũ, & vestimenta in nullo tangebantur, sic & corpora damnatorum in nullo corrumpuntur. Non tamen est simile, quo ad hoc, ꝙ sicut corpora illorũ, & vestimenta non tangebant calefactione propter caloris (quo ad hunc actum) suspensionem, sic hic corpora damnatorũ non corrumpuntur calefactione propter caloris (quo ad hunc actum) suspensionem: immò calor gehennæ agit quantum in se est, vt corpora damnatorum non solum summè crucientur, sed etiam quòd quantũ in ipso est nisi aliud obsisteret perfectè corrumperentur. Et ideò non videtur mihi inconueniens, quòd hoc sit quasi per dotem incorruptibilitatis, sed non impassibilitatis qualis est in corporibus beatorum, vt sic per incorruptibilitatẽ in æternum permaneant, & per passibilitatem in æternum torqueantur. De ista incorruptibilitate dãnatorum loquitur Hieronymus ad Numenium Alexandrinũ de Resurrectione carnis. Super hoc Theodorus sic loquutus est, Oportet corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, vt possit in vtranque partem, vel in pœnis, uel in cęlorum regno manere perpetuum. Diodorus Carthaginensis Episcopus inquit, Si incorrupti resurgent mortui, haud dubium ad meliora mutari. Quid ergo necesse fuit dicere, & non omnes immutabimur? Alij hoc uolũt intelligi, ꝙ incorruptio communis sit omnium: immutatio autem propriè iustorum dum & gloriam consequuntur. Soli enim Sancti in corpore & anima in melius mutabuntur. Ita ut in corpore omnium resurgentium fit, sic asserunt uerè mortuos debere intelligi peccatores, qui resurgẽt incorrupti, ut possint æterna sustinere supplicia, quia in eo miserabiliores erunt, ut nõ mortali, & corruptibili corpore dissoluantur. Suę sententiæ magis acquieſcit ecclesia, sed de hoc modicum, aut nihil tangit Gloſſa. i. ad Corinthios 15. Et in hoc patet, ꝙ quasi dos ille incorruptibilitatis in damnatis seruit diuinæ iustitiæ, sicut in iustis seruit diuinæ misericordiæ, & sic fine omni corruptione in reali immutatione substantiali facta in corpore inquantum mixtum est, uel in organo inquantum organum, patientur per organa manentia in suis temperamentis per excellentiam sensibilium summas passiones per transmutationes reales in calido & frigido, humido & sicco, manente tamen semper substantia rei, & organi proportione per illam dispositionem, quæ est quasi dos. Non minus autem est possibile, ꝙ sic sine organo etiam ab ipso eodẽ sensibili percipiatur dolor consimilis in appetitu intellectuali ex apprehensione, & perceptione facta in intellectu absque omni organo medio.

Ad prim.

Quòd ergo arguitur primo argumento diuisiuè, ꝙ corpora illa nõ corrumpuntur, nõ est ex dote, quia dotem non habent incorruptibilitatis, nõ uidetur mihi necessarium hoc ponere, sed solùmmodò, ꝙ non habent dotem incorruptibilitatis, quo ad rationem impassibilitatis. Aut si nullo modo habent talem: Deus uirtute sua, & uoluntate mera ipsa cõseruat corruptibilia, sic tamen, ꝙ nunquam corrumpantur.

Ad secundum principalem.

Quod additur, ꝙ non manent incorrupta ex parte ignis, quia facit, quod in se est.

Dicendum, quòd uerum est circa mixta si ponãtur manere manente cœlo per impossibile, quia etsi stante cœlo ignis non haberet uim corrumpendi generando, & ita per accidens, sicut dictum est, benè tamen posset habere vim corrumpendi etiã absque motu cœli, quia corruptio non procedit pse ex virtute cœlesti, sed potius eius defectu, etsi ex virtute naturali ignis posset corrumpi absque omni influentia ex virtute cœli, licèt ignis corrumpendo vnum non posset generare aliud absque motu cœli, & influentia virtutis eius. Propter quod benè damnatus est Parisij articulus ille, quòd stante cœlo ignis non posset comburere stuppam, & sic falsum est, quòd corpora damnatorum manent incorrupta, quia corruptio eorum dependet à motu cœli.

Comment. in Quæstionem XV. quæ est,

Vtrum ceßatio motus cœli poſt iudicium erit cauſa in corruptionis corporum damnatorum.

IN HOC TVLVS satis clarus.

In corpore tria facit. Primò reprobat opinionem. Secundò ponit conclusionem quæsito responsiuam. Tertiò ponit causam in corruptibilitatis damnatorum.

De primò. Opinio fuit, quòd cessatio motus cœli post iudicium erit causa incorruptionis damnatorum. Habet insuper hæc opinio, ꝙ cessante motu cœli cessarent omnes motus omninò horum inferiorum, igitur & corruptio.

Reprobatur autem ab Auctore hæc opinio, & in prima negatur, ꝙ omnis motus inferiorum cessaret cessante motu cœli. Et huiusmodi negationis rationem reddens Auctor, ita argumentatur. Cessante motu cœli, si graue esset sursum, descenderet, aliqua violentia perpetua esset. ergo non cessaret motus inferiorum cessante motu cœli.

Not. ꝙ cum illa opinio videatur D. Thomæ esse. p. p. q. 115. art. 3. Capreolus, atque Soncinas respondent Henrico, negantes antecedens, & ad probationem dicentes, falsam esse consequentiam, quoniam graue non est fieri deorum, nisi præsupposito motu cœli.

Sed fortè contra diceret Auctor. Ergo graue quatenus graue non fertur deorsum per se, sed per accidens, quia per aliud, qđ tamen videtur falsum, quia mouetur à propria forma tanquam à principio interno, quod visum est in nono Quolib. quæst. 5.

Not.

Not. propterea q Auctor concludit motus omnes depẽdere à motu cœli, qui tamen causantur à moru cœli, tanquam à causa exteriori, non tamen tanquam à causa interiori.

Not quòd rursum ad probandam rationabilitatem negationis illius, inducit quod stante cœlo, animalia possent moueri motu progressiuo, ad quod inducit Auerroem.

Amplius stante illa sententia sequeretur, quod animalia, quæ fortè reperirentur viua, viuerent in æternum, quod non est credibile.

Contra verò id, quod respondetur ad quæsitum, s. quod corpora illa non corrumperentur ex cessatione motus cœli arguit, corruptibile tandiu manet corruptum, quandiu conseruatur ab vniuersali generante; sed motus cœlestis est generans, & conseruans omnia in suo periodo, ergo cessante motu cœli, corruptibile non conseruaretur. Igitur corrumperetur. Quod autem motus cœli sit conseruans periodum vniuscuiusque corruptibilis rei, ipse Auctor probat ex Philosopho assumens verba in t. 56. & 57. secundi libri de generatione, quæ ipse recitat, & diligenter exponit, manifestans à motu cœli, & stellarum conseruari omnia generata, secundum suum periodum, atque ideo ipso cœli, & stellarum motu cessante cessaret conseruatio, & sic corrumperentur omnia. Non est autem, quòd velimus nos aliquid vltra addere, cum satis clarè loquatur.

Igitur secundo loco quæsito ita respondet, quod negatiuam habet conclusionem. Quæ probatur per ea, quæ dicta sunt.

De tertio verò inuestigans causam incorruptibilitatis, eam tandem affert, quæ affertur etiam pro beatis, s. quod erunt incorruptibilia per dotem incorruptibilitatis. Declaratur autem, quòd duplex est huiusmodi dos, alia quidem cum possibilitate: alia verò cum impossibilitate coniuncta. Et quidem dos prima est damnatorum: secunda beatorum. Id autem probat Auctor ex Gregorio, Hieronymo, Theodoro, glosa, &c. Et quoniam difficultas est de igne infernali cur non corrumpat, declarat id ex Gregorio, cuius plura verba recitat in litera, quia ignis ille per miraculum habet tantum virtutem cruciandi, sed non corrumpendi virtute hac suspensa, sed hæc in litera clara sunt.

QVAESTIO XVI.

Vtrum patri infideli in necessitate sua potius est subueniendum, quàm extraneo fideli.

SEQVVNTVR quæsita specialiter pertinentia ad hominem viatorem. Et erat vnum communiter pertinens, tàm ad clericum, quàm ad laicum, & plura pertinẽtia specialiter, vel ad illos, vel ad illos.

Illud vnum erat, Vtrum patri infideli in necessitate sua potius est subueniendum, quàm extraneo fideli.

Arg. princ. Et arguitur, quòd sit patri infideli subueniẽdũ, quia maius damnum sequeretur de non subueniẽdo patri, quia per necessitatem moreretur, & in anima, sicut in corpore: extraneus autem fidelis non moreretur nisi in corpore tantum, & maiori dãmno potius occurrendum est: ergo &c.

In oppos. Contra. Fundamentum veræ amicitiæ est bonum virtutis secundum Philosophum. 8. Ethicor. vbi ergo maius est bonum maior debet esse amicitia: & ita maior dilectio, quia amicitia requirit correspondentem dilectionem. Sed maius bonum virtutis est in extraneo fideli, quàm in patre infideli: ergo &c.

Secũdum. Item qualis ordo est in amicitia, & dilectione ciuili, talis debet esse in amicitia charitatiua, sed in illa potius in bello iuuandus est ciuis bonus, ne occidatur, quàm pater infidelis: ergo & in ista: ergo &c.

Responsio. Dicendum, quòd debitum subuentionis in necessitatis articulo respicit non tàm dilectionis affectum, quàm effectum, quia etsi non adesset dilectionis affectus, per effectum tñ soluitur obligatio talis debiti. Est ergo quæstio de ordine dilectionis quo ad dilectionis effectũ, in quo maximè considerari debet q̃ritas debiti & obligationis, qa maius debitum, & maior obligatio potius est soluenda, quàm minus si ambo solui non possunt. Quia igitur homo summè debitor est patris etiam infidelis iure diuino & obligatione diuini præcepti, quæ nunquam per infidelitatem soluitur: non sic autẽ fidelis extranei: ideo simpliciter dicendum, quòd si aliud non obstat, siue alijs eisdem se habẽtibus, in omni necessitate potius subueniendum est patri infideli, quàm extraneo fideli. Sed hoc non propter damnum, quod indè contingeret vti prætendit prima ratio, quia tũc in nullo casu potius subueniendum esset extraneo fideli, quàm proximo infideli, quod falsum est, vt iam dicetur, sed propter maius debitum & maiorem obligationem.

Ad arg. princip.

Distinguendũ est igitur, vt videamus quomodo regulariter verum falsum est in casu, quia pater infidelis, aut eget subuentione propter necessitatem naturæ in patiendo naturæ defectum, in cibo, potu, vestimẽto, aut huiusmodi, aut propter peruersitatem malitiæ in exercendo infidelitatis effectum in Deum blasphemando, propter quod oportet ipsum mori, vel incarcerari, vel in bello contra fideles dimicando, & per hoc necessitatem mõriendi incurrendo, nisi ei subueniatur in omnibus indigentijs. Primo modo potius subuenendum est patri infideli, q̃ extraneo fideli in omnibus indigentijs. Secundo modo potius subuenien dum esset extraneo fideli. In hoc enim casu subuenire patri, esset potius fouere eius malitiam, quã subuenire, & sic processit obiectio secunda.

Arg princ.

Ad primũ in oppos.

In tali enim casu, vel consimili loquitur Christus cum dicit Matthæi 10. Veni separare hominẽ aduersus patrem suum. Et 19. Qui reliquerit patrem suum &c. propter me &c. In hoc enim casu propter Deum relinquit, quia magis tenetur paternitati diuinæ: & ideò quando paternitas humana contrariatur illi respũda est, sicut contemnenda est minor auctoritas quando contrariatur maiori, & vniuersaliter auctoritas humana quando contrariatur auctoritati diuinæ.

In oppos.

Responsio.

Ad primum.

Ad primū principū in forma.

Ad primum respondendum est in isto casu, ꝙ propter maius damnum, quod posset imminere si pater infidelis permitteretur occidi, non est in hoc casu potius subueniendum patri infideli, quia presumendum est, ꝙ si viueret amplius, deterior fieret, & deterior moreretur, & sic ex hoc non incurritur maius damnum, sed potius minus, licèt simpliciter secundum se maius damnum sit vnum mori in anima & corpore, quàm alterum in corpore tantùm.

Ad secundum in oppositum.

Ad tertium respondendum est de duplici amicitia, quo ad alium casum, dicendo, ꝙ magis obligat diuinum præceptum patri infideli, q̃ extraneo fideli, si aliud non obsit, & propter nullam amicitiam ciuilem potius subueniendum esset extraneo fideli, nisi in quo pater contrariatur Deo. Vnde si propter amicitiam ciuilẽ oporteret dimittere potius patrem occidi, q̃ ciuem. Dicendum, ꝙ hoc locum habet tàm de patre fideli, q̃ infideli, & hoc quia si ciues habeant iustũ bellum, pater bellans contra eos impugnat iustitiam, & sic Deo contrariatur. Est aũt aduertendom, ꝙ si quæstio generalius proponeretur, an magis, vel potius sit diligendus pater infidelis, q̃ extraneus fidelis. Distinguẽdũ esset de diligere effectu, & tunc subdistinguendum esset, vt iam pertractatũ est in quæstione, & de diligere affectu, & dicendũ esset, ꝙ in omnẽ casum plus diligendus esset extraneus fidelis, q̃ pater infidelis, secundũ quod in hoc secundo mẽbro loquitur Ambro. quando dicit super Cantt. Domestici si boni sunt malis filijs sunt prẽponendi, vt notatur dist. 30. Decretorum super illud capitulum. Si qui filij.

Comment. in Quæstionem XVI. quæ est,

Vtrum patri infideli in necessitate sua potius est subueniendum, quàm extraneo fideli.



ITVLVS est clarus.

In corpore est conclusio, cæteris paribus, simpliciter subueniendum est magis patri infideli, quàm extraneo &c.

Probatur. Ei magis est subueniendum, cui de iure diuino, atque naturæ tenemur magis secundum dilectionis effectum, sed patri tenemur &c. igitur &c.

In solutione argumentorum, quæ portant difficultatem, intellige, quòd in his subueniendum est potius patri, in quibus illi tenemur de iure diuino, atque naturæ, in cæteris autem non. Tenemur autem quo ad dilectionis effectum in naturæ necessarijs pro conseruanda ipsa natura; non autem in alijs, quæ non pertinent ad huiusmodi conseruationem, vnde si patet sic in egestate illorum, quæ fouere possent eius malitiam, ei nequaquam esset subueniendum. Cætera clara videntur.

Ad arg. primcip.

QVAESTIO XVII.

Vtrum Laici publica tenentes officia, vexantes parentes clericorum, quia ipsi Clerici nolunt eis obedire, sint excommunicati.



SEQVVNTVR quæsita circa hominem viatorem pertinentia specialiter, vel ad Clericum. Et erant duo pertinentia specialiter ad hominem laicum. Primum in vexando proximum: Vtrum Laici publica tenentes officia vexãtes parentes Clericorum, quia ipsi Clerici nolunt eis obedire, sint excommunicati. Secundum in occidendo proximum: Vtrum in lege noua liceat Iudicem Sæcularem occidere quenquam pro furto.

Arg prim.

Circa primum arguitur, ꝙ illi Laici sunt excõicati, quia extra de sen. excõicationis. Nouit. dicit, ꝙ statuentes contra Ecclesiæ libertatem sunt excõmunicati: illi aũt contra eam in sic faciendo cõtra Clericos, & eorum libertatem pugnant facto, quòd maius est: ergo &c.

Ad primũ in oppositū.

In oppositū.

Contra. Parentes illi Clericorum Laici sunt in quos habent potestatem, & sic licet eis hoc facere: pro licito aũt facto nemo est excommunicatus: ergo &c.

Responsio.

Dicendum, ꝙ quæstio aut quærit de excõicatione canonica pro iniectione manus violenta in Clericum, aut pro aliquo alio delicto. Si primo modo, dico, ꝙ pp illum Canonem ex tali facto nõ sunt excõicati, quia talis Canon loquitur de iniuria illata Clerico in persona sua tm̃. Si secundo modo, tunc distinguendum est de causa excõicationis & animo vexantium. Aut. n. vexant parentes Clericorum, vt cogant Clericos subijcere se ipsorum iurisdictioni in illis, in quibus non debent esse iudices eorum, & ne quærant Ecclesiasticum auxiliũ in talibus pro vexatione parentum Clericorum: in isto casu dico, quòd sunt excommunicati auctoritate Canonis allegati, & expressius eodem titulo cap. Grauem, & expressissimè auctoritate Bituricen. Concilij in cap. Cum nonnulli. Aut vexant eos pro alijs causis, puta nè Clerici iniuriẽtur ciuibus suis, aut ciuitati: in isto casu credo, vel cõsimili, etsi fortè grauiter peccarent, ꝙ non sunt excommunicati. Breuiter enim credo, quòd pro tali facto non sunt excommunicati, nisi vel directè, vel indirectè infringunt libertatem Ecclesiæ. Per hæc patent obiecta vtriusque partis.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem XVII. quæ est,

Vtrum Laici publica tenentes officia, vexantes parentes Clericorum, quia ipsi Clerici nolunt eis obedire, sint excommunicati.



N titulo nihil videtur dicendum.
In corpore habitis diuisione, & subdiuisione, tribus conclusionibus videtur quæsito satisfacere.
Quæ omnia sic disponimus.

Quæstio hæc de excommunicatione, aut

Intendit illum Canonem de iniectione manus violentæ in Clericum.

Intendit pro aliquo alio delicto. Et tunc quicunque vexant, aut

Id faciunt, vt Clerici illis subijciantur. *Nè Clerici ciuibus iniurientur.*

Prima conclusio — Non essent excommunicati.

Secunda conclusio — Essent excommunicati.

Tertia conclusio — Non essent excommunicati.

Not. pro primo membro diuisionis, quòd qui iniecerint manus violentas in Clericum excommunicati sunt. c. si quis. 17. q. 4. & est Innoc. I. Nunc aũt si quis injiceret huiusmodi manus in parentes Clericorum, ex eo, qđ parentes sunt, nõ essent excõmunicati, vt dicit conclusio, cuius ratio est, quod Canon ille loquitur de iniuria illata Clerico in propria persona. Et id dicunt omnes Summistæ.

Not. pro secundo membrò, q̃ ita intelligitur, quasi quæratur, Vtrum qui vexant huiusmodi parentes, tale peccatum vexando committant, pro quo incidant in excommunicatione, & tunc distinguitur, vt apparet.

Secunda autem conclusio probatur ex Can. citato in primo argumento, & in eod. tit. c. Grauem. Et in Concilio Bituricensi cum nonnulli. vide Summistas in excommunicatione contra impedientes Ecclesiasticam libertatem. Cætera. n. clara.

QVAESTIO XVIII.

Vtrum in lege noua liceat iudicem Sæcularem occidere quenquam pro solo furto.

Arg. prim.



IRCA secundum arguit, q̃ in lege noua non licet occidere quẽq̃ pro solo furto, quia hoc nõ licuit in lege veteri, quia ipsa taxauit talionem, vt pro vna oue redderentur quatuor, & pro vno boue quinq; boues, vt hĩ Exo. 22. vbi ẽt dĩ, q̃ si nõ haberet vnde redderet, fur venderet, & de pretio suo satisfieret. In lege aũt noua non debet obseruari maior crudelitas, q̃ in veteri, quia illa erat lex timoris: ista verò est lex amoris, dicẽte Augusti. Breuis differentia legis, & Euangelij, timor & amor: ergo &c.

In oppos. In cõtrarium est consuetudo obseruata in Eccl. Dicendũ, q̃ pro nullo delicto quis morte plectendus est, dum tñ põt aliter corrigi, quia semper pœnę mitigandæ sunt. Mors aũt vltima pęnarum est, pp quod dĩ in auten. vt nulli iudicum. s. pro furto. Coll. 10. Pro furto nolumus oĩnò quodlibet membrum abscindi, aut mori, sed eũ aliter castigari. Si tamẽ aliter corrigi non põt, aut castigari: & p hoc mors vtilior iudicet, q̃ vltra viuere, quia sic cessare mala agere quędã correctio est, morte furtum benè plectẽdũ est. Quia vt dĩ. 23. cã. q. 5. c. Prodest, siue plectẽdo, siue ignoscẽdo hoc solum benè agit vt uita hominũ corrigat. In casu aũt quo incorrigibilis inuenitur fur, loquitur aliud capitulum ibidẽ dicens sic: Qui malos percutit in eo, q̃ mali sunt, & habet causam interfectionis, & potestatẽ ut occidat, minister est Dñi. Causa aũt ut occidat duo in se debet cõtinere. Vnũ ex parte facti pro quo quis occidendus est. s. q̃ nergat in prędiudicium Dei, aut proximi. Aliud ex parte occidẽdi, q̃ incorrigibilis apparear. Propter primũ dat furtum causam occidendi, & est directè cõtra legem naturæ, & pactũ humanę societatis, dicẽte Tull. lib. 3. de off. Hominem hoĩs in cõmodo suum commodũ augere magis est contra naturã, q̃ mors, nam tollit conuictũ humanũ. Illud natura non patit, ut aliorum spolijs nostras facultates augeamus, & sic iure naturæ, sicut dicit fures tanq̃ membra putrida abscindendi de cœtu humani generis, & morte plectẽdi. Secundum aũt dictorum dat causam occidẽdi, quia tollit oẽ aliud remedium, talis aũt iudicandus est fur ex humanis p̃sumptionib. quia aliter interiora hominũ scire nõ possumus. Prę̃sumptio aũt talis accipit, uel ex magnitudine rei, q̃ furatur, uel ex assuefactione furandi, per quam quis super furãdi actu diffamatus est tanq̃ frequenter deprehensus in tali scelere q̃tuncunq; sit modicum furtũ. Vnde pp hoc sm̃ leges humanę, q̃ prohibebant fures simplices occidi pro furto, ut habitũ est supra, benè p̃cipiunt fures famosos occidi. ff. de pœ. l. Capitalium. §. Famosos. Propter primũ lex Moysi, quę in minorib. furtis ordinauit talionẽ, maiora phibuit sub pœna sanguinis, siue mortis. Æstimabatur aũt res furata maior, uel ratione sui, uel ratione eius, in cuius possessione erat. Propter primũ dĩ Exo. 21. qui furatus fuerit hoĩem, & uẽdiderit eũ, cõuictus noxæ morte moriat. Propter sm̃ Achor lapidatus fuit quia propter sacrilegium furando Dño cõsecratã. Vnde de morte eius legitur Ios. 7. vbi dĩ, Quia turbasti nos exturbet te Dñs ĩ die hac, & lapidauit eũ oĩs populus, qđ est, quia q̃ furatus erat de possessione Dñi erant, vt dĩ Ios. 6. Sit ciuitas anathema, & oĩa quæ in ea sunt: quicquid autem auri, & argẽti fuerit, & vasorum æneorum, ac ferri Domino cõsecretur depositum in thesauris suis. De his autẽ ille furatus erat pallium coccineum &. cc. ciclos argenti,

genti, regulam quoque auream, vt ipsemet confessus est. Ios.7.

Ad argum. Prim. Ad primum ergo, ꝙ in lege Moysi pro furto nemo occidebatur, &c.

Dicendum secundum iam dicta, ꝙ verum est, ꝙ commisso in minoribus, in quibus statuit talionē. In maioribus autem, in quibus talionem non statuit, dimisit ipsum morte plectendum secundum cursum legis naturæ, sicut & modo idem relinquit lex Euangelij, & hoc non tantum in maioribus, sed etiam in minoribus, quia nullam pœnam talionis statuit, & hoc erat congruum legi Euangelij, super legem Moysi. Illa enim habet docere perfectionis opera, & affectionem à rebus temporalibus transferendam ad æterna, quæ principaliter promittit spiritualibus hominibus. Lex autem operā perfectionis non docuit, sed secundum August. de sermone Domini in monte, docuit quandam inchoatam, imperfectamq; iustitiam, vnde & temporalium rerum amorem permisit, & ea cultoribus promisit tanquam hominibus carnalibus, qui nondum erant idonei ad perfectæ iustitiæ, & ad spiritualium bonorum promissiones. Propter qd furtum, quod procedit ex nimio temporalium rerum amore, magis detestandum est in lege noua, quàm in veteri. Propter quod in minoribus ipsa permisit furtum absque pœna sanguinis statuens pœnam talionis in rebus, secūdum etiam ꝙ quia proni erant ad homicidia, indulsit homicidis ciuitates refugij. Lex autē noua, quia nullum furtum permittit, vel homicidium, nec pœnam talionis statuit furtis minoribus, nec ciuitates refugij prouidit homicidis. Propter quod non est contra legē Euangelij pro furto quocunq; occidere secūdum determinatum modum, & in quacunque ciuitate homicidam ad occidendum capere, licēt hoc fuit contra legem Moysi. Propter quod licēt iudicibus sub noua lege occidere pro furto, pro quo non licuit occidere sub lege Moysi.

Quod autem assumitur, quòd tunc crudelior esset lex noua, quàm vetus, quod esse non debet. *Ad contra.*

Dicendum, quòd verum est, si ipsa dictare vellet esse occidēdum, quod in nullo casu statuit, in quo correctionem expectandam docuit, & neminem occidēdum quousq; incorrigibilis inuentus esset. Neminem ergo occidit, quia nullum statutum de occidendo tradidit, sicut nec talionem reddi statuit, in quo quo ad statuta sua lex Moysi aperte crudelior fuit, quia lex noua, vt dicit Gregor. nono Moralium, corda delinquentium mansuetudine potius, quàm retrorsum coercuit. Per legem quippe Deus virgam tenere cum dicebat, Si quis hoc, vel illa fecerit morte moriatur, sed incarnatus virgam abstulit, quia vias vitæ per mansuetudinem ostendit. Vnde lex noua in pœnam mortis infligendam solùmmodò vsum, & consuetudinem legis naturæ obseruandam reliquit, vt studeatis in hoc non legi Euangelij, sed potius legi naturæ imputari debeat, quæ in hoc maioris iustitiæ, quàm lex Moysi erat. Propter quod sub lege Moysi, cum tempus legis Euangelicæ appropinquare cœperat, in qua illud impleri debuit; Nouis superuenientibus vetera proijcietis, & vetustissima veterum comedetis, augmentata fuit pœna furtis taxata in rebus, & hoc à Salomone quando dixit, Prouerb.6. Num grandis est culpa cum quis furatus fuerit? Furatur enim, vt esurientem impleat animam: deprehensus quoque reddet septuplum, & omnem substantiam domus suæ tradet, & liberabit se, per hoc insinuans, quòd aduenīente tempore gratiæ perfectæ iustitiæ pro tanto liberari non debeat, sed ipsemet occidetur.

Comment. in Quæstionem XVIII. quæ est,

Vtrum in lege noua liceat Iudicem Secularem occidere quenquam pro solo furto.



ITVLVS ex se clarus.

In corpore distinguitur de fure, & subdistinguitur, & tribus conclusionibus videtur satisfieri, sic.

Fur, aut

Furatur magna, & sacra — *Furatur parua, & non sacra, & tunc vel*

Prima conclusio. Licēt Iudici talem occidere.

Corrigibilis est. *Secunda conclusio.* Non licet Iudici talem occidere.

Incorrigibilis est. *Tertia conclusio.* Licēt Iudici talem occidere.

Prima conclusio probanda est, sicuti tertia, quoniam qui furatur huiusmodi habetur pro incorrigibili, & si tantum semel furatus sit. Vtraque autem simul ex duplici causa probatur. altera ex parte facti, altera ex parte occidendi.

Ex prima autem causa, quoniam est, quòd furtum contrariatur iuri naturæ, & pactū humanæ societatis ex Tullio, erigitur talis ratio. Quòd natura non patitur, abscindendum est. Furem natura non patitur, igitur. Maior nota est, & minor probatur. Quia lex etiam diuina voluit, quæ est expressio legis naturæ, & continens eam, eos occidendos, qui fures sunt, & non patitur eos, quod per multa loca Sacræ Scripturæ patet, & quædam citantur in litera.

Ex causa secunda erigitur talis ratio. Incorrigibilis tollit omne remedium præter mortem, ergo morte plectendus est. Quòd tollat omne remedium patet, quia iam non esset incorrigibilis; consequentia patet, superiori ratione, nam incorrigibilem natura non patitur. Patet insuper vtraque conclusio ex lege. ff. de pœnis. l. capitalium. Famosos, vt patet in litera.

Secunda conclusio patet ex eadem lege. Et certè adnotamus, ꝙ huiusmodi fures solent, vel verberari, vel signari igne, publicè, vel ad triremes condemnari. vnde pro furto, quod irreparabile damnum non refert, non infligitur secundum iudicium præsens pœna mortis, nisi vt furtum aggrauatur per aliquam grauem circunstantiam, quod dicit D. Tho. 22. q. 66. ar 6. ad 2.

QVAESTIO XIX.

Vtrum qui vouit intrare Religionem strictiorem liberatus sit intrando laxiorem.

SEQVVNTVR pertinẽtia specialiter ad hominem viatorem clericum. Et erant duo specialiter pertinentia ad clericum religiosum, & plura alia pertinẽtia cõiter tàm ad Religiosum, q̃ ad Sæcularem. Primum illorum duorum erat pertinens ad votum simplex: Vtrũ qui vouit intrare Religionem strictiorem liberatus est intrando laxiorẽ. Secundum erat pertinens ad votum solẽne: Vtrũ de religione priuilegiata, ꝙ Fratres eius non possunt transire ad aliam Religionem æqualis arctitudinis, aut minoris, Fratres alterius Religionis, quę non præsumitur esse maioris arctitudinis, sed potius minoris, possint recipere ad suam Religionem Fratrem professum in illa Relig. priuileg.

Arg prime. Circa primũ arguitur, ꝙ qui vouit intrare Religionem arctiorẽ liberatus sit à suo voto, intrãdo laxiorem, quia per hoc implet votum, quo ad tria essentialia Religioni, quia illa in oĩ Religione obseruantur, & p tale votum non videtur ille obligari ad plus, q̃ se extendunt essentialia Religioni.

Probatio. In oppositũ. Ad alia enim obseruãda solum obligant̃ professi.

Contra. Qui non implet integrè promissum nõ est liberatus à voto, iste talis est, quia duo promisit, & intrare, & talem Regulam seruare. ergo &c.

Responsio. Hoc vltimum concedendum est, quia. n. iste nõ solum vouit intrare Religionem, sed talem Religionem, in qua tales sunt obseruantiæ, quales nõ sunt in alia: & secundum quas diuersarum Religionum professiones distinguunt̃. Trium. n. votorum principalium solẽnitas in qualibet Religione obseruat̃. Quia igitur ille in voto suo ꝓmisit duo; & intrando Religionem laxiorem non soluit nisi vnum, à voto suo non est liberatus, nisi super hoc dispensationem, aut licentiam obtinuerit competentem, & quod maius est, si quis promisit intrare vnum Monasterium ex Religionibus habentibus bona temporalia mobilia, & immobilia distincta secundum distinctionem Monasteriorum, nõ soluit promissum intrando aliud, sicut æstimo, vt qui vouit intrare Monasterium Ordinis Sancti Benedicti apud Sãctum Dionysium, non soluit promissum completè intrando illud apud Sanctum Germanũ, quia etsi satisfaciat Religioni, siue Ordini simpliciter, & in hoc Deo; non tñ satisfacit Monasterio, cui fecit suam promissionem, si non velit remittere promissum, quia aliquid iuris habet ex illo promisso illud Monasterium, quod non habet aliud: secus aũt est de Religione in qua diuersa Monasteria nihil sibi appropriant, sed quicqd habẽt propriũ est toti Religioni pro singulis Fratrib. eius, vt q̃tum iuris habet singulus eorũ in bonis vnius Monasterij, tm̃ habet in bonis alterius. Propter quod ex suo promisso nihil plus iuris in illum acquirit vnum Monasterium q̃ aliud, pp qđ vouens intrare vnum, sine omni iniuria illius põt intrare aliud, & soluit perfectè promissum, vt contingit in Religionibus Fratrum Prędicatorum, & Minorum.

Ad arg. in oppositũ. ꝙ sufficienter liberatus est, quia æqualiter soluit promissum quo ad tria essentialia in votis. Dicendum, ꝙ non est verum, quia iste non solum promittit Religionẽ vbi tria vota essentialia obseruãtur, sed vbi ẽt cum talib. obseruantijs obseruant̃, & quod amplius est si eædem obseruantiæ custodirent̃, postquam ibi non essent eis omnia æqualiter communia, sicut non sunt diuersis Monasterijs in eadẽ Religione q̃nque, adhuc non satisfaceret quo ad eos, quib. facta erat promissio, licèt satisfaceret quo ad rẽ promissam. Non. n. qui aliquid promittit vni, & in hoc debitor eius factus est, satisfacit, si hoc soluit alteri: immò si sit res, quæ põt ab eodem solui plurib. postquã soluerit vni, debet eã adhuc soluere alteri, vt si vni promisi denarium, & credens soluere, siue satisfacere dem denarium alteri, puta pauperi in eleemosynã, adhuc teneor soluere denarium illi, cui erã obligatus ex promisso. Vnde si talis subintrauit aliã Religionem laxiorem, ante professionem debet exire, & intrare Religionem, cui se deuouit, nisi dispẽsationem, vel licentiam competentẽ habuerit, ẽt si scandalum ex hoc debeat oriri, quia hoc respectu illius scandalum passiuum est, non actiuum, nisi quo ad hoc, ꝙ fatue egit ab initio in talem necessitatem se ponendo, & de illa debet agere pœnitẽtiam, & maximè si ex suo exitu postmodum scandalum oriatur, quia contra illud debuisset sibi prouidisse, propter quod ei imputatur sicut ebrioso si committat homicidium.

Post professionem autem per maius votum absolutus est à minori: debet tamen agere pœnitentiam, scilicet pro transgressione minoris.

Et quòd assumitur in argumẽto, ꝙ per simplex votum non obligat̃ ad plus, q̃ ad tria essentialia. Dicendum, ꝙ nec ad illa tria, nec ad alia obligat̃, & hoc neq; quo ad ipsorum obseruantiam finalẽ, nec quo ad ipsorum experientiam, sed solùmmodò obligatur ad præcisum ingressum Religionis, vbi illa tria obseruantur cum talibus obseruantijs, & non satisfacit nisi intrando talem Religionem, quo facto statim perfectè liberatus est, & satisfecit & recedere potest liberè quandocunque ei placuerit ante voti solẽnizationem, secundum quod alibi planius declarauimus.

Comment. in Quæstionem XIX. quæ est;

Vtrum, qui vouit intrare Religionem strictiorem liberatus sit intrando laxiorem.

IVLIVS clarus.

In corpore est conclusio negatiuè respondua quæsito. Et probatur argumento secundo in fronte quæstionis adducto, quod notum est.

Nota autem pro eo, quod dicit, quòd huiusmodi cum promisisset duo, non soluit nisi vnum. Promisit duo, scilicet, quorum vnum est religionis ingressus: alterum verò talis Religionis, vel primum est obseruantia solemnis trium votorum, alterum obseruantia cum tali modo, & regula.

Nunc autem obseruat tantum vnum, quia solummodo obseruat primum. Cætera videntur clara.

QVAESTIO XX.

Vtrum de Religione priuilegiata, quòd fratres eius non possunt transire ad aliam Religionem æqualis arctitudinis, aut minoris, Fratres alterius Religionis, quæ non præsumitur est maioris arctitudinis, sed minoris, possint recipere ad suam Religionem fratrem professum in illa Religione priuilegiata.

Arg. prim. primum.

CIRCA secundum, quòd dicti Fratres nō possunt dictum Fratrem ad suam Religionem recipere arguitur, quia contrectarent rem alienam inuito Domino, i. Prælato suo alterius Religionis.

Similiter inuito Prælato summo Pontifice, scilicet, qui hoc in priuilegio à se dato prohibuit, vt ponitur in casu.

Secundum

Item per tale factum ministratur pluribus scandalum: ergo peccat, qui eius ex suo facto dat occasionem. ergo &c.

In oppos.

Contrarium, vt dixit opponens sit Religioni suæ.

Respons.

Dicēdum, quòd si omnia essent vera, quæ supponuntur in casu, scilicet, quòd fratres, qui recipiunt ad suam Religionem Fratres alterius Religionis non essent strictioris Religionis, nec cum hoc haberent priuilegium fortius contrarium, aut si haberent, non tamen constaret de illo, & quòd illi de alia Religione sic essent priuilegiati, vt dixit opponens, omninò peccarent recipientes, dum tamen constaret eis de aliorum priuilegijs, peccarent etiam propter ipsum factum, quia iniuriosum est in se, vt procedit prima ratio, & propter scandalum, quod exinde sequitur, quia si ita esset scandalum actiuum esset.

Si autem veritas non suffragaretur in dictis, quia scilicet recipientes essent strictioris Religionis, nullo modo peccarent, quia non obstaret priuilegium illud, quod non concedit nisi ius commune.

De iure autem communi non licet transire de Religione ad Religionem, nisi illa, ad quam transitur strictior esset. Si enim esset æqualis strictionis, tunc transire reputari debet curiositatis, siue leuitatis. Si verò esset laxior, tunc transire reputari debet irreligiositatis, siue dissolutionis. Et de iure communi, licèt transire ad arctiorem Religionem petita licentia à Prælato laxiotis Religionis, licèt non obtenta.

Frater autem opponens, vt ostenderet Religionem suam fore arctiorem, quàm illam ad quam Fratres sui Ordinis inuito Prælato suo, & contra suum priuilegium, immò cō tra ius commune recipiebantur, dixit expressè coram omnibus se esse Ordinis Beatæ Mariæ de monte Carmeli: & Fratres, qui suos Fratres receperunt esse Ordinis prædicatorum, & probauit ordinem suum esse strictiorem, vel æquè strictum, quàm sit Ordo Fratrum prædicatorum per quasdam literas Domini Innocentij Papæ, in quibus continetur talis clausula. Sicut accepimus dilecti filij Prior generalis, & Fratres Eremi de monte Carmeli, abdicatis præsentis sæculi opibus titulum elegerunt paupertatis, vt mēte, & corpore expediti, & accepta valeāt Domino impendere seruitutē, nullas possessiones, nihilq; proprium, vnde sustentari valeant possidentes &c. Dicebat ergo ille. Cū nos nō habeamus possessiones mobiliū, nilq; propriū, neque mobiliū, neq; immobilium: Fratres aūt prædicatores habeāt possessiones mobiliū proprias, Ordini licet sint cōes omnib; Fratribus Ordinis: nostra ergo Religio est strictior, quàm ipsorum. Super quo iudicium perspicacioribus relinquo.

Comment. in Quæstionem XX. quæ est,

Vtrum de religione priuilegiata, quòd fratres eius non possunt transire ad aliam religionem æqualis arctitudinis, aut minoris, fratres alterius religionis, quę non præsumitur esse maioris arctitudinis, sed minoris, possint recipere ad suam religionem fratrem professum in illa religione priuilegiata.

TITVLVS non eget aliqua declaratione.

In corpore conclusio est, quod stante casu, vt in titulo, fratres huiusmodi non possent recipere, &c. Casum habemus in sacra nostra Camaldulensi Heremo, vbi viget priuilegium, quod non possint heremitæ ad aliam quancunque religionem transire. Vnde quicunque eos reciperent, malè facerent. Nec obstat quod aliquando quis eorum recipiatur in Zenobiali nostra Camaldulensi, tum quoniam id fit de speciali licentia heremitarum: tum quia non nisi vrgente causa infirmitatis. Tum quia etiam Zenobilis Camaldulensis vnita est sactæ Heremo ex speciali priuilegio, & communitate patrię.

QVAESTIO XXI.

Vtrum si à Principe concessum sit quibusdam religiosis accipere pedagium aliquod licitum, & iustum, vsque ad primam alicuius diei certæ futuræ, & ex tunc recipiant Canonici loci: Canonici autem illa die adueniente pulsari faciunt primam in aurora extra horam consuetam, vtrum inquam Religiosi illi debeant amittere pedagium prouenturum, vsque ad horam primæ consuetam.

SEQVVNTVR pertinentia communiter ad Clericos tàm Sæculares, quàm Religiosos, & erat vnicum quo ad ipsorum bona tẽporaliá: & plurima alia quo ad eorũ bona spiritualia. Illud autem vnũ erat. Vtrum si à Principe concessum sit quibusdam Religiosis accipere pedagium quoddam licitum, & iustum vsque ad primam alicuius diei certæ futuræ, & vt ex tunc recipiant Canonici loci; Canonici autem illa die adueniente pulsari faciunt primam in aurora extra horam consuetam, Religiosi illi debeant amittere pedagium prouenturũ vsque ad horam primæ consuetam. Et arguitur, q̃ sic, quia in concessionibus & priuilegijs non est vtendum nisi sermonibus consuetis, & secundum consuetum intellectum vtendum est illis, vt extra de sponsalibus. Ex literis, & Philos. dicit, q̃ loquẽdum est, vt plures. Sed cum dicitur vsq; ad horam primam; sermo consuetus est, & consuetum est sic eo vti, vt intelligatur vsq; ad horam debitam qua consueuit pulsari. Vsque ergo ad illam horam habent dicti Religiosi ius accipiendi illud pedagiũ.

arg prime.

Contrarium vidi dixit opponens. Dico, quòd supponendo casum illum habere veritatem, canonici illi fraudulenter agunt, & dolosè præoccupãtes horam debitæ pulsationis, quod non debet cedere in alterius nocumentum, nec in proprium cõmodum, quia fraus & dolus nemini debent patrocinari, & sic Religiosi illi ius habebant recipiendi illud pedagium vsque ad horam primæ consuetã, vt ostendit prima ratio ad hoc adducta, & si contrarium factum fuit, vt procedit dictum in oppositum, & erant illi Religiosi impediti in percipiendo dicto pedagio, multum in hoc iniuriatum est illis, & tenentur Canonici eis ad restitutionem, si illud receperunt, quod si renuant facere Canonici, prosequantur Religiosi ius suum, sicut poterunt. Si verò dicti Canonici ex causa rationabili pulsationem primæ anticipauerunt, quo ad hoc nõ sunt in culpa. Nihilominus tamẽ per hoc non possunt sibi ius in percipiendo dictum pedagiũ, quod alias non essent percepturi citra horam primo consuetam, acquirere.

In oppos. Responsio.

Comment. in Quæstionem XXI. quæ est,

Vtrum si à Principe concessum sit quibusdam Religiosis accipere pedagium aliquod licitum, & iustũ, vsque ad primam alicuius diei certæ futuræ, & ex tunc recipiant Canonici loci; Canonici autem illa die adueniente pulsari faciunt primam in aurora extra horam consuetam; vtrum inquam Religiosi illi debeant amittere pedagium prouenturum, vsque ad horam primæ consuetam.

TITVLVS clarũs, nam quid sit pedagium notum est.

In corpore autem est conclusio, quòd illi Religiosi non debent amittere pedagium prouenturum vsque ad horam primæ consuetam. Probatur per argumentum in fronte quæstionis. Et quoniam dolus alicuius non debet vertere in damnum alterius, si dolosè egerunt illi Canonici, dolus eorum non debet vertere in damnum Religiosorum. Sed hæc satis clara videntur.

QVAESTIO XXII.

Vtrum exponens priuilegium Apostolicum contra planum, & expressum sensum verborum, sit commendandus vt exhibitor reuerentiæ Domino Papæ, Cardinalibus, & curiæ Romanæ, & alia plurima, quæ pertinebant ad diuini officij exequutionem.

SEQVVNTVR communiter pertinẽtia ad Clericos tàm Religiosos, quàm Sæculares, quo ad eorum bona spiritualia. Quorum vnum pertinebat ad priuilegij Papalis interpretationem: Vtrum exponens priuilegiũ Apostolicum contra planum, & expressum verborum sit commendandus vt exhibitor reuerentię Domino Papæ, Cardinalibus, & curiæ Romanæ: & alia plurima, quæ pertinebant ad diuini officij exequutionem.

Arg. prim. Circa primum arguitur, quòd ille expositor talis non sit commendandus dicto modo, quia nullus præsumptuosus interpretator priuilegij Apostolici commendandus est dicto modo, quia præsumptio, nec commendabilis est, nec cuiquam reuerentiam, sed contrarium magis exhibet, scilicet irreuerentiam illi, cuius est priuilegium, quia ille per priuilegium suum intelligi nihil vult, quàm secundum planum verborum.

Aliter enim omnia priuilegia traherentur in abusum, si scilicet cuilibet liceret eis dare intellectum, & maximè contra planum verborum, vt extra de priuilegijs. Priuilegia. Ille autem expositor talis est, quia extra de priuilegijs. Cum venissent, dicitur in Glossa, q̃ iudex de priuilegio Apostolico incidenter potest cognoscere, si verba sint clara, & manifesta, & si inuenta sint fore clara & manifesta: potest dicere si aliquid pro, vel contra arguatur, obstat, vel non obstat, secundum quod diximus in nostro decimo Quolibet, quęstione prima; sic solummodò licitum est iudicare de dictis in priuilegio Apostolico secundum planum verborum: ergo à contrario sensu (quod est fortissimum argumentum in iure) nullo modo licet iudices ire contra planum, & expressum verborum. Hoc autem facere circa expositionem priuilegiorum (quod non licet) præsumptuosum est, ergo &cæt.

In oppos. In contrarium est dixit opponens, quòd viri, & sapientes, & discreti dicunt talem expositionem esse de mente & intentione Domini Papæ, & in hoc dicunt se esse asseuratos, quibus in hoc credendum est. Exponens autem priuilegium secundum mentem & intentionem Domini Papæ maximè cũ de huiusmodi expositione habeat sufficiens testimonium proborum, q̃ sit de mente & intentione Domini Papæ dicto modo commendandus est ergo &cæt.

Dicendum secundum August. de sermone Domini in monte. Quòd de occultis nobis iudicare non licet, sed solummodò de manifestis, sic q̃ de ipsis possint haberi aperta indicia, per quæ quæ alias sunt occulta fiunt manifesta. Sic enim Dominus docet cognoscere occultã hypocrisim, quando dicit, Et operibus eorũ cognoscetis eos, vt exponit Aug. Propter quod dicitur primi Reg. 16. Homines vident ea, quæ apparent: Deus autem intuetur cor. In priuilegijs ergo de mente & occulta intentione Domini Papæ nobis præsumere, aut iudicare non licet, nisi q̃d per manifesta indicia verborum priuilegij nobis indicatur. In priuilegijs enim non est vtendum verbis obscuris figuratiuis & ænigmaticis, quę nos ad præsumendum excitant aliquam occultam intelligentiam sub illis verbis intellexisse scribẽtem quam verba intendunt, sed non quam prætendũt, in quibus aliquando vitium est verbis insistere, & secundum verba exponere, cum tamen in priuilegijs semper oporteat verbis insistere. Vt autem paulò altius ordiamur. Sciendum, q̃ oĩs sermo, aut est proprius, aut figuratiuus. Et est sciendum, quòd ipsum exponere secundum planũ verborum aliquando bonum est, & malum est exponere ipsum alio modo maximè contrariò, dicente Gregor. in prologo Moralium. Aliquando, qui verba accipere historiæ iuxta literã negligit, oblatum sibi lumen veritatis abscondit, cũque labore inuenire in eis aliquid extrinsecus appetit hoc, q̃d foris sine difficultate assequi poterat amittit, & ponit exempla, quæ habentur Iob 31. Si negaui, quod volebant pauperibus, & oculos viduæ expectare feci, & cætera huiusmodi, de quibus subdit, dicens: Quæ videlicet si ad allegoriæ sensum violenter inflectimus cunctæ eius misericordiæ facta vacuamus. Aliquando verò sermonem proprium exponere secundum planum verborum bonum est, & alio modo similiter: immò alijs modis pluribus, dicente Grego, Nonnulla tripliciter indagamus: nam primum fundamenta historiæ ponimus: deinde per significationem typicam in arcem fidei fabricam mentis erigimus, ad extremum per moralitatis gratiam quasi superducto ædificiũ colore vestimus: talis expositio in theologicis acceptatur. Sermonem verò figuratiuum exponere secundum planum verborum semper malũ est, dicente Grego. Aliquando aperta verba intelligi iuxta literam nequeunt, quia superficie tenus accepta nequaquam instructionem legentibus, sed errorem gignunt. Ecce enim dicitur Iob 9. Sub quo curuantur, qui portant orbem, & de tanto viro q̃s nesciat, quòd nequaquam vanas poetarum fabulas sequatur, vt mundi molem subuehi gigantum sudore suspicetur?

Et

Et sic huiusmodi sermonem exponere secundum planum verborum non est bonum, ita quòd aliqñ sit bonum ipsum exponere contra planum verborum. Dicente Grego. Aliquando ne intelligi iuxta literam debeant, ipsa se verba literæ impugnãt: ait nanque Iob 3. Pereat dies in qua natus sum: occupet eum caligo & inuoluatur amaritudine, quia nimirum natiuitatis dies ipsò impulsu tẽporis euolutus stare non poterat. Quo igitur pacto ipsum inuolui caligine optat? & tamen si in rerum natura subsisteret sentire amaritudinem nequaquam posset. Constat ergo, quòd nullo modo de die sensibili dicitur, qui percuti amaritudine optatur, sed nimirum verba literæ dum collata sibi conuenire nequeunt aliud in se aliquid, quòd quæratur ostendunt, ac si dicant, dum nostra nos conspicitis superficie destrui, hoc in nobis quærite quod ordinatum sibique congruens apud nos valeat interius inueniri. Ex quo patet, quòd sunt tres modi expositionis sermonis: duo proprij, & vnus figuratiui. Quorum primus est, quem malũ est exponere alio modo, & maximè contrario, q̃ secundum planum verborum, de natura eius debet esse omnis sermo positus in priuilegijs, quia debet exponi secundum planum verborum, & non alio modo, maximè contrario penes aliquem aliorum duorum modorum.

Expositio enim penès secundum modum non competit ei, quia non debet continere mysteriũ. Expositio verò penès tertium modum ei non cõpetit, quia non debet continere sermonem figuratiuum: & sic (vt dictum est) oportet semper verbis priuilegij insistere, & secundum sensum, quẽ verba prętendunt, ipsum exponere: dico Grammaticè loquendo, quemadmodum Dominus Papa Nicolaus vult Regulã Fratrum Minorum exponi, quæ in hoc habet vim priuilegij, præter hoc quòd si dictio ambigua, vel clausula dubia in priuilegio ponatur, & secundum hoc possint in eodem plures haberi sensus veri, & possibiles, tunc ex titulo de verborum significationibus, vel ex alijs iuribus sensus quem Dominus Papa intellexit perscrutandus est, secundum quod iura quædã per alia iura solent exponi, & hoc licitum est. Aliter enim iura legi, aut exponi non consueuerũt in scholis à Doctoribus: qualiter tamen non licet exponere Regulam Fratrum Minorum, quia præcipit Papa, quòd solum Grammaticè exponatur. Si autem dubium illud per alia iura exponi non potest, tunc non sunt censenda verba esse plana, nec licet exponere alterum sensum pertinaciter defendendo, sed oportet expositionem Domini Papæ expectare. Propter quod simpliciter dico, quòd expositor dicto modo dicti priuilegij nullo modo secundum dictum modum commẽdandus est, maximè quia non dubium sensum sua expositione promit, quia nec hoc ei liceret, quia hoc iudicio solius Domini Papæ reseruatũ est, sed quia vt proponit quæstio contra planum verborũ contrarium sensum ingerit, quod minimè licèt secũdum prædicta.

Ideò qui exponit priuilegium Domini Papę secundum planum verborum, quando in eo non est ambiguum, vt Doctor humilis est commendãdus. Qui verò exponit ipsum, cum aliquid verborũ est ambiguum, vt interpretator præsumptuosus est corripiendus. Qui verò exponit ipsum contra planum verborum nequaquam est commendandus, sed potius vt prævaricator iniurioſus est fustigandus, & sic talis sua expositione reuerentiam Papę, aut alicui suorum superiorum non exhibet, sed magis irreuerentiam maximam quãtum in se est, nec Dominus Papa, aut Cardinales talem reuerẽtiam acceptarent. Vnde talis commendatio non potest esse charitatiua ad propalandum commendati merita, sed potius est histrionica, & adulatoria ad procurandum commendanti beneficia. Tales enim commendatores non commendant alios, quia in se sunt benè meriti, sed etiam licèt mali essent, quia ipsis sunt benefici, qui è contrà æquè faciliter alios vituperant, non quia in se sunt malè meriti, sed etiam si boni essent non apparet eis, q̃ sibi sint benefici, vnde Greg. 3. Moral. Sunt nonnulli, qui dum sibi in Ecclesia vident deesse quod ambiunt, hostes bonorum fiunt, & non solum prauæ semetipsos actioni inserunt, sed etiam iustorum rectitudinem inflectere ad peruersa moliuntur. Vnde in talibus impletur illud Miche. 3. Hæc dicit Dominus super Prophetas, qui seducunt populum meum, qui mordent dentibus suis, & prædicant pacem, & si quis non dederit in ore eorum quippiam, sanctificant super eum prælium. De qualibus etiam dicit Apostolus, Roma. 15. Huiusmodi Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, vbi dicit Gloss. Alijs enim adulantur, alijs detrahunt, vt possint suum ventrẽ implere. Et benè correspondent sibi talis expositor & talis commendator. Expositor enim nititur, quæ recta sunt corrigere: Commendator verò contendit, quæ peruersa sunt laudare, in quibus duobus consistunt duo genera loquutionũ quæ sunt in humana societate perniciosissima, dicente Gregor. in fine 7. Moral. Duo sunt genera loquutionum importuna valdè, & noxia humano generi. Vnum quod curat etiam peruersa laudare, & alterum quod studet etiam recta corrigere, illud deorsum cum fluuio deducitur: hoc verò cõtra fluenta veritatis obserare etiam alueum conatur, illud metus præmit, hoc elatio erigit, illud gratiam ex fauoribus captat, hoc iram certaminis excitat, & hoc commotum per illud contra Doctores, qui sanam doctrinam sustinent, vt in illis impleri incipiat (si tamen modo sint aliqui taliũ, quod absit, licèt quæstio assertiuè proponatur) illud Apostoli. 2. Timoth. vlt. Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed coacernabũt sibi magistros prurientes auribus, vbi dicit Glo. Prophetia est Aposto. vnde necesse est eã impleri.

Secundum

Secundum prædicta concedenda est prima ratio, quia bene procedit, & veritatem iam expositam concludit.

Ad argu. in oppos. Ad argumentum in oppositum, quòd viri sapientes, & discreti dicunt talem expositionem, qualem ille ponit, esse de mente, & intentione Domini Papæ, & quòd super hoc sunt assecurati; benè potest esse, quòd hæc omnia vera sint; non tamen est eis in hoc credendum, maximè si pro se & in fauorem illorum prolata est illa expositio. Pro senem & in causa sua nullius testimonium recipitur in forensi iudicio, & maximè super expositione Papalis priuilegij, cui in hoc debemus exhibere tantam reuerentiam, nè alicui expositioni contra verborum planum credamus, quousque ipsemet nobis, quid intendat aperire dignetur, nè forte quo ad planum verborum falsitas aliqua in eius priuilegio contineri valeat suspicari si contra planum verborum alicuius alterius expositio admittatur.

Comment. in Quæstionem XXII. quæ est,

Vtrum exponens priuilegium Apostolicum contra planum, & expressum sensum verborum, sit commendandus vt exhibitor reuerentiæ Domino Papæ, Cardinalibus, & curiæ Romanæ, & alia plurima, quæ pertinebant ad diuini officij exequutionem.

IN titulo. Priuilegium extendè etiam ad quaslibet Bullas, & constitutiones Pontificias, includendo sacros Canones, Decreta, & decretalia Pontificum, & Conciliorum legitimè congregatorum. Et cum dicitur contra planum, subaudi sensum, vt subaudiuimus signantes ex nobis in titulo. Est autem sensus planus, sensus, qui communiter dicitur literalis, qui tantum Grammaticè exponitur, attendendo periodos, atq; sententias, secundum quod verba sonant, verba verò exponendo, secundum quod Grammaticè accipi solent ab omnibus. Exponere autem contra, est exponere in alio sensu, pura allegorico, vel morali, quemadmodum à Sanctis Patribus solent exponi Sacræ Scripturæ. vnde inter alios, maximè D. Hieronymus planum sequitur sensum in exponendis Sacris Scripturis: D. verò Gregorius potissimum moralem, cum allegoricum præsertim sequatur D. Ambrosius: Cum itaque quæritur an commendandus esset &c. qui exponeret contra planum sensum, est ac si quæratur, vtrum esset commendandus, qui alium sensum quæreret, ita vt moraliter exponeret, vel allegoricè.

Not. etiam, q quæritur, vtrum esset commendandus non simpliciter, sed vt exhibitor reuerentiæ &c quantò enim aliqua scriptura est grauida mysterijs, & moralitatibus, varijsque sensibus exponi potest, tantò vtique magis arguit sapientissimum, altissimumq; scripturæ illius Auctorem. vnde maximè quidem Sacra Scriptura, quia mysterijs dignoscitur plena, varijsque sensibus exponi potest argumentatur diuinissimum Auctorem. Quo fit, vt quispiam posset existimare, quod quantò diuersum exponatur priuilegium, vel huiusmodi prouenientes à sacro Collegio, ac Consistorio, tantò excellentior apparebit Auctor priuilegij, & sic talis expositio exhibitionem iudicabit irreuerentiæ.

In corpore autem est conclusio, quòd non esset commendandus, sed vel vt præsumptuosus corripiendus, vel vt iniuriosus fustigandus.

Quòd non esset commendandus probatur per argumentum primum positum in fronte quæstionis, quod ex se liquet: In corpore autem quæstionis declaratur, probando quod contra planum verborum sensum non sit exponendum priuilegium sic: Omnis sermo exponendus contra planum, vel est figuratiuus, vel proprius continens mysterium, sed sermo priuilegij nullus debet esse figuratiuus, nec proprius continens mysterium, igitur

Not. q aliquis posset dicere. Esto, q non debeat esse, si tamen esset, & Papa id faceret, quid agendum? Aduerte hic, q id, quod non debet esse præsumi debet, quod non sit. si priuilegij sermo non debet esse continens misterium, nec figuratiuus præsumi debet, quod non sit. Quæ autem fuerit intentio Papæ, non est inuestigandum à nobis, quasi ex nobis, sed potius ab ipso: præsumitur enim occulta nobis intentio sua, & de occultis non est nobis iudicare ex Augustino.

Not. pro maiori propositione argumenti, quæ recitantur ex Gregorio ab Auctore, s. quomodo sermo proprius simplex contra planum non sit exponendus, sed malum esse semper exponere, cæteros verò non refert, sed exponi debent, vt aliquando malum sit non exponere contra planum, sed hæc patent in litera.

Not. etiam consuetudinem exponendi ambigua in huiusmodi, & alijs, quæ diximus in titulo, quòd scilicet per alia communia iura, quæ dum deficiunt ad solum Pontificem, vel Auctorem priuilegij recurrendum est, &c.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum obligatus ad audiendam subditorum suorum confessionem, & aliorum sacramentorum si relaxetur ab obligatione prima æqualiter remaneat obligatus ad secundam.

SEQVVNTVR pertinentia ad diuini officij executionem, quorum quædã pertinent ad diuini officij executionem circa Sacramentorum administrationem: quædam verò circa prædicationis instructionem: & quædam circa horarum obseruationem, & Missarum celebrationẽ.

De primo quærebatur vnum de administratione plurium sacramentorum communiter: Vtrum obligatus ad audiendam subditorum suorũ confessionem, & aliorum sacramẽtorum miuistrationem, si relaxetur ab obligatione prima æqualiter remaneat obligatus ad secundam. Deinde quærebantur quædam pertinentia ad administrationem sacramenti pœnitentiæ specialiter.

Et circa primum arguebatur, quòd non, quia sicut se habet confessio ad absolutionem cum satisfactionis iniunctione, sic se habet ad aliorum Sacramentorum administrationem, quia sicut est ordo essentialis absolutionis ad confessionem, q sine illa præcedẽte nullus potest salubriter absoluere, & salubriter satisfactionem iniungere, sic

est.

est ordo administrationis aliorum sacramẽtorum ad eãdem, quòd scilicet sine illa præcedente nullus salubriter potest alia administrare sacramẽta, sed absolutus à confessione subditi audienda non potest equaliter manere obligatus ad ei salubriter absolutionem cum satisfactione iniungendã; quia hoc esset impossibile fieri: secundum enim qualitatem & quantitatem peccatorum, quæ confessa sunt debet iniungi satisfactio: ergo &c.

Contra. Essentialiter ordinatur Diaconatus ordo & sacerdotij, sed tamen non præcedente ordine Diaconicatus æqualiter potest recipere ordinem sacerdotij, sicut si præcessisset, vt extra de cleri. ordin. per talium. Veniens ergo &c.

Dicendum, quòd si aliquis sit obligatus ad duo, si secundum non potest exequi sine primo, impossibile est eum postquã est relaxatus à primo, æqualiter manere obligatũ ad secundum, aut esse obligatus ad impossibile sibi, quod est inconueniens. Vnde vt procedit primum argumentum, & benè, obligatus ad audiendum subditi confessionem, & ad iniungendum ei salutarem satisfactionem impossibile est, quòd æqualiter maneat obligatus ad secundum vt prius. Sed in proposito circa administrationem aliorum sacramentorum post sacramẽtum pœnitentiæ, puta Eucharistiæ vice aliorum, est considerare duo, scilicet administrationẽ eius regularem secundum statutum Ecclesiæ, & scilicet quilibet communicetur ad minus semel in anno, scilicet in Pascha, vt dicitur extra de pœn. & remiss. Omnis vtriusque sexus, & administrationẽ eius peculiarem, siue priuatam pluries in anno. Primo modo dico, quòd æqualiter manet obligatus ad Eucharistiæ administrationem, dum certificatus fuerit, quòd subditus suus confessus fuerit ei, qui habet priuilegium, per quòd relaxatur ei obligatio de confessione subditi audienda.

Secundo modò dico, quòd nequaquam, quia non debet alicui priuatæ personæ pluries sacramẽtum Eucharistiæ ministrare, nisi constet ei de munditia cordis & deuotione speciali, quæ nõ possunt cognosci sine confessionis auditione; immò debet omninò denegare, & exponere se discrimini si pluries ministraret nesciens an sanctum daret canibus, quia in tali administratione non excusaretur, sicut excusatur in primâ per statutum Ecclesiæ, & dictum priuilegium.

Ad rationẽ in oppositum, dicendum q̃ non est simile, quia licèt Diaconatus & sacerdotij ordo habent ordinem essentialem secundũ gradum dignitatis; non tamen condependentiam in esse, quoniam vtrumque illorum potest esse sine alio. Talem autem connexionem habent confessionis auditio, & salubris Eucharistiæ administratio pluries in anno, vt patet ex dictis.

Comment. in Quæstionem XXIII. quæ est,

Vtrum obligatus ad audiendum subditorum suorum confessionem, & aliorum sacramentorum, si relaxetur ab obligatione prima æqualiter remaneat obligatus ad secundam.

IN titulo not. quòd districtius absoluitur hæc quæstio, quàm sonet in titulo, quippè tantùm de administratione sacramenti Eucharistiæ in virtute tamen cuiuslibet propositionis oppositæ huic, quam ponit Auctor, quòd obligatus ad duo connexa, vbi vnum non stat sine altero, qui relaxatur ab vno, relaxatur ab altero; potest vniuersalius solui quæstio. Quippe opposita sit, quod vbi non sunt connexa, ibi remanet obligatus, sed vtique in specie de administratione Eucharistiæ soluitur quæstio, quoniam cum excellentius sit id, quod tractatur in ipsa, puriorem prorsus exigit præparationem.

Et quidem in hoc titulo diceremus, quòd quo ad alia sacramenta, puta ad extremam vnctionem, ad baptisma, & alia onera, curatis imposita, non relaxaretur, sed toties quoties vrgeret necessitas, deberet administrare, non secus, ac si non esset relaxatus à confessione: in specie autem de administratione Eucharistiæ soluitur ab Auctore.

In corpore igitur conclusio est, quòd non relaxaretur ab administratione in Pascate; relaxaretur verò pro alijs temporibus.

Prima pars declaratur ex hac conditione, dummodò illi, quibus administrandus esset, confessi sint habentibus auctoritatem, & de hoc certus ipse sit.

Nota quòd in Pascate vnusquisque teneatur adire propriam Ecclesiam ad sumendum sacram. Eucharistiam; tenetur autem Curatus administrare suis subditis omnibus, dummodo sciat confessos, quod scire sufficit de ore subditorum. Vt patet ex consuetudine, sicut autem tenetur administrare non relaxatus à confessione, ita teneretur relaxatus.

Secundam partem pariter eadem conditione declarat, nisi scilicet constaret de munditia cordis eorum, quæ tamen non potest cognosci sine auditione confessionis.

Quid autem si sciret subditum confessum pro tempore? Ad hoc prouisum est ab Ecclesia, quod pro tempore est licentia administrandi Sacramenti Eucharistiæ in omnibus Ecclesijs, vbi & auditores sunt confessionum, vnde benè esset Curatum, huiusmodi remittere subditum confessum ad confessarium pro administratione Eucharistiæ; docet enim vt qui conscientiam nouit, ingerat medicinam.

QVÆSTIO

QVAESTIO XXIIII.

Vtrum confessor pœnitentiam satisfactoriam iniunctam in vna confessione debeat reuocare, & nouam in secunda iniungere.

SEQVVNTVR pertinentia ad administrationem sacramenti pœnitentiæ specialiter, quorum unũ pertinebat ad illusionem cõfessoris passiuã. Vtrum si confessus peccata, quæ dicit se habere, recipiat pœnitentiam satisfactoriã pro illis ex confessoris iniunctione, & reuersus sequẽti die in confessione alia dicat eidẽ confessori, ꝙ in præced. cõfessione fuit oĩnò mentitus, & confiteatur alia cum illo mẽdacio, pro quib. petit sibi iniungi pœnitentiã salutarem: Vtrum inquam cõfessor pœniteptiam satisfactoriam iniunctam in prima confessione debeat reuocare, & nouã in illa secunda confessione iniungere. Alia aũt duo pertinenant ad illusionem confessoris actiuã. Primum p actum confitendi: Vtrũ Clericus nõ existens in sacris ordinib. assumẽs habitum cõfessoris, si audiat sic alicuius confessionẽ, fingens se esse sacerdotẽ, & confessorem, qua audita dicit se delusisse confitentẽ & deridet eum: Vtrũ inquam Clericus ille sit suspensus, ut non possit de cætero ad sacros ordines promoueri.

Secundum per actum detinẽdi fideicõmissum: Vtrum confessus habens rẽ alienam, quã iusto motu nõ audet restituere illi, cui est restituenda, si cõmittat eam cõfessori suo, ut eam restituat: cõfessor autem eam non restituit: Vtrum inquam cõfessus ille sit absolutus à debito illius rei.

Arg. prim. Circa primum arguitur, quòd ille cõfessor debet primam satisfactionem reuocare, & nouã iniungere, quia reuocata causa, debet reuocari effectus, & noua causa superueniente debet sequi nouus effectus. Peccata autem hic sunt reuocata, pp quæ facta fuit illa iniũctio, & noua sunt cõfessa pp q̃ debet fieri noua satisfactionis iniũctio: ergo &c.

In oppos. primum, Contra. Confessor nõ debet reuocare, qd nescit, sed nec scit illa peccata prioris cõfessionis, nec qd iniunxerat pro illis, quia ut dicit Aug. nihil minus scitur, q̃ quod in confessione scitur: ergo &c.

Secũdum. Item confessor non debet reuocare quod nescit an sit reuocandum, sed nescit an illa iniunctio sit reuocanda an non: Nec debet illi super hoc credere, quia qua ratione dixit se fuisse mẽtitum in prima cõfessione, eadẽ ratione posset dicere se fuisse mentitum in secunda, & sic de cæteris: ergo &c.

Responsio. Dicendum, ꝙ cõfessor aut percipere põt, ꝙ sana, uel nõ sana mente fecerit primam cõfessionẽ, aut non, sed manet semper in dubio. Si põt percipere, ꝙ nõ sana, totùm quod factum est in illa prima confessione, pro nihilo debet reputari, & pro non facto, & debet iniungi noua satisfactio p̃ cõfessis in secunda confessione. Si autem manet in dubio, debet potius præsumere, ꝙ non sana mente fecerit primam confessionem, sed secundam, quia non est præsumendum, ꝙ in secunda confessione in qua percipitur esse sanæ mẽtis sit immemor suę salutis, & tunc redit in idem, ac si percipere posset ipsum tunc fuisse sanæ mentis. Propter quod etsi non multum debet ei credere: debet tũ secundæ confessioni magis inhærere, quia semper præsumẽdum est, ꝙ confitens sanæ mentis uerum dicat in confitendo retroacta. Et ideò magis debet reputare satisfactionẽ primo iniunctam, nõ fuisse iniungendam, tanq̃ tunc fuisset mentitus, & non in secũda confessione. Non tñ debet illud simpliciter reputare, quia fortè in prima cõfessione non est mentitus, sed in secunda, & ideò potius primã debet reuocare, & nouam secundã iniungere, q̃ illam primam ratam habere, & q̃ secundam confessionem pro nihilo reputare, nec pro ea aliquid iniungere: non tñ simpliciter, sed dicendo confesso sub conditione. Si uerum dixisti in prima confessione, nõ reuoco tibi iniuncta in illa, nec habeo ratam confessionem, quam modo facis, & quod tibi iniungã. Si autem mẽtitus es in illa confessione, ut dicis, nihil habeo ratum de factis à me in illa confessione, sed reuoco totum, & tunc debet ei iniungere pœnitentiam sm̃ exigentiam secundæ confessionis.

Ad arg. princ. Ad primum argumentum, ꝙ peccata præcedentis confessionis reuocantur: ergo &c.

Dicendum, ꝙ verum est fortè verbo solùm, sed nequaq̃ secundum rem, propter quod iniuncta pœnitentia pro ibi confessis non debet reuocari, nisi sub conditione sm̃ iam dictum modum.

Ad prim. in oppos. Ad primum in oppos. ꝙ confessor nescit facta in prima confessione secundum Augustinum. Dicendum, ꝙ verum est, vt reuelanda, etiam si esset super reuelatione facienda adiuratus in publico iudicio, nisi fortè alio modo sciret eadem, quia quod in confessione scit, non scit confessor vice personæ propriæ, sed solùmmodò vice Dei. Scit tamen illa simpliciter, vt memoriter retenta. Et debet confessor, vt perfectius in qualibet cõfessione ex ordine ad confessionẽ precedentem agnoscat pecoris sui vultum, niti, vt memoriter retineat quæ in confessione audit, & facit pœnitentias iniungendo. Per hoc enim melius cognoscendo statum eius, cum iterum ad confitendum ipsi reuertitur, melius, & discretius potest ei consulere.

Ad secundum. Ad secundum, quòd nescit confessor an prima iniunctio sit reuocanda, quia nescit an sit confiteti credendum in confessione secunda.

Dicendum, ꝙ licèt non sit ei simpliciter credendum in illa: potius tamen credendum est ei, q̃ non credendum. Et ideò alia satisfactio iniungẽda est non simpliciter, sed sub conditione, vt dictum est.

Comment.

Comment. in Quæstionem XXIIII. quæ est,

Vtrum confessor pœnitentiam satisfactoriam iniunctam in vna confessione debeat reuocare, & nouam in secunda iniungere.

IVTVLVS hic intelligi debet in casu, quòd quis pœnitens in prima confitendo mentitus est, & in secunda confessione dicit se mentitum fuisse: alia tamen peccata perpetrasse, quæ narrat, iterum mentiendo, petit tamen pœnitentiam sibi iniungi.

In corpore est distinctio, & conclusio duplex.

Distinctio est; quòd aut confessor percipit in prima confessione pœnitentem non habuisse sanam mentem, aut dubitat vtrum habuerit, nec nè.

Prima conclusio. Si confessor percipit pœnitentē in prima confessione non habuisse sanam mentem, illā confessionem tāquam non ratam, & nullam habere debet, & nouam satisfactionem iniungere debet.

Secunda conclusio, Si confessor est dubius, præsumens, vt debet, non fecisse sana mente, cum conditione debet iniungere nouam pœnitentiam, illam reuocando, scilicet si mentitus es in illa confessione, reuoco, quod factum est, sin autem, non reuoco.

Not. ad probationem omnium dictorum, quòd confessor semper debet præsumere magis confitentem verum dicere in secunda confessione, quàm in prima, dato casu, & magis inhærere debet secundæ confessioni. Re vera autem huiusmodi non est pœnitens, & iuncta illa noua pœnitentia est illi ad gehennam, quòd tamen scire non potest confessor, sed iustam habens præsumptionem, non peccat, sed agens, quod sui est potius meretur, sed tamen hoc negotium melius exponendum est in casu: potest enim accidere sic. Esto itaque Calias, qui accedit ad confessarium, & interrogatus de adulterio, quod non commisit, dicit se illud commisisse, & petit iniungi sibi pœnitentiam.

Interrogatus verò de homicidio, quod pariter non commisit, dicit apertè se illud non commisisse. Mentitus ergo est in hac confessione, circa adulterium, non circa homicidium. Sequenti verò die reuertitur, & ait, Pater peccaui, nam dixi me non commisisse homicidium, & tamen illud commisi: contra verò dixi me commisisse adulterium, & non commisi. Tunc ergo debet reuocare pœnitentiam iniunctam, vt dictum est, quoniam iniustè relinqueretur peccato non facto, sed ita tamen inhærere debet confessioni secundæ confessor, vt in secunda confessione duplicem iniungat pœnitentiam, vel duplici æquiualentem, scilicet, & pro mendacio, & pro homicidio. In casu tamen quòd confessor deprehendat in prima confessione pœnitentem fuisse sanæ mentis, & de industria mentitum esse; secus autem si non sana mente, sed aliquo errore, vel memoriæ.

QVAESTIO XXV.

Vtrum Clericus non existens in sacris Ordinibus assumens habitum confessoris, si audiat sic alicuius confessionem, fingens se esse sacerdotem, & confessorem, qua audita dicit se deluisse confitentem, & deridet eum, vtrum inquam talis Clericus sit suspensus, vt non possit amplius ad sacros Ordines promoueri.

Ad argu. primo.

ARGVITVR Secundum arguitur, ꝙ Clericus ille sit suspensus, & non possit ad sacros Ordines promoueri, quia in quo quis peccat debet & puniri. Iste in sacros Ordines peccat fingēdo se habere illos cum non habuerit, & officium illis debitum exercendo: ergo in ipsis debet puniri, & hoc non nisi prohibendo ipsum ad ipsorum susceptionē accedere: ergo &c.

In oppos.

Contra. Iudæi, & hæretici, qui sunt in grauiori delicto non sunt suspensi ad ascensum suscipiendi sacros Ordines postquàm pœniteant: ergo nec iste multo minus.

Responsio.

Respondeo, ꝙ Clericus ille, aut est super dicto facto in iudicio conuictus, vel aliter grauiter diffamatus, aut non, sed factum illud est occultum. Si primo modo, sic tanquàm criminosus non potest, nec debet promoueri, vt extra de temporibus ordinand. cap. vlt. & dist. 31. cap. 1. & de hoc notatur dist. 25. cap. vlt. Et sic iste ab ordinib. repellitur, nō quia ex facto illo de iure ab ordinū susceptione suspensus sit, sed propter subsequētem infamiam. Si ergo se habeat res secundo modo, dico, ꝙ promoueri potest ad sacros Ordines.

Ad argumentum in oppositum, ꝙ in Ordines sacros peccauit &c. Dicendum, ꝙ licèt verum sit quòd puniēdus esset circa sacros Ordines, in quos deliquit, si Canones ipsum punirent, siue pœnam eius taxarent: quia tamen iura circa tale factum pœnam specialem non exprimunt, ipsa arbitraria est, & statuenda secundum qualitatem, & quantitatem delicti & personæ, & maximè circa Ordines, si congruum videtur confessori, & hoc vel vt tardet ire ad Ordines, vel vt in susceptis ordinibus circa confessiones audiendas diligentiùs & cautiùs se exerceat.

Ad secundum dicendum, quòd non est simile de Iudæis, quia post baptismum in ipsis prioris vitæ nec manet delictum, nec infamia. De hæreticis autem simile est quo ad infamiam, licèt aliàs ipsi sunt excommunicati, & suspensi etiam occulti, vnde ad Ordines non ascendunt, nisi ex speciali gratia.

Comment. in Quæstionem XXV. quæ est,

Vtrum Clericus non existens in sacris Ordinibus assumens habitum confessoris, si audiat sic alicuius confessionem, fingens se esse sacerdotem, & confessorem, qua audita dicit se deluisse confitentem, & deridet eum, vtrum inquam talis Clericus sit suspensus, vt non possit amplius ad sacros Ordines promoueri.



ITVLVS ex se clarus.

In corpore est distinctio de facto hoc, quod vel occultum est, vel notum in iuditio, & cum infamia, & tunc prima conclusio; si hoc sit notum in iuditio, & ex hoc diffamatus est ille clericus, suspensus est. Secunda conclusio. si id est occultum, non est suspensus, sed promoueri potest.

Prima conclusio probatur. Criminosus promoueri non potest &c. sed hoc publice diffamatus criminosus est. igitur &c. Maior patet ex sacris can. citatis in litera. Minor patet, quia delusio huiusmodi peccatum magnum est, quod cum factum fuerit publicum facit illum criminosum.

Nota quòd ex eodem can. citato in litera, habetur, quòd tum hæc, cum etiam subsequens conclusio probari potest; habet enim quòd crimen occultum non impedit promouendum. Ergo pro prima colligitur, crimen publicum impediet. pro secunda ergo non est suspensus iste deludens. Accedit quod habetur de accusat. inquisitionis. Quod crimen occultum pœna publica puniri non debet. Ergo &c.

Not. quoque, q̃ non ex hoc colligitur irregularitatem occultam nullam esse, quippe & ipsa impedit promouendum, & nullus habet aliud suffragium, nisi q̃ ipsa reseruata est Episcopo, quod in sacro Conc. Trid. sess. 24. cap. 6. habetur.

QVAESTIO XXVI.

Vtrum confessus habens rem alienam, quàm iusto metu non audet restituere illi, cui est restituenda, si committat eam confessori suo, vt eam restituat: confessor autem eam non restituit, vtrum inquam ille confessus sit absolutus à debito illius rei.

Arg princ. ARCA certium arguitur, q̃ ille confessus est absolutus à debito, quia in hoc agit secundum consilium Ecclesiæ, & agens secundum consilium Ecclesiæ nõ manet in aliqua obligatione peccati, quare nec debiti restituendi, quia secundum Augustinum, Non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum: ergo &c.

In oppos. Ex eodem arguitur ad oppositum, hic non est restitutum ablatum: ergo non est remissum peccatum, quare adhuc ad restitutionẽ est obligatus.

Responsio. Dicendum, quòd qui abstulit alienum sic est obligatus ad restituendum, vt secundum actum, siue effectum consequatur restitutio, & vt hoc fiat, obligatus est procurare, aut semper manet obligatus. Et sic dico, q̃ iste confessus non est absolutus à debito, sed obligatus vt prius, & ad hoc posse suo procurare tenetur restitutionem.

Ad rationes. Rationes autem ad vtranquo partem non habent efficaciam, quia benè potest cõtingere, quòd quis absolutus est à peccato, quod commisit auferendo rem alienã; manet tamen obligatus ad eius restitutionẽ, quia in firmo proposito, quod habet quis ad restituendũ, vt primum facultas se obtulerit, absoluitur quis à peccato; nõ tñ à debito quousq; sequatur restitutionis effectus. Quòd si aliqñ fleret peccatum, nè soluatur, cadit à dicto proposito & nouum peccatũ incurrit. Si autẽ manet in proposito, & facit quod in se est, semp manet obligatus ad restituẽdum, & nunq̃ est in dicto peccato, ita q̃ si factus sit oĩnò impotens ad soluendum: semper tñ manet obligatus, & debet esse in firmo proposito restituendi si facultas se offerret. Aliter. n. recidi uaret in pristinum peccatum. Quod ergo arguitur primum, q̃ iste agit secundum consilium Ecclesiæ: *Ad arg. princ.* dicendum, q̃ verum est. Sic enim consulendũ est, & benè. Et quod assumitur ergo non manet obligatus obligatione peccati: dicendum, q̃ verum est secũdum iam dicta. Et quod assumitur, quare nec debiti: dicendum, q̃ falsum est. Quod arguitur ad illius probationem per Augustinũ. Nõ dimittitur peccatum &c. Verum est nisi restituatur facto, vel firmo proposito secundum dictum modum, & alterum sufficit ad absolutionẽ à peccato, sed solũ factum sufficit ad absolutionẽ à debito, vt dictũ est. *Ad Aug.*

Ad argumentum in oppositum ex eodem: dicendum, q̃ non valet, quia hoc ablatum restituto pro posito sufficit ad dimissionem peccati, & manet obligatio debiti, non quia ab illa secundum actum non soluta dependet obligatio peccati, sed obligationis debiti solutio dependet ab ipso actu solutionis. Propter qd qui committit alteri restitutionem faciendam, benè debet esse cautus, q̃ ipse fideliter agat sibi commissum, quia quantouis vir bonus animo cõmittat: non tamen absoluitur nisi commissum fiat, sicut qui in testamento committit, vt de bonis suis sibi quærantur indulgentiæ, nunq̃ illas obtinet nisi quod de bonis suis faciendum ordinauit fiat, nisi pro quãto ab initio meret bona deuotio, quæ statum aliquid mutetur: non tñ totum quod obtineret si q̃ ordinauit fieret. Et pro tanto vult Aug. q̃ post mortem nihil recipit mortuus, nisi q̃ meretur viuus. Tali. n. bona deuotione merebatur, vt si quæ ordinauit fiant, indulgentias recipiat, quas tñ non recipit nisi fiant. Si aũt nihil boni deuotione ordinãdo, vel alio modo merebatur, vt si quid fieret ei valeret, nihil omninò ei valet, etsi fiat. *Ad arg. in oppos.*

Comment. in Quæstionem XXVI. quæ est,

Vtrum confessus habens rem alienam, quàm iusto metu non audet restituere illi, cui est restituenda, si committat eam confessori suo, vt eam restituat: confessor autem eam non restituit, verum inquam ille confessus sit absolutus à debito illius rei.

ITVLVS ex se clarus.

In corpore conclusio est, Quòd etsi absolutus sit à peccato, non tamen à debito.

Not. hanc eandem sententiam esse communem: potissimum autem haberi à D. Ant. 3. parte, t. 2. cap. 4. §. 2. & post ipsum Doctor Nauarr. in Manual. cap. 17. sub numeris. 44. & 67. Nec obstat, quod ipse habet, num. 20. in eodem cap. ex Rosel. & Angel. Confessarium negligentem per ignorantiam crassam, vel affectatam absoluentem ante restitutionem, vel ante præceptionem, teneri ipsum ad restitutionem non obstat inquã, quia id valet vbi credit confessarius pœnitentem non restituturum nisi præcipiatur ante absolutionem, quia id credens videtur se constituere debitorem. Et in hoc casu vterque tenetur tàm debitor, quàm confessor: tenet enim & hic inuito Domino alienum. Et not. quòd id ipsum dicendum est de quol. huiusmodi internuntio &c.

QVAESTIO XXVII.

Vtrum illi, qui ex priuilegio habet potestatem prædicandi, & alios prædicatione sua instruendi, ex eo, quòd alijs prædicat, & eos instruit, maior sit, & verius pater, quàm qui hoc potest facere, & facit iurisdictione ordinaria.

SEQVVNTVR pertinẽtia ad prędicationis instructionem. Et erãt duo. Vnum pertinens ad dignitatem boni prædicatoris, quam meretur ex actu prædicandi: Vtrum scilicet ille, qui ex priuilegio habet potestatem prædicandi, & alios prædicatione sua instruendi, ex eo, quòd alijs prædicat, & eos instruit, maior sit & verius sit pater, quã qui hoc potest facere & facit iurisdictione ordinaria. Alterum, quod pertinet ad pœnam impedientis prędicatorem veritatis in tali prędicatione: Vtrũ scilicet excommunicatus ab ordinario loci, quia publicè restitit veræ prædicanti, si postmodum celebret, sit irregularis.

Arg prime primum. Circa primum arguitur, quòd ille, qui ex priuilegio: maior sit & verius pater per exemplum, quia dicitur Mar. 5. quòd archisynagogus quidam nomine Iairus impetrauit à Christo, vt filiam suã suscitaret. Et vt dicit Gloss. interlinearis. Iairus interpretetur illuminans, vel illuminatus, quia verbis vitæ populum illuminauit, & vt hoc posset à spiritu illuminatus est: Iairus autem ille maior erat inter Iudæos, & verus pater puellæ, quia naturalis. Ex quo patet, quòd omnis illuminatus à Deo, & ex hoc alium illuminans, ex hoc fit pater eius, & potest dici pater puellæ suscitandæ. i. animæ fidelis per gratiam viuificandæ, siue hoc faciat ex iurisdictione ordinaria, vel delegata, siue ex actu charitatis paternæ. Et tantò verius, quantò magis, & verius est illuminatus, & verius & magis, siue perfectius alius illuminat. Et hoc patet de Dauid, qui non fuit Propheta ex officio sicut Esaias, & Hieremias, & cæteri, sed tantùmmodò ex actu prophetandi, quo cæteris expressius, excellentius, & eminentius prophetauit. Propter quod dictus est etiam eximius Prophetarum quasi cæterie excellentior, qui prophetabant ex officio, ipse autem non. Vnde apud Hebræos non numeratur inter prophetas, sed inter hagiographos. Vnde & aliquando melius prophetizat, qui ex solo actu est Propheta; quàm qui ex officio. Similiter etiam aliquando est aliquis cantor ex officio, & aliquando ex actu cantandi, & constat, quòd melius frequenter cantat cantor ex actu, quam cantor ex officio. Quare cum maiorem potestatem ad illuminandum alios habent priuilegiati, quàm ordinarij ex illuminatione, & etiam quia delegatus fungitur vice delegantis: & ideò maior est omni ordinario, extra de offic. iudic. deleg. Sanè. 2 magis ẽt sunt alijs doctrina illuminati, qua possunt alios instruendo, & prædicando illuminare, quàm ordinarij, vt patet ex se: maior ergo est omninò ille, qui ex priuilegio habet potestatem prædicandi, & illuminandi, & verius pater, quàm ille, cui hæc cõperunt ex potestate ordinatia, & similiter ille, qui hoc facit ex charitate si melius docet, & instituit, quia multi multa nouerunt, quæ non nouerunt Prælati.

Secũdo de cantore.

Tertio de priuilegiatis.

Confir.

Exẽplo prime de Dauid.

Item tales aut patres dicuntur, aut pædagogi. Apostolus enim nõ videtur distinguere instructores, nisi in patres, & pædagogos, cum dicit primo ad Corinth. 4. Si habeatis decem millia pædagogorum, non tamen plures patres. Sed isti instructores Euangelici pędagogi nõ possunt dici, quia dicitur Galath. 3. Lex pædagogus noster erat in Christo, at vbi fides venit iam non sumus sub pædagogo. Omnes enim filij Dei estis per fidem in Christo Iesu, vbi dicit Glossa; Postquam reuelata est fides, quę prius occulta fuerat in antiquis nõ sumus sub pædagogo. Quod potest intelligi ex alio loco, primæ Corinthio. quarto vbi loquitur

Secundum princip.

Apostolus

Apostolus de pædagogo. Et si decem millia pædagogorum habeatis &c. vt supra dicitur, Ecce quòd Paulus probat sub Euangelio se esse patrem, quia Doctor erat Euãgelij: absit ergo quòd sumus sub padagogo: ergo qui docent recta sub Euangelio non pædagogi, sed patres dici debent. Pædagogus dicitur à pæs, quod est puer, & gogos, quod est ductio, quia ducit & reducit puerum ad scholas, vt erudiatur à magistro, qui pater est.

Tertium. Item paterfamilias nomen traxit à patre, qui æquali affectu se habet ad seruos, & ad filios.

Aliter enim non est verè paterfamilias, dicente Isidoro 9. Ety. Paterfamilias omnibus in familia sua, vt patet prouidet, & non distinguit conditionem seruorum ab affectu filiorum. Hinc enim paterfamilias nomen traxit, qui inique iudicat in seruis, non reputet se hoc nomine appellari. Si ergo quia prouidet seruis pater illorum dicitur, multò magis quilibet bonus Doctor, qui prouidet liberis.

In oppos. Contra. In corporalibus, siue carnalibus, siue naturalibus ille maior est, & verius est pater naturalis respectu filiorum carnalium, qui filium generat, & per quem est aliquid in esse naturali, quàm qui ipsum iam genitũ nutrit, & educat, & instruit in vita & moribus, vt proficiat: ergo & in spiritualibus ille maior est, & verius pater spiritualis respectu filiorum spiritualium, qui filium generat, & per quem est aliquid in esse spirituali, quàm qui ipsum iam genitum nutrit, & educat, & instruit in vita & moribus, vt proficiat in esse spirituali, sed qui habet potestatem ordinariam ille filium generat in esse spirituali, & per ipsum habet quòd sit aliquid in esse spirituali: qui verò habet tolam potestatem delegatam solum filium generatum nutrit, educat, & instruit dicto modo, sicut patet, quia inuenit iam fidelem cui prædicat: ergo &c.

In oppos. Quia iuxta dicta Ric. libro primo de Trinitate, ex rebus corporalibus, & naturalib. discimus qualia de incorporalibus & spiritualibus sentire debeamus: quis ergo in spiritualibus & spiritualiter maior & verius pater dici debeat, hoc ex illis, qui dicuntur patres in naturalibus, & corporalibus perscrutari oportet. In naturalibus autem & corporalibus ille solus maior respectu filij, & verè pater dicitur, qui filium in esse naturæ generat, & à quo habet quod esse ei conueniat. A quo etiam debet habere alia duo, vnum q̃ eum in esse conseruet: alterum verò quòd eum in esse dirigat. Ille enim qui filium generat eum educare debet quo ad necessaria in cõpore, & instruere quo ad necessaria in mente. Vnde Philosophus in octauo Ethicorum, vbi loquitur de causa amicitiæ inter patrem & filium ad omnes alios dicit sic. Differt autem magnitudine beneficiorũ: causa enim essendi existimatur maximè esse, & nutrimenti, & disciplinæ, vbi dicit Commentator. Causa enim pater est filio esse, quod est maximum omnium beneficiorum, & nutrimenti, quod conseruat esse, & disciplinæ, quæ dirigit. Quorum primum non per alium, sed per se ministrat solum, nec per alium ministrare potest. Et ideò ab hoc solo principaliter pater dicitur.

Secundum verò & tertium si non potest, aut non velit ministrare per se, potest ministrare per alium, propter quod non principaliter ab illis pater dicitur, quia cum ad illos actus de iure naturæ tenetur ratione primi actus, quo filium in esse producit naturæ: ita quòd etiam illos debet exercere per seipsum si commodè possit: ideò sunt tales actus patri verè, & propriè dicto per se conuenientes respectu filij generati, & sunt actus paterni à patre de iure exercendi, vel ab alijs, quibus pater committit vice ipsius patris. Sed alij, qui vice patris illa duo generato ministrant, mutuãt sibi nomen veri, & principalis patris, & patres quodã modo dicuntur non principales, nec veri respectu illius, qui genuit. Vnde pater ille cœlestis pater Domini nostri Iesu Christi, de quo dicit Apostolus Ephes. 3. Ex quo omnis paternitas in cœlo, & in terra nominatur, pater inquam illius, qui vt dicit Origen. super illud Matth. Cum esset desponsata mater Iesu Maria, in excelsis est sine matre, & in terra sine patre est, quia per alium curam filij in terris secundum carnem gerere voluit matrem eius desponsari disposuit, dicente Orig. ibid. Ideò fuerat desponsata Ioseph, vt nato infanti curam videretur gerere. Propter quod nomen patris mutuauit, vt videlicet pater Iesu diceretur, dicente Origen. super illud Lucæ. Erant pater & mater Iesu mirantes super ijs, quę dicebantur de illo.

Mirabat & pater: Sic. n. appellatus est Ioseph, quòd nutritius eius fuit, qui sic patres dicuntur, quia non propriè patres sunt; ideò proprio nomine pædagogi vocantur à pæs, quod est puer, & gogos, quod est ductio, quasi ductor pueri præcipuè cum ad hos actus circa pueros exercendos ab alio qui verè, & propriè pater est, & cui principaliter incumbit cura pueri, deputentur: ita quòd non aliquãdo & casu, sed regulariter & ex speciali deputatione tales actus exerceant, qualem curam de Iesu gessit Ioseph, vt dicit Origen. verbi gratia, siue iens in Ægyptum, siue inde denuo veniens. Hinc dicit Glossa super illud Galat. tertio. Lex pædagogus noster fuit in Christo.

Pædagogus enim paruulis assignatur, vt lasciuiens refrenetur ætas, & prona in vitia teneantur corda, dum tenera studijs eruditur infantia; & metu pœnæ coercita præparetur ad maiora. Et hoc ipsum pædagogi nomen sonat ab eo, quòd agat, id est ducat.

Consimiliter ergo, & in spiritualibus vbi filius dicitur aliquis per gratiam adoptionis, secundum quod super illud Galat. quarto. Misit Deus filium suum, vt adoptionem filiorum reciperemus, dicit Glossa prima; Bona, quæ per gratiam dantur, per quæ sunt filij.

Iſte modus quo nos Deus per gratiã ſuam genuit adoptio vocatur, & hoc maximè propter gratiam fidei. Propter quod dicitur Ioann. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri ijs qui &c. In ſic ſpiritualibus inquam ille dicitur ſolus maior reſpectu filij, & verè pater qui ipſum filium in eſſe ſpirituali generat, & à quo habet quod eſſe tale habeat. A quo etiam debet habere alia duo. Vnum quod ſum in eſſe conſeruet, ſcilicet per nutritionem, & aliud quod eum in eſſe dirigat, ſcilicet per diſciplinam. Et à primo iſtorum dicitur quis verè pater, à ſecundo autem & tertio nequaquam, ſicut neque in naturalibus ſecundum prædicta. Sed primum iſtorum illo, qui veriſſimè pater dicitur non ſicut ſupra in naturalibus per ſe ſolùm operatur, ſed operatur etiam per alium, licèt ille principaliter operetur: alius autem non principaliter. Et propter hoc vera paternitas in ſpiritualibus recipit gradus, licèt non in naturalibus. A ſecundo autem & tertio vt ſupra, dicitur aliquis pater mutuando nomen patris, quia aliquid agit circa filium ſpiritualiter genitum vice patris generantis. Generantis dico, dictam gratiam, qua fit adoptatio, conferendo. Dico autem agere vice patris generantis circa filium ſpiritualiter genitum, dictam gratiam nutriendo per teneram, vel facilem doctrinam fidei, & dirigendo per ſapientiam perfectam intellectus. Illam doctrinam fidei appellat Paulus potum lactis, cum dicit 1. Corinth. 3. Tanquam paruulis in Chriſto. Gloſſ. In cognitione Chriſti. Lac dedi vobis potum. Gloſſ. 1. Facilem & dulcem doctrinam & nutrientem. Sapientiam autem intellectus appellat eſcam quaſi ſolidum cibũ qui debetur adultis iam perfectis. Vnde ſubdit, Non eſcam. Gloſſ. Non altiora prædicaui vobis. De quibus dicit 1. Corinth. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Gloſſ. Qui inter vos incapaces ſimpliciter loquuti ſumus: ſapientiam autem quæ eſt de ſecretis Dei, loquimur inter perfectos. Perfectos hic dicit, non perfectos cognitores, & Doctores, quibus opus non eſt doceri, ſed auditores iam capaces. Ad quam tamen capacitatẽ oportet prius per vſum lactis enutriri, ſecundum quod dicitur 1. Petri 2. Sicut modo geniti infantes lac concupiſcite, vt in eo creſcatis in ſalutem.

Generare autem dicitur aliquis conferendo gratiam adoptionis. Vnde dicitur aliquis verè pater, vel auctoritate, vel miniſterio. Auctoritate ſolus Deus trinitas: omnes autem alij miniſterio tantũ, quia ſolus Deus pater gratiam adoptionis creando infundit. Cæteri autem ad hoc aliquid miniſterialiter operantur, quo medio inſtrumentaliter Deus gratiam illam infundit. Et ideò ſolus Deus trinitas proprijſſimè dicitur pater ſpiritualis, & nullus alius ſic reſpectu illius, ſecundum quod dicitur Matth. 23. Omnes vos fratres eſtis, & patrẽ nolite vocare vobis ſuper terram. Vnus eſt enim pater veſter, qui eſt in cœlis. Vnde & dicit Gloſſ. ſuper illud 1. Corinth. 4. Per Euangelium ego vos genui. Cum prædixiſſet ego vos genui, addidit per Euãgelium, ne ipſius putaretur eſſe quod Dei eſt. Ait enim Dominus in Euangelio: Ne vobis dicatis &c. Quod non ideò dicitur, vt hoc nomen cæteris tollatur, ſed ne gratia Dei, qua in æternam vitam generamur, naturæ vel poteſtati, vel etiam ſanctitati cuiuſquam tribuatur. Appellantur quidem, & alij patres, ſed non ſicut Deus, qui vnus, & verus pater eſt, qui regenerat Spiritu Sãcto, quos facit filios ad æternam hæreditatem.

Homines verò dicuntur patres propter honoris gratiam, propter ætatem, curamque pietatis, & hoc non niſi miniſterialiter. In quo conueniunt & illi qui operantur circa iam regeneratum per gratiam, & etiam illi, qui aliquid operantur circa regenerandum, vt gratia adoptionis ei conferatur.

Conueniunt quidem in generali in hoc, q̃ ambo operantur miniſterialiter, ſed differunt in modo operandi, quia hi miniſterialiter ſaltem operantur ad generationem, & ſic quodammodo generant. Illi autem nequaquàm, ſed ſolùmmodo ad generati nutritionem, & directionem. Et ideò licèt ambo dicantur patres miniſterio: verius tamen, & principalius iſti dicuntur patres, quã illi, & maiores reſpectu filiorum, quàm illi: ita quòd illi reſpectu iſtorum propriè patres dici non poſſunt, ſed proprio nomine dicuntur pædagogi. Et ideò Paulus reputans ſe vnum de numero iſtorum, & præferendum illis tanquàm maiorem & verum patrem reſpectu illorum, ſe patrem appellauit, & ab illis nomen paternitatis repulit: appellans illos pædagogos quando dixit 1. Corinth. 4. Vt filios meos chariſſimos moneo: nam ſi habetis decem millia pædagogorum in Chriſto nõ multos patres tamen: nam in Chriſto Ieſu per Euangeliũ ego vos genui. Vbi dicit Gloſſa ſuper illud, Vt filios. Benè dico, quòd vos eſtis filij, quia ego pater ſum. Et hoc eſt quod ait; Nam ſi habeatis decem millia pædagogorum in Chriſto. Gloſſa. Finitum pro infinito poſuit, id eſt quantamlibet multitudinem eruditorum in Chriſto, qui non genuerunt vos, habeatis. Vbi habet alia litera: Qui erudierunt, & eſt vtrunque verum, quia & erudierunt iam genitos, ſed non genuerunt erudiendos, ſed tamen non habetis multos patres, qui genuiſſent vos in fide Chriſti: nam ego tantùm vos genui non in me ſcilicet naturam meam vobis communicans, ſicut generant patres naturales & carnales, ſed in Chriſto Ieſu, id eſt in fide Chriſti, fidem ſcilicet Chriſti vobis communicando, & hoc per Euangelium, ideſt per meam prædicationem, & ſic miniſterio inſinuat ſe eos genuiſſe, & per hoc eſſe patrem, non auctoritate, quod dicit vt remoueat à ſe generare, & eſſe patrem adoptiuum auctoritate, quod ſoli Deo conuenit, vt iam dictum eſt.

Et ideò ſequitur in Gl. Cum prædixiſſet ego vos genui &c. vt iam ſupra. Et ſic Paulus rectè diui-

deus,

lens, & vnicuique tribuens, quod suum est, paternitatem adoptionis, quæ soli Deo conuenit, à se remouet, & paternitatem propriè dictam, quæ ministrantibus, vt quis regeneretur, solum conuenit, sibi attribuit, & ab alijs repellit, quos pædagogos vocat, qui solùm erudiunt & non generant secundum dictum modum. Qui etsi patres possint dici aliquo modo, non tamen propriè, aut ita propriè, sicut illi, qui generant, sicut pater naturalis, qui genuit, & in propria persona filium nutrit, & erudit, ex illo actu solo quo genuit dicitur pater: non autem ex actu nutriendi, aut erudiendi, licèt ipsos etiam facere teneatur, & hoc per se, vel per alium, qui est propriè pædagogus vices ipsius patris in hoc gerens, vt sic possit idem esse pater in generando, & nutriendo pariter, cum hoc facit per se, quod etiam potest facere per pædagogum. Vnde Paulus licèt erat pater Thessalo. inquantum tamen nutrit eos, non patrem, sed nutritum vocauit se, quando dixit, primo Thessalon. 2. Facti sumus paruuli in medio vestrum tanquam si nutrix foueat filios suos. Glo. Non alienos. Alienos qñq; nutrit mulier pro mercede nõ ex amore: proprios verò ex dilectione.

Dicere ergò, quòd solùmmodò, qui ex officio ordinariæ iurisdictionis habet exercere actus curæ, scilicet prædicare fidelibus, & absoluere pœnitentes, &c. propriè debet dici pater, & non ille, qui hoc facit ex sola delegatione, verum est, & qui hoc dicit verum dicit. Qui autem dicit, quòd etiam, qui hoc facit ex superioris delegatione, aut ex feruore charitatis dicitur propriè pater, aut ita propriè: credo, quòd falsum dicit, & maximè quoad illum, qui hoc facit ex solo feruore charitatis. Iste enim nec pædagogus dici potest, quia non est aliquis pædagogus, niti ex aliqua commissione facta illi à patre propriè dicto ad opus illud exercendum. Propter quod dicitur Gal. 4. Quanto tẽpore hæres paruulus est nihil distat à seruo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad tempus præfinitum à patre. Gloss. Amb. Verùm est enim, quia patres eius ordinauerunt vsque ad quam ætatem subiectus esse debeat, & in qua adultus emanciperur statuerunt.

Tutores autem & actores vocat illos eosdem, quos iam supra vocauit pædagogos, vt iã patebit. Iste ergo qui id agit non ex aliqua commissione, sed solũ ex charitatis feruore, qua diligit cæteros, vt fratres & filios patris sui, non facit hoc, vt pater, neque etiam vt pædagogus, sed solùmmodò vt frater. Et sic non benè dicitur talis facere hoc ex charitate paterna, sed potius ex fraterna, & hoc siue in docendo ignorantes, siue in arguendo delinquentes, quæ includit correctio fraterna, quam non solùm licèt exercere in parem, aut inferiorẽ, sed etiam in superiorem adhibita reuerentia. Quod nõ facit vt habens potestatem vllam in suũ superiorem tanquàm eo superior, vt ex hoc possit dici pater illius, sed solùmmodò vt habet charitatem ad illum, sicut ad quemlibet alium proximũ & vt ad fratrem, licèt magis ad vnum, q̃ ad alium. Non enim à tali Prælatus docetur, vel arguitur, vt pater Prælati, sed vt frater, & æqualis. Nullo igitur modo illuminans ex solo feruore charitatis potest dici pædagogus, & multò minus pater.

Propriè autem pater dicitur aliquis ministerialiter operando ad generationem diuersimodè, secundum quod diuersimodè ad hoc habet potestatem, quia aliquis habet potestatem operandi ministerialiter, vt gratia adoptionis conferatur vel per se, scilicet operando opus, quod ex se ratione operis operati instrumentaliter agit, vt habeatur à Deo gratia adoptionis, vel per accidens, scilicet operando opus, quod non ex se ratione operis operati instrumentaliter agit, vt habeatur gratia adoptionis.

Primo modo adhuc dupliciter aliquis potest operari per se, vt gratia adoptionis conferatur, vel per seipsum operando absque sacramẽto iam instituto à Christo, vel mediante sacramento. Primo modo solus Christus homo, siue secundum quod est homo habet potestatem, vt ratione operis operati cuiuscunq; si voluerit gratia adoptionis conferatur, quæ vocatur ꝓtestas excellentiæ. Secundo modo cæteri homines habentes officium ministrandi sacramenta, maximè quo ad sacramẽtum baptismi, quo fit regeneratio, cuiusmodi sunt soli Prælati Ecclesiæ, qui tantò sunt maiores in tali paternitate, quantò sunt superiores, & maiores in prælatione. Et sic maximus in paternitate tali est Dominus Papa, qui est pater patrum, & omnium aliorum. Secundò Domini Episcopi. Tertiò Curati parochiarum, cum quibus computantur Abbates, Decani, & omnes curam animarum ex officio ordinario habentes: dum tamen ex officio habent potestatem administrandi sacramentum regenerationis ijs, qui nati sunt eis subijci.

Qui tamen vnus eorũ non generat verius per sacramenta, quàm alter, vnus istorum non dicitur verius pater, quàm alter.

Tertio modo scilicet per accidens non ratione operis operati conuertentes infideles ad gratiam fidei per suam prædicationem, vel bonam exhortationem, dicuntur patres eorum, & sunt præcipuè, qui habent sic prædicare, & exhortari publicè ex auctoritate, & iurisdictione ordinaria, ratione cuius etiam habent complerè, & perfectè generare per virtutem sacramenta fidei, scilicet baptismi administrandi per ipsos, & per inferiores, aut ordinarios, vt Episcopi per sacerdotes Curatos, aut delegatos, vt tam hi, quàm illi per vicarios, vel eorum vices agentes.

Alioquin si quis sua prædicatione, vel admonitione aliquem infidelem conuertat ad fidẽ auctoritate sibi commissa, vel delegata, aut ex charitate fraterna, quæ extendit se ad omnes homines viatores, si non habet ministrare sacramentum prædictum per quod fit generatio spiritualis perfecta,

nec ex auctoritate ordinaria, nec ex commissa, vel delegata, non dicitur ita propriè pater, quia non est ita propriè generans, sed disponens, & habilitans ad generationem, &c.

De ijs, qui primo modo conuertunt, & ideò patres dicuntur, dicit Apost. 1. Corinth. 3. Ego plãtaui Apollo rigauit, vbi dicit Gloss. Ego plantaui prædicatione ad fidem: Apollo rigauit baptismo. Et vterque potest dici pater operando ad generationem, & hoc propriè respectu illius, qui solum operatur circa iam genitum in fide. Quia etiam gratia fidei sine baptismo non consignat characterem, sicut facit baptismus: & ita per gratiam baptismalem perfecta fit adoptio, quasi consignata sigillo Principis; quæ quasi est inchoata quando p gratiã præuenitur baptismus: ideò inter illos magis propriè dicuntur patres, qui generant per sacramentum baptismi conferentis gratiam nõ iam præuentam, quàm qui sola prædicatione, qua cõuersus recipit gratiam præuenientem baptismum, vel qua etiam lapsus à fide post baptismum iterum per prædicationem reformatur ad fidem, de quo dicitur Gal. quarto. Filioli mei, quos iterum parturio. Gloss. Primo quidem per fidem genuerat eos in baptismo, sed postea deformati sunt per pseudo Apostolos, quos cum dolore reformat. Attamen non dicit Paulus, quos iterum genero, quia non ita propriè est noua generatio, aut filiatio, sicut ab initio: manet enim filiatio in charactere quodammodo, hinc dicit August. super Ioann. sermo. 12. Generatio spiritualis vna est, sicut & generatio carnalis vna est. Ex hoc autem, quod dicit, genuerat in baptismo: Nota, q̃ generare per baptismum contingit aliquem dupliciter, vel auctoritate, & ordinaria potestate, vel ex commissione, & vice ordinarij, & eius auctoritate, & quia ille potius dr̃ opus facere, cuius vice & auctoritate fit, quam qui illud exequitur, idcircò talis baptizando per alium puta sacerdos curatus per suum Capellanum, potius dicitur baptizare, quam Capellanus, & potius pater & maior pater, q̃ Capellanus, licèt vterque dicatur pater, maximè si prius per suam prædicationem conuertit ad fidem, quos per alios baptizat, quemadmodum Paulus illos, quos ad fidem conuertit, per ministros suos baptizauit. Episcopus etiam, qui habet ex auctoritate ordinaria prædicare, & omnia sacramenta ministrare, quamuis insistat principalius circa actum prædicandi, & corrigendi, & huiusmodi, quæ requirunt in ministerio maiorem perfectionem, q̃ circa actum baptizandi, quamuis non baptizet per seipsum, inquantum scilicet baptizat per inferiorem sacerdotem, qui habet etiam baptizare ex auctoritate ordinaria, licèt sub Episcopo, verè & propriè pater est, prout etiam Paulus verè pater fuit Corinthiorum, licèt paucos ex illis baptizauit, quia missus fuit, non tàm Baptizare, quàm Euangelizare, vt dicit 1. Corinthio. 1.

Sic igitur descendendo ad quæstionem, dico, q̃ sicut pater naturalis, vel carnalis dicitur propter naturalem, vel carnalem generationem, & non propter aliud, dicente Augusti. q̃ ideò dr̃ pater, quia generat, sic dicitur pater spiritualis, propter spiritualem generationem, scilicet quia generat, & non propter aliud, quod operatur circa iam genitum retinentem gratiã adoptionis, quæ est præcipuè gratia fidei. Quandiu enim manet informis, vt in illis, qui post baptismum incidunt in peccatum mortale, manet filiatio adoptionis, ita quòd cum reuertitur ad gratiam charitatis, per quam fides formatur, non acquiritur noua filiatio, sed solùmmodò noua filij fugitiui reconciliatio. Propter quod confessores reconciliantes tales per sacramẽtum pœnitentiæ, pro hoc facto non dicuntur propriè & verè patres eorum, sed solùmmodò impropriè, & extenso nomine, quia faciunt aliquid circa iam genitum, quia cum sicut actus patris est generare filium: ita etiam filium genitum, qui offendit pœnitentem reconciliare, & offensam remittere: ideò etiam illi, quibus conuenit sic filium reconciliare, scilicet auctoritate & potestate ordinaria, patres sunt verè, & propriè.

Qui autem hoc possunt facere auctoritate, & potestate delegata ab ijs, qui dicto modo sunt verè, & propriè patres, non sic sunt patres propriè, sed eorum vicarij, vel vices agentes.

Pater igitur spiritualis, quia generat, primò & proprijssimè, & verissimè dicitur solus Deus trinitas, qui gratiam adoptionis, vt agens principale creat, & infundit, respectu cuius nullus homo inquantum homo propriè, & verè dicitur pater, sed omnes renati inter se sunt fratres.

Secundò verò, vt agens ministerialiter secundum modum dictum dicitur proprijssimè & verissimè pater Christus inquantũ homo, respectu cuius nullus purus homo dicitur propriè & verè pater, & hoc ideò maximè, quia ipse merito passionis in sanguine suo omnes nos baptizauit virtualiter, vnde baptismus Ecclesiæ habet efficaciam, & virtus fidei, vt per baptismum fluminis, aut flaminis baptizamur, dicente Apostolo. Roman. 6. Quicunq; baptizati sumus in Christo Iesu in morte ipsius baptizati sumus, vbi dicit Glossa super illud; In Christo Iesu. Qui baptizat verè. & Apoc. 1. Lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo. Propter quod etiam licèt Christus dicitur agens ministeriale respectu Dei; & quantum ad gratiæ adoptionis creationem inquantum homo, respectu tamen aliorum hominum dr̃ in baptizando agens, vt principalis minister, quia ipse potestate quadã baptizat in aqua, qua nullus alius baptizat, quæ ipsi soli à Deo est concessa, qua absque sacramento per quencunque actum secundum voluntatem Christi posset dari gratia, quæ datur per sacramẽtum, & secundum hunc modum Christus baptizat potestate sibi propria: alij verò potestate aliena, data scilicet à Christo aquis ad verba sacramentalia. Propter quod Christus dicitur bapti-

Responsio.

zare.

zare potestate: alij verò ministerio, dicente Augustin. super Ioann. sermone 5. Clamabat Paulus cum videret homines ponentes spē in seipso, nunquid Paulus pro vobis crucifixus est? aut in nomine Pauli baptizati estis. Baptizat ergo Paulus tanquàm minister, non tanquām ipsa potestas: baptizat autem Dominus tanquàm potestas.

A quocunque ergo quis baptizatur ministerio, solus tamen Christus est, qui baptizat potestate, & sic sicut solus Deus trinitas est pater auctoritate, sic Christus potestate, & omnes alij ministerio simplici. Inter quos maiores & principaliores etiā paternitate sunt, & sic tertio loco patres Prælati Ecclesiæ, qui ex officio ordinario habent ministerium prædicandi, & administrandi sacramenta regenerationis, inter quos Papa est primus: Episcopi secundi, Curati tertij, & omnes alij sub ipsis sunt in paternitate etiam in baptizando, & conuertendo infideles. In quibus casibus quodam modo propriè, & verè dici possunt patres illi, qui non habent illa facere ex iurisdictione ordinaria, sed ex delegata, vtputa quando sua prædicatione conuertunt infideles ad fidem, siue quando baptizant vice ordinarij, & etiam qui hoc faceret in casu necessitatis ex sola charitate. Sed in tali actu maior est in paternitate, & principalius pater, qui hoc facit ex commissione, vel delegatione superioris, quàm qui ex solo charitatis feruore.

Sub omnibus autem istis illi infimi in nomine paternitatis sunt, qui non agunt aliquid nisi circa iam genitum existentem in gratia adoptionis: & ideò impropriè dicuntur patres, sed propriè dicūtur adiutores, vel pædagogi, vt dictum est. Inter hos tamen maiores sunt in paternitate impropriè dicta illi, qui per secundum baptismum, scilicet p sacramentum pœnitentiæ reformant renatos ad gratiam per primum baptismum, quàm illi, qui solum prædicando eos illuminant ad doctrinam. Et adhuc inferiores omnibus istis sunt illi, qui ex solo feruore charitatis existēres in fide, licèt informi instruunt & reprehendunt, qui nec patres, nec pædagogi dici possunt, sed tantùmmodò fratres, vt dictum est. Et secundum hoc concedenda est ratio vltima ad istam partem, quam tenemus.

Ad illud, quod arguitur primò in oppositum, quòd ille est maior & verius pater, qui facit prædicta ex priuilegio, quàm qui ex potestate ordinaria per exemplum de laico: Dicendum, quòd illud non facit ad propositum, quia mysticum est, & ex mystica Theologia argumentationes formari non possunt.

Sed esto, quòd ille, qui fuit pater puellæ, interpretatur illuminans, & per hoc significat patrem spiritualem animæ fidelis, qui illuminat spiritualiter: arguere ex hoc, quòd omnis spiritualiter illuminans est verè pater spiritualis, est arguere secundum fallaciam accidentis consequentis à superiori ad inferius: nam verum est, quòd omnis pater spiritualis est illuminans, quia debet esse illuminatus lumine scientiæ, & virtutum; & alios ex hoc potens illuminare, qui etiā ratione officij hoc facere tenetur circa generandos ab ipso quantum ad non baptizatos, vel circa genitos, & iam baptizatos. Vnde illuminare bene est actus paternus, sed non quo pater per se, & immediatè fit propriè pater, vt dictum est. Vnde non est conuertibilis cum patre, sed potest alteri conuenire, vel ex delegatione ipsius patris, vel ex charitatis feruore alicuius fidelis fratris, sicut etiā pater spiritualis est lucidus, vel sciens, sed non omnis lucidus, vel sciēs est pater spiritualis. Sed etiam vlterius esto, q ipse est pater puellæ, & illuminatus & illuminans, & propterea omnis illuminās & illuminatus aliquo modo pater potest dici spiritualis fidelis animæ: tamen si ad totum mysterium aspiciamus, ipse laicus magis representat illuminatos & illuminantes ex potestate ordinaria, quàm delegata, quia non solum dicitur pater puellæ laicus, sed etiam dicitur fuisse archisynagogus, & sic principatum habens ordinarium in synagoga, sicut modo habent Prælati in Ecclesia, & sic principaliter, aut solum repræsentat illuminantes ex potestate ordinaria prælationis. Vnde super illud, Venit archisynagogus nomine laicus, dicit Glossa interlinearis, Moyses legislator, per quem potius prælati illuminantes alios ordinaria potestate intelligūtur, qualem habuit Moyses, quàm illi qui sunt illuminantes ex sola potestate delegata, vel ex solo actu charitatis, quæ re vera nullo modo potest dici paterna, sed solùmmodò fraterna, vt dictum est.

Quod autem assumitur, quòd tales tāto verius & magis, siue maiores debent diei patres, quantò magis verius, & perfectius sunt illuminati, & sic alios instruendo illuminant, iam patet ex suprà dictis, quoniam ex actu docendi, & illuminandi non dicitur aliquis pater nisi per accidens, & in ordine ad perfectam generationem, quæ fit virtute sacramenti baptismi, vt quando contingit aliquē per prædicationem conuerti ad fidem, & sacramēti fidei susceptionem, ad quod faciendum maiorē potestatem habent illi, qui faciunt illud potestate ordinaria, quibus magis competit ratione officij, q sint magis illuminati, & magis illuminantes & melius, & qui etiam habent ex officio baptizare quos illuminant, & ad fidem conuertunt, quàm alijs qui faciunt ex sola delegatione, qui etiam sicut auctoritate sua, ordinaria scilicet, non conuertunt per prædicationem, sed auctoritate & potestate superioris sibi commissa, ita etiam sic conuersos non habent sacramento regenerationis perfectè generare, sed debent eos ad ordinatios remittere baptizandos, & sic perfectè regenerandos. Et si habētes auctoritate ordinaria illuminare nō sint tales, q sunt magis illuminati ex sua prædicatione, & instructione magis illuminare potentes, hoc accidit, sicut illis accidit, quòd sint tales. Vnde & multi Prælati magis sunt illuminati multis ex illis, & melius illuminant quàm illi.

Et

Et ſicliçet vniuerſalius contingit, quòd illi ſint magis illuminati, & melius illuminant, ex hoc nihil accreſcit paternitati eorum ſi quam haberent, quia nõ accipitur principaliter, niſi reſpectu actus generandi in Chriſto per gratiam fidei ſuſcipiendam ex ſacramento, quæ non ſuſcipit magis, vel minus, ſiue conuertitur quis ante ſuſceptionẽ ſacramenti per prædicationem magis illuminati, & magis illuminantis, ſiue non: ita quòd paternitate, quam habet ex actu ſuo in ordine ad gratiam ſuſcipiendam ex ſacramento, qua verè generatur, tantùm pater infidelis eſt ille, qui conuertit ipſum per rudem & modicam prædicationem, quantùm ille, qui per ſubtiliſſimam, & maximam.

Conſiderando autem paternitatem, quæ magis illuminato conuenit ex ordine ad gratiam fidei data à Deo ante ſacramentum, quia ad illam magis diſponit ſua prædicatione, quàm minus illuminatus, & per hoc conuerſus à magis illuminato maiorem gratiam ante ſacramentum recipit, quã alter, & eſt perfectius generatus illa gratia, & perfectior filius: hoc ergo modo conſiderando paternitatem, magis illuminatus benè poteſt dici quodammodo magis pater, & verius altero, ſed nullo modo ſimpliciter magis illo, cui prędicare competit infidelibus ordinaria poteſtate, cui etiam vlterius competit generare per ſacramentum quancunque exili prædicatione ſua conuertat baptizandum.

Si autem tales prædicationes fiant circa iam generatum, ex hoc nulla oritur paternitas, niſi impropriè loquendo, vt dictum eſt. Sicut nec ex hoc, quòd pater verus ſuum inſtruit filium aliquando, vt dicit Apoſtolus ad Hebræos. Patres noſtræ carnis habuimus eruditores, & reuerebamur eos. Aliter enim cum aliquando eorum aliquis magis eſſet illuminatus, quàm ſummus Pontifex, & ſimiliter prædicandó melius illuminet alios aliquo modo: ergo maior eſſet illo, & verius pater, quod omninò falſum eſt.

Ad exemplum de Dauid.

Quòd nititur idem probare ſecũdò per Dauid, dicendum, quòd Prophera non eſt aliquis ſimpliciter, aut verè Propheta ex aliquo actu prophetãdi, ſed ſolùmmodò ex prophetica illuminatione, & profundorum myſteriorum per reuelationem cognitione, etiam ſi nunquam prophetaret, aut reuelata ſibi manifeſtaret: Vnde Prophetæ ex hoc ꝙ ſcripſerunt figuras ſub quibus eis erant myſteria reuelata, non eorum Prophetæ, ſed ſolùmmodò ex illuminatione, & reuelatione quã cognouerunt myſteria occulta illis figuris ſignata.

Aliter enim Nabuchodonoſor ſi deſcripſiſſet ſomnium ſuum quod vidit, Propheta ex hoc dictus fuiſſet, quod non eſt verũ, ſed Daniel ex hoc ſolo, ꝙ illuminatione reuelatum fuit ei myſteriũ ſub illo ſomnio obumbratũ, Propheta dictus fuit, & erat. Vnde vt dicitur primi Regum ſecundo. Qui olim dicebatur videns nũc dicitur Propheta. Et ſic in propoſito Dauid nõ ex actu prophetãdi, aut prædicandi, quæ vidit dictus eſt eximius prophetarum, ſed ſolùm ex clariore illuminatione, & reuelatione, quàm ſuper alios recepit. Secundum enim quòd dicitur in principio Gloſſarum Pſalterij. Cum omnes Prophetas Spiritus Sancti reuelatione conſtat eſſe loquutos: Dauid tamen Prophetarum eximius quodam digniori, & excellentiori modo, quàm alij, velut tuba Spiritus Sancti prophetauit. Intelligo, ideſt, myſteria quæ prophetauit, reuelante Spiritu Sancto vidit. Vnde ſequitur continuè. Alij namque per quaſdam rerum imagines, atque verborum integumenta, ſcilicet per ſomnia, ac viſiones facta, ac dicta prophetauerunt: Dauid autẽ inſtinctu ſolius Spiritus Sancti ſine omni exteriori adminiculo ſuam edidit Prophetiam, & ſic non ex actu prophetãdi, quia ſub figuris, & ænigmatibus multa edidit, & magis occultè, quàm alij quædam ediderunt, ſed ſolùm ex reuelatione ſibi facta dicitur eximius prophetarum: non autem ex actu Prophetiæ inquantum ipſam edidit, niſi fortè per accidens, in eo videlicèt, quòd clarius eam edidit, q̃ alius, ſicut clarius eam vidit. Quia tamen miſſus non erat ex officio ad prædicandum, ſiue ad prophetãdum, ſicut alij: ideò inter Prophetas non numeratur, vt dixit opponens, & verè, & ſic non per ſe, quia melius prophetauit, dicitur Propheta eximius, ſed quia clarius vidit, niſi per accidens, quia ad clariorem enim viſionem cõſequutus eſt clarior actus prophetandi: ideò per accidens ex actu prophetandi potius dicitur eximius Prophetarum, quã illi, qui erant Prophetæ, & prophetabant ex officio. Et ſimiliter licèt alij, qui melius docent, meliores Clerici, vel magis literati benè dicuntur, ſicut Dauid eximius prophetarum, ſicut tamen Dauid, qa non habuit tantam auctoritatem prophetandi q̃ tam illi, qui ex officio prophetiſſabant, nomen qd ex officio, & auctoritate prophetandi dabatur, nõ dabatur Dauid, ſicut alijs, & propterea nõ eſt enumeratus inter Prophetas, conſimili ratione, nec illi numerandi ſunt inter patres, quia paternitas nõ tantum reſpicit actum, ſed poteſtatem agendi ipſum, ſed non quemlibet, ſed ſolum illum, qui eſt generare, vt dictum eſt.

Ad exemplum de cantore.

Ad aliud de cantore (quòd aliquando eſt aliquis cantor ex officio, & aliquando ex actu cantandi, & ꝙ conſtat, quòd melius frequenter cantet cantor ex actu, quam cantor ex officio. Quare cum maiorem poteſtatem ad illuminandum alios habeant priuilegiati, quàm ordinarij ex illuminatione, & etiam quia delegatus fungitur vice delegantis, & ideò maior eſt omni ordinario, extra de officio iudicis delegati. Sanè enim &c. quæ ſupra recitauimus) omninò friuolum eſt: non enim ex actu cantandi melius, aut frequentius dicitur aliquis cantor, ſed potius cantator, niſi nomen æquiuocetur, quia quòd aliquis melius cantat, hoc eſt, quia magis habet artem cantandi, & organa correſpondentia modulationi artis, & ſic dicitur cantor,

tor, quasi secundum primam speciem qualitatis: Alius autem dicitur cantor, quia habet specialem potestatem ex officio ordinariæ auctoritatis, quòd possit cantare cantus incipiendo, & regulando alios in cantu, etsi ex arte, aut etiam membrorum dispositione non potest prorumpere in opus ita efficaciter, vt cantor primo modo. Et sic dicitur cantor quasi secundum secundam speciem qualitatis, quemadmodum dicitur aliquis pugillator penès secundum speciem qualitatis propter naturalem potentiam, licèt non habeat artem pugnādi. Propter quod frequenter melius pugnat ille, qui dicitur pugillator penès primam speciem qualitatis, quàm ille qui penès secundam.

Principalius tamē nominatur talis, qui talis est secundum secundam speciem. Et sic cantans melius, & alios in cantu dirigens ex sola charitate, vel ex commissione facta sibi, nullo modo potest dici verius cantor, quàm ille, qui hoc habet facere ex officio: immò ille, qui facit illud ex sola charitate, nullo modo potest dici cantor penès secundam, sed solùm penès primam speciem qualitatis, neque ille qui facit hoc ex solà commissione, nisi quatenus gerit vices illius. Propter quod nunquā in nomine illo penès secundam speciem qualitatis est principalior illo, aut æqualis, sed semper inferior. Et ideò non solet nominari cantor, sed succē tor, vel potius vicecantor, quia succentor solet aliquis aliquando ex officio esse. Et similiter contingit in proposito de actu illuminandi per prædicationem etiam circa iam genitos, quia Prælati habent potentiam ad hoc ex officio penès secundam speciem qualitatis, & quandoque ex arte penès primam: Prędicantes autem ex charitate secundū primam speciem solùm, quia non prædicant ex cō missione, siue ordinaria potestate, vt prædicantes secundum secundam speciem. Et si aliquando verius, & melius possunt dici prædicatores ex arte prędicandi secundum primam speciem qualitatis: nullo tamē modo illis possunt equiparari, vel prę ferri in nomine penès secundam speciem qualitatis, secundū quam fiunt huiusmodi denominationes principaliter. Vnde patrem esse, Prælatū esse, Principem esse, Iudicem esse, & cætera huiusmodi sunt denominationes relationis principaliter penès secundam speciem qualitatis, vt ipsa est principium actionis, & passionis. Vnde Philosophus quinto Metaphysicæ, patrem & filium annumerat inter relationes fundatas super actionē & passionem, quarum principia sunt naturalis potentia, & impotentia, dicens sic; Et quædam dicūtur secundum tempus, vt agens & patiēs, sicut pater dicitur filij pater, quemadmodum agens, & patiēs, vbi Comment. exponens illud, quod dicit, Secundum tempus, dicit sic, Relatiua in genere actionis & passionis sunt relatiua per potentias existentes in eis, quorum quædam sunt, quæ non sunt relatiua, nisi in temporibus determinatis, sicut res sunt actiuæ & passiuæ, & pater & filius sunt de genere, in quo non inuenitur actio & passio, nisi in tē pore determinato: vir enim & mulier non generant in qualibet ætate, sed in temporibus determinatis vitæ.

Per iam dicta patet falsum esse, quod consequē ter assumitur, scilicet quòd priuilegiati, & ex charitate operantes habent maiorem potentiam ad alios illuminandum, quàm ordinarij: licèt enim habent maiorem scientiam ad hoc secundum primam speciem qualitatis: non tamen maiorem potentiam, quæ pertinet ad secundam speciem qualitatis, secundum quam debet sumi paternitas, vt dictum est. *De priuilegialis.*

Quòd tamen arguitur ad hoc pro priuilegiatis specialiter probando, quòd delegatus fungitur vice delegantis: & ideò maior est omni ordinario. Dicendum, quòd triplex est genus delegatorum. Quidam enim delegantur ad vtilitatem causarū, & negotiorum in prouincijs illis ad quæ delegantur, vt legati de latere Papæ Domini Cardinales, de quibus verum est, quòd tempore legationis suæ, quia perfectè funguntur auctoritate Papæ, & vice Papæ, maiores sunt simpliciter ordinarijs in omnibus, quæ incumbunt ordinarijs: & similiter maiores in paternitate, & principaliores patres quantum est ex potestate eis commissa. *Ad probationem de delegatis*

Alij verò delegantur ad aliquam certam causam litigiosam terminandam, quam cum inchoauerint, superiores sunt ad ipsam terminandā omni ordinario, quia de illa ordinarius non debet se de cætero intromittere, quia frustra interciperet eam, postquā semel est ab alio assumpta. Propter quod ipse habet coercionem, vt sibi in causæ prosequutione obediatur. Sed talis ante causæ inceptionem non est maior ordinariō, quia si ordinarius prævenit eum per actoris querimoniam, potest ordinarius causam illius prosequi, nec potest eam delegatus de manu sua eripere.

Est verò tertius delegatus ad certum officium, & hoc in ordinarij subsidium, qui aut nullam omninò habet coercionem, aut si quam habet, illam non habet, nisi in subsidium ordinarij.

Iste nullo modo est maior, quia non est nisi coadiutor ordinario datus, sicut non esset maior quē ipsemet assumeret: ita tamen quòd ad eundem actum exequendum eodem tempore, & loco semper prærogatiuam debet habere ordinarius alijs eisdem retentis, vt alias dixi. Et de illo, qui fungitur vice delegantis secundo modo loquitur propriè illa litera Sanè: non autem de delegatis tertio modo, qui nullam habent coercionem.

Ad illud, quòd tales non possunt dici pædagogi, quia vbi fides venit non sumus sub pædagogo, vt dicitur Gal. 3. Hic est difficilioris assumptio. Dicendū, quòd triplex est status populi Dei principalis in Ecclesia, ac si totus populus Dei esset vnus homo. Quorum primus est seruorum p donum timoris, qui in libertatem filiorum vocantur. *Ad secundum primū*

Secun-

Secundus est filiorum per gratiam adoptionis, qui hæreditatem dominorum conseruantur.

Tertius est dominorum per gloriam, qui in hæreditatem instituuntur. Quorum Primus erat in lege Moysi, in qua omnes erant serui. Secundus est in lege Euangelij, in qua oēs sunt liberi. Tertius est in visione Dei, in qua omnes sunt Dñi. Sub lege Moysi omnes erant serui, quia lex Moysi non adoptabat, quia in sacramentis suis gratiam non conferebat, nec iustificabat, nisi in sacramēto Circuncisionis, sed hoc non nisi vt erat figura sacramenti, quo fit adoptio in nouo testamento. Et sic si qui per gratiam filij erant in veteri testamento, quo ad hoc pertinebant ad nouum, aut hoc habebant virtute noui testamenti: & ideò illi in eo, quòd serui, paruuli & pueri erant, & in hoc coercendi metu pœnæ, vt metu pœnæ etsi non amore iustitiæ ab illicitis retraherentur, & per bonam instructionē ad maiora prepararentur. Et sic lex erat eis pædagogus, secundum quod dicit Galat. 3. super illud: Lex pædagogus noster erat. Gloss. Nos quasi pueros ab illicitis comprimens, & ad recta dirigens timore pœnarum. Sub lege autem Euāgelij omnes sunt liberi & filij. Lex enim Euangelij adoptat, quia in sacramentis suis gratiā confert & iustificat: qui tamen sunt sub Euangelio in eo, q̄ sunt filij expectantes hæreditatem, & quia non habent finalem, & consummatam perfectionem ad quam tendunt, & continuè crescere, & proficere possunt, quousq; illam assequantur non domini, sed pueri sunt & paruuli respectu illorum, qui sunt in gloria visionis Dei, quēadmodum & ipsi sub Euangelio sunt liberi filij, & viri perfecti respectu illorum, qui sub lege Moysi sunt serui, & paruuli, & illi sub Euangelio hæredes sunt propriè: isti autem sub lege respectu istorum non propriè hæredes sunt, sed solum vocati in hæreditatem, vt dictum est. Et isti quia sunt liberi paruuli sunt, non tàm coercendi metu pœnæ, vt serui, q̄ attrahendi amore iustitiæ. Et sic Euangeliū quamuis non possit habere rationem pedagogi respectu alicuius status perfectioris in vita ista, ad quam dirigere habeat, cum non sit perfectior lex, vel etiam cognitio Dei expectanda in vita ista, quam per legem Euangelicam habetur, quemadmodum exspectabant existentes sub lege Moysi perfectiorem in vita ista, scilicet ipsam legem Euāgelicam, propter quod lex illa erat simpliciter pædagogus, non solùm quia aliquo modo duceret ad statum perfectissimum vitæ humanæ, sed quia inducebat à statu imperfecto ad statum perfectum, scilicet Euangelicum in hac vita: potest tamen Euangelium respectu status futuri post hanc vitā dici aliquo modo filijs, siue liberis pædagogus, scilicet in visionē Dei, sicut lex Moysi fuit seruis pædagogus in fidē Christi. In visione autem Dei omnes sunt domini & magni: nullus autem paruulus, neque vt seruus, neque vt filius. Et correspondent sibi isti tres status, quia sicut status legis Moysi est figuralis & imperfectus respectu status Euangelij, sic status Euangelij, licèt sit perfectus respectu status legis Mosaicæ: tamen est ænigmaticus, & imperfectus respectu status visionis Dei, quo veniente, sicut quod perfectum est, euacuabitur quod imperfectum est, vt dicitur primę Corinthi. 13. Propter quod comparādo statum Euangelij ad statum visionis, dicitur Lucæ 7. Inter natos mulierum nō surrexit maior Ioanne Baptista, qui autem minor est in regno Cœlorum maior est illo, & hoc quia plus veritatis comprehenditur minima visione, quàm totius Euangelij contemplatione. Et similiter posset dici comparando statum legis Moysi ad statum legis Euangelij. Inter natos mulierum non surrexit maior Hieremia, sit ita, qui autem minimus est in Regno cœlorum, quod est Ecclesia Euangelica, maior est illo, quia plus veritatis fides Euangelica declarat minimo Christiano bono, quàm fecit tota lex maximo Iudæo quantū est ex parte legis: licèt enim sub lege aliqui nouerunt, quæ patefacta sunt sub Euangelio, quo ad hoc secundum Augustinum pertinebāt ad statum Euangelij. Est igitur aduertendum, q̄ licèt dicti tres status distinguuntur, vt dictum est: tamen in quolibet illorum sunt infimi medij, & supremi, & sic secundum modum status legis aliqui erant incipientes, alij proficientes, alij perfecti, sicut & in statu Euangelij iuxta modum eius. Qui aūt erant perfecti erant ministri legis, & pædagogi aliorum coercendo paruulos paruitate seruili timore pœnę quo ad legem: ducendo verò paruulos paruitate filiali amore iustitiæ, quo ad Euangelium, & secūdum hoc in aliquo conueniebat pædagogium legis & Euangelij: cum enim pædagogium nihil sit aliud, quàm magisterium, vel officium pædagogi, & incipientes, & proficientes erant tàm in lege, quàm in Euangelio sub pædagogio perfectorum illius legis: in aliquo autem differebant, quia pædagogium Legis exercebatur metu pœnæ: pædagogium autem Euangelij, vt dictū est exercetur amore iustitiæ, & propterea Legis pædagogium euacuatum est aduenientę pædagogio Euangelij, (secundum quod dicitur Galat. 3. vt arguitur est. Manet tamen pædagogium Euangelij, & manebit toto tempore militantis Ecclesiæ, quia nullus perfectior sequitur nisi status gloriæ, in quo cessabit omne pædagogium, sed erunt omnes perfectè edocti à Domino, & sicut aduenientę sacramēto nouæ legis cessabat omne sacramentum veteris legis, sic aduenientę visione Dei cessabit omne sacramentum nouæ legis, vt dicit Augustin. in Epistola ad Maximum. Sicut Circuncisionem abstulit Domini primus aduentus, sic Baptismum auferet secundus eius aduentus. Sicut enim nunquàm postquam venit libertas fidei, & est remotum seruitutis iugum vllus Christianus circunciditur carne, sic tunc regeneratis iustis cum Domino, damnatisque impijs nemo baptizabitur, sed quod ista figurant, i. circuncisio cordis, & munditia cōscien-

tia

ſiæ, manebit in æternum. Hinc dicit Hieron. libro 11. quæſtionum ad Edibiam, quæſtione 8. ℣ inclinante caput Ieſu, & emittente ſpiritum velũ templi ſciſſum eſt in duas partes à ſummo vſque in deorſum, quærendum an exterius, an interius, mihiq́ue videtur in paſſione Domini illud velum eſſe conſciſſum, quod & in tabernaculo, & in templo foris poſitum fuit, & appellabatur exterius, & omnia legis reuelata ſunt myſteria, vt quę prius recondita tenebantur vniuerſis gentibus pandorentur. Quia autem ex patre videmus, & ex patre cognoſcimus, cum venerit quod perfectũ eſt, tunc etiam velum interius diſcrumpendum eſt, vt omnia, quæ nunc nobis abſcondita ſunt, domus Dei, ſacramenta videamus. Quod autem aſſumitur in argumento, quod hoc poteſt intelligi ex eo, quod dicitur 1. Corinth. 4. ℣ ſi decem millia &c. omninò falſum eſt. Non enim Paulus ibi probat ſe eſſe patrem, quia erat Doctor ſimpliciter, ſed quia genuit ſua doctrina. Aliàs enim quando erudiuit iam genitos, erat nutrix, vt dictum eſt. Et de tali pædagogo Euangelico loquitur hic ſupponendo, quod in veritate Corinthij habebãt plures bonos Doctores ipſorum iam genitorum, à quibus non remouet pædagogium, ſed paternitatem, quia ipſe ſolus eos genuit ſecũdum modum ſupra expoſitũ. Abſit ergo quin multi Euangelici ſint ſub pędagogo, licèt non tali modo, quali erant ſub pædagogo illi legales: illorum enim pædagogium ſub Euangelio euacuatũ eſt, quo ad hoc, ſcilicet quod erat ſeruile, vt patet ex dictis. Nec omnes, qui recta docent ſub Euangelio debent dici patres, ſed multi ſunt tantum pædagogi. vnde in fine ſuper illud, Si decem millia &c. dicit gloſſa; Dũ loquitur Corinthijs, & pædagogos nominat, & pueros illos eſſe ſignificat, quales erant illi, quibus dicit Heb. 5. Cum debereus magiſtri eſſe propter tempus rurſum indigetis, vt vos doceamini, quæ ſunt elemẽta exordij ſermonis Dei, & facti eſtis, quibus lacte opus ſit non ſolido cibo. Omnis enim, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonum iuſtitiæ: paruulus enim eſt: aliter non diceret Apoſtolus fidelibus illud primæ Corinth. 3. Tanquàm paruulis & cætera, ſicut ſupra, nec diceret Petrus illud primæ Petri ſecundo. Quaſi modo geniti infantes lac concupiſcite. Vnde ſicut Apoſtolus humanę conſuetudinis ſimilitudine probat ceſſationẽ legis Moſaicę aduenientę legę fidei Chriſti cum dicit, Quantò tempore hæres paruulus eſt &c. ſic per eandem ſimilitudinem poſſumus probare ceſſationem legis fidei Chriſti ſub Euangelio aduenientę Dei viſione, dicendo ſic, Quantò tempore &c. Ita & nos cum ſumus paruuli ſub ænigmate fidei caligantes ſumus, at vbi veniet plenitudo temporis oſtendet Deus filium ſuum exaltatum in gloria, vt eos, qui ſub fide ſunt, glorificet, & hæreditatem Dominorum recipiamus, quod benè explicat illud, quod dicit Apoſtolus primæ Corinth. 13. Cum venerit quod perfectũ eſt, euacuabitur, quod ex parte eſt.

ad ſecundũ primo.

Et loquitur ibi ad literam de imperfectione, quæ modo eſt ſub Euangelio per fidem reſpectu perfectionis, quæ erit in gloria per apertam viſionem, ſecundũ quod explicat cum ſubdit. Videmus nunc per ſpeculum &c. & interponit ſecundum Gloſſ. ſimilitudinem per quam declarat præcedens, dicens; Cum eſſem paruulus, loquebar vt paruulus &c. cum autẽ factus ſum vir euacuaui ea, quæ erãt paruuli. Paruulus autem erat Paulus cùm ipſe erat ſub lege, & cõparatione illius ſtatus factus eſt vir cum erat ſub Euangelio. Cui reſpõdet illud, quod dicit Galat. 4. Itaque cum eſſemus paruuli &c. nihilominus tamen in eo, ℣ erat vir ſub Euãgelio reſpectu eius, quòd prius fuit paruulus ſub lege, erat ex parte, & paruulus reſpectu eius, quod futurus erat in gloria, quando quod perfectum eſt venturum erat, & tali paruulo ſub Euangelio magis cõgruit illud exemplum de paruulo, quod inducit Apoſtolus ſecundum conſuetudinem humanam quando dicit: Quanto tempore hæres paruulus eſt &cæter. quàm illi, paruulo ſub legę, de quo ſubdit. Itaque & nos cum eſſemus paruuli &cæt. quoniam, vt dictum eſt paruulus ille ſub lege nondum erat hęres, ſed tantùm vocatus, vt eſſet hęres: paruulus autem iſte ſub Euangelio iam eſt hæres perfectus. Iſti ergo paruulo ſub Euangelio conuenit, quòd ſit ſub tutoribus & actoribus. Intelligit autem per tutores ſecundum Gloſſ. qui eum contra hoſtes defendunt: per actores verò, vt ſimiliter dicit Gloſſ. qui eius cauſas agunt, & mores eius informant. Iſti autem ſunt illi, quos dicimus pædagogos ſecundũ prędicta, & ſic omninò ſub Euãgelio ſunt pædagogi, ſicut & ſunt paruuli: non tamẽ oportet, quòd omnes, qui ſunt ſub Euangelio inter ſe comparati paruuli ſint, & ſub homine pædagogo, ſicut nec omnes ſub lege, licèt omnes erant ſub lege, vt ſub pædagogo ducente ad Euangelium, ſicut omnes qui ſunt ſub Euangelio ſunt ſub ipſo, vt ſub pædagogo ducente ad apertam viſionem; ſicut patet ex dictis.

Quod ergo additur, quòd pædagogus dicitur eo, quòd puerũ ducat ad magiſtrum, vt ab eo eradiatur, qui pater eſt, totum falſum eſt, quia magiſter in eo, ℣ ſolum pueros inſtruit, quia non genuit eos, nec carnaliter, nec in Chriſtò ſpiritualiter non poteſt dici propriè pater: extendendo autem nomen generationis, ſecundum quod ignorans quando fit ſciens: per hoc dicitur generatus ſciens, ſic extendi poteſt nomen paternitatis, & omnis inſtruens etiam ex ſola charitate pater dici, ſed hoc eſt grammatiſſare. Sic enim Grammatici appellant patres largiſſimè ſumendo, ſecundũ etiam ℣ quemlibet antiquum vocant patrem, & quemlibet honoratum, quia habent aliquas conditiones veri patris.

Quòd autem dicit, quòd pædagogus dicitur quaſi ductor pueri, hoc non ſolum eſt in via pedũ, vt opponens intelligit, ſed etiam in via morum, & bonarum diſciplinarum.

Quòd

Ad tertiū. Quòd autem vlterius arguitur, quòd paterfamilias nomen trahit à patre &c.

Dicendum, quod large sumendo paternitatem, & grammatissando secundum illos versus grammaticorum. Est pater hic cura &c. bene dicitur paterfamilias pater, quia curam habet seruorum, & liberorum, & singulis debet prouidere æquali affectu, id est proportionali secundum proportionem geometricam, qua similiter dicuntur se habere 1. ad 2. sicut 8. ad 4. quia secundum dupla proportionem: non autem secundum proportionem arithmeticā, qua se habent tria ad duo, sicut quatuor ad tria, quia in æquali fit excessus hinc inde. Sic enim nullo modo æqualem habet affectum ad seruum cui dat annonam, & ad liberum cui parat hæreditatem, propter quod dicit Philosophus in primo Politicæ, quòd aliter principatur Dominus seruo principatu despotico: aliter pater filio, quia principatu Politico, quemadmodum ratio aliter dominatur membris, aliter viribus animæ.

Aliàs Arithmeticā Aliàs Geometricam.

Comment. in Quæstionem XXVII. quæ est,

Vtrum illi, qui ex priuilegio habet potestatem prædicandi, & alios prædicatione sua instruendi, ex eo, quòd alios prædicat, & eos instruit, maior sit, & verius pater, quàm qui hoc potest facere, & facit iurisdictione ordinaria.

Titulus TITVLVS non videtur egere declaratione.

In corpore est principalis conclusio responsiua quæsito, quòd qui vel facit, vel potest facere ex ordinaria iurisdictione magis, & verius pater est, &c.

Probatur. Sicut se habet in corporalibus, & naturalibus, ita se habere videtur in spiritualibus, sed in illis verius, & magis pater est, qui agit circa generationem, quàm qui agit circa genitum; ergo & in istis similiter. Iam verò qui agit ex iurisdictione ordinaria videtur agere circa generationem filij; qui verò ex priuilegio, agere circa genitum, igitur illi verius dicuntur patres, quàm isti, illi inquam qui ex ordinaria iurisdictione &c.

Prima propobatio, sicut se habet &c. Probatur ex Richardo de Sancto Victore, libro primo de Trinit.

Altera propositio subsequens, s. In naturalibus &c. Probatur ex Philosoph. Comment. Et colligitur ex verb. Origen. gloss. Apost. quæ satis faciliter leguntur in litera. Ex quibus colligitur, & subsequens antecedens, vnde conclusio intenta deducitur. Quippe ille dicatur verè pater in spiritualibus, qui generat aliqualiter filium.

Not. tamen, quòd primus pater in spiritualibus est Deus; cæteri verò ministerialiter, inter quos primus est summus Pontifex. Secundo Episcopi. Tertiò Curati, qui verò subsequuntur potius dicendi sunt pædagogi &c.

Not. hanc sententiam Doctoris nostri totam colligi 47. dist. sicut. § Necesse. & 30. q. 1. De his. & omnes. Ibi. n. habetur, quòd pater carnalis dicitur generis propagatione. Hic verò, quòd pater spiritualis dicitur sacramenti collatione, sicut baptismi, vel confirmationis, vel pœnitentiæ. Quòd si attendenda est similitudo iuxta Richardum, sicut ibi propagatione, ita hic, sed hic ad propagationem agere non potest, nisi qui ex iurisdictione operatur. Igitur &c.

Not. solutionem quæstionis motæ à D. Hieronymo, Matth 23. apud D. Thomam, super illud. Et patrem nolite vobis vocare super terram, vnus enim pater vester, qui est in cœlis. Quæritur autem, inquit, quare aduersum hoc præceptum Apost. Doctorem gentium se esse dixerit? aut quomodo in monasteriis vulgato sermone se inuicem patres vocant? Quod sic soluitur. Aliud est esse natura patrem, vel magistrum, aliud indulgentia. Nos si hominem patrem vocamus honorem ætati deferimus, non Auctorem nostræ ostendimus vitæ. Magister enim dicitur ex consortio veri magistri. Et ne infinita replicem, quomodo vnus per naturam Deus, & vnus filius, non præiudicat cæteris, nè per adoptionem dij vocentur & fil. ita & vnus pater, & magister non præiudicat alijs, vt abusiuè vocentur & patres, & magistri, hæc ibi. Et not. quòd tam id dicitur in vita naturali, quàm in spirituali, vnde de naturali Christus. In mundo quamuis, inquit, homo hominem generet, tamen vnus est pater, qui omnes creauit: non enim initium vitæ habemus ex parentibus, sed transitum vitæ per eos accipimus. De spirituali autem patet.

QVAESTIO XXVIII.

Vtrū excōicatus ab ordinario loci, quia publicè restitit ueram prædicanti, si post modū celebret, sit irregularis.

Arg.pr.

Arg princ. ARCA secundum arguitur, q̄ ille excōicatus celebrās sit irregularis, qa pro tali causa licèt ordinarium vt ex iusta causa excōicare: tenet ergo eius sententia, & sic est verè excōicatus. Sed verè excommunicatus celebrans statim est factus irregularis. Contra. Forte sunt exempti.

In oppos. Vana videtur mihi ista quæstio stando in generali intra istos terminos, quia postquàm hæc est iusta causa excōicandi, quia iste resistens prædicatori veritatis proculdubio mortaliter peccat, tum quia veritatem impugnat, tum quia scandalum cōmouet: igitur si celebrat non est dubium quin factus est irregularis, vt procedit primū obiectum, & hoc nisi sit præmunitus legitima, & rationabili appellatione, aut exēptus à iurisdictione ordinarij, sic vt ab ipso puniri nō possit, etiam ratione delicti commissi. Quòd si præcesserit talis appellatio, aut habeat talem exemptionem, & hoc constiterit, nec pro excōicato, nec pro irregulari debet haberi. Si autē non constiterit, illi qui alterū horum non constiterit debent ipsum habere pro excōicato, & irregulari, & vitare, nec cum ipso cōmunicare, ipse ēt si tale priuilegium habeat, aut legitimè appellauerit, nisi hoc cōstare faciat, si ex facto eius scandalum oriatur, grauissimè peccat ille, & oēs cōplices eius præter peccatum primū mortale qd cōmisit prædicatori veritatis resisti ēdo, à quo nō credo eū impetrasse quòd priuilegium posse fieri immunē, vt scilicet ex virtute priuilegij potestatem habeat impugnandi veritatem agnitam, sic quòd in huiusmodi impugnatione non peccet.

Resp. *Ad opp.*

Comment.

Comment. in Quæstionem XXVIII. quæ est,

Vtrum excommunicatus ab Ordinario loci, quia publicè restitit vera prædicanti, si post modum celebret sit irregularis.



ITVLVS ex distinctione in corpore declaratur.

In corpore igitur, aut id intelligitur vniuersaliter intra terminos vniuersales, simpliciterque considerato, hoc est, nulla habita ratione ad aliquem particularem casum, & tunc

Prima conclusio est. Quod erit excommunicatus, & irregularis.

Patet, quòd excommunicatus, quia ab habente auctoritatem, vt ab ordinario, & ex causa, legitima. Qui enim impedierit, & restiterit huiusmodi prædicanti, impugnator videtur veritatis, & ideo si eam veritatem nouit, peccat in Spiritum sanctum. Et scandalum patitur erit, immo ipse grauissimi scandali causa videtur esse. Patet etiam quod irregularis, quia omne administrans sacramentum aliquod, vel sibi, vel alijs excommunicatus existens efficitur irregularis. Quod colligere licet. c. Latores, & c. Apostolicè. de cle excom. Aut intelligitur, quòd hic exemptus fuit, vel appellauit legitimè, & sunt

Secunda est conclusio. Si constiterit vtrumque, non est excommunicatus, nec irregularis: secus autem si non constat.

Prima pars patet de exemptione. Intelligitur enim quod sit exemptus, ita quod ordinatio illi nullo pacto subiectus sit. Quòd si hoc constat, patet, quod non poterat excommunicare.

Not. q auctoritas excommunicantis limitata, vt Episcoporum, non potest se extendere nisi super eos, in quos habet iurisdictionem. Non habet autem in exemptos à summo Pont. sed id constare debet. Quòd enim non constat, pro eo, quod non est, reputatur. Patet de appellatione, quia legitima appellatio impedit effectum sententiæ. Nec obstat id, quod scit. cap. Pastoralis habetur. Quod appellatio post sententiam excommunicationis latam, non tenet. Quia forte intelligitur, vbi excommunicatio fertur habitis conuenientibus admonitionibus. Nec obstat quod habetur de appell. c. quia nos, scilicet quod appellatio non tuetur aliquem in notorio delicto, si quidem in dato casu prætendit appellans non peccasse. Pro notitia autem detur casus. si quis prædicator ingrederetur Ecclesiam Monachorum, & ibi inciperet prædicare populo non habita licentia ab Abbate, & Abbas restitisset, dato quòd ex hoc Episcopus cum excommunicaret, posset Abbas appellare, & legitima esset appellatio, & appellatio cum tueretur, quia non prætenditur ex exemptione notorium delictū, exempta enim etiam Ecclesia Monachorum est. Posset tamen Abbas in foro propriæ conscientiæ grauissimè peccare, si animo impugnandi veritatem resisteret, quod tamen difficilè constare posset.

QVAESTIO XXIX.

Vtrum Clericus ordinatus in sacris. & vtrum beneficiatus, & vtrum Religiosus peccant mortaliter omittendo dicere horas Canonicas.



EQVVNTVR vltimo quęsita duo: vnum de horarum obseruatione, vtrū Clericus ordinatus in sacris, & vtrum Clericus beneficiatus, & vtrum Religiosus peccent mortaliter omittendo dicere hor. can. Alterum, vtrum oēs teneantur ad dicendum, vel audiendum quotidie officium Missæ.

Arg. prim. Circa primum arguebatur, q sic, quia facit cōtra præceptum Apostolicum. extra de celeb. Missa. Dolentes, vbi Papa loquens de Clericis, & Prælatis, & de eorum comessationib. & confabulationibus illicitis cum publicè dicūtur horæ in Ecclesia, & similiter de sacerdotib. celebrātibus Missas vix quater in anno, & similiter de contemnentib. interesse dum celebrantur, dicit sic. Hæc & his similia sub pœna suspensionis penitus inhibētes districtè præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, vt diuinum off. nocturnum pariter & diurnum quantum eis Deus dederit studiosè pariter celebrent & deuotè. Sed trāsgressor p̄cepti Apostolici facti in virtute sanctę obed. mortaliter peccat: ergo &c.

In oppos. Contra. Qui deseruit aliquid per vnam viam non tenetur idem deseruire per aliam. vt extra de pręben. Licèt, vbi dr, q scholari studenti in Theologia ministrētur prouentus ecclesiastici pro quibus seruiret in Ecclesia sua, & si pro studio absoluitur à seruitio, quod teneretur facere in Ecclesia: ergo & eadem ratione à seruitio, quo tenebatur horas dicere.

Responsio. Dicendū, q licèt in lege Euāgelij à Christo non sit institutum tēpus determinatum quo insistendū sit diuinis obsequijs, quia nullum tēpus ab illis vacare debet, sicut in lege veteri ad hoc fuit institutū Sabbatū: Ecclesia tñ prout et Christus determinādū reliquit, determinauit ad hoc genus aliter omnibus, tàm Clericis, q̄ laicis dies Dominicos in memoriam octauæ Resurrect. Dominicæ: Clericis autem ascriptis diuino seruitio specialiter determinauit ad hoc singulis dieb. 7. horas iuxta illud dictum Prophetæ: Septies in die laudem dixi tibi, quæ determinantur orationib. quæ horæ canonicę dicuntur, quia determinatis horis & competentibus regulariter sunt dicēdæ, vt extra de celeb. Miss. Presbyt. Vt aūt dicit Innoc. in suo apparatu: Presbyter. i. Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, vel quicūque Clericus beneficiatus, & sic largè hic sumitur Presbyter. Hic. n. notantur duo genera Clericorū, s. in sacris ordinib. cōstitutorū, & beneficiatorum, & intelligunt aliqui ly beneficiatorum, s. cum effectu, vt possint fructus suorum beneficiorum percipere, vel in parte, vel in toto, vel potius vt intelligunt alij, sic cū effectu, vt saltem habeant ius speciale de peripiendo fructus aliquando, & q ex hoc ad horas obligantur, & sic q mortaliter peccant si per ipsos steterit, q non dicant eas.

Sed nunquid singulis horis dici sigillatim insistendum est, & vacandum ad dicendum horas canonicas? Dicendum quòd sic, nisi causa rationabilis subsit quare aliter fiat. Hinc dicit Innocentius. De occupatis autem consilium est, vt simul dicant horas omnes, quod (vt dicit) intelligitur de omnibus circa officium rurale, & rempublicam occupatis, & seruant Dominus Papa, & Cardinales, & Episcopi pro magna parte hoc, quo ad horas simul dicendas, eo quòd completis horis habent multa alia negotia expedire, & melius est præuenire, quàm præueniri. Quod autem dicit Innocentius: Simul dicant omnes horas, intelligo, vt scilicet sic dicantur omnes horæ simul, quòd nulla horarum dicatur quin alia dicatur sub vno continuò prætextu cum ea, non quòd simul dicantur in mane matutinæ, & cæteræ horæ etiam completorium: hoc enim esset indecens, & ridiculum valdè.

Sed quòd in mane dicantur horæ simul vsque ad vesperas: & tunc ante cœnam vesperæ, & completorium.

Si etiam non vrget magna necessitas, maximè in hyeme, matutinæ separatim dicendæ sunt de nocte, aut fortè prima cum illis, secundum quod consuetum est in capella Domini Papæ, vt dicit Innocentius, quòd quacunque hora noctis dicuntur matutinæ continuò sub vno prætextu dicitur prima.

Aliud dubium. Sed quærit Innocentius quid de infirmis, & respondet dicens, excusantur à dicendo, & etiã fortè ab audiendo si directè, vel occasionaliter obesse timeretur probabiliter ipsum, scilicet dicere, vel audire. Intelligo cum hoc si obesset dicere, sed non audire, etiam excusatur ab audire si non possit habere, qui in præsentia eius illas dicat.

Aliud dubium. Sed nunquid cum dicit horas debet vacare ab omnibus alijs? Dico, quòd sic, nisi necessitas aliqualis vrgeat. Tunc enim, vt dicit Innocentius, siue equitando, siue aliud quicquam agendo dicat eas quisque prout melius potuerit. De hac materia notatur. 12. distinct. cap. vlt. Quia autem opponens tetigit Religiosos in sua quæstione.

Responsio de Religiosis. Dico de Religiosis, quòd ratione qua Religiosi simpliciter, quia possunt esse puri laici, non plus ex tali statu obligantur, quàm laici non religiosi. Si autem sunt Clerici, & in sacris ordinibus constituti tenentur ratione ordinum.

Si autem non sunt in sacris, & habet religio bona ecclesiastica sibi deputata vnde viuunt, tenentur sicut clerici beneficiati non existentes in sacris ratione iuris percipiendi beneficium, ita quòd ratione religionis simpliciter non obligantur ad horas, quòd si obligentur ad horas ex aliquo statuto, vel Papæ, vel ipsius religionis, hoc est ratione qua sunt clerici religiosi. Et sic concedenda est ratio ad primam partem adducta.

Ad argu. in oppos. Ad rationem in oppositum, quòd deseruiens p vnam viam absoluitur ab alia: dicendum, q verum est secũdum modum quo ab alia absoluitur: nunc autem ita est, q absolutio ista fit per priuilegium ad hoc concessum scholaribus, quod non absoluit scholarem ab horis dicendis simpliciter, sed solùmmodo ab ipsis dicendis secundum aliquem modum determinatum.

Beneficiatus enim non scholaris de iure tenetur continuè residere in Ecclesia, in qua est beneficiatus ad officiandum ipsam. Et ex hoc circa horas dicẽdas tenetur ad duo, quorum vnum est ad dicendas eas simpliciter.

Alterum est ad dicẽdas eas ordinarie in Ecclesia secundum cõsuetudinem suæ Ecclesiæ, nisi alias subsit causa legitima aliter dicẽdi eas, & sic ab isto secundo absoluitur scholaris per priuilegiũ, quod concedit ei fructus beneficij sui in scholis, & recompenserur per opus studij: à primo autem nequaquam, & sic manet obligatus ad horas dicendas simpliciter, licèt non secundum modum, quo dicuntur in Ecclesia sua, & sic non est simile de vno, & de alio. Vnde dicit Innocent. Clerici cuiuslibet ordinis, & prælati possunt ex causa ab officijs, quæ in Ecclesia dicuntur abesse: debent tamen prout melius possunt horas dicere absque syncopi, & defectu, quę si fiant ex crassa ignorantia mortale est.

Alioquin si tamen in choro cum alijs cantet, & legat, & rationabiliter impeditus non dicat versiculum, aut aliquid talium, siue in principio, siue in medio, siue in fine alijs procedentibus, credo, q non debet repetere illud, secundum quod dicit Innocentius super illam literam Dolentes.

Similiter si aliquis sine malitia, sed aliqua legitima occupatione nõ interfit, vel principio, vel fini horarum, non oportet q à capite incipiat, vel finẽ perficiat, & hoc propter vinculum charitatis, quo cum alijs est vnum corpus, propter quod id quod per alios fit ab eo reputatur factum, quemadmodum cũ vnus chorus dicit vnum versum psalmodię, & alius alium, singuli reputantur totum dixisse, & fatuum esset super hoc sibi formare conscientiam. Secus autem est si chorus multum in principio processit, vel multum de fine restat: tunc enim tenetur supplere defectum, & incipere ab initio quousque concurrat cum alijs.

Comment. in Quæstionem XXIX. quæ est,

Vtrum Clericus ordinatus in sacris, & vtrum beneficiatus, & vtrum Religiosus peccent mortaliter omittendo dicere horas Canonicas.

IN titulo not. sex articulos habere huiusmodi præsentem quæstionem, tres explicitos in titulo, & tres super additos in corpore. Primus in titulo est, Vtrum Clericus in sacris Ordinibus constitutus teneatur ad horas canonicas sub peccato mortali. Secundus, Vtrum beneficiatus, adde non in sacris Ordinibus constitutus. Tertius, Vtrum Religiosus, adde, regularis, & quidem professus præsertim. Quartus, qui est primus in corpore, est, Vtrum singulis horis diei sigillatim insistendum, & vacandum sit horis canonicis, Idest vtrum sit necesse eas dicere statis horis diei. Quintus, qui est secundus ex additis, est, Vtrum infirmus teneatur, subaudi Religiosus Regularis, vel Clericus. Sextus, qui & tertius est in quæstione, est, Vtrum dicens horas debeat vacare ab omnibus alijs, scilicet vt nihil prorsus aliud agat.

In corpore autem sex conclusionibus videtur responderi. Quarum Prima est. Clericus ordinatus in sacris tenetur sub peccato mortali, dicere horas canonicas.

Probatur hæc conclusio ex eo, quòd habetur extra de celebrat. Missæ. Presbyter.

Not. quòd est conclusio communis, quam omnes tenent, ita vt probari possit per Ecclesiæ consensum vniuersalem, & Doctorum omnium. Maximè autem id legimus apud Palud. in 4 dist. 15 q 5. D. Anton. 3. part. tit. 33. c. 4. § 4. Card. 5. 2. in dist. 19. Abul. c. 6. super Matth. Maior. ibi. Et in 4. dist. 12. Sed vide etiam Sotum plures citantem ad hanc sententiam. vt Panorm. D. Thomam, & eandem dicentem esse omnium Theologorum de iust. & iur. lib. 10. q 5. artic. 3. Nouissimè autem & Doct. Nauarr. in Enchirid. cap. 10. de orat.

Secunda conclusio. Clericus beneficiatus tenetur sub peccato mortali &c. probatur ibid. ex Innoc. sicut superior.

Not. quòd & hæc communis est, & ab eisdem, vt supra ibidem probata.

Tertia conclusio. Religiosus tenetur sub peccato &c. Probatur, quia aut quoniam est beneficiatus, aut quia simul & Clericus ordinatus.

Not. quòd sub ratione Religionis non tenetur, sed ratione vel beneficij, vel consecrationis simul. Et hoc probatur per primum argumentum in fronte quæstionis, & est communis, vt patet ibidem apud alios.

Not. autem, quòd dicitur ratione beneficij teneri ad horas, vbi est consuetudo, quòd si sit Religio non consueta, non videtur teneri, vt de se patet notum est. Neque enim tenebantur ad horas, nec quidem tempore nostro recitabant, tametsi haberent bona ecclesiastica sibi deputata, vnde viuerent. Id tamen credimus non obstare, tùm quoniam nam equiualens obligabantur, tùm quia bona illa sibi data sunt à scientibus eos profiteri in Religione humili, quę lectionibus literarum non vacaret, sed solùm operibus charitatis operam daret, tùm quia id concessum est à summis Pontificibus.

Quarta conclusio. Qui non rationabilę causa occupatus est, tenetur ad horas statis diei huius, secus de occupatis. Probatur conclusio ex Innocentio, vt patet in litera.

Not. difficultatem esse, quæ nam sint horę statutę, & determinatæ; Credimus autem nos in hoc horas statutas esse secundū quòd vnicuique Ecclesiæ est antiqua consuetudo, & approbata à superiore.

Quinta conclusio. Infirmus, cui obesset dicere horas excusatur, & etiam ab audiendis si vel obesset audire, vel non haberet qui eas diceret. Probatur vtrunque ex eodem Innocent. &c.

Not. eandem sententiam quo ad dicendum esse communem, quo verò ad audiendum est difficultas. Cum enim partem negatiuam teneat Gerardus, scilicet quod non excusantur ab auditione, sed quod tenentur audire, contra est Doctor Nauar. cap. 2. de horis canon. Primò quoniam statutum est de dicendis horis, & non de audiendis, dum loquimur de Clericis.

Secundò. Nulli, aut paucissimi ægroti excusarentur, quia nulli, vel paucissimi sint, qui non possint audire.

Tertiò, quia non obstat, q audire possent, quia non obligamur ad omnia, quæ possumus, sed ad ea, quæ nobis iubentur. Non iubetur autem Clericis auditio, sed dictio.

Ad dictum verò Innocent. notat, q dixerit, Infirmitatem excusare à dicendo, & forte ab audiendo, & quidem nil aliud.

Nos autem veritatem potius diligentes, in hoc iudicamus veram Doctoris Nauarr. sententiam, sed tamen dicendum, quòd Auctor forte vult intelligere, ad auditionem tantum teneri, quantum potest consilium obligare, non præceptum, quia non sit præceptum de auditione. Innitentes autem consilio maximè mererentur, demererentur autem non positiuè, sed priuatiuè non sequentes consilium.

De consilio autem videtur auditio. Et quidem durum admodum videretur præceptum de auditione.

Sexta conclusio. Nisi necessitas vrgeat, dicens horas vacare debet ab omnibus alijs rebus. Probatur ex Innocent. ibidem.

Not. eandem sententiam habere quoq; D. Ant. 2 par. tit. 5 &c & alios.

Hanc verò quæstionem satis diligenter pertractari à Doctore Nauarr. cap. 23. de hor. can. Et arguit contra Doctoris, & aliorū huiusmodi sententiam, quam tamen sibi deinde conciliat, ita, vt ex ipso, & ex Gaetano colligi possit, quòd debet recitans ita vacare prorsus ab omnibus, quæ taliter eximunt attentionem, vt non possit recitans attentè vacare officio: sunt autem auferentia attentionem, quæ incompatibilia sunt cum recitatione diuini officij, vt legere mente alia non pertinentia ad horas, vel scribere, ex huiusmodi. vbi autem aliquid fit, quod est compatibile, non adimens attentionem non est quod recitans non satisfaciat. Sed videto Nauarr.

QVAESTIO XXX

Vtrum omnes teneantur ad dicendum, vel audiendum quotidie officium Missæ.

Arg prime.  IRCA secundum arguitur, ꝙ omnes tenentur ad dicendum, vel audiendum Missam quotidie, aut peccãt mortaliter, quia in dicta litera Dolentes, præcepit Papa celebrari solẽnia Missarum à Sacerdotibus, sicut & dicere horas, & si tenentur dicere, maximè tenentur audire, & ipsi & alij omnes.

In oppos. Contrarium videtur, quia de audiẽdo, vel dicendo Missarum solemnia nihil præcipitur in dicta litera presbyter, nisi quòd præcipitur horarum obseruantia.

Responsio. Innocentius dicit, quòd quilibet Clericus beneficiatus etiam non in sacris constitutus debet dicere, vel audire diuina officia omni die. Quod si dicit de officio Missæ, hoc solùm intelligitur de residentibus in ecclesijs suis, aut si de omnibus dicitur generaliter, diuina officia ibi intelliguntur horæ canonicæ: nullo enim iure quisquã ad hoc obligatur, vt quolibet die Missam dicat, vel audiat, sed tantùm hoc præcipitur omnibus ẽt laicis die Dominico sub pœna excommunicationis, de cõsec. dist. 1. c. Missas, vbi sic dicitur; Missas die Dominica Sæcularibus totas audire præcipimus, & dicit ibi Gloss. Vnde contra præceptum faciunt, qui diebus Dominicis non audiunt Missas, nisi aliqua necessitas cogat. Sed quod in talib. non præcipitur omni die faciendum, deuotioni singulorum committitur, & secundum hoc concedenda est ratio secunda pro hac parte.

Ad argu. principale. Ad primam rationem, quæ erat in oppositum, dicendum, ꝙ illa litera Dolentes, non præcipit Sacerdotib. singulis dieb. Missas dicere, aut audire, sed Dns Papa in illa litera solùmmodò prohibuit superfluas comessationes, confabulationes, & huiusmodi hora maximè celebrandi diuina officia, & præcipit diuinũ off. diurnum, & nocturnum deuote celebrari, sm̃ quod prius præceperat in illa litera Presbyter, quo ad horas diurnas, in qua & hoc præcepit, ꝙ horæ diurnæ debent quotidie obseruari, sed de Missarum solẽnijs, quo ad determinationem temporis celebrandi ipsas, nec in vna litera, nec in altera vllam fecit mentionem. Vnde superillo verbo Officiũ, in illa Dolentes, dicit glossa. Ad quod oẽs sine isto præcepto tenentur supra eodem Presbyter, & sic diuinũ off. non extenditur ibi ad Missarum solẽnia: immò solùmmodò intelligitur pro horis. Sed est aduertendum, ꝙ in omnibus talibus, quę sunt de genere bonorum, nec cadunt sub præcepto diuino, aut humano, pensandũ est sollicitè, quòd pro quo admittendũ, siue postponendum, quod & relinquitur cuiuslibet cõscientiæ, cuius iudex in hoc debet esse solus Deus, qui scrutatur renes & corda hoc est cogitationes singulorum, & desideria. Vnde extra de celebro. Miss. cap. Quidam, vbi reprehenduntur laici Missas priuatas audiẽtes, quasi melius sit audire illas ex seipsis, q̃ missas ordinarias, non præcipitur eis, ꝙ quotidie audiant Missam, sed hoc potius relinquit in eorum voluntate dicens sic. Sed si voluerint vt sibi Missæ dicantur de eodem die, Missas audiant.

Finis Vndecimi Quodlibet. Magistri Henrici à Gandauo.

Comment. in Quæstionem XXX. quæ est,

Vtrum omnes teneantur ad dicendum, vel audiendum quotidie officium Missæ.

IN titulo intelligendum distinctè in duobus articulis. Vtrum scilicet Sacerdotes, vel teneantur ad Missandũ quotidie, vel saltem ad audiendum. De audiendo autem simpliciter intelligitur de laicis, & cæteris clericis.

In corpore. Prima conclusio. Laici tenentur omnibus præceptis festis tantùm ad audiendũ Missam.

Secunda conclusio. Clerici non sacerdotes similiter.

Tertia conclusio. Si in præcepto Innocentius intelligit de officio Missæ, Sacerdotes residentes in Ecclesijs suis tenentur ad missandum.

Quarta conclusio. De iure nulli præcipitur vt quotidie dicat, vel audiat Missam. Patent omnes istæ conclusiones in litera.

Not. ꝙ quo ad Sacerdotes Curatos attinet, vel celebrare tenentur, vel facere celebrare, vbi exigit Ecclesia, propter scandalum, sed tamen nullo iure id præcipitur.

Explicit Quodlibet. Vndecimum ad laudem Dei, & B. Virg.

MAGISTRI

MAGISTRI HENRICI A GANDAVO

DOCTORIS CELEBERRIMI

QVAESTIONES QVODLIBETALES

Cum Commentarijs, seu Adnotationibus R. P. D. Vitalis Zuccolij Abbatis Ordinis Camaldulensis Theologi Clarissimi.

Quodlibet. Duodecimum continens Quæstiones triginta & vnam.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Deus sub ratione infinita ex parte sui sit subiectum, siue obiectum alicuius scientiæ creatæ.

QVÆSITA in nostra generali disputatione de Quolibet Duodecimo erãt triginta & vna; & omnia pertinebãt ad Deum, & ad creaturam intellectualem. Et erant communiter pertinentia ad Deum, & ad creaturam intellectualem sex: ad creaturam autem intellectualem incorpoream tria; ad hominem autem cõpositum ex natura intellectuali incorporea, & corporea viginti & duo. Sex primentia cõtinebãt ad Deũ, & ad creaturam intellectualem erant de Deo, vt est obiectum intellectus, aut voluntatis creaturæ intellectualis, quorum tria prima erant de Deo, vt est obiectum intellectus. Primum enim erat, Vtrum Deus sub ratione infinita ex parte sui sit subiectum, siue obiectum alicuius scientiæ creatæ. Secũdum, Vtrum in via de Deo possit, ꝙ quid est, vel ꝙ sit trinus, clarius sciri, quam per lumen fidei. Tertium, Vtrum non habens rationem cogentem ad aliquam partem contradictionis, possit illi assentire sine formidine. Quartum autem erat de Deo, vt est obiectum voluntatis, s. Vtrũ Deus possit diligi à creatura intellectuali absque eo, ꝙ ab illa aliud diligatur cum eo. Quintũ verò, & sextum erant de Deo, vt communiter est obiectum vtriusque, quorum primum erat; Vtrum Deus posset facere, quòd intellectus possit videre ipsum: & quòd tamen voluntas eũ non diligat. Sextum erat, Vtrũ habens meliora naturalia cum æquali charitate, & gloria intensius videbit, & diliget Deum?

Circa primum arguebatur quòd non, quia nihil vnum & idem sub eadem ratione potest esse subiectum, siue obiectum scientiæ infinitæ & finitæ, scientia Dei est infinita, scientia intellectus creati est finita, ergo &c. Probatio minoris est, quia scientiæ istæ distant in infinitum, & sic distinguuntur secundum rationes infiniti, & finiti. Distinctio autem scientiarum debet esse circa rationes formales obiecti, siue subiecti; quia scientia recipit speciem à ratione formali obiecti, quare cum Deus sub ratione infinita sit subiectum, siue obiectum suæ scientiæ infinitæ: non ergo sub illa ratione potest esse subiectum, siue obiectum scientiæ intellectus creati finitæ. Aliter enim scientia intellectus creati esset infinita.

Arg. prim. Primum.

Probatio.

Item quia Deus sub ratione infinita est obiectũ suæ scientiæ: ideò intelligendo se intelligit omnia

Secũdum

alia à se. Si ergo sub eadem ratione infinita esset obiectum scientiæ intellectus creati intelligendo Deum, ipse simul omnia alia intelligeret, consequens est falsum, quia homo intelligendo Deum per scientiam Theologiæ non simul intelligit omnia alia, dicente Augustino 14. de Trinitate, capit. 1. Rerum diuinarũ scientia sapientia propriè nuncupetur: humanarum autem propriè scientiæ nomẽ obtineat. Non vtique quicquid sciri potest ab homine in rebus humanis vbi plurimum superuacuę vanitatis, & noxiæ curiositatis, est huic scientię tribuendum, sed illud tantùmmodò quo fides salubertima, quæ ad veram beatitudinem ducit gignitur, nutritur, defenditur, & roboratur: falsum est ergo, & antecedens, quòd sub ratione infinita est obiectum scientiæ creatæ.

In oppos. Contra. Sub ratione illa Deus est subiectum scientiæ cuiuslibet creatæ, sub qua est obiectum scientiæ bonorum, quia & ipsorum scientia creata est, sed ipse est obiectum scientiæ bonorum sub ratione infinita, quia aliter non quietaretur voluntas bonorum in Deũ diligendo, & volendo secundum modum, quo ipsum cognoscerent, quia vltrà quodlibet finitum plus appeteret, quare cum finit ipsorũ appetitus oportet, ꝙ eũ cognoscãt, & sciant per intellectum sm̃ rationem infinitam: ergo &c.

Responsio. Dico, ꝙ Deus sub ratione infinita ex parte sui dupliciter potest esse subiectum scientiæ. Vno modo, vt vtrunque. s. & res ipsa, quæ Deus est, & ratio illa infinitatis sit obiectum scientiæ, & ab vtroque, & secundum vtrunque formatur, & ad vtrunque terminatur sub ratione, & ratione vtriusque. Vel alio modo, vt solùmmodò res subiecta illi rationi sit obiectum scientiæ, & ab illa sola formatur, & secundũ illam, & ad illam terminatur: sic tamẽ vt est sub ratione infinitatis, vt ipsa infinitas inq̃tum huiusmodi, seu ratio infinitatis sit quoddam annexum subiecto, siue obiecto inquantum obiectum est, sic inquam annexum, vt sub ratione contraria non sit subiectum, vel obiectum: ita tamen, ꝙ illa ratio non sit obiecta illi scientiæ. Primo modo Deus sub ratione infinita est obiectum solius scientiæ Dei, propter quod scientia Dei de Deo differt secundum speciem à scientia Angelorum, & hominũ de Deo, & est scientia Dei ex hoc subalternans sibi scientiam de Deo Angelorum, & hominum bonorum, & viatorum. Et est iste modus subalternationis, quo scientia considerans obiectũ determinatum infinitè comprehensum in illa scientia subalternat sibi scientiam considerantem ipsum simpliciter, contrarius modo subalternandi quo scientia considerans ipsum simpliciter subalternat sibi scientiam considerantem ipsum determinatũ, quamadmodum scientia de linea simpliciter, subalternat sibi scieniam de linea radiosa. Vnde iste modus non est aliquis illorum quatuor, quos ponit Philosophus in libro Posteriorũ, quos in quæstionibus nostris ordinarijs exposuimus, & sedm hoc concedenda est ratio ad istam partẽ adducta.

Ad rationem primam in contrarium, ꝙ nihil idẽ sub eadem ratione potest esse obiectum scientiæ infinitæ & finitæ, &c. Dico, quòd verum est si ratio illa infinitatis intelligatur esse aliquid obiecti scientiæ; non autem est verum si intelligatur tantùmmodò esse annexa obiecto secũdũ iam dictum modum. Intelligendum tamen est propter tacta in probatione maioris illius, ꝙ quælibet scientia respicit duo, & obiectum scibile à quo formatur in sciente, & ad quod terminatur, & subiectum in quo formatur, & ab vtroque determinatur, sed diuersimodè, quia secundum rationem obiecti determinatur ad formam, & speciem, secũdum rationem autem subiecti determinatur ad intensionem & remissionem. Verbi gratia, in videdo Solem ab aquila, & homine, & noctua propter idẽ obiectum, & secundum eandem rationem à parte sui, quod est lux sub ratione splendentis, ideſt, in se lucentis, est eadem visio secundum speciem, quę tamen secũdum speciem distinguitur à visione coloris, si tamen lux & color distinguũtur secundum speciem: semper enim secundum diuersitatẽ obiectorum diuersificantur secũdum speciem visiones, & scientiæ. Propter verò aliam dispositionem subiecti variam lympidior est visio aquilæ, q̃ hominis, & hominis, quã noctuæ, quia semper actus actiuorum sunt in patiente secũdum rationem dispositionis ipsius secundũ intensum, & remissum, quia quod recipitur, semper secundum modũ recipientis recipitur, & non secundum modum eius, quod recipitur. Et consimiliter dico in proposito, ꝙ Deus, & secundum eandem rationem. s. infinitatis ex parte sui, est obiectum scientię Dei, & beatorum, & hominum viatorũ, & determinatur ad speciem ab obiecto: determinatur tamen secundum intensionem, & remissionem à dispositione subiecti, vt lympidius, vel minus lympidè videatur. Sciendum tamen, ꝙ ab obiecto infinito sub ratione infinitatis considerando determinatur scientia tripliciter secundum speciem, secũdum quod tripliciter obijcitur scientiæ.

Ad primũ principale.

Ad probationem maioris.

Vno enim modo obijcitur ratione infinitatis, & quantum est ex parte obiecti, & quantum est ex ratione subiecti, in quo simul, vbi scilicet obiectũ scientiæ est, & substantia, & ratio infinitatis simul, & est in subiecto infinito, vt in scientia solius Dei, sicut dictum est, quoniam sua scientia se totum ratione substantiæ, & totaliter ratione infinitatis cõprehendit. Alio modo ratione substantiæ, sed non ratione infiniitatis, nisi vt est annexa ipsi obiecto: nullo aũt modo quantum est ex parte subiecti in quo; vt in omni scientia, quam creaturæ habent de Deo, quæ totum Deum, quo ad eius substantiã apprehendunt, sed non totaliter, quia non secundum rationem infinitatis, de qua licèt apprehendant, ꝙ sit in Deo: tamen nullo modo, quæ sit. Et secundum hoc secundum speciem differunt sciẽtia Dei de Deo, & cuiuslibet creaturæ de Deo, & infinitatem habet scientia Dei nõ solum ratio-

ne

se subiecti in quo, sed etiam ratione obiecti, quod est ratio substantiæ, & simul infinitatis. Ratione autem substantiæ sub ratione infinitatis annexæ obijcitur obiectum infinitum scientiæ creatæ dupliciter. Vno modo nudè, & absque aliquo inuolucro. Alio autem modo nō nisi cum quodam inuolucro, & ænigmate. Primo modo obijcitur Deus scientiæ beatorum. Secundo modo obijcitur scientię hominum viatorum, propter quod secundum speciem differunt inter se, & quasi secundum species specialissimas, quantuncunque enim credibile intelligatur, intellectum tamen non absoluit ab ænigmate, dicente Aug. in Epistola ad Consentium. Ad vnius essentiæ trinitatem videndam quantumlibet in hac vita prospiciamus per speculum, & in ænigmate videmus, & hoc quia scientia nostra de Deo nō est sine fundamēto fidei. Conueniunt tamen quasi secundum speciem subalternam, & cum his etiam scientia Dei de seipso, inquantum omnes sunt sciētiæ diuinæ, & propriè dicuntur sapientiæ licèt analogicè, & distinguuntur contra scientias humanas de rebus alijs, quæ propriè dicuntur scientiæ, vt iam dictum est secundum August. in opponendo.

Quòd ergo sciētia Dei de Deo increata & creata distinguuntur penès infinitum, & finitum. Dico, quòd ista distinctio non est secundum speciem, & secundum rationes considerandi obiectū formales, quasi Deus sit obiectum scientiæ Dei infinitæ secundum rationem infinitatis etiam obiectiuæ, & sic obiectum scientiæ finitæ secundū rationem finitatis obiectiuè, secundum quod nititur procedere argumentum, sed est ista distinctio sciētiæ penès finitum, & infinitum secundum materiā, & secundum conditiones subiecti potius, in quo huiusmodi sciētia recipitur. Quòd quidem subiectum, quia est infinitæ capacitatis in Deo. s. diuinus intellectus: finitæ verò capacitatis in creatura. s. intellectus creatus: idcirco ab obiecto infinito ratione suæ infinitatis informatur scientia infinita intellectus diuinus: intellectus verò creatus ab eodem obiecto non ratione suæ infinitatis, nec etiam ratione alicuius finitatis, sed ratione ipsius essentiæ Deitatis simpliciter, vt cui annexa est ratio infinitatis secūdum dictum modum, informatur scientia finita. Et sic scientia Dei, & intellectus creati de Deo, benè possunt dstingui secundum finitum & infinitum: & tamen iuxta dictum modum Deus secūdum rationem suam infinitam benè potest esse obiectum scientiæ infinitæ Dei, & finitæ creaturæ, licèt quoquo modo aliter scientia Dei, & scientia creaturæ respiciant illam rationē infinitatis, vt iam visum est, vt secundum hoc verum sit dicere, ꝙ intellectus diuinus intelligit se infinitum, & infinitè, siue totum, & totaliter: intellectus autem creatus intelligit Deum infinitū, sed finitè, & totum, & non totaliter. Et secundū hoc diximus in quæstionibus nostris ordinarijs, quòd subiectum Theologiæ Deus est, non sub ratione qua est Saluator, aut quocunque modo alio, sed sub ratione omninò absolutissima, ꝓut ibidē determinauimus, propter quod vt puto mota fuit hæc quæstio hic.

Deus igitur non ratione alicuius finitatis à parte sui, hoc est non ratione alicuius specialis rationis puta glorificatoris, aut restauratoris determinantis essentiam deitatis debet poni subiectum Theologiæ, vel scientiæ beatorum de Deo. Et esto, quòd ita esset, non valeret ad eorum propositum cum per hoc intendant distinguere scientiam infinitā Dei de seipso à scientia finita intellectus creati de Deo penès finitum, & infinitum. Nam illa ratio specialis, quam intelligunt nomine restauratoris, seu glorificatoris, vt est in Deo secundum se, est etiam infinita, sicut & ipsa ratio Deitatis secundum quod Deitas est absolutè, sicut & idea asini, seu ratio, vt est in Deo, est infinita, licèt secundum modum intelligendi per huiusmodi rationem specialem videatur determinari & finiri per comparationem ad intellectum nostrum ipsa ratio Deitatis absoluta.

Ista ergo ratio specialis nihil faceret ad distinguendum scientiam Dei increatam, & scientiam de Deo creatam penès finitum, & infinitum attendendo ad rationem in obiecto secūdum se, penès quam tamen rationem, vt est in obiecto nituntur distinguere scientiam Dei increatam, & scientiam de Deo creatam penès finitum, & infinitum, sed ex parte subiecti in quo sic debent distingui penès finitum, & infinitum, vt visum est.

Item Deus sub nulla ratione finita à parte sui, seu determinata (quia nec aliqualis in eo esse potest) potest esse glorificator noster. Si igitur est subiectum Theologiæ sub ratione, qua glorificator noster (vt concedunt) oportet etiam, quòd concedant ipsum esse subiectum Theologiæ sub ratione infinita: nihil ergo valet ad improbandum dictum nostrum de subiecto Theologiæ ista ratio infinitatis.

Ad secundum, quòd Deus, quia est obiectum suæ scientiæ ratione suæ infinitatis, ideò simul intelligit alia omnia à se, &c. Dico, quòd verum est, sed intelligere alia à Deo intelligendo Deum potest contingere dupliciter. Vno modo sub rationibus particularibus, quibus differunt inter se. Alio modo secundum aliquā rationem communē qua se habent per attributionem aliquam ad Deū. Primo modo solus Deus naturaliter intelligit alia à se intelligendo se, & hoc propter specialem mōdum p̄dictū quo se intelligit sub ratione infinita. Et hoc modo nullus intellectus creatus intelligendo Deum intelligit naturaliter alia à Deo, etiam si sit beatus, quia ille videndo Deum non videt alia in Deo naturaliter, sed solummodò secundum modum quo vult ostendere se secundum rationē speculi, & ideæ ad videndum illa in se. Secundo autem modo intellectus hominis viatoris intelligendo Deum per habitum sciētiæ Theologiæ

Ad secundum principale.

logiæ intelligit simul omnia alia ab ipso, inquantum omnia alia per quandam attributionem se habent ad Deum, & continentur sub scientia Theologiæ, & pertinent ad ipsam, secundum quod exposuimus loquendo de vniuersalitate scientiæ Theologiæ, & eius subiecto in quæstionibus nostris ordinarijs. Et propter primum modum sciendi alia à Deo, non omnia quæ sciri possunt attribuit Augustinus scientiæ Theologiæ, sed solùm modò ea, quibus fides generatur, nutritur, roboratur, & defenditur, & talia sũt omnia alia à Deo, secundum quod habent se per attributionem ad Deum, & vt ea, quibus vti possumus sicut eis, quæ velut vtibilia ordinabilia sunt ad ipsum Deũ tanquàm ad eum, quo fruendum est sicut fine.

Sed præterea ex dictis mois contra me nituntur arguere. Nam dixi, quòd scientia Theologiæ, & etiam beatorum est participatio quædam scientiæ diuinæ, ex quo (vt dicunt) necessariò sequitur, ꝙ id quod est obiectum scientiæ Dei sub ratione absoluta fit obiectum scientiæ participãtis sub aliqua ratione partiali, & speciali: aliter non diceretur scientia participatiuè.

Item arguunt sic. Scientia Theologiæ est organum, seu instrumentum veniendi ad beatitudinẽ, sed beatificamur in Deo sub ratione qua est glorificator noster: ergo sub hac ratione speciali debet poni Deus Theologiæ subiectum. Si enim Deus esset sub sua ratione absoluta subiectum Theologiæ, iam scientia Theologiæ ageret vltra suam speciem considerando ipsum sub ratione generaliori, quàm vt est glorificator.

Ad primum dicendum, quòd vt dixi: & adhuc dico scientia beatorum de Deo est quædam participatio diuinæ scientiæ immediatè deriuata à scientia diuina, non quia consideret tanquàm obiectũ suum formale ipsum Deum sub aliqua ratione finitatis, seu speciali, quam intelligunt nomine restauratoris, vel huiusmodi: hoc enim falsum est, vt patet ex prædictis, sed dicitur scientia per participationem respectu scientiæ Dei, eo quòd obiectum suum, quod est Deus, sub ratione sua absoluta totaliter comprehendere non potest, sicut ipse Deus à seipso comprehẽditur, vel ideò quia Deus ipse infinitus, & etiam suæ infinitatis ratio, vt cõprehensibilis à seipso, vt formale obiectum obijcitur scientiæ Dei de seipso: non sic autem scientiæ beatorum, vel viatorum, sed ipse Deus secundum se absolutè: vt tamen ei annexa est ratio infinitatis, quæ vt comprehensibilis non potest esse obiectum alicuius scientiæ de Deo creatæ, nec beatorum, nec viatorum.

Ad aliud cum dicitur, quòd scientia Theologiæ ageret vltra suam speciem si Deus sub ratione absoluta esset eius subiectũ. Dico, ꝙ falsum est. Et cũ dicit, ꝙ ipsa organum est veniendi ad felicitatem, concedo. Et cum dicitur, Deus inquantum glorificator beatificat: Dico, ꝙ hic est nugatio, quia hoc est dicere glorificat inquantum glorificator. Vnde sub nulla ratione speciali determinata, seu finita glorificat, sed magis inquantũ Deus infinitus absolutè. Et quod assumitur, ꝙ iam scientia Theologiæ ageret vltra suam speciem, patet quod falsum est, quia non potest esse ratio generalior in Deo, quàm illa sub qua est glorificator. Hæc enim est ratio Deitatis absolutæ, vt à parte visa, vel Deus sub ratione suæ Deitatis absolutę, ut à parte visibilis.

IN QVODLIBET DVODECIMVM.

Quodlibet duodecimum quæstiones triginta, & vnam habere cognoscitur, tùm ad Deum, cùm etiam ad creaturas intellectuales pertinentes, vt ex initio primæ quæstionis Auctoris deprehendi potest, & ex progressu facilius cognoscetur.

Comment. in Quæstionem primam, quæ est,

Vtrum Deus sub ratione infinita ex parte sui sit subiectum, siue obiectum alicuius scientiæ creatæ.

IN titulo huius quæstionis creatæ ad differentiam scientiæ increatæ, de qua nullum est dubium. Immò certum est apud omnes, quòd sub huiusmodi ratione Deus est obiectum suæ scientiæ. Sciendum autem, quòd in qualibet assignatione subiecti duo sunt attendenda, res videlicet considerata, & modus considerandi, qui quidem considerandi modus dicetur etiam ratio formalis. Et certè magnæ necessitatis est assignatio rationis formalis, quoniam ab ea peculiaris habetur scientiarum distinctio. Si quidem vna, & eadem res considerata possit esse communis pluribus scientijs, vt patet manifestè de corpore quod est subiectum Philosophiæ naturalis, est & stertometriæ, ac medicinæ: diuersa verò formalis ratio separat hoc ab illo, vnde in Philosophia naturali consideratur vt naturale, in stertometria vt quantum, in medicina, vt viuum sensu prædituum, sanabileque, & non sanabile, sic in proposito cum quæritur vtrum Deus sub ratione infinitatis possit esse subiectum, &c. cum certum sit Deum esse subiectum alicuius scientiæ creatæ, vt beatorum, & etiam viatorum, scilicet Theologiæ: sic enim communiter vocatur scientia cuius subiectum est Deus, vel obiectum; quæritur de ratione formali, & quidem non quæ sit absolutè, sed si potest esse hæc infinitas eius, vnde quicunque considerat formam huius quæstionis propositæ ab Auctore, videbit, quòd non trahit secum longam disputationem de formali ratione obiecti Theologiæ, quando tantum quærat vtrum sub hac ratione obiecti Theologiæ. Quando inquam tantum quærat vtrum sub hac ratione possit esse obiectum, vnde non excludit, quòd etiam sub alia ratione esse non possit. Quæ autem sit alia ratio, difficultas est, quia variæ, atque diuersæ sunt opiniones. Quidam enim existimarunt, rationem formalem esse glorificationem, ita quod Deus est obiectum scientiæ creatæ sub ratione beatifica, qua est glorificator, seu reparator, quam sententiam visus est Ægidius sequi.

Alij, quòd bonitas sit ratio formalis, vt sub ratione boni sit subiectum. vt Guilelm. & Varr. Alij vt Scotus, & D. Thom. sub ratione Deitatis. Alij sub ratione entis, quam sententiam Nicolaus Nisa attribuit Henrico nostro: cum tamen id falsum esse cognoscamus ex præsenti quæstione. Alij, vt Durandus, sub ratione Saluatoris. Sufficit autem Auctori manifestare quomodo etiam sub hac ratione possit Deus esse subiectum scientiæ creatæ, per quam nè dum Theologiam viatorum intelligere debemus, sed etiam beatorum. Habetur autem tota huius quæstionis resolutio, tùm ex corpore, cùm etiam ex responsione ad primum.

In corpore igitur &, responsione ad primum, habita distinctione, & subdistinctione, tribus conclusionibus satisfacere videtur quæsito, quæ ad tabellæ formam de more ita reduci possunt.

Deum sub ratione infinita respectu sui posse esse subiectum intelligitur ita

Quòd vtrunque scilicet res ipsa quæ Deus est, & ratio, quæ est infinitæ sit subiectum.

Quòd solum ipsa res sit obiectum, & ratio illa sit tantùm quoddam annexum obiecto, quo fit, vt non accipiatur sub contraria ratione, & tunc posse esse taliter subiectum intelligitur quod sit, vel

Nudè, & absque aliquo inuolucro.

Cum quodã involucro, &ænigmate.

Prima conclusio.
Deus sub ratione infinitatis est subiectum solius scientiæ sum.

Secunda conclusio.
Deus sub ratione huiusmodi est subiectum scientiæ beatorum.

Tertia conclusio.
Deus sub ratione huiusmodi est subiectum scientiæ viatorum.

Prima conclusio probatur, quia ex hoc differt scientia Dei à scientia Angelorum, & beatorum, & viatorum.

Not. quòd circa hanc conclusionem nulla videtur difficultas, quia tota optimè sita est circa alias.

Not. insuper, & si spectemus absolutè alterum membrum distinctionis, nullo habito respectu ad membra subdiuisionis, ex illo nascitur hæc conclusio, quòd Deus sub ratione infinitatis eo modo est subiectum scientiæ creatæ. Hæcque conclusio probatur statim ex argumento facto contrà in fronte quæstionis, quod incipit; sub illa ratione Deus est subiectũ &c.

In speciali autem cæteræ conclusiones videntur probari ex hoc, quòd in hoc differunt scientia beatorum, & viatorum.

In responsione ad secundum not. q̃ idem argumentum fit à Gregorio Arimenensi aduersus D. Thomam, quatenus ponit rationem formalem subiecti Theologiæ esse Deitatem, sed rectè illi Thomistæ respondent, Quod ratio Deitatis non est formalis, sub qua intelligitur, & sic Deus est subiectum non contractum ex parte scibilis, sed ex parte scientiæ.

Et volunt rationem Deitatis esse quæ, non qua. Auctor autem noster, nec quæ, nec qua; quia

Non quæ, quoniam, sic est obiectum solæ scientiæ diuinæ. Non qua, quia intellectus creatus est finitus, & non potest medio finito infinitum cognoscere. Et si est qua, est vtique quatenus tali rationi annexa rei consideratæ non sunt ipsum

considerare sub ratione oppositæ, quæ est finitatis; id enim inconueniens est Deum sub ratione finita considerare. Id autem intelligi dupliciter potest. Primò quòd ratio finita sit coarctans rem consideratam ex parte scibilis, vel quod sit coarctans tantùm modum ex parte scientis. Vbi primum non concederetur ab Auctore, & fortè à nemine sanæ mentis concederetur) secundum autem absolutè non respicitur ab ipso, nisi inquantum aliquis poneret specialem, partialemque, atque finitam rationem, tanquam illam, quæ ita sit adæquata pro subiecto Theologiæ nostræ, & beatorum, vt nullam prorsus alia sit assignanda. Id enim falsum est, vnde si quidam non valent considerare Deum, nisi sub ratione glorificationis, nempe vt glorificator, vel vt incarnatus; non est quod debeat huiusmodi rationem formalem ponere, vt pro taliter adæquata, quod alia assignari non possit. Et certè iudicaremus, Theologiam considerari debere cum duplici differentia, nempe absolutè, & cum contractione. cum contractione quatenus eam habemus in sacris literis. & eam ibi legimus, absolutè verò in se sine huiusmodi contractione. Et quidem absolutè sumptæ Theologiæ Deum faceremus subiectum, tùm sub ratione infinitatis, vt dictum est, cùm etiam sub ratione Deitatis, vt dicunt D. Thomas, & Scotus. Fortè enim non est differentia realis inter huiusmodi positionem. Quia nullum infinitum reperitur nisi Deus quatenus Deus, & Deus quatenus huiusmodi infinitus est. Iam verò secundum quòd sacræ paginæ nobis dant Theologiam, & sub ratione infinitatis, & sub ratione Deitatis, & sub ratione glorificationis &c. faceremus subiectum, vt liceret, sicut in Philosophia naturali absolutè considerata subiectum est, corpus naturale, vel ens mobile, ita in Theologia Deus vt Deus sub ratione infinitatis, & etiam bonitatis est subiectum, & sicut in diuersis partibus Philosophiæ naturalis variatur subiectum, quia in his, quæ de anima, corpus vt animatum, in his, quæ de generatione, corpus vt generabile, in his, quæ de cœlo corpus vt cœleste, &c. ita in hac parte Theologiæ Deus vt glorificator in illa, vt Saluator, reparator &c. non quod partiamur Deum in plures species, sed quòd sub diuersis modis considerandi illum accipiamus. Et hæc de huiusmodi quæstione.

Ad primū principale

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum in via de Deo possit quod quid est, vel quod sit trinus clarius sciri, quàm per lumen fidei.

Arg. princ. Primum.

IRCA secundum arguebatur, ꝙ quid est Dei, aut ꝙ Deus est trinus, aut quodcunque aliud credibile de Deo non possit hic in via clarius cognosci, siue sciri, q̃ per lumen fidei. Et videtur, quòd non quia si sic, oporter, ꝙ hoc sit in clariori lumine, quàm sit lumen fidei: clarius autem lumen nullum est in vita ista, eo quòd illud non habetur in scriptura, sed fictitium est illud ponere: ergo &c.

Secundum

Item quod clarius cognoscitur, clarius intelligitur, sed cognitio clarior de Deo, quàm per fidē est visio in seipso per speciem: Deus ergo in seipso per speciem posset cognosci in vita ista. Consequens falsum est: ergo &c.

In oppos.

Contra. Conclusiones cognoscuntur ex principijs, & cognitio principiorum resoluitur in definitiuam rationem terminorum, ex quibus cognitis cognoscuntur principia, sed rationes terminorum articuli credibilis, vt quid dicitur hoc nomine Deus secundum naturam eius, & sic de cæteris, benè cognoscuntur clarius, quàm per lumē fidei, secundum quod clarius intelligit quid dicitur nomine Deus vnus, quàm alius: ergo &c.

Responsio.

Dico secundum quod determinaui in quæstionibus ordinarijs, quòd quid est Deus, & ꝙ sit trinus, & cætera credibilia de illo clarius possunt cognosci, quàm per fidem, & hoc in clariori lumine, quàm sit lumen fidei: nisi enim clarius, quàm per fidem possent cognosci, non haberet de credibilibus clariorem notitiam, vnus fidelis, quàm alter: licèt firmiorem iuxta modum magnitudinis fidei. Quod falsum esse apparet ex hoc, ꝙ postquam de scientia Theologiæ dixit Augustinus illud 14. de Tri. Rerum diuinarum, scientia, &c. vt iam supra in quæstione præcedenti, continuè adiunxit. Quæ scientia non pollent fideles plurimi quamuis polleant ipsa fide plurimum. Istud autem pollere scientia non consistit nisi in cognitione pis claritate, quia ipsa scientia non est nisi cognitio quędam.

Obiectio.

Sed fortè dicet aliquis, quòd quia fides benè recipit augmentum benè potest aliquis ex solo lumine fidei pollere scientia fidei plurimum, qua non pollet alius plurimum.

Reiectio.

Sed dico, quòd si clarior non posset haberi notitia de credibilibus, quàm per fidem sine lumine fidei, tunc necessariò fides, & scientia hic æquiparantur, vt quantò polleret fide quis, tantò polleret hac scientia, & sic qui plurimum polleret fide, plurimum polleret hac scientia, cuius contrarium planè dicit Augustinus dicendo, ꝙ hac scientia non pollent fideles plurimi, quamuis polleant ipsa fide plurimum. Et sic cognosci, siue sciri de vera potest aliquid credibilium clarius, q̃ fide, propter quod aliquis potest per suam scientiam clarius scire credibile aliquod, quàm ille, qui scit illud sola fide.

Quod continuò ad declarationem dicti sui addit Augustinus assignando differentiam inter scire per solam fidē, & per aliam clariorem notitiā, subdēs. Aliud enim est scire tantummodò, quod homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam quæ non est nisi æterna. Aliud autem est scire quemadmodum hoc ipsum & pijs opituletur, & contra impios defendatur.

Pijs autem opitulatur per hanc scientiam clariorem quando per doctrinam maiorum, qui hac habent scientiam clariorem, fides suadetur minoribus, vt in ipsis generetur & nutriatur.

Contra impios autem per hanc scientiam defenditur, & roboratur, quando maiores, qui habēt hanc scientiam, quam sibi ex creditis acquisiuerunt, modo quo aliæ sciantiæ humanæ acquiruntur ex sensibilibus per media, & rationes, quæ per hanc sciunt.

sciunt elicere ex intellectu credibilium, sine ex credibilibus intellectis, vt ex primis principijs, respõdent versatis argumentationibus infidelium, & hæreticorum, & improbãt dicta eorum, & per hoc fidei veritatem defendunt, secũdum quod in quæstionibus alijs satis declarauimus. Vnde & sciẽtia Sacræ Scripturæ vtilis esse non potest, nisi sic intelligatur, vt ex ea media, & rationes de credibilibus capi possint, per q̃ credita posteriora ex alijs, vt ex prioribus intelligi possint: talis autem intellectus huius scientiæ non habetur nisi ex illorum credibilium intellectu, quæ prius credere suadet, vt iam dicetur secũdum Aug. in Epistola ad Consentium. *Ad primũ principale.* Quod ergo arguitur primo in contrarium. Si clarius sciri possent credibilia, quam per fidem, hoc esset in clariori lũmine. Dico, q̃ verum est: propter hoc enim inter dona gratis data eam connumerat Apostolus, & distinguit à fide, quando dicit 1. Corinth. 12. Alij datur sermo sapientiæ, alij sermo scientiæ, alij fides. Hanc enim clariorẽ notitiam sapientiam appellat, quando est credibilium de rebus æternis: scientiã verò quãdo est credibilium de rebus temporalibus, sicut clarè determinat Aug. vbi supra.

Quod ergo assumit, quòd nou est clarius lumẽ cognitiuum supernaturale in vita ista, quàm sit lumen fidei. Dico, quòd falsum est. Quod autem ad huius probationem assumitur, quòd tale lumẽ non habetur ex scriptura: & ideò ponere ipsum fictitium est: Dico, quòd vtrunque falsum est, q̃ hoc habetur ex scriptura implicitè, licèt non expressè, & vtrunque sufficit, dicente August. in ser. de Assumptione. Tanto, quę magna sunt cautius tractanda existunt, quantò specialius auctoritatũ testimonijs non possunt ad liquidum roborari, & quia quædam Scriptura Sacra veris indagationũ studijs quærenda reliquit, non superflua æstimanda dum vera indagatione fuerint patefacta. Fœcunda est enim veritatis auctoritas, & dum diligenter discutitur veram intelligentiam parit, quã manifestis sermonibus abscondit. Taliter autem Augustinus in principio super Ioann. Intelligentiam huiusmodi luminis discutit exponendo illud Ioann. 1. Vita erat lux hominum, dicit enim sic. Ex ista vita homines illuminantur, & exponit diffusè, & expressè, quòd illa, quæ lux est increata, illuminat homines duplici lumine: paruulos quidẽ lumine fidei, quo nutriantur vt lacte: maiores verò lumine sapientiæ, quo vt solido cibo vescantur, de qua sapientia dicit Apostolus 1. Corinth. 2. Sapientiam loquimur inter perfectos. Glo. Perfectos dicit non cognitores & Doctores, sed auditores iã capaces, quos & spirituales vocat: nõ capaces autem carnales, quando subdit; Non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus. Carnalibus autem iam fidelib. loquebatur, vt eos in fide nutriret: spiritualibus autem vt eos circa intellectum eorum, quæ fide tenentur instrueret, qualiter defendi & roborari possent, vt enim ibi dicit Glossa cum eadem Apostolus prędicaret spiritualibus, & carnalibus quiquo pro modulo suo capiebant; illi vt paruuli, isti vt maiores, illi vt lactis alimentum, isti vt cibi solidamentum, quia etsi non audiunt amplius, tamen intelligunt amplius: non enim æqualiter mente percipitur, etiam quod in fide pariter ab vtrisque recipitur. Quod autem aliud sit lumen fidei, quod accipiunt paruuli, aliud verò lumen sapientiæ, quod accipiunt maiores, expressè declarat August. super illud Ioan. 1. Vita erat lux hominum, sic inquiẽs, Multi sunt animales nondumque se possunt ad spiritualem intellectum erigere, quod dicitur, In principio erat verbum, hoc animalis homo non percipit. Quid ergo? si lebimus hic? quare ergo legitur si filebitur? aut quare auditur si non exponitur? Sed vt quid exponitur si non intelligitur? Ecce quam manifestè vult, quòd propter intellectum credibiliũ exponenda sunt illa, quæ sunt cõtenta in Sacra Scriptura, & quòd hoc sit in vita ista per aliud lumẽ, quam sit lumen fidei apertè declarat Aug. subdẽs. Erat Ioannes de illis montibus, de quibus scriptũ est: Suscipiant mõtes pacem populo, & colles iustitiam. Intelligit enim per pacem sapientiã, qua maiores illuminantur post fidem.

Iustitiam autem appellat fidem qua illuminantur minores subdens. Colles paruulæ animæ sunt; montes excelsæ animæ sunt. Quæ est iustitia quã colles accipiunt? fides: non autem acciperent minores fidem, nisi maiores ab ipsa sapientia illuminarentur, vt possent paruulis traijcere qđ possent capere. Suscepit pacem mons iste, contemplabatur Deitatem verbi. Appellat autem istud contemplati intellectualem notitiam, ad quam excitat auditores capaces subdens. Erigite vos ad eius sensum, si nondum potestis intelligere inuocate auxilium à Domino. Si non potes cogitare quid sit, differ vt crescas, accipe lac vt nutriaris, & sis validus ad capiendum cibum. Ecce, q̃ fides primo est in paruulis sine intelligentia, sed in fide nutritur, vt validus fiat.

Factus autem validus ad intellectum suscipiendum lumine superiore illuminatur, dicente Aug. ibidem in sermone 5. Poterunt mentes magnæ, quæ montes dictæ sunt, quas maximè illuminauit lumen iustitiæ, secundum quod dicit contra Epistolam fundamenti. Ego Catholicam fidem profiteor, & per illam me ad certam scientiam venire præsumo, & ita iam non hominibus, sed ipso Deo intrinsecus mentem nostram illuminante, atque firmante, propter quod dicit August. supra iam. Si nondum potestis intelligere inuocate auxilium à Domino, & hoc non ad fidei generationem, vel augmentum, quia ex illa quantuncunque homo in illa posset non haberetur intellectus secundum scientiam, sed ad ipsum scientialem intellectũ supra credere per fidem, & sic alio, & alio lumine illuminatur fidelis ad credendum, quàm ad intelligendum, & est clarius lumen quo intelligit, quã

quo

quo credit, & nõ est hoc fictitium, nisi illis, de quibus dicit August. ibidem super Ioan. Stulta corda istam lucem capere nõ possunt: ipsi enim tenebræ sunt. Quòd ergo Deus quærit ostendere lumẽ illud clarius, idem est, ac si diceret Pelagius Augustino, tu dicis, ꝙ liberum arbitrium non potest velle bonum sine gratia: ostende ergo nobis illã gratiã, aut si diceret Iudæus Christiano, tu dicis gratiam dari in baptismo, ostẽde illam. Re vera spirituale lumen, vel gratia non est tale quid vt non habenti possit ostendi. Sed ille solùmmodò benè nouit, qui accipit. Et est magnum mirabile, ꝙ in quacunque alia facultate peritus nititur scientiam suam quantum potest extollere: soli autem Theologi quidã vt Philosophiam videant exaltare, Theologiã deprimunt asserentes ipsam non esse verè sciẽtiam, nec credibilia posse fieri verè intelligibilia in vita ista. Tales sibi viã sciendi, & intelligendi credibilia præcludunt, & alijs desperationem intelligendi illa incutiunt, quod valdè pernicioſum est, & damnosum Ecclesiæ, & periculosum dicere: immò potius suadendum est, ꝙ certa ratio haberi potest de credibili per quam verè sciri, & intelligi potest in vita ista. Ad cuius intellectum sciendũ, ꝙ credibilib. ratio adhibetur dupliciter. Vno modo ante fidem habitam. Alio modo post fidẽ habitã. Primo modo dupliciter. Vno modo ad fidei apprehensionem, vt ratione probetur id, qd credendum est prius, q̃ credatur, qualiter promittebant se reddituros rationem de credibilib. Manichæi, vt patet per Aug. libr. cõtra Epistolam fundamenti, in quo ostendit hoc esse impossibile. Alio modo ad suadendum, qd ante rationem illo modo inductã credendum est: post fidem aũt ratio adhibẽda est, vt primo tradita postea intelligantur. Vnde Aug. contra Consentium, qui non putauit rationẽ vllo modo adhibendam esse credibilib. vt intelligerentur, sed solùmmodò auctoritatem, vt crederent, dicit sic. Si fides (inquit) ex ratione disputationis, & non ex credulitatis pietate apprehẽderetur, nemo præter Philosophos beatitudinem possideret, sed non tàm ratio requirenda, q̃ auctoritas. Vide ergo ne debeas maximè de hac re. s. d vnitate Deitatis, & discretione personarum, in qua præcipuè fides nostra consistit, solam auctoritatem credere, nec eius intelligentiæ quærere rationem. Respondeo. Neque. n. cum cœpero te in tanti huius secreti intelligentiã vtcunq; introducere, quod nisi Deus intus adiuuerit non potero, omninò aliud differẽdo facturus sum, q̃ rationẽ, vt potero redditurus, non vt fidem respuas, sed vt ea quæ fidei firmitate iam tenes, etiam rationis luce respicias. In reb. ergo ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione percipere nondum valemus, fides præcedat, qua cor mundet, vt magnæ rationis lumen capiat, & perferat. Hoc vtiq; rationis est: & ideò rationabiliter dictum est per Prophetam, nisi credideritis non intelligetis, vbi procul dubio discreuit hæc duo: deditq; consilium quo prius credamus, vt id qd credimus intelligere valeamus. Si ergo rationabile est, vt magna quædam capiantur, quæ capi nondum possunt, fides antecedat rationem, procul dubio quantulacunque ratio, quæ hoc persuadet antecedit fidẽ. Proprerea monet Apostolus paratos nos esse debere ad responsionem omni poscenti nos rationem de fide, & spe nostra, qm̃ si me infidelis rationem poscit fidei meæ, hanc ei reddo rationem, qua videat, q̃ præpostere poscat rationem earũ rerum, quas capere non potest. Si aũt iam fidelis ratione poscat, vt qd credit intelligat, capacitas eius intuẽda est, vt secundum rationem reddi, tàm sumat fidei suæ, quantam põt intelligẽtiam: maiorẽ, plus capit, minorem, minus: dum tamen quousq; ad plenitudinem cognitionis perfectionemq; perueniat, ab itinere fidei non recedat, quam diu non diminuerimus, non solum ad tantã intelligentiã rerum incorporearum, & immurabilium quãta in hac vita ab hoĩb. capi põt, verum et ad summitatem contẽplationis, quã dicit Apost. facie ad faciem, veniemus. Sed expedit quorundam occultam esse rationem, nè rationis cognitione vilescant. Hæc dixerim, vt fidem tuam ad amorẽ intelligentiæ coarctate:, ad quã ratio vera perducit, cui fides animum præparat, in qua qui eiusdem rectitudinem per Dei gratiam comprehendere potuerunt, humili pietate cõfessi sunt sibi in ea fuisse primos piscatores, non solum credẽdo firmissimo robore: immò etiã intelligendo certissima veritate, ac per hoc qm̃ id quod ad eã pertinebat fides egit: ideò consequens ratio aliquid eorum, quæ inquirebat inuenit. Porrò aũt qui vera ratione iã quòd tantùmmodò credebat intelligit, profectò præponendus est ei, qui cupit adhuc intelligere quod credit. Si aũt nec cupit, & ea quę intelligẽda sunt credenda tantùmmodò existimat, cui rei fides prosit ignorat. Intellectum ergo ama, quia & ipsæ Scripturæ Sanctæ, quæ magnarum rerũ ante intellectum suadent fidem, nisi eas rectè intelligas vtiles tibi esse non possunt. Oẽs. n. hæretici, qui eas in auctoritate recipiunt, non ꝙ eas contemnunt, sed ꝙ eas non intelligunt hæretici sunt.

Ad secundum, quòd clarior cognitio de Deo, quàm per lumen fidei est vitio, quæ haberi non potest in vita ista: ergo &c. Dico, ꝙ circa diuina differunt credere, intelligere, & videre. Credere emẽ est assentire veritati credibilis per intellectum ex habitu fidei cum voluntatis imperio, secundũ modũ quo oportet credere Doctori oẽm qui discit, quemadmodum ille, qui credit Solẽ eclipsari nũc, non habendo ad hoc demonstrationem, quàm habet magister suus, nec uidet oculis interpositione Lunæ inter nos & Solem, sed sic esse tenet ex solo dicto magistri sui. Intelligere aũt est cognoscere aliquid ex alio per discursum rationis, uel definitiuũ, uel syllogisticum, qualiter Doctor Astrologus intelligit per demonstrationem Solem nunc eclipsari, quod oculis non uidet. Videre autem intellectualiter est oculo mentis Deum ex nuda eius

præsentia.

præsentia conspicere, quemadmodū quis videt eclipsim oculis carnalib. videndo Lunā positam inter nos & Solē. Et ūc licèt intelligere diuina cōtingit clariori lumine, q̄ credere: multū in distat intelligere à videre, & differt ab ipso. Oē.n. credere, & similiter uidere ptopriè dictū est intelligere, quoddam, sed nó è cōuersò, sm quod hoc alibi diffusius declarauimus. Largè tamen accipiendo uidere, credere, & intelligere: possunt dici videre quoddam. Est enim credere videre quoddam dicente Aug. in Epist. prædicta. Habet fides oculos suos, quibus quodammodò verum esse videt, quod nōdum videt, & quibus certissimè videt nondum se videre, quod credit. Etiam intelligere dicto modo videre quoddam est, dicente eodē: sermone 1. super Io. Videns Ioannes dicebat in principio erat verbum, viderunt hoc mentes magnæ, & vt peruenirent ad id qđ viderunt de longè, à cruce Christi non recesserunt: paruuli a ātē, qui non pñt hęc intelligere non recedentes à cruce, perducunt ad id, qđ non vident. Consimiliter largè, & credere in p̄senti, & videre in patria, intelligere quoddam dici possunt. Ad declarationem autē ampliorem horū oīum & dictorum meorū hic & alibi, Notādus est ordo actus credendi, siue eius quod est credere ad actum intelligendi, siue ad ipsum intelligere, & ordo auctoritatis ad rationem, & è conuersò. Sciendum est.n. ꝙ licèt omne, quod quis nouit, inueniendo, vel addiscendo nouerit: ñ nosse inueniendo per semetipsum necessariò præcedit nosse addiscendo ab alio; qui.n. nihil omninò nouit ex seipso, nihil oīnò potest discere ab alio: & ideò quę quis nouit ex se nouit adminiculo sēsus ex natura rei illa intelligendo, præter illa, quæ quis nouit ex alio discendo, ipsum intelligere aliqua, quæ naturaliter possunt cognosci adminiculo sēsus necessariò præcedit omne credere non solùm ex auctoritate alterius, aut ex habitu infuso, sed etiam credere ex argumentatione, quæ est ex probabilibus, qualem fidem & credere generat syllogismus topicus. Ante inquam credere ex tali fide, immò ēt ante talis fidei generationem necessariò præcedit intelligere incomplexorum, & principiorum complexorum, ex quibus concluduntur conclusiones, quibus talis fides generat, licèt tale intelligere necessariò præcedit habitus fidei supernaturaliter infusæ, qui paruulis infunditur in baptismo ante omnem actum intellectus. Et ideò vlterius licèt in discendo ab alio oportet eum credere, qui discit tamen istud credere, & ipsam fidem qua sic credit, qui est habitus generatus ex syllogismo topico, oportet præcedere ipsum intelligere prædicto modo, & similiter rationem topicam oportet præcedere auctoritatem qua docenti creditur.

Nullus enim credit alicui auctoritati, nisi prius suasum sit ei ratione saltē topica, ꝙ debuit illi credere, & sic intelligere, & ratio omninò præcedit credere ex rōne, & auctoritatē cui creditur, non solum auctoritatē cui creditur ex tali ratione, sed & auctoritatē cui creditur ex virtute habitus infusi, licet vt dictū est talis fides sēdm habitum in paruulis baptizatis præcedat oē intelligere, & oē credere. Ipsum aūt intelligere, quo intellectus intelligit supernaturalia, & p̄ consequēs habitum generatum ex tali intelligere, & suadentem ratione n, qua habet talis habitus generari, præcedit necessariò ipsū credere ex habitu infuso. Sed pp ipsum credere procedens ex tali habitu infuso distinguendum est ex parte credibilium, ꝙ. l. sunt q̄dam quæ ita creduntur, ꝙ nunquam intelliguntur vt facta historica: quædam verò ita creduntur, ꝙ postea intelliguntur, vt illa, q̄ pertinent ad diuinam naturam, de quib. principaliter Theologica scientia est, de quib, tamē antequam credant oportet præintelligere naturali intelligentia quid p terminos eorū significatur, p̄cognitione. s. quid est quod dī per nomen saltē generalissima, & confusa, quę necessariò trahit ortum à sensu, vt secūdū hoc omnem intellectum, & scientiam, qui hñr de credibilib. post fidem infusā oporteat quodammodò redire in sensum. Postq̄ aūt tale intelligere terminorū incomplexorū alicuius cōplexi Theologici habitum est dicto modo ex sēsu, puta quid est Deus, quid esse, quid trinus, quid vnus, licèt nō vt est complexū credibile, sed magis vt naturaliter cognoscibile, cū postmodum ex illis terminis ex auctoritate Sacræ Scripturæ, seu Dei proponunt articuli credibiliū complexi ex illis terminis incōplexis constituti, quibus articulis pp illā auctoritatē cū adiutorio fidei infusæ credit, & firmitèr eorū veritati assentit, præparata est via ad intelligendū supernaturaliter illa incōplexa adiutorio supernaturalis luminis excedentis fidē, & lumen fidei cognitione magis determinata, & magis particulari, q̄ erat cognitio, quā Philosophi ex puro lumine naturali potuerunt habere de illis. Qua quidē cognitione acquisita quasi via diuisiua, & definitiua cognoscitur quid est res in se modo clariori, q̄ nata est cognosci in via, vt quid est Deus, quid est esse, quid trinus, quid vnus, & hoc, q. isti termini sunt termini cōplexionis intelligibilis in se maximē, licèt primò nobis vt credibilis ex auctoritate scripturæ propositæ pp debilitatē nostri intellectus respectu illius, quib. terminis cognitis in ipsis statim cognoscunt complexa ex quib. constituuntur, vt principia tàm extrinseca, q̄ intrinseca scientifica in Theologia, vt ꝙ Deus est, ꝙ Deus est vnus, ꝙ Deus est trinus, quæ sunt principia extrinseca in demonstratione Theologica. Et consimili modo in eodē lumine virtute talium principiorum extrinsecorum cognoscuntur principia Theologiæ intrinseca, & ex illis connexione demonstratiua cognoscunt conclusiones, quæ ex illis sequuntur, quę non in se, nec ex se cognoscunt cognitione suorum terminorum, sed solùm ex principijs, & in illis cognitis cognition e terminorum, & per hoc hñ habitus intellectiuus de principijs tàm extrinsecis, quàm intrinsecis Theologiæ, & scientificus simpliciter de conclusionibus credibilibus.

Comment. in Quæstionem secundam, quæ est,

Vtrum in via de Deo possit, quod quid est, vel quod sit trinus clarius sciri, quàm per lumen fidei.

IN titulo, per lumen fidei intelligitur illud lumen, quòd datur in baptismo, quo præsertim assentit deinde intellectus adulti actualiter articulis fidei, ac cæteris, quæ addit reuelata, & credibilia credenda.

In corpore respondetur quæsito, & obiectio quædam reijcitur.

De primo, conclusio est: Quòd omnia credibilia clarius possunt cognosci, quàm per lumen fidei.

Probatur, quia si non sic, sequeretur quòd alter altero non haberet clariorem noticiam de credibilibus, licèt fidem iuxta modum magnitudinis fidei, sed consequens est falsum, ergo & antecedens. consequentia patet, falsitas verò probatur ex Augustino, &c.

De secundo, obiecto reijcitur, vt patet in litera, quæ facilitèr legi potest, &c.

Super hoc autem not. quod habet D. Ant. 4 par. tit. 9. c. 3. § 5. & 6. Nempè tametsi eadem sint credenda omnibus, non tamen eandem noticiam habent omnes; sed tamen lumen fidei potest esse maius, tum respectu credendorũ, cùm etiam personarum, ratione maioris explicationis, vel maioris deuotionis; vel maioris illustrationis diuinæ, vbi Doctor noster primam rationem respicit, quòd scilicet augetur fides, quia maior notitia est illud lumen, quo clarius cognoscuntur credibilia.

Not. verò, quod Scotus in 3. sentent. dist. 24. quæstione vnica pluribus exagitare Doctorem nostrum conatur, vt eius sententiam prorsus labefactet. Et quidem.

Primo, quoniam ex Auctore colligitur, quòd hoc lumen, quo clariùs scit aliquis credibilia stare simul cum fide, cum sit scientia, illud sequitur, quòd scientia, & fides stant simul. Hoc videtur falsum, inquit, quia lumen illud non facit cognitionem intuitiuam de credibilibus, sed scientiã abstractiuam, & tunc tota scientia geometriæ posset ab aliquo haberi simul cũ fide.

Secundò ad idem scientia & opinio non simul stant de eodem, igitur nec fides & scientia.

Quoniam autem respondet Auctor, q opinionis ad scientiam est duplex differentia: prima, quia scientia dicit certitudinem, & opinio formidinem; alia quod scientia habet euidentiam ex parte rei: opinio aũt non, sed fides sicut scientia habet firmam adhæsionem, & certitudinem; ideò fides minus repugnat scientiæ, ideò possunt simul stare, non aũt opin. & scientia.

Contra, inquit, quælibet duo extrema contradictionis de eodẽ sunt incompossibilia æquè inter se, sed certitudo, & non certitudo de eodem sunt talia extrema, igitur sunt incompossibilia, & per consequens opinio, quæ habet non certitudinem, & scientia, quæ habet certitudinem; cum igitur scientia habeat euidentiam ex parte rei, & fides non euidentiam, cum euidentia, & non euidentia de eodem contradicant, non stabunt simul fides, & scientia.

Tertiò, notat Scotus, q Auctor dicit scientiam non posse præcedere fidem, sed necessariò sequi, & contra id arguit. Aut hoc propter formalem repugnantiam habituum inter se, scilicet quod fides non posset in esse post scientiam habitam, aut propter formalem repugnantiam obiectorum. Non primũ, quia nec posset scientia succedere, q si succedit, & cõpossibiles sunt habitus, non est, q non possit præcedere. si secundum, haberur propositum, quia obiecta æquè distinguuntur secundum rationes formales post fidem positam, sicut ante.

Quartò notat, q Auctor velit illud lumen clarius lumine fidei dependere à fide tanquam à causa. Et arguit contra. Illud quod ex propria ratione sui non dependet essenrialiter à voluntate, non dependet essentialiter ab aliquo essentialiter dependente à voluntate. Sed scientia speculatiua à quocunque lumine habetur non dependet essentialiter à voluntate, sed præcedit voluntatem, igitur nec ab eo, quod essentialiter dependet à voluntate cuius modi est fides, igitur scientia, seu cognitio faciens scientiam non dependet à fide essentialiter.

Quintò notat, q velit Auctor lumen illud causare scientiam, & arguit, quod non sufficiat. Impossibile est, inquit, intelligere aliquam conclusionem mediatam, nisi prius natura saltem intelligantur aliqua principia immediata, ex quibus illa concluditur, quia tota euidentia conclusionis dependet essentialiter à principijs, sed principia immediata non possunt intelligi nisi prius apprehendantur, vt sunt termini principiorum immediatorum. Igitur illud lumen, quod non facit apprehendere terminos, &c. Sed lumen, quòd tu ponis non facit concipere, nec apprehendere terminos, &c. igitur &c.

Probatur, quia nullum conceptum habet in aliquo lumine de Deo trino, & vno, quem non possit habere hæreticus, & infidelis. Quod patet, inquit, ex hoc, quia eundem conceptum, quem ego affirmo de istis terminis, & de conclusione facta, ipse hæreticus negat, sed certum est, quod hæreticus non habet conceptum terminorum, distinctè sub proprijs rationibus, igitur nec ego habeo, sed talis apprehensio terminorum principiorum requiritur ad hoc, q conclusio sequens sciatur, igitur tale lumen non sufficit ad scientiam.

Sextò ad idem. si lumen, inquit, istud causaret apprehensionem terminorum principiorũ sub proprijs rationibus, tunc principia essent certissima non solùm ex adhæsione per fidem, sed etiam ex euidentia terminorum abstractiuè apprehensorum sub proprijs rationibus, & per consequens conclusio sequens esset euidentissima, & ita Theologia esset certissima scientia ex euidentia terminorum, & esset certior alijs scientijs abstractiuis: ex quo, in. termini apprehenduntur sub proprijs rationibus & in ipsis est tota necessitas, & certitudo principiorum conclusionum, Theologia esset certissima s. etia ex euidentia obiecti, quod ipse negat.

Septimò notat, q quærentibus quod nam sit hoc lumen, respondeat Auctor, q non potest, illi autem percipiunt hoc lumen, quod recipiunt. Et arguit contra. Charitas potest ostendi, & actu interiori, quo inuenit homo se promptum ad diligendũ Deum, & exteriori, quo feruet in actibus extrinsecis pro aliquo dilecto, sicut aliqua scientia ostenditur actu interiori intelligendo, & exteriori in benè docendo, sed tales, qui habent hoc lumen secundum eos non melius docent, nec firmius adhærent in mente credibilibus propter lumen istud, quam alijs simplices non habentes huius modi lumen, sed frequenter minus, igitur non debet poni.

Octauò arguit ex Philosopho, dum contra Platonem agit ponentem rei nos esse habitus absconditos, quod reputat inconueniens eos latere, sic in proposito.

Nonò, quærit de hoc lumine, aut infunditur cum baptismo, aut post, cum homo applicat mentem. si primum, igitur existens in deserto, sine Doctore posset inuenire totam Theologiam. si secundum. ergo eius influxio non esset miraculosa.

His argumentationib exagitat Docto. nostrum Scotus, quib. tamen non est difficile respondere quibusdã prius adnotatis.

Nos itaque primo diligenter, quæ sit Auctoris nostri sententia circa huiusmodi lumen. & certè id cognoscetur facili exemplo. Esto Doctor quidam Sacræ Theologiæ, qui tòto tempore vitæ suæ rebus Theologicis operam dederit Catholicus, & fidelis existens, vt supponi debet. Et esto quis simplex artifex, qui nunquam literas didicit, fidelis tamen, & in Deũ credens & duodecim articulos fidei, quibus protestatur fidem suam, vel quotidie, vel secundum temporis exigentium nouit. Quærimus, quæ nam maior sit fides, an Doctoris, an artificis? certè hic distinguere oportebit, quod vel id intelligitur ex parte eorum, quæ creduntur, vel ex parte eorum, qui credunt. Non quidem primum, quia vtique vnus Deus, & articuli quidem prorsus inuariabiles. Cæterum ex parte credentium nulli dubium est, quod maior est in Doctore, quam in simplici illo idiota. Quòd apertissimè colligit Auctor ex Augustino, vt videre est in litera.

Ium.

Iam verò vnde hæc maioritas fidei attenditur, nisi ob notitiam clariorem eorum, quæ creduntur existentem, atque maiorem in Doctore, quàm in simplici idiota? Nunc autem clarior ista notitia cum non sit eadem prorsus, cum notitia, quam habet idiota ille, alia erit. Et quidem illud lumen, de quo sermo est in præsentia. Quo fit, vt ipsum lumen ipsa met scientia sit, siue cognitio, quæ quidem dicitur scientia, & fides procedens ob ea, quæ modo dicemus.

Not. propterea secundò. Quòd ea, quæ creduntur sunt in duplici differentia; quædam enim sunt, quæ cum creduntur ab omnibus sciri debent: quædam verò, quæ tamesi non sciantur, nec necesse sit ab omnibus sciri, credi tamen ab omnibus debent. Primi generis sunt duodecim articuli fidei; secundi generis verò, quæ in Sacris Scripturis passim, vltra hæc leguntur, quæ si sciri necessariò deberent, ab omnibus, plurimi prorsus saluari non possent, cum innumeri prope sint idiotæ, qui nunquam literas didicerunt, nec addiscere possunt.

Nunc autem cum ex varijs Sacræ Scripturæ locis, tanquam principijs deduceretur plures conclusiones, quæ nobis inducant ea, quæ in duodecim articulis continentur: vt Prophetarum testimonia, atque Sanctorum, & ex fontibus veræ Philosophiæ deducuntur rationes, quæ ostendunt credibilia, immò & credita non esse impossibilia, hinc est, quod sapientes Theologi clarius agnoscunt credibilia, quam idiotæ: cognitio autem ista clarior, lumen illud est. Quod dicimus, & scientia quædam esse videtur, inquantum videtur habitus conclusionis, tametsi non sit per demonstrationem acquisitus, cuius principia naturalia sint, & humana, sed per demonstrationem, cuius principia supernaturalia sunt, quæ vocantur de genere illorum, quæ creduntur quidem ab omnibus, sed sciuntur tantum à maioribus, sapientioribus. Et hinc est, quod dicit Auctor lumen hoc fidei succedere, & non præcedere, quoniam principia illa creduntur, & credita à sapientibus sciuntur, ex quibus deducuntur illa, quæ etiam ab idiotis creduntur, atque sciuntur: quantum verò spectat ad rationes, siue principia ex fonte Philosophiæ deprompta, ipsa non probant nisi possibilitatem, vt ideò, quemadmodum inter respondendum ad argumenta patebit, non est verum, q̃ lumen hoc, siue hæc cognitio simpliciter præcedat ipsam fidē. Hæc voluimus adnotare præter ea, quæ adnotarunt sumus inter respondendum ad argumenta.

Ad primum igitur dicimus; quòd cognitio, vel scientia abstractiua duplex est, alia quidem, quæ innititur principijs fidei cognitis, & alia, quæ innititur principijs intelligentia illa cognitis, de qua, & de quibus Aristoteles in analiticis posterioribus sermonem habet, & procedunt tandem ex cognitione sensitiua.

Hunc autem illa non euacuat fidem, hæc autem euacuat. In proposito, cognitio hæc, siue lumen est primi generis, non secundi; geometriæ verò scientia est secundi generis, non primi, & ideò non valet argumentum.

Ad secundum, scilicet ad contradictionem responsionis Auctoris, dicimus, quòd euidentia scientiæ abstractiuæ ex principijs cognitis per intelligentiam, quæ oritur à sensu, contradicit non euidentiæ, quam dicit fides.

Iam verò euidentia scientiæ abstractiuæ proficiscentis ab ijs, quæ lumen adhuc fidei requirunt, non contradicit ipsi fidei, nisi quatenus accipitur fides in diuersis; vt in idiota, & sapiente. Vnde intelligendum, quòd in eodem sapiente illud lumen stat cum fide, & lumen illud potest dici scientia, vt dictum est, & fides, quæ vtiq; fides eadem est, quæ prius, sed perfectionata. vnde non datur in eodem euidentia, & non euidentia, sed sola euidentia, quia est fides & scientia fides, quatenus prouenit à fide; à fide enim non est nisi fides: scientia verò, quia sit tanquam habitus conclusionis in sapiente, per demonstrationem, quæ dicta est, acquisitus.

Ad tertium dicimus, quòd non potest præcedere fidem propter repugnantiam principiorum talis euidentiæ, scilicet quo ea sunt annexa fidei, vt dictum est in nor. quo fit, vt sit insufficiens illa diuisio. Et si præcederet, tunc fides præcederet fidē, quod est falsum simpliciter, & si possit dici, quòd fides principiorum præcedit fidem conclusionum.

Ad quartum dicimus, quod in hoc argumento Scotus supponit fidem esse essentialiter dependens à voluntate, quod verum est, quo ad primum suū actum, sed principaliter est in intellectu: obiectum enim fidei est verum, & hoc non est nisi in intellectu. Formale obiectum fidei est ipsa prima veritas, propterea est in intellectu principaliter, & si voluntas imperet actum. vnde si non quatenus dependet à voluntate ipsa fides est id, vnde nascitur istud lumen, procul dubio nascitur, quatenus est in intellectu, & ab intellectu ipsa dependet.

Ad quintum dicimus, quòd Scotus videtur in hoc argumento supponere, quod eodem habitu apprehendantur conclusiones, atque principia, quod est falsum, quia ille dicatur scientiā: hic verò intelligentia, lumen hoc est scientia, non intelligentia, ideo sufficit quòd sit habitus conclusionis: principia autem harum conclusionum habentur lumine fidei illius, quæ omnibus fidelibus communis est, quo ad credulitatem, non quo ad cognitionem, vnde si non facit cognoscere principia, nihil refert.

Ad sextum. Per principia nescimus quid intelligat Scotus, an articulos fidei? Attendat, quòd articuli fidei possunt dici principia, & possunt dici conclusiones. Dicuntur principia absolutè ipsius fidei, sed tamen sapientibus sunt conclusiones, quæ ab illis sciuntur scientia certissima illa euidentia, quæ habetur ex alijs principijs fidei, non ex principijs cognitis per intelligentiam, quæ ortum ducit à sensu.

Dicimus itaque, quod lumen istud causat cognitionem principiorum, scilicet articulorum fidei, nempè causat cognitionē clariorem, & manifestiorem, quam sit in idiotis. Et talis cognitio est certissima in quantum lumen fidei certitudinem ipsam dare potest.

Ad septimum. Aduertere debuisset Scotus, quòd nunquam fecit mentionem Auctor de charitate, sed vtique de gratia, vnde quod assumit de charitate fortè non est ad propositum, sed quoniam fortè dicere posset Scotus gratiam, & charitatem idem esse, secundum quod Quodli. 4. q. 10. sustinet Auctor; dicimus, quod eodem modo etiam potest ostendi hoc lumen, & hoc non negat Auctor, quia ideo vult necessarium esse, quod aliqui habeant hoc lumen, vt cæteros erudiant, atque infidelibus, & prauis resistant, sed negat illud ostendi posse, secundum quod volebat Pelagius ostendi gratiam, quæ vtique ostendi non potest ad sensum, vnde sicut habēs gratiam operatur faciliter bonum, ita habens hoc lumen potest docere, & alios erudire, & sentire id se posse.

Ad octauum dicimus, quòd non est simile de gratia, & lumine hoc cum eo, quod ponebat in nobis Plato, quia illud, quod ponebat Plato non erat subditum voluntati volentis, & intellectui, vt volens posset intelligere ideas per rationes inserta, sed egebat extrinseco excitante, quo eleuaretur &c. lumen autem istud habenti est notum, & cum vult, potest illud, alios erudiendo exercere:

Ad vltimum dicimus, quòd hoc lumen labore, atque studio acquiritur cum auxilio Dei, ac præceptorum, & est miraculum, & non est miraculum, quòd montes magni habuerint, &c. Est miraculum, quia superat vires naturæ vera scripturarum intelligentia, non est miraculum, respectu laboris, & vigiliarum in studio Sacræ Scripturæ, atque vel miraculum est, quo ad vera Sacrarum Scripturarum intelligentiam, non est miraculum, deinde quo ad applicationem illorum ad credita prius. Naturale enim est in principijs conclusiones deducere, tametsi supernaturale sit apprehendere principia.

Hæc sunt quę dicere voluimus ad argumenta Scoti. Et not. quod sententia D. Thomę, 1. p. q. 1. art. 5. non differt multum à Doctore nostro, tametsi alio tendat.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum non habens rationem cogentem ad aliquam partem contradictionis possit illi assentire sine formidine.

Arg. prim.

CIRCA tertium arguitur, quòd non habens rationem cogẽtem potest assentire vni parti cõtradictionis sine formidine, quia sic assentitur articulis fidei.

In oppos.

Contra. Ratio demonstratiua facit assentire sine formidine: ratio autem probabilis cum formidine: quicunq; autem assentit alicui parti assentit, illi ex ratione: igitur quicunque assentit sine formidine, assentit ratione demonstratiua: aliter enim essent contradictoria simul, scilicet assentire cum formidine, & sine formidine.

Ad arg. in oppos.

Dico, quòd assentire contingit alicui parti cõtradictionis dupliciter. Vno modo ex ipsius cogniti claritate in sua veritate. Alio modo ex habitu infuso cum ipsius voluntatis imperio.

Primo modo nulli assentitur sine demõstratione, siue veridica ratione, siue in diuinis, siue in humanis pro statu huius vitæ.

Secundo autem modo, scilicet ex voluntatis imperio cum lumine tamen fidei apud intellectũ benè assentitur alteri parti contradictionis sine demonstratione, & hoc sine omni ratione, qua directè assentitur ipsi quod scitur, licèt non sine ratione, qua quis suadetur quod credi debet, vt dictum est secundum August. in quæstione præced. Secundum hoc ergo concedenda est prima ratio.

Responsio, oppos.

Ad secũdum autem dicendum cum assumitur, quicunque assentit alicui parti, assentit illi ex ratione, quod falsum est, in illis, quibus assentit quis ex auctoritate maximè in his, quæ sunt fidei, quibus assentitur in adiutorio luminis fidei, & fortè alicuius doni gratuiti apud voluntatem, de quo aliquid tetigimus in quinto Quolibet, quæst. 21. Talibus autem assentitur sine omni formidine absque omni ratione, & si ad idem habeatur ratio probabilis, propter illam tamen in assentiendo nulla est formido, sicut nec scientia est cum formidine quando aliquis de eadem conclusione habet demonstrationem, & rationem probabilem simul: licèt enim ratio probabilis ex se sola formidinem ponit circa cognitum non tamẽ vt est cum demonstratione, aut voluntatis imperio.

Comment. in Quæstionem quartam, quæ est,

Vtrum non habens rationem cogentem ad aliquam partem contradictionis possit illi assentire sine formidine.

IN titulo not. quòd inducitur hæc quæstio propter ea, quæ creduntur, vt propter articulos fidei, quibus assentimus sine ratione cogente. Et not. quòd quilibet articulus potest dici altera pars contradictionis respicienda ad oppositum illi, vt quod Christus natus sit ex Maria Virgine, est articulus fidei contradictoria huic est, quod non est natus ex Maria Virgine. Nunc autem assentimus illi, non isti. Nec quidem assentimus illi per rationem cogentem. Est autem ratio cogens ipsa demonstratio, quia ratio topica non est cogens, sed suadens. Non habemus autem demonstrationem de articulis fidei nisi facti sapientes, & de ea liquendo demonstratione, de qua in præcedenti, quæ tamen non est ratio cogens.

In corpore distinguitur de eo, quod est assentire alicui parti contradictionis, & deinde duplici conclusione satisfit quæsito.

De primo. Assentire, vel est ex ipsius cogniti claritate in sua veritate, ve est ex habitu infuso cum ipsius voluntatis imperio.

Prima conclusio. Non habens rationem cogentem ad aliquam partem contradictionis non assentit illi sine formidine, vbi assensus est ex ipsius cogniti claritate in sua veritate.

Probatur hæc conclusio, quia tale assentire non est sine veridica demonstratione, ideò ad assensum sine formidine requiritur demonstratio.

Not. quòd claritas cogniti, in sui veritate est illa, vnde cognitum scitur per causam, propter quam res est, & non contingit aliter sẽ habere. Et per notiora consequenter, prioraque, immediata, & causa cogniti omninò. Hęc autem faciunt demonstrationem illam, quam de rebus diuinis habere non possumus in hac vita.

Secunda conclusio. Non habens rationem cogentem ad alteram partem contradictionis, illi potest assentire sine formidine ex imperio voluntatis cum lumine fidei, licèt non sine ratione suasiua.

Probatur hæc conclusio ex Augustino in præcedenti quæstione.

Not. pro prima parte conclusionis, quòd probari potest per fidei diffinitionem; cum enim dicat Apostolus, quòd sit argumentum non apparentium, per argumentum nil aliud intelligit nisi firmam certitudinem, secundum quod omnes Theologi exponunt.

Not. pro secunda parte, quòd ratio suasiua ad credendum non est nisi causa ipsa fidei exterior, efficaciter inductiua ad credendum, quam quadruplicem esse manifestat D. Ant. 4 par. tit. 8. cap. p. §. 2. scilicet operationem miraculorum multiplicationem testimoniorum, Tolerationem tormentorum, & propositionem materiæ credendorum.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Deus possit diligi à creatura intellectuali absque eo, quòd ab illa aliud diligatur cum eo.

Arg. prim. CIRCA quartum arguitur, q Deus possit diligi absque eo, q diligatur aliquid aliud cum eo, quia Deus potest se facere cognitum absque eo, quòd fiat aliquid aliud cognitum cum eo, secundum autem Augustin. nihil potest diligi nisi cognitum: ergo &c.

In oppos. Contra. Si Deus diligitur, proximus diligitur: proximus autem est aliquid aliud à Deo: ergo &c.

Probatio. Probatio antecedentis est, quia sequitur è contrario: proximus non diligitur, ergo Deus non diligitur, secundū quod dicitur in Canonica Ioānis. Qui proximum quem videt non diligit, Deum quem non videt quomodo diligere potest?

Responsio. Dico, quòd secundum quod procedit primum argumentum, Deus potest præsentari intellectui creato, & viatori, & beato sic, quòd simul in illo non præsentatur illi aliquid aliud, secundum quod in alio Quolibet. declaraui. Idcirco etiam benè potest diligi absque eo, quòd aliquid aliud cum ipso diligatur, licèt vno, & eodem actu intelligendi non variato posset simul aliud intelligere, & similiter eodem actu diligendi posset simul aliud diligere, quanquam fortè hoc in Deo sit impossibile, cum naturaliter cognoscit, & diligit quæcunque cognoscit, & diligit.

Ad arg. in oppos. Ad argumentum in contrarium, dico, quòd diligere, & similiter non diligere aliquid contingit intelligi dupliciter.

Vno modo enim aliquid diligitur secundum actum.

Alio autem modo secundum habitum.

Non diligere autem vno modo dicitur negatiuè: alio modo priuatiuè.

Loquendo autem de diligere secundum actum non sequitur omninò: Deus diligitur, ergo proximus diligitur, quia oppositum consequentis potest stare cum antecedente: Deus enim benè diligitur sic tamen quòd proximus non diligatur secundum actum.

Si tamen Deus diligitur secundum actum, necesse est, quòd proximus diligatur secundum habitum, quia oppositum consequentis non stat cum antecedente.

Deus enim diligi non potest si proximus non diligatur secundum habitum, quia sequitur à contrario, si proximus non diligatur secundum habitum, Deus non diligitur secundum actum.

Non diligere autem proximum secundum habitum est nō diligere priuatiuè, quia fundatur ista negatio super actum contrarium, qui est odire: qui enim odit proximum non diligit eum etiam secundum habitum.

Non diligere autem proximum negatiuè benè stat cum diligere proximum secundum habitum, quia homo non diligit proximum negatiuè, qui nec habet eius notitiam in actu diligendi Deum, nec tamen odit ipsum.

Comment in Quæstionem quartam, quæ est,

Vtrum Deus possit diligi à creatura intellectuali absque eo, quod ab illa aliud diligatur cum eo.

IN titulo not. q aliter resoluitur quæstio in corpore, & aliter in solutione argumenti, vnde in corpore quæstionis, siue secundum corpus quæstionis, titulus intelligi debet de dilectione actuali: secundum verò solutionem argumenti in oppositum, titulus debet intelligi de dilectione habituali. Quo circa duplex habetur conclusio, quarum prima probatur per primum argumentum in fronte quæstionis, secunda verò per secundum. Prima igitur conclusio in corpore quæstionis est. Deus potest diligi à creatura absque eo, quòd ab illa aliud diligatur dilectione actuali.

Probatur, vt dictum est per primum argumentum, quod exponi debet, & concludit de actuali dilectione.

Secunda conclusio. Deus non potest diligi à creatura absque eo, quod ab illa diligatur aliud dilectione habituali.

Probatur, vt dictum est, &c.

HENRICI A GANDAVO

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum Deus posset facere, quòd intellectus possit videre ipsum, & quòd tamen voluntas eum non diligat.

Arg prim. Primum.



IRCA quintum arguitur, quòd Deus pót facere, ꝙ intellectus videat ipsum: ita tñ ꝙ voluntas nõ diligat ipsum, quia intelligere, & videre sunt diuersi actus secũdũ rem: Deus aũt quæcunque realiter diuersa pót abinuicem separare secundum esse: ergo &c.

Secũdum. Item voluntas fertur in obiectum suum liberè: in eius ergo potestate est ferri in ipsum, vel nõ ferri etiam quandocunque intelligitur: ergo &c.

In oppos. Contra. In Deo est ratio omnis boni, à quo qñ videtur, voluntas auerti non potest: ergo &c.

Responsio. Dico, ꝙ voluntas licèt ad quodcunque in volendo ordinetur illud liberè velit: aliter tñ ordinatur in volendo finem: aliter aũt in volẽdo id, quod est ad finem. Ad finẽ.n. licèt ordinetur, vt velit ipsum liberè: non tamẽ sic ordinatur vt possit ipsum velle ex libero arbitrio, vt est flexibile ecdm effectum ad opposita, sed sic ordinat̃ solũmodò ad ea, quæ sunt ad finem: & hoc ideò, quia omne quod vult ex tali libero arbitrio, vult per electionẽ: quod aũt quis vult liberè per electionem, pót illud liberè velle, & non velle. Nunc aũt non pót aliquis liberè nõ velle, siue nolle per electionem aliquid nisi ex duplici causa. Vna quia intellectus cum eo, ꝙ in aliquo videt rationem boni, simul ẽt videt in eodẽ rationẽ mali, puta cum intelligit fornicationẽ sub ratione delectabilis inordinati. Alia, quia intellectus cũ eo, ꝙ videt in aliquo rationem boni, simul videt in eo ẽt rationem diminuti, puta cum intelligit fornicationẽ sub ratione delectabilis tm̃, simul intelligit, ꝙ delectatio in fornicatione est bonum diminutũ, quę diminutio ponit rationem mali, quod est defectus. Tale aũt bonum diminutum est omne bonũ, quod est ad finem, & ideò libero arbitrio semper pót voluntas ipsum indifferenter velle & nolle, siue simul appareat cũ ipso in eodem ratio mali simpliciter adiuncta, siue sola ratio diminuti, nec pót aliquid non velle, siue nolle, nisi pp aliquam istarũ duarum causarum, ita ꝙ sicut voluntas non potest aliquid velle per se, nisi aspiciẽdo ad bonum, quia nihil pót velle per se aspiciendo ad malum, vt dicit Dionys. sic nõ pót aliquid nolle per se nisi aspiciendo ad malum, quia nihil pót nolle per se aspiciendo ad bonum. Quare cum in Deo intellecto sub ratione boni, & in intellectu sub ratione, qua practicus est non pót fieri aspectus nisi ad bonum, & impossibile est, ꝙ in ipso fiat aspectus ad malũ, quia in ipso est perfecta ratio omnis boni, & nulla ratio mali, aut defectus: idcirco dico, ꝙ simpliciter est impossibile, ꝙ intellectus videat Deum vt finẽ, quod propriè pertinet ad intellectum practicum circa amabile, cum sit finis in quo est perfecta ratio omnis boni, & ꝙ voluntas nolit ipsum: immò necesse est, ꝙ statim velit ipsum, siue diligat, secundum quod processit vltima ratio.

Ad primũ principale Ad primam rationem in oppositum, quòd intelligere, & diligere sũt diuersæ actiones: ergo &c. Dico, quòd aliqua differunt re, quæ tamen nullam habent naturalem connexionem in esse, scilicet nec ex parte vnius, nec ex parte alterius, quin vnum eorum quantum est ex ordine naturæ suæ possit esse sine altero, & è contrariò, quemadmodum si sic re differunt substantia & quantitas continua, quod planum est sic esse ex parte quantitatis, licèt naturaliter sit posterior substantia: ex natura enim sua habet quantitas, quòd non sic ordinatur ad substantiam quin quantum est de potentia obedientię suę possit esse sine ea si sit agens, qui supra talem potentiam habet uim agendi, & omnia talia potest Deus separare, & facere, quòd vnum eorum possit esse sine altero, quia ipse uim habet agendi super omnem potentiam obedientiæ in omni creatura.

Alia autem differunt re, quæ tamen habent naturalem connexionem in esse, sic, quòd vnum eorum quantum est ex ordine naturæ suæ non possit esse sine altero, & hoc quia vnum eorum in esse dependet ab altero, uel ambo à tertio.

Primo modo non est factibile, quòd vnum relatiuorum sit sine altero, quia relatiua sunt, quorum esse est ad aliud quodammodò se habere.

Secundo modo in proposito uoluntas, & intellectus prędictus sic se habent in intelligendo, & uolendo Deum, quòd in obiecto sic cõnectuntur, quòd vnum eorum sine altero esse nõ potest, quãtuncunque intelligere Deum, & uelle, siue diligere ipsum differant secundum rem. Vtrum autem intelligere Deum speculatiuè, & diligere ipsum, siue uelle, possit separari Deo agente, ut scilicet beatus possit intelligere Deum purè speculatiuè, & non uelle, siue amare ipsum, de hoc potest esse alia quæstio.

Arg.p *Ad secundum.* Ad secundum, quòd uoluntas fertur liberè in obiectum: ergo in potestate eius est ferri, & non ferri in ipsum. Dico, quòd re uera in potestate eius est ferri, & non ferri quando obiectum est aliquid ad finem, & hoc non solum ex libertate, sed ex libero arbitrio, ut dictum est. Sed quando obiectum eius est finis sub ratione omnis boni, in potestate eius est ferri in ipsum, quia ferri in bonum sub ratione boni potestatis simpliciter uoluntatis est, quia non est ordinata ferri, nisi ad aliquid sub ratione boni, sed non est in potestate eius non ferri in ipsum, quia non ferri in tale bonum ostẽsum

Confir.

sub

ſub ratione boni non eſt poteſtatis uoluntatis ſimpliciter, nec etiam poteſtatis obedientiæ, ut à tali actu ſuo ſuſpendatur ab alio, quia non eſt ordinata diuerti, niſi ab aliquo ſub ratione mali ſecundũ dictos ſuos modos: & ideò licèt liberè fertur in ipſum, non tamen libero arbitrio, & quia non libero arbitrio, ideò neceſſitate nõ coactionis antecedentis, quia illa excluderet libertatem, ſed immutabilitatis cõcomitantis fertur in ipſum, & ſic poſſe ferri in bonum ſub omni ratione boni, ſcilicet in bonum, quod eſt finis, & ſimiliter in bonum qd eſt ad finem ſub ratione boni, eſt poteſtatis ſimpliciter, unum libertatis, & alterum liberi arbitrij. Poſſe autem non ferri in bonum, quod eſt finis ſub omni ratione boni, aut in malum ſub omni ratione mali non eſt poteſtatis omninò, quia utrunque eorum eſt impoſſibile, poſſe autem non ferri in bonum, quod eſt ad finem ſub ratione boni, licèt ſit ei diminutio annexa, aut in bonum, cui eſt malum annexum, non eſt poteſtatis ſimpliciter, ſed defectus libertatis arbitrij.

Comment. in Quæſtionem quintam, quæ eſt,

Vtrum Deus poſſet facere, quòd intellectus poſſit videre ipſum, & quòd tamen voluntas eum non diligat.

TITVLVS clarus.

Not. autem, quòd in corpore quæſtionis non videtur ſatisfieri, quæſito, quando potius reſolutio, quæ habetur in corpore tendat ad hoc, vtrum poſſibile ſit, quòd voluntas non diligat Deum cognitum ab intellectu: nulla autem mentio videtur fieri in corpore de potentia Dei circa hoc negotium, & ſi ſic, vtique ſic tantum in ſolutione primi argumenti. Cæterum conſiderandum illud, quod communiter dicitur Deum non poſſe facere impoſſibilia ſimpliciter, ſquæ implicant contradictionem, quod tamen non derogat ſuæ omnipotentiæ. vnde videndo quod ſit impoſſibile, vel poſſibile voluntatem non ferri in bonum cognitum ſuæ dilectionis actu. facilè deducitur vtrum illud cadat ſub potentia Dei, nec ne.

In corpore igitur eſt concluſio, quòd impoſſibile eſt voluntatem non diligere Deum, cum fuerit cognitus ab intellectu.

Probatur autem hæc concluſio potiſſimum per argumentum in oppoſitum in fronte quæſtionis adductum, ſ. quòd in Deo eſt ratio boni, à quo volumus auerti non poteſt, quando videtur.

Not. quòd quoniam hoc videtur tollere voluntatis libertatem circa actione volitionis, qui eſt actus dilectionis; quod enim vult voluntas diligit, nec eligit voluntas, niſi quod ſecundum ſuam exiſtimationẽ eſt diligibile; In corpore declaratur hoc potiſſimum, oſtendendo ad quod nam bonum ipſa voluntas libera feratur, ita vt poſſit, ſi velit illud vel eligere, vel reſpuere. Eſt enim bonum quodl. rationem finis habens, vt docet Ariſtoteles, ſed finis vnicus eſt, ſolus eſt, qui ſimpliciter vltimus eſt. Cætera autem bona, ſi ſunt realia, tametſi fines ſint, ſunt media ad finem vltimum, ſi non ſunt bona realia; ſed apparentia, vtique non ſunt media ad vltimum ſimpliciter finem, ſed auertentia ab ipſo, ſunt verò media ad vltimum finem non ſimpliciter, ſed ſecundum exiſtimationem hominum, vnde Epicurei, & Maumetani, qui ſtatuunt in voluptatibus corporeis finem, media eligunt, quæ ſunt bona apparentia, diminuta, & habentia in ſe ad mixtionem mali.

Nunc ergo voluntas ad media ita liberè ſe habet, quòd in oppoſita poteſt circa ipſa, ita vt poſſit illa eligere, vel non eligere, velle, & non velle: & ideò diligere, & non diligere. cur autem? profectò quoniam nullum medium ad finem prorſus reperitur, in quo omninò, atque ſimpliciter poſſit totaliter voluntas quieſcere. Et hoc quoniam omne medium ad bonum, quodcunque ſit illud habet rationem aliquam diminuti reſpectu vltimi finis. Idem dicendum de quolib. vltimo fine ſecundum hominum exiſtimationem: habet enim rationem boni diminuti huius modi, vnde cum voluntas in ipſo habeat vltra quod deſiderare poſſit, ibi non quieſcit, atque propterea illud eligere poteſt, itemque reſpuere.

At dum loquimur de vltimo fine ſimpliciter; ideò non poteſt illud non velle, quia habet rationem totius boni, vt in ipſo immerſa voluntas, nihil aliud ipſi reſtet quid deſiderandum, quando potius ipſa finita exiſtens, ſi quidem creatura ſit, ſaperetur in infinitum ab infinito bono, in quo voluntas diuina increata infinita quieſcat.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum habens meliora naturalia cum æquali charitate, & gloria intenſius videbit, & diliget Deum.

Arg. princ. CIRCA ſextum arguitur, quòd meliora habens naturalia exiſtens in æquali charitate, & gloria cum altero intenſius uidet, & diligit Deum, quia actus conformatur potentiæ & habitui, ſecundum quod agens agit, quare habens maiorem potentiam ex maioribus naturalibus in eadem charitate, & gloria intenſius agit ſuam actionem: ergo &c.

Confir. Quod confirmatur ſuper Auguſt. 12. ſuper Geneſ. quòd anima ſeparata retardatur, nè feratur in ſummum cœlum propter appetitum ad corpus: hoc autem non eſt, niſi quia ſeparata diminuta eſt in naturalibus: ergo &c.

Contra. Tunc minorem habens charitatem poſſet eſſe æqualiter beatus cum habente maiorẽ, quod falſum eſt. Probatio conſequentiæ. Sint. n. aliqui duo in gloria inæquali gratia, ſiue charitate, & gloria, quorum alter habeat meliora naturalia, & compẽſato eo in quo, ille excedit quo ad naturalia illud diuidatur per medium, & quãtitas charitatis, ſiue gloriæ proportionalis illi alteri partium tollatur de habente meliora naturalia, remanet ergo iſte in minori charitate, ſiue gloria, quã ille, & in maioribus naturalibus, & quantum iſte

In oppoſit.

exceditur

excedit ab illo in charitate, siue gloria tantum excedit illum in naturalibus: æqualiter ergo videbunt Deum, & diligent ille & iste, & sic erunt æqualiter beati.

Responsio. Dico, quòd in actu beatitudinis glorioso voluntatis, & intellectus duo est considerare, scilicet ordinem actus ad ipsum obiectum ad quod terminatur, & cui beatus per actum suum vnitur, & ordinē ad ipsum subiectum à quo actus elicitur, & ex ordinatione ad obiectum recipit actus formam, & speciem, ex ordinatione autem ad subiectum recipit intensionem, & remissionem penès dispositionem subiecti, vt tactum est supra quęstione prima. Sed ex parte subiecti, quod pertinet ad præsentem quæstionem, subdistinguendum est, quia dispositio subiecti secundum quam recipit actus intensionem, & remissionem, duplex est. s. naturalis potentia agentis, & habitus potētiam informātis. Et tam potentia, quàm habitus dupliciter considerari possunt, aut quo ad eorum substantiam, aut quo ad eorum feruorem ad actum eliciendum. Similiter ex parte intensionis, & remissionis distinguendum est, quia illa, aut consistit in ipsa substātia actus, vt tendit in obiectum, aut in modo expeditionis in eligendo ipsum ex subiecto.

Considerando autem intensionem, & remissionem actus primo modo, sic semper sequitur subiectum ex quo elicitur secundū dispositionem vtranque, sed principaliter ratione feruoris eius, quo ad actum merendi in præsenti vita, & quo ad substantiam actus, vt tendit in obiectum, & quo ad expeditionem eliciendi ipsum ex subiecto: secundum feruorem enim maiorem potentiæ, & habitus charitatis actus intensior merendi elicitur, & expeditiùs, & hoc meritum ex nobis est, & ex Deo. Quo ad actum verò præmium recipiendi in vita gloriosa, quo ad intensionem, & remissionem eius in sua substantia, vt tendit in obiectum solum sequitur secundum dispositionem habitus, quia in ipso consistit meritum, cui redditur præmium secundum intensionem actus, vt tendit in obiectū, & hoc à solius Dei liberalitate. Quo autem ad intensionem modi expedite eliciendi actum ex subiecto, sequitur secūdum dispositionem vtrāque. Et ideò dico, quòd habens meliora naturalia in æquali charitate expeditiùs elicit actum intelligēdi, & volendi, quàm habens minus bona naturalia: actibus tamen intelligendi, & volendi existentibus æqualibus in vtrisque iuxta æqualitatem habituum gloriæ. Et secundum hoc concedendum est vltimum argumentum probans quod habens æqualem gloriam in melioribus naturalibus non videt, aut diligit Deum intensiùs licèt actum vidēdi, & diligendi quantum est ex se eliciat expeditiùs: nulla tamen existente difficultate eliciendi in illo, qui ex minus bonis naturalibus eliciat actum minus expedite.

Per dicta etiam patet responsio ad primum, dicendo, quòd verum est, quòd actus conformatur semper potentiæ, vel habitui, sed nō semper vniformiter actus merendi, & actus præmium recipiendi, & actus quo ad suam substantiam, & quo ad expeditionem eliciendi ipsum, sed secundum modum iam expositum. *Ad primū principale*

Per idem patet ad tertium de dicto Augustino, quoniam anima separata, quia nō est in omnimoda perfectione naturalium extra suū corpus: ideò retardatur in actu suo, non quo ad substantiam actus, sed quo ad expeditionem in eliciendo actū fruendi. *Confir.*

Nec tamen pp hoc erit beatior anima quando erit coniuncta suo corpori, quàm quando erit separata: beatitudo enim non consistit maior, vel minor in expeditione eliciendi actum, sed solùmodò in intensione, & remissione actus in sua substantia, qua tendit in obiectum, & vnit intensiùs, & remissiùs agentem ipsi subiecto.

Comment. in Quæstionem sextam, quæ est,

Vtrum habens meliora naturalia cum æquali charitate, & gloria intensius videbit, & diliget Deum.

IN titulo sciendum, quòd per meliora naturalia potest intelligi, tàm ex parte corporis, quàm ex parte animæ, vnde qui corpus habet sanum, robustum, & omninò bonæ complexionis, dicitur habere bona naturalia quo ad corpus, sicut contra nō habet, qui huiusmodi non possidet. Bona animæ possunt intelligi, ingenium, nobilitas, memoria, & si quæ talia, quibus plurimi carent; nonnulli verò possident, specialiter autem intelligitur de his animæ bonis.

In corpore proceditur per diuisiones, & subdiuisiones, & duabus conclusionibus venitur ad quæsiti resolutionem; placet autem hæc omnia ad hanc formam reducere.

In actu beatitudinis glorioso voluntatis est considerare, vel

Ordinem actus ad ipsum obiectum, ad quod terminatur, & cui beatus per actum vnitur.

Ordinem ad ipsum subiectum, à quo actus elicitur, & recipit intensionem, & remissionē actus penès dispositionem subiecti, & tunc habemus considerare, vel

Dispositionem, quæ est, vel

Naturalis potentia agentis, & hoc vel

Quo ad eorum substantiam. *Quo ad eorum feruorem.*

Habitus potentiā informātis, & hoc vel

Quo ad eorū substātiam. *Quo ad feruorē.*

Intensionem, & remissionem, quæ aut

Consistit in substātia actus, vt tendit in obiectum.

Consistit in modo expeditionis in eligēdo subiectū.

Prima conclusio.

Actus intensior merendi in hac vita expeditius elicitur ex subiecto habente bona naturalia secundum vtrumque dispositionem, principalius tamen ex feruore charitatis. Actus verò recipiendi præmium intensior elicitur ex habitu.

Secunda conclusio.

Actus intensior sic elicitur expeditius ex subiecto secundum vtrumque dispositionem.

Sic credimus solutam quæstionem. Ante omnia autem, in primisque notato, quòd quantum spectat ad primum membrum, quod intactum relinquitur distinctionis, vt patet ex litera, non habet locum in hac quæstione, & ideò de ipso non fit mentio circa conclusiones.

Not. insuper, quòd per subiectum intelligit Auctor subiectum naturalium bonorum, vt corpus sanitatis, bonæ complexionis, &c. vt anima boni ingenij, optimæ promptitudinis, memoriæ, intelligentiæ.

Per habitum verò intelligit moralem acquisitum ex frequentatis actibus, in ordine ad charitatem. Et tunc his scitis considerandum, quòd prima pars primæ conclusionis intelligitur de subiecto, quòd scilicet habens optimum subiectum, ob bona videlicet naturalia, expeditius tendit ad actum meritorium, principaliter tamen si fiat ex feruore charitatis, vnde actus bonus potest esse bonus ex se tantum sine vllo ordine ad charitatem, & ex charitate etiam. Si primò, est communis etiam infidelibus, quæ & ipsi ex bono subiecto: secundum vtranque dispositionem expeditius agunt, & actus eorum sunt meritorij si sint suo genere boni. Iuxta illud, nullum bonum itremuneratum, & si non sint meritorij pro præmio æternæ vitæ.

Actus verò bonus ex feruore charitatis, quæ præsupponit fidem, atque spem, est meritorius pro hac vita.

At pro recipiendo præmio, subiectum non est quod conferat, sed habitus iam acquisitus ex frequentatis actibus iuxta feruorem charitatis præcipuè, vt tamen id intelligamus ex diuina liberalitate.

Neque enim actus nostri sunt sufficientes, neque habitus ad præmium, nisi de congruo, & tanquam causæ, sine quibus non, vt alibi dictum est. Minus autem subiectum ipsum. Et ex his etiam patet, tum secunda pars conclusionis, cùm etiam ipsa secunda conclusio, vnde cum cæteræ videantur clara, legenti bono relinquuntur.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum in creatura intellectuali incorporea secundum augumentum procedat peccatum in infinitum.

SEQVVNTVR quæsita tria pertinentia ad creaturam intellectualem incorpoream, quorum Primū pertinet ad eius actionem, vtrum peccatum in ipsa secundum augumentum procedat in infinitum. Secundum pertinet ad mensuram actionis eius, vtrum cogitationes ipsius mensurentur mensura composita ex indiuisibilibus. Tertium verò pertinet ad eius passionem, vtrum possit pati ab igne absque hoc, quòd calefiat.

Arg prim. Circa primum istorum arguitur, quòd peccatum substantiæ intellectualis incorporeæ puta dæmonis, aut animæ separatæ procedat in infinitum, quia scribitur in Psalm. Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper: illi autem precipuè sunt dæmones, & animæ damnatorum, quorum superbia non ascendit semper, nisi semper peccando: ergo &c.

In oppos. Contra. Omne peccatum adimit aliquid habilitatis ad bonum, quia non est malum, nisi quia bonum adimit, vt dicit August. in libro de natura boni, quare cum illa habilitas sit finita; eo quòd est in natura finita, si ipsa semper peccaret in infinitum aliquando tota habilitas naturæ ad bonum consumeretur, quia aliquid quantitatis eius quantunquè modicum, quodlibet peccatum adimeret, consequens est impossibile, quia impossibile est natura manente tolli ab ipsa omnem habilitatem suam ad bonum: ergo &c.

Responsio. Dico, quòd in peccato tria considerantur, scilicet actus quo fit, & macula, quam in peccante imprimit, & reatus, siue debitum pœnæ ad quā peccantem obligat. Si consideremus peccatum primo modo, dico, q̄ procedit in illis in infinitum. Semper enim habent malos, & peruersos actus in voluntate interius, quos exterius exercēt in opus, secundum quod à Deo permittuntur. Si autem consideremus peccatum secundo modo, non video quomodo macula peccati, quæ scilicet consistit in habitu vitioso, possit plus procedere in infinitum in augumentando ex actibus malis, quàm habitus virtutis in Angelis bonis, & animabus Sanctorum ex illorum actibus bonis: habitus autem ille cum sit forma quædam creata in infinitum augeri non potest, & est eadem difficultas in hoc, & in augumento charitatis. Si autem consideremus peccatum tertio modo, sic tenet fides, quòd non augmētatur demeritum in damnatis quo ad reatum pœnæ in infinitum, quia tunc deberet semper pœna eorum crescere in infinitum, sicut nec augumentatur meritum bonorum, nec augumentatur eorum præmium.

Ad argu. principale. Quòd ergo arguitur primo, q̄ superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper &c. Dico, q̄ dictū illud si exponatur de dæmonib. & damnatis non ascendit omnino secūm augumentum macule, & reatus, sed solùmmodò secūm actuum malorū multiplicationem quo ad eorum substātiā, vt dictum est. Intelligendo autem illum ascensum secūm maculam peccati, aut reatum secundum qd exponit Aug. in originali, & hī in glossa, tunc secundū ipsum exponitur ly semper pro toto tpe præsentis vitæ. Vnde cum isto verbo exponendo verbum immediatè præcedens. Nè obliuiscaris, voces inimicorum tuorum, dicit, Noli eorum superbiam obliuisci, nec obliuiscitur enim, aut punit, aut corrigit.

Ad arg. in oppos. Ad secundum, q̄ peccatum semper adimit dehabilitate &c. Dicendum, q̄ benè probat intentū, q̄ non procedit peccatum in infinitum secundum maculam, quia per illam solam adimit solum aliquid intrinsecus inclinans ad contrarium, non autem secundum substantiam actus, licèt secundum eius deordinationē adimat ab extrinseco elongando ipsum à gratia, quia per hoc Dēus se elongat abillo, q̄ illo hoc modo se elongat à Deo. Vnde Greg. exponēs de Diabolo illud Iob. 18. Socij eius qui non est, dicit 14. lib. Mor. Qui idcirco non est, quia a summa essentia recedit, & per hoc quotidie exterescente defectu, quasi ad non esse tendit, q̄ semel ab eo, qui verè est cecidit. Et hoc est quod aliter potest dici, s. q̄ habilitas respicit duo, & naturā in qua est, & actum ad quem est. Primo modo non tollitur aliquo modo naturæ habilitas nisi tollēdo naturam, vel aliquid imprimendo naturæ, quo inclinetur ad contrariū, sed solùmmodò tollitur. Secundo modo, & hoc nihil aliud est, q̄ impedire naturalem habilitatem ad bonum à progressu in actū bonum, & est primus modus tollēdi habilitatem finitus, sicut est & ipsa natura, sed secundus vadit in infinitū, & sic tollitur per peccatum, seu minuitur habilitas ad bonum in infinitū et in dæmonibus absq; hoc, q̄ in ipsis augetur macula peccati, aut reatus: quilibet n. actus peccati in ipsis ponit in ipsis obstaculū progrediendi in actum bonū, & est in ipsis pœna quędā spiritualis, nè Deus eis impartiatur gratiam, sicut est in nobis excōicatio, nè admittamur ad ecclesiasticam cōmunionem, quæ quantò plus purificatur, tantò magis homo habet obstaculum reconciliandi Ecclesiæ, & requiritur quælibet suam absolutionem, & hoc etiam quemadmodum auis per pennas, quæ sunt in alis suis habet habilitatem ad volandum, quæ diminuitur secundum se per extractionem pennarum, diminuitur etiam per obstaculū impediēs progressum ad actū, vt q̄ aliquid pōderosum, pennis appēsum.

Comment.

Comment. in Quæstionem septimam, quæ est,

Vtrum in creatura intellectuali incorporea secundum augumentum procedat peccatum in infinitum.

IN titulo nihil dicendum, quia ex corpore quæstionis satis redditur notus. Intelligitur autem de dæmonica creatura.

In corpore distinguuntur quæ considerantur in peccato, & secundum triplicem considerationem triplex etiam habetur conclusio, sic,

In peccato considerantur hæc tria

- *Actus, quo fit* → *Prima conclusio.* Peccatum procedit in infinitum.
- *Macula, quam imprimit peccatum in peccante.* → *Secunda conclusio.* Peccatum non potest procedere in infinitum.
- *Reatus siue debitum pœnæ, ad quam peccans obligatur, &c.* → *Tertia conclusio.* Peccatum non potest procedere in infinitum.

Prima conclusio probatur, quia semper habent malos, & peruersos actus in voluntate interius, quos exterius exercent in opus, secundum quod a Deo permittuntur, subaudi Dæmones. Animæ autem damnatorum non possunt exteriori actu exercere vllo modo: non obstat autem, quòd interiori non possint.

Secunda conclusio probatur, sicut habitus charitatis in bonis non potest augeri in infinitum, ita nec in malis habitus oppositus, sed in Angelis bonis ille habitus non potest augeri in infinitum, igitur &c. Tenet similitudo, quia oppositorum est eadem disciplina. Minor propositio patet, quia charitas est forma quædam creata, nullum autem creatum est infinitum, igitur &c.

Notaueris hic, quæ iam alibi dicta sunt de augumento charitatis in quinto Quolib. quæst. 2. vbi ostensum est, neque D. Th. officere Doctori nostro, dummodò recte intelligatur legitò ibi.

Tertia conclusio probatur auctoritate vniuersalis fidei, quæ tenet non augumentari meritum in damnatis. Cætera clara videntur.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum cogitationes creaturæ intellectualis incorporeæ mensurentur mensura composita ex indiuisibilibus.

Arg. princ. CIRCA secundum arguitur, q̃ cogitationes substantiæ incorporalis separatæ mensurentur mensura composita ex indiuisibilibus, quia omnis mensura debet esse vniformis, & correspondens mensurato, secundum Philosophum 10. Metaphys. quare cum quælibet illarum cogitationum sit indiuisibilis, & tota simul sic, q̃ inter duas illarum non cadat medium sui generis: similiter ergo erit de mensuris: ergo &c.

Confir. Confirmatur autem ratio, quia sicut se habet æuum ad esse, & instans ad mutatum esse, & tempus ad motum, & æternitas ad æternum, sic & mensura illarum cogitationum ad illas, sed omnes hæ mensuræ sunt re eædem cum mensuratis, & differunt secundum rationem, & animæ considerationem: Illæ enim mensuræ se habent ad sua mẽsurata, sicut enter esse ad esse, & sicut æternaliter esse ad esse æternum. Sed ista inter se differunt tota ratione: ergo & illa. Similiter prius & posterius in motu sunt idem, quod motus, quia sunt partes eius. Tempus autem non est nisi prius & posterius in motu secundum Philosophum, & Commentatorem quarto Physicorum. Sicut ergo ex illis cogitationibus non est aliquod vnum cõstitutum, nisi ex indiuisibilibus, quare nec ex mensuris illarum.

Assumptũ de tẽpore

In oppos. Contra. Indiuisibile in tempore, vt instans sic se habet ad instans aliud, quòd si inter quælibet duo cadat aliquod continuum, vt tempus medium quod non componitur ex indiuisibilibus: ergo & similiter inter duo indiuisibilia mensurãtia dictas cogitationes: ergo &c.

Confir. Confirmatur autem ratio, quia Angelus potest continuare tanto tempore vnam cogitationem, quanto sibi succedunt plures, quod non esset nisi esset aliquod continuum inter duo indiuisibilia.

Respõsio Dico, q̃ mensura omnis, quæ est duratio, nihil aliud est nisi modus & forma qua res, cuius est mensura perseuerat in suo esse, & secundum hoc debet esse ei proportionalis, & est mensura rei permanẽtis permanens, & rei in suo esse fluentis, & non permanentis secundum eundem modũ fluens, & non permanens. Quia ergo vt procedit prima ratio cogitationes dictæ singulæ sunt indiuisibiles, & totæ simul, sed transeũtes ordine quodam vna post aliã absque omni connexione illarũ inter se, quia vna earum non succedit ex alia, eò q̃ intellectus substantię separatę non est discursiuus cogitando vnũ ex alio, sicut intellectus noster, licèt cõgitet diuersa, & vnum post aliud, propter hoc oportet, q̃ mensuræ illarum cogitationum sint singulæ indiuisibiles,

uisibiles, & totæ simul, sed transeuntes consimili modo, & absque omni connexione illarū inter se. Quia tamen ordinem quendam inter se habent, vna quædam mensura ex illis constituitur vt ex discretis, quam August. appellat tempus quando dicit Rur. c. 2. super Gen. quòd Deus mouet spiritualem creaturam per tempus, licèt non per locum. Et est tempus discretum, & ex discretis, habens potius rationem numeri, q̄ temporis, de quo loquitur Aristot. Non tamen est quantitas illa, quæ est numerus, sicut nec oratio, licèt sit quantitas discreta, sed magis conuenit cum oratione, eo q̄ non permanent partes eius simul, sicut nec orationis, partes autē numeri simpliciter permanentes sunt, & si non permanent hoc accidit eis: tale autem tēpus Philosophus ponere non potuit, quia actionem cuiuslibet substantiæ separatæ posuit esse suā substantiam: posuit enim quamlibet illarum esse Deum quendam, vt alibi declarauimus.

Secundum hoc ergo dico, q̄ mēsura cogitationum Angelorum composita est ex indiuisibilibus discretis transeūtibus, sicut & oratio, & distinguitur secundum speciem ab oratione, quia partes orationis licèt sint discretæ inter se quælibet in se, poterit habere rationem continui, & mensurari vero tempore secundum quod morari possumus in prolatione cuiuslibet syllabæ, vt eius prolatio mensuretur tempore, sicut & nostra cogitatio quando in ea perfistimus, & non est tota simul, sicut & quælibet cogitatio Angelica, & sic concedenda est prima ratio.

Ad confirmationem prima rationis. Confirmatio autem eius falsum supponit, quòd semper mensura idem est in re cum mēsurato: hoc enim contingit in solo Deo. Vnde non fuit (vt puto) illa confirmatio adducta propter argumentum, sed propter ipsam difficultatem in se, quam alibi satis declarauimus in æuo, & in æuiterno ostendendo, q̄ non sunt idem re, & idem sentio de instante, & mutatione & tempore & motu.

Nec obstat, quòd tales mensuræ sint intrinsecæ suo proprio mensurato, vt æuum æuiterno, instās mutationi, tempus motui primi mobilis, quod p illum est mēsura extrinsecam aliorum motuū, quorum illi est mensura. Frequenter enim alia accidentia intrinseca sunt suo subiecto.

Quæstio. Responsio. Sed quæret aliquis in quo prædicamento sit, & dico, q̄ est in prædicamento quantitatis, sicut principium eius, quemadmodum vnitas & punctum, & instans sunt in prædicamento quantitatis. Quemadmodum enim ex diuersis indiuisibilibus mensurantibus diuersas cogitationes cuiuscūque Angeli constituitur vna mēsura discreta, quę tempus appellatur, quia constituitur ex transeuntibus mensurantibus esse rei transeuntis, sic ex diuersis indiuisibilibus æuorum mensurantibus substantiā & esse secundum substantiam plurium Angelorū numero differentium in vna specie Angelorum constituitur vna mensura discreta, quæ non meretur appellari tēpus, quia non constituitur ex transeuntibus mensurantibus esse rei transeuntis, vt transiens est, sed potius ex permanentibus mensurantibus esse rei permanentis, vt permanens est. & ideò est non vna species temporis, sed potius numeri. Et est iste numerus ex discretis vnitatib. in spiritualibus, sicut est ille numerus quem ponunt Philosophi ex discretis in corporalibus.

Quòd si contingat, quòd non sit nisi vnicus Angelus in vnica specie, quia tamen plures possunt esse secundum quod alias declarauimus, nihil refert ad ponendum talem numerum esse aliquam speciem quātitatis, sicut si omne corporale esset vnum continuum, nihil referret ad ponendum numerum naturalem esse speciem quantitatis, cum continuum illud diuidi posset saltem per intellectum, & de continuo fiat discretum.

Sic ergo æuum in specie continens in se æua diuersa mensurantia esse diuersorum Angelorum, eiusdem speciei est quātitas discreta, & diuisibilis in indiuisibilia, quę sunt æua singulorum Angelorum differentia inter se secundum numerum, & si ab eis diuersorum Angelorum differentium specie fieri possit abstractio Mathematica, sicut à numeris diuersarum rerum corpora inm differentiū specie, tunc forte sicut est vnus decē hoium denarius, & decem equorū, licèt decem non sunt eadē, sic idem est æuum in specie omnium Angelorum diuersorum specie, licèt ipsa æuitetna non essent eadem specie.

Ad reliquā partē censur. Quòd autem assumitur in confirmatione, quòd enter esse, & esse sunt idem re. Dico, quòd si p enter intelligas mensurā entis creati, vt sit aduerbium temporis, non est verum, sicut nec verum est, quòd temporaliter esse idem est, quod esse. Si autem enter sit aduerbium qualitatis, sicut si dicatur currenter currit, tunc idem significat enter & esse, sicut currenter, & currere. Sed tunc esset nugatorium dicere iste enter est, sicut est nugatorium dicere iste currenter currit.

Ad assūp. Quòd autem assumitur specialiter de tempore, q̄ prius & posterius in motu sunt ipse motus, & prius & posterius in motu sunt ipsum tempus: ergo tempus est idem re, quod ipse motus.

Dico, q̄ esse in aliquo multis modis dicitur secundum Philosophum 4. Metaphys. & sunt duo, scilicet esse in vt pars in toto, & vt accidens in subiecto. Dico ergo, q̄ prius & posterius in motu, vt pars in toto sunt ipse motus, quia sunt ambæ partes eius: prius autem & posterius in motu, vt accidens in subiecto non sunt ipse motus, nec partes eius, sed sunt accidentia & mensurę partiū eius, & per hoc totius motus, & hoc secundo modo intelligunt Philosophus, & Commentator, si quis diligenter inspiciat ipsos, q̄ tempus est prius & posterius in motu, & non primo modo.

Ad arg. in oppos. Quod autem arguitur primo ad partem quæstionis contrariam, quòd inter duo instantia indiuisibilia est continuum medium, quod est tempus non compositum ex indiuisibilibus: ergo similiter

inter

inter duo indiuisibilia mensurantia diuersas cogitationes Angelorum. Dico, q̃ non est simile, quia mensuratum ibi ab indiuisibili non est, nec potest esse manens in se, sed non est nisi fluens in aliud, vt prima mutatio in motum, vel fluxum alterius terminans, vt vltima mutatio motum, propter quod ibi inter duo indiuisibilia oportet ponere cõtinuũ ad indiuisibilia terminatum: mensura enim proportionatur mensurato. Mensuratum autem hic ab indiuisibili potest esse manens in se, etiã si fluat desinendo esse, non tamen fluit in aliud, cuius est terminus, licèt aliud similiter fluat post ipsum, vt vna cogitatio Angeli post aliam, sed nulla fluit in aliam, vel terminat fluxum illius, propter qd nullum continuans omninò cadit inter illa, sed manẽt omninò discreta, & constituunt tempus discretum ex indiuisibilibus.

Ad confir. Quòd additur ad rationis confirmationẽ, quòd Angelus potest cõtinuare suam cogitationem vnã tanto tempore, quanto sibi succedunt, vel possunt succedere plures, quod non esset nisi esset continuum interceptum inter plures. Dico, q̃ quælibet cogitatio Angeli est tota simul in simplici duratione stans, sicut suo modo est æternitas Dei tota simul, nec quantum est ex se, & ex mensura suæ durationis est maius, vel minus, nec magis, vel minus in duratione vnius, & alterius. Sed si hæc intelligatur, hoc est in ordine ad tempus, quod currit cum quo, simplici stante, & æternitate. Sic enim Deus dicitur plus durasse, aut Angelus, quàm Adam, & similiter cogitatio vna vnius Angeli, quàm duæ alterius Angeli: nulla tamen continuatione interueniente ex parte sui in indiuisibili mensurante vnam cogitationem multum durantem, nec inter duo indiuisibilia mensurantia duas cogitationes tantundem durantes, vt vna durat, sicut nec aliqua continuatio cadit in æternitate licèt ipse complectatur totum tempus.

Comment. in Quæstionem octauam, quæ est,

Vtrum cogitationes creaturæ intellectualis incorporeæ mensurentur mensura composita ex indiuisibilibus.



Articulo nos, quòd de cogitationibus talis naturæ, nempe Angelorum: de Angelicis enim cogitationibus sermo est, possumus loqui dupliciter: Primo, Vtrum quælibet cogitatio Angelorum seorsum sit mensurata à mensura ex indiuisibilibus composita, vel potius omnes cogitationes, seu plures simul. Vt exemplum primi esto. Quod Gabriel Archa. cogitet de incarnatione Verbi, cogitatio hæc vna est, & tunc potest quæri, Vtrum eius mensura sit ex indiuisibilibus &c. Secundi exemplum esto. Esto idem Archang. qui cogitat modo de incarnatione verbi, & deinde de passione eiusdem meditabat, & postea de morte, & iterum de resurrectione, secundum quod plures articuli sunt, ita possunt esse plures cogitationes, quæ in nobis mensurantur tempore. Nunc propterea quæritur vtrum detur vna mensura mensurans has omnes cogitationes, quæ sit ex indiuisibilibus composita, cum autem sint isti duo modi loquendi, siue quærendi, sciendum, q̃ resoluta secunda quæstione, quòd mensura plurium cogitationum sit ex indiuisibilibus, sequitur statim resolutio alterius, non sic autem si resolueretur negatiuè. Quare cum Auctor affirmatiue resoluat quæstionem secundam, prætermissa prima, secundam intendit.

In corpore igitur est conclusio, q̃ plurium cogitationum Angelorum est vna mensura composita ex indiuisibilibus. Ipsa tamen mensura discreta est.

Prima pars probatur. Ea indiuisibilis mensura est indiuisibilis, & ex indiuisibilibus, sed cogitationes Angeli sunt totæ simul indiuisibiles, igitur &c. Maior patet ex Philosopho 10. Meth. vbi habet, mensura debet esse vniformis mensurato. Minor patet, quia si totæ simul sunt diuisibiles, vel hoc est, quia inter cogitationem, & cogitationem mediat aliquod sui generis, vel quia vna eadem succedit ex alia. Non primum, quia sequeretur secundum quòd vna scilicet succederet ex alia, quia medium coniungit extrema, sed non secundum, quia sequeretur, quod Angelicus intellectus esset discursiuus, sicut notum est, quod est falsum.

Secunda pars conclusionis probatur, quia vbi est plurium ordo non habẽtium connexionem aliquam inter se, ibi est mensura discreta. Sed inter cogitationes Angelorum est talis ordo. Igitur si quæratur, quæ nam sit illa mensura discreta. Respondetur ex Augustino, quòd est tempus discretum, iuxta illud, quod dicit. Deum mouere creaturam spiritualem per tempus, licèt non per locum, & hoc tempus habet potius rationem numeri, quàm temporis &c. Sed clara sunt cætera in litera.

Difficultas est super illud, quod dicit Auctor consonanter quidem ad D. Thomam. Angelum non discurrere: intellectum verò nostrum contrà non intelligere nisi per discursum; contrà enim primum est Gregorius Ariminensis, & Scotus. Primo quidem Gregorius 2. sentent. dist. 7. q. 5. arguit. Angelus intelligit vnum post aliud, ergo discurrit. Patet antecedens, quia multa cognoscit, quæ prius non cognoscebat.

Secundo cognoscit vnum per aliud, igitur &c.

Tertiò. Per notum cognoscit ignotum, igitur. Antecedens probatur, nam si non cognosceret hoc modo, sequitur quòd posita æternitate mundi quilibet diabolus actu cognosceret infinitas veritates, & sic habet infinitas cognitiones specie distinctas, aut vnum actum æquiualentem infinitis notitijs, puta infinitas eclipses futuras, & infinitas passiones figuræ angularis multiplicabilis in infinitum, hoc est inconueniens. Probatur sequela: nam eas potest cognoscere, & non per discurrere, igitur &c.

Quarto Scotus 1. Sentent. dist. 3. q. 6. arguit ad idem, quòd Angelus non intelligat discurrendo, aut intelligitur, quòd non habet potentiam, quia cognitis principijs possit cognoscere conclusiones, si illæ non essent sibi prius notæ actu vel habitu. Et hoc tunc non videtur esse perfectionis in intellectu creato, quia perfectio in intellectu nostro est suplens imperfectionẽ, quod possit ex quibusdam cognitis virtualiter includentibus alia illorum aliorum cognitionem acquirere. Aut intelligitur, quòd ideò non potest discurrere, quia omnes conclusiones sunt sibi actualiter notæ à principio, & ita non potest eas cognoscere discurrendo, sed hoc est falsum, quia non oĩa à principio actu, & distincte cognoscit, & intelligit. Aut ideò, quia omnia sibi sunt habitualiter nota à principio, & ideò non potest habitualem notitiam illorum acquirere ex principijs, & hoc non ponit differentiam essentialem intellectualitatis Angeli à nobis, quia sic esset in anima mea, quia si omnes conclusiones essent sibi notæ à principio à Deo, imprimente simul notitiam principiorum, & conclusionum, ipsa non possent discurrere pp impotentiam, sed iam præhabet cognitionem, & non põ acquirere de nouo, quod præhabet, hoc modo, anima Christi non discurrebat, sed ipsa noũit habitualiter omnia principia, & conclusiones in principijs a principio, & tamen ipsa non fuit natura Angelica.

Quintò ibidem Scotus arguit contra secundum, scilicet quòd anima nostra discurrit. Anima, inquit, non discurrit circa principia, sed circa conclusiones, ergo si cognoscere sic & sic est alterius speciei, erunt duæ intellectualitates in vna anima. Vna inquantum intelligit principia, & alia inquantum intelligit conclusiones.

Not. q̃ ex hac ratione colligitur, q̃ non in omnibus animis est discursus, & ideò male per hoc distinguitur contra Angelum per discursiuum, & non discursiuum, & hoc ipsum reuocat, & alterari non sequeor.

Sextò igitur Anima beata in obiecto beatifico non discurrit circa illud, discurrit autem circa obiectum cognitum naturaliter, igitur esset alia intellectualitas specie beati, inquantum intelligit Deum, & inquantum intelligit aliquid naturaliter.

Hæc præsertim sunt, quibus agitatur sententia, quæ dicta est.

His verò non est difficile respondere quibusdam primò adnotatis.

Not. igitur primò quid proprie sit discurrere, siue intelligere cum discursu. Est enim cognoscere ignotum per aliquod prius notum, quo fit, vt illud proprie sit intelligentio discurrere, quod docet Aristot. à natura nobis insitum in primo Physic. cum dicit, Innata est nobis via vt à notioribus nobis procedamus ad ea, quæ sunt ignotiora, vt videlicet colligamus conclusiones ex medijs notioribus, quod & docet in primo Poster. Quare non omnis processus de vno ad aliud, neque omnis cognitio vnius per aliud dicitur discursus proprie, sed vbi ignotum dignoscitur per notum, tanquam per medium, quod est conclusionis causa. Et hoc quidem pacto accipit intelligentiam discursiuam Doctor noster hoc loco, & D. Thomas, q. quæst. 5. & art. 3. ad primum, & alibi.

Not. secundò q̃ dum ponitur differentia inter intelligere cum discursu, & sine discursu, tam Angeli, quàm animæ nostræ, accipitur anima pro statu isto, quatenus est in via, non quatenus est in patria, siquidem secundo pacto, non autem primo ab ipso separata. Vnde quidem fatemur animam à corpore separatam non discurrere à noto ad ignotum, quippe cognoscat cognitione intuitiua, non cognitione abstractiua. In hac verò vita, vt corpori iuncta, quoniam eius cognitio abstractiua est, procedit à noto ad ignotum, incipiendo à notis à sensu. Vnde Philosophus, omnem nostram cognitionem orin dicit à sensu. His sic adnotatis non est difficile obiectis satisfacere.

Ad primum dicendo, consequentiam esse falsam, quippe concesso, quòd Angelus intelligat eadem posse aliud, non sequitur quòd idcirò discurrat: siquidem vt patuit in primo not. Intelligere cum discursu est progredi à noto ad ignotum.

Ad secundum, quoniam est argumentum illud primum, quòd contra se facit loco citato D. Thomas, placet cum ipso negare consequentiam, si quidem nec simpliciter cognoscere vnum per aliud est cum discursu intelligere, vt ibi recte, ac diligenter notat D. Thomas.

Ad tertium, q̃ maiorem videtur facere difficultatem, dicimus, q̃ non inconuenit dato vno inconuenienti multa sequi. Quid quæso ad Theologum fidelem resistentem æternitatem mundi hoc argumentum? Rsum forte magis excitare deberet, quòd si induat habitum Philosophi concedentis mundi æternitatem, dicet cum ipso nullum inconueniens sequi quancunque intelligentiam intelligere infinita hæc eo modo, quo & Deus intelligit, quia quælibet intelligentia sic Deus quidam apud ipsum, tametsi inter eas vnus reperiatur princeps. Et quidem & sequela falsa est, quippe tametsi Angelus cognoscat omnes, vel eclipses, vel huiusmodi in causa sua, quando iam non sunt in effectu, non sequitur, quòd simul habeat infinitas notitias specie distinctas, &c.

Ad quartũ dicimus, q̃ ideò Angelus nõ discurrit, quia illa non est innata via, vt à notiorib. ad ignotiora fit processus in ipso. vbi considerandũ, q̃ dum negatur discursus ab Angelo, profectò negatur discursus proprie dictus, qualis dictus, de quo Arist. loquitur tum in 1. Poster. cum et in 1. Phys. quibus in locis vult cognitionem discursiuam semper habere ex præcedenti cognitione, vsque ad eam cognitionem, quæ hauritur à sensu. Ita vt velit Philos. initium discursus esse sensum, quo singularia cognoscimus, & inde phantasmata formantur, & ab intellectu fit vniuersalitas in rebus, atque in hoc prima operatio intellectus completur, procedit verò ad secundam in compositione, atque diuisione, & demum syllogizando discurrit. Veruntamen tertia operatio intellectus vna species discursus, quia discursus cum sit processus a noto ad ignotum, & à notis sensibilibus procedimus ad intelligibilia, discurrimus. Non ita autem procedit Angelus, qui non hauriit cognitionem à sensu, sed vtique eo modo cognoscit Angelus omnia, sicut dictum est in 4. Quolib. quæst. 4. scilicet per habitus scientiales concreatos. Negatur autem quòd huiusmodi habitus scientiales sint in nobis cõcreati, quia cognitio, quam habemus, vel est acquisita, vel postea quam sumus, infusa.

Ad quintum, primò dicimus falsum esse, quòd anima nostra omninò non discurrat circa principia, quatenus accipitur discursus pro processu de noto ad ignotum. Hauritur autem cognitio principiorum à cognitione sensuatorum notionum; conceditur verò de discursu in specie, qui est processus à principiis ad conclusionem, qui potius dicitur sine cum discursu, quàm intelligere.

Secundò dicimus, q̃ dato, q̃ anima non discurrat circa principia, non sequitur tamen, quòd non discurrat omninò, propter id autem quod discurrit differt ab Angelo nullo modo discurrente.

Tertiò dicimus, q̃ non sequitur in anima dari duas intellectualitates, sed duos habitus: alterum conclusionum, qui scientia dicitur; alterum verò principiorum, qui intelligentia nuncupatur.

Ad sextum patet quid sit dicendum ex secundo notando. Nam conceditur animam beatam non discurrere, sed ponitur differentia per discurrere, & non discurrere in Angelum, & animã, nisi loquendo de anima coniuncta. Et hæc satis. Memineris autem, quòd ex prologo Sententiarum colligitur quoddam argumentum in doctrina Scoti aduersus primum, scilicet de negatione discursus ab Angelo, cui tamen satisfacit diligenter Gaetanus, vide ipsum sup. D. Thomam loco citato.

QVAESTIO NONA.

Vtrum creatura intellectualis possit ab igne pati absque hoc, quod calefiat.

L 3

Arg princ. SIRCA tertium arguit, q̃ substantia incorporalis separata non possit pati ab igne quin calefiat, quia ignis nihil agit, nisi mediante calore, sed mediãte calore nihil agit nisi calefaciendo, non agit autem calefaciendo, nisi calefiat passum: ergo &c.

In oppos. Contra. Nullum incorporale est receptiuum impressionis corporalis; calefieri, siue calidum esse est impressio corporalis: ergo &c.

Responsio. Dico ad intellectum quæstionis, q̃ duplex est passio. Quædam enim est corruptio substantiæ rei: quædam verò est inquietatio.

Primo modo nihil patitur nisi corpus secundum substantiam corruptibile, & hoc dupliciter, vel in ipsius substantiæ corruptione, vel in corruptione harmoniæ, & proportionis q̃ erat necessitas, vt forma substantialis fieret in materia, & quæ similiter est dispositio, quare est necessitas ad eius conseruationem in esse.

Vbi

Vbi autem est talis passio, oportet quòd fiat per contrarias dispositiones agentis, & passi, quia cum contraria nata sint fieri circa idem, si talis actio sit à calido, quod per se corrumpitur est, contrarium calidi in subiecto, in quo natum est fieri calidum. Et quia vt procedit secunda ratio, talis dispositio non est omninò nata esse in substantia separata: ideò dico, quòd tali modo non patitur ab igne: & vlterius quòd quocunque modo ponenda sit pati ab igne, quòd tamen sic illa passione patiatur ab ipso, quòd in patiendo nullo modo calefiat, nec q aliquando possit dici, quòd ipsa sit calida. Quod nec dici potest re vera de anima quãdo patitur ab igne mediante calore, vt est existens in corpore, quare multò minus dici potest de Angelo, vel anima separata. Passio autem, quæ est inquietatio, est dolor tristitia, & huiusmodi, quæ non consistit per se in immutatione, quæ est secundum actũ sentiendi, aut intelligendi, quia omnis regularis actio est ex se nata generare delectationem, & est per se delectabilis, nec etiam consistit per se in aliqua læsione secundum substantiam, vel dispositionem aliquam sentientis, aut intelligentis, quia tunc læsum non sentiens, nec intelligens doleret, sed consistit per se, & formaliter in sola perceptione læsionis per actum sentiendi, aut intelligendi ipsius, ita quòd in causando dolorẽ ex actione sensibilis corporalis naturaliter concurrit primò læsib' in ipso sentiente, aut intelligente ex actione materiali ipsius sensibilis: secundò ipsa sensatio, aut intellectio ex actione spirituali immutationis ab eodem: tertiò perceptio illius læsionis, ex qua formaliter & completiuè causatur dolor, siue passio inquietans in ipso appetitu sensitiuo mediante sensu, vel intellectiuo mediante intellectu, secundum quod hoc latius declarauimus in Quolibet. præcedente. Illa autem læsio ab agente corporali non fit ab agẽte sensibili per qualitates actiuas, quæ sunt calidũ & frigidum, nisi ratione excellentiæ suæ, per quã primò corrumpunt harmoniam secundum dispositionem qualitatum actiuarum & passiuarum in passo, & hoc habendo aspectũ ad modum actionis, quam naturaliter experimur ignem materialem agere mediante calore: & ideò tali modo agẽdi ignis, qualem experimur nullo modo posset substantia quæcunque pati dolorem ab igne quin necesse esset ipsam heri calidã. Et ideò dico, quòd secundum modum agendi ignis mediante calore quem nos experimur nullo modo anima, vel Angelus patitur ab igne materiali mediante calido. Credimus tamen firmiter, quòd ab igne materiali patiatur, & hoc mediante calore quo agit ignis illam passionem, vt mediante instrumento, licèt modum agendi, & virtutem ignis, & caloris in illam passionem causando non plenè nouimus, de quo tamen fecimus mentionem aliquantulum in nono Quolibet.

Vnde cum dicitur in prima ratione, quòd ignis non agit nisi mediante calore. Dico, quòd hoc potest intelligi dupliciter. Vno modo vt tanquàm medio & instrumento in producendo quicquid natum est produci per agens particulare ratione suæ formæ substantialis. Alio modo vt tanquàm medio, & instrumento in producendo tantùmmodò id per quod materia sit necessitas ad recipiendum id, quod principaliter natum est induci per agens. Primo modo dicunt aliqui, quòd ignis agit mediante calore in generãdo ignem, vt. s. calor agẽs sicut instrumentum nõ solum sua actione attingit in terminum suæ actionis in passo ipsum calorem generatum in illo, quo de non calido facit calidũ, sed etiam attingit vt terminũ suæ actionis in passo ipsam formam substantialem ignis generatam in illo, qua de non igne facit ignem, vt secundum hoc forma substantialis nullam immediatè habeat actionem in producendo formam substantialem ignis plus quàm in producẽdo calorem, sed quicquid agit, & producit, mediante calido agit, & producit: immediatè autem nihil omninò agit, aut producit, cuius contrarium in alio Quolibet. declarauimus, declarando hoc esse planè contra Philosophum in secundo de generatione.

Ad arg. princip.

Quolib. 1. quæst. 14.

Et ideò tenemus secundum modum semper, scilicet quòd ignis non agit mediante calore, nisi alterando ad dispositionem materiæ, & susceptibilis, sed materia disposita in finem alterationis ipse forma substantialis se sola agit formam substantialem per actum generationis. Sed diuersitas in hoc modicum valet ad propositum: quocunque enim illorum duorum modorum ignis agit in substantiam incorporeã, tamen ponimus, quòd agat secundum illum modum per calorem attingentem terminum aliquẽ transmutationis in illa substantia, quo lætiua est illius, quo ad aliquas dispositiones ipsius circa corruptionem substantiæ, modo tamen nobis incognito & incognita ipsa læsione, absque tamen eo quòd calefiat, secundũ quod concludit secunda ratio.

Comment. in Quæstionem nonam, quæ est,

Vtrum creatura intellectualis possit ab igne pati absque hoc, quod caleſiat.



TITVLVS satis clarus ex se.

In corpore est conclusio responsiua quæsito, quòd potest pati absque quòd caleſiat. Not. quòd de facto talis creatura patitur ab igne, vt patet de Dæmonibus, & animabus etiam damnatis, vnde ly possit, non cadit super hoc quod patiatur, quasi quæratur vtrum passio talis creaturę sit possibilis, sed respicit illud caleſieri. Ideo probato, quòd impossibile sit talem creaturam caleſieri probata est ipsa conclusio. Probatur autem per secundam rationem in fronte quæstionis, scilicet, Nullum incorporale est receptiuum impressionis corporalis, sed caleſieri, vel calidum esse est impressio huiusmodi, igitur &c. Declarat hanc rationem Auctor in corpore distinguendo de passione sic, vnde & melius declaratur quæstio sic,

Passio est, aut

Corruptio substantiæ, & hac passione non patitur nisi corpus ſ. vel

In corruptione substantiæ suæ.

In corruptione harmoniæ, & proportionis.

Inquietatio, quæ non consistit nisi in perceptione lasionis per intellectu.

Conclusio.

Creatura intellectualis cum sit incorruptibilis vtroque modo non patitur hac passione, & ideo non caleſit.

Conclusio.

Creatura intellectualis patitur hac passione, quæ cum sit sine immutatione non caleſit.

Not. quòd vbi est passio corruptiua, ibi est actio contrarij in contrarium, & ideo ignis rerum naturę cessario caleſacit, quia agit in contrarium, & agens in contrarium necessariò excusa forma contraria imprimit, & introducit suam. Ideo dum agit ignis in his, quæ corporea sunt, & corruptibilia, caleſacit. Non autem id facit agens in incorporeis, & incorruptibilibus, quippè careant contrario contrariò resistere, ac consequenter subiecto apto nato ad receptionem caloris, substantia quippè corporea subiectum est accidentium huiusmodi corruptiuorum.

Not. insuper, ꝙ si quid Scotus habet contra hanc quæstionem, siue contra aliquod dictum in hac quæstione, illud narratum est in alio Quolib. ſ. 11. q. 8. idcirco.

QVAESTIO DECIMA.

Vtrum sola anima intellectiua possit esse forma substantialis in homine.



SEQVVNTVR quęsita pertinentia ad hominem compositum ex natura intellectuali incorporea, & corporea, & erat primũ pertinens ad ea, quæ sunt hominis substantialia: Vtrum sola anima intellectiua possit esse forma substantialis in homine. Alia autem plurima erant pertinentia ad accidentalia homini.

Arg prime. Circa illud primũ arguitur, ꝙ sola anima posset esse forma in homine, quia Deus hoc potest facere, eo ꝙ potest facere quod forma accidentalis transeat de subiecto in subiectum, vt patet in cicatricib. corporũ viuorũ, quæ reperiũtur in mortuis: multò fortius ergo hoc põt facere de forma substãtiali, eo ꝙ minus dependet à subiecto: ergò &c.

In oppoſit. Contra. Si sic esset tunc homo esset corpus à substantia animæ rationalis, & fieret panis transubstantiatio in substantiam animæ rationalis, qd est impossibile, quia nihil est cõe substãtię aĩę intellectiuæ, & substãtiæ panis, & si hoc, ipossibile est, ꝙ substantia panis possit trãsubstãtiari in Angelũ.

Reſponſio. Dico, si ex conditione naturæ animæ humanæ sit, ꝙ forma corporeitatis media quoquo modo sit adhoc, vt humana anima vniatur materiæ ad hominis constitutionem, firmiter teneo, vt alias sæpius declaraui, ꝙ sicut anima humana non posset esse forma corporis asini, vbi clarũ est corpus esse corpus ab aliqua forma educta de potentia materię, sic impossibile esset solam animam esse formã materiæ in homine.

Arg. ſecũ. Vnde concedo argumentum secundum ad hoc probandum inductum. Si enim homo Iesus Christus sicut & alij esset corpus à substantia animæ rationalis: & transubstantiatio panis fieret in corpus Christi, necessarium esset transubstantiationem, siue conuersionem panis fieri in substantiam animæ rationalis. Non enim posset dici, ꝙ fieret transubstantiatio in animam, secundum quod dat esse corporeitatis, quod tamen non fieret transubstantiatio in substantiam animæ, quia non dat esse corporeitatis substantialis, nisi per suam substantiam, & non separantur esse corporeitatis, qd dat anima, & esse sensualitatis, & intellectualitatis, quæ similiter dat, nisi secundum rationem nostri intellectus, quia cum substantia animæ sint eadem, aut sunt accidentia addita substantiæ: transubstantiatio autem non fit in aliquid quod tantũ habet esse aliquid præter substantiam, & alia, quę sunt in ipsa secundum rationem nostri intellectus, neque in id, quod est accidens substantiæ, sed solùm modò in id, quod est natura substantiæ rei naturalis. Et sic quicunque concedit, ꝙ impossibile est fieri transubstantiationem in substantiam animę rationalis, & simul, ꝙ sola anima rationalis sit, & possit esse forma hominis, cõtradictoria in suo dicto implicat, scilicet qd fieret conuersio in substantiam animæ, & non fieret in substantiam eius.

dum conſtituitur.

Obiectio.

Aut ergo oportet concedere, ꝙ in substantiam animæ rationalis fit transubstantiatio panis, aut negare, quòd sola anima rationalis sit forma materiæ in homine. Quòd autem non fiat transubstãtiatio in substantiã animę rationalis, benè cõcedunt, malè ergo concedunt, ꝙ sola anima rationalis est

forma

forma materiæ in homine. Quòd autem bene cõcedunt, & rationabiliter, φ substantiæ corporeæ transubstantiatio non pót fieri in animam rationalem, vel in quãcunq; substentiam incorpoream, ratio hæc est, quam in 11. Quolibet. q. 4. insinuauimus assignando pro ratione, φ substantia panis non posset cõuerti in Deitatem Christi, quia oportet, φ eius conuersio nõ sit annihilatio, & sic oportet φ aliquitas eius maneat, & eius esse quoquo modo in illo in quod conuertitur. Quod nõ posset fieri ratione distantiæ infinitæ Deitatis finitæ ad finitam substantiam panis, si ponerentur substãtia panis conuerti in substantiam Deitatis. Quod etiam non posset fieri si ponatur substantia panis cõuerti in substantiam incorpoream, quia vt procedit secunda ratio nihil est commune reale secundum esse naturæ substantiæ panis, & substantiæ incorporeæ, licèt sit eis aliquid cõe secundum rationem & secundũ esse logicum, eo φ non cõueniant in materia, & subiecto, à quo sumitur cõitas naturæ secundum quam forma conuenit cum forma, qualis cõmunitas non est nisi inter formas, quæ sunt educibiles de potẽtia materiæ, ita φ forma educibilis de potentia materiæ talem cõitatem non habet cum forma non educibili de potentia materiæ, vt cum anima rationali quantũcunque ipsa sit naturaliter forma materiæ, vt secundum hoc in nihil põt conuerti substantia panis sacramentaliter, & miraculosè subitò, & immediatè, in qd nõ possit conuerti alio modo conuersionis naturaliter, & per multa media, vt secundum hoc, quia in his, quorum vnũ pót naturaliter conuerti in aliud, illud aliud è conuersò naturaliter pót conuerti in primum: nihil ergo pót conuerti in aliquid, nisi illud viceversa possit conuerti in primum, vt si panis substãtia posset conuerti in Deitatẽ, & è conuersò Deitas posset cõuerti in substantiam panis, & similiter si substãtia panis posset conuerti in substantiã animæ, vel Angeli, e conuersò substãtia Angeli, vel animæ posset conuerti in substantiam panis, & est eadem ratio cõis de conuersione inter substantiã panis, & Deitatis in inuicem, & inter conuersionem in inuicem inter substantiam panis in substantiam Angeli, aut animæ, quam tangit Boet. in lib. de duab. naturis & vna persona Christi, probando per ipsam, φ in Christo nec Deitas possit conuerti in humanitatẽ, nec humanitas in Deitatem, sic inquiens c. 7. Hoc quomodo fieri põt? non.n. omnis res in quamcũq; verti põt, aut transmutari. Nã nec incorporea in incorporeã, nec incorporea in eam, q̃ corpus est mutari põt. Nec verò incorporea in se inuicẽ formas proprias mutant; sola.n. mutabilia transformatiõ; in se possunt, q̃ habent vnius materiæ cõe subiectum, & infra. Corporea verò, & incorporea nulla ratione poterunt permutari, qm̃ nullã cõ materia subiecta participant, & infra. Nullo ergo modo fieri potest, vt corpus in corporalem speciẽ permutet: quoniam.n. eis nulla est materia nec in se verti, nec permutari possunt. Sed Alcen clarius φ nõ est verum, φ si in illo dicto implicet contradictoria immò simul stant, φ sola anima rationalis sit forma humani corporis, & tñ φ in substãtiam animæ rationalis p se, & secundum se non fiat transubstantiatio panis, & ipsa aia existente conũcta corpori. Bene.n. concedunt, φ sicut non pót fieri conuersio panis in Angelum, quia in nullo subiecto reali cõmunicant, ita & concedunt, φ non põt fieri trãsubstãtiatio panis in animam separatã, vt separata est, quia separata existens nihil habet cõe cum ipso pane: nam dato, φ haberet materiam partẽ sui, non tamẽ est eiusdẽ rationis cũ materia panis, qd oporteret ad hoc, vt posset fieri cõuersio eorum ad inuicem. Attamen quia materia corporis perfectibilis per animã dantem rationem corporeitatis est eiusdẽ rationis cũ materia panis: ideò dñt, φ dato quòd illud corpus in quod dñ fieri transubstãtiatio panis nominet cõpositum substantiale ab ipsa forma substãtiali, q̃ est anima, fieri tñ conuersio totius panis in totum compositũ corporis per se, hoc est in totum compositũ ex ipsa anima rationali, & materia corporis organizata, quæ intelligitur per corpus, eò φ istud cõpositum, qd dicit corpus, cõcat in materia eiusdẽ rationis cũ materia compositi, quod nominat panis, & tunc si ex hoc deberet concedi, φ fieret transubstantiatio in ipsam substantiam animæ rationalis, hoc esset per accidens valdè, & solùmmodò, vt est coniuncta corpori, quod nullum est inconueniẽs, vt dicunt. Dicent tñ, q̃ nõ debet concedi, φ pp hoc fiat conuersio panis in hominẽ, eo φ homo nominat compositũ ex corpore, & substantia animæ rationalis non solũ vt dat esse corporeum, sed ãt cum hoc, vt dat esse sensitiuum, & rationale. Nec tñ oporteret, φ concedens non posse fieri transubstantiationẽ panis in animã separatã concederet, φ panis non posset transubstãtiari in hoiem. Homo.n. habet aliquid reale cõe cum pane, videlicet materiam eiusdẽ rationis, seu subiectum à quo sumit cõitas naturæ: non sic animã habet aia separata, vt est separata. Vnde & via naturæ ex hoie pót fieri panis, & è cõuerso, licèt per multas tranmutationes, q̃uis non ita dit de anima separata: homo.n. cõpositũ nominat naturale hoc est ex materia naturali, sicut panis, licèt forma animæ, q̃ est perfectio materiæ hominis non sit educibilis de potentia materiæ, sicut est forma partium materiã panis, pp quod solum dñ anima forma supernaturalis, sed tñ naturaliter perficiens materiã eiusdem rationis cũ panis materia. Vnde & homo totus dñ generari naturaliter ab hoie non aũt ex aia, licèt tota substãtia animæ, quæ forma hominis sit, ex quo ẽt posset rationabiliter dici, quòd licèt concedat, quod in totum compositum ex corpore, & aia fiat transubstantiatio panis per se, & posset ẽ concedi, quòd posset fieri in hominem: non tamen oporteret, quòd fieret conuersio in ipsam substantiam animæ, sicut & conceditur, quòd totus homo generat, & tamen anima, quæ est eius forma nec per se, nec per accidens generatur.

Ad rationem in oppositum.

Obiectio.

Dico, quòd immò ſecundum prædictum modũ in dicto ſuo implicatur contradictio, ſuppoſito, ꝙ in ſubſtantiam animæ ſeparatæ, aut in Angelicam ſubſtantiam non poſſit fieri panis tranſubſtãtiatio. Quod autem dicunt ad illud declarandum, ꝙ materia corporis perfectibilis ab anima dante rationem corporeitatis eſt eiuſdem rationis cum materia panis.

Dico, ꝙ verum eſt, quo ad ipſam ſubſtantiam materiæ, quæ eſt ratio eadem omnium formarum materialium remotiſſima educibiliũ de materia, & etiam animæ rationalis, quæ eſt ab extra: non autem quo ad potentiam materiæ, qua ordinatur ad formam, quæ eſt ratio ad formam propinquã. Quo ad hanc autem rationem eſt vna, & eadem ratio materiæ, ſiue materia eſt vnius, & eiuſdẽ rationis reſpectu omnium formarum materialium educibilium de potentia materiæ inter ſe, inquantum ſcilicet omnes ſunt educibiles de potentia materiæ: non autem eſt materia eiuſdem rationis formarum educibilium de potentia materiæ, & animæ rationalis inquãtum reſpectu aliarum formarum eſt in potentia ſic, vt de potentia illius materiæ ſit forma educibilis non de nihilo: reſpectu autem animæ rationalis eſt in potentia paſſiua, ſiue purè reſpectiua ſic, vt non ſit de potentia materiæ illius educibilis, ſed ſolùmmodò de nihilo licèt in materia.

Ad hoc autem, ꝙ aliquod totum compoſitum tranſubſtantietur in aliud compoſitum nõ ſufficit, quòd compoſitum quod dicit corpus in quod fit tranſubſtantiatio communicet in materia eiuſdem rationis primo modo cum materia corporis, quod tranſubſtantiatur, puta panis, ſed requiritur, quòd communicet cum illo in materia eiuſdem rationis ſecundo modo. Ex hoc enim ſolùmmodò, ꝙ communicant in materia eiuſdem rationis ſecũdo modo fit tranſubſtantiatio vnius compoſiti in alterũ ſecundum totum. Sola enim talia habent cõmunitatem generis inter ſe naturalem ſumptam à materia, & ſubiecto, propter quam quando vnum cõpoſitum ex materia, & forma tranſubſtantiatur in alterum conſimiliter compoſitum ex materia, & forma, materia tranſubſtantiatur in materiam, & forma in formam ſecundum illorum ſubſtantiam, & neutrum tranſubſtantiatorum annihilatur, ſed aliquitas eorum manet in cõitate reali aliqua. Si verò compoſitum ex materia, & forma, puta panis tranſubſtãtiaretur in hominem, ita quòd nihil ſubſtantię panis tranſubſtantiaretur in aliquid qđ eſt forma hominis per ſe, & ſecundum rem & totum in materiam hominis, forma ipſius panis trãſubſtãtiata in ſubſtantiam materiæ annihilaretur, aut non propriè tranſubſtãtiaretur, ſed potius virtute diuina in materiã reſolueretur non tranſubſtantiaretur propriè, quia nulla communitate reali communicat materia cum forma. Si autem aliqua cõmunitas generis ſumpta à materia ſit aliorũ corporalium ab homine, & ipſius hominis anima rationali ſola exiſtente forma in ipſo, illa cõmunitas non eſt ſecundum eandem rationem generis hominis, & aliorum inter ſe, ſicut non eſt eadem ratio materiæ propinqua, vt dictum eſt, propter quod non tãta vniuocatione generis ſunt corpus, homo & alia corporalia, quanta ſunt alia inter ſe. Et ſic dico contra illos, ꝙ dato, quòd illud corpus in quod dicitur fieri tranſubſtantiatio panis, nominet compoſitum ſubſtãtiale ab ipſa forma ſubſtantiali, quæ eſt anima: nunquam tamen fiet cõuerſio totius panis in totum compoſitum ex ipſa anima rationali, & materia corporis organizata, nec iſtud compoſitum, quod dicitur corpus in homine, communicat in materia eiuſdem rationis cũ materia corporis, quod eſt panis, niſi æquiuocè, & valdè analogicè, vt dictum eſt, ita ꝙ cum hoc ſi tota ſubſtantia panis, & ratione materiæ, & ratione formæ conuerteretur in ſubſtãtiam lapidis, quo ad eius materiam, ita ꝙ nihil formæ panis conuerteretur in formam lapidis, non eſſet tranſubſtantiatio formæ panis aliquo modo in ſubſtantiã formæ lapidis, nec per ſe, nec per accidens, quia etiã ſi tranſubſtantiatio panis ſecundum materiam & formam fieret in materiam lapidis ſolam nõ eſſet tranſubſtantiatio in lapidem compoſitum ex materia & forma niſi per accidens, quia non niſi per partem eius, & ſic aut eſſet formæ panis in materiam lapidis reſolutio, & ſic non propriè trãſubſtantiatio, aut eſſet ipſius formæ panis annihilatio, non obſtante quòd eſt eorum materia eiuſdem rationis ſecundum primum & ſecundum modum, & ſimiliter corporeitas in genere, quare & multò fortius in propoſito non eſſet tranſubſtantiatio formæ ſubſtantialis panis in ſubſtantiam animæ, nec per ſe, nec per accidens, ſed potius eſſet eius annihilatio, non obſtante, quòd eſt in eis materia eiuſdem rationis primo modo, & ſimiliter corporeitas in genere ſecundum dictum modum. Et ſic ſicut ſecundum illos non debet concedi, quòd conuerſio fiat in hominem ſimpliciter, eò ꝙ homo nominat compoſitum ex corpore, & ſubſtãtia, anima rationalis non ſolum vt dat eſſe corporeum, ſed etiam vt dat eſſe ſenſitiuum, & rationale, ſic non debet concedi, quòd fiat tranſubſtantiatio in hominem ſecundum quod eſt corpus ſimpliciter: homo enim non dicit, vt dictum eſt, aliquod compoſitum eiuſdem rationis cum alijs corporibus, ſeu ſubiectum à quo ſumitur communitas generis naturæ, quæ ſufficit ad non tranſubſtantiationem in ſubiectum animæ coniunctæ. Sicut enim nõ poteſt fieri tranſubſtantiatio in animam ſeparatam, ſic nec in coniunctam, licèt ab anima coniuncta ſumatur aliqua ratio communitatis generis naturæ cum alijs corporibus, qualem non habent cum anima ſeparata. Et ſic non ſicut dicunt, ſine intẽdunt dicere eadem via naturæ ex homine põt fieri panis, & è conuerſò per multas tranſmutationes medias, ſicut ex pane poteſt fieri lapis, & è conuerſò, vt patet ex dictis: non enim nominat homo cõ-

poſitum.

positum ex naturali materia, sicut pànis: dico secundum eandem rationem materiæ propinquam, & hoc quia anima rationalis non est educibilis de potentia materiæ, sicut educibilis est forma perficiens materiam panis, aut lapidis, vt dictum est. Propter quod etiam anima rationalis non consimiliter dicitur forma naturalis, sicut forma panis, aut lapidis, nec eodem modo naturalitatis per omnem modum perficere naturam, nec materiã eiusdem rationis. Vnde nec etiam omninò vniformiter dicitur generari naturaliter homo ab homine, sicut asinus ab asino, licèt non dicatur creari q̃is tota substantia animæ creetur, secundum quod in quæstionib. de vnitate formæ in homine latiùs materiam hanc circunstantia tacta sunt. Ex quo patet, quòd non potest rationabiliter dici, ꝙ si concedatur, ꝙ in totum compositum ex corpore & anima, quod est homo fiat transubstantiatio p se, ꝙ tamen non oportet fieri conuersionem in substantiam animæ: immò hoc est necessarium. Sed postquàm conceditur, quòd nullo modo fiat transubstantiatio in substantiam animæ, nullo modo debet concedi, ꝙ fiat transubstantiatio in totũ hominem per se, quia tunc transubstantiatio fit in totum hominem nõ nisi per alteram partem eius, scilicet per solam materiam, & sic non nisi per accidens in totum hominem, & vlterius nec per se, nec per accidens in animam rationalem, quia nihil conuenit parti per accidẽs ratione totius quin cõueniat toti per se, quemadmodũ rationalis anima in homine generatur quoquo modo per accidens, quia totus homo generatur per se.

Quod ergo additur pro simili, quòd totus homo dicitur generari, & tamen anima, quæ est eius forma non generatur, nec per se, nec per accidens. Dico, ꝙ falsum est: immò per accidens generatur modo quodam, quemadmodum & materia generatur per accidens: licèt enim neutrum eorum generetur per se, quo ad suam substantiam, ambo tamen generantur per accidens, inquantum sunt de compositione hominis, qui generatur per se, sicut etiam forma educta de potentia materiæ generatur per accidens secundum Philosophum, & Cõmentatorem 8. Metaphys. licèt anima rationalis magis per accidens generetur, quàm forma educta de potentia materiæ: & similiter materia magis per accidens, quàm forma educta de potentia materiæ. Vnde si concederetur, ꝙ transubstantiatio panis fieret in totum hominem per se, (quod nego) concedi oporteret, quòd fieret in substantiam animæ per accidens: non tamen in substantiam animæ, vt dictum est.

Ad primum argumentum, ꝙ Deus potest facere, quòd sola anima sit forma hominis, puto, ꝙ nõ est verum, eò quòd hoc non esset factibile, nisi omnino mutaretur natura transmutaretur, & sic anima non esset anima, & occurreret contradictio. *Ad 1. pri.*

Quòd probatur, ꝙ hoc est Deo possibile, qui potest transmutare accidens de subiecto in subiectum. Dicendum, ꝙ hoc non contingit, nisi quia qualitates symbolæ naræ sunt manere in generato, & corrupto, & hoc propter subiecti identitatem, & sic idem esse naturæ suæ conseruãt propter identitatem subiecti, cum quo habent communicantiam, siue fuerit sub vna forma substantiali, siue sub alia; non sic autem est eadem ratio subiecti respectu animæ, vt est cum forma corporali educta de materia, & vt est sine illa: immò, vt est sine illa, materia nullo modo habet rationem subiecti respectu solius animæ, & sic anima non est sicut aliquod symbolum ad materiam puram, & ad materiam sub corporeitate, sicut est cicatrix ad materiã, vt est sub forma viui, & vt est sub forma mortui. Propter quod non potest transferri anima, vt informet solam materiam, quam informauit cum forma corporeitatis, licèt possit transferri cicatrix vt informet materiam sub forma mortui, quę eandem informauit sub forma viui.

Comment. in Quæstionem decimam, quæ est,

Vtrum solã anima intellectiua possit esse forma substantialis in homine.

IN titulo diligenter not. quòd homo hoc loco, accipitur potius materialiter, quàm formaliter. Hominis enim vt hominis sola anima intellectiua est forma, & de hoc non debet esse difficultas, nam sola anima huiusmodi dat esse homini, vt homini, sed dum sumitur homo materialiter, sumitur quatenus est quoddam compositum ex quatuor elementis tanquam materia proxima, & huius quæritur forma. In corpore est conclusio negatiuè responsiua quæsito. Vbi not. quod vult Auctor probare animam intellectiuam dari formam materialis, de qua rõ semel dictum est: Et ideò probare videtur illam ex secunda ratione, quàm ipse concedit. Fortè autem iterum mouit hanc quæstionem, vt solueret nouam dubitationem, quòd vtique patet in litera, in qua cum satis clarè loquatur Auctor, & de his à nobis cum Doctore satis dictum sit, nempè, tùm de formarum pluralitate in homine, tùm de transubstantiatione, nihil aliud addere voluimus.

QVAESTIO

QVAESTIO VNDECIMA.

Vtrum corpus hominis damnati in inferno possit esse simul calidum summè, & summè frigidum.



SEQVVNTVR quæsita pertinentia ad accidentalia homini. Quorum primum & vnicum erat de accidẽ tali homini pro statu dãnationis, & hoc ex parte corporis: Vtrum corpus hominis damnati in inferno possit simul esse summè calidum, & summè frigidum. Alia autem plura erant pertinentia ad hominem pro statu vitæ præsentis, de quibus statim.

Arg prime. Circa primum arguitur, quòd corpus hominis damnati simul possit esse summè calidum, & summè frigidum, quia in hoc non incidit cõtradictio, eo quòd calidum, & frigidum opponuntur cõtrariè non contradictoriè. Deus autem potest facere quæcunque non implicant contradictionem. Nec habẽt esse circa idem, quia circa aliam potentiam materiæ habet esse calidum, & circa aliam frigidum.

In oppos. Contra. Super 4. Metaphysicæ dicit Commentator. Si non possunt esse simul contradictoria, nec contraria, quia non compatiuntur se.

Responsio. Dico, quòd illud impossibile est fieri, quod omninò repugnat rei naturæ: nunc autem naturæ rei, & quæ ineſt, & cui ineſt omninò repugnat, quòd aliquid sibi insit naturaliter, ad quod est indisposita natura, cui ineſt. Quare cum calidum, & frigidum, & vniuersaliter contraria nata sint fieri circa idem naturaliter, & materia vt est sub vno contrariorum excellẽti omninò est indisposita ad esse sub contrario excellenti, licèt citra suas intensiones, siue excellentias contraria omnia, quæ recipiunt magis, & minus, possint esse simul: idcircò dico, quòd impossibile est corpus damnati simul esse summè calidum, & summè frigidum.

An autem pati possit ab vtroque simul absque calefactione, & infrigidatione, de hoc dicendum, sicut iam dictũ est de passione animæ an pati possit à calore absque eo, quòd calefiat.

Quod ergo arguitur ad primam partem, quòd Deus hoc potest facere. Dico, quòd verum est si sit factibile, sed dico, quòd non est factibile. Quod arguitur, quòd immò, quia non occurrit contradictio. Dico, quòd falsum est. Et quod arguitur quòd non, quia calidum & frigidum sunt contraria non contradictoria. Dico, quòd vtrum est primò, & per se, sed quando sunt in excellenti a reducuntur ad contradictoria, & habent in se vim contradictoriorum: calidum enim in summo, & frigidum in summo opponuntur, sicut calidum, & non calidum, & sicut frigidum, & non frigidum.

Quod iterum arguitur, quòd non sunt contradictoria, quia non sunt circa idem. Dico, quòd immò, quia ly circa dicit circunstantiam subiecti, & materię tantùm: ly ex autem benè potest etiam dicere circunstantiam potentiæ, & ita sunt simpliciter circa idem, quod ponit contradictionem, qq. non sunt ex eadem potentia: illa.n. potentia nõ ponit rem aliquã supra substantiam, sed solùmmodò respectum eius ad formam, vt alibi declarauimus.

Comment. in Quæstionem vndecimam, quæ est,

Vtrum corpus hominis damnati in inferno possit esse simul calidum summè, & summè frigidum.

TITVLVS non eget declaratione.

In corpore est conclusio. Quòd impossibile sit simul corpus summè calidum, & summè frigidum. Probatur. Illud est impossibile, quod repugnat rei naturæ, sed id repugnat rei naturæ. Igitur est impossibile. Pater maior. Minor verò probatur. Naturę rei, quæ ineſt, & cui ineſt, repugnat quod aliquid sibi insit naturaliter, ad quod indisposita natura, cui ineſt, sed cum natura est sub vno contrariorum excellenter; est indisposita ad aliud; calidum verò, & frigidum sunt contraria.

Nor. quòd re vera conclusio est Aristotelis præsertim in 9. Metaphysic. 19. & alibi, quod contraria in eodem simul esse impossibile, quod ante ipsum quoque dixerat Plato in quarto de Repub. immò id inopinabile esse dicit in decimo. Eius sequuntur omnes Platonici, atque Peripatetici omnes. si autem calidum, atque frigidum sunt contraria, manifestum est, quia mutuò se expellunt. Cæterum difficultas est, quoniam dicere pollet aduersarius, verum quidem est, id repugnare naturæ, ita quod natura non potest duo simul contraria iungere, vt maneant in eodem in suo esse, sed vtique Deus potest. sed vtique Deus potest id, si id non implicat contradictionem, implicare autem dicit Auctor in responsione ad argumentum. Et profectò ideo implicant, quia quòd est summè calidum, est prorsus non frigidum.

Aliter si aliquam secum compateretur frigiditatem, nõ esset summè talis, & è contra. Vnde summè tale non solum est positiuè, sed etiam negatiuè, à qua negatione oritur contradictio.

QVAESTIO DVODECIMA.

Vtrum Christus si fuisset mortuus senio, fuisset secundum corpus putrefactus.

SEQVVNTVR pertinentia ad hominem accidentaliter pro statu vitæ præsentis. Quorum primum & vltimum erat pertinens ad Christum, qui est, & erat Deus & homo. Vtrum Christus si fuisset mortuus senio fuisset secundum corpus putrefactus. Plura aũt alia erant de homine puro.

Arg prim. Circa primum arguitur, ꝙ sic, quia natura non incipit motum quem non potest terminare secundum Philosophum 3. Metaphysicæ. Terminus autem corruptionis corporis viuentis est putrefactio, secundum Philosophum in 4. Meteoro. ergo cum natura istum corruptionis terminũ in senio Christi per eius mortem incepisset: ergo &c.

In oppos. Contra. Tunc non fuisset verum illud dictum Prophetæ; Non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Resp. Dico de ista putrefactione corporis, de qua est quæstio, sicut de morte Ezechiæ dicit beatus Gregorius lib. 10. Mora. sic inquiẽs. Nulla, quæ in hoc mundo hominibus fiunt absque omnipotentis Dei occulto consilio eueniunt: nam cuncta Deus præsciens ante sæcula decreuit, quæ per sæcula disponuntur, nec Propheta igitur fallax, quia tempus mortis innotuit quo vir ille mori merebatur, nec Dominica statuta conuulsa sunt, quia vt ex largitate Dei anni vitæ crescerent, hoc quoque ante tẽpora præfixum fuit. Secundum hũc ergo modum dico ad quæstionem, ꝙ Christus si mortuus fuisset confectus senio quantum est ex cursu motus naturalis fuisset corpus eius putrefactum, sicut tunc qñ nuntiauit Esaias, Ezechias fuisset mortuus. Quantum tamen est ex diuina præordinatione puto, quòd putrefactum nequaquam fuisset etiam si vsque ad resurrectionem vniuersalem Deus resurrectionem Christi distulisset, quia cũ ab initio in Christi incarnatione filius Dei humanam naturã integram, & quo ad corpus, & quo ad animam assumpsit, quod indubitabiliter assumpsit piè credendum est. Depositum autem corpus illud separata anima, si putrefactione corruptum fuisset. Sic ergo pietati fidei adhærendo dico, quòd putrefactum non fuisset, nec incineratum, sed Deus sua ordinatione integrum custodisset, quousque ipsum resurrecturum decreuisset.

Difficul. Nec est difficultas in hac quæstione alia, quàm verum postquàm mortuus fuit in cruce statim corrupta fuerit in eo forma corporeitatis, aut corrupta fuisset, si non fuisset accelerata Christi resurrectio. Puto enim, quòd in nullo casu fuisset corruptum, sed diuina ordinatione conseruatum miraculosè, sicut miraculosè additi fuerunt quindecim anni annis naturalibus Ezechiæ, non dico miraculo nouo operato à Deo inter Christi mortem, & resurrectionem, sed antiquo miraculo quo. s. filius Dei in sua incarnatione indubitabiliter integrã humanam naturam assumpsit, dicente Damasceno lib. 3. cap. 3. Indiuisibiliter, & inconfusibiliter, & indistanter, & immiscibiliter in duabus naturis vnam hypostasim confitemur filij Dei. Et Leo Papa sermone 10. de natali dicit sic; Quia etsi vnum manet ab æternitate, aliud cœpit ex tempore, tamen in vnitatem conueniunt, vt nec separationem possint habere, nec finem: dum ita sibi inhæserũt, vt sine in omnipotentis, siue in contumeliam nec diuina in Christo careant humanis, nec humanã diuinis. Et sic humana natura in Christo finem habere non potuit nec ex parte animæ, nec ex parte corporis, quæ vt ipse vt dicit in sermone 8. Finiri nisi aut consumptione, aut separatione nõ posset. Eodem igitur miraculo, quò tunc corpus Christi assumpsit cum anima sibi coniuncta, ipsum conseruauit à corruptione ipsa anima separata, & hoc insinuant verba Prophetæ. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. Glossa secundum Augustũ. corpus meum à te sanctificatum, quasi diceret, ex hoc, quòd sanctificatum est à te non permittes ipsum videre corruptionẽ. Erat autem illa sanctificatio per hoc, quòd ex vnione humanæ naturæ cum diuina natura vnxit eum Deus præ participibus suis, & secundum hæc concedenda est secũda ratio.

Ad dictã Petr. Apo. Vnde quod Petrus arguit in actibus c. 2. & 13. verificari verbum Dauid per resurrectionem Christi acceleratam, non est argumentum à causa, sed à signo tantùm, quia etsi non fuisset accelerata, adhuc tamen verificatum fuisset verbum Dauid propter aliam causam iam dictam.

Ad argu. prim. Ad primum in oppositum, quòd natura non incipit motum, quem non potest terminare, Dico, quòd verum est, si non esset impedita à superiore, & primo agente & mouente, cuius motum potius sequitur natura omnis, quàm motum naturæ inferioris, & potius debet iudicari fiendum simpliciter, quod est fiendum, vel non fiendum secundum causam naturalem superiorem, quam quod est fiendum, vel non fiendum secundum causam particularem inferiorem. Et per hunc modum natura in Ezechia motum ad mortem eius incepit, quem non implenit. Et sic quia in proposito impeditus fuisset motus naturæ in morte Christi ex senio per causam superiorem, bene potuisset natura istum motum incepisse, quem non potuit terminasse stante tali impedimento: potuisset tamen simpliciter, & absolutè ipsum terminasse quantum erat ex se.

Comment. in Quæstionem duodecimam, quæ est,

Vtrum Christus si fuisset mortuus senio, fuisset secundum corpus putrefactus.

ITVLVS satis notus, sed certè potest extendi etiam ad hoc quærendo, vtrum si postquàm mortuus fuit Christus violenter, & non senio confectus, si iam iam non fuisset accelerata eius resurrectio corpus illud putrefactum fuisset.

In corpore duplex conclusio. Prima, quòd ex cursu motus naturæ fuisset putrefactum.

Declaratur hæc conclusio exemplo Ezechiæ, qui secundum naturæ cursum mortuus fuisset, quando illi mortem nuntiauit Esaias, quòd si mortuus non est, id fuit, quoniam à diuina potentia suspensus est naturæ motus, sicut ab æterno præuidit, & præordinauit, vt hoc ex Gregorio.

Secunda conclusio, iuxta fidei pietatem existimandum est, quòd non esset putrefactum corpus illud, sed conseruatum à verbo diuino, quòd illud assumpsit.

Declaratur hæc conclusio eadem D. Gregorio, & ex Leone, Augustino, & glossa confirmatur, quæ omnia satis clara leguntur in litera.

QVAESTIO XIII.

Vtrum non sperans vitam futuram debeat secundum rectam rationem eligere mori pro Republica.

SEQVITVR de pertinentib. ad hominem purum pro statu huius vitæ actiuæ. Quorum primum vnicum erat pertinens ad infideles: Vtrum non sperans vitam futuram debeat secundum rectam rationem eligere mori pro Republica. Alia verò plura erant pertinentia ad homines fideles, de quibus statim.

Arg prim. primum. Circa illud primum arguitur, quòd non, quia nullus agens secundum rectam rationem debet eligere illud, quo est miser, quia secundum Augustinum, sicut omnes volumus naturaliter esse beati, sic omnes volumus non esse miseri, sed talis moriens pro Republica inquantum huiusmodi est miser, dicente August. 13. de Trinitate, cap. 13. vbi loquens de spe vitæ futuræ dicit sic. Qui spe beatus est expectat per patientiam beatitudinem, quam non tenet: qui autem sine spe tali, sine vlla tali mercede cruciatur quantamlibet adhibuerit tolerantiam non est beatus veraciter, sed miser fortiter: ergo &c.

Secundum. Item qui sine tali spe est, non minus debet diligere vitam suam naturalem, quàm ille, qui est cum tali spe, debet diligere vitam suam spiritualem, qua scilicet vivit per gratiam, & charitatem, quia sicut iste in vita sua spirituali habet verum bonum sibi, ita ille in vita sua naturali, sed habens talem spem non debet mortem ei contrariam, quæ est mors peccati, secundum rectam rationem eligere pro Republica, dicente Anicl. libro Meditationum; Si peccare Deum dehonorare est, hoc homo facere non deberet, etiam si necesse esset quicquid est, qd Deus non est, perire: ergo &c.

In oppos. primum. Contra. Bonum commune secundum rectam rationem debet præferri priuato, quare cum vita talis sit bonum priuatum, salus Reipublicæ est bonum commune: ergo &c.

Secundum Item sicut membra se habent in corpore, sic se habent in Republica diuersæ personæ, secundum Apost. primæ Corinth. 12. sed membrum pro corpore debet vitam suam exponere: ergo & quælibet persona pro Republica.

Responsio. Dico, quòd illud, quòd secundum rectam rationem debet fieri, apud omnes æqualiter debet fieri, & ab omnibus rectam rationem habentib. æqualiter debet iudicari debere fieri, nec in hoc diuersificari debent iudicia Philosophorum, & Catholicorum, nec aliter debet iudicare sperans aliam vitam, quàm non sperans, nec è conuersò. Sicut enim quod verum est apud quosdam, verum est apud omnes, nec est aliquid verum secundum Philosophiam veram, quod non sit verum secundum Theologiam, nec è conuersò, sic est de eo, quod rectum est, aut faciendum secundum rectam rationem, & sic in ista quæstione non debet aliter sentire bonus Theologus, q̃ sentiret verus Philosophus, nec è conuersò, & consimiliter de eo, quod est falsum, & contra rectam rationem.

Nunc autem ita est, quòd secundum rectam rationem sperans vitam aliam, iudicare debet secundum rectam rationem, quòd præeligendum est mori pro salute Reipublicæ, non tàm quia sperat pœnam mortis sibi restitui, & recompensari in præmio vitæ futuræ, quàm quia non eligens hoc peccaret, & Deum offenderet quicunque pro Republica vitam suam temporalem non exponeret, quare & idem debet iudicare non sperans vitam futuram, quòd scilicet secundum rectam rationem pro Republica eligendum est mori, & hoc quia non eligens hoc peccaret, etsi Dei offendam non timeret propter pœnam futuram, quia illam nō crederet: secundum autem rectam rationem semper opera virtutum eligenda sunt, & opera vitiorum sunt fugienda, etiam si non sperarentur vita alia. Hinc habendo respectum ad fugam dixit quidam Philosophus; Si scirē Deos ignoscituros, & homines ignoraturos peccare dedignaretur, propter exercitiu autem virtutum dicit Ber. in Epist. ad Garinū Abbatem, Vera virtus finem nescit, nunquam iustus

dicit.

dicit, satis est, si semper viueret, semper quantum in se est iustior esse conenderet; & hoc quia virtutes sunt secundum rectam rationem, secundum quam homo, secundum quod homo viuere debet. Hoc enim est ei secundum naturam suam viuere. Vitia verò sunt contra rectam rationem. Sic ergo dico, quòd secundum rectam rationem etiam nō sperans aliam vitā debet eligere mori pro Repub. Non addo autem cum necesse est, aut pro salute Reipublicæ, quia qui eligeret mori cum non esset necesse eum mori pro salute Reipublicæ, vt quando ei aliter de facili posset prouideri, ille non eligeret propriè mori pro Republica, sed pro temeritate sua. Similiter, qui eligeret mori non pro salute Reipublicæ, sed non pro iustitia, & innocentia eius defendenda, sed pro honore, & gloria, & huiusmodi Reipublicæ contra iustitiam conseruandis, ille non diceretur eligere mori pro Republica, sed potius pro iactantia, & cupiditate. Est enim talis nō verè fortis, sed solùmmodò assimilatur ei. Tales autem appellat, vt videtur, Philosophus fortes secundum Politicam fortitudinem, de quibus dicit ibidem, Videntur sustinere pericula propter eas, quæ ex legibus vituperationes, & opprobria, & propter honores: tales autem Homerus facit fortes, puta Diomedem, & Hectora. Vnde mortem, & alia mala pœnæ oportet declinare per se, dicente Augustin. 13. de Trinit. cap. 7. vbi loquens de bono iusto. Quamuis (inquit) per fortitudinem sit paratus excipere, & æquo ferrè animo quicquid aduersitatis acciderit: mauult tamen, vt non accidat, & si possit facit. Intelligo nisi debeat declinatio ipsorum alicuius turpis nobis causa fieri. Turpe autem appellatur vitium, quod semper declinandum est: & ideò vt declinetur vitiū mors declinanda non est: potius enim oportet omnia mala pœnæ pati, quàm malo culpæ consentire. Vnde vbi Philosophus in 4. Ethicorum dixit, Nihil mortuis videbitur, nec bonum, nec malum esse, quia vt dicit Cōmentator, mortuus nihil declinat vt malum, nec desiderat vt bonum, cōtinuò addit: Non videtur autem fortis ille, qui non timet quenquam per mortem, sed quæ in maximo, & optimo periculo, siue, vt dicit Commentator, p salute patriæ, legum, amicorum, & libertatis. In his ergo & sic factis periculis intimiditas est, p ria fortis. Vnde & addit Philosophus; Principaliter autem dicetur fortis, qui circa bonam mortē impauidus, & quæcunque eam inferunt: talia autem maximè sunt, quæ circa bellum, & infra. Fortis autem insuperabilis vt homo, timebit hgitur talia, vt oportet, & vt ratio sustinebit boni gratia. Hic enim est finis virtutis. Idem libro 9. Verum est, quod do studioso dicitur, & amicorum gratia multa agere, & pati, & si opportet mori. Vbi exponendo ly omnia dicit Commentator: Non omnia agit gratia amici; puta quæcunque verecundiam, siue confusionem afferunt, & ad vtilitatem veri honoris non tendunt. Pro Republica igitur secundum rectam rationem mori ēdum est, etsi nō esset spes vitæ futuræ. Quod procul dubio sentit ipse Philosophus circa felicem felicitate Politica, de qua loquens in primo Ethico. dicit, Perfectum bonum, & per se sufficiens dicimus non soli viuenti vitam solitariam, sed & parentibus, & filijs, & vxori, & amicis, & ciuibus, & consistit in bonū huiusmodi in imperturbabiliter operari secundum virtutem perfectam, quæ est prudentia, opera virtutum moralium, quæ sunt fortitudo, temperantia, & iustitia, cui melius, & beatius est in breui hora vnum magnum opus agere secundum virtutē, quàm diu viuere in operibus paruis. Propter hoc igitur mori pro Republica non solum est simpliciter melius, quia plurib⁹, sed etiam melius est ipsi, secundum quod dicit in 9. Ethico. Omnis intellectus eligit optimum sibi ipsi: repientes autem obsedit intellectu. Proijcit enim & pecunias, & honores, & totaliter circumpugnantia bona, procurans sibi ipsi bonum. Paucū etenim tempus delectari valdè magis eligeret, quàm multum quietè, & viuere benè annum, quàm multos annos qualitercunque, & vnam actionem bonam, & magnam quàm multas paruas. Morientibus hoc fortè accidit. Eligunt vtique magnum bonum sibi ipsis. Si ergo hoc sentit Philosophus de felicitate Politica, scilicet quòd secundum rationem rectam debet eligere mori pro Republica, quia in hoc eligit magis bonum, vt tangit per totum. Quæro quid sentit de felici felicitate speculatiua, de qua dicit in decimo, Talis est melior vita, quàm quæ secundum hominem: non enim secundum quod homo est hic vivit, sed secundum quod diuinum aliquod in ipso existit. Si enim sentit de ipso felici speculatiuo, quòd secundum rectam rationē debet eligere mori pro Republica, quæro an hoc sentit, quia est sibi ipsi bonum, an quia simpliciter bonum, licet non sibi ipsi. Non quia sibi ipsi bonum, quoniā cum hoc operatur secundum fortitudinem Politicam ad modum Politici: ergo hoc non est ipsi bonum, quoniam cum hoc operatur secundum fortitudinem Politicam ad modum politici: ergo hoc non est ipsi bonum, nisi ad modum quo dictū est Politicum esse bonum, scilicet quòd melius, & beatius est in breui hora vnum opus magnum agere, &c.

Quæstio de felici speculatiuo.

Quod non est verum, quia ita nequaquàm contingit in aliqua operatione secundum virtutē politicam tantùm delectari quantuncunque sit magna, quantùm secundum virtutem speculatiuam, quia illa habet mirabiles delectationes, vt dicit in libro decimo, Non ergo esset ipsi bonum, quia caderet à maiore, & permanentiore delectatione ad minorem, & breuiorem. Aut ergo sentit Philosophus, q felix felicitate speculatiua non deberet eligere mori secundum rectam rationem pro Republica, quia est melius ipsi, aut si hoc deberet eligere secūdum rectam rationem, hoc esset, quia esset melius simpliciter, licèt non ipsi secundū modum

dum

dum, quo illud ponit Philosophus esse melius politico. Quicquid de hoc sentit Philosophus, non credo ipsum recte sensisse de felici speculatiuo, aut sensit, quia secundum rectam rationem speculatiuã deberet illud eligere, quia illud est melius simpliciter, & etiam ipsi; quia etsi non ipsi melius est quo ad boni alicuius acquisitionem, nec omnino, nec pro illa hora: eũ tamen melius ipsi quo ad euasionem mali culpæ, secundum quem modum & politicus, etiã si nullo modo esset melius ipsi, quo ad boni acquisitionem: deberet tamen illud eligere, quod est melius simpliciter: & etiam melius illi, quo ad euasionem mali culpæ.

Dico ergo, quòd ad hoc vterque eorum: tam felix politicus, quàm speculatiuus tenetur de iure naturæ, & quod peccaret si illud non eligeret, & quòd turpiter viueret: melius est autem bene mori, quàm turpiter viuere, & quo ad hoc etiã melius est ipsi, quia licet per talem mortem non acquireret bonum sibi, sed potius omnia bona sua amitteret: secundum enim quod dicitur de politico in quarto Ethic. Felicior in morte tristior est: tali enim maximè viuere dignum, & iste maximè bonis priuatur scienter: iste autem hoc, & sic licèt bonũ ei non contingeret, quod innuit Philosophus p hoc, quod sequitur ibidem, sed nihilo minus fortis: forsitan autem & magis, quoniam in bello bonum pro illo eligit: tamen secundum rectam rationem deberet illud eligere, quia per hoc euaderet turpitudinẽ vitij, vt ibi dicitur in quarto: fortis autem erat terribilia homini existentia sustinere propter bonum, vel turpe.

Non propter bonum, si acquirendum, vel propter non incurrendum turpe, hoc est turpitudinẽ culpæ. Et sic secundum rectam rationem debet non sperans aliam vitam, eligere mori pro Republica, sicut & sperans illam ex charitate, & sicut iste secundum rectam rationem deberet eligere mori pro Republica secundum prædictum modũ etiam si per huiusmodi mortem nihil mereretur, quod esset recepturus in alia vita. Propter quod, vt dicit Tullius libro primo de Offic. is, præclarè scriptum est à Platone, Non nobis solum nati sumus, ortusq; nostri partem patria vendicat partem amici. Atque vt placet Stoicis, quæ in terris gignuntur ad vsum hominum omnia creari: homines autem hominum causa esse generatos, vt ipsi inter se alius alij prodesse possent. In hoc naturam debemus ducem sequi, communesque vtilitates in medium afferre mutatione officiorum.

Idem in oratione populari ad Senatum. Sic ab initio fui animatus, vt non magis me mea causa putarem esse natum, quàm Reipublicæ procreatũ. Nihil duri, vel acerbi mihi erit quo Respublica curabitur: neque enim mors misera est, quæ ob Rempublicam capitur, neque exercitium turpe est, quod virtute suscipitur, præsertim cum hę pœnæ nonnullam habeant in se consolationem, cum vt dicit libro primo inuentarum. Patria mihi vita mea multò charior est. Idem lib. 4. Mihi quidẽ hæc cõditio data est, vt omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatusq; perferam non solum fortiter, sed etiam libenter, dummodo meis laboribus vrbis pariter quæ Reipublicæ dignitas, salusque patiantur, æquo animo, paratoque moriar. Non enim turpis mors forti viro potest accidere, neque misera sapienti. Itaque sapientes nunquam cauti, fortes etiam sæpe appetierunt. Vnde quia Philosophus secundum rectam rationem mori eligendum sentiebat pro Republica politico forti, & sapienti contemplatiuo, etiam si nihil boni, sed solum amissio boni inde eis contingeret secundũ modum iam expositum: ideò quando dixit in 9. libro vnam bonam actionẽ magnam, quàm multas paruas morientibus eligendam: eligunt vtique magnum bonum sibi ipsis, addidit forte, quia etsi illud non contingeret: nihilominus tamen mori sic secundum rectam rationem eligeret. Et secundũ hoc concedendæ sunt duæ vltimæ rationes inductæ ad istam partem.

Quòd si forte aliquis poneret, q Philosophus non poneret felicem speculatiuum debere eligere mori dicto modo quasi sit omninò sequestratus ab humana societate non viuens quasi homo mortalis, sed quasi diuinus & immortalis, vt dicit Philosophus in quarto Ethicorum, & quòd ideo non tenetur descendere à sua felicitate cõtemplatiua ad actionem politicam pro Republica, & sic ponendo hoc dicere ad primam rationem, q verum est, q bonum publicum præferẽdum est priuato: dum tamen bonum priuatum includatur in publico, aliter non, licèt simpliciter sit præferendum quantũ est ex parte sui, non tamen quantũ est ex parte illius, cuius bonum priuatum non includitur in bono publico. Et similiter si diceret ad secundam, quòd vnum membrum exponit se mortis periculo propter conseruationem totius: verum est quando membrum non habet proprium intellectum, nec potest habere suum bonum proprium separatum extra bonum totius: si tamen pars; vel membrum haberet proprium intellectum, & bonum, quod separatim posset obtinere, quale habet speculatiuus, nequaquam eligeret illud. Ista nõ possunt stare, quia etsi Philosophus circa ea, quæ sunt ad finem multa secundum rectam rationem sentiebat, & illa quæ tenet fides Catholica: circa illa tamen in ordinando ipsa ad finem, & circa ipsum finem vitæ humanæ in multis errabat, sicut & alij Philosophi, quia vt dicit August. sibi ipsi fabricabant quandam felicitatem percipiendam in vita præsenti, quæ est finis operum virtutis, & sic ad alium finem ordinabant virtutum opera, quàm ordinet fides Catholica, quæ ordinat illa ad beatitudinem percipiendam in vita futura; & sic errauit: si tamen potuit (quod non credo) felicem speculatiuum sic subtractum fuisse à societate humana, quòd non teneretur in aliquo Reipub. hoc enim est contra ius naturæ, vt dictum est, à quo abstolli non

Obiectio respondẽs ad primum in oppositum.

Reiectio ad dictum.

Ad secundum.

Aliter reiectio.

Reiectio

non potuit, nisi posuisset, quòd in felicitate illa speculatiua positus esset extra statum peccandi, sicut sunt Beati in gloria, quod omninò erroneum est, quia ergo semper manet naturaliter obligatus Reipublicæ, & est in statu merendi, & demerendi, tenetur semper eligere mori pro Republica, secundum dictum modum, & hoc quia licèt bonum suum priuatum aliquod positiuum non includitur in illo bono publico, includitur tamen in illo bonum eius priuatum quasi negatiuum, scilicet euatio turpitudinis, & mali culpæ, vt dictum est, & hoc sufficit ad propositum.

Quod si in bono publico non sic includeretur bonum suum priuatum, puto quòd nullo modo deberet eligere mori dicto modo, sicut nec tenentur hoc eligere Sancti in patria, quia non esset in hoc debitor Reipublicæ, sicut nec Sancti in patria, quia sicut illi non sunt pars ciuitatis Ecclesiæ militantis, nec de foro eius; sic nec iste esset pars societatis humanæ, secundum quod hoc videtur sentire Philosophus in nono Metaphysicæ, vbi dicit quòd vir eremita neque est bonus, neque malus, vbi dicit Commentator, quia non est pars ciuitatis. Vir autem eremita secundum Philosophum erat fœlix fœlicitate speculatiua.

Reiectio solu. ad secundum. Similiter quod dicitur ad secundum quòd membrum habens proprium intellectum, & proprium bonum separatum non deberet eligere mori dicto modo, nisi bonum suum includeretur in bono communi, non valet: quia licèt singula membra haberent singulos intellectus in iudicio secundum rectam rationem de eligendo illum actum, deberent plures intellectus illorum esse vnus: etenim licèt, vt dictum est, bonum illius priuatum positiuum non includatur in illo bono publico, includitur tamen in illo bonum eius, quasi negatiuum: & quod amplius est, licèt bonum eius priuatum positiuum non includatur in illo bono publico: tamen intantùm dependet ab illo, quòd nisi eligeret mori dicto modo, per vitium & turpe, quòd incurreret amitteret suum bonum priuatū, quia non potest stare bonum virtutis, aut fœlicitatis cuiuscunque cum vitio.

Alia respō sio. Si verò dicatur secundum iam dicta, quòd iste speculatiuus non est pars ciuitatis, & ita non membrum, propter quod nullo modo tenetur se exponere morti pro Republica, & sic nec peccaret non eligendo illud.

Reiectio. Dico, quòd puto si ita esset, quòd nullo modo esset pars ciuitatis, quia moriendo amitteret omnia bona sua, & nihil boni acquireret, nihilque mali effugeret, quòd nullo modo illud eligere deberet, sicut nec aliquis homo viuens siue iustus, siue peccator deberet eligere aliquod peccatum committere, aut se perpetuò damnari, vt omnes alij perpetuò saluarentur, sicut tenigit secundum argumentum ad partem contrariam. Sed non est ita. Vir enim eremita quantuncunque sit abstractus ab humana societate, semper tamen in aliquo illius solatio indiget: & ideò manet ei naturaliter obligatus semper.

Vnde etsi non sit pars eius, quo ad exercitium multorum actuum, qui pertinent ad vitam politicam circa regimen domus, & familiæ, & circa amicos, & huiusmodi: est tamen semper manens pars eius, quo ad exercitium actus necessarij ad salutem Reipublicæ conseruandæ.

Vnde si Respublica indigeret, quòd vir eremita Philosophus speculatiuus, & tractus à communi vita esset rector Regni, Prouinciæ aut Ciuitatis, ipse dimissa sua speculatione deberet descendere ad actionem, & fieri Rector Ciuitatis, & Reipublicæ, sicut hactenus fiebant Philosophi, vt amplius declarabitur inferius in quæstione antepenultima.

Ad illud, quod arguitur primò in contrarium, quòd nemo debet eligere mori pro Republica secundum rectam rationem, quia hoc eligendo esset miser, vt dicit Augustinus.

Ad primū principale. Dico secundum prædicta, quòd reuera miser esset simpliciter in hoc, ꝙ omnia bona sua, & naturalia, & acquisita qualiacunque essent amitteret, & secundum intentionem Augustin. ad pœnas æternas descenderet: esset tamen miserior non eligendo illud, quia culpam incurreret, & maior est miseria culpæ, quàm cuiuscunque pœnæ siue damni, huc sensus.

Secundum rectam autem rationem potius eligēdum est id, quo quis minus miser est, quèm quo quis est magis miser, & hoc sub conditione si alterum oporteret incurrere, vt contingit in proposito, licèt neutrum illorum esset simpliciter eligendum.

Ad secundum. Ad secundum, quòd existens sine tali spe non debet eligere mortem suam naturalem, sicut nec existens in gratia mortem spiritualem.

Dico secundum prædicta, quòd non est simile, quia iste morte spirituali amitteret omne bonum suum, & incurreret omne malum, scilicet culpæ & pœnæ, cui se obligaret: non sic autem ille, qui morte sua naturali saltem effugeret malum culpæ, quod incurreret non eligendo mori: & ideò iste deberet eligere mori morte naturę: nullo tamen modo iste deberet eligere mori morte spirituali, vt patet ex dictis.

Comment. in Quæstionem XIII. quæ est,

Vtrum non separans vitam futuram debeat secundum rectam rationem eligere mori pro Republica.

IN titulo adnotandum est, quòd quæstio primò dupliciter pōt intelligi, siquidem primò simpliciter de omni homine. Secundo tantùm de homine Philosopho. Et si hoc secundum, cum duplex sit Philosophia, altera in contemplatione posita, & altera in actione, sic & duplex Philosophus est, alter contemplatiuus, alter actiuus, qui & fœlix appellatur: vita enim philosophica, vita beata, & fœlix esse videtur. Nunc autem iuxta omnes modos intelligi quæstio potest.

Not. insuper, quod aliter resoluitur quæstio simpliciter, & aliter ad aures Aristotelis.

In corpore est conclusio vniuersalis secundum veritatem. Quod vnusquisque siue Philosophus, siue non, debet eligere mori pro Republica.

Probatur. Illud ab omnibus eligendum est, cuius oppositum peccatum est, sed mori pro Republica est secundum rectam rationem, cuius oppositum peccatum est, igitur eligendum est. Maior propositio patet, quia nunquam decet peccare secundum rectam rationem, si quidem virtus, quæ opponitur vitio, sequitur semper rectam rationem. Minor patet, quia qui non eligit mori pro Republica, præfert bonum priuatum bono communi, sed hoc peccatum est, igitur &c.

Not. autem quòd id de homine simpliciter intelligitur, ac fœlici ciuili, dicit etiam Aristoteles, & Auerr. vt per eius verba patet, quæ citantur in litera. De fœlici autem speculatiuo videntur negare.

His autem ratione, & auctoritate contradicit Auctor.

Ratio est. Quia peccaret præferendo bonum priuatum bono communi, quòd secundum rectam rationem peccatum est. Auctoritas autem est Platonis, & Ciceronis, quorum plura leguntur in litera satis clare. Vide autem Franciscum Picolom. gradu 6. suæ moralis, cap. 17. & 18.

QVAESTIO XIIII.

Vtrum prudentia possit generari sine generatione virtutis moralis.

SEQVVNTVR quæsita pertinentia ad homines fideles pro statu huius vitæ, vbi quærebatur vnicum pertinens ad habitum virtutis. Vtrum, s. prudētia possit generari sine gñatione virtutis moralis. Et plura alia ptinentia ad exercitiū actus.

Arg. prime. Circa illud vnicum arguitur, ꝙ prudētia possit generari sine virtute morali, quia dictante recta ratione aliquid faciendum, voluntas potest non eligere illud cū effectu, & qua ratione hoc potest fieri semel ex parte intellectus, & similiter ex parte voluntatis, eadem ratione & pluries, sed hoc faciendo generatur prudentia in ratione sine generatione virtutis moralis in volūtate, quia in ratione conseruatur generatiuum virtutis: in voluntate verò generatiuum vitij: ergo &c.

In oppos. Secunda pars. Tertia pars. Contra. Si sic esset, tunc virtutes non essent cōnexæ cum prudentia, quod est contra Philos. 7. Ethic. Sequeretur ēt ꝙ essent contrariæ in eodem, scilicet vitium in voluntate, quod non remouetur vno actu, & prudētia generata sine morali virtute.

Resp. Dico, ꝙ duplex est prudentia in hominis intellectu practico. Vna naturalis, quæ est origo alterius, & principiū acquirendi illam. Alia verò acquisita. Prudentia illa naturalis est naturale iudicatorium circa operabilia in intellectu practico, sicut est naturale iudicatoriū circa speculabilia in intellectu speculatiuo, quod est quædam speculatiua naturalis, de qua dicit Aug. 10. de Trinit. in princ. Nisi breuiter impressam in animo cuiusque doctrinæ haberemus notionem, nullo ad eam discendā studio flagraremus, quia rem omninò incognitam amare nullus potest omninò, & Philosophus dicit 9. Metaphysic. Necesse est, vt addiscens habeat aliquid de cognitione, quia non mouetur aliquid ad aliud nisi habeat aliquid in se de eo ad quod mouetur. Vbi dicit Comment. 1. omne quod generat & fit aliquid, impossibile est hoc fieri nisi habeat aliquid naturaliter ex eo, quod habebit in postremo, v. g. quoniam citharizando citharœdimus, & impossibile est, vt citharizet aliquis nisi habeat aliquid de arte citharizandi. Et ideò asinus non addiscit citharizare, nec homo qui non est natus citharizare. De prudentia autē naturali circa operabilia, dicit Hieron. in Epist. ad Demetriadem. Bonum generaliter cunctis institutum est. Est. n. in animis nostris naturalis quædam, vt ita dixerim, sanctitas quæ velut in arce animi præsidens exercet boni, mali q; iudicium, & vt honestis, rectisq; actib. fauet, ita turpia quæq; opera condemnat. Et sicut se habet in hoc ex parte intellectus, ꝙ in ipso sunt quædā seminaria scientiarum, sic se habet ex parte uoluntatis, ꝙ in ipsa sunt quædam seminaria moraliū virtutū, quia vt iam dictum est, aliter impossibile esset, vt ad ipsas acquirendas moueretur. Dicta aūt prudentia naturali intellectus practicus ab initio primitiuo operis determinat ea, q̄ sunt ad finem, sicut volūtas dictis principijs seminalib. virtutum moraliū determinat, & præstituit ipsum finem. Cūque aūt voluntas ab initio præstituerit finem, & intellectus practicus id, quod est ad finem, & hoc ante operis inchoationem, tunc voluntas incipiendo operari incipit velle id, quod ad finem, & operando illud tendere in finē. Sic aūt operante uolūtate incipit generari uirtus moralis in uoluntate, & incipit intellectus practicus ex opere uoluntatis experiri in singularibus operabilia, qualiter possint, & debeant opari, & dirigi in

finem,

finem, & statim incipit generari prudentia practica in intellectu, & tunc intellectus per id, quod naturaliter sibi est inditum simul, & per id, quod sibi ex primo actu est acquisitum, præstituit ad operandum ad finem, & voluntas illud eligit, & operatur vt prius; & sic igitur virtus moralis in voluntate, & prudentia in intellectu, & sic deinceps vsque ad perfectionem habituum.

Et ideò dico, quòd mixtim generatur virtus moralis cum prudentia practica, quæ verè practica est dicenda, ita quòd vna earum nullo modo sine altera generari potest, & secundum rationem eiusdem mensuræ, vt quantum quisque acquirit de virtute morali, tantum acquirit & de prudentia, & per hoc necesse est omnes virtutes in prudentia esse connexas, secundum quod hoc alias in quæstione quadam de virtutum connexione latiùs declaratum est, quinto Quolibet, quæstione 16. & 17, & secundum hoc benè procedit prima pars rationis ad secundam partem quæstionis.

Ad argu. princip. Ad rationem in contrarium, quòd qua ratione semel recta ratione iudicante aliquid agendum voluntas potest illud non eligere, eadem ratione & pluries.

Dico, quòd falsum est, quia cum primò eligit contra rectam rationem, inficitur vitio, à qua infectione voluntatis statim incipit obscurari ratio, & obliquari à sua rectitudine, & sic incipit deficere à rectitudine iudicij gradatim, & interscalatim quousque voluntate in vitio obstinata ratio sit excæcata. Et videtur talia bona simpliciter ad qualia voluntas est infecta, & iudicat opposita principiorum in moralibus esse eligenda, dicente Gregorio nono Moral. super illud Iob, Vir vanus in superbiam erigitur. A leuibus (inquit) malis incipiens cum ad grauiora peruenitur, vanitas mentem obnubilat, iniquitas cæcat, quia, vt dicit libro vndecimo Moralium, iuxta mensuram vniuscuiusque peccati, intelligentiæ cæcitas generatur.

Ad secundam partē arg. in oppositum. Quòd assumitur in secunda parte rationis in contrarium, quòd nisi simul generarentur virtus moralis & prudentia, essent simul contraria virtus & vitium in eodem.

Dico, quòd re vera simul generantur, sed hoc potest intelligi dupliciter. Vno modo sic, quòd in primo actu, quo intellectus experitur operanda, generetur prudentia, quo ad substantiam, licèt sub ratione incompletissima, & in primo actu voluntatis similiter moralis virtus sub ratione dispositionis incompletissimæ. Alio modo sic, q̃ nihil virtutis, quòd natum est fieri dispositio, vel habitus generatur in primis actibus, sed solùm modò dispositio aliqua, quæ tamen non est nata fieri habitus, quæ est difficultatis ad bonum amotio, quæ est annexa habitui vitioso.

Quæ cum sufficienter fuerit amota, & subiectum per hoc factum est quasi materia, quæ est necessitas ad vitij corruptionem, & virtutis generationem: tunc primò generantur simul prudentia, & virtus moralis. Sed si ita est, vt dicitur in isto secundo modo, vera actio per se terminatur ad aliquid positiuum, sed solùm ad priuatiuum, quod est contrà naturam rei, quia semper agens, & patiens, etsi sint in principio contraria, in fine tamen sunt similia: & ideo quantum amouetur de contrario, & terminatur actio ad aliquid priuatiuum, tantum necesse est, vt generetur de illi, & terminatur ad aliquid positiuum, quod est illud non sit forma principaliter generanda, est tamen aliqua dispositio positiua manens cum illa, vt est caliditas quando generatur de aqua ignis, ita quòd in tali transmutatione terminatur actio per se ad positiuum: per accidens autem ad priuatiuum, & sicut hoc contingit in naturalibus, sic & in voluntarijs. Sed in generatione habituum non est dare aliquid positiuum generari, per quod cum amotione contrarij subiectum fiat quasi materia, quæ est necessitas ad habitum, nisi ipsam dispositionem, quæ nata est fieri habitus: ergo &c.

Quòd planè patet per hoc, quòd in hominibus in statu innocentiæ habitus fuissent generati consimiliter secundum modos agendi intellectus, & voluntatis, licèt ibi expeditius: & tamen ibi non fuisset omninò aliqua difficultas ex vitio amouenda.

Quolibet 5 quæst. 16. ad tertiam partem. Dico ergo, quòd secundum quòd aliàs determinauì, in primo actu generationis habitus generatur id, quod natum est fieri habitus completus per augmentum ex cunctis actibus sequentibus. Et quod assumitur, quòd vitium non remouetur vno actu, verum est: attamen remittitur secundum modum eius, & id quod natum est fieri habitus generatur, & augmentatur.

Et quod ex hoc concluditur, quòd tunc contraria simul sunt in eodem.

Dico, quòd hoc est necessarium in omni generatione, & corruptione formarum recipientium magis & minus: citra tamen ipsorum excellentias in quibus sese non compatiuntur, vt dictum est supra: citra enim suas excellentias omnia talia sese benè compatiuntur.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem XIIII. quæ est,

Vtrum prudentia possit generari sine generatione virtutis moralis.

TITVLVS satis clarus.

In corpore distinctio est de prudentia, & duplex conclusio.

Distinctio est, quòd prudentia alia dicitur naturalis, alia dicitur acquisita. Naturalis est principium acquirendi aliam, quæ dicitur prudentia acquisita, & etiam practica. Et de hac naturali loquuntur Hieronymus, Augustinus, & Commentator, vt patet in litera.

Prima conclusio. Prudentia naturalis est, & potest esse sine virtute.

Probatur. Antecedit enim omnem virtutem moralem: quod autem aliquid antecedit naturaliter potest esse sine illo.

Secunda conclusio. Prudentia acquisita non potest generari sine generatione virtutis.

Probatur. Intellectus practicus non operatur nisi moueatur à voluntate: ergo secundum quod mouetur voluntas, ita mouetur intellectus practicus. Iam verò intellectus practicus non tendit ad bonum finè, nec eligit media recta ad finem nisi prius voluntas bona media eligat: ergo prudentia non generatur sine virtute: probatur consequentia quoniam electio voluntatis huiusmodi est actus virtutis, & electio huiusmodi intellectus practici est actus prudentiæ, igitur cum ex actibus generetur habitus, sequitur quòd non generatur habitus prudentiæ nisi generentur simul habitus virtutis.

Not. quòd re vera ita se habent prudentia, atque moralis virtus, quòd sibi inuicem esse causæ videntur, vt mutuò se se præcedant, & consequantur, siue succedant, quasi altera ex altera mutuò generetur. Præcipuè autem præelectio mediorum est principium moralis actionis. Non obstant, qui dicunt prudentiam contingere munere diuino, quoniam non loquuntur de acquisita, de qua loquimur nos in præsentia.

Accedit, quòd prudentia tametsi distinguatur à moralibus virtutibus, est omnium virtutum epilogus, atque vinculum, sed Aristotelis hæc sententia est in Ethicorum. Impossibile esse prudentem non esse bonum: de virtute autem loquês, ait, quòd virtus sit habitus, qui habentem perficit, & omne opus eius bonum reddit. Ex quo sequitur, vt non sit prudens nisi virtute præditus. Quòd si hoc verum est, iam sententia eius est, quòd prudentia generari non possit nisi cum virtute. Sed profectò quod ratiocinando colligimus, planè habet ipse Aristoteles secundo magnorum Moralium cap 7. Quod neque absque prudentia aliæ virtutes fiunt, neque prudentia perfecta est absque aliis virtutibus, sed cooperantur quodammodo à se inuicem consequentes prudentiam, quod vtique videtur esse illud, quòd habet Gregorius libro 22. Moralium, scilcèt quòd nec prudentia vera est, quæ iusta, & temperans, & fortis non est, nec temperantia perfecta, quæ fortis iusta, & prudens non est, nec fortitudo integra, quæ prudens fortis, & temperans non est, quam sententiam etiam legimus super Ezechielē homil. nona. immò & clarò idipsum dixisse legimus in libris de Repub. & Xenophon. libro secundo de vita Cyri, sed hæc hactenus: Cætera quippe clara videntur.

QVAESTIO XV.

Vtrum Episcopus possit subditis suis pro excessibus, & criminibus infligere pœnam pecuniariam conuertendam in vsum proprium, vel pauperum, vel Ecclesiæ suæ.

SEQVVNTVR pertinentia ad exercitium actus hominis in vita ista. Et erant quædā pertinentia ad actus absolutè: alia verò pertinentia ad actus in quadam comparatione.

Circa primum erat vnicum pertinens ad actum Episcoporum: Vtrum Episcopus possit subditis suis pro excessibus, & criminibus infligere pœnam pecuniariam conuertendam in vsum proprium, vel pauperum, vel Ecclesiæ suæ. Alterum verò erat pertinens ad actum Doctorum. Vtrum scholasticè docens falsum ex sinistra affectione motus, peccet mortaliter. Duo autem alia erant pertinētia ad Religiosos, quorum primum erat, vtrum Monachus Regulę Sancti Benedicti scholaris petens per literas ab aliquo officialium Monasterij sui pecuniam ex indigentia ad opus studij sui, peccet mortaliter, & similiter ille, qui eam illi mittit. Secundum erat, vtrum ille ad cuius manus tales literæ veniunt, si eas aperiat, & legat Abbatique suo eas ostendat, peccet mortaliter. Alia autem erant plura pertinentia ad quascunque personas, indifferenter. s. Tria aūt erant, quorum Primum erat, Vtrum excōicatus sit ille, qui legit aliquid de libr. interdicto sub pœna excōicationis latæ sententiæ, Secundum, Vtrum debens facere aliquid ex vna causa, liberet se à debito, faciendo illud ex alia cā. Tertium, vtrum licet alicui dare ecclesię cuiq̄ cortam summam pecuniæ ad emendū terras ad opus illius ecclesiæ, vt detur ei certa summa pecuniæ ad vitam suam.

Circa primum arguitur, quòd Episcopus pro excessibus subditorum non possit exigere pecuniā, quia Micheę 3. reprehenduntur iudices, qui in muneribus iudicabant, & idem prima q 1. Iudices, sed corrigere excessus est actus iudicialis. extra de off. ordin. Dilectus ergo non est exercendus in muneribus, quare &c. Item extra de Simo. Nemo. & 1. q. 1. Qui studet, dicitur ꝙ Giezj pro gratia corporalis sanitatis vendita lepra incurrit: ergo multò fortius, qui pecuniam accipiendo vendit sanitatem spiritualem habendam per correctionem, lepram peccati incurrit: ergo &c. *Arg. princ. primum.* *Secundū.*

Contra dī in decret. extra de pœnis. Licet ꝙ Episcopus in eo casu, in quo dispensare potest, in illo etiam pōt pœnam corporalem, vel spiritualem in pecuniariam cōmutare: ergo multò fortius in alijs casibus, qui dispensatione non indigent. *In oppositū.*

Dico, ꝙ pœna, quæ pro excessibus exigitur, cum sit in satisfactionem, & emendam delicti iam perpetrati, & in cautelam contra delictum perpetrandum, illa debet inūgi, quæ efficacius valet ad hæc duo. Vlterius, quia pœnæ exiguntur potissimū, vt timore arceatur voluntas, nè iterato peccet: idcirco dico, ꝙ pœnæ potius debent exigi, quæ magis timentur secundum status & conditiones horum. *Responsio.*

Et

Et quia pœnæ pecuniariæ quandoque magis timentur: idcirco dico, quòd quando hoc percipit Episcopus, potius debet exigere pœnam pecuniariam, quàm aliam.

Quæ quia non per se, & principaliter ordinatur ad emendam, & satisfactionem sicut pœna corporalis, aut spiritualis, quia excessus committuntur ab intra & corpore, & spiritu principaliter: idcirco dico, quòd pœna pecunialis non est per se, & primò exigenda; nec principaliter, sed in casu prædicto: & ideò, vt dicit ratio vltima, exigentia pœnæ pecuniariæ non est per se exactio pœnæ, sed potius pœnæ commutatio in pœnam.

Ad secundam part. q. Quòd verò vlterius additur in quæstione, an exigere possit eam ad conuertendum in proprios vsus, aut pauperum, aut ecclesiæ suæ.

Dico, quòd non nisi ad conuertendum in vsus pauperum, sed ecclesia sua cui habet prouidere, inter paupertes connumeranda est. Et quia ipsemet debet esse vnus ex pauperibus viuens de bonis pauperum sibi accipiendo necessaria, residua alijs pauperibus dispensando, vt dicit Prosper de vita contemplatiua, & alias latius exposuimus: idcirco etiam dico, quòd pro emēda, & satisfactione excessuum potest accipere emendam pecuniariam, vel ad vsus pauperum, vel ecclesiæ, vel proprios: sic tamen, quòd quando conuertit eam in vsus proprios, bona Ecclesiæ, quę alias esset recepturus conuertat in vsus aliorum pauperum, non aut in fastum & delitias proprias, nè de ipsis possit dici illud Bernardi ad Henricum Senonen. Archiepiscopum, Dicite Pontifices, in freno quid facit aurum? nostrum est, quod effunditis, nobis enim deliter subtrahitur, quod inaniter expenditis, nostris necessitatibus subtrahitur quicquid accedit vanitatibus vestris, & secundum hoc concedenda est vltima ratio.

Ad primū princip. Ad primam in oppositum, quòd corrigere est effectus iudicialis, qui non debet exerceri in muneribus. Dico, quòd correctio tria respicit. Primò correctionem, quam habet facere corrigens in correctum: secundò, vitæ mutationem in melius ex illa consequendam in correcto: tertiò, commissorum pro quibus corrigitur emendam, siue satisfactionem faciendam à correcto.

Quorum primum quod pertinet ad prælatum corripientem, & tertium quod pertinet ad subditum correctum, sunt propter secūdum quod pertinet ad Deum.

Sed primum vt per illud disponatur ad recipiendum in se secundum: tertium verò vt in illo conseruetur. Et sunt tres partes essentiales correctionis iudicialis, sicut sunt tres partes essentiales pœnitentiæ, & quo ad nullam harum trium partium debet fieri correctio iudicialis in muneribus, sicut nec administratio sacramentalis pœnitentiæ quo ad aliquam suarum partium. Est igitur aduertendum, quòd sicut in foro, siue iudicio conscientiæ differunt hæc tria, scilicèt ministrare sacramentum pœnitentiæ in muneribus accipiendis, & ministrare ipsum pro muneribus accipiendis, & pro sacramenti ministratione accipere munus, sic in foro, siue iudicio ecclesiæ differunt hæc tria, scilicèt iudicare in muneribus accipiendis, aut acceptis, & iudicare pro muneribus, & pro ipso iudicio munera accipere.

Iudicare autem in muneribus dicitur ille, qui pecunialem satisfactionem iniungit, non propter vtilitatem correcti, sed propter commodum proprium. Et sic non per dispensationem, & commutationem pœnæ in pœnam, sed per quandam exactionem pœnæ muneris, & hoc non ad satisfaciendū Ecclesiæ, & Deo, sed suo prauo desiderio. Quòd non licet omninò, quia hoc non est iniungere satisfactionem, sed ipsam omninò omittere, & loco eius, quod in emenda satisfaciendum esset Deo, satisfacere suo prauo desiderio. Sicut si administrans sacramentum pœnitentiæ, non intenderet principaliter iniungere aliquid ad satisfaciendum Deo, sed iniungeret sibi dari pecuniam ad satisfaciendum suo prauo desiderio. Vterque enim istorum iudicat in muneribus, quia tertiam partem iudicialis officij pro muneribus accipiendis omittit, & pro eisdem alias duas partes exercet, si ab initio muneris talis acceptionem intendit.

Omnis enim iudicans in muneribus propter omissionem satisfactionis Deo, & Ecclesiæ, quam deberet iniungere, iudicat pro muneribus quo ad alias duas partes, quas propter munera satagit exercere. Propriè autē iudicare pro muneribus, quod tamen nō est iudicare in muneribus, est iudicium integrum exercere secundum tres eius partes, non propter aliud, quam propter muneris mercedem, vel principaliter propter illud, quod similiter nulli licet. Pro iudicio autem munus accipere contingit dupliciter. Vno modo ratione ipsius iudicij, vt scilicèt munus ponatur merces propter quam exercetur iudicium, vel principaliter, vel secundariò, hoc nullo modo licet, quia illud sub precio temporali non cadit: & ideò in omnibus prædictis casibus puto committi simoniam, sicut nec licet propter simoniam exercere quodcunq; aliud opus diuinum circa populum. Vnde super dictum verbū Michęæ dicit Hieronymus, Si quis de Principibus videbatur iudicare, quod erat rectum, vendebat magis sententiam, & in muneribus iudicabat. Sacerdotes quoque non docebant populum nisi accepto precio. Et cum dicitur, Gratis accepistis, gratis date, illi Dei responso pecuniam præferentes gratiam Domini auara mercede vendebant.

Alio autem modo contingit accipere pro iudicio ratione laboris in iudicando, quod potest fieri dupliciter. Vno modo sic, quòd iudicans esset laboraturus iudicando, etsi non esset mercedem muneris consequutus, hoc benè licet.

Alio modo, quòd alias non esset laboraturus quod etiam contingit dupliciter.

Vno modo aggrediendo laborem voluntarie ex muneris desiderio, quod conuenit mercenario, & puto si talis non indiget, quòd non licet ei etiam velle laborare propter munus temporale, etiam si principaliter intendat munus eternum. Si verò sit indigens, & alteri officio obligatus, quod propter istud postponi necesse est, puto, quòd non licet, sicut non licet Religiosis ex desiderio mercedis temporalis voluntarie, & absque coactione hominis, vel conscientiæ dimittere opera contemplatiuæ, & exercere opera actiuæ, quæ incumbunt prælatis Ecclesiæ, vt patebit aliqualiter in quæstione penultima.

Si verò sit indigens, & non obligatus alteri officio, puto quòd licet, si ei permittatur vt pauperi sacerdoti pro labore suo in celebrando Missam recipere denarium, & ex desiderio recipiendi illum, aggredi laborem.

Si autem aliàs non laboraturus aggreditur laborem coactus, puta quando aliquis assumitur in prælatum Ecclesiæ, vel quando cogitur aggredi ipsum ex conscientia, puto quòd coacto primo modo licèt accipere in dicto casu, quia ius habet petendi, & deberet peteré si timeret in non petendo ius suum periclitari.

Coacto autem secundo modo similiter licet accipere in eodem casu, quia ius habet ex obligatione naturali ad illud dandum eorum, quibus seruit, licèt non ex obligatione ciuili. Propter quòd non habet ius petendi.

Dico ergo, quòd prælatus exigens emendam pecuniariam, si eam exigat iudicando in muneribus secundum expositum modum nullo modo licèt ei: tamen et benè licèt commutando pœnam in pœnam. Hoc enim faciendo, nec iudicat in muneribus, nec pro muneribus, nec etiam pro iudicio munus accipit, si non in proprios vsus conuertere intendit, quòd si sic, tunc pro iudicio accipit munus, & in illo casu hoc ei licet facere, vel non facere secundum modum distinctionum in isto membro iam expositarum.

Pro iudicio enim ratione ipsius iudicij non licèt accipere, sed ratione laboris, maximè si aliàs esset laboraturus, & coactus ratione prælaturæ talem aggrediatur laborem, & sit indigens, benè licet ei.

Ad conuertendum autem in proprios vsus præter necessarios, & ad fastum, nullo modo licet: non autem propter ipsam pecuniæ secundum talem modum acceptionem, quam puto simpliciter licere, etiam si non sit indigens, sed propter abusionem. Et secundum hoc dico, quòd pro excessibus licèt Episcopo pecuniam accipere.

Ad secundū princ.

Ad secundum de Gezi patet per idem, illius enim intentio principalis fuit acceptio muneris pro recepta sanitate, ac si Dominus eius Heliseus intendisset recepisse donum muneris pro collata sanitate, quare quia non recepit Heliseus, ille recuperare vicem Domini voluit.

Quòd expresse videntur sonare verba supet hoc facto scripta, quando dixit Giezi ad Naaman, Dominus meus misit me à te &c. Vade si secundum hunc modum pro ipso iudicio ratione iudicij Episcopus pecuniam acciperet, re vera lapra peccati infectus esset, nec liceret ei, quod tamen secundum aliam viam, & modum benè licet ei, vt dictum est.

Comment. in Quæstionem XV. quæ est,

Vtrum Episcopus possit subditis suis pro excessibus, & criminibus infligere pœnam pecuniariam convertendam in vsum proprium, vel pauperum, vel Ecclesiæ suæ.

IN titulo notanda est duplicitas quæstionis: duas enim partes habere videtur, Alteram, vtrum absolutè pro excessibus, & criminibus sit infligenda pœna pecuniaria. Alteram; dato, quod possit, vtrum possit vt conuertenda in vsum proprium &c. Vbi quoniam difficultas est circa conuersionem in vsum proprium, in hoc est distinctio, quod ipse conuertens, aut est conuertens vt pauper, & de numero pauperum, aut non, & ex hoc oritur duplex resolutio.

In corpore sex conclusionibus satisfit quæsito.

Prima conclusio est, Pœnæ sunt infligendæ, vt ob timorem peccantes, corrigantur.

Secunda conclusio: Pœnæ dandæ sunt secundum quod iudicatur eas delinquentes magis timere.

Tertia conclusio; Pœnæ pecuniariæ infligendæ sunt non absolutè, sed si iudicatur, quod magis eas timeant delinquentes, & ex hoc corrigantur, & ab illo abstineant.

Quarta conclusio. Secunda illa potest conuerti in vsum pauperum, & Ecclesiæ.

Quinta conclusio. Potest item Episcopus eam conuertere in vsum proprium si sit pauper.

Sexta conclusio. Non potest conuertere si sit diues, vel si conuertit, debet de cæteris pauperibus subuenire.

Patent omnes istæ conclusiones in litera. Prima quidem ex se. Secunda ex fine infligendi pœnas: ob hoc enim infligantur, vt timore corrigantur de hoc constat, nempe ex prima conclusione.


Tertia item ex superioribus nota est, posterior verò ex secunda.

Quarta patet ex Prospero, & consequenter ex eodem.

Quinta patet, & ex vltima secundi Quolib. & alibi.

Sexta verò ex D. Bernardo in litera. Cætera clara videntur.

In responsione ad primum not. plures conclusiones ad aliam quæstionem facientes de muneribus acceptis à iudicibus, & reduc ad hanc formam, vt facilè intelligas.



In hac tabella hisque conclusionibus credimus haberi totum id, quod habet in responsione ad argumentum, quæ omnia satis patent.

QVAESTIO

HENRICI VAGANDAVO

QVAESTIO XVI.

Vtrum Scolasticè docens falsum ex sinistra affectione motus, peccet mortaliter.

Arg prima.



IRCA Secundum arguitur, q Scholasticè docens &c. peccet mortaliter, quia est alijs causa errandi: oportet enim discipulum credere dictis magistri.

In oppos.

Contra, Talis fortè docet talia ex conscientia credens ipsa esse vera, & sic peccaret docendo contrarium: ergo &c.

Responsio.

Dico, quòd Scholasticè docens falsa, si docet illa mala affectione motus, siue ex passione pro illa hora, siue ex habitu vitioso odij, vel inuidiæ cõtra alios, in quorum grauamen docet falsa, aut fauoris inordinati pro aliquibus, quibus est cõiunctus, si sint talia falsa, quæ pertinent ad fidem, & mores, non solum peccat mortaliter propter motum odij, vel inuidiæ, sed etiam propter actum docendi falsa.

Si verò non sunt talia, quòd pertineant ad fidem, aut mores, licèt peccaret mortaliter ex motu illo, aut etiam ex mala voluntate, quam habet in docendo talia: non tamen oporteret, quòd ex actu docendi peccaret morialiter, sed fortè venialiter, eò quòd nullum periculum esset sentire hoc plus, quàm contrarium eius.

Ad argu. princip.

Ad primum, quòd talis mortaliter peccat, quia est alijs causa errandi. Dico, quòd verum est, si sit error periculosus, qualis est ille, qui est circa ea, quæ sunt fidei, aut morum. Si autem non sit circa talia, bene potest peccare tantùm venialiter quantùm est ex ipso actu docendi, vt dictum est.

Et dico, quòd tali modo peccat quantum est ex se & doctrina sua, quia venenum propinauit; & si non sit qui bibat, eò quòd fortè non est, qui in docendo illi credat.

Quòd autem assumitur in argumento, quòd oportet discipulum credere dictis magistri.

Ad probationem.

Dico, quòd verum est in eis, quæ prius non nouit, & quę ipsi sunt alias dubia, & hoc in audiendo magistrum, postmodum tamen discipulus ordinatius debet penes se examinare dicta magistri antequàm eis firmiter adhæreat, dicẽte Boetio in fine libri secundi de disciplina Schol. Miserrimi est ingenij semper inuentis vti, & nunquam inuentis. Stultius est magistratus orationibus omninò confidere, sed primò est credendum donec videatur quid sentiat, postea fingendum est eundem in docendo erraſſe, vt fortè reperire queat quid commissæ obuiet sedulitati.

Ad arg. in oppos.

Ad argumentum in oppositum, quòd fortè talia docet ex conscientia. Dico, quòd quamuis doceat ea ex conscientia, quia tamen illa conscientia est erronea, cuius ipse est causa, habitum vitiosum odij, vel fauoris sibi adgenerando, vel morum quo ratio obscuratur non repellendo, sicut supponit quæstio: ideò in hoc ipse non excusatur omninò. Vnde talis, qui docet falsa ex tali conscientia erronea, quam sibi formauit credendo illa esse vera, stante tali conscientia perplexus est, quia peccat docendo secundum conscientiam falsa, & etiam peccaret docendo contra conscientiam contraria vera.

Comment. in Quæstionem XVI. quæ est,

Vtrum Scholasticè docens falsum ex sinistra affectione motus, peccet mortaliter.



ITVLVS vt iacet, nisi velis facere difficultatem super quid intelligendum sit per sinistram affectionem. Ideò not. quòd sinistra affectio contradistinguitur ab ignorantia puræ negationis, sed non ab ignorantia prauæ dispositionis, & affectatæ, ac crassæ: vnde sinistra affectio potest esse ex huiusmodi ignorantia. Potest quintam prouenire ex motu inuidiæ, & odij, vel personarum audientium, vel aliorum, qui impugnatam veritatem tenent, quòd forte aliquando ipsi vidimus, & audiuimus quod vt sint quidem lectores discordes ab alijs, non curant si sint ab ipsa veritate discordes. In corpore est distinctio de eo, cuius est veritas impugnata. Est enim aut materia fidei, cuius nempè contrarium aduersatur fidei, vel non.

Prima conclusio. Docens falsum in his, quæ sunt fidei cum tali affectione mortaliter peccat.

Secunda conclusio. Docens falsum in alijs non mortaliter peccat, sed fortè tantùm venialiter.

Not. q in actione huiusmodi duo includuntur. Primum est actus ipse docendi. Secundum est causa taliter docendi.

Vtraque autem conclusio, maximè verò secunda, respiciunt actum docendi tantùm. non autem causam, quæ si inspiciatur in docente ea, quæ non sunt fidei, potest esse peccatum mortale, vt si esset zelo amaritudinis inuidiæ, vel odij.

Not. pro prima conclusione, quòd dicit D. Thomas ex glossa in Opusc. 19. cap. 3. quòd qui quod docendum est tacet, peccat. colligo. Multò magis ergo, qui contrarium docet. Melius enim est tacere veritatem, quod aliquando licet, quàm dicere falsitatem.

QVAESTIO XVII.

Vtrum Monachus scolaris Sancti benedicti possit petere pecuniam per literas ab aliquo officiali Monasterij sui, ex indigentia ad opus studij sui, sine peccato mortali, & similiter de mittente.

Arg primo. 

IRCA Tertiũ arguitur, quòd Monachus scholaris non possit petere pecuniam per literas ab aliquo officiali Monasterij sui, nec ille mittere sine peccato, qa scribitur in Regula Beati Benedicti, quòd nulli liceat literas, vel aliqua munuscula à quoquam recipere sine licentia Abbatis. Idem habetur 12. quæst. prima, Non dicatis.

In oppos. Contra est consuetudo. Dico, quòd si officialis illo tam amplam habet administrationem sibi commissam ab Abbate, vel specialiter, vel generaliter quo ad omnes huiusmodi officium exercentes, vel de consuetudine ex conscientia Abbatum conseruata, quòd possit eleemosynas facere de bonis pertinentibus ad suum officium, & hoc nouit ille scholaris. Dico, quòd ille officialis sine peccato potest illi pecuniam ad vsus necessarios sui studij mittere; quia potius tenetur de administratione sibi commissa subuenire fratri suo Monacho, quàm extraneo.

Respons. Et similiter ille scholaris potest eam sine peccato petere per literas.

Ad prim. Quanquam enim in Regula sit ordinatum, q̃ nullus literas cuiquam mitteret sine licentia Abbatis, in hoc tamen, quòd eum ad scholas mittit concedit ei licentiam exercendi illa, quæ requirit status scholasticus, quorum vnum est, vt puto, literas mittere pro indigentijs suis implendis. Si verò officialis ille non habet aliquo dictorum modorum tam amplam administrationem sibi cõmissam, quòd possit eleemosynas facere, aut donaria de bonis pertinentibus ad officium suum, tunc peccat in mittendo pecuniam, & similiter ille scholaris in petendo eam, si illud nouit, quòd non licet ab aliquo petere, quod non licet illum dare. Si verò de tali potestate illius officialis dubitat, potest sine peccato ei scribere, quòd sibi mittat pecuniam sub conditione tamen si potestatem super hoc habeat. Per hæc patent obiecta vtriusque partis.

Comment. in Quæstionem XVII. quæ est,

Vtrum Monachus scolaris Sancti Benedicti possit petere pecuniam per literas ab aliquo officiali Monasterij sui, ex indigentia ad opus studij sui, sine peccato mortali, & similiter de mittente.

TITVLVS est satis notus. Intelligitur autem non petita licentia ab Abbate.
In corpore est distinctio. Quòd vel ille minister, cui petitur, vel mittit, habet amplam licentiam eleemosinas faciendi secundum quod illi rectum iudicium porrigit, vel non.
Prima conclusio. Minister habet &c non committitur peccatum mittendo, neque petendo.
Patet conclusio, quoniam subuenitur ei tanquam pauper, cui licet subuenire, &c.
Secunda conclusio. Committitur peccatum si non sit licentia faciendi eleemosynas.

QVAESTIO XVIII.

Vtrum ille, ad cuius manus veniunt tales literæ, si eas aperiat, & legat Abbatique suo eas ostendat, peccet mortaliter.

Arg prime. 

IRCA Quartum arguitur, q̃ ille ad cuius manus veniunt tales literæ, si eas aperiat, & legat, & lectas Abbati tradat, mortaliter peccat, quia per hoc proximum suum scandalizat.

In oppos. Contra est, quòd ille malum impedit, nè fiat, scilicet bonorum Monasterij distractio contra regulam.

Resp. Dico, quòd in tali facto est considerare duo, vnum scilicet & literarum illarum apertionem, & lecturam, aliud literarum ostensionem Abbati. Quo ad primum articulum dico, quòd nisi firmiter præsumeret ille, quòd literæ deuenientes ad manus suas continerent illicitum, & quòd vergere possent in detrimentum Monasterij, si non impediretur earum processus, ille multum peccaret qui secreta proximi sui rimari cõtenderet curiosè. An mortaliter, an venialiter hoc iudicãdum est secundum modum libidinis, & intentionem, quam habuit ad respiciendum contenta in illa, & procedendi si posset contra mittentem, & illum cui mittuntur, nec in hoc certum quid determinare possumus. Si verò ille firmiter præsumeret, quòd literæ illæ continerent illicitum, & aliquid quod posset vergere in detrimentum Monasterij si non impe-

impediretur earum processus, puto, quòd licitum est literas illas aperire, & respicere contenta in eis, & quod peccaret si hoc non faceret.

Quo ad secundum articulum, si literæ illæ non continerent illicitum, nec aliquid qd posset vergere in detrimentum Monasterij.

Dico, quòd peccaret eas ostendendo Abbati, quia fortè minus iustè posset prouocari Abbas cõtra alium, scilicet mittentem literas, & eum cui mittebantur, vel contra vtrunque, & in hoc quo quo modo daret occasionem scandali.

Si verò continerent aliquid illicitum, aut aliquid quod posset vergere in detrimentum Monasterij, nec id probabiliter præsumi posset, & absq; ostensione facta Abbati illicitum illud corrigi posset, & periculo obuiaret.

Respons.

Dico, quòd in isto casu peccaret, & materiam scandali daret illas literas ostendendo Abbati. Sin autem aliter, puto, quòd non peccaret illas ostendendo Abbati tãquam illi, qui omnibus deberet velle prodesse, & nulli obesse: immò vt puto multum peccaret illas non ostendẽdo Abbati. Et per hoc patent obiecta ad vtranque partem.

Comment. in Quæstionem XVIII. quæ est,

Vtrum ille, ad cuius manus veniunt tales literæ, si eas aperiat, & legat, Abbatique suo eas ostendat, peccet mortaliter.

NOTA titulo intellige, nè dum de literis, de quibus facta est mentio in titulo superioris quæstionis, sed extende etiam ad quodcunque genus literarum, quæ mitti solent, & recipi à Monachis ex indulgentia communi temporis, vbi Abbates permittunt literas accipi, mitiùs se habentes, quàm Regula requirat propter bonum, vel pacis, vel nè peius accidat quod in obedientiæ detrimentum fiat: per eum verò, ad quem veniunt, intellige casum extraneum tamen.

In corpore distinguitur primò quæstio in duos articulos, quorum primus est de apertione literarum, & lectura, secundus de ostensione Abbatis.

Circa primum articulum distinctio est, quòd aperiens, aut finis firmiter tenet in illis literis contineri aliquod illicitum, aut non firmiter id tenet.

Prima conclusio, si non teneat firmiter contineri aliquod illicitum, peccaret aperiendo, atque legendo, magis & minus grauiter, secundum libidinem vnde motus est ad aperiendum, & intentionem.

Not. quòd quoniam varia esse potest intentio aperientis, atque libido, non potest ita determinari. Tamen ad tollenda omnia scandala, & errores, sunt Religiones, quæ sub pœna excommunicationis latæ sententiæ legem posuerunt, nè quis alterius literas aperire, legereque præsumat, & sunt, quæ graues alias pœnas impo suerunt. Vtrique autem fecit nostra Camaldulensis, boni pacis conseruandi, & iustitiæ gratia.

Secunda conclusio ad hunc articulum. Si firmiter teneret aperiens, quòd illæ literæ continerent aliquod prorsus illicitum, vnde aliquod malum accidere posset Monasterio nisi impediretur, non peccaret: immò ô ra peccaret non impediẽdo.

Cæterum hoc videtur durum vbi pœna excommunicationis latæ sententiæ contra aperientes viget, quando siue iusta, siue iniusta timenda sit. Et certe diceremus, quod qui existimaret certo tale contineri, cum lex sit contra aperientes, & legentes, nec aperire, nec legere deberet, sed potius clausas retinere superiori ostendendas iuxta quæstionis resolutionem in secundo articulo. Et similiter si sententia esset contra quomodocunque impedientes, & retinentes, quoniam præsumitur iudicem noluisse iniustam tulisse sententiam, intolerabilem errorem continentem. Circa igitur secundum articulum est distinctio, quòd vel literæ lectæ deprehenduntur non continere illicitum, quod existimabatur, vel sic. Et si sic, aut iudicatur, quod sine ostensione potest error corrigi. Vel non.

Prima conclusio. Si non continet illicitum, peccaret mortaliter ostendendo. Probatur, quia minus iustè posset prouocari ex hoc Abbas ad agendum contra scribentem, & eum, ad quem mittebantur.

Secunda conclusio. Si crederet malum procedere, nisi ostendendo obuiaret, peccaret non ostendendo, non peccaret autem ostendendo.

Tertia conclusio. Si probabiliter præsumi potest, quòd malum aliquod non subsequatur sine ostensione, peccaret ostendens. Probatur quia materiam scandali daret sine necessitate.

Sic diceremus, vbi lex grauis est de apertione, quòd sine illa deberent manifestari literæ superiori, vbi habetur timor probabilis, malum aliquod esse prouenturum, sine tali manifestatione, sed cautus procedere deberet ob primam conclusionem huius articuli. In lege tamen excommunicationis, & forte simpliciter, tutius est se gerere simpliciter animo, & non indagare aliorum secretas actiones, nè dum solicitiores simus in alijs corrigendis, nos apud Deum reos faciamus.

QVAESTIO XIX.

Vtrum sit excommunicatus ille, qui legit aliquid de libro interdicto sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

Arg prim.

CIRCA Quintũ arguitur, quòd legẽs aliquid de libro sub excommunicatione interdicto est excõmunicatus, quia qui simpliciter interdicit nihil excipit, quia quod simpliciter dicitur nullo addito dicitur. Si autem nihil excipit, totũ ergo interdicit, quia qui nihil excipit (vt videtur) totum interdicit: ergo &cæt.

In oppos.

Contra. Liber aliquando interdicitur propter aliquod falsum contentum in illo, in quo plurima bona alia continentur simul, quæ benè licèt legere, quia illicitum esset interdicere, ne quod

quod bonum est, legatur.

Responsio. Dico, quòd legere potest aliquis de libro interdicto aliquid dupliciter. Vno modo prout est scriptum in illius libri contextu. Alio modo prout inuenitur seorsum scriptum alibi. Si primo modo, dico, quòd legens aliquid scienter, & ex proposito in libro sic interdicto, est excõmunicatus nisi specialem super hoc, aut generalem habuerit licentiam ab interdicente, & hoc quemadmodum excommunicatus esset, qui aliquid exponeret de libro interdicto sub excommunicatione, nè quis exponeret aliquid de cõtentis in illo, quemadmodum modo excommunicatus esset, qui aliquid exponeret de contentis in constitutione Domini Nicolai Papæ super Regulam Fratrum Minorum in legendo eam aliter, quàm Grãmaticè ex certa sciẽtia, & deliberatè. Si secundo modo dico, quòd non est excommunicatus, quia ad hoc non extendit se, nec debet extendere intentio interdicẽtis, quemadmodum ille non esset excommunicatus, qui legendo Euangelium in loco vbi est sermo de aliquo, quod tactum est in illa Regula, exponeret illud aliter, expositione tamen consona fidei, aut clarius, quàm sit expositum in illa Regula.

Per prædicta patent argumenta vtriusq. partis. Ad obiecta. Dico enim, quòd nihil contentum in libro interdicto, quantuncunque contineat in se veram doctrinam, & sanam, licet legere prout ibi continetur continuatum ad antecedentia, & consequentia, in quibus continentur illa etronea, propter q̃ est interdictus. Sicut nec licet exponere Euangelica contenta in constitutione dicta Domini Nicolai Papæ, aliter quam Grammaticè, & quam literæ sonat. Dico, vt sunt contenta in illa, & continuata ad antecedentia, & consequentia. Benè tamen licet legere contentum in libro interdicto, maximè quod continet in se veritatem, & sanam doctrinam, prout continetur alibi seorsum continuatum ad antecedentia, & consequentia, in quibus non continentur illa erronea, propter quæ est interdictus. Sicut benè licet exponere Euangelica dicta contenta in illa constitutione, vt tamen continentur in Euangelio continuato ad antecedentia, & consequentia Euangelica.

Comment. in Quæstionem XIX. quæ est,

Vtrum sit excommunicatus ille, qui legit aliquid de libro interdicto sub pœna excommunicationis latæ sententiæ.

TITVLVS satis clarus.

In corpore distinguitur de ly aliquid. Intelligitur enim de aliqua sententia.

Et quidem distinctio est, quod vel legitur illud aliquid in ipso libro interdicto, vel in aliquo alio libro non interdicto.

Prima conclusio. In libro interdicto qui legit, excommunicatus est, nisi habeat spacialem auctoritatem, vel licentiam.

Secunda conclusio. Legens aliquid de libro interdicto in alio libro non interdicto non est excommunicatus.

Not. pro prima conclusione, quòd ex Sacro Concilio præsertim Tridentino habetur, quòd scilicet nemo etiam retinere apud se potest libros huiusmodi sub pœna excommunicationis, vnde multò magis esset excommunicatus qui legeret: excipiuntur autem licentiati, vt Inquisitores, & alij, quibus Ecclesiæ placet licentiam impartiri.

Not. pro secunda conclusione, quòd ly aliquid potest intelligi, tùm interdictum de interdicto, cùm etiam non interdictum de interdicto. Est autem interdictum de interdicto aliqua sententia hæretica, dum legitur in aliquo libro interdicto, vt si aliqua ex prauis sentent jis Lutheri, vel Calumi legeretur in suis item libris. Non interdictum verò de interdicto est Catholica sententia dum legeretur in libro interdicto. Vtroque autem modo legens esset excommunicatus. De eo autem, quod non est interdictum in libro non interdicto, nulla est difficultas, quia tametsi possit reperiri in interdicto, nullam tamen habet relationem ad ipsum. Sed difficultas est de interdicto in non interdicto: de quo tamen indubitanter ponitur secunda conclusio, quòd non esset excommunicatus. Et iure quidem, quoniam pauci Sanctorum Patrum possent legi, in quibus interdicta nonnulla narrantur, tum ex antiquis hæreticis in antiquis Patribus, cùm ex modernis in recentioribus; vt tamen confutentur, & non terjantur.

QVAESTIO XX.

Vtrum debens facere aliquid ex vna causa, liberet se faciendo illud ex alia causa.

Arg. prim. CREA Sextum arguitur, q̃ debens facere aliquid ex vna causa, non liberet se à debito si faciat illud ex alia causa, quia si quis debet alteri decem ex mutuò, & det ei decem ex mera liberalitate, & gratuitò non liberat se à debito aliorum decem.

Secundò. Item si aliquis promittit aliquid voto, vel iuramento ex vno proposito, puta Religionem intrare ex deuotione, siue proposito experiendi illam, non se liberat à debito voti, vel iuramenti intrando sub proposito non experiendi, sed statim exeundi: ergo &c.

Antecedẽs Probatio. Probatio antecedentis est, quia qui soluit votũ Deo, satisfacit; sic intrans non satisfacit Deo, cum sic intrare Deus non acceptet, quia sic intrans, peccat mortaliter, tùm quia mentitur cùm ab eo inquiritur si habeat propositum experiendi, dicẽdo, q̃ sic, aliter enim non admitteretur, tum quia

proponit

proponit se aliquid facturum, vnde scandalizabitur, & religio, & ipsemet.

Tertium. Item vouens intrare Religionem, aut vouendo habet intentionem determinatam de experiendo, & permanendo, & tunc clarum est, quòd est obligatus ad experiendum, non solum ad intrandum, aut habet intentionem de non experiendo, sed statim post ingressum recedendo, tunc non fuit votum, quia non est de bono, nec de meliori: immò de malo, vt dictum est, & votum debet esse de bono, aut meliori: aut habet intentionem indeterminatam, nec de experiendo, nec de non experiendo, & tunc recurrendum est ad ius commune: secundum autem illius interpretationem debuit habere intentionem de experiendo: ergo aut nō est votum, seu iuramentum omninò licitum, aut obligatus est ad experiendum.

Quartū. Item si aliquis vouet, aut iurat se intraturum Religionem sub proposito non experiendi illam, illicitum esset votum illud, aut iuramentum, quia non est votum nisi conceptus melioris propositi, quale non est istud, sed potius deterioris.

Melius enim esset non vouere sub proposito statim exeundi, quàm vouere, & intrare sub tali proposito. Illud autem non est ita, nisi quia propositū intrandi cadit sub illo voto, aut iuramento. Illud enim cadit sub voto, aut iuramento, sine quo non est licitum. Illud autem oportet seruare in soluendo votum, vel iuramentum, quod cadit sub illo: ergo &c.

In oppos. Contra. Qui honorat parentes ex naturali pietate liberat se à debito quo tenetur eos honorare ex præcepto diuino: ergo &c.

Rẽsponsio. Dico, quòd debens facere aliquid ex vna causa potest facere illud ex alia dupliciter. Vno modo excludendo illam causam, propter quam debet illud facere, faciendo scilicet id solùmmodò ex illa alia causa, & nullo modo cum hoc ex prima nec implicitè, nec explicitè. Alio modo faciendo illud ex alia causa, & cum hoc simul ex prima.

Ad primū princip. Qui facit aliquid ex alia causa primo modo, nō intendit se liberare à debito ex prima causa.

Ad argu. in oppos. Et ideò dico, quòd adhuc manet obligatus debito ex illa causa, vt processit prima ratio. Qui verò facit aliquid ex alia causa secundo modo, intendit se liberare ex debito primæ causæ. Et ideò dico, ꝙ liberat se à debito, vt processit vltima ratio: immò perfectius quoquo modo liberat se à debito, quia perfectiori voluntate facit illud simul ex alia causa, quàm ex sola prima causa. Vnde & honorans parentes ex naturali pietate, si cum hoc nō honoraret eos propter debitum diuini præcepti, nihil reputans illud, nec curans liberari à debito illius, non liberaret se à debito, & esset transgressor diuini præcepti, & factum suum prō non facto apud Deum reputaretur.

Ad secundo prime. Ad secundum, ꝙ promittens aliquid sub voto, vel iuramento &c.

Dico, ꝙ etsi faciens aliquid ex vna causa nō se liberaret à debito alterius causæ, si nullo modo faceret illud ex illa alia causa: benè tamen obligans se sub vno proposito liberat se soluens sub alio, sic etiam ꝙ nullo modo soluat sub primo proposito, immò sub omninò contrario proposito, secundū quod aliàs determinaui: si tamen soluat ex causa obligationis, seu quia obliganit se, & hoc ideò quia ipsum propositum, siue deuotio, sub quo, vel ex qua iurauit, vel vouit, non est causa debiti, aut obligationis, quia tunc habens propositum, aut deuotionem intrandi ad experiendum, esset obligatus ad intrandum, vt experiretur, quod falsum est, quoniam nudum propositum neminem obligat, sed ipsa voluntas vouentis, vel iurantis ex eo, quòd vouet, vel iurat, ipsum obligat, & facit debitorem de intrando. Et quia potest se intendere solùmmodò obligare ad intrandum sic, ꝙ non intendat obligare se ad experiendum post introitum, sicut nec ad profitendum: immò expressè intendat se non obligare ad experiendum, nec ad profitendum: idcircò dico, ꝙ implendo illud, quod cadit sub voto, scilicet introitum, qualitercunque mutetur propositum de experiendo post introitum, vel non experiendo, nihilominus absoluitur omninò à debito voti, vel iuramenti.

Ad assum ptum. Quod autem arguitur contra hoc, ꝙ propositū de experiendo cadat sub voto, & iuramento.

Dico, ꝙ non est verum: immò non cadit sub voto. Votum etiam sub contrario proposito non esset illicitum, vt fortè videri posset alicui, quod tamen non assero, etsi propositum huiusmodi cōtrarium exprimeretur, dicendo, ergo iuro, vel voueo me intraturum Religionem: propono tamen non experiri eam, eo quòd tale propositum est de omninò extraneo, & impertinente ad actum intrādi, qui cadit sub voto, siue iuramento.

Nūc autem actus, super quem cadit propositū, nunquam facit votum, vel iuramentum illicitum, nisi pertineat ad actum, qui per se cadit sub voto, aut iuramento sic, vt aliquo modo illi deroget, aut contrarietur eidem. Talis autem vt fortè diceret aliquis, non est actus propositi de non experiendo respectu actus ingrediendi. Ad cuius intellectum sciendum, ꝙ actus cadens sub proposito, qui solùmmodò ad præsens locum habet, aut est contrarius actui, qui sub iuramento promittitur, aut non est ei contrarius. Si primo modo, dico, ꝙ actui cadenti sub iuramento, vel voto potest esse cōtrarius actus cadens sub proposito, siue affirmatus, siue negatus: vno modo ratione ipsius actus cadētis sub iuramento: alio modo ratione obiecti circa quod est. Si primo modo, tale propositum facit iuramentum omninò illicitum, siue sit contrarius ei in toto, siue in parte. In toto, puta si aliqs promittat sub iuramento aliquam se accepturum in vxorem, & proponat, ꝙ nunquam eā accipiet. Iste enim omninò proponit nō implere iuramētū. In parte, puta si sic promittens proponat se non cōsentire corde, quando ipsam accipiet per verba de

Ad prol ratione p ipsam.

de præsenti, qui similiter proponit non implere iuramentum. Quia ad impletionem talis iuramenti duo sunt necessaria, & actus exterior in signo, & actus interior in consensu. Si secundo modo. s. ratione obiecti, puta cum aliquis dicto modo promittens proponit statim cum illã acceperit in vxorem ab ea recedere, & omninò eam dimittere, & hoc similiter facit iuramentum omninò illicitum, quia contra naturam vxoris est, & rationem, ꝙ dimittatur sine causa fornicationis. Sed hoc põt contingere dupliciter. Vno modo sine causa rationabili proponendo eam dimittere, & est iuramentum oĩnò illicitum, quia talis proponit non implere illud, quod sub iuramento promittit implicitè, scilicet cum ipsa morari, postquàm eam receperit, qa hoc pertinet ad seruitutem coniugij essentialiter. Alio modo ex causa rationabili quantum est ex se, licèt non sit rationabilis ad propositum, puta si aliquis promittens dicto modo proponit statim cum illam acceperit in vxorem eam dimittere pp ingressum religionis, & est iuramentum illicitum, quia vanum. In hoc enim iuramento cum tali proposito nihil boni cõsistit immò multum mali, quia illudit illã. Et ideò melius esset, ꝙ statim intraret religionem sine tali iuramento, & impletione eius. Si aũt actus cadẽs sub proposito neutro modo est contrarius actui, qui cadit sub iuramento. Dico, ꝙ ille omninò impertinẽs est ad actum alium, qui. s. cadit principaliter sub iuramẽto, vel voto. Et ideò propositum circa talem actum non fecit iuramentum circa priorẽ esse illicitũ, nec etiam circa actũ contrarium, puta si quis sub iuramento promittit alicui dare decem, & proponit, ꝙ cum illis decem dabit ei liberaliter alia decem licitũ est iuramentũ cum tali proposito. Licitum etiam esset cũ proposito contrario, s. denon dando ei alia decem oĩnò, propter quod & promittẽs sub tali proposito ante impletionem bonè põt mutare propositum, & implere perfectè suum iuramentum cum cõtrario proposito. Sic aũt omninò (vt fortè posset videri alicui) contingit in proposito, qm̃ actus non experiendi in nullo dictorum modorum contrariatur actui ingrediendi religionem, qui vouetur, siue promittitur, quia non contrariatur ei, nec ratione ingressus, qma nihil derogat actui ingrediẽdi, nec ratione termini. s. religionis, quia natura, & ratio religionis non requirit circa nouitium experientiam, aut permanentiam, & sicut non per totũ annum, sic nec per vnum diem. Quod ergo arguit, ꝙ intrans religionem sub proposito statim exeundi non liberat se à debito voti, vel iuramenti, quo promisit se intraturum religionem. Dico, ꝙ falsum est secundum prædicta.

Ad probationẽ primam. Quod autem arguitur, Primò ad illius probationem, ꝙ iste non liberat se sic intrando, quia nõ satisfacit Deo, eo ꝙ factum illud nõ acceptat, quia sic intrans peccat mortaliter, quia mentitur dicendo se habere propositum experiendi. Dico, ꝙ hic aliud est ingressus quẽ prius vouit, & aliud est mẽdacium superueniens, quod omninò est accidẽs ingressui. Et benè verum est, ꝙ actum mendacij nõ acceptat Deus, benè tñ acceptat actũ ingressus. Et patet p simile, licèt magis dispartatũ. s. m. ab ingrediente etiam intentione experiendi quærat eam diligenter audierit Logicam, & mentiatur, dicendo, ꝙ sic, cum tñ valde negligenter eam audierit, licèt Deus mendacium hoc non acceptet, benè tamen acceptat ingressum.

Quòd aũt contra hoc statim arguitur secundo medio, ꝙ ingressus ipse est peccatum, quia in ipso scandalizat. Dico, ꝙ ex actu intrandi nullo modo scandalizat, & si fortè scandalizat, hoc est ex actu exeundi, sed hoc nõ est ex natura actus, sed potest esse ex circunstantijs, si nimis publicè plurib. præsentib. intrauit, & illis præsentibus statim exiuit, aut tale factum fuerit in religionis diffamiam, & postmodum diuulgauit, quæ circunstantiæ si non fuissent, & sic non scandalizasset, ex actu exeundi non scandalizasset, sicut nec ex actu intrandi. Sicut n. ex natura sua non scandalizat actus exeũdi post experientiam, sic nec actus exeundi statim: immò actus exeundi post experientiam plus natus est religionem scandalizare q̃ statim, quia p illum insinuatur, ꝙ aliqua est expertus in religione incõuenientia pp quę exit, quæ non insinuantur p istũ, quia imputatur scandalum istud si fortè cõtingat potius propriæ incõstantiæ, & improuisioni istius. In quo tñ non propriè dicendus est seipsum scãdalizare, quia p hoc q̃tum est ex natura actus exeũdi nec sibi, nec alijs põt occasionẽ vlterioris ruinæ.

Ad tertiũ. Ad tertiũ principale cũ dr, ꝙ vouens se intraturũ religionẽ, aut habet intẽtionẽ determinatã &c. Dico, ꝙ intentio in actu vouẽdi põt esse circa actũ eundẽ, qui vouet, vel circa aliũ. Si primo modo: dico, ꝙ obligat ad actus expletionẽ, & permanentiã suã quouisq; impleat. Qui. n. vouit intrare, debet intendere ingressum, vel verè explicitè, & determinatè, vel si interpretatiue, implicitè, & indeterminatè. Aliter. n. votũ, vel iuramentum esset illicitũ, puta si iurarer intrare, & nõ intenderet intrare aliquo modo. Si secũdo modo, aut ille actus primus est ad actũ, qui cadit sub iuramento, vt sine quo nõ esset licitum, aut est impertinẽs. Si primo modo, dico sm̃ prędicta ꝙ iuramentũ est oĩnò illicitum, sic votũ. Si secundo modo, vt cõtingit in casu ẽo, in quo idẽ est intẽdere exire, & proponere exire. Dico, ꝙ nec intẽtio, nec propositum, quod in vouẽdo habet de experiẽdo obligat, quin possit illã mutare, vt dictũ est iam supra, & vt dicunt aliqui (qd tñ nõ assero) quin possit habere in vouẽdo propositũ, & intentionẽ de statim exeũdo post ingressũ, qd tñ est votum simpliciter, & licitũ de intãdo, vt dictũ est, ita ẽt ꝙ si propositũ sit de pręsenti iuramẽto vallatum, benè posset illud ante ingressũ mutare, vt si quis simul duo iuraret in hunc modum: ego iuro me intraturũ religionẽ, & similiter ego iuro, ꝙ habeo propositũ de experiendo: benè. n. põt esse, ꝙ in iurando se intraturum religionẽ

habet in præsenti propositum de perseuerando, & ita verum iurat in hac iurando, quia tamen non iurat se in tali proposito perseueraturum vsq; post ingressum, nec similiter iurat, ꝙ in ingressu proponet experiri, ideò non obstante illo iuramẽto circa propositum de præsenti, benè posset illud mutare ante ingressum, aut in ingressu.

Ad probationẽ tertij.

Ad illud autem quod obijcitur contra hoc mẽbrum. Si habet intentionem de non experiendo, sed de recedendo statim post ingressum, tunc non fuit votum, quia non fuit de bono, nec de meliori. Dico, ꝙ votum non ex hoc negatur esse de bono, aut meliori, ꝙ post factum apparet melius non fuisse vouenti, quemadmodum non fuit melius intrare religionem illi, qui post votum apostatauit, & permansit in apostasia, sed ex hoc dicitur de bono, aut meliori, quòd probabiliter posset præsumi, ꝙ cum hoc, quòd ex se est melius simpliciter, aliquo modo potest esse melius vouenti. Nunc autem in proposito sic est, ꝙ religiosus inducens alium ad ingressum quandoque potest præsumere, quòd licèt ille pro tempore illo non habet propositum de experiendo post ingressum, sed potius de statim exeundo, postmodum mutet propositum, & proponat experiri, quemadmodum etiã ille, qui aliquando intrauit religionem eo proposito & intentione, vt amicum suum, qui iam intrauerat secum educat, post suum ingressum mutauit propositum, & perseuerauerit in religione cũ amico suo, & sic nõ obstante, ꝙ ille in vouẽdo ingressum simul habeat propositum de non experiendo: tamen actus ingrediendi quem vouit, qui in se simpliciter bonus, & melior est, quàm non intrare, etiam bonus, & melior potest iudicari fore illi, vt sic votum illud sit de bono, & meliori. Si autẽ est propositum de tali, quod faceret iuramentum nõ esse de bono omninò, aut meliori, esset omninò illicitum, puta si aliquis sub iuramento promittit aliquam ducere in vxorem cum proposito, ꝙ post quàm eam duxerit recedet ab ea ingrediendo religionem hoc enim iuramentum illicitum est, quia sumit nomen Dei in vanum, quia nullo modo potest esse melior, aut bonus simpliciter actus ducendi de futuro, nec illi, nec potest esse melius ex se iurare illud, quàm non iurare, quia melius esset simpliciter, & illi non iurare se ducturum illam cũ tali proposito, quàm iurare, sicut melius esset intrare religionem simpliciter, & illi absque iuramẽto de ducendo, & absque ductione, quàm primo iurare, & postea ducere, & tunc demum dimissa illa religionem intrare, quia per hoc multum posset vilificari, & magnum damnum habere illa, quę esset ducta, & ille nullum emolumentum, nec tẽporale, nec spirituale. Sed si postq̃ iam iurauit se ductaturum cum proposito commorandi cum illa, mutet propositum de cõmorando pp propositum de religione intrando, melius est ei in tali casu primo docere ad implendum iuramentum, & postmodum intrare, vt dicit Decre. quædam.

Per iam dicta patet ad tertium. Et ꝙ adiũgitur in argumento, ꝙ non est tale votum licitum, quod scilicet est cum proposito non experiendi, sed statim recedendi, nisi quia propositum de experiendo, qđ habuit tempore voti, caderet sub voto, patet ex dictis, quod falsum supponitur in antecedẽte. Si ñ esset verum, benè verum esset, ꝙ sequeret, quemadmodum, quia illicitum est iuramentum quo aliquis alicui promittit ducere eam in vxorẽ cum proposito statim dimittendi eam ductã: ideò sub illo iuramento cadit propositum de ducẽdo illam, ita ꝙ per illud iuramentum obligat ad docẽdum illam, & ad continuandum propositum de cõmorando cum illa, nisi prius ꝙ̃ illam cognoscens mutare voluerit propositum illud in propositũ de intrando religionem. Quod tamen locum nõ habet in proposito, etiam supponendo quòd verũ sit illicitum quo quis vouet se intraturum religionẽ cum proposito non experiendi illam, quod tamen ad præsens non asserimus.

Ad quartum.

Dico.n. ꝙ non obstante quòd tale propositum facit votum illud illicitum, propositum cõtrarium tamen non cadit sub voto. Quod dicit assumitur ad illius probationem, ꝙ illud cadit sub voto, aut iuramento sine quo votum, aut iuramentum non est licitum: Dico, ꝙ hoc non vniuersaliter verum est.

Ad cuius intellectum sciendum est, ꝙ votum, siue iuramentum non est licitum sine aliquo, duplici de causa. Vna quia illud est circunstantia & conditio qua fit licitum, quod vouetur, aut iuratur, vt causa propter quam fit. Alia verò de causa, quia illud est conditio, siue circunstantia, non qua sit licitum, vt causa propter quam fit, sed vt sine qua non tantùmmodò. De genere circunstantię primo modo est omnis circunstantia, quæ secundũ prædictum modum est contraria actui, qui promittitur sub voto, siue iuramẽto, & hoc siue sit actui cõtraria ratione sui, siue ratione obiecti circa qđ est. Et ideò omnis circunstantia sic contraria etiam cadit sub voto, & iuramento, vt patet ex declaratis. De genere verò circunstantiæ secundo modo est omnis circunstantia, cuius contrarium non cõtrariatur actui, qui promittitur sub voto, aut iuramẽto, qualis circunstantia in proposito est propositũ de experiendo, vt patet ex dictis. Et ideò talis circunstantia non cadit sub voto, aut iuramento, sic ꝙ sub tali circunstantia, aut conditione oporteat adimplere votum, vel iuramentum. Et sic vouens intrare religionem cum proposito experiendi, non oportet, ꝙ intrando habeat propositũ experiendi nisi vouerat hoc per intentionem specialiter, & sic propositum experiẽdi non est necesse, ꝙ cadat sub voto, licèt sine ipso non sit licitum votum: si tamẽ sine illo non sit licitum, vt si fieret sub proposito contrario. Sufficit enim vt tale propositum sit solùmmodò annexum illi, quod cadit sub voto: & ideò non oportet illud propositum saluari in implendo votum, vt liberetur à debito, licèt oporteat, quòd existat cum emittitur votum.

Quemad-

Quemadmodum in emittendo votum oportet, ꝙ adsit propositum de profitendo tempore congruo, & perseuerando vltrius, quia sine tali proposito non valeret votum de intrando, sicut nec sine proposito de experiendo, quia propositū profitendi, & perseuerandi in religione est finis intrādi religionem. Et istud primum debet esse in intētione, licèt vltimum in executione, vt ad quod ordinatur propositum experiendi, & tamen nullus diceret, ꝙ propositum de profitendo semper oportet conseruare: similiter & de perseuerando, quia similiter nec propositum de experiendo, etiam si essent necessaria ad hoc, ꝙ votum esset licitum. Quod manifestè patet per hoc, ꝙ si aliquis promittat sub fide, & iuramento àliquam ducere in vxorē non valet promissio nisi habeat propositum commorandi cum ea, & eam carnaliter cognoscendi. Et hoc, quia nisi aliud supereruoniat conditio vxoris requirit, ꝙ vir commoretur cum ea.

Tamen si interim velit intrare religionem, consillit quædam decretalis, ꝙ prius contrahat cum illa, & tunc demum intret religionem, & constat, ꝙ iste non contrahit cum illa cum proposito commorandi cum illa, & cognoscēdi illam carnaliter, quale tamen propositum ab initio habuit, & habere debuit.

Sed dicet aliquis, ꝙ non est simile, quia iste iurans ducere vxorem sub proposito commorandi cum illa, non soluit iuramentum nisi mutando illud in melius: ille autem non mutat in melius, sed potius in peius. Dico, ꝙ licet non sit simile in speciali quo ad hoc, ꝙ illud non pōt mutari nisi mutet in melius: est tñ simile in generali quo ad hoc, ꝙ ꝓmissum sub aliquo proposito nō oportet ſp̄ soluere sub eodē, secundum quod in proposito pōt solui votum non mutando propositum in melius, sed in contrarium, uel in deterius: ibi aūt non hoc contingit, quia illud propositum est causa, propter quam licitum est iuramentum illud: hic autem solùmmodò est causa, sine qua non est licitum, vt patet ex dictis.

Comment. in Quæstionem XX. quæ est,

Vtrum debens facere aliquid ex vna causa, liberet se faciendo illud ex alia causa.

ITVLVS vt iacet generaliter.

In corpore distinguitur de eo, qui facit ex alia causa &c. Quòd aut intendit omninò excludere primam, aut intendit includere primam, atque secundam.

Prima conclusio. Qui facit ex secunda causa, quod per aliam priorem facere tenetur, intendens illam excludere, non se liberat à debito.

Patet hæc conclusio ex argumento in fronte quæstionis primo.

Secunda conclusio. Qui facit ex secunda causa &c. intendens includere primam, se liberat à debito.

Patet hæc conclusio ex argumento contra, de honore parentum ob pietatem, quo etiam adimpletur diuinum præceptum.

Not. quòd res ipsa, siue effectus ipse debet esse idem, & nullo accidante variari præter hoc, quod ab alia causa proueniat.

Vnde not. est, ꝙ aliud est causa, aliudque propositum: causa enim est, propter quam fit res: propositum verò est potius quo. Vnde intelligi quæstio debet de causa potius finali, quàm de modo, atque proposito, sicut alia argumenta concludere videntur. Immò & quantum spectat ad propositum etiam seruatis seruandis, dum effectus non variatur, sequitur q̄ lic. Effectus autem variatur in causa, quem ponunt cætera argumenta. Cæterum abundatur satis & alias ingressus vias satisfacit Auctor, vt fortè, vel nihil addere debeamus.

QVAESTIO XXI.

Vtrum liceat alicui dare Ecclesiæ cuiquam certam summam pecuniæ ad emendum terras ad opus illius Ecclesiæ, vt detur ei certa pecuniæ summa ad vitam.

Arg. prio. CIRCA Septimum arguitur, ꝙ non licet Ecclesiæ dare certam summam pecuniæ ad terras emendas, vt detur illi certa summa pecuniæ reddituum ad vitam suam, quia non licet emere reditus ad uitam.

In oppos. Responsio. In contrarium est consuetudo. Dico, ꝙ benè licitum est, quòd quisque hæreditatem suam precariæ det Ecclesiæ secundum quòd dictat Concilium, sic dicens 10. q. 2. Precariæ à nomine de reb. Ecclesiasticis fieri præsumantur nisi quantum de quantitate datur ex proprio, duplum accipiant de rebus Ecclesiæ in suo tantum, qui dederunt nomine, si res proprias, & ecclesiasticas fructuario vsu tenere uoluerint. Si autē res proprias ad ꝑsens dimiserint, ex rebus Ecclesiæ triplū fructuario usu in suo tantū quisque nomine sumat, ubi dicit Glo. Precariæ hic dicuntur quædam præstationes usus rerum in recompensatione eius proprietatis quæ datur Ecclesiæ duplum. Glos. uidetur contradicere supra eodem. Si œconomus, ubi dicitur, ꝙ tantundem debet dari, sed lex illa benignior est canone. Si autem sic licet quenquam hæreditatem suā dare Ecclesiæ, & illam fructuario usu retinere, & uitam suam, & cum hoc duplum de rebus Ecclesiæ, aut triplum, aut tantundem, multò fortius licet rem suam quam dedit Ecclesiæ usu fructuario retinere, aut eam ad præsens dimittere, & in eo usufructum quantum ualet retinere, Ecclesia, quę illam hæreditatem recipit se, & sua obligante ad tantundem ei annuatim soluendum.

Quia ergo perindę est pecuniā dare Ecclesiæ ad

terras, & possessiones, siue hæreditates emẽdas, vt detur certa summa pecuniæ, siue redditus ad vitã, & dare hæreditatem, quam modo quis possidet, & seruare in vsufructum certam summam pecuniæ, siue redditus ad vitam ab Ecclesia accipiendi.

Dico, ꝙ benè licèt dare Ecclesiæ &c. secundum qđ tenet consuetudo Ecclesiæ, vt dicit secunda ratio.

Ad argũ. primum. Ad primam, quæ est in oppositum, ꝙ non licet emere redditus ad vitam. Dico, ꝙ redditus ad vitam dupliciter possunt acquiri. Vno modo ex iure sibi debito, & hoc vel reseruando sibi vsufructum ad vitam suam pro hæreditate, & pro ipso vsufructu acciplẽdo certam summam pecuniæ ab illo in quem translata est hæreditas, vel ex aliquo alio iusto titulo, quod benè licet, vt patet ex iam dictis in illo, qui sibi ius in hæreditate sua reseruauit. Iste enim non solum habet redditus ad vitam suã, sed etiam habet ius percipiẽdi illos redditus, quia de suo sibi reseruato habet illos, quæ ambo continentur in vsufructu. Vlterius autem quod iste habet in vsufructu, quem scilicet reseruauit, & quo ad redditus, & quo ad ius percipiendi redditus, benè potest alteri vendere, qui ipso vendente vera emptione emit redditus ad vitam, vel ipsius, qui vendit, vel si placuerit, & expediens, & rationabile videbitur tenenti hæreditatem, ad vitam illius, qui emit commutando vitam in vitam, sed nõ emit solos reddi us, sed emit etiam ius, quod ille habuit, & retinuit sibi in hæreditate, quã ab initio dedit, sine quo iure empto redditus emi ad vitam nullatenus (vt puto) possent. Et ex hoc perinde est in tali emente, ac si ipse ab initio hæreditatẽ illam dedisset Ecclesiæ, & sibi reseruasset vsufructum ad certam summam pecuniæ annuatim, sicut fecit ille, à quo ipse redditus illos emit.

Et sicut in talibus est de redditibus ad vitam, sic est de redditibus perpetuis.

Sicut enim potest aliquis hæreditatem suã dare Ecclesiæ, & reseruare sibi aliquam portionẽ redditus ad vitam sibi tradendi ab Ecclesia, sic potest sibi reseruare aliquam portionem in redditib. perpetuis reddendis ab ecclesia, licèt fortè minorem q̃ sibi reseruat ad vitam. Quare & eadem ratione, qua prius potest iste, & redditus, & ius percipiendi illos alteri vendere, & ille potest vtrunque licitè emere, vt secundum hoc eo modo, quo licet emere redditus ad vitam secũdum iam dictum modum, & licet emere redditus perpetuos. Et sicut licitum est acquirere redditus ad vitã, & perpetuos, vt ex iure sibi debito ex reseruatione pro propria hæreditate secundum iam dictum modum, consimiliter licet acquirere redditus ad vitam, & etiam perpetuos ex iure sibi debito alio iusto titulo. Iusto puta ꝓ debito iure seruitij impensi, vel purè liberaliter, puta Rex põt dare alicui ꝓ seruitio ei impẽso, vel purè liberaliter decẽ libras supr. castelletũ, q̃ ubi de iure cõpetunt, vel ẽt potest tãtundem, vel plus, aut minus alicui dare de bursa sua recipiendum vel ad vitam, vel ad perpetuum, ad hoc solummodò obligando, sicut ad seruitiũ personam suam, & personas successorum suorum, & oĩa bona sua, & illorũ mobilia & immobilia nunc existentia, & in futurum prouentura, vel partem illorum, quæ ẽt posset consimili modo vendere, & sic dando talia non dat pecuniam principaliter, q̃ est res quædam corporalis, sed potius ius percipiendi pecuniam, quod est res incorporalis: fundata tamen super rem corporalem obligatam, & ordinatã ad rem corporalem percipiendam ratione illius iuris à re corporali obligata pro illo, & vendendo talia nõ vendit pecuniã principaliter, sed potius ius percipiendi pecuniam. In qua venditione nulla fit trãslatio rei corporalis à vendente in ementem, est tñ in ea translatio à vendente in ementem rei incorporalis fundatæ super rem corporalem, puta super personam Regis, & successorum eius, aut hæreditatem aliquam illius, & ordinatæ ad percipiendũ aliam rem corporalẽ, puta pecuniam, ad cuius solutionem obligãtur personæ Regum, aut bona ipsorum. Vlterius autem ille, cui datum est tale ius à Rege, seu venditum, aut à quocunq; alio, potest illud ius datum, vel emptum alteri dare, vel vendere, s. secundum prędictum modum. Alio aũt modo possunt acquiri redditus ad vitam non sibi reseruãdo ius in hæreditate propria, quã aut liberè cõtulit, aut vendidit, nec emendo ipsos cum iure illo, quod habuit vendens in dictam hæreditatem, nec recipiendo tale ius ex dono alterius iam dicto modo, & sic ex iusto titulo, sed absque oĩ reseruatione, & absq; omni dono sibi facto, aut emptione secundum iam dictum modum facta, secundum quẽ modum aliàs determinauimus oĩnò illicitum esse emere redditus ad vitam, aut perpetuos, puta qñ aliquis habet pecuniam, & dat cõtenti tantùmmodò, vt recipiat ab illa annuatim ad vitam suam, vel perpetuò certam summam pecuniæ annuatim sumẽdam. Est enim in illa acquisitione vera species usuræ, quæ certa est. Hoc declarandum est secundum quod aliàs declarauimus. 1. Quolibet. q. 39. & 8. Quolibet. q. 24. Est igitur sciendum, ꝙ si aliquis habeat viginti solidos Paris. videlicet vnam libram, & mutuauerit proximo suo eam sub tali conditione, siue pactione, ꝙ quousque voluerit cã retinere dabit tibi, aut hæredibus suis vnum denariũ Parisien. in qualibet septimana, & cũ non voluerit libram illã diutius retinere, integrè eam restituet, planũ est, ꝙ sit plana usura. Item si mutuauerit eã illi usq; ad annum sub tali cõditione, ꝙ si voluerit eã diutius tenere sub eodẽ pacto, ꝙ dabit sibi, vel hæredib. suis cũ sorte in fine anni. 52. den. Paris. qd est tantundem, ac si pro qualibet septimana accepisset unũ den. Paris. quia. lij. septimanæ sũt in anno, & sic de sing. annis ulterioribus quibus illam lib. retinuerit, adhuc plana usura est. Item si dicet ille, mutuò tibi libram meã usq; ad annum, ut qualibet septimana reddas mihi unũ denariũ Paris. sub tali conditione, quòd si moriar infra annum, tota sors tua sit, nihilque restituere debeas hæredib. meis,

adhuc

adhuc non puto aliquem rationalem esse virum, qui non dicat, quòd iste in contractu suo sola spe recipiendi vltra sortem committit vsuram.

Quid ergo? nunquid si iste dicat, mutuò tibi libram meam, vt qualibet septimana reddas mihi vnum denarium Parisiésem quousque vixero sub tali cõditione, quòd cum mortuus fuero tota sors tua sit, nihilq; restituere debebis hæredibus meis, nunquid inquam plana vsura est? Puto vtiq; &c. Si enim vsura sit recipiendo in vnico anno quinquaginta duos denarios amissa tota residua sorte, per mortem in fine anni, & hoc ex sola spe recipiẽdi amplius: multò ergo fortius vsura est recipiẽdo per quadraginta annos quadragies, quinquaginta duos denarios, qui in summa suor quatuor libre tredecim solidi, & quatuor denarij Parisienses, vbi vltra sortem excrescunt septuaginta tres solidi & quatuor denarij.

Quòd si ab initio pactio fieret, quòd per se, & p hæredes suos in perpetuum mutuando vnam libram reciperet qualibet septimana vnum denarium, vel quolibet anno quadraginta duos denarios, adhuc esset maior vsura, quæ procederet vltra sortem secundum crementum in infinitum. Nec in aliqua conuentione tali aliquid potest accipi vltra sortem, quare nec ius aliquod in conuentione emitur, aut emi potest, licèt emi simulatæ, quemadmodum nec vsurarius si dicat pauperi petenti sibi super vadiolum suum mutuari duodecim denarios, mutuabo tibi duodecim denarios, sed nolo habere in reius accipiendi vnum denarium, præter sortem in qualibet hebdomada quousque illos duodecim denarios tenere volueris. Et sic in tali mutuo vbi nihil præter sortem potest accipi nõ est venditio, aut emptio, sed solùmmodò esse fingitur, secundum quod alias latius declarauimus. Et sic vniuersaliter verum est, quòd secundum modum, quo licèt emere redditus perpetuos, etiam secundum eũdem modum licet emere redditus ad vitam, & secundum modum quo non licet emere redditus ad vitam, nec redditus perpetuos, & è cõuerso. Et sic licèt verum sit, quòd ius incorporale recipiendi aliquam pecuniæ summã, quæ est aliud ab ipsa pecunia, quæ est res corporalis, & ratione illius iuris potest percipi summa pecuniæ, vel ad vitam, vel ad tempus determinatum, vel ad perpetuum, & possit vendi, vel emi licitè: vendi tamen & emi non potest licitè mediante nuda pecunia immediatè data, sed solùmmodò mediante liberalitate concedentis, ius, aut seruitio, vel fundo dato, vel aliqua re huiusmodi à recipiente: aliter enim non esset iustus titulus acquirendi ius.

Comment. in Quæstionem XXI. quæ est,

Vtrum liceat alicui dare Ecclesiæ cuiquam certam summam pecuniæ ad emendum terras ad opus illius Ecclesiæ, vt detur ei certa pecuniæ summa ad vitam.

ITVLVS sonat, ac si esto Callias, qui det vni Ecclesiæ mille aureos, quibus Ecclesia illa possessionem emat, & obligetur Ecclesia de redditibus illius annuatim dare in vita Calliæ tot aureos puta viginti quinque, vel plures: post mortem verò Calliæ libera remanet possessio ipsi Ecclesiæ. Hinc propterea quæritur vtrum id sit licitum. Conclusio autem esse licitum secundum consuetudinem Ecclesiæ. Non videtur autem, quòd consuetudo sit, vt detur duplum, aut triplum, nisi habito respectu ad census inextinguibiles, vbi pro dante pecuniam fiat annualis redditus, & saluum capitale. Et videmus certe quòd vsus obtinet, vt soleat in huiusmodi, vbi capitale saluum remanet pro dante pecuniam, esse summam, vt quinquè denter pro centenario. At vbi non saluatur, sed cum vita dantis terminatur, solent tum decem, cum etiam quindecim pro centenario dari, habitò respectu ad annos, & alias circunstantias dantis. Ea autem fieri, & esse licita cum circunstantijs præsertim Pij V. Pont. Max. notum est, ne dum quatenus Ecclesiæ dantur huiusmodi pecuniæ, sed & laicis ipsis: regula enim videtur communis, qua moderanda sunt omnia, quæ habet Auctor in responsione ad argumentum, & alibi, vt & nos alibi quoque diximus.

QVAESTIO XXII.

Vtrum intelligere practicum possit absolui ab intentione operis.

SEQVVNTVR quæsita pertinẽtia ad exercitũ actus hominis pro statu huius vitæ in comparatione. Et erat primum & vnicum comparando actum ad obiectum, s. de actu intelligẽdi intellectus practici: Vtrum intelligere practicũ possit absolui ab intentione operis. Alia verò plura erant comparando vnum actum ad alium.

Arg. prim. Primum. Circa illud primum arguitur, q̃ intelligere practicum non possit absolui ab intentione operis, quia per hoc distinguitur practicũ à speculatiuo. s. fine, vt dr 3. de anima, & idem dr 10 lib. de moribus animalium. Item obiectum formale appetitus, vt

Secundò. finis, est principium intellectus practici, vt hr ibid. appetitus autem non potest absolui ab intentione operis, quare nec intelligere practicum.

In oppos. Contra. Intelligere discipuli in moralibus practicum est, quia secundum habitum practicum, & hoc absque operis intentione: ergo &c.

Responsio. Dico, quòd secundum quod mihi videtur quæstio æquiuoca est, quia intentio operis dupliciter potest intelligi.

Vno enim modo dicitur intentio operis dispositio voluntatis, qua tendit per opus in finem, & sic intentio operis est voluntas directa in opus ad consecutionem finis.

Alio modo dicitur intentio operis ipsum opus intentum, sicut dicitur creatura talis, idest, creatura, quæ est talis. Primo modo bene potest intelligere practicum absolui ab intentione finis, quia potest esse intelligere de operabilibus practice absq; eo, quòd intendit operari id, quod intelligitur practice; qualiter intelligit artifex carpentarius practicè dispositionem domus possibilis operari, & modos operandi in particulari circa singularem materiam absque eo, quòd intendat illã operari exterius secundum modũ, quo ipsam cõcipit interius. Secundo autem modo nequaquam potest absolui ab intentione operis, quia non est intelligere practicum nisi sit de operabilibus, licet non è conuersò oẽ intelligere, quod est de operabilibus sit intelligere practicũ, sed solum illud, quod determinat modũ operãdi in particulari, & circa particularia p habitũ practicũ acquisitum ex experientia operis ictum modum iam supra determinatum, qui habitus est potentia directiua in opus, & habens eum potest operari secundum ipsum quando vult. Qui autem scit operabilia non per habitum acquisitum ex experientia operis in addiscente, sed solùm modò ex auditu à magistro quantuncunque etiam magister doceat ex habitu vniuersali quem acquisiuit ex experientia singularium, non est propriè eius intelligere, intelligere practicum, quia per tale intelligere, aut per habitum quo intelligit non est potens operari, quemadmodum ille, qui non habuit experientiam instrumentalem citharizandi quantuncunque habeat scientiam citharizandi ex auditu, illa non est propriè practica, nec intelligere secundum illam est propriè practicum, sed potius speculatiuum, secũdum quod hæc latius in pluribus alijs quæstionibus declarauimus.

Ad argu. princ. primum. Primum argumentum benè probat, quòd intelligere practicum non potest absolui ab intentione operis secundo modo, quia non est nisi de operabilibus, vt ostenditur illa dicta Philosophi: non tamen ex illis potest concludi quin possit absolui ab intentione operis modo primo.

Ad secundum prm. Ad secundum, quod finis appetitus est principium intellectus practici, dico quòd finis appetitus duplex est, quidam proximus, & immediatus cuiusmodi est eius actio, siue operatio appetendi, secundum quod vnaquæque res dicitur esse finaliter propter suum opus.

Alius verò est eius finis mediatus, & vltimus, & est bonum operabile, quod consequitur per suã operationem.

De primo fine appetitus non est verum, quòd semper sit principium intellectus practici, quia pertinet ad intentionem operis primo modo.

De secundo autem fine appetitus verum est, qd semper est principium intellectus practici, & pertinet ad intentionem operis secundo modo, vt patet ex dictis.

Ad argum. in oppos. Ad argumentum in oppositum, quòd intelligere discipuli est intelligere practicum in moralibus, quia est secundum habitum practicum, & absque operis intentione.

Dico, quòd benè verum est, quòd licèt possit esse absque operis intentione primo modo tamen nunquam est absque operis intentione secũdo modo, quia non est nisi de operabilibus: falsum tamẽ est, quòd sit intelligere practicum, & secundum habitum practicum, nisi simul addiscendo ex auditu à magistro vniuersalis artis operando in seipso experiatur illa in particularibus operibus, quæ quidem experientia debet esse aliqualis antequã sit idoneus auditor moralis scientiæ, vt determinat Simplicius in principio Commenti super prædicamenta. Propter quod etiam dicit Philosophus in principio Ethicorum. Huius scientiæ non est auditor puer, quia non est expertus eorum, quę sunt secundum scientiam, & sicut debet esse aliquantulum expertus à principio, sic ad hoc, quòd verè secundum habitum practicum sciat moralem scientiam, oportet quòd similia addiscendo vniuersalia à magistro, experiat illa penes seipsum in operibus particularibus, vt sicut de Christo dicitur, Incepit facere, & docere. Actu. 1. sic dicatur de idoneo discipulo moralis scientiæ, incepit facere, & discere.

Comment. in Quæstionem XXII. quæ est,

Vtrum intelligere practicum possit absolui ab intentione operis.



TEXTVM exponens. Verum possit absolui, scilicet, possit esse sine intentione operis, hoc est sine opere secundum verum sensum, & verum. Tamen ideo Auctor dicit hanc quæstionem esse æquiuocam, quia terminus iste intentio est æquiuocus.

In corpore igitur distinguitur terminus ille, & duplici conclusione satisfit quæstio.

Intentio itaque accipitur vel pro voluntate in finem directa, scilicet in opus, & modos operandi, vel pro ipso opere.

Prima conclusio. Intelligere practicum potest absolui ab intentione operis, hoc est ab opere, sumpta intentione primo modo.

Not. quòd ly intentio sumitur in hac conclusione bis, & quoniam, vt dictum est terminus æquiuocus est, exponitur in vno loco pro opere, in alio pro voluntate, aliter esset contradictio.

Patet autem conclusio exemplo considerantis domum ante faciendam: hic enim considerat formam, & materiam, quæ dari potest, vt fiat talis domus absque eo, quòd intendat illam exterius operari.

Secunda conclusio. Intelligere practicum non potest absolui ab intentione operis, hoc est, ab opere sumpta intentione secundo modo.

Arg. prim.

Patet

Patet conclusio, quia esset contradictio. Patet insuper, quia tale intelligere indiget experientia, hæc autem non est sine opere &c. ergo &c.


Quid autem de conclusis dicemus primæ conclusionis? scilicet verum possit absolui ab operis intentione, sumpta intentione pro voluntate directa in finem in secundo signo, in primo vero pro opere? certè quoniam iniunctum operationis est, voluntas, quæ mouet intellectum practicum, necesse erit dicere; quòd opus non erit sine præuia voluntate directa in illud, tanquam in finem. Et hæc quo ad executionem, & si non quo ad directionem motus.

Est autem dubium ex D. Thoma super illud exemplum ad primam conclusionem. Videtur enim quod qui domum in mente fabricat, habet intelligere practicum, quod absoluitur absque opere exteriori, vt ibi dictum est. At D. Thomas, ponens differentiam inter intellectum practicum, & speculatiuum. 1. 2. quæst. 1. art. 6. ad 1. & alibi dicit, practicum dici ab opere exteriori; speculatiuum autem ab interiori; si ergo hoc verum est, non ergo ille interius formans domum format intellectu practico.

Soluitur hoc dubium, quòd per opus interius duo possumus intelligere, vel quod suapte natura ordinem habet ad opus exterius, tanquam mensura ad mensuratum, & idea ad ideata, exemplarque ad exemplatum, vel nullum huiusmodi ordinem habet, qui consistit in sola cognitione veritatis. Nunc autem intellectus speculatiuus, & practicus distinguuntur per opus interius, & exterius; sumpto opere interiori secundo modo, non autem primo modo. Et certè quòd hæc etiam sit sententia Diui Thomæ cognoscitur ex. p. quæst. 14. art. 16. vbi habet, quòd finis intellectus practici, & vitæ actiuæ, est exterior operatio, speculatiui verò, & vitæ contemplatiuæ cognitio veritatis.

QVAESTIO XXIII.

Vtrum aliquis sciens ex bono actu possit se reddere impotentem ad impletionem diuini præcepti.



EQVVNTVR pertinentia ad actū comparando vnum ad alium, & pertinebant primaria ad comparationem actuum penes causalitatem. Et erat primum pertinens ad actus positiuos: Vtrū aliquis sciens ex bono actu possit se reddere impotentem ad impletionem diuini præcepti. Alia autem duo erāt pertinentia ad actus defectiuos. Primum in genere peccatorum, Vtrum in peccato omissionis secundum quod distinguitur contra peccatum commissionis requiratur aliquis actus positiuus. Secundum erat in excusando peccatum, Vtrum aliquis error, vel factū, vel iuris excuset peccatum. Quartum erat pertinēs ad comparationem actuū penes simultatem, Vtrum voluntas possit actuari, siue reduci in actum, & tamen non determinari ab illo, à quo actuatur. Quintum erat pertinens ad ordinem actuum, Vtrum sufficiat ad libertatem arbitrij, quòd potuit impediri, nè actuaretur ab alio de necessitate. Sextum pertinebat ad actuum præeminentiam, Vtrum opera vitæ actiuæ sint præferenda operibus vitæ contemplatiuæ tanquam meliora. Et septimum iuxta hoc ad præeminentiam statuū in quibus actus huiusmodi habent exerceri: Vtrū scilicet status Prælatorum maior sit, & perfectior quàm status Religiosorum. Alia autem duo, & vltima erant pertinentia ad actuum absoluendi irregularitatem, quorum octauum pertinebat ad cōparationem actuum secundum diuersos defectus, Vtrum excommunicatus pro contemptu vero ab officiali non sacerdote, post absolutionem ab eodem in foro Ecclesiæ ab excommunicatione, teneatur petere absolutionem pro cōtemptu à sacerdote. Nonum autem pertinebat ad comparationem actuum secundum vnum & eundem defectum, Vtrum confessus priuilegiato teneatur eadem confiteri coram suo; quod diffusè fuit disputatum istorum, & per se.

Circa primum istorum arguitur, quòd nullus sciens ex bono actu potest se reddere impotentem ad impletionem diuini præcepti, quia nullus ex actu in quo meretur reddit se impotentem ad impletionem diuini præcepti: ex bono autem actu quilibet meretur: ergo &c.

In oppos. Contra. Scienter potest quis profiteri religionem, quod est bonus actus, & tamen ex hoc reddit se impotentem ad honorandum parentes in administrando necessaria vitæ, quia reddit se impotentem habendi, vel acquirendi ea: ergo &c.

Respon. Dico, quòd si aliquis attentaret dicere, q aliquis per votum religionis eximatur ab impletione diuini mandati, & quòd per illud votum redderet se impotentem ad impletionem illius, hæc mihi videretur esse noua, & mirabilis doctrina: tum quia consilia sunt ad perfectiorem, & amplorem impletionem mandati; & nemo plus obligatur ad implendum mandata, quàm ille, qui se obligauit ad implendum consilia, dicēte beato Hieronymo in Epistola ad Demetriadem sic. In diuinis scripturis prohibentur mala, præcipiuntur bona, concedūtur media, suadentur perfecta. In duobus illis primis peccatum omne concluditur: in vtroque enim Dei continetur imperium. Non solum enim præcipere, sed etiam prohibere iubentis est, hæc sententia vniuersos tenet, nec vlli transgredi licet quod omnibus imperatum est. Duo reliqua in potestate dimissa sunt. Et tunc alloquens & admonens Demetriadem super præceptorum impletione subdit dicens: Perfectionis itaque secuta consilium, ferunt generale mandatum, in causa iustitiæ vnum debemus omnes, virgo, vidua, nupta, summus, medius, & imus gradus æqualiter iubentur adimplere præcepta, nec à lege soluitur, qui supra legem proponit facere. Quinimmò nullus magis illicita vitare debet, quā qui respuit, quæ licebant, nec quisquam ita mandata pollicetur implenda, vt ille, qui amore perfectionis supra mandata conscendit, & dum amplius statuit facere q̄ scriptum est, ostendit tibi minus scriptum esse, q̄

Arg. prio.

potuerit. Igitur, qui tantæ obedientiæ se profitetur, vt etiam diuinum consilium libenter audiat, qualiter debet audire præceptum? q.d. multum diligenter, & intelligo non tàm aure corporis, q̃ obedientia cordis, ipsum opera implendo.

Ex quo enim eligendo consilia minus ostendit sibi scriptum, quàm potuerit, & plus pollicetur, & iubetur implere præcepta per consilia, ad quæ astringitur non omittenda, nec ab illorum obseruantia absoluitur, sed magis ad illam ligatur, etiã vsque ad minima. Hic idem dicit ad Cellantiam. Duo sunt genera mandatorum, in quibus claudit tota iustitia, prohibendi vnum est, iubendi alterum. Hoc igitur duplex diuersumque præceptũ, prohibendi. s. & imperandi, æquo omnibus iure mandatum est, non virgo, non vidua, non nupta, ab hoc imperio secura est, in quouis proposito in quouis gradu æqualiter peccatum est, vel prohibita admittere, vel iussa non facere.

Nec verò eorum te seducat error, qui ex arbitrio suo eligunt vt mandata contemnant, quæ vel quasi vilia, vel parua despiciunt. & infra. Magisque id prouidendum est, nè tibi hoc cum licita contemnis securitatem quandam illicitorum faciat, quicquid pro iustitia Deo offertur non debet impedire iustitiam, sed iuuare. & infra. Vt exuta mens a cunctis retinaculis mundanis, atque corporalibus voluptatibus sit, & valeamus plenius inhærere dominicis præceptis. Ecce cum beatus Hieronym. dicat, quòd mandatum omne, & in hoc, q̃ mandatum de honorando parentes æquo iure omnibus est mandatum, quòd in quouis gradu, & in quouis proposito æqualiter peccatum est ipsum transgredi. Vide ergo tu, qui ex arbitrio tuo eligis religionem, atque implere consilia studes, nè fi doces, quòd propter magna consiliorum opera non sis obligatus ad opus mandati de honorando parentes, his de numero illorum, qui ex arbitrio suo eligunt, vt mandata contemnant, & tanquam vilia, & parua reputant respectu consiliorum, quibus cum licita contemnant in vouendo consilia, hoc facit eis securitatem quandam illicitorum, nè scilicet peccent in omittendo præcepta, quod omninò videtur erroneum, quia vt subdit Hieronymus quicquid offert Deo pro iustitia. s. priuata conseruanda, sicut offertur ei votum de seruando consilia, non debet impedire iustitiam publicam, nè seruetur pro qua offertur professio de seruando mandata in ingressu religionis Christianæ, sed potius iuuare, vt efficacius seruetur, quia vt videtur sentire Hieronymus, obseruatio consiliorum non est nisi quædam dispositio ad pleniorem obseruantiam mandatorum, quia obseruatione consiliorum exuitur mẽs à retinaculis, &c. sicut dicit Hieronymus, quibus exutis valemus plenius diuinis inhærere præceptis, vt secundum hoc obseruatio consiliorum potius ordinetur finaliter ad obseruationem mandatorum, quàm è conuersò, & in tali plena obseruatione mandatorum constat tota perfectio essentialiter.

Vnde si propter cõsilia oporteret diuina omittere præcepta, vt æstimo, non essent consilia perfectionis, sed potius dicta erroris. Propter quod in Grangensi Concilio dicitur, & habetur dist. 30. Si qui filij parentes maximè fideles deseruerint occasione Dei cultus hoc iustum esse iudicantes, & non potius debitum honorem parẽtibus reddiderint, anathema sint.

Intelligo deseruerint, vel religionem ingrediendo, vel post ingressum ad subueniendum eis non condescendendo, secundum quod aliàs declaratum. Quodlib 8 quæst 19. Sedet dicit Glossa ibidem hoc quidam hæretici fecerunt occasione illius auctoritatis. Qui reliquerit patrem, aut matrem propter me centuplum accipiet, sed illud non habet locum nisi cum parẽtes à filijs honorari non indigeant, & maximè quando impedimento salutis sunt, dicente Hieron. ad Furiam. Certè filiam à parente non diuido. honora parentẽ, sed si te à vero patre non separat, alioquin Dauid tibi canet; Audi filia &c. Vt enim dicit ad Fabiolam. Multa erga nostros facere cogit affectus, & dum propinquitatem respicimus corporum, & corporis & animæ offenditimus Auctorẽ. Quanti Monachi dum patri, matriq; miserent suas animas perdiderunt. Concedo igitur primã rationem, quia propter religionis ingressum nullus redditur impotentem ad parentes honorandũ qui nõ teneatur ad eos descendere, eos si indigeãt honorando non tantùmmodò reuerentiæ exhibitione, vt quidam dicunt, sed temporalis subsidij administratione, & hoc exemplo Christi, qui fuit forma religionis cuiusque, qui vtroque modo matrem honorauit quousque vita mortali in terris cõuersatus est, & etiam in morte illi prouidit de eo, qui vicẽ sua illi vtroq; modo prouiderat post eius mortem temporalem, dicente August. in exposendo illud Ioan. vlt. Cum vidisset Iesus matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dixit matri suæ: Mulier ecce filius tuus, &c. Hæc est illa hora, de qua Iesus aquam conuersurus in vinum dixerat matri suæ, quid mihi, & tibi mulier? nondum venit hora mea: nondum venerat hora, in qua deberet eam cognoscere morituras, de qua fuit mortalis natus.

Tunc ergo diuina facturus non Deitatis, sed infirmitatis matrem velut incognitam repellebat. Nunc autem humana iam patiens eam ex qua factus fuerat homo affectu commendabat humano. Moralis igitur insinuator locus, facit quod faciendum admoneat, & exemplo suo suos instruit præceptor bonus, vt à filijs pijs impendatur cura parentibus. Ex hac doctrina Iesu didicerat Apostolus Paulus, quod docebat. Si quis autem suis, & maximè domesticis non prouidet, fidem negat, & est infideli deterior. Quid autem cuiquam tàm domesticum, quàm parentes? Huius itaque salubernimi præcepti ipse magister Sanctorum de seipso constituebat exemplum, aquando non vt famu-

læ Deus, sed ut matri homo, quam relinquebat alterum pro se quodámodo filium prouidebat. Nam cur hoc factum fuit, quod sequitur indicat. Ait enim ibidem Ioannes: Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam, de seipso dicens vt ad eius curam quicquid ei esset necessarium pertineret. Suscepit ergo eam in suam, non prædia, quę nul lo iure proprio possidebat, sed officia, quæ ppria dispositione exequenda curabat.

Quæro ergo si Maria infirma fuisset, & corporali solatio Ioannis, & victu corporali indiguisset, nunquid Ioannes propter religionem Apostolatus eam dimisisset desolatam? nec de necessarijs ad victum prouidisset, etiam propr.js manibus laborando, si aliter prouideri illi non potuisset, sed recedés dixisset ei, Maria, Bonadies sit tibi, quasi sufficisset eam honorare verbo, seu nutu, & non opere? Credo, ꝙ nequaquam. Quare similiter nec religiosus in consimili casu matrem suam nequaquàm dimittere debet desolatam, sed eam debet honorare opere, vt dictum est. Vnde vt puto illis, qui contraria dicunt si qui forte sint (qui tamen ad illa dicenda mouentur, nec auctoritate, nec ratione, sed sola affectione fauoris ad statum suæ professionis videntur moueri) benè potest dici illud Matth. 15. Quare vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram? Nam Deus dixit, Honora patrem & matrem. Gloss. Imbecillitati consulas dando necessaria. Vestra autem traditio contraria est. Et quomodo, subdit, in quo multum declarauit nostrum propositum contra illos. Vos autem dicitis, quicunque dixerit patri, vel matri munus quodcunque est ex me tibi proderit, & non honorauerit patrem suum, aut matrem suam, & irritum fecistis mandatum Dei propter traditionem vestram. Glos. Hoc filios dicere parentibus compellitis, quod Deo oblaturus eram in tuos consumo cibos, quasi non prodesset tibi, vel mihi, impietatem sub nomine pietatis inducunt, & docent, quòd oblatio Domini, qui verus est pater obsequijs parentum, præferatur. Quæro quid isti aliud dicunt, quando suos auditores, qui in hoc quoquo modo filij eorum sunt, docent, nisi quòd ex professione religionis sic obligãtur Deo ad offerendum eis minus obsequij, quò ad obseruantiam regularem, quòd nec possunt, nec debent munus obsequij sui impendere patribus, quasi hoc esset eis illicitum, sicut illi dicebant, ꝙ sacrilegium erat conferre necessitati parentum, quod posset offerri Deo.

Ad secundum quod dicit, quòd per religionis ingressum impotens quis factus est habendi, & acquirendi necessaria patri, dico quòd falsum est. Si enim aliter non posset habere vnde prouideret potius deberet manib. laborare, & per hoc illi necessaria acquirere, quam eis, quæ sunt religionis insistere, & patrem permittere mori fame: in hac enim necessitate nõ multò minus astringitur prouidere quacunque via poterit patri, quàm sibiipsi. Nè autem quisque in tali necessitate sibiipsi prouideat, nulla necessitate, nulla lege, nulla professione potest astringi, secundum quod dicit Nicolaus Papa de prouisione necessitatis extremæ Fratrum Minorum, deficiẽte omni alia prouisione. Et quidem si (quod non est aliquatenus præsumendum) hæc cuncta deficerent, sicut nec cæteris, sic nec ipsis Fratribus iure posset in extremæ necessitatis articulo ad prouidendum sustentationi naturæ via omnibus extrema necessitate detentis concessa præcludi ur, cum ab omni lege extrema necessitas sic excepta. & hic in tali necessitate quil bet potest acquirere, & per acquisitionem, qua potest habere vnde prouideat patri in tali necessitate constituto, sicut & vnde prouideat sibi in necessitate consimili. *Ad aliud oppositum.*

Comment. in Quæstionem XXIII. quæ est,

Vtrum aliquis scienter ex bono actu possit se reddere impotentem ad impletionem diuini præcepti.

QVÆSTIO hæc potissimum inducta est ob actus consiliorum, quorum quidam videntur impedire ab obseruatione diuini præcepti. Vt ingressus religionis, qui est de consilio, videtur facere impedimentum, ne quis facto possit parentes honorare, vt tangitur in argumento. Et certe not. quòd in hac quæstione tria præsertim fiunt ab Auctore, quasi triplex quæstio sit resoluenda, quarum prima sit, vtrum præcepta diuina omittenda sint ob consilia, quæ maioris videntur esse perfectionis. Qui enim honorat Deum in religione videtur maioris esse perfectionis. Secũda est, Vtrum consilia possint impedire obseruationem præceptorũ, ex cuius quæstionis resolutione respõdetur formaliter ad quæsitum. Tertia est, Vtrum religiosus teneatur deferre facto parentibus honorem.

Prima conclusio, quæ est ad primam quæstionem. Præcepta diuina nullo modo sunt omittenda ob consilia. Probatur hæc conclusio per multa verba D. Hieronymi ad Demetriadem, & Celantiam, quæ clarè tangit in litera. Nec obstat, quòd consilia maioris sint perfectionis, quia verum est, sed præsuppositis præceptorum diuinorũ obseruatione. Secunda conclusio, ad secundam scilicet quæstionem, consilia nullo pacto impediunt præceptorum diuinorum obseruationẽ. Patet hæc conclusio. Nam cum consilia data fuerint à Christo, ipse non venisset legem adimplere, sed soluere. Ab Auctore autem probatur per D. Hieronymo, vt patet in litera. Dicit enim Hieronymus, quod consilia inuentia sunt obseruationem præceptorum, & sunt dispositiua ad plenioris obseruationem.

Tertia conclusio, scilicet ad tertiam quæstionem. Religiosus tenetur deferre parentibus honorem facto, hoc est, illis subuenire in casu necessitatis etiam exeundo Religionem. Probatur conclusio, quia ad præceptum de honorandis parentibus nullus excipitur. Quòd si exciperetur religiosus, ab eo omitteretur quod est præcepti, ob consilij obseruationem, quod est contra primam conclusionem, & si iudicaret se impediri, faceret contra secundam, sed & de hac materia vide Quodlib. 6. quæst. 19. & perpende quæ fuse clarè dicit ad primum.

QVAESTIO

QVAESTIO XXIIII.

Vtrum in peccato omissionis secundum quod distinguitur contra peccatum commissionis requiratur aliquis actus positiuus.

Arg. prin. CIRCA Secundum arguitur, ꝙ in peccato omissionis secũdum quod distinguitur contra peccatum commissionis, non requiritur aliquis actus positiuus; quia contingit peccare peccato commissionis faciendo contra præcepta negatiua dupliciter, & quantum ad actum exteriorem, cuiusmodi est furari, & quantum ad actum interiorem, cuiusmodi est concupiscere. Sicut enim dicit lex, non furaberis, sic dicit non concupisces. Cum igitur peccatum omissionis sic se habeat ad præcepta affirmatiua, sicut se habet peccatum omissionis ad præcepta negatiua: consimiliter ergo contingit dupliciter peccare contra præcepta affirmatiua peccato omissionis, & quantum ad actum exteriorem, qui est non facere quod tenetur, & quantum ad actum interiorẽ, qui est non velle facere illud, sed ambobus concurrentibus non requiritur ad peccatum omissionis aliquis actus positiuus: ergo &.

In oppos. Contra. Secundum Augustinum de libero arbitrio, peccatum ita est voluntarium, quòd si non esset voluntarium non esset peccatum, sed non est volũtarium sine actus positione: ergo &c.

Respon. Dico, ꝙ in pura negatione absq; omni positiuo non consistit ratio peccati, quia peccatum nõ habet rationẽ puræ negationis, sed potius priuationis. s. modi speciei, & ordinis. Priuatio aũt necessariò requirit subiectum, secundũ Philos. 4. & 9. Metaphys. in hoc. n. priuatio differt à negatione, & sic peccatũ omissionis necessariò requirit aliquid positiuum. Vnde qui oĩnò nihil cogitat, & nihil vult, uel agit, aut fortè non habet oĩnò vsum liberi arbitrij, pro illo tpe, & hora nihil oĩnò põt peccare, nisi ex ordine ad aliquem actum positiuũ, in quo sicut in radice demeruit, ꝙ si in tali tpe, & hora aliquid faceret non faciendum, vel omitteret faciendum, ei imputaretur, & hoc quemadmodum suffragia viuorum prosunt defunctis pro quanto meruerunt dum viuerent, ꝙ sibi valere possent si fierent, quæ si fiunt, sunt merita eorum ex radice operis quod fecerunt viui. Vnde dico, ꝙ peccatum omissionis nullo modo potest cõsistere in pura negatione. Nec in dico pp hoc, ꝙ ratio peccati omissionis est in positiuo actu, nisi sicut in radice, sed solùmmodò in ipsa actus negatione, siue omissione. Nõ est. n. peccatum omissionis in illo positiuo, nisi sicut in radice, vnde traxit omissio actus, ꝙ habet rationem peccati, quemadmodum ratio meriti cõsistit in actu quẽ facit viuus, nõ vt in subiecto, sed vt in radice, a qua habet, ꝙ deputat mortuo in actu quem mortuus fecit viuus, & quẽadmodum peccatum homicidij commissum in ebrietate, vt in subiecto consistit formaliter in ipso actu occidendi; vt in radice autem in actu potationis quo se inebriauit, in qua radice est causa illius omissionis. & quia radix non est causa vitiosi nisi ipsa in se sit vitiosa, necesse est, quòd si sit peccatũ in omissione, quo ad actum omissum, quòd etiam sit peccatum in commissione, quo ad actum exercitum, vt secundum hoc nunquàm possit esse vnum peccatum omissionis sine alio commissionis. Vnde si aliquis in nullo actu exercito delinqueret vllo modo, aut ille non esset omninò causa, & radix omissionis, aut illa omissio non deberet imputari in peccatum omittenti, sed excusaretur per involuntarium ex ignorantia inuincibili.

Sed est aduertendum, quòd ille actus positiuus in quo sicut in radice est causa omissionis, vel potest esse actus volendi terminatus ad negationem, siue omissionem eius ad quod quis tenetur, licèt non sine aliquo termino positiuo, puta quando aliquis omittit honorare parentes, quia vult hunc actum omittere, siue quia vult non honorare ipsos, eò quòd vult seruare pecuniam, qua deberet eos honorare.

Talis enim ex hoc, quòd vult hoc, committit & ex eo, quòd non facit id, quod terminat negatiuè actum volendi, omittit, vel potest ille actus, qui est radix omissionis esse aliqs alius actus principaliter explicitus, siue exercitus, aut imperatus à voluntate, puta studium per quod detinetur intellectus intentus circa vnum, vt non possit se conuertere ad cogitandum de faciendo id ad quod quis tenetur, & quando tenetur, qui quidẽ actus studentis, licet sit licitus secundum se, & pro alio tempore in ipso non esset aliqua commissio, committit tamen voluntas in eo, quòd intellectum tenet in tali attentione propter circunstantiam temporis in quo deberet esse attentus ad faciendum id ad quod tenetur, & dimittere pro illo tempore actum secundum se licitum ad quem nõ tenetur; & ideò simul cum isto actu positiuo in quo incidit peccatum commissionis, simul incidit interpretatiuè actus voluntatis prædictus, quo scilicet vult omittere. In eo enim quòd vult intellectum esse tam intentum studio, quòd non potest conuertere se ad considerandum quid aliud faciendum est, vult interpretatiuè omittere illud, quod faciendum est, & secundum hoc concedenda est ratio ad secundam partem adducta.

Ad primam, quòd omissio potest fieri, & quo ad actum exteriorem, & interiorem simul, sicut & commissio: dico, quòd verum est; immò necessarium est quandocunque omissio reducitur ad com- *Ad arg. princip.*

commissionē in alio actu positiuo, quàm si actus volendi. Sic enim omittens, quod tenetur facere exterius, etiam omittit cogitare de illo, & velle id facere interius. Sed omitti potest istud velle. Vno modo negatiuè omninò, scilicet quia nō vult ire, & ex hoc nullum est peccatum, eo quòd in purè negatiuo non consistit peccatum. Vnde quo ad hoc non est simile de peccato commissionis, & omissionis: sic tamen processit argumentum. Alio modo priuatiuè, scilicet quia vult non hoc: ratione tamen alicuius positiui semper, vt dictum est. Sed cum reducitur ad ipsum actum volendi, tunc non est propriè nisi omissio actus exterioris non interioris, quia ipse actus exterior negatur, & actus interior omissus potius est priuatio, quàm negatio: q̄q̄ ergo duplex sit omissio quandoque: ambas tamen oportet reducere ad aliquid positiuum, in quo est per se commissio secundum dictum modum.

Comment in Quæstionem XXIIII. quæ est,

Vtrum in peccato omissionis secundum quod distinguitur contra peccatum commissionis requiratur aliquis actus positiuus.

IN titulo not. quòd omissio potest esse ex negatione, vel priuatione, secundum quod positiuum contradistinguitur, tùm à negatiuo, cùm etiam à priuatiuo. In hoc autem differunt negatio, a que priuatio, quòd negatio tollit subiectum, & formam: priuatio verò tollit formam, & relinquit subiectum, vnde hæc dicitur carentia formæ in subiecto apto nato. Nullo autem modo intelligendum est, quòd peccatum aliquod dicat negationem, quia tunc consisteret in noleitate, & sic noleitas posset esse causa peccati. Quòd est falsum, quoniā vt dicitur ex Augustino, & Seneca, & omnibus, peccatum non esset, nisi esset voluntarium: cum autem omne peccatum sit voluntarium, & etiam priuatio sit, in omni peccato aliquid committitur, & aliquid omittitur: omittitur ratione eius, quod per priuationem tollitur in peccato, committitur ratione eius, quod remanet: vt cum quis furtum committit; committit quidem malum, & omittit bonum, quod est amor Dei, & proximi, contra quem furtum est: dū quis etiam omittit deferre parentibus honorem, videtur q̄ saltem intentione aliquod aliud committat, super hoc autem præsertim est quæstio, vtrum sicut ad peccatum commissionis expressè videtur concurrere, ita è contra in omni peccato omissionis peccatum cōcurrat commissionis, quod est quærere vtrum omissionis peccatum præsupponat positiuum, quia tametsi omne peccatum dicatur priuatio, tamen commissio principaliter dicit positiuum actum, cum è contrà omissio principaliter dicat actum priuatiuum.

In corpore est conclusio, quòd non est peccatum omissionis sine aliquo commissionis, quod est dicere non esse peccatum omissionis sine aliquo positiuo.

Declaratur hoc, quòd positiuum illud sit tanquam in radice, si quidem quicunque omittit aliquid, puta deferre parentibus honorem facto, subueniendo eis, id facit ex aliqua causa positiua: hæc autem potest esse multiplex, quæ tamen ad duplicem reduci potest, scilicet ad causam præcisè positiuam, vel interpretatiuè positiuam. Præcisè, vt ob auaritiam, vel aliquod aliud. Interpretatiuè verò, vt cum voluntas detinet illum occupatum in eo, quod quidem est licitum suapte natura, tamen ob circumstantiam temporis nequaquam, vt exemplificat diligenter Auctor in litera. Ideò hæc &c.

QVAESTIO XXV.

Vtrum aliquis error iuris, vel facti excuset peccatum.

Arg. prim. principium.

ARCA Tertium, videlicet vtrū aliquis error, vel facti, vel iuris excusat peccatum. Arguitur, q̄ error facti non excusat, quia Abimelech peccasset errore facti in Saran vxorem Abrahæ nisi Dominus eum præseruasset, secundum quod Gen. 20. dixit illi Dominus. Scio, quòd in simplicitate cordis feceris, & ideò custodiui te, ne peccares.

Secundū.

Item Dominus dixit de Iudæis crucifigentibus ipsum, nesciunt quid faciunt, & hoc quia errabāt errore facti, non credentes illum quem crucifixerunt, esse Christum, & tamen peccauerunt.

In oppositū.

Contra. Dicit Christus, Si non venissem, & locutus eis non fuissem peccatum non haberent, & hoc non nisi, quia per ignorantiam errantes excusati fuissent: ergo &c.

Responsio.

Dico, quòd non sunt idem error, & ignorantia, sed verum est, q̄ non est error sine ignorantia. Est enim quædam ignorantia negationis, quæ dicitur in pueris nescientia, qua aliquis nescit, quod non est potens, aut natus scire propter subiecti indispositionem ad scientiam contrariam illi ignorantiæ, & in adultis dicitur ignorantia inuincibilis, & illa ignorantia non est error, quia nec est peccatum, nec causatum à peccato propriæ voluntatis in ignorante. Error autem omnis, aut est peccatum in errante, aut à proprio peccato errantis causatus, vt secundum hoc ignorantia sic dicta possit esse sine peccato proprio ignorantis: nō autem error.

Vnde ignorantia Philosophorum qua ignorabant Deum trinum & vnum, & cætera, quæ pertinent ad fidei articulos, error non erat, nec peccatum, quandiu fecerunt, quod in se erat ad sciēdum illa, & non excluserunt à se radium diuini luminis, sed postquam temeritate sua excludebāt rebellione voluntatis à se radium diuini luminis supernaturalis asserentes contrarium veritati, quā non poterant ex puris naturalibus attingere, decepti ex apparentijs fallacibus, quibus voluntas elegit

elegit intellectum potius assentire falsis, quàm veris credibilibus, vt puta, quòd in Deo sicut est vna substantia, sic & vna persona absoluta, & negan eos, quòd in Deo sit trinitas personarum, tunc ipsorum ignorantia facta est error ex peccato temeritatis eorum proueniens, quia voluntate obliquata in sua electione necesse est rationem obscurari in suo iudicio, vt habitum est iam supra. Non est enim error nisi assertio falsitatis in ratione obscurata ex voluntatis obliquatione. Est autem alia ignorantia dispositionis, siue privationis, quæ nō est nisi in illis, in quibus nata est esse scientia contraria per aliquam dispositionem, qua sunt susceptibiles illius scientiæ. Sed hæc est duplex, quædā facti, quædam iuris.

Dicitur autē ignorantia facti, non quia aliquis ignorat factum ex hoc faciendo, quod non est faciendum: multi enim habent ignorantiam facti, etsi non faciunt non facienda, sed quia ignorat facienda, & ea, quæ consistunt in facto. Et est hæc ignorantia duplex, quædam cum exhibitione debitæ diligentiæ ad sciendum illa: quædam verò sine illa diligentia. Prima excusat à peccato omninò, exemplo Iacob, qui credens sibi suppositam fuisse Rachelem, cognouit Lyam prius, quam cō sensit cum ipsa in matrimonium. Secunda autem non excusat pro quanto quis non adhibet diligentiam quam debet ad sciendum ea, quæ consistunt in facto, ita quòd si nullam diligentiam adhibeat, in nullo excusat, sicut fortè non est excusatus Lamech occidendo Caim, putando ipsum esse ferā. Si autem aliquam diligentiam adhibeat pro tanto excusatur, & pro residuo inculpatur, sicut contingit in facto Achimelech, qui re vera peccasset si cognouisset Saram, etiam ipsa accepta in vxorē, quia nō sufficiēter inquisiuit an fuisset vxor Abrahæ, excusatus tamen fuisset in aliquo, propter qd etiam dominus eum custodiuit, quia Sara requisita, quæ esset, respondit se esse sororem Abrahæ, vnde & credidit Achimelech eam non fuisse vxorem Abrahæ, quod si credidisset, nequaquam eā cognoscere voluisset, in quo Aug. cōmendat eius iustitiam in lege naturæ, & in tali cordis simplicitate abstulit eam.

Dicitur autem ignorantia iuris, quando est illorum, quæ ius scienda dictat, & hoc vel diuinū, vel humanum. Ignorantia autem illorum, quæ ius diuinum scienda dictat, & quæ sunt de necessitate salutis, neminem excusat, nisi sit ignorantia negationis; quælibet enim alia ex culpa prouenit pro quanto ad ipsum pertinet scire illa, quia scire illa pertinet minus ad vnum, vt ad simplicem subditum: ad alium verò plus vt ad Prælatum, vel Doctorem. Quia Doctores, qui negligunt studere ad sciendum illa, quæ scire requirit ipsorum professio, & propterea docent falsa, etiam si nec fauore, vel odio essent obscurati, non excusantur à peccato. Et similiter Doctores, qui omnem diligentiam adhibent studio ad sciendum illa, quæ ipsis incumbunt docenda: & tamen propter naturalem indispositionem non possunt ad illorū scientiam attingere, in docendo falsa non excusantur, quia non adhibebant diligentiam, quam debuerunt, & potuerunt, vt promouerentur ad statum, qui requirebat, quòd docerent illa, quæ vires eorum excedebant. Si autem nesciat aliquis, quod non sit de necessitate salutis, vt sunt multa, quæ pertinent ad Philosophiam, aut ea, quæ non tenetur scire, non peccat etiam partem falsam asserendo, nisi temere velit illam defendere contra peritiores se. Et est certum, quòd in omnibus talibus, in quibus certi non sumus quid tenere debeamus, semper teneamus magis securum ad salutē. secundum Augustinum dicentem. Tene certum, & dimitte incertum, & in omninò dubijs semper magis piam partem, quæ scilicet magis vergit in honorem diuinum tenere debemus, dicente Gregorio 10. Moralium, Apud misericordem iudicē nequaquam sine uenia culpa relinquitur, cum per fauorem zeli ex eius amore peccatur. Sæpè nā quo magnis hoc Doctoribus contigit, vt quo alia charitate feruebant, lingua aliquid, quod non debet, dicat. Sed tanto citius parcitur, quanto ex qua prodeat radice pensatur, citius culpa dimittitur, quæ nequaquam studio malitiæ perpetratur. Ignorans autem ea, quæ ius humanum dictat, similiter non excusatur, nisi quatenus eum excusandum dictat, qualiter à notitia legum humanarum excusantur propter eorum exercitia milites, & rustici. Per prædicta patet responsio ad prima duo obiecta.

Ad tertium in oppositum. Si non venissem &c. Dico, q ibi loquitur Christus de eis, quæ pertinēt ad notitiam iuris diuini, à quo nemo excusatur secundum iam expositum modum. Tamen peccans ex ignorantia talis iuris non specialiter affectata minus peccat quando non est ei annūciatū, quàm quando est annunciatum, quia forsan scies voluntatem domini sui, & non faciens, plagis vapulabit multis, & sic si illis non fuisset annunciatum, sed peccassent faciendo quod non debuissent, tamen minus peccassent, quàm postquam eis fuit annunciatum, & hoc intendit cum dixit, peccatum non haberent, scilicet non tantum haberent: tamen simpliciter haberent.

Comment. in Quæstionem X X V. quæ est,

Vtrum aliquis error iuris, vel facti excusęt peccatum.

IN titulo not. q̃ est eadem quæstio de ignorantia, quæ dicitur priuationis, siue dispositionis: quippè ab illa propriè nascitur error, qui ab Auctore diffinitur, quod sit assertio falsitatis in ratione obscurata, ex voluntatis obscuratione: secluditur autem ignorantia, quæ dicitur puræ negationis. Est igitur, ac si quæratur id ipsum de ignorantia dispositionis, à qua nascitur error, ita vt effectus sit ignorantiæ huiusmodi, ideò hic accepta ignorantia in corpore quæstionis circa ipsum resoluit quæstionem. Esset autem declarandum quid sit ignorantia iuris, & quid ignorantia facti in titulo. Sed quando id fit ab Auctore in corpore quæstionis id placet relinquere.

In corpore igitur quatuor conclusionibus satisfit quæsito, habitis de hac ignorantia quibusdam diuisionibus, ac subdiuisionibus sic.

Ignorantia dispositionis, vel priuationis est, vel

Facti, qua quis ignorat facienda, & ea, quæ consistunt in facto, & est vel

Cum debitæ diligentiæ exhibitione. — *Prima conclusio.* Excusat à peccato.

Sine huiusmodi diligentia. — *Secunda conclusio.* Non excusat à peccato.

Iuris, qua quis ignorat, scienda vel de

Iure diuino. — *Tertia conclusio.* Non excusat à peccato.


Iure humano. — *Quarta conclusio.* Non excusat à peccato.

Prima conclusio patet de Iacob in suo matrimonio cum Lia, vt patet in litera.
Secunda conclusio Declaratur exemplo Achimelech circa vxorem Abrahæ.
Tertia conclusio Declaratur per exclusionem ignorantiæ puræ negationis, & intelligendo in his, quæ sunt de necessitate salutis.
Quarta conclusio Similiter declaratur &c. Cætera clara videntur.
Not. autem q̃ idem dicitur de errore proueniente ab his ignorantijs, immò de errore intelligendum est negotium, quippè nisi ad effectum, vel commissionis, vel omissionis veniat ignorantia, in quo effectu committitur error, non nascitur peccatum. Vnde vbi est peccatum, ibi est error, & error est peccatum in effectu, vbi ipsa ignorantia est causa errorem non excusans, nec tollens, vt non sit peccatum.

QVAESTIO XXVI.

Vtrum voluntas possit actuari, siue reduci ad actum, & tamen non determinari ab illo, à quo actuatur.

arg. prin.



INCIPIT Quartum arguitur, q̃ voluntas possit actuari ab aliquo, & tamen nõ determinari ab illo, quia voluntas respectu eorum, quæ sunt ad finem, est liberi arbitrij: ostẽtis ergo sibi duobus circa illud, quod est ad finem, sese poterit determinare ad vtrumlibet, sed ostenso sibi aliquo sub ratione boni vnica, ab illo necessariò actuatur, sicut à bono, quod apprehẽditur sub ratione finis, & omnimoda ratione boni, ab alio ergo actuatur, & ab alio determinatur: ergo &c.

In oppos.

Contra. Idem est respectu alicuius ex se indeterminati ipsum actuare ad aliquid, & ipsum determinare ad illud, & hoc siue formaliter, siue effectiuè. Forma enim in hoc q̃ actuat materiam, ip am determinat, & similiter agens: ergo &c.

Responsio.

Dico, quòd voluntas tripliciter comparatur ad actum volendi. Vno modo negatiuè, scilicet in eum non volendo, vbi negantur actus, & obiectum simul. Sic enim non vult ille, qui nec voluntatem ad aliquid agendum habet, nec etiam actum volendi. Alio modo positiuè, scilicèt in omninò volẽdo aliquid, vbi affirmantur actus, & obiectum simul. Sic enim vult ille, qui habet voluntatem ad habendum aliquid determinatè. Tertio modo priuatiuè, scilicet in partim volendo, & partim nolendo, vbi affirmatur actus & negatur obiectum. Sic enim vult ille, qui habet voluntatem ad non habendum aliquid determinatè. Primo modo nõ vult aliquid dormiẽs. Secundo modo vult vigilãs esse beatus. Tertio modo vult non esse miser. Et differunt ista tria breuiter, sicut non uelle, & uelle, & uelle non, siue nolle. Voluntas autem considerata vt primo modo comparatur ad actum uolendi sic se habet ad illũ vt potẽtiale quoddam, & quasi per indifferentiam quantum est ex se, vt comparetur ad actum secundo & tertio modo iam dictis, scilicèt uel in uolendo affirmatiuè, uel in nolendo priuatiuè. Qui enim nec est in actu uolendi, nec est in actu nolendi, per indifferentiam se habet quodammodo ad uelle, & ad nolle illud, quod sibi propoui potest per intellectum, vt possit illud quantum est ex se, uel uelle, uel nolle.

Opin. alio rum.

Sed vt circa dictam quæstionem primò recitemus sententias aliorum, sciendum est aliquos dicere, quòd ad illa duo non se habet voluntas per indifferentiam quantũ est ex parte mouẽtis, & facientis

cientis ipsam exire de potentia in actum volendi, aut nolendi, quia vt dicunt necesse est principium actus voluntatis esse ab intellectu, ita ꝙ nisi intellectus fieret primò in actu, nunquàm voluntas fieret in actu. Non enim volitum est obiectum intellectus, sicut intellectum est obiectum voluntatis. Oportet enim volitum primò esse intellectum, & deinde volitum, sed non è conuersò, quia intellectus quantum ad actum suum omninò primum cum vadit de omnimoda potentia in actum, nõ est in potestate voluntatis quid nobis primum in mentem veniat, & mouear intellectum ad actum intelligendi, sed venit in mẽtem, vt contingit, vel à sensibili extra, vel à phantasmate, quod alijs superfertur, vel ex consuetudinẽ, vel ex complexione, vel ex alia aliqua causa. Postquàm autem intellectus factus est in actu intelligendi, tunc primò reduci potest in actum tàm uolendi, quàm nolendi. Distinguendo tamen de volibili, quia volibile à voluntate, non potest esse nisi propositum per intellectum: intellectus autẽ in intelligendo proponit, & suum actum intelligendi, & ipsum obiectũ intellectum. Dicunt ergo, ꝙ intellectus aliter uolũtatẽ in actum uolendi intellectũ intelligere, & aliter in actum volendi obiectum, quod intelligitur inducit. De primo enim dicunt, ꝙ q̃q̃ voluntas quãtum est ex se, ante omnem actum suum est indifferens ad actum volendi & nolendi, tamen q̃tũ est ex parte eius, quod natum est ipsam facere in actu, quàm citò intellectus intelligit aliquid, statim ex necessitate complacet volũtari in ipso actu intelligendi intellectus, & de necessitate vult intellectum intelligere illud, quod primò intelligit, & sic (vt dicunt) res apprehensa primò causat in voluntate, & hoc ex necessitate, volitionem considerationis, siue intellectionis. Et talem volitionem causari ab intellectu in uoluntate, appellãt aliqui actuare, siue actuare voluntatem, quia hoc facit eam de volente in potentia volentem in actu.

Alij autem respicientes ad voluntatis indeterminationem prædictam appellant hoc determinare voluntatem, & ambo concordant in hoc, ꝙ sic velle primò secundum actum non est à voluntate, neque à libero arbitrio voluntatis, quia primi dicũt, ꝙ voluntas nõ est liberi arbitrij quo ad actuationem: alij autem dicunt, quòd non est liberi arbitrij quo ad actus determinationem, & idipsum quod illi appellant actuationem, alij appellant actus determinationem. Sed qui illorũ magis proprièloquuntur? Dico, ꝙ primi, qui hoc appellant voluntatis actuationem, quia licèt voluntas ex se sit ab initio quasi indifferens ad velle, & ad nolle: propriè tamen secundum vtrosque non debet dici indifferens ad volendum, & non volendum in cõparatione ad actum considerationis, siue intellectionis, quia vt dictum est secundum illos res primò apprehensa quæcunque sit illa, & sub quacũque ratione apprehendatur, ex necessitate primò causat in voluntate volitionem cõsiderationis, & sic non est indifferentia ex parte actiui, nec ẽt ex parte passiui, quare nec secundum illos est propriè determinatio actus, vbi non est propriè indifferentia ad diuersos actus. Est autem actuatio secũdum illos, propriè, quia secundum eos per actionem intellectus propriè uoluntas reducitur de potentia ad actum. De volẽdo autem obiectum distinguũt, quia aut illud est finis sub omni ratione boni, aut aliquid quod est ad finem. A fine autem apprehenso sub ratione omnis boni dicunt voluntatẽ actuari, & necessitari ad actũ volendi, & ideò respectu illius, vt prius magis propriè accipitur hic nomen actuationis, quàm nomen determinationis.

De ijs autem, quæ sunt ad finem distinguunt, dicendo, quòd cum voluntas est actuata, vt velit intellectum intelligere id, quod est ad finem, siue id, quod non est finis, nec se habens sub ratione omnis boni, aut intellectus intelligit id sub vna ratione, siue boni, siue mali, puta fornicationẽ sub ratione delectabilis tantùm, aut sub ratione deordinati tantùm, aut intelligit ipsum bifurcatum, & sub duplici ratione, puta fornicationem sub ratione delectabilis inordinati. Si primo modo, dicunt, ꝙ voluntas statim ab obiecto actuatur, sed non necessitatur nisi vt velit illud secundum rationem illius determinationis. Si enim consideratio sit determinata ad bonum tantùm, tunc necessitatur, vt velit bonum, & si sit determinata ad malum tãtùm, necessitatur vt velit malum; puta si intelligit fornicationem sub ratione delectabilis tantùm, de necessitate vult fornicari. Si verò sub ratione deordinati tantùm, de necessitate vult non fornicari, quia voluntas nihil potest respuere nisi sub ratione mali, nec velle, nisi sub ratione boni. Voluntas aũt licèt sic ad hoc de necessitate actuetur: non tñ vt dicunt ab eo, quod non est finis sub ratione omnis boni necessitatur, sic vt oporteat ipsam perstitere in actu volendi, vel nolendi, quomodo necessariò actuatur ab obiecto, sicut necessitatem volẽdo finem, quia à volendo illũ non potest se retrahere. Vt enim dicunt agens, & patiens in naturalibus comparantur inter se tripliciter, quia agens ipsum patiens actuat faciendo ipsum secundum actum, quale est agens, & necessitatur, quia agente approximato patienti agens necesse habet agere, & patiens pati sic, quòd oporteat ipsum perstitere in dispositione quã ei imprimit agens. Similiter agens patiens violentat, quia spoliat ipsum à dispositione, quam habet in se contrariam illi dispositioni, quam nititur ei imprimere agens. Ex parte autem voluntatis dicunt, ꝙ à fine, ad quem se habet sub ratione boni, actuatur, & necessitatur simul: ab his autem, quæ sunt ad finem & quæ comprehenduntur non sub omni ratione boni, actuatur quando comprehenditur sub una ratione tantùm: à nullo autem potest violentari. Quia igitur (ut dicunt) voluntas, eò quòd necessitatur ab eis, quæ sunt ad finem, habet in potestate suæ libertatis arbitrij, ut possit perstitere in illa actuatione, siue actu

uo

volendi, aut nolendi illud, à quo est actuata, aut potest se ab illis retrahere, & sic ipsa voluntas ex se verè indeterminata est ad velle persistere, vel non persistere in illis; & quia in hoc non potest determinari ab obiecto, quòd non est finis sub omni ratione boni: oportet ergo, ꝙ voluntas in hoc seipsam determinet suo libero arbitrio. Et hanc determinationem aliqui consueuerũt appellare exercitium actus solùmmodò.

Talem determinationem, siue exercitium actus dicunt esse in libero arbitrio voluntatis: non autẽ ipsam actuationem, quę præcedit necessariò istam determinationem, & hic dicunt actuationem voluntatis esse ab obiecto naturali necessitate, & nullo modo à libertate arbitrij in voluntate.

Determinationem autẽ, siue exercitium actus dicunt esse, à libero arbitrio voluntatis, & respectu illius solùmmodò voluntatem esse liberi arbitrij. Si verò intellectus intelligit id, quod nõ est finis secundum rationẽ omnis boni sub duplici ratione, scilicet bifurcata, puta fornicationem sub ratione delectabilis inordinati, vel potionem sub ratione sanatiui amari, dicunt, quòd in libertate arbitrij voluntatis est, vt possit se determinare ad hoc, vt velit intellectum persistere in cõsideratione illius bifurcata, siue sub vtraque ratione, aut omninò desistere ab illius consideratione, vt secundum rationem neutram ipsum consideret, vel vt desistat in cõsideratione illius sub altera ratione tantùm, & desistat à consideratione eius sub alia, vel vt non sistat æqualiter sub vtraque, sed magis in consideratione illius sub vna ratione, q̃ sub altera. Et in omnibus istis necesse est intellectũ sequi determinationem voluntatis, quandiu ipsa vult stare in sua determinatione, quandiu enim voluntas vult, stat intellectus in bifurcata consideratione, quia quandiu vult voluntas intellectũ de vtroque considerare, & quãdiu stat intellectus in consideratione de vtroque æqualiter, dicunt, ꝙ per neutrum potest actuari voluntas, vt vnum illorum velit, & alterum respuat, nec est in voluntate, vt quo ad alterum illorum fiat in actu volendi illud, sed cum vult intellectum considerare de altero tantùm, vel magis de illo q̃ de reliquo, tunc necesse est ipsam actuari ab illo, quod solum intellectus considerat, aut magis, puta cum vult intellectum solum, vel multò magis cogitare de fornicatione sub ratione delectabilis, quia in obiecto nõ habet voluntas retrahens, allicitur à delectabili, & causatur in ea volitio fornicationis, & è contrà, cum vult intellectũ solum, vel magis cogitare de fornicatione sub ratione deordinati, quia in obiecto non habet voluntas alliciens, abominatur fornicationẽ, & causatur in ea nolitio fornicationis, & sic in volendo, vel nolendo voluntas ab obiecto actuatur, quia volitio causatur in voluntate à bono apprehenso, & nolitio à malo apprehenso, ita ꝙ secundum hunc modum bonum, vel malum apprehensum actuat voluntatem, & sic suum actuari isto modo, nec est à voluntate, nec à libero arbitrio eius, quia super ipsum voluntas non habet dominium nisi per accidens per hoc. s. quòd posset se non determinasse ad hoc, ꝙ voluit intellectũ solum, vel magis considerare fornicationem sub ratione delectabilis. Nisi enim prius determinasset se velle intellectum considerare de fornicatione sub ratione sola delectabilis, vel magis, sed desistere à consideratione eius sub ratione fornicationis, fornicatio non potuisset voluntatem actuasse actu volẽdi fornicationem, nec causare volitionem sui in illa. Dicunt ergo isti, quòd voluntas quo ad determinationem actus, quam alij appellant quo ad exercitium actus, quia seipsam per liberum arbitrium determinat, & exercitat, secundum dictum modum benè dicitur mouere seipsam, quia potest seipsam ad actum uolendi dicto modo determinare in uolendo. Quo autem ad actuationem, quam alij appellant determinationem, nullo modo potest mouere seipsam, quia non põt seipsum actuare nisi per accidens, quia scilicèt potuit facere, & non facere illud quo facto uolũtas actuatur, ut est ab obiecto in quo faciendo, & determinando seipsam mouet, & hoc etiam per accidens, scilicèt per hoc, quòd est mota ab alio. Antequà enim uolũtas fuerit in actu, & actuata per obiectum secundum aliquem prædictorum modorum, nullo modo potest se determinare secundum aliquem prædictorum determinandi modorum. Quemadmodum enim intellectus factus in actu per principia mouet seipsum ad conclusiones, sed hoc mouẽdo uolũtatem primò per bonitatem principiorum, à qua mouet ad conclusiones, sic uoluntas facta in actu per finem mouet seipsam ad ea, quæ sunt ad finem, sed hoc mouendo intellectum ad considerationem alicuius secũdum unam rationem, qua est ad finem à quo mouet ad uolẽdum id quod est ad finem. Vt aũt dicunt uoluntas, quia ex se ad actum uolendi est solùm modò in potentia, inquantũ est solùm in potentia non determinat seipsam, sed solùm inquãtum est prius facta in actu, quo actuatur primò: in actu autem quo actuatur secundò seipsam non facit in actum ſm̃ seipsam, sed secundum aliud, ut dictum est. Si enim aliquid in seipso secũdum seipsum causaret actuationem, tunc idem secundum idem esset actus & potentia, siue in potentia, & in actu, quod est impossibile ex rerum natura. ut secundum hoc uoluntas non exeat in actum aliquẽ uolendi, siue mouendi seipsam, ut per seipsam solum dicatur mouere seipsam, sed si exit in actum per seipsam, & ꝺ mouere seipsam, hoc non est, nih cum hoc per aliquam dispositionem aliam existentem in ea, quemadmodum aliqui uolunt, secundum quod uoluntas mouet se per quasdã affectiones suas. Ad cuius intellectum, quomodo. s. hoc ueritatem habere potest, & quomodo non, est aduertendum circa hoc aliquid ex parte ipsius actus uolendi eliciti à uoluntate, & aliquid ex parte ipsius uoluntatis, à qua elicitur.

Ex parte siquidem actus volendi est aduertẽdum, quòd vnus actus volendi potest comparari ad alium dupliciter. Vno modo penès ordinem prioris, & posterioris. Alio modo penès gradum superioris, & inferioris. Primo modo comparantur inter se actus volendi finem, & actus volendi illud quod est ad finem. Secundo modo cõparantur inter se actus volendi modo naturali aliquod volibile, & actus idem volẽdi modo supernaturali. Ex parte autem voluntatis est aduertendum, quòd circa eam est considerare aliquid vnquo habet elici actus volẽdi simpliciter, & aliquid vt quo habet faciliter elici actus volendi. Primo dictorum modorum comparando actus, voluntas non exit in actum volendi id, quod est ad finem, nisi per aliquam dispositionem existentem in ea prius, scilicet per actum volendi finem præcedentem in ea, sed hoc non vt per illud, quod est causa propter quam fit, sed solùmmodò vt per illud, qd est causa sine qua non. Sicut enim voluntas præsupposito in cognitione bono, quod est finis, vult illud, vt per causam sine qua non, sic & præsupposito actu volendi bonum quod est finis, vult bonũ quod est ad finem, vt per causam sine qua non, sed vtrobique seipsa, vt causa propter quam fit, sine aliqua alia dispositione existente in ea, vult & finem & ea quæ sunt ad finem. Secundo autem modo comparando actus, voluntas non exit ad actum volendi modo supernaturali aliquod volibile supernaturale, nisi per aliquam dispositionem existentem in ea, quæ est aptitudo quædam in instrumento, quod est voluntas ad eliciendum actũ volendi talem. Et est illa aptitudo habitus aliquis supernaturalis eleuans potentiam, vt possit actum illum elicere, & disponens eandem ad faciliter eliciendum illud, puta habitus iustitiæ inquantũ est donum Dei, quo potest voluntas elicere actũ volendi iusta facere meritoriè, & volendi beatitudinem qualem sperant iusti, quem quidem actum ex se solo in puris naturalibus existens, nè inchoare quidem posset omninò. Ad actum autem volendi aliquod volibile naturale modo naturali faciliter, adhuc non posset exire voluntas, nisi per aliquam dispositionem existentem in ea, cuiusmodi est aliqua aptitudo ad eliciendum actum volendi in instrumento, quod est voluntas, quam aptitudinem Anselm. in fine de cõcordia prædestinationis, & gratiæ, & liberi arbitrij, appellat affectionem, vbi distinguit inter instrumentum, quod est voluntas, & huiusmodi affectionem, & actum volendi eius, quem appellat vsum, dicens sic. Sicut habemus in corpore membra, & quinque sensus singula ad suos vsus apta, quibus quasi instrumentis vtimur, vt sunt manus aptæ ad capiendum, pedes ad ambulandum, lingua ad loquendum, visus ad videndum, ita & anima habet in se quasdam vires, quibus vtimur vt instrumentis ad vsus congruos.

Est namque ratio in anima, qua sicut suo instrumento vtitur ad ratiocinandum, & voluntas, qua vtitur ad volendum. Quoniam ergo singula instrumenta habent, & hoc quod sunt, & aptitudines suas, & suos vsus, discernamus in voluntate instrumentum, & aptitudinem eius, & vsum eius, quas aptitudines in voluntate possumus nominare affectiones.

Affectum quippè est instrumentum volẽdi suis aptitudinibus. Et est ista aptitudo in voluntate nihil aliud quàm pronitas quædam qua inclinatur ad aliquid volendum, qua facilitat potest exire in actum volendi illud. Vnde vt continuè adiungit Anselm. dicitur hominis anima cum vehementer vult aliquid affectata esse ad volendum illud, vel affectuosè velle, & infra. Affectio autem huiusmodi instrumenti est, qua fit ut faciliter huiusmodi instrumentum ad volendum aliquid, etiam quando illud non cogitat, vt si uenit in memoriã, aut statim, aut sue tempore illud uelit.

Sed est aduertendum, quòd talis affectio, siue aptitudo uoluntatis duplex est, quædam naturalis naturæ indita, quædam uerò est naturæ superacquisita.

Aptitudo prima nihil reale addit supra naturam, sed solùmmodò respectum, & modum quo ordinatur ad actum uolẽdi aliquid, sicut nec aptitudo ad uidendum lumen, aut colorem, aliquid reale addit supra naturam uisus, & per talem aptitudinem, siue affectionem uoluntas ordinatur ad illud, quod naturaliter, & immutabiliter uult, cum ei præsentatur per intellectum.

Vnde & per se in puris naturalibus existens potest exire in actum uolendi illud absq; omni alia dispositione existẽte in illa. Tali autem affectione uult uoluntas salutem statim, de qua dicit ibidem Anselm. Sic est instrumentum uolendi affectũ ad uolendum salutem, etiam quando illam nõ cogitat, ut mox cum uenit in memoriam statim eam uelit. Tali etiã aptitudine naturali voluntas pronior est, quantum est de sua natura, ad uolendum bonum virtutis, quod est bonum simpliciter, quàm delectabile in malo uitij, quod est bonum ut nunc, licèt ex corruptione uitiosa originali, uel actuali, prior sit ad bonum, ut nunc, dicente ibid. Anselm. Inuestigandum est, unde tam prona sit ad malũ ista uoluntas. Non enim credendum est talem illam Deum fecisse, &c. Vbi dictam causam exprimit, sicut patere potest intuenti, ut de causa ipsius. Aptitudo autem secunda addit supra naturam uoluntatis habitum uirtutis, quo inclinatur ad bonũ virtutis actum, in cuius actum tali promptitudine non posset exire per seipsam uoluntas, quali exit in ipsum cum habitu uirtutis.

Potest tamen sola aptitudine naturali per seipsam in actum uirtutis imperfectum, generatiuum habitus, absque omni dispositione existente in ea, & etiam cum maiori promptitudine, q̃ in actum vitij, potest exire in illum simpliciter absque omni alia dispositione existente in ea.

Vnde

Vnde de tali aptitudine, siue affectione respectu actus meritorij ex virtute gratuita, dicit Anſel. Sanctus homo aſſeritur etiam cum dormit, & non cogitat indeſinenter habere voluntatem iuſtè viuendi. Et non aliud dicimus voluntatem, quam illam affectionem inſtrumenti, qua vult iuſtè viuere, ſecundum quod etiam vtrunque modũ aptitudinis declarat poſt pauca ſubdẽs. Sicut viſus plures habet aptitudines, ſcilicet ad videndum figuras, ad videndum colores, ita inſtrumentum volendi duas habet aptitudines, quas voco affectiones, quarum vna eſt ad volendum commoditatẽ: altera ad volendum rectitudinem, nempè nihil vult voluntas, quæ eſt inſtrumentum, niſi aut cõmoditatem, aut rectitudinẽ, quicquid enim aliud vult, aut propter commoditatem, aut propter rectitudinem uult. Et ad has etiam ſi fallitur, putat ſe referre quod vult. Per affectionem quidem quę eſt ad volendum commoditatem ſemper vult homo beatitudinem, & beatus eſſe, per illam verò, quæ eſt ad volendum rectitudinem, vult rectitudinem, & rectus, ideſt, iuſtus eſſe.

Propter commoditatem autem vult aliquid, vt cum vult arare, vel laborare, vt habeat vnde tueatur vitam, & ſalutem, quæ iudicat eſſe commoda. Propter verò rectitudinem vult, vt cum vult diſcere, vt ſciat rectè.i, iuſtè, viuere. Et per hoc planè inſinuat, quòd prima aptitudo ſit naturalis: ſecunda ſuperacquiſita naturæ ſecundum dictum modum.

Aſſignans autem differentiam inter has aptitudines duas, ſiue affectiones, dicit ſic. Illa quæ eſt ad volendum commodum, inſeparabilis eſt, illa vero quæ eſt ad volendum rectitudinem ſeparabilis. In hoc quoque differunt, quia illa, quæ eſt ad volendum commodum, non eſt hoc, quod ipſa vult: illa verò quæ eſt ad volendum rectitudinẽ, rectitudo eſt. Nullus quippè vltra rectitudinem niſi rectitudinem habens, neque poteſt aliquis rectitudinem velle niſi rectitudine. Palam autem eſt eius voluntatis, quę eſt inſtrumentum iſtam eſſe rectitudinem. Ke vera eſt eius, vt habitus ſuus. Et ſic ſicut in volendo rectitudinem rectitudo eſt, quia habet habitum rectitudinis, ſic in volendo cõmodum non eſt illud, quia non neceſſariò habet habitum ad volendum illud, ſed ſufficit ad illud ſola aptitudo naturalis ipſius voluntatis, quæ voluntas etiam ſola libertate arbitrij poteſt non ſolum in uerè commodum per aptitudinem, ſed etiã in apparens commodum contra illam aptitudinẽ, ſecundum quod dicit Anſel. ſubdens poſt pauca. Illa voluntas, quæ eſt ad uolendum commodum, non ſemper mala eſt, minus dicit, & plus ſignificat: immò ſemper bona eſt ſtando in quadam generalitate commodi, quia non eſt mala niſi commodum, quando determinatur ad materiam, in qua tantum habet rationem boni, ut nunc, ſiue apparentis. Vnde ſubdit continuò. Sed quando cõſentit carni concupiſcendo aduerſus ſpiritum, tũc ſupple mala eſt. Eſt autem aduertendum occaſione illius, quod Anſelmus dicit in fine, loquendo de uoluntate, quæ eſt inſtrumentũ, & eius affectione. Illa (inquit) vult quæ affectione ſua vult.

Vnde non abſurdè poſſumus dicere affectiones eius uoluntatis, quàm inſtrumentum animæ dixi, quaſi inſtrumenta eiuſdem inſtrumenti, quia illa nihil niſi iſtis operatur. Occaſione illius dicti inquam aduertendum eſt, quòd circa exitũ actus voluntatis, quæ eſt inſtrumentum animæ, eſt conſiderare duo, ſcilicet & ipſum exitum ſimpliciter, & promptitudinem, ſiue facilitatem exitus in eliciendo ipſum actum. Et quo ad hoc ſecundum, & ratione eius benè verum eſt, quod voluntas nihil operatur niſi illis, quia promptitudinem in eliciẽdo actum volendi non dat voluntati niſi eius aptitudo. Nihilominus tamen aſpiciendo ad primum ſolum voluntas vi ſua naturali omnem actum uolendi modo naturæ congruẽti per ſemetipſam elicit, ut cauſa propter quam ſic, & nihil aliud in ea ſupra pura naturalia exiſtẽs requiritur niſi ut cauſa ſine qua non: habitus enim politici non eliciũt actus ſimpliciter, ſed ſolum coagunt uoluntati, ut prompte & faciliter perfectum actum eliciat. Dico ſaltem quo ad habitus noſtris actibus acquiſitos. Et ratione eius, quòd ſola voluntas elicit huiuſmodi actum ſimpliciter, intelligo illud quod ib. dicit Anſelmus: Voluntas (inquiens) inſtrumentum mouet omnia alia inſtrumenta, quibus ſponte vtitur, & quæ ſunt in nobis, ut manus & lingua & viſus, & quæ ſunt extra nos, ut ſtylus & ſecuris, & facit omnes uoluntarios motus: ipſa verò ſe ſuis affectionibus mouet, vnde dici poteſt inſtrumentum ſeipſum mouens.

Dico ergo dicendo ad quæſtionem, quòd ſecundum ſententiam prædictorum aſſignantium differentiam inter actuationem, & determinationem, quæ conſiſtit in eo, quod alij appellant exercitiũ actus, propriè loquendo uoluntas benè poteſt actuari, & tamen non determinari, quia actuatio illa, quam alij appellant determinationem, non eſt propriè determinatio actus, vt dictum eſt. Sed ſecundum ſententiam illorum omninò eſt aliud voluntatem determinari, & actuari, ſicut ſecundum ſententiam aliorum omninò eſt aliud determinatio actus, & exercitium actus, ſecũdum quorũ ſententiam non eſt aliud determinari, q̃ quod illi appellant actuari, vt dictum eſt, & ſecũdum hoc non poteſt uolũtas actuari, & non determinari. Sed talis diuerſitas inter prædicta conſiſtit in ſolo nomine, de qua non eſt nobis curæ. Sed q̃ho noſtra intendit an voluntas poſſit actuari, & non determinari, ex eo, q̃ ſint diuerſa inter ſe ſecundum rem, an non. Et dico ſecundũ quod aliàs determinaui circa determinationem actus & exercitium eius, in quibus aliqui magnam ponunt differentiam, quòd non differunt reſpectu voluntatis, eò quòd ipſa vniformiter per liberum arbitrium ſe habet ad omnes actus uolendi circa ea, quæ ſunt

ad finem, videlicet & ad illos, quos alij appellant determinationes. & ad illos, quos alij appellant exercitia. Consimiliter dico circa actuationem voluntatis & determinationem eius, in quibus alij magnam ponunt differentiam, ꝙ non differunt respectu voluntatis, eò ꝙ vniformiter ipsa per liberum arbitriũ se habet ad omnes actus volendi circa ea quæ sunt ad finem, videlicet & ad illos, quos appellant actuationes, & ad illos quos appellant determinationes. Quare cum secundum vtrosque non est distinctio inter illos modos actionum volendi, nisi quia diuersimodè voluntas se habet ad illos secundum dictum modum. Dico ergo, ꝙ ex parte rei nulla est differentia ex diuerso ordine, & modo se habendi ad voluntatem, inter voluntatis actuationem, determinationem, & exercitium. Licet enim differenti modo se habet voluntas ad actum volendi finem, & ea quæ sunt ad finem, in hoc videlicet, ꝙ finẽ sub omni ratione boni apprehensum necesse habet velle, & non potest ipsũ non velle, nec diuerti ab illo, nec ab illis, quæ ipsum circunstant, & hoc etiam manente apprehensione talium: omne autem quod est ad finem apprehensum etiam manente apprehensione potest non velle, & velle indifferenter, & similiter ea, quæ illud circunstãt: tamen ad finem sub omni ratione boni, & ad ea, quæ circunstant ipsum, nullo differenti modo se habet.

Sicut enim finem talem apprehensum necesse est voluntatem velle: ita similiter necesse est ipsum velle intellectum intelligere finem, & persistere in actu intelligendi ipsum. Similiter ad ea, q̃ sunt ad finem, & ad ea, quæ circunstant illa, nullo differenti modo se habet.

Percurrendo igitur ad huius declarationẽ iam dicta ab alijs, & impugnando ea, quæ in illis quo ad hoc nobis sunt contraria, cætera approbando tanquam benè dicta.

Dico, ꝙ q̃q̃ verum sit, vt illi dicunt, ꝙ necesse est principium actus voluntatis esse ab intellectu, vt supra: tamen cum hoc ad actum volendi, & nolendi, & finem, & ea quæ circunstant ipsum, & similiter ad ea, quæ sunt ad finem, & quæ circunstãt illa, per indifferentiam se habet, & quantum est ex parte sui, & quantum est ex parte cuiusq; alterius. Quantum enim est ex parte ipsius voluntatis, & finis sub omni ratione boni, sicut etiã necesse est ipsam velle finem, sic & necesse est ipsam velle intellectum persistere in consideratione finis. Et sicut non est necesse ipsam velle intellectum persistere in consideratione eorum, quæ sunt ad finem secũdum dictum modum sic nec est necesse ipsam velle etiam ab initio intellectum intelligere, quod primo sibi occurrit, neque etiã necesse est ipsam velle illud, in cuius consideratione voluit intellectum persistere sub consideratione vnius rationis in ipso intellecto: immò statim illo oblato volũtati primo actu intelligendi potest velle intellectum non intelligere illud, sed cessare.

Stante etiam intellectu ad voluntatis imperium in consideratione fornicationis sub ratione delectabilis, libertate arbitrij potest voluntas illã nolle, & velle, & sic in nullo aliter intellectus inducit voluntatem in actum volendi intellectum intelligere vel simpliciter, vel sub quacunque ratione, & in actum volẽdi obiectum: vtrobique enim æqualiter est indifferens quantum est ex parte sua. Nec necesse est, ꝙ statim complaceat voluntati in primo actu intelligendi, & sic non oportet, quòd in ipsa causetur volitio volendo intellectũ intelligere. Et similiter præsentato aliquo sub duplici ratione, æqualiter voluntas potest se libertate arbitrij ad alterum determinare.

Quòd autem addunt: talem volitionem causati ab intellectu in voluntate, &c.

Dico, quòd hoc falsum est, quoniam secũdum quod sæpè dixi, licèt principium voluntatis sit ab intellectu, & volitio causetur à bono apprehenso, non tamen hoc est sicut ex causa propter quã sic, sed solùmmodò sicut ex causa sine qua non, quia vt à causa propter quam sic, non mouetur volũtas ab aliquo ad actum uolendi, neque actuatur nisi à seipsa, vt non solum dicamus voluntatem esse dominam supra suam actionem in quibusdam, vt illi dicunt, sicut patebit in quæstione sequenti, sed in omnibus à principio vsque in finem, includendo omnes actus & primos, & medios, & vltimos: licet ad finem sub omni ratione boni apprehẽsum, & ea, quæ circunstant ipsum, mouentur tamen liberè, & non libero arbitrio propriè loquendo: ad ea verò quæ sunt ad finem, & quæ circunstant illum libero arbitrio tantùm, vt alias exposuimus. Quod autem ad confirmationem dicti sui arguunt ibidem, ꝙ voluntas nihil põt velle, nisi sub ratione boni, nec nolle, siue refpuere nisi sub ratione mali. Dico, ꝙ verum est: non tamen oportet, ꝙ in isto velle, vel non velle, vel nolle ab alio mouentur q̃ a se, licèt diuersimode secundum quod est diuersa ratio boni. Si enim est ratio boni in aliquo omnimodè perfecta, vt est perfecta in bono, quod in se habet omnem rationem boni, & nullam rationem mali sibi connectam, qualis est in eo, quod est finis simpliciter, in illo mouetur ex se libertate, & immutabili necessitate, licèt non libero arbitrio. Si verò sit ratio boni in aliquo diminuta, cuiusmodi est ratio boni in omni, eò ꝙ est ad finem, vel cõiuncta cum ratione mali, cuiusmodi est ratio delectabilis cum præsentatur in fornicatione cũ ratione deordinati, in illo mouetur ex se libertate arbitrij, & potest ab illo resilire non solùm propter malum inordinationis sibi connectum, sed ét pp suam imperfectionem, etiam si sola ratio boni cõprehendatur: & ideò quantuncunque alliciat si nõ alliciat, aut inclinet quoquo modo: imperfectè tamen allicit ad necessitandam voluntatem, aut actuandum. Sed qñ multum allicit, & repide voluntas contrariũ eligit, tunc contingit de illa, sicut de illo, qui proijcit merces in mare, quia vult & nõ

vult,

vult, sed magis vult q̃ non vult, & cum in potestate eius sit proijcere, & non proijcere, libertate arbitrij proijcit licet inducta timore procedente ex amore. Et non est omninò simile de mouente in naturalibus, & de mouente in voluntarijs. Actio enim in naturalibus est motio quædam, & actus imperfectus, secundum quod huiusmodi: & ideò quandoque transit in aliud vt in imperfectũ. In voluntarijs autem est operatio, & actus perfectus secundum quod huiusmodi: & ideò manet in eo, quod per ipsum perficitur, & est dispositio imperfecti prius, & in potentia ad illam non sub contraria, sed solùmmodò sub priuatiua dispositione, cui est coniuncta necessitas prosiliendi in actum si amoueatur prohibens, sicut in graui, vt alibi satis declarauimus.

Et secundum modum ibi declaratum voluntas seipsam, & secundum seipsam actuat, & ducit de potentia ad actum.

Et quòd assumunt, quòd tunc idem esset potentia, & actus, siue in potentia, & in actu.

Dico, quòd cum dicitur, quòd voluntas secundum seipsam, seipsam ducit in actum, siue causat in se actuationem, hoc dicitur per ly seipsam excludendo omne agens, & mouens, quod est extra substantiam, siue essentiam voluntatis differens secundum rem ab eius essentia, & habendo respectum ad essentiam actus educibilis ab ipso, modo naturali: non autem excludendo per hoc omnem aliotatem inter rationem mouentis, & moti, quod est intra naturam ipsius voluntatis, & aspiciendo ad facilitatem educendi actum. Et hoc modo aspiciendo ad id, quod est intra naturam voluntatis, ipsa voluntas in mouendo seipsam, non secũdum idem est actus, & potentia, siue in actu, & in potẽtia, quia voluntas est actus, siue in actu primo, qui est esse, secundum vim, quæ sibi naturaliter est indita ad se mouendum à creante, quemadmodum graue quiescens sursum per impedimentũ est actu ens secundum formam grauitatis.

Est autem voluntas potentia, siue in potentia quo ad actum secundum qui est operari secũdum id, quod est aliquid potẽs velle, & perfici actu volendi, sicut contingit, & de graui, & est voluntas in actu à creante virtualiter tale, quale est in potentia ut fiat formaliter tale. Et cum hoc nulla est differentia in dicendo, ꝙ aliquid moueat seipsum, seipso solùmmodò, & per aliquid existens in ipso: æqualiter enim secundum hoc sequitur, ꝙ idem secundum idem est in potentia, & in actu. Sicut enim voluntas secundum se non est formaliter in actu volendi, sic nec cum dicta affectione quam ponit Anselm. sed sufficit quod sit virtute tale æqualiter, & secundum seipsam, & cum dicta affectione, aut etiam cum aliqua motione alia præcedente in ipsa, quæ non est velitio, aut etiam quæ est velitio, sed alia ab illa ad quam est in potentia. Vnde etiam Philosophi, qui posuerunt quòd nihil mouetur à seipso, sed quòd omne qđ mouetur, ab alio mouetur, sic etiam posuerunt, ꝙ mouens motum non mouet seipsum, sed aliud à seipso, ut quòd aer motus ab igne nõ ulterius alia motione moueat seipsum, sed solùmmodò aliud à se pura aquam.

Sic ergo uoluntas seipsa per seipsam exit in actum uolendi tàm finem, quàm ea quæ sunt ad finem absque omni alia dispositione, seu motione existente, seu præcedente in ea.

Talem enim dispositionem, seu motionem non requirit ad hoc, quòd exeat in actum uolendi, neque à seipsa agente illam, neque à quocunque agẽte alio: immò prima motio uoluntatis non est nisi uolitio quam habet à se non ab alio, nẽque etiam à Deo, licèt hoc uideatur sentire Anselm. de casu diaboli, quod nullo modo ueritatem habere potest, sicut alàs declarauimus, aut si ueritatem aliquam habet, quòd scilicet prima motio uoluntatis non est ab ipsa uoluntate, sed à Deo, hoc non est nisi quia uoluntas non à seipsa, sed à Deo habet naturalem uim qua mouet, iuxta illud, quod idem Anselm. dicit ante finem de concordia præde. & gra. sic inquiens. Dico uoluntatem instrumentum omnes uoluntarios motus facere, sed si diligenter consideremus, ille uerius dicitur facere cui ne quod facit natura, & uoluntas, qui facit naturam, & instrumentum uolendi cum affectionibus suis, sine quibus idem instrumentum nihil facit. Nec est in hoc aliqua differentia quo ad determinationem post primam actuationem, & quo ad ipsam primam actuationem, quoniam sicut ex se est in potentia ad primam actuationem, sic & ad determinationem post illam, & sicut per se mouetur determinando se ad actum determinandi, sic & ad actum actuandi potest seipsam mouere: non enim ab eo, quòd uult intellectum intelligere, & secundum hunc actum intelligendi in actu, potest dici habere uim mouendi se ad determinationem aliquam prædictam, quia secundum illos impressio huiusmodi actionis naturalis est, cuius potentia tantum est ad vnum.

Potentia autem voluntatis ad se mouendum in actum determinationis secundum ipsum est liberum arbitrium, quod valèt ad vtrumlibet. Non ergo est magis inconueniens dicere, quòd voluntas actuat seipsam, quàm quòd determinat seipsam. Verum est tamen, quod intellectus existens in actu præcedit omnem actum voluntatis, vt causa sine qua non. Vnde quod dicunt ex parte intellectus respectu voluntatis de mouendo se per aliud, non est simile, quia intellectus est potẽtia simpliciter passiua: voluntas autem est potentia simpliciter actiua.

Ob hoc enim intellectus primo fit in actu per principia, vt per proprium agens, & deinde voluntas fit in actu, non mota à principijs cognitis aliter, quàm à causa sine qua nõ, sed à seipsa ad præsentiam illorum, quæ mouet ex amore principiorum intellectum ad inuestigandum notitiam conclusionum.

cluſionum. Voluntas autem facta in actu volendi finem à ſeipſa ad apprehenſionem finis, non à fine, niſi ſicut à cauſa fine qua non, vlterius mouet ſeipſam in actum volendi ea, quæ ſunt ad finem, & hoc mouendo intellectum primò ad conſiderandum ea, quæ ſunt ad finem, non vt à quibus mouetur ad volendum ea, vt à cauſa propter quã ſic, ſed ſolùmmodò, vt à cauſa fine qua non. Secundum iam dicta ergo concedenda eſt ratio ſecunda inducta ad iſtam quæſtionem.

Ad primam, quæ erat in oppoſitum, quòd in eis, quæ ſunt ad finem oſtento aliquo ſub duplici ratione poteſt ſe determinare, licèt oſtento aliquo ſub vna ratione non à ſe, ſed ab alio actuatur. Dicendum, quòd falſum eſt, vt patet ex prædictis: immò circa ea, quæ ſunt ad finem, à ſe determinatur, & actuatur per liberum arbitrium, & circa finem, libertate pura, vt iam tactum eſt, & alibi expoſitum. *Ad arg. primum.*


Comment. in Quæſtionem XXVI. quæ eſt,

Vtrum voluntas poſſit actuari, ſiue reduci ad actum, & tamen non determinari ab illo, à quo actuatur.

IN titulo not. quòd tota difficultas quæſtionis ſita videtur ſuper hoc. an idem ſit actuans, & determinans, idemq; ſe actuare, & determinare, vel diuerſum. Habito enim quòd ſit idem, profectò ab eodem determinatur, à quo actuatur, & ſi ſit diuerſum, contra non ab eodem actuatur, & determinatur. Quod autem ſint idem, videtur ex conditione materiæ, quæ dum in ipſa ab agente introducitur forma, ipſa actuatur cum eſſet in potentia tali. Et cum id fit, videtur, quod determinetur. Ante enim formam ſicut erat in potentia, ita erat indeterminata, & vnica agentis actione actuatur, & determinatur. Ita quod forma eſt actus, & terminus. Quod ſi proportionaliter valet in exiſtentibus in potentia ad agendum, profectò idem erit actuans, & determinans. Cæterum id in hac quæſtione parum diſputatur, ſed potius quodnam ſit actuans, ſiue determinans, & ſi deinde ſequatur, quæ ſit reſolutio.

In corpore quidem, primò ponit aliorum opinionem, ſecundò conſiderat, quid bonè, quid malè dixerint, & tertiò ex dictis elicit ſuam opinionem.

De primò igitur duplex eſt opinio, altera, quæ nullam ponit differentiam inter actuare, & determinare, niſi forte differentiam rationis, vnde & ſecundum ipſos non poteſt voluntas actuari, & non determinari. At cum habentibus talẽ opinionem non eſt quæſtio, ſi quidem quæritur de differentia realiter inter actuare, & determinare. Altera opinio ponit differentiam inter actuare, & determinare, ſed pro determinatione intelligit determinationem exercitij actus: non autem ipſius actus determinationem. vnde quantum ad actuationem ſtatuit aliud actuans, & aliud determinans, & quidem tota eorum ſententia ſtat in hoc.



Ex his credimus manifeſtum fieri aliorum opinionem. Vbi not quòd vbi volunt ab obiecto moueri voluntatem, includunt intellectũ, quem faciunt principium omnis volitionis: cum enim mouetur ab obiecto, quomodocunque moueatur, non poteſt moueri niſi ab obiecto cognito, & quidem ab intellectu, vnde principaliter concurrit intellectus: comprobare autem nituntur omnia ſua huiuſmodi quibuſdam dictis, quæ recenſentur ab Auctore in calce quæſtionis, & partim quidem exponuntur: partim verò refelluntur, vt patet. Quid autem laudet, & quid non, aperiendum eſt, & ex his eliciendus eius ſententia.

De ſecundo igitur quo ad primam concluſionem, duo habet contrà Auctor. Primum eſt, quòd dum voluntas exercet actum ſuum non propriè dicitur actuari, vel determinari, ſed determinatio, & actuatio præſupponitur.

Pro noticia adnotamus, quòd omnis forma habet aliquam operationem ſe conſequentem, vt caliditas habet calefacere: nunc autem cum introducitur ab agente naturali in ſubiecto, illud ſubiectum erat in potentia: immò & illa forma erat in potentia in illo ſubiecto: cum autem eſſet in potentia ſubiectum, proculdubio erat indifferens, tum ad illam, cum eiusmodi

ad

ad oppositam, & forma si non ad oppositam contrariè, ad oppositam contradictoriè: cum autem ab agente naturali deducitur ad actum, subiectum illud actuatur, quia cum in potentia tale esse actum est actuale, simulq. determinatur, quoniam cum esset indifferens, & indeterminatum, determinatum est à tali forma. Nunc verò postea sequitur operatio, quæ est exercitium actus. Vnde caliditas nunquam ageret, nisi actu, & determinatè esset in aliquo subiecto. Quare exercitium actus supponit determinationem & actuationem, sic dicendum est de voluntate, quod cum exerceat actus suos, profecto supponit ipsam determinatam, & actuatam esse. Actuatam quidem quatenus erat in potentia: determinatam verò quatenus erat indifferens.

Secundum, quòd dicit Auctor de illa conclusione, est, quod concedi potest, affectiones quasdam inesse voluntati, alteram quidem naturalem naturaliter inditam: alteram verò acquisitam, quam duplicem affectionem, optimè ex pluribus Anselmi dictis declarat. In hoc autem aduersatur potissimum quod cum illi velint affectiones huiusmodi, siue pronitates ad nolendum esse causas efficientes, atque motiuas, Auctor eas vult causas esse tantum, sine quibus non: totam autem sententiam Auctoris ad tabellæ formam facilioris intelligentiæ gratia sic redigimus.

In exercitio actus voluntatis considerari debet aliquid

Ex parte actus volendi elicitur à voluntate, & tunc actus ad inuicem comparari possunt, vel

Penès ordinem prioris, & posterioris & secundum hoc comparantur actus, scilicet

Volendi finem.

Volendi quæ sunt ad finem.

Penès gradum superioris, & inferioris & cõparantur tunc actus inter se

Volendi modo naturali aliquid volibile.

Volendi modo supernaturali.

Ex parte voluntatis, à qua elicitur, & tunc in ea accipi debet, vel

Aliquid, vt quo habet elici actus simpliciter.

Aliquid, vt quo habet faciliter elici actus volendi.

Prima conclusio.

Voluntas non exit in actum volendi id, quod est ad finem, nisi per aliquam dispositionem existentem in ea prius, tanquàm per causam, sine qua non.

Secunda conclusio.

Voluntas non exit volendo modo supernaturali aliquid volibile, neque modo naturali nisi per aliquã dispositionem existentem in ea, &c.

Not. pro prima conclusione, quòd dispositio hæc est dispositio ad finem quæ est naturalis, si volibile sit naturale, & modò naturali volitum: supernaturalis verò, & acquisita si volibile vel sit supernaturale, vel modo supranaturali volitum. Amor enim finis trahit ad electionem eorum, quæ sunt ad finem: tractio autem ista dispositio quædam est. Idipsum dicendum est de secunda conclusione, ex quibus patet quomodo nam ab affectionibus moueatur voluntas, nempè sicuti à causa sine qua non, & ad quæ etiam mouetur.

De secunda autem, & tertia conclusione, habet Auctor, quod verum vtique est, voluntatem moueri ab obiecto, & actuari, vel etiam determinari, sed tanquàm à causa sine qua non. Idipsum dicit de quarta, & quinta conclusione, & omnino de intellectu, quòd est causa motiua voluntatis, sine qua non. Quocirca de omnibus idem dicit Auctor quantum ad causam principalem, re vera principaliter actuantem, atque determinantem. Nempè quod actuatur, atque determinatur à seipsa.

De tertio igitur sententia Auctoris est, quòd idem sit actuans, atque determinans voluntatem: insuper quòd non possit actuari, ita quòd non determinetur, sed simul dum actuatur, & determinatur. Quippè ipsa sit principaliter se actuans, atque determinans. Aliter libera prorsus esset.


Not autem quod hæc Auctoris sententia ex alijs quæstionibus probatur, ubi conclusum est voluntatem prorsus esse liberam, moueréque seipsam, quod manifestatum est in quæstione quinta præcipuè quolib. nono, vbi & satisfactum est omnibus hîs, quæ etiam contra huiusmodi quæstionem forte quis posset inducere pro aduersarijs. Vide ibi &c.

QVAESTIO XXVII.

Vtrum sufficiat ad libertatem arbitrij quòd potuit impedire, nè actuaretur ab alio de necessitate?

Ad sec dum.

Arg. prin. Primum.



ECCA quintum arguitur, quòd ad liberum arbitrium uoluntatis sufficiat, quòd ipsa potuit impedire, nè de necessitate actuaretur ab alio. Quia licèt homo de necessitate sit albus quando est albus, quia tamen potuit priusquàm factus sit albus, factum fuisse, ut non fuisset albus: ista, homo est albus, dicitur contingens ad utrumlibet: ergo similiter licèt uolũtas de necessitate actuetur à bono cognito, quia tamen uoluntas prius potuisset aliquid elegisse, quo electo non fuisset actuata ab illo apprehenso, puta quãdo intellecta fornicatione sub duplici ratione elegit intellectum intelligere illam sub ratione delectabilis tantùm, quo facto, statim uoluntas est actuata ad uolẽdum fornicari, qualiter nõ fuisset actuata si elegisset intellectum intelligere fornicationem sub ratione deordinationis tãtum, quod fuit in libertate arbitrij, ut patet ex dictis in præcedenti quæstione: ergo &c.

Secundũ. Item secũdum Philosophum, Omnis malus est ignorans & non è conuersò. Non enim omnis ignorans est malus. Prius autem secundum eundem Philosophum, est illud à quo non conuertitur cõsequentia: prius est ergo esse ignorantem, quàm esse malum, sicut prius est esse animal, quã hominem, eo quòd sequitur, est homo ergo animal, nõ è conuerso. Malum autem esse ignorantia præcedente non est nisi propter ignorantiam, & tamen dicitur malus libero arbitrio factus, & hoc non nisi quia potuit procurasse, quòd fuisset sciens. ergo &c.

Quòd autem talis ignorantia præcedat malitiã, probatur per Gloss. super illud Iud. 16. Clausum in carcere molere fecerunt. Sciendum, quòd prius intellectus obtunditur, & postea captus animus per exteriora desideria uagatur, ut cæca mens, qua ducatur nesciat, & carnis illecebris se libenter subdat.

In oppos. Contra. Ad liberum arbitrium requiritur, ꝙ sit dominus sui actus, sed actus quo homo alio agente uult aliquid de necessitate, non est dominus liberi arbitrij, licèt prius potuisset illum impedisse: ergo &c.

Resolut. q. Illi, quorum dicta recitaui in præcedenti quæstione, nituntur saluare liberum arbitrium uoluntatis dicendo, quòd uoluntas habet per se liberũ dominium super determinationem sui actus, & ideò per liberum arbitrium dicitur seipsam mouere primò se determinando ad uelle, & nolle in ordine ad actus intelligendi, uel ad sistendum in ipsis, uel ad desistendum ab ipsis, & intelligendo aliquid, uel sub una ratione, uel sub alia secundum supra dictum modum, & etiam in ordine ad suum actum proprium, ut velit persistere in suo actu volendi, vel non persistere, & per hoc, quòd primo habet libertatẽ arbitrij in determinando seipsam, & liberum dominium super suos proprios actus, consequenter habet libertatem arbitrij, & liberum dominium super determinationem consimilem actuum intellectus, & cuiuslibet alterius potentiæ. Secundum enim determinationem primus velle in uolũtate, sequitur determinatio ipsius intelligere in intellectu, & proprium mouere in alijs viribus. Sequitur etiam omnis ulterior actio, quæ respondet illi determinationi. Et propter hoc etiam dicitur habere dominium super illam. Et ideò tales dicunt, quòd sufficit ad liberum arbitrium hominis, & quòd actio aliqua dicatur ex libero arbitrio procedere, quòd procedat ex illo, quod hic libero arbitrio eligit, ex quo contingit aliquid necessariò, & potuit aliud elegisse, quod si elegisset, id necessarium secutum nõ fuisset, nec plus attribuunt homine de libero arbitrio super actus volendi, & non volendi uirtuosos, & uirtuosos, nisi ut tales actus dicantur fieri in uoluntate ex necessitate obiecti apprehensi per intellectum tãquàm agentis proximi, qui tamen dicuntur fieri ex ui liberi arbitrij tanquàm agentis primi, quod re uera non sufficit. Secundum hunc enim modum omnia opera naturæ possunt dici fieri ex libero arbitrio, quia fiunt à libero arbitrio Dei, ut primi mouẽtis, determinantis naturas ad sua opera. Immò ad hoc, quòd aliquid dicatur esse uerè ex libero arbitrio, oportet quòd sit à libero arbitrio ut à mouẽte proximo, & sic uoluntas est domina suorum omnium actuum ab ortu usque in finem inclusiuè, ita quod nihil aliud à se operetur aliquam actionem uolendi, aut nolendi in ipsa, & secũdum hoc concedenda est ultima ratio.

Ad primã arg. prim. Ad primam in oppositum de albedine, dicendum, quòd illa re uera dicitur contingens, homo est albus, licèt non possit non esse albus quando est albus, quia prius potuit impediri actus, quo factus est albus, & non solum quia potuit impediri ꝙ aliquid quo facto non fuisset suum agens primum, & per consequens nec actus ille, quo homo factus est albus, sed etiam quia potuit impediri circa suũ agens proximum, ne ipso stante ab ipso homo factus esset albus.

Quòd si hoc ultimum deficeret, non solùm diceretur homo necessariò esse albus, quãdo est albus cum tali replicatione, sed absolute diceretur, ꝙ necessariò factus esset albus. Consimiliter in proposito, licèt posset impediri actio uoluntatis secũdum illos, quia potuit aliquid fuisse factum, quo facto non fuisset, illa tamen dicenda est simpliciter

ter esse ex necessitate, & non ex libero arbitrio, postquàm stante sua causa proxima nullo modo posset per liberum arbitrium voluntatis impediri.

Ad secundum. Ad secundum, quòd ignorantia prior est malitia, tanquam id, à quo non conuertitur consequentia.

Dico, quòd secundum prædicta in quæstione uigesimaquinta sumendo ignorantiam communiter, ipsa comprehendit in se, & ignorantiam quæ est error, & ignorantiam, quę non est error, & sic est prius, quàm malitia prioritate naturæ, ut à quo non conuertitur consequentia.

Sed consequentia inter aliqua, quæ non conuertitur, potest esse dupliciter.

Vno modo, quia non quicquid est de essentia unius est de essentia alterius, & è conuersò. Sic est talis consequentia inter superius, & inferius in linea prædicamentali, de quibus uerum est, quòd prius natura est illud, à quo non conuertitur consequentia, ut animal, quàm homo. Alio modo unum necessariò ponit alterum, ut causa causarum, secundum aliquod suppositum eius, sed non è conuersò: uerbi gratia sequitur, si ignis est, calor est, & non è conuersò, quia omnis ignis est calidus, non autem omne calidum est ignis. Et de talibus non est uera illa regula. Prius natura est illud, à quo non conuertitur consequentia. Non enim calor est prior natura, quàm ignis, sed potius è conuersò, & sic est in proposito. Sequitur enim, malus est, ergo ignorans, non quia ignorantia sit de essentia malitiæ, sed quia ignorantia pro aliquo eius supposito est ignorantia causata à malitia, ut est illa, quæ est error. Vnde cum arguitur, Si ignorantia natura præcedit malitiam, hoc non est nisi quia malitia causatur ab illa &c.

Dicendum, quòd non præcedit malitiam natura aliqua ignorantia, nisi fortè in pueris illa, quæ est negationis. Illa autem quæ est error, semper sequitur natura, quia non est error, nisi ex culpa, sicut dictum est.

Potest tamen error sequens, ut effectus ex una culpa præcedere aliam, cuius potest esse causa, non dico propter quam sic, sed sine qua non, quia nihil quod est ex parte intellectus impellit, aut mouet uoluntatem in actum, sed solum ipsa seipsam, sicut dictum est. Per hoc patet ad glossam dictam. Ibi enim exponit Gregor. duplicem ordinem inter errorem rationis, & obliquationem uoluntatis, Vnum priorem, quo præcedit obliquatio uoluntatis, quæ est prima, & per se causa erroris in ratione, dicens sic: Aliquando prius desideria carnis ebulliunt, & post longum usum illicitis operibus oculum cordis claudunt. Nam sæpè mens recta cernit, neque ille ardenter contra peruersa se erigit, & renitens uincitur, dum hoc ipsum quod egit diiudicans carnis suæ delectatione superatur.

Alium autem ordinem posteriorem tangit in illo, quod arguendo propositum est, quo error uoluntatis præcedit, de quo etiam post iam dicta subdit dicens, Quod enim & plerunque prius oculus contemplationis amittitur, & post captus per desideria huius mundi animus subiugatur, testatur Sampson ab Allophylis captus, qui postquàm oculos perdidit ad molam deputatus est. Vnde ordinem unum ad alterum exprimens subdit. Quia maligni spiritus, postquàm tentationum stimulis intus aciem contemplationis effoderunt foris in circuitu labores emittunt.

Ecce quod primo tentationum stimulis, quæ sunt in uoluntate, uel conscientia, oculus effoditur, & sic excæcatus in laboribus peccatorum mittitur.

Et tágitur in hoc difficultas an possit esse malitia in uoluntate non existente ignorantia propter quam peccet in ratione. Et dico breuiter secundum aliàs determinata, quòd sic, quia uoluntas potest agere per electionem contra iudicium rationis, nec ignorantis, nec errantis, sed hoc facto incipit error generari in ratione cum uitio generato in uoluntate, & tunc deinceps peccans peccat simul ex malitia uoluntatis, & errore rationis, ita quòd in fine peccat ex rationis excæcatione. Et hunc ordinem tangit gloss. super illud Iudi. decimosexto, Clausum in carcere molere fecerunt, ut tactum est. Ad ampliorem autem intellectum. Sciendum quòd tripliciter peccatum causatur. Aliquando ex pura electione absque passione in appetitu sensitiuo stimulante ad illam uoluntatem ipsam, & cum certa scientia rationis. Aliquando ex passione allicicnte non ut ex causa impulsiua, sed inductiua solùmmodò. Sola enim uoluntas seipsam mouet, & impellit in peccatum. Et in isto modo peccandi obnubilatur lumen ueritatis, nè percipiat, sicut prius, & hoc ante peccatum secundum modum allectionis in uoluntate, sed in radice luminis interioris in nullo diminuitur. Quemadmodum si inter Solem & oculũ subintraret aliquid puta nubes peruia, obumbraretur lumen Solis, nè perciperetur lympide, non autem lumen naturale uisionis. Sed postquàm obliquatur uoluntas per peccatum, tunc primò obscuratur lumen rationi in seipso, & tunc tertio modo incipit homo peccare non solùm ignorans, sed ex ignorantia.

Comment.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem XXVII. quæ est,

Vtrum sufficiat ad libertatem arbitrij quòd potuit impedire, nè actuaretur ab alio de necessitate.



IN titulo, quòd aliquo modo impeditur, non potest dici liberum, quo fit vt si voluntas impediatur & suo actu libera non videatur, tamen quæritur vtrum cum impedimento talis actus possit stare liberum arbitrium. Et quidem hæc est differentia inter Auctorem, & illos, de quibus in præcedenti quæstione, quod Auctor vult nullo modo voluntatem ab alio actuari, quàm à seipsa; ita quod si ab alio actuaretur, impediretur liberum arbitrium, & iam non esset liberi arbitrij. vnde non vult posse stare simul impedimentum talis actus, & liberum arbitrium: contra verò aduersarij, Ideò.

In corpore confutat opinionem aliorum, & suam postea ponit. Erat autem opinio aliorum, quòd cum alterius actuatione, scilicet ab obiecto, & intellectu, stat liberum arbitrium, prout ponunt in sua quarta conclusione, quatenus potest eligere quod vult, antequam imperet intellectui considerare hoc, quod eligit: tunc enim ab eo actuatur postea, vt ibi dictum est, vnde cum duplex sit agens in voluntate causans volitionem, primum scilicet & proximum.

Primum dicunt esse liberum arbitrium, proximum verò obiectum, atque intellectus, quia obiectum apprehensum per intellectum.

Confutat autem hanc opinionem tribus rationibus, quibus & suam opinionem confirmat, quæ est, quòd ad libertatem arbitrij exigitur, quòd impediatur, nè ab alio actuetur, sed quod actuetur ab ipso libero voluntatis arbitrio.

Prima itaque ratio est illa, quam facit in oppositum in fronte quæstionis. Ad liberum arbitrium requiritur, quòd sit dominus sui actus, quo homo alio agente vult aliquid de necessitate, non est dominus liberi arbitrij, licèt prius potuisset illud impedisse: igitur.

Secunda. Si primum agens, & mouens sufficit ad liberum arbitrium, sequitur, quòd omnia naturalia agentia sunt libera. Patet consequentia, quia omnia mouentur ab agente Deo, libero prorsus.


Not. quòd Aristoteles omnia animalia duci vult, & cætera ab intelligentia non errante, quæ cum libera sit, illud sequatur oportet, vt omnia sint libera. Verumtamen cum hoc falsum sit, falsum quoque facit penitus antecedens.

Tertia ratio est. Omne, quod est tale, profectò est tale per agens proximum, & non per primum, sed voluntas est libera, igitur per agens proximum. Patet maior, quia proximi agentis est introducere vltimam formam, ergo & dare esse. Patet minor per mille Sanctorum auctoritates.

QVAESTIO XXVIII.

Vtrum opera vitæ contemplatiuæ sint præferenda operibus vitæ actiuæ.

Arg. prim.



HRCA sextum arguitur, quòd opera uitæ contemplatiuæ sunt præferenda operibus uitæ actiuæ, tanquam meliora, quia opera uitæ contemplatiuæ in se sũt optima secũdum illud Lucę 10. Maria optimam partẽ elegit, & sunt per se eligẽda, & diligẽda, & semper: non sic autẽ opera actiuæ, sed pp necessitatem proximorum, & hoc aliquando scilicèt tempore necessitatis, & indigentiæ tantùm, cum populus indiget, & non est, qui eum regat sufficienter, dicente Augustin. 19. de ciuit. Dei, c. 18. Otium sanctum quęrit Charitas veritatis, negotium iustum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ, atque intuendæ uacandũ est ueritati. Si autem imponitur, suscipiendo est propter charitatis necessitatem.

In oppos.

Contra. Opera propria statui perfectiori præferẽda sunt tanquàm meliora, quia perfectio operum propriorum statui respondet ipsi statui: talia autem sunt opera uitæ actiuæ, quia propria sũt statui prælatorum, qui perfectior est, quàm status religiosorum, cui propria sunt opera contemplatiuę: ergo &c. Quęstio ista de operibus uitarũ implicat consimilem quæstionem de ipsis uitis, ut sic liceat loqui, quæ earum præferẽda est per electionem tanquam melior. Et ut dicit August. 19. de Ciuit. Dei, cap. 2. cum quæritur, quod horum sit potius eligendum, non finis boni habet controuersiam, sed quid horum facultatem afferat ad consequendum finem boni, in hac quæstione uersatur: finis enim boni cum ad eum quisquam peruenerit, protinus facit beatum, ut enim dicit Gloss. Lucæ 10. Duæ uitæ sunt innocentes, laboriosa, & otiosa, inter eas medius est ipse fons uitæ.

Resolut q.

Quæstio etiam ista de meliori inter has duas uitas, & opera earum, est eadem cum quæstione de perfectiori inter illas: perfectione dico, qua quis perfectus dicitur perfectè tendendo in finem, ut dicatur ille perfectior, qui perfectius tendit in finem ad perfectius ipsum obtinendum, & uita perfectior, & melior, & eligibilior, similiter opera eius, quibus melius, & perfectius tenditur in finem hęc sunt illa, quæ ad præsens principaliter nos inuestigare oportet circa duas uitas, & earum opera, Est igitur sciendum in principio, quòd duplex est contemplatio, quædam quæ pertinet ad fruitionẽ & ad finem uitæ humanæ supernaturalis, ut est cõtemplatio patriæ, de qua sentiendum, quòd simpliciter sit melior, sicut finis eis, quæ sunt ad finẽ, quàm quæcunque actio, & similiter quàm quæcũque contemplatio præsentis uitæ, quæ respectu cõtemplationis futuræ, actio debet dici, & tota uita præsens debet dici uita actiua respectu uitę futurę, quæ sola propriè contemplatiua debet dici, dicente Augustin. in sermone ultimo super Ioannem, Duas uitas nouit Ecclesia, quarum una est in fide, altera in spe: una in tempore peregrinationis, altera in æternitate mansionis: una in labore, alte-

ra in

ta in requie: vna in via, altera in patria: vna ī opere actionis, altera in mercede contēplationis, & cætera huiusmodi, & sequit. Ergo vna bona est, sed adhuc misera: altera melior & beata: ista est signata p Apost. Petrū: illa p Ioannē, de quib. dixi supra modicum. At verò iuxta mysticū sensum in Petro actualis vita, in Io. contemplatiua signat. Alia verò est contemplatio, q̄ pertinet ad vsum, & ad illa quę sunt ad finē, & est duplex: quædam quę fuisset in statu innocentiæ, quædam quæ modo hī, & haberi potest pro statu præsentis vitæ. De prima dico, q̄ simpliciter melior fuisset, quā tunc fuisset quęcunq; actio, quia melius duxisset in finem, & perfectius. Et similiter melior fuisset, q̄ actio vitę præsentis ſm quēcunque statū gñaliter loquendo, & generaliter comparando statū quēcunq; vitę actiuę in præsenti ad statū vitę cōtemplatiuæ in statu innocentię: licèt fortè aliquod opus vitę actiuę, & maximè martyrium, quod in breui tpe consumit, melius sit, & perfectius ad finē perducat, q̄ quodcunq. opus vnicum contēplationis, q̄ in tanto tempore cōpleret, de quo aliquantulū erit sermo inferius. De secunda, s. de contemplatione vitę præsentis comparatione ad actionem, prosequenda est quæstio & arctanda. De actione cōsimiliter distinguendum est, q̄ est quędā actio hōis principaliter pp seipsum, et hęc est in duplici gñe. Quædam.n. consistit in operibus virtutum moralī ex mera electione, vt sunt ieiunia, disciplinę, & huiusmodi ad seipsum, & omno quę pertinēt ad gñalem iustitiam erga proximū, p quę homo appetitū ordinat, & passiones cōponit, vt spiritū in cōtemplatione promptū habeat, quæ sunt via ad contemplationem. Et ideo dico, q̄ contēplatio talī actioni omnō est præferenda, sicut finis eius, q̄ sunt ad finē, vnde debet talis actio in eod. præcedere cōtemplationem, dicente Greg. 6 Moral. c. 32. Qui cōtemplationis arcē tenere desiderat, primo in cāpo opis se per exercitiū probēt. & inf. Vir quippe p̄fectus prius vitæ actiuę opera cōgregat, & postmodū carnis sensū p̄ cōtemplationē mortuum huic mūdo funditus occultat. Actionis nāq. tps primum est, cōtemplationis extremū. Vñ necesse est, vt p̄fectus quisq; prius virtutib. mētē exerceat, atq. hāc postmodū in horreū quietis condat. De tali vita actiua dicit Greg. 32. Moral. c. 3. Actiua vita multorū est, contēplatiua aūt paucorū. Idō super Eze. par. 1. Ho. 3. c. 4. Actiua prior tēpore, q̄ cōtemplatiua, quia ex bono opere tendit ad cōtemplationē. Contēplatiua aūt maior est merito: sine cōtemplatiua intrare possunt ad cęlestem patriam, qui bona, q̄ possunt, non negligunt: sine actione aūt intrare non p̄nt, si negligunt bona, q̄ possunt operari. Illa ergo in necessitate, hæc in volūtate. De qua ēt dicit Isidor. de summo bono. c. 15. Qui prius in actiua vita proficit, benè ad contēplationē conscendit, quicunq. adhuc temporalē gloriam, aut carnalē affectat concupiscentiā, à cōtēplatione prohibet. In ista.n. per exercitium boni operis prius cūcta exhaurienda sunt vitia, vt in illa iam pura mētis acies ad contemplandum Dēum quisq; pertranseat, & licèt conuersus statim ad contēplationem conscendere cupiat, tamen ratione cogitur, vt prius in actiuæ actionibus exerceatur. Quædam autem alia actio est hominis principaliter pp seipsum, quę cōsistit in operib. mechanicis pp necessitatem corporis, qualem habent oēs negotiatores, & colentes terras, & vineas, & vniuersaliter illi, de quib. dicit Dñs in mola. Tali autem actioni omninò p̄ferenda est contemplatio, cū illa actio sit purè corporalis, contemplatiua spiritualis: & ideò labor iste spiritualis tantò illi p̄ponderet, quātò ea, quæ sunt animæ, corporalib. præferūtur, vt dicit Nicolaus Papa in expositione Regulæ Fratr. Minorum. De tali actione dicit Isidorus vbi supra. Actiua vita mundanis rebus benè vtitur. Contemplatiua verò mundo renuncians soli Deo viuere delectatur. Vnde isti, actioni renunciant Religiosi, quantum patit vitæ necessitas, illi vt priori in principio cōuersionis se assuescunt, & illa eos ad contemplationem disponit, vt dictum est: ista verò contemplationē impedit, dicente Grego. 5. Moral. cap. 15. Neque mens ad contemplanda æterna perducitur, nisi ab his, quæ exterius implicant, studiosè subtrahatur. Hinc enim veritas dicit: Nemo potest duobus Dominis seruire.

Est aūt p̄ter dictos duos modos actionū q̄ sunt principaliter pp seipsas, alius modus actionis pp alium vt pp proximū qualis est actio p̄latorū inquantū p̄lati sunt, & ad vtilitatē aliorū procurādā instituti. Vnde dicit Aug. 19 de ciuitate Dei, c. 18. Episcopatus nomen est operis nō honoris, atq; inde ductū vocabulū, q̄ ille qui p̄ficit, eis quib. p̄ficitur superintendit curam s. eorū gerēs. Epi.n super s. cpos autem intentio dicitur. Sicut autem Episcopus est, quia per curam superiorem superintendens saluti aliorum esse debet, sic quilibet inferiorū curatorū hyposcopus est, quia per curam inferiorem saluti subditorum suorum intendere debet, propter q̄ alibi dicit Aug. Quod boni viri sumus propter nos est, q̄ boni Episcopi sumus propter alios est. Talis aūt actio ex perfectione contēplationis procedit, sicut prima actio ad perfectionē contemplationis disponit sicut ia infra declarabitur. Inter talem autem actionē quę necessitati p̄sentis vitę deseruit principaliter, p̄pter profectum aliorum & contemplationem vitæ p̄sentis quæstionis nostrę intentio arctanda est, quæ signantur per Martham & Mariam, dicente glo Lucæ 10. Per duas sorores duæ signantur vitæ spirituales, per Martham actuosa operis deuotio &c vt patet ibidem. Circa præsentis igitur vitæ actionem & contemplationem sciēdum est quod inuicem possunt comparari dupliciter. Vno modo quō ad substantiam earum. Alio modo quō ad earum vsum.

Si primo modo, sic dico, ꝙ simpliciter & absolutè præferenda est contemplatio tanq̃ melior, quia vt dicitur extra de renunciatione. Nisi cũ pridem: ipsa est securior, & magis suauis. Et secundum hunc modum probat Philosophus in 10. Ethic. fœlicitatẽ speculatiuam, quæ consistit in vita contemplatiua & eius operibus, præeminere potentiæ, quæ consistit in vita actiua, & eius operibus. si qa operatio speculatiua est optima, & optimi obiecti. & delectabilissima, & sufficientissima, paucissimis indigens, & pp se eligenda, & quietissima, atqȝ permansiua, quorũ contraria contingunt operibus actiuæ. Et ideo dicit Gloss. super Lucæ 10. & est Greg. sup Eze. par 2. Homil. 2. cap 3. Non reprehenditur pars Marthæ, quia & ipsa bona, sed laudat pars Mariæ, quæ quare sit optima subinfertur, quæ non auferetur ab ea, quia contemplatiua hic incipit, & in cœlesti patria perficietur. Actiua autem cũ corpore deficit. Hinc etiam dicit Ambro. Religiosæ mẽtis intentio si cum fide congruat etiam ipsis operibus antefertur. Hoc enim maius, hoc perfectius opus est. Et vt dicitur cl9. contemplatiua vita amabilis valdè dulcedo est, quæ super semetipsam animam rapit, cœlestia appetit: terrena autem contemptui habere se ostendit.

Ad hunc modum comparandi inter se vitam actiuam & contemplatiuam dicunt, ꝙ vita contemplatiua simpliciter melior est, & præferẽda actiuæ, & hoc propter octo conditiones, quibus Philosophus eam præfert in 10. Ethi. Sed vt infra dicetur, qui benè vult comparare diuersa debet considerare illa secundum conditiones oẽs maximè secundum præcipuas & secũdum illas iudicare comparata. Nihil enim prohibet aliqd simpliciter præcellere alterum, quod secundum id quod est principale in illo, quod tamen secũdum aliquid nõ principale ab illo alio superat, quod contingit in proposito, quia in vtraque vita pro præsenti principale est meritum vsus, in quo (vt videbitur iam) præcellit vita actiua, q̃ rationẽ meriti nullo modo attẽdit Philosophus, non ponẽs vitam futuram: & ideo rationes sumptæ à Philosopho modicũ valent ad præsens catholico. in quõ tamen videntur se fundare principaliter aliqui. Si autem actio, & præsentis vitæ contemplatio comparentur inter se quo ad cãrũ vsum, quia vsus actionis respicit operis executionem: executio autem actionis, quia est ad alterum, ipsa respicit, & illos ad quos est, siue circa quos est vt sunt subditi, & respicit ipsum exequentem actionem vt prælatum: ista ergo dupliciter potest actio cõsiderari, & comparari ad contemplationem Si primo modo dico, ꝙ actio præferenda est contemplationi, quia plurib. vtilis est, quia vt dicitur in dicta decretali, licèt illa sit magis secura: ista tamen est magis fructuosa, & licèt illa sit magis suauis, tamen ista est magis vtilis, cũ in fœcunditate sobolis lippitudo, & difformitas Lyæ, Rachelis pulchritudini supplaret. Hinc dicit Greg. super Eze. par 2. Homil. 2. c. 6. Erat Lya lippa, & fœcũda: Rachel pulchra, & infœcunda. quia contemplatiua vita speciosa est in animo. sed dum quiescere in silentio appetit, filios non generat: exp dicto. n. quietis sue studio minus se in aliorum collectione succendit. Sed actiua vita dũ modò per verbũ, modò per exemplum ad imitationem sui proximos accendit, multos in bono opere filios generat. Hinc dicit Aug. 22. contra Faustum. c. 25. Ad vnum tendendũ est, sed pp hoc multa ferenda sunt. Vtiq; duæ sunt vxores Iacob liberæ, vna amatur, altera tolerat sed quæ toleratur, ipsa prius & vberius fœcũdat, vt si non pp seipsam, certè pp filios diligat. Si autem actio comparetur ad contemplationem secũdo modo tunc distingue ex parte illius quò talem actionẽ exequitur, aut n. est dispositus, & præditus virtutib. ad talem actionẽ idoneè exequendam aut non. Si non: dico, ꝙ melior est eã contẽplatiuæ vsus oĩnò q̃ actiuæ, quia sibi proficere posset in vita solitaria contemplationis. nec sibi aũt nec alijs proficeret in vita publica actionis: immò tales sibi obsunt, dicente Greg. 6 Moral. c 32. Sæpe, qui contemplari Deum quietè poterant occupationib. cecid erunt, & per hoc etiã obsunt alijs, quia sicut dicit 2. Pastor. ca. 3. Vnde fit, vt cum pastor p abrupta graditur. ad præcipitiũ grex sequatur. Propter hoc dicit ibidẽ contra tales c 5. Itaque ab appetitu illius cordis infirmitatem munimus nè imperfecti quique culmẽ arripere regiminis audeant, nève qui in plenis stãtes titubant in præcipitio pedẽ ponant, vnde nec coactus ad executionem talis actionis accedere debet, vt dicit ca. 10. Si primo modo, subdistinguo, quia ꝑditus virtutib. q.b. alijs prosit aut voluntate, & ex electione aliq; oĩ coactione & necessitate accedit ad actionẽ, aut accedit ad illam coactionis necessitate. Si primo modo dico, ꝙ cõtemplatio ꝓcellit, ꝙ vt iam dicet actio nunq̃ præcellit nisi ex recompẽsatione necessitatis, & coactionis simul dicente Aug lib 22 contra Faustũ. c. 24. Pleriq; bono ingenio ꝑditi studioq; flagrãtes, q̃is idonei regendis popnlis esse possint · cã euitant op turbulentas occupationes, de quibus post pauca sequitur. Sed planè vt hanc curam suscipiant, vi coguntur. Si secundo modo: dico ꝙ simpliciter actio ꝓcellit in tali quoad vsum eius, & melior est, q̃ contẽplatio, & hoc siue ad actionem coactus fuerit ab hoie, siue ex charitate pp necessitatem, & indigentiam q̃ videt circa populum, vt possit dicere cũ Apost. illud 2. Corin. 10. Charitas Christi vrget nos. Talibus n. vtilior est actiua sic assumpta & magis meritoria, q̃ contẽplatiua. Primo pp fugam mali. dicente Gregor. 1. Pasto c. 6 Sunt nonnulli, qui eximia dona percipiũt atque pro exercitatione magnis muneribus exaltant. & infra. Qui nimirum culmen regiminis si vocati recipere renuunt, ipsi sibi plerunque

dona

dona adimunt, quæ non pro se tantùmmodò, sed etiam pro alijs acceperint, cúque sua, & nõ aliorum lucra cogitant, ipsi se quæ priuata habere appetunt, bonis priuant. Et cap. 8. Et sunt nonnulli: qui ex humilitate refugiunt, nè eis, quibus se impares existimant præferantur, quorum profectò humilitas si cæteris uirtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera est, cum ad respuendũ hoc, quod vtiliter subire præcipitur pertinax non est.

Neque enim verè est humilis, qui superni nutus arbitrium præsse, vt debet intelligit: & tamen potestatem contẽnit, sed diuinis dispositionibus subditus, & à vitio obstinationis alienus, cum sibi regiminis culmen imperatur, sed iam donis præuentus est, & quòd & alijs profit, & corde debet fugere, & inuitus obedire.

Secundò autem actiua vita sic assumpta est melior, & magis eligenda propter adeptionem maioris boni, dicente Gregor. 7. Moraliũ. cap. 8. Plerunque mens iusti ad tantum te virtutis culmẽ extendit, quòd se ad quorundam stultitiam tolerandam conuertit, quos nisi ad forma trahere nitimur, eorũ est necesse, vt infirma toleremus, quia nec iacentem erigit, nisi qui status sui rectitudinẽ per compassionem flectit. Cùm ergo alienæ infirmitati compatimur, valentia nostra roboramur. Mens enim improficiens, quæ minus alienis compatiens conualescere contra aduersa non poterat cum ad toleranda proximi infirma se attrahit, ad aduersa superanda conualescit, vt pro amore veritatis præsentis vitæ cruciatus tantò post fortis apparat, quantò prius infirma fugiebat.

Inclinatione namque erigitur, attractione tenetur, compassione roboratur, & hoc quo ad augumentum charitatis ad tolerandum aduersa. Et sequitur continuò de eius augumento ad operandum perfecta: Cumque in amorem se proximi dilatat, quasi ex meditatione colligit quanta fortitudine in Auctorem surgat. Charitas namque, quæ nos ad vim passionis humiliat, altius in culmen contemplationis leuat, & multiplicata melioribus desiderijs attuat, iam peruenire ad vitam etiã per cruciatus anhelat, & desideria sua vix capiens ipsas, quas dudum timuerat pœnas amat, transire per mortem appetit, vt obtinere vitã plenius possit. Funditus in infimis extingui desiderat, quo verius summa consecutur. Ecce, quia in tali fortificatur virtus contra aduersa; extenditur desiderium ad perfecta, plenius optantur summa, vt non solũ sit melior alijs sua actio, quàm sua fuisset contemplatio, sed etiam sibi & maioris meriti. Licèt enim nõ sequatur, opus est vtilius: ergo est maioris meriti, quando solùmmodò est vtilius aliquibus, scilicèt circa quos operatur. Vt propterea verum sit illud Augustini. vsubi gratia: Mulier emens seruos, vt faciat eos Christianos, non est pp hoc æquanda sanctæ virginitati, & hoc ideò, quia illud opus licèt sit vtilius alijs, quos procurat fieri Christianos: forte tamen non est vtilius sibi, vt propter hoc in vitæ perfectione non possit æquari sanctæ virgini. Benè tamen sequitur, opus est vtilius: ergo melius est, & maioris meriti, quando simũl est vtilius operanti, & illis circa quos operatur, vt cõingit in proposito. Vnde si emere seruos dicto modo esset vtilius, non tantùm illis, qui emuntur, sed etiam ementi, quàm custodire virginitatem, sicut contingit in proposito, talis mulier non solũ esset æquanda propter hoc sanctę virgini, sed præferenda. Vnde qui vult rectè æstimare de rebus cõparatis adinuicem secundum conditiones suas, nõ debet attendere vnam conditionem tantùm, sed omnes, vel plures, dicente August. 16. de Ciu. Dei. cap. 36. Nouerimus nõ ex bonis singulis homines inter se comparare, sed in vnoquoque cõsiderare vniuersa. Quare cum actiua, & contemplatiua vitæ præsentis non sunt nisi ad vsum peruenientia ad vitam æternam, & quando aliqua per se non sũt nisi ad vsum, cuius vsus simpliciter est melior, ipsum simpliciter est melius, secundum hoc concedenda est vltima ratio, quod quo ad vsum vitę præsentis simpliciter magis diligenda, & eligenda est, & melior talis vita actiua, quàm contemplatiua.

Ad rationem primam, quæ est in contrarium, ꝙ præferenda sunt opera contemplatiuæ, quia sunt meliora, & magis eligenda, eò quòd Maria optimam partem elegit.

Ad rationem principalem.

Dicẽdum secundum prædicta, ꝙ si Martha vrgente charitate pp Christi, & discipulorum necessitatem illa opera exercuit, fortè licèt opus Mariæ ex sua substantia, & genere operis fuisset melius, tamen Martha plus merebatur sibi, quàm Maria. In hoc enim casu opus Marthę erat de genere operis ad quod quis propter proximi necessitatẽ accedit. Et fortè Mariam illam iuuare non præcepit Dominus in hoc casu, quia Maria in talibus actionibus exercitata non fuit, quia vaga fuerat, & lasciua: & ideò non multum eius adiutorium Marthæ profecisset. Si autem ex pietate absque necessitate hoc egit Martha, erat opus eius de genere actionis disponentis ad contemplationem. Quod magis credo, quia dicit August. de verbis Domini Ser. 27. Suscepit eum Martha, sicut solent suscipi peregrini. Si autem propter aliquod bonum temporale illud opus egisset, de genere actionis tertio modo dictæ fuisset, & istis vltimis duobus modis Maria plus merebatur. Vel dicendum, ꝙ contemplatiua vita in præsenti Ecclesia Militante, quæ per opus Mariæ intelligitur, dicitur melior, quàm pars Marthæ, per cuius opus intelligitur vita actiua, non quia sit magis meritoria, sed quia est magis manens, dicẽte Greg. super Ezech. par. 1. Homil. tertia, capit. quarto. Quàmuis actiua bona sit, melior tamen est contẽplatiua, quia ista cum mortali deficit vita: illa vero in immortali vita plenius exercebit. Hæc autem conditio nihil operatur ad rationem meriti. Vel potest dici, quòd illud dixit Christus in mysterio, figurando per Mariam, & opus eius, opus contemplationis in gloria,

vt secũdum hoc opus Mariæ dicatur melius, quia gerit typum, & figuram melioris, & hoc quemadmodum Aug. secũda parte super Ioannem ser. 70. assignat rationẽ quare Ioannes plus dicebatur dilectus à Domino, quàm Petrus, quia scilicèt Petrus gessit typum vitæ actiuæ in Ecclesia militante, Ioannes verò typum vitæ contemplatiuæ in Ecclesia Triumphante, dicit enim sic; Quod per eum significatur, cui dicitur, sic eum volo manere, non nunc, sed cum venerit Christus implebitur, quod autem per hunc significatur, cui dictum est: Tu me sequere, nisi nunc agatur, nec peruenietur ad illud, quod expectatur.

At ipse nos minus diligit quales nũc sumus: ibi autem amplius nos diliget, quando quod ei displiceat non habebimus.

Ista ratione ostenditur cur amplius Ioannem, quàm Petrum amauit Christus. Intelligo amplius non ratione amplioris meriti, sed ratione amplioris significati.

Consimiliter Maria in proposito optimàm partem elegit, non in merito illius actus quem tunc exercuit, sed in significato per ipsum. Hinc dicit Augustin. serm. 26. de verbis Domini, loquens de operibus Marthæ. Bona sunt hæc, melius tamen quod elegit Maria: illud enim habet ex necessitate occupationem, istud ex charitate suauitatem. Audi meliorem, quæ non auferetur ab ea; & sequitur in sermone proximo. Vtique subintelligitur, à te, quod elegisti auferetur, sed bono tuo auferetur, vt quod melius est detur. Auferetur à te labor, ut requies detur.

Intelligatis in his duabus mulieribus duas vitas esse figuratas, præsentem & futuram, quietam & laboriosam. In Martha erat imago præsentium, in Maria futurorum, quod agebat Martha ibi sumus, quod agebat Maria hoc speramus. Vnde August. supra in eodem sermone reprehendens illos, qui intelligebant illud, Maria optimam partem elegit, esse semper præferendum in ratione operis operati in hac vita, operi Marthæ potius, quàm in ratione signi dicit sic, Quid putamus reprehẽsum esse ministerium Marthæ? hoc si verum est, dimittant homines, quòd ministrant egentibus, eligant sibi partem meliorem, quæ non auferetur ab eis, nihil eis curæ sit quis peregrinus in vico sit, quis egeat pane, quis indumento, quis visitandus, quis redimendus, quis sepeliendus, vacent opera misericordiæ, vni insistent scientiæ. Si melior Mariæ pars est, cur non omnes hoc faciunt, quando ipsum Dominum in hac causa patronum habent? Non enim in hac re timemus, nè offendamus eius iustitiam cum patronam tenemus eius sententiã. Et tamen nõ est ita, sed sicut Dominus dicit ita est. Quomodo intelligis non est: est autem quomodo intelligere debes, & sequitur, Ecce aduerte &c. vbi continuò illum modum iam dictum exponit.

Ad assumptum. Quòd autem assumitur, quod hoc est aliquando, tempore scilicet indigentiæ, & necessitatis tantùm, quasi ex hoc secundum quid, & non simpliciter possit esse melior, & magis eligenda, atque diligenda.

Dico, quòd isto non obstante adhuc actio secundum prædictum modum est præferenda, & melior simpliciter, quia secundum Philosophum in 1. Politicæ, quod est simpliciter, & naturaliter tale, non oportet, quòd sit tale in omnibus, aut in pluribus; sed sufficit, quòd sit tale in bene dispositis, secundum quod hoc declarat cõtra illud, quod debet esse naturaliter principatiuum in homine dicens, quòd oportet hoc intendere ex magis se habentibus secundum naturam, & optimè dispositis secundum corpus, & secundum animam, & non est in corruptis: in pestilentibus enim prauè se habẽtibus videtur principari sæpius corpus animæ, quare etiam in moralibus, & gratuitis, quod est simpliciter melius dispositum secundum moralia, & gratuita, hoc est melius simpliciter etiam si sit tantùm vnicum tale, & esset omnibus aliis deterius, quia malè, vel minus benè erunt disposita, quemadmodum sapientia melior est fortitudine simpliciter, quia melior est melius disposito, licèt fortitudo sit melior iuueni propter malam dispositionem suam ad vina, & sicut vinum est melius simpliciter Cyrupo, quia est melius benè disposito secundum tempus, scilicèt sano, quamuis Cyrupus melior sit malè disposito, vt ægroto, etiam si omnes essent ægroti præter eum, etiam si omnes essent ægroti, quia si tales iudicarent cyrupũ esse melius quid simpliciter, quia omnibus talibus, in hoc errarent.

Quia ergo virtutibus prælatus, & coactus ad actionem, vel ab homine, vt assumatur in prælatum, vel à charitate, vt exerceat opus prælati, est immò debet esse melius dispositus ad exercẽdum opera actiuæ, & etiam ad exercendum opera contemplatiuæ vicissim.

Vita enim Prælati debet esse mixta, ex actiua, & contemplatiua: licèt enim principaliter sit actiua, interdum tamen debet esse contemplatiua; & est iste summus, qui hoc facere debet, dicente Ber. in principio de consideratione, Omnium maximus est, qui spreto vsu rerum, & sensuum quãtum humanæ fragilitati fas est, non alcensoris gradibus, sed inopinatis excessibus anolare interdum contemplando consueuit.

Quòd ergo melius est tali, melius est simpliciter, quare cum vt dictum est melius est tali pro tẽpore huius vitæ, vel pro toto, vel pro pluribus partibus eius, & propter omnes subditos, vel plures, quòd scilicèt exerceat opera actiuæ vicissim, quàm continuè (vt iam dicetur) opera contemplatiuæ; meliora ergo sunt simpliciter pro tempore huius vitę opera actiuæ, quàm contemplatiuæ, & non debet esse tali in electione absoluta, quamuis velle cum effectu, scilicèt omninò postponendo actionem vacare contemplationi, quam actionem pro tempore huius vitæ, sed è conuersò:

Sed

Instantia prima. Sed adhuc arguet aliquis, non sequitur, magis est eligendum, & melius pro tempore huius vitæ talibus existentibus hominibus: ergo est magis eligendum, & melius simpliciter, sicut omnibus hominibus febricitantibus melior est omnibus talibus Cyrupus vino: ergo est melior simpliciter, non sequitur.

Secunda. Item alius arguet sic, quòd talis deberet velle, quòd non esset necessitas, propter quam oporteret compati indigentibus, & vacare regimini populi, & quilibet quantuncunque perfectus cum quadam tristitia, & coactione deberet accedere ad regimen, & ad actionem: non tàm propter periculum, quod timet in negotio prælationis, vel actionis plus, quàm in actu contemplationis, quâ propter hoc, quòd per actionem impeditur à suauitate, & perfectione contemplationis, ita quòd si aliquis certus esset, quòd non immineret sibi periculum maius in statu prælationis, vel in exercitio actionis, quàm in exercitio, & statu contemplationis, & similiter si esset certus, quòd non esset necesse, quòd ipse intenderet actioni, sed quòd alius posset illam æquè benè exercere, vt ipse, qui & vellet ipsam exercere: non tamen deberet statum prælationis, aut exercitium illius actionis eligere: ergo &c.

Ad primū Dico ad primum, quòd in eis, quæ sunt ad finem id dicitur melius simpliciter, quod est ad finem simpliciter vtilius, & talo est secundum iam dicta, quod est vtilius benè dispositio.

Quanquàm ergo quantum est ex comparatione ad illos, circa quos exercenda est actio, non sequitur, est melius illis, scilicet pro tempore, quo illi indigent: ergo est melius simpliciter, quia sunt magis dispositi, tamen quantum est ex comparatione ad illum, qui debet huiusmodi actionē exercere, quia est benè dispositus, benè sequitur, est melius illi pro tempore toto huius vitæ, quia plures, vel omnes indigent illa actione: ergo est melius simpliciter pro tempore huius vitæ, sed ex hoc non sequitur vlterius, ergo est melius pro omni tempore, quia tunc concluderetur, quòd esset melius, quàm contemplatio patriæ, aut status innocentiæ, quod falsum est.

Ad secundam. Per hoc patet ad secundum dicendo verū esse, ꝙ talis deberet velle, ꝙ non esset necessitas, &c. Tamen postquàm est necessitas simpliciter debet potius eligere actionem, quàm contemplationem, & tamen debet cum quadam tristitia, tùm propter indigentes actione, quos deberet uelle non indigere, tùm propter proprium periculū imminens ire ad actionem: non autem eò quòd per actionē impeditur à suauitate, & perfectione contemplationis, quàm dimisit, quia etsi à suauitate contēplationis impeditur pro tēpore actionis, tamen postmodum ex virtute actionis talis per charitatis augumentum in ea reuertitur ad maiorem suauitatē contemplationis habendam in modico tempore, quàm alias habuisset in multo: & ideò propter illam potius debet eligere actionem pro tempore huius uitæ quandocunque necesse sit, quàm contemplationem. Et per hoc simpliciter est melius illam eligere quantum est ex parte eligentis, quēadmodum fortis secundum Philosophum quarto Ethicorum, & habitum est supra, potius debet eligere fortiter mori, & agere vnam magnam operationem in parno, quam multas tepidas in multo tempore, vt de vita actiua dicit Grego. super Eze. parte 2. Homil. 3. cap. 6. Et si in contemplatione mentem tenere non valet: tamē vt dicit 7. Moral. cap. 8. & habitum est iam supra, charitas, quæ nos ad vim compassionis humiliat, altius in culmen contemplationis leuat, in qua haurit, quod exterius in actione diffundat, vt secundum Auguſt. 19. de Ciuit. Dei, etsi actio suscipiēda sit propter charitatis necessitatem, tamen nec sic omnimodè veritatis delectio deserenda est, nè subtrahatur illa suauitas, & opprimat ista necessitas, & hoc quia mutuò sese sustentant, & inflammant, propter qđ dicit Gregor. in Homil. iam dicta. Sicut bonus ordo viuendi est, vt ab actiua in contemplatiuam tendatur, ita plerunque vtiliter a contemplatiua animus ad actiuam reflectitur, vt per hoc, ꝙ contemplatiua mentem accenderit, perfectius actiua teneatur.

Debet ergo & nos actiua ad contemplatiuam transmittere, & aliquando tamen ex eo, quod introrsum mente conspeximus, ad actiuam melius a contemplatiua reuocare. Hinc vt dicit 6. Moral. cap. 31. Generis humani redemptor per diem miracula in vrbibus exhibet, & a lorationis studium in monte pernoctat, vt videlicet perfectis prædicatoribus innuat, quatenus nec actiuam vitā amore specularionis funditus deserant, nec contemplationis gaudia penitus nimietate actionis cōtemnant, sed quieti cōtemplantes sorbeant, quod occupati erga proximos loquentes refundant.

Et sic se habent inter se actio, & contemplatio sicut virtus moralis, & prudentia, quia mutuò vna per alteram perficitur.

Hinc dicit decimo Moral. capit. decimosexto, Sanctorum mentes eunt, & redeunt, quia per hoc quòd diu persistere minimè in contemplatione sufficiunt, sese ad operationem fundunt, vt in ijs, quæ iusta sunt se exercendo refoueant, & super se surtum surgere contemplando conualeſcant, & dum hæc eadem contemplatio per interualla repetitur, indeficienter proculdubio in eius soliditate persistitur, nec stabilitatem suam in ea perdidisse dicenda est, a qua etsi semper deficit hanc etiam cum perdiderit semper inquirit.

Propter quod dicitur Plato in illa Decretali, Nisi cum pridem. Simul contemplatiuus esse valeas, & actiuus, legislatoris exemplo, qui nunc ascendebat in montem, vt ibidem gloriam Domini cum maiori cerneret libertate: nunc verò descendit in castra, vt cum vtilitate necessitatibus populi prouideret.

Quòd ergo additur in fine rationis, si aliquis esset certus, quòd non immineret &c. in hoc tangitur secundum membrum subdistinctionis vltimò datæ, quando quis voluntariè ex electione, & absque omni coactione accedit ad prælationem, vbi subdistinguendum est, quoniam aut habet necesse timere ex sua infirmitate periculum imminens in actione, aut non.

Si sic, dico, quòd illi propter iustum timorem infirmitatis suæ, quàm debet quilibet in se secundum communem cursum vitæ præsentis præsumere, melius est stare in contemplatione, quàm exire ad actionem, eò quòd meritum actionis non excedit meritum contemplationis, nisi per quandam recompensationem necessitatis, non ex parte agentis, quemadmodum dictum est supra, quòd actio est in necessitate, quia sine actione nemo potest intrare ad vitam, sed potius ex parte aliorum, vt dictum est secundum Augustinum in primo argumento quæstionis, propter quam necessitatem Deus vult propter actionem dimitti contemplationem.

Tali etiam non solum non esset melius subire actionem, sed esset præsumptuosum, & multò idcircò deterius.

De tali & consimilibus dicitur primo Past. capitu. decimo, Plerunque ij, qui subire magisterium pastorale concupiscunt, nonnulla bona opera animo proponunt, & quamuis hoc electionis intentione appetant: operaturos tamen se magis portractant, & capit. per totum, vbi sequitur. Inter hæc itaque quid sentiendum est, nisi vt virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus, nè coactus quidem accedat? nè ei contingat id, quod dicit Grego. 12. lib. Moral. Sæpè contingit vt pro vtilitate multorum Sancti viri exterioribus actionibus seruiant, & populorum gubernationibus occupentur. Hoc infirmi aspicientes, & per superbiam quærentes imitari, exterioribus actionibus se inserunt. Sed quanto ad eas non eruditi spiritualius veniunt, tantò eas carnalius exequuntur.

Nisi enim prius longo studio cor, & diuturna mens conuersatione in desiderijs cœlestibus conualescat, cum ad exteriora agenda refunditur, ab omni statu boni operis eradicatur, & sequitur ibidem. In terrenis quippè actibus valdè frigescit animus si nondum fuerit per intima dona solidatus. Vnde necesse est, vt loca maiora, vel exteriora opera, quæ humanis sunt necessitatibus profutura, illi exercenda suscipiant, qui hæc dijudicare, atque semetipsos premere ex virtute intima nouerunt.

Nam cum infirmus quisque ad locum regiminis, vel ad exteriora agenda trahitur, quò quasi extra ducitur, eradicatur.

Si verò non habet quisquam necesse timere ex sua infirmitate periculum imminens, quia est diuinitus assecuratus, vt supponitur, etiam si esset certus, quòd non esset necesse, &c. vt suprà scilicèt vt per ipsum fieret actio, eò quòd licèt subditi indigerent, tamen posset æquè benè fieri per alium, tunc melius esset ei aggredi actionem propter desiderium maioris meriti, & hoc posset facere absque omni præsumptione, exemplo Isaiæ Prophetæ, qui ad prædicationis officium vltrò se obtulit quando se mundatum sensit, dicente Gregor. primo Pasto. capit. octauo: Is qui mitti voluit ante se purgatum vidit, nè non purgatus quisquã adire sacra mysteria audeat.

Quia igitur valdè difficilè est, purgatum se quemlibet posse cognoscere, prædicationis officium tutius declinatur.

Innuitur ergo, quòd si quis posset se purgatum cognoscere, securè posset ministerium actionis adire.

Perinde autem est se cognoscere purgatum, & esse assecuratum dicto modo. Aut si nullo modo melior est actio, quàm contemplatio, siue maioris meriti, nisi coactè, & propter necessitatem subditorum sit aggressa: coactè dico non solum ab initio quando assumpsit quis statum prælationis, sed semper in aggressu cuiuslibet actus.

Dico, quòd tunc quandocunque prælatus potest habere alium de quo sit certus, quòd æquè benè vice sua posset exercere actionem circa populum, vt ipsemet, aut fortè melius, potius deberet eligere contemplationem, & fugere actionem, non solum tanquàm id, quod est melius in se, sed etiam tanquàm melius ipsi.

Quòd proculdubio verum est, quando ipse prælatus non est à Deo assecuratus secundum prædictum modum, & hoc maximè quãdo ille est magis idoneus ad actionis executionem, cui vices suas committit, quàm ipsemet Prælatus.

Secundum quem modum legitur, quòd beatus Valerius, quia impedrtioris linguæ erat, beato Vincentio martyri, quia gemina scientia efficacissimè claruit, vices suas commendauit, quas ille diligenter exercuit. In quo casu ipse etiam beatus Vincentius ad actionem vrgente conscientia propter Pontificis defectum coactus fuit.

Sed quando ipse Prælatus secundum dictum modum à Deo assecuratus est: ipse autem de illo cui vices suas committit qualiscunque, & quantuscunque sit, dubius est an propter infirmitatem suam ille sub onere sibi commisso succumbat, sed de seipso securus est, quòd aliquid proficiat, & nequaquàm succumbet, in isto casu videtur mihi, quòd ipse sit semper ad exercendam actionem in propria persona ex conscientia coactus, non tam propter ipsum subiectum populũ, quàm propter eius, cui vices suas committere posset periculum. Propter quod mihi videtur, quòd tali in omnem euentum melius esset, & fructuosius, & ita secundum prædicta simpliciter melius aggredi actionẽ, quàm contemplationem, nisi posset inuenire talem cui vices suas committeret, de quo certus esset

set, quòd esset assecuratus dicto modo, sicut super hoc certus est de seipso: in hoc enim solo casu puto, quòd melius esset ei vacare contemplationi, quàm actioni: non tamen propter hoc illud esset simpliciter melius, quia coacto simpliciter melius esset, & fructuosius exercere actionem, quàm vacare contemplationi secundum prædicta.

Coactus enim ad exercendum actionem alijs eisdem retentis melius est dispositus non coacto, sed volente vacare contemplationi secundum prędicta. Ista enim dispositio coactionis ex necessitate populi facit, quòd magis meritoria sunt opera quando propter ipsam fiunt, sicut facit votum: aliàs enim per quandam recompensationem nequaquàm meliora, & maioris meriti essent opera actiuæ, quàm contemplatiuæ.

Nequaquàm tamen talr ùc coacto sunt secundum se affectanda opera actiuæ, quia tunc non ex coactione, sed ex electione illa ageret, nec ipsi tunc maioris meriti essent. Hinc dicit Gręgor. 13. libr. Moral. super illud Iob 17. Cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Sancta electorum Ecclesia modo animarum lucrà cogitat: modo terrenarum rerum dispensationes curat, quæ tantò bonis mentibus graniores sunt, quantò earum inscitu ab intuendis cœlestibus, vel ad modicum euelluntur: dum enim tupere sse ad contemplanda cœlestia appetunt, eò ipso, quòd aliquando ex dispensatione terrena ad ima cogitanda descendunt, torqueri se sentiunt.

Sic ergo dico, quòd pro tempore vitæ præsentis melior est, & perfectior virtutibus præditis quibus valeant prodesse: dum tamen sunt ad hoc coacti à Deo in conscientia, vel exterius ab homine, actio, quàm contemplatio, & per hoc melior ex parte agentis secundum dictum modum.

Dico ad hoc, quòd quia vita actiua circa regimen, & opera eius præferenda sunt vitæ contemplatiuæ, & operibus illius secundum modum determinatum in præcedenti quæstione: idcircò status actiuorum circa regimen populi, qualis debet esse status omnium prælatorum, & rectorum populi tàm in Sacerdotibus primi ordinis, vt sunt Episcopi successores Apostolorum, quàm in Sacerdotibus secundi ordinis, vt sunt Curati successores discipulorum, secundum quod infra declarabitur in quæstione vltima, maior est, superior, & perfectior non solùm dignitate, & auctoritate, sed etiam vitæ merito, quod consequitur ex suo officio quisque existens in illo statu, si sic in illo militet, vt Saluator noster iubet, quàm status religiosorum, & quòd idcircò simpliciter status Prælatorum dictorum maior est, & perfectior, quàm status quorumcunque religiosorum inquantum sunt religiosi.

Per quod processit vltima ratio pro hac parte adducta, quæ idcircò concedenda est, quòd recompensatur in ipsis prælatis periculum magnitudo per eminentiam præmij, dicente Augustino in Epistola ad Valerium, & habetur distinctio. 41. Ante omnia cogitet prudẽtia tua nihil esse in hac vita, & maximè in hoc tempore facilius, & leuius, & hominibus acceptabilius Episcopi, & presbyteri, & Diaconi officio, sed si perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur, nihil est apud Deum miserabilius, & tristius, & damnabilius, nihilque laboriosius, & difficilius, & periculosius, sed apud Deum nihil beatius si eo modo militetur, vt Saluator noster iubet.

Quapropter vt dicitur in dicta supra Decretali, facilius indulgetur, vt ascendat Monachus ad prælatum, quàm præsul ad Monachatum descẽdat. Per Monachum intelligo quencunq; religiosum inquantum est religiosus, qui quo ad essentialia vota religionis sunt æquales, quod etiam concedunt de plano quasi omnes, dicendo, quòd Prælatorum status est maior auctoritate, dignitate, & officio, & etiam merito, saltem quo ad Episcopos, dummodò sit Prælatus bonus, operans secundum exigentiam status sui. Propter quod dicit Dionys. tertio cap. Aug. hierarch. Omnium diuinissimum cooperatorem Dei fieri constat: hoc autem est in procuratione salutis animarum, dicente Greg. super Ezech. parte secunda: Nullum omnipotenti Deo tale est sacrificiũ, quale salus animarum. Idem libr. 14. Moral. Ille apud Deum maior in amore est, qui ad eius amorem plurimos trahit. Si maior in amore, ergo perfectior, quia in amore charitatis consistit perfectio, vt infra videbitur. Vnde super illud Iaco. Qui non offendit in verbo. gloss. Eum qui cupit prodesse oportet alijs perfectiorem esse, & hoc non nisi propter opera perfectiora, quæ ei incumbunt ad alios perficiendum.

Vnde perfectio Prælati inquantum est persona singularis, debet esse talis, quòd nihil ei desit de eis, quæ pertinent ad virtutem: inquantum verò est persona publica, quòd alios perfectos facere possit: tunc enim vnumquodque perfectum, cum potest generare sibi simile.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem XXVIII. quæ est,

Vtrum opera vitæ contemplatiuæ sint præferenda operibus vitæ actiuæ.

IN titulo. Idem est, ac si quæreretur, an ipsa vita contemplatiua præferenda sit actiuæ, vel etiam an ipsa contemplatio præferenda sit actioni. Et quidem non quantum ad nobilitatem, sed quantum ad vtilitatem, quasi quæratur, quænam vtilior sit. Vtile autem cum referatur ad aliud, quæritur, quonam sit vtilior eligenti pro vltimo fine acquirendo.

In corpore autem habita prius diuisione, & deinde pluribus subdiuisionibus, tùm contemplationis, cùm etiam actionis, nouem conclusionibus videtur quæsito satisfacere, & declarare simul quæstionis titulum. Decreuimus autem pro facili, ac breui intelligentia de more nostro omnia ad tabellæ formam reducere, ponendo contemplationem in apice eius sic.

Contemplatio est, vel

- *Pertinēs ad fruitionem, & vltimum finem humanæ vitæ supernaturalis.* — 1. Concl. Contemplatio præferenda est actioni.
- *Pertinens ad vsum, & ea, quæ sunt ad finem, & hæc est, vel*
  - *Quæ fuisset in statu innocētiæ,* — 2. Concl. Contemplatio præferēda est actioni.
  - *Quæ modo habetur, & habere potest pro statu præsētis vitæ, & hæc est comparāda cū actione, q̄ est, vel*
    - *Actio hominis principaliter propter seipsum, & hoc vel*
      - *Cōsistit in operibus virtutū moralium ex mera electione.* — 3. Concl. Contemplatio præferenda actioni.
      - *Cōsistit in operib. mechanicis p̄pter necessitatem.* — 4. Concl. Contemplatio preferenda actioni.
    - *Actio hominis propter alios, & de hac præsertim est quæstio, vt comparatur cum contemplatione humana huius vitæ, possunt autem comparari, vel*
      - *Quoad vsum earum, & tunc executio respicit, vel*
        - *Exequentē p̄sentem, & tunc ip se est, vel*
          - *Idoneus, & virtutibus præditus, & tunc accedit ad executionem, vel*
            - *Ex propria volūtate.* — 5. Concl. Cōtemplatio præferēda actioni.
            - *Non propria volūtate, sed coactus.* — 6. Concl. Actio præferenda cōtemplationi.
          - *Nō est idoneus.* — 7. Concl. Cōtemplatio præferenda actioni.
        - *Illos ad quos, vel circa quos est.* — 8. Concl. Actio, est præferēda cōtemplationi.
      - *Quoad substātiam earum.* — 9 Concl. Contemplatio est præferenda actioni.

Prima conclusio probatur, quia melior, & eligibilior est finis, quàm ea, quæ sunt ad finem, sed contemplatio patriæ est finis, cætera ad finem. Igitur

Not. quòd in hac ratione est comparatio præsentis vitæ, non futuræ: cum enim Scotus teneat fruitionem esse actum voluntatis, non autem intellectus, profectò diceret, non esse præferendam contemplationem actioni hoc pacto, quia & ipsa actio finis sit. Tametsi aliter præferre D. Thomas, quoniam vult principaliter beatitudinem consistere in actu contemplationis. Quòd autem intelligat Auctor de actione huius vitæ, patet ex eo, quod ex Augustino adducit ad hoc ibi, Duas vitas nouit Ecclesia, &c.

Secunda conclusio. Intenditur secundum comparationem ad actionem, quæ esset in illo statu, atque secundum actionem præsentis conditionis. Probatur autem, quia melius duxisset in finem.

Tertia conclusio. Probatur eadem ratione, qua prior conclusio probata est; contemplatio enim est finis omnis actionis, quod patet ex Gregorio, & Isidoro in litera.

Not. illud, quod solebat Auerroes dicere, non bonos esse contemplatores nisi castos, & temperatos. Quòd fortè pro hoc facit illud, In maleuolam animam non introibit sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis. Vnde contemplationem præcedit ipsa actio, & quatenus præcedit contemplatio, subsequitur, videtur contemplationem esse actionis finem, quoniam autem finis semper præfertur his, quæ sunt ad finem, illud sequatur oportet, quod habetur in conclusione.

Quarta conclusio probatur apertè ex Isidoro, Gregorio, & Augustino in litera, nec alia videtur egere declaratione.

Quinta

Quinta conclusio patet, quia actio nunquam præcellit nisi ex recompensationis necessitatis, & coactionis, quod ex Augustino manifestatur.

Sexta conclusio ex eodem Augustino, & Gregorio patet. Et ratio duplex est, tum scilicet propter fugam mali, tum propter adeptionem finis, maioris nempe boni, unde si ratio vnica exigi posset, vbi maior est fuga mali, & adeptio boni, ibi melius, & eligibilius; sed in huiusmodi actione est maior &c. ex Augustino, & Gregorio in litera. Igitur &c.

Septima conclusio patet, nam quicumque in huiusmodi ad aliorum curam sese ingerit sæpè sæpius sibi potissimum obest, ex Gregorio, sed nemo sibi obesse debet. Igitur &c.

Octava conclusio probatur. Quod pluribus vtilius est, præferendum est ei, quod paucioribus est huiusmodi, sed actio talis est huiusmodi &c. Igitur Maior patet, & minor probatur ex Gregorio super Ezechielem, & Augustino in litera.

Nona conclusio probatur. Quod est magis securum, atque suauius præferendum est minus suaui, atque securo, sed contemplatio est suauior, atque securior. Igitur &c. Maior patet: Minor verò probatur ex eo. Nisi cum prædicto, extra de renuntiat. ex Philosoph. 10. Ethic. ex Bonauentura lib. 7. Lucæ ex Gregorio, & Ambrosio, vt patet in litera.

Vide Franciscum Toletum in quinto gradu suæ moralis hanc quæstionem exactissimè tractantem, cap. 40. usque ad 45. & videbis resolutionem suam non differre ab hac Auctoris nostri resolutione, maximè si considerentur habita in capitu 44. Et certè non videmus quomodo discordet à D. Thoma 22. q. 182. artic. primo, vt existimat Caietanus, qui, nec conclusionem D. Thomæ negat, cum pluribus conclusionibus de contemplatione probatis eandem esse. Et quicunque consideret nostram conclusionem, & vnde nascitur, videbit, quòd maximè sit contra D. Thomæ, quia est quo ad substantiam, & alias quo ad vsum secundum quod &c. in alio articulo D. Thomas tenet oppositum. Vide ipsum.

QVÆSTIO XXIX.

Vtrum status Prælatorum maior sit, & perfectior, quàm status Religiosorum.

Arg. prim. primum. Confirm.

CAPVT primum aliqui contra Prælatos arguunt sic, Status perfectionis duo importat, scilicet, & ratione status, & ratione perfectionis, nunc Presbiteri Curam habentes non habent statum perfectionis, quia obligationem non habent, quia dimittere possunt curam suam deserendo religionem, & hoc absque peccato alicuius superioris, quare non sunt in statu perfectionis.

Secundum. Ex eodem modo arguunt, quòd nec sunt in statu superiori, quam Religiosi, eo quòd nunquam in statu perfectionis, quia eis indulgetur transitus à statu inferiori ad superiorem acquirendo, quia ab eo conuersio, vt in dicta litera Nisi cum prædicti, quare cum ita sit indulgetur presbiteris Curatis transitus ad religionem non autem è conuerso.

Tertium. Idem probant per Canones, nam dicit 19. q. 1. Clerici, qui Monachorum propositum apprehendunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, liberum eis ab Episcopo apponit largiendum concessum, vbi dicit Glos. Hæc est regula in omnibus, quia de minori ad maius transeundum est 94. distinct. Legimus. Sub silentio autem hoc prætereundum non est, Presbyteri siquidem, qui de aliis Clericis dicuntur in cap. sequenti. Duæ sunt leges, quædam primam legi duo quæ figunt, & ideò non possunt prohiberi à maiori perfectionis studium, & ibi Glos. quod ex hoc excipitur Episcopus, qui non potest transire ad Religionem sine licentia Papæ, sed presbyter non excipitur: ergo, includitur.

Quartum. Denique arguunt, quia etiam contra quoscunque Religiosos non sunt in statu perfectionis, sic: illi status, qui comparatur secum id, quod est simpliciter imperfectionis, & de cuius conditione nō est agere opera, quæ sunt perfectionis simpliciter, non est status perfectionis, sicut ille status non est status virtutis, qui comparatur secum opera vitiosa, & de cuius conditione non est agere opera virtutis; status autem Prælatorum est huiusmodi: nam habere propria & vxorem, imperfectionis est, & similiter exercita operum circa illa sunt opera imperfectionis, & tamen ista comparantur secum status Prælatorum; vt quo ad propria patet in prælatis, quo ad vxores in Prælatis Orientalis Ecclesiæ quodam, & in omnibus ante ordinationem operis Ecclesiæ super statum continentiæ existentium in locis. Similiter, quòd opera sint perfectionis hoc facinus professio, & votum sub quibus sunt.

Quintum. Item non est status perfectionis nisi ex voto, quia qui non est in statu perfectionis statum ipsum non mutat opera perfecta faciendo nisi illa facere vouerat, quæ vouendo libertatem animæ propriæ, & animo scribitio mancipatur. Vnde virginitatis obseruatio licet sit opus perfectionis, ipsa tamen seruatio sine voto status perfectionis non habet: dicit enim Augustinus libro de virginitate. Neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quæ licet in carne deducatur: spiritus tamen religione, ac deuotione seruatur. Ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vouet, & seruat continentia, qua integritas carnis ipsi creatori carnis, & animæ vouetur, consecratur, & seruatur.

Sextum. Vlterius arguunt, quòd etsi status Prælatorum est status perfectionis: status tamen Religiosorum est status perfectionis. Primo per medium iam dictum sic: ille status est maioris perfectionis, qui minus compatitur, quod est imperfectionis secum, & cuius opera sunt perfectiora: status Religiosorum

illle status, qui comparitur secum id, quod est simpliciter imperfectionis, & de cuius conditione nō est agere opera, quæ sunt perfectionis simpliciter, non est status perfectionis, sicut ille status non est status virtutis, qui comparatur secum opera vitiosa, & de cuius conditione non est agere opera virtutis; status autem Prælatorum est huiusmodi: nam habere propria & vxorem, imperfectionis est, & similiter exercita operum circa illa sunt opera imperfectionis, & tamen ista comparantur secum status Prælatorum; vt quo ad propria patet in prælatis, quo ad vxores in Prælatis Orientalis Ecclesiæ quodam, & in omnibus ante ordinationem operis Ecclesiæ super statum continentiæ existentium in locis. Similiter, quòd opera sint perfectionis hoc facinus professio, & votum sub quibus sunt.

Quintum. Item non est status perfectionis nisi ex voto, quia qui non est in statu perfectionis statum ipsum non mutat opera perfecta faciendo nisi illa facere vouerat, quæ vouendo libertatem animæ propriæ, & animo scribitio mancipatur. Vnde virginitatis obseruatio licet sit opus perfectionis, ipsa tamen seruatio sine voto status perfectionis non habet: dicit enim Augustinus libro de virginitate. Neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dicata est, honoratur, quæ licet in carne deducatur: spiritus tamen religione, ac deuotione seruatur. Ac per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vouet, & seruat continentia, qua integritas carnis ipsi creatori carnis, & animæ vouetur, consecratur, & seruatur.

Sextum. Vlterius arguunt, quòd etsi status Prælatorum est status perfectionis: status tamen Religiosorum est status perfectionis. Primo per medium iam dictum sic: ille status est maioris perfectionis, qui minus compatitur, quod est imperfectionis secum, & cuius opera sunt perfectiora: status Religiosorum

rum est huiusmodi respectu status Prælatorum, quia ille compatitur secum propria, & uxores, quæ sunt imperfectionis, & opera bona illorum non sunt facta ex voto, & professione, non autem illa compatitur status Religiosorum, quorum etiá opera facta sunt sub voto, & professione: ergo &c.

Secunda. Secundò sic: Ille status, qui magis assimilatur statui omninò perfectissimo est status perfectior, & magis eligendus, iuxta considerationem Philosophi in tertio Topicorum, Quòd est similius meliori, melius est, & magis eligendum: talis est status cótemplationis Religiosorum respectu status actionis Prælatorum, quia contéplatio vitæ præsentis magis assimilatur vitæ contemplatiuæ beatorum, quàm actio Prælatorum.

Contemplatio enim est quædam inchoatio futuræ fœlicitatis, dicente Augustin. super illud Ioann. vltimo, Sic eum volo manere. Inchoata contemplatio maneat donec veniо, perficienda cum venero, & Gregor. dicit super Ezech. Contemplatiua vita hic incipitur, vt in cœlesti patria perficiatur: ergo &c.

Tertia. Tertiò sic. Status ille, qui requirit opera, quibus homo magis perficitur est perfectior: talis autem est status contemplationis, quia per operá cõtemplationis perficitur Religiosus in amore, & cognitione Dei: per opera autem actiuè perficitur Prælatus in amore proximi, & cognitione infirmorum, quæ sunt circa illum, dicente Gregor. 8. Moral. cap. 31. Speculando in Dei amorem surgitur, prædicando ad proximi vtilitatem redítur. Vt enim dicit super Ezech. parte secunda, Homilia secunda, cap. quinto, Actiua vita est pané esurienti tribuere, verbum sapientiæ nescientem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam superbientem reuocare, infirmitatis curam gerere, quæ singulis quibusq; expediunt dispensare, & cõmissis nobis qualiter subsistere debeãt prouidere.

Contemplatiua verò vita est soli desiderio cõditoris inhærere &c. Constat autem, quòd homo plus illis supernis, & quo ad intellectum, & quo ad affectum, quàm his infimis perficitur: ergo &c.

Quarta. Quartò sic. Perfectior est status Philosophi, q̃ Principis, quia Philosophus ratione sui status perficitur virtutibus, & fœlicitate speculatiuis, quæ perfectiores sunt, quàm virtutes, & fœlicitas politicæ, quibus perficitur Princeps, secundum Philosophum in decimo Ethicorum: ergo &c.

Quinta. Quintò sic. Status, & actio Prælatorum est, sicut bellantium in campis, status religiosorum est, sicut consilio prudentiæ vacantium in vrbibus, sed consilium prudentiæ vacantium in vrbibus nõ est minoris præeminentiæ, quàm opus bellantium in campis, dicente Tullio libro primo de Officijs. Cùm plerique arbitrentur res maiores esse bellicas, quàm vrbanas, est minuenda hæc opinio. & infra. Parua enim fuit foris arma, nisi sit consilium Domi, ergo &c.

Sexta. Sextò sic. Ingressus Religionis absoluit ab omni voto, non sic autem ingressus prælationis, quod non esset nisi status religionis perfectior, superior, & maior esset statu prælationis: ergo &c.

Septima. Septimò sic. Securum præferendum est periculoso: status Religiosorum est securus: Prælatorũ autem periculosus: ergo &c.

Octaua. Octauò sic. Opus spirituale maius est, & maioris meriti, quàm opus corporale, dist. 45. Quæ sunt. Eleemosyna cordis maior est, quàm eleemosyna corporis: contemplatio autem est opus magis spirituale, quàm actio: ergo &c.

Nona. Nonò sic. Angeli quorum est præsidere subsunt illis, quorum est contemplari: ergo &c.

In oppositum. Contra. Status ille est perfectior, qui requirit, quòd in ipso exercẽãtur opera perfectiora, & qui requirit in se habere personas perfectiores ad exercendum illa opera, quia correspondentia debet esse inter statum, & existentes in statu: status autem Prælatorum est huiusmodi respectu status Religiosorũ, & hoc tàm in minoribus Prælatis, quàm in maioribus, quia eiusdem generis opera incumbunt ambobus, vt patet ex dictis in præced. quæstione: ergo &c.

Responsio ad argum. primum. Ad rationes in oppositum respondendum per ordinem. Quod dicunt in prima ratione, quòd status perfectionis duo importat, & ratione status, & rationem perfectionis, benè verũ est: aliud enim est status, aliud perfectio, & aliud status perfectionis. Sed vt sequentia clarius valeant declarari, oportet primò videre quid significetur nomine status. Secundò quid nomine perfectionis. Tertiò quid nomine status perfectionis. Significatio autem nominis ex vsu communi verborum, & scripturarum exquirenda est. Nunc autem quantum mihi apparet ex communi vsu loquendi, status in *Status.* prima significatione sua significat modum existendi rem motam in aliquo gradu ad quod mouetur, qui modus est esse in aliquo fine, progressu vltiori, & hoc, vel naturaliter, vel ex institutione. Naturaliter autẽ dupliciter, vel semper, vel sæpius. Naturaliter autem & semper, quemadmodũ status solis dicitur esse ascendendo in solstitio æstiuali, & descendendo in solstitio hyemali, secundum quem modum dicunt Medici morbum esse in statu quando est in fine augumenti sui. Naturaliter autem & sæpius, quemadmodum status matis in suo fluxu est certum augumentum eius vltra quod raro transit, licèt transit aliquando, & similiter hominis, loquendo secũdum communem statum, licèt aliquis transit aliquando, vnde à tali statu dicitur hominis statura, ex hominis communi ordinatione, quemadmodum currentium in stadio status est apud metam in curtu. Vnde & a tali statu dicitur stadium.

A tali autem modo status appellatur status modus quicunque quo res mouetur, & mutabilis habet esse in quocunque signo motus sui, secundum quem modũ quæritur de ægroto, in quo statu est,

&

& respondetur vel ante paroxysmum, aut in principio, aut medio, aut fine illius, aut post illum, & similiter volentes loqui viris potentibus quæruntur in quo statu sint, an scilicet occupati an otiosi. Vlterius autem tertio transfertur nomen status ad modum essendi, quem habet substantia viuens & est idem quod modus eius viuendi, quem habet vel a natura, de quo dicit Boetius de disciplina scholarium distinguens ipsum in tres sic inquiens. Tria genera statuum innuit Aristot. Sunt enim quidam vehementer obtusi, alij mediocres, tertij vehementer acuti. Vel ab acquisitione, secundum quod Ansel. de similitudinibus, cap. 46, distinguit quatuor status hominum, dicens. Humanæ naturæ quatuor sunt status: quibus pro diuersis meritis beata vel misera redditur, alius magis alius minus. Minus beatus ille fuit quo homo ante peccatum in paradiso stetisset: beatissimus est quo modo in cœlo animę Sanctorum sunt. Minus autem miser noster est status: miserrimus est ille quo reprobi manebunt in pœnis. Vel ab institutione, & hic duplex: quidam enim est essentialis: quidam vero factitius. Essentialis autem est ille, qui est institutus a Christo vel insinuatus: vt sunt status tres principales comprehendentes omnes, qui sunt, fuerunt, & futuri sunt in ecclesia scilicet existentium in mola vel in lecto vel in agro. Quorum primus est coniugatorum, secundus cęlibum: tertius est rectorum, & subdistinguitur in rectores primi ordinis: cuiusmodi sunt episcopi: & secundi ordinis cuiusmodi sunt sacerdotes curati. Qui duo ordines in statu rectorum constituunt duos status principales & essentiales in ecclesia & superiores tamen, quia a Christo speciali vocatione & electione sunt instituti, præter hoc, quòd cum alijs ab eodem ante sunt insinuati: secundum quod infra in vltima quæstione declarabimus. Alij vero sunt status diuersi contenti in statu cęlibum communi vt sunt status diuersarum religionum. Aduentitij autem sunt siue factitij ab homine puro & maxime prout distinguuntur ab alijs, qui sunt in statu cęlibum: & inter se penes diuersos modos professionum. Et se habent duo primi status respectu aliorum sicut status prælatorum seu magistrorum ad status subditorum. Quorum, scilicet prælatorum tria sunt principalia officia, hierarchica in ecclesiastica hierarchia: ad modum illorum in hierarchia angelica: quæ sunt purgare corrigendo: illuminare docendo, perficere sacramenta administrando. Econtrario autem omnium aliorum est ab illis purgari, doceri, & perfici. Dico quantum est de genere status: & ideo tantò perfectior & maior est status illorum super status aliorum quantò illa in agendo perfectiora sunt quam alia tria in patiendo, perfectius enim est docere quam doceri, & sic de alijs, & ideo oportet quod omnino sint perfectiores illi quàm isti, etiam illi inferiores prælati, quia ad eadem ordinantur opera in genere cum maioribus prælatis, propter quod etiam quidam religiosi gaudent se alijs religiosis transferri inquantum status eorum vel ex institutione vel priuilegio habet ministrare aliquos actus illorum scilicet prælatorum, in ipsorum subsidium.

Quod ergo assumitur in argumento: quod presbyteri secundi ordinis non sunt in statu, dico quod simpliciter falsum est. Quod additur ad illius probationem, quòd status immobilitatem importat, & obligationem ad opus exequendum, quod pertinet ad statum. Dico quod hoc non importatur nomine status, vt patet in quibusdam modis statuum prędictorum, non enim pertinet ad rationem status stare per obligationem & permanetiam, sed sufficit quòd habeat propositum persistendi in illo, licèt liberare cum voluerit possit illum mutare, quemadmodum clericus est & in statu clericorum, qui semper clericaliter se habuit, & defenderetur ab ecclesia ratione status sui, quo distinguitur contra statum laicalem, licèt libere possit contrahere cum vidua, & statum suum mutare. Vnde ille qui in gratia Dei manet per firmum propositum dicitur manere in statu dicente Gregor XIII. Moral. Conditoris protectio & custodia est quòd in statu permaneamus. Idem super Ezec. par. 2. Homil. 9. Lapis quadratus est, & ex omni latere statum habet qui casum in aliqua permutatione non habet. Nota quod non dicit non potest habere. Item 6 Moral. Ab omni statu rectitudinis desperat qui in negotia vertebatur, & Apostolus 1 Corinth. 5. Stabiles estote. Sed esto quòd ita esset quod non essent in statu sed in ordine quidam qui non mereretur dici status, tamen modus vitę, quem requirit ordo ipsorum, requirit opera perfectiora vt dictum est, & iam amplius declarabitur, idcirco minus debet vita ipsorum perfectior dici, si dicunt quod ordo eorum requirit, quam vita quorumcunque religiosorum etiam facientium quod status illorum requirit, vt secundum hoc perfectior & superior sit ordo illorum quam sit status ipsorum religiosorum, vt omnem controuersiam de nominibus, pertinacibus, relinquamus. Vlterius nec propter aliqua dicta constringimur negare illos esse in statu, obligati enim sunt sufficienter ad curam suam vt possit in eis poni ratio status. Et quod arguunt quod non, quia liberè possunt curam suā deferre intrando religionem, dico primo sic, quod sacerdos accipiendo curam obligatur ad perpetuam seruitutem persistendi in illa, nisi seruitutem illa mutare voluerit in aliam, quemadmodum professus in ordine laxiore obligatur ad perpetuam seruitutem

Ad oppos.

tem in illa religione, nisi velit eam mutare in seruitutem seruiendo in strictiore. & quemadmodum contrahens matrimonium cum muliere obligatur ad iugiter seruiendum ei, matrimonialiter nisi illam seruitutem ante carnalem copulam velit mutare in aliam, intrando religionem. Sicut ergo professus in religione laxiore non propter hoc negatur esse in statu, licet liberè in casu possit statum suum deserere, aut ille qui contraxit matrimonium de præsenti, sic hic sacerdos curatus debet negari esse in statu, licet in casu liberè possit mutare statum, & dimittere curam.

Vnde si dimitteret sacerdos curam non intrando religionem, arctari posset ab ecclesia ad resumendum eam. & hoc non nisi propter obligationem. Secundo dico propter dicentes, quòd transiens ad maiorem statum non dicitur minorem dimittere, quia minus conseruatur in maiori, sed non econuerso quod circa statum sacerdotum est considerare ius commune & indulgentiam.

Si autem aspiciamus ad ius commune, dico quòd non minus sunt obligati sacerdotes ad curas suas inferiores, quàm Episcopi ad curas suas superiores, quoniam si vellet talis curam suam dimittere oporteret eum ad hoc specialiter licentiari a suo Episcopo, sicut nunc oportet Episcopum licentiari a Papa, & sic non magis ratione obligationis Episcopus est in statu, quàm curatus sacerdos.

Si vero aspiciamus ad indulgentiam vniuersalem concessam sacerdotibus, & non Episcopis per illam possunt dimittere curam, sed solummodo ingrediendo religionem, & sic propter ius commune, quod eos obligat, sicut Episcopos, æqualiter sunt in statu cum illis. Et data est indulgentia generalis intrandi religionem sacerdotibus potius quàm Episcopis, quia plures sunt multo & minus prouectæ & infirmæ personæ, vt ex hoc plures illorum in exercendo officium in magno sint periculo animę suę ne quid negligant, & propter curæ occasionem non committenda committant, & ideo indulgetur eis vniuersaliter, si in hoc conscij sunt infirmitatis, quòd dimissa cura intrent religionẽ, quia contemplatiua vita in religione est eis magis secura, & ideo (vt dicit Glos. super illa decretali Nisi cum pridem) magis amplectenda, nam dicit Aug. Tene certum & dimitte incertum. Et sic propter eandem causam qua quis debeat fugere curam & intrare religionem, potest dimittere curam propter ingressum religionis, & est conscientia proprię infirmitatis, dicente Augusti. super 36. Psalmum. In quoque genere vitę non omnes inueniuntur probi, non omnes reprobi. Videntur duo in agro, eadem professio est, sed non idem cor.

Videntur in agro laborare qui præsunt in ecclesijs, sunt qui de actionibus mundi non recedunt & tanq; de duabus in medio vita assumitur & vna relinquit. Et sunt qui nec actiones mundi penitus volũt sicut coniugati habentes domos familias, filios, nec aliquid in ecclesia agunt sicut præpositi, velut in agricultura laborantes, sed velut ad hoc infirmi recedunt ad otium & quieti esse diligunt, veluti membres infirmitatis suæ, non se committentes magnis actionibus, & quodammodo in statu infirmitatis rogantes Deum. Propter quod etiam quia plures sunt infirmi, & de quocunque timendum est ne sit infirmus, status religionis regulariter consulendus est. Quo autem status prælationis, propter quod Hieron. aduersus vigilantium qui contrarium asserebat, dicit sic. Monachus non doctoris sed plangentis habet officium qui vel se vel mundum lugeat, & domini pauidus præstoletur aduẽtum qui sciens imbecillitatem suam & vas fragile quod portat, timet offendere ne impingat & corrumpat atque frangat, & intantum castigator sui est vt etiam quæ ruta sunt pertimescat.

Cur (inquit) pergis ad eremum? vt tua bella non patiar ne me rapiat oculus meretricis ne forma pulchertima ad illicitos ducat aspectus. Respondebis hoc non est pugnare sed fugere, sta in acie armatus, vt postquam viceris coroneris. Fateor imbecillitatem meam, nolo pugnare spe victoriæ ne perdam aliquando victoriam si fugero, gladium deuito, si stetero vincendum mihi est aut cadendum.

Quid autem necesse est certa dimittere & incerta sectari? aut scuto aut pedibus mors vitanda est. Tu qui pugnas, & superare potes & vincere, ego cum fugero non vinco, sed ideo fugio ne vincar. Et sic cum sacerdos dimissa cura intrat religionem, potius tãquam infirmus non potens sustinere ardnum pondus descendit quàm ascendat, & cum econtra religiosus ad curam assumitur potius ascendit, quàm descendit.

Quod tunc arguitur secundo contra hoc ex eodem medio quo prius quòd indulgetur regulariter curatos transire ad religionem non econuerso &c. Dico quòd reuera facilius indulgetur transitus ad superiorem statum ab inferiori dispositione, propter quam merito trãseundum est a religione ad præsulatum, eadem dispositione existente vtrobique ex parte transeuntium, cuius modi est perfectio transeuntis, vt enim dicit dicta illi era causa perimit endi monachum ascendere ad præsulatum est, vt cum vtilitate prouideant necessitatibus populi. & ideo dispositio ex parte debentis transire a religione ad præsulatum est dispositio, qua est idoneus ad prouidendum necessitatibus populi, qua dispositione existen e ex parte volentis transire a præsulatu ad religionẽ, nequa-

Ad secundum prius.

nequaquam ita faciliter permittitur transitus sic dispositi ad religionem sicut ad præsulatum per transitum enim huius ad præsulatum promoueretur vtilitas populi, per alterius autem trãsitum impediretur. Et sicut est de transitu religionis ad præsulatum, sic est de transitu ab eadem ad curam parochialem; quia si status præsulum est superior & perfectior quàm status religiosorum, quòd etiam ipsi religiosi cõcedunt, & in scriptis suis reliquerunt, ergo similiter & status sacerdotum superior est & perfectior, eo quòd sunt de statu rectorum & laborantium in agro ecclesiæ, & præsunt ecclesijs quarum curæ sunt ipsis commissæ ad regimen animarum, non autem sunt de statu eorum qui sunt in mola aut in lecto.

Et illi tres status comprehendunt omnes qui sunt in ecclesia; nec differt status eorum a statu præsulum, nisi sicut gradus inferior cui commissa est administratio particularis & circa minora, & gradus superior cui commissa est administratio vniuersalis omninò, vel vniuersalior, & circa maiora. In cæteris enim sicut dominus Papa est rector vniuersalis ecclesiæ, & quilibet præsul suæ diœcesis, sic sacerdos curatus est rector suæ parochiæ, vt sit in his tribus idem status perfectionis differens solùm penes gradus. Vnde non benè dicunt dicentes quòd sunt sicut præpositi vel baliui siue coadiutores & optitulatores Episcoporum, sed sunt veri & ordinarij rectores instituti in suis prædecessoribus scilicet discipulis, non a prædecessoribus præsulum scilicet ab Apostolis, sed erant ambo ordines immediate instituti a Deo, vt infra quæstione vltima declarabitur.

Et ideò sicut status præsulum quia perfectior est quàm status quoruncunque religiosorum, propter maiora opera quæ requirit &c. quæ ordinantur ad finem simpliciter &c. absolutè potiorem scilicet ad communem vtilitatem quòd est maius bonum quàm priuatum, & ideo diuinus requirit perfectiorem personam promouendam in præsulem quàm requirit status religionis, immò status ille requirit quòd promouendus in illo sit iam perfectus, status autem religionis non requirit perfectionem nec in promouendo ad ipsum nec statim in existentibus in illo: Consimiliter propter consimilia opera licèt inferiora status sacerdotum quia perfectior est requirit perfectiorem personam promouendam in sacerdotem curatum quàm requirit status religionis circa promouendum ad statum religionis, siue circa iam existentem in religione. Et propterea eadem dispositione propter quàm merito transeundum est a præsulatu vel a cura ad religionem existente vtrobique ex parte transeuntium cuiusmodi potest esse imperfectio ipsorum transeuntium, quia status religionis est principaliter ad hoc vt de imperfectis faciat perfectos vt iam amplius videbitur, ideirco quia de pluribus præsumitur potius siue sint in religione siue extra, quòd sint imperfecti saltem vel non tàm perfecti quòd sufficiant ad regimen populi; secundùm quòd etiam quilibet hoc debet de seipso supponere, nec ad regimen ideirco nisi coactus accedere vt dictum est supra, facilius indulgetur quòd sacerdos curatus regulariter possit transire ad religionem quàm è conuerso, quia illud indulgetur vt dictum est non nisi propter transeuntis imperfectionem. Vnde breuiter recolligendo dico quòd quando transitus indulgetur propter transeuntis perfectionem aut bonam dispositionem, facilius indulgetur transitus ascendendi quàm descendendi, quando autem è conuerso indulgetur propter imperfectionem aut minus bonam dispositionem transeuntium, facilius indulgetur transitus descendendi quàm ascendendi, sicut contingit in proposito secundùm iam dicta. Sed contrà hoc videntur plane illa quæ arguuntur in sequenti ratione ex duobus decretis.

Ad tertium quòd sic transeuntes ad religionem meliorem vitam cupiunt, per quòd insinuatur apertè quòd melior vita sit religiosorum quam sacerdotum curatorum, dico quòd eo modo est melior quo modo secundùm superius determinata melior est pars Mariæ quàm Marthæ, &c. quo modo contemplatio huius vitæ est melior actione. Est tamen, vt dictum est actio prælatorum melior simpliciter quàm contemplatio huius vitæ religiosorum, eo quòd secundùm dictum modum melior est &c. vtilior melius dispositio, non solùm autem illis circa quos exercetur. *Ad rei... principi...*

Si autem non sit melior & vtilior minus benè dispositio, non sequitur ex hoc quòd non sit melior simpliciter secundùm prædicta. Quare cum de istis qui transeunt ad religionem a cura, supponendum est quòd hoc faciant propter minus bonam eorum dispositionem & imperfectionem propter quod ad hoc faciendum conceditur eis indulgentia, vt dictum est, cum dicitur in dicta indulgentia quòd cupiunt meliorem vitam, intelligendum est, sibi quòd non contingit nisi quia quicunque talis inquantum huiusmodi experitur se insufficientem ad regendum populum.

Propter quod dicitur in sequenti capitulo, quòd tales priuata lege ducuntur, vt scilicet eo modò quo priuata lege ducuntur est eis religio melior quàm prælatio. &c. propter hanc legem priuatam in qua omninò dimittitur conscientiæ suæ, potest simplex curatus intrare religionem, veruntamen Episcopus licèt tali lege priuata ducatur tamen non dimittitur hoc conscientiæ eius nisi in certis casibus, sed expresse interdicitur, vt in decretali prædicta in fine, &c. excipitur in gloss. illius decreti Duæ sunt, &c. hoc

quia non præsumitur tantum de imperfectione Episcoporum, quia pauci sunt respectu sacerdotum, & maiori diligentia eliguntur. Et ideo quia maius periculum est in hoc circa sacerdotes quã circa Episcopos, circa illos cautius est agendum, ita quòd idem est de indulgentia concessa sacerdotib. simpliciter, & Episcopis in certis casibus, ita quòd sicut Episcopis interdictum est renunciare nisi aliquis casuum expressorum in dicta litera Nisi cum pridem, vrgeat conscientiam eorum, sic sacerdotibus interdictum intelligitur renunciare nisi eos vrgeat conscientia sua, quòd non sufficiunt regere populum in cura sua, aut q̃ imminet eis periculum magnum vltra commune periculum, quòd frequenter solet curatis occurrere. Vnde sicut Episcopus benè examinare debet cõscientiam suam, an lege priuata ducatur & Spiritũ sancto inflammatus ad renũciandum in certis casibus, sic curatus bene examinare debet cõscientiam suam, an lege priuata ducatur & Spiritu sancto inflammatus ad renũciandum curæ ex indulgentia sibi concessa, quia sicut ille relinquitur conscientiæ suæ quo ad hoc in certis casibus, sic iste simpliciter, alioquin licentia recedendi penitus est eis interdicta, vt dicitur in dicta decretali in fine, & sub hoc interdicto recedens apostata est apud Deum, licèt in religione existat, quemadmodum si quis sine causa & licentia a religione strictiore ad laxiorem transiret. Sed omnibus his videtur contrariari Glos. super illo verbo Meliorem vitam, quæ dicit. Hæc est causa sufficiens, quia de minori ad maius trãseundum est, vbi planè insinuatur quòd status religionis sit maior quàm sacerdotum.

Ad glos. Et dico, quòd reuera tali status religionis maior est quia melior, sicut & ipsi melior est vita religionis quàm curæ. Vnde non benè facit ad suum propositum illud quod allegat Ioan. pro se ibidem. 93 distin. Legimus, quòd loquitur de transitu a minori simpliciter ad maius simpliciter, propter quod quasi corrigendo se subdit. Et tamen dicit capi. Sic viue in monasterio vt clericus esse merearis 16. quæstio prima. Sic viue. & loquitur de monacho promouendo ad curam ad electionem Episcopi. per quòd exprimitur quòd ille transit à statu simpliciter minori ad simpliciter maiorem.

Ad quartum principale. Ad intellectum illius quòd vlterius arguitur quartò contra prælatos generaliter tàm maiores quàm minores quòd si sint in statu, nõ tamen sunt in statu perfectionis, est aduertendum illud quòd supra proposuimus, quòd scilicet aliud est perfectio, aliud autem status perfectionis. Est enim perfectio simpliciter & absolutè in perfecta adeptione finis in patria. Est autem perfectio simplicirer pro statu viæ in perfecta adeptione eius quòd per se & principaliter ordinat in finem, cuiusmodi est charitas, quàm qui non habet nihil est quo ad vitam spiritualem, primæ Corinth. 13. Vnde in spirituali vita perfectus est qui in charitate perfectus est. Est autem perfectio secundùm quòd in adeptione perfecta eius quòd secundariò ordinat in finem: cuiusmodi sunt sapientia, patientia, & huiusmodi. Illa autem perfectio charitatis principaliter consistit in dilectione Dei. Gene. 17. Ambula coram me & esto perfectus. Secundariò autem in dilectione proximi. Matth. 5. Diligite inimicos vestros & sequitur. Estote ergo perfecti.

Sed neutro modo cõpletur in nobis omnimodè in hac vita. Philipp. tertio. Non quòd iam acceperim aut sim iam perfectus. sequor autem si quo modo comprehendam. Dicimur tamen tunc perfecti in hac vita, si fecerimus quòd in nobis est, vt tantam charitatem habeamus vt omninò promouentia nos ad dilectionem Dei & proximi mente assumamus, & impedientia nos a nobis abijciamus, & sic quantum possumus adeptionem perfectionis patriæ sequamur. Vnde postquam dixit: Sequor autem si quo modo comprehendam, continuò adiunxit. Quicunque ergo perfecti sumus hoc sentiamus. Propter quòd dicitur Matth. 19. Si vis perfectus esse vade & vende &c. & sequere me. Et est primum dispositio ad perfectionem acquirendam, in quo intelligitur abiectio per voluntatem omnium quæ impediunt nos in hoc. Secundum verò est id quo fit perfectionis consecutio, quo intelligũtur omnia, quæ ad illam consequendam iuuant nos. Vnde Hierony. super Matth. Quia non sufficit tantùm relinquere, adiungit quod perfectum est.

Status perfectionis secundum aliquos. Est autem status perfectionis, vt aliqui dicunt, non opera perfectionis facere nec se ad talia facienda quoquo modo disponere, sed se ad facienda opera perfecta obligare, per hoc enim solùm mutat quis statum vt non existens in statu perfectionis fiat in statu perfectionis. Vnde ex eo quòd aliquis faciat perfectionis opera & ad illa se disponat absque voto, in nullo mutat statum suum, quia manet in eadem libertate qua prius, quemadmodum non mutat conditionem suam qui alteri seruit liberè, sed qui se obligat ad seruiendum ei, mutat conditionem. Sic autem se obligant religiosi per vota sua ad dilectionem Dei, & Episcopi suscipiendo curam in sui ordinatione.

Sed dico, quòd sicut secundùm prædicta ad statum simpliciter non requiritur obligatio simpliciter, sic nec ad statum perfectionis simpliciter requiritur vlla obligatio ad faciendum illa opera perfectionis, sed sufficit firmum propositum, & habere ritum viuendi qui ad operum perfectorum executionem requiritur, secundùm q̃ si nullum esset votum, esset status incipientium

proh-

proficientium & perfectorum secundum omne genus virtutis, &c. etiam si nulla obligatione astricti fuissent ad officia sua Apostoli &c. discipuli a Christo, sed ex sola libera voluntate fuissent executi suum officium per firmum propositum &c. secundum modum & ritum, quo Christus ipsum instituit exequi: fuissent in eodem statu, in quo erant astricti per votum. Benè tamen verum est quòd votum & obligatio faciunt vnum modum status, qui benè distinguitur contra omnes alios, in quibus homo potest existere sine voto aut etiam liberè, sicut enim seruitus est status quidam in seruis cum obligatione, sic libertas est status oppositus in dominis absque omni obligatione.

Vnde causa, qua aliquis defendit suam libertatem, causa status dicitur 2 quæstio. 6. Si quando, &c. tamen existens dominus & in plena libertate potest mutare statum & intrare seruitutem. Licèt ergo omnis status qui seruitutem importat propriè dictam, non est sine obligatione, benè est tamen status alius & etiam status perfectionis absque omni obligatione etiam licèt sit status qui requirit seruitium, vt status prælatorum qui requirit seruitium exhibere Deo, quòd non oportet procedere ex conditione seruili, sed sufficit quòd ei exhibeatur seruitium ex libertate mera, &c. sola assumptio & deputatio ordinaria ad tale officium exequendum sufficit ad hoc quòd aliquis sit in statu tali. Deo enim seruire regnare est, vt dicit Gregor. Vt etiam dicit Hierony. ad Heliodorum, comparans dignitatem Episcopalem ad regalem, ille nolentibus præest, hic volentibus, terrore ille subijcit, hic seruitute dominatur, ille corpora custodit ad mortē, hic animas seruat ad vitam. Sed ne in hoc tempus protrahamus, concedamus hoc in proposito, dicendo quòd in statu perfectionis sunt & prælati superiores & inferiores curati, quia incumbit officio ipsorum facere opera perfectionis circa subditos, & ad hoc sunt obligati secundùm quod dictum est supra de inferioribus, &c. conceditur ab omnibus de superioribus.

Ad quartum principale.

Quòd ergo arguitur in contrarium quòd non, quia status illorum compatitur secum quòd est simpliciter imperfectionis, vt habere propria & vxores, Dico quòd non omnis status ad omnia se extendit, sed quilibet ad illa quæ ad ipsum pertinent tantùm, vnde qui vouet virginitatem sed non vouet paupertatem aut obedientiam, in statu virginum est, sed non in statu voluntariè pauperum aut obedientium secundùm modum quo sunt illi qui alia duo vouerunt. Si ergo status &c. perfectio prælatorum per se & principaliter consistit in operibus exercendis circa regimen proximi, non oportet quòd existens in statu perfectionis prelatorum careat proprijs aut vxore de ratione status, nisi Christus sic instituisset, licèt hoc requiratur de ratione status religiosorum secundùm modernam obseruantiam. Si enim hæc duo repugnarent statui prælatorum inquantum sunt prælati vt ex institutione Christi, sicut repugnant statui religiosorum secundùm institutionem, quæ verè nunc obseruatur, vt æqualiter ad illa oporteret obligari prælatos sicut & religiosos, sicut non essent in statu perfectionis religiosorum non obligati ad non habendum propria & vxores, similiter etiam non essent in statu perfectionis prælatorum non obligati ad illa, sed tamen manerent in statu perfectionis pro quanto exercerent benè opera ad subditos suos. Sic ergo non sic fuit duplex ordo prælatorum institutus vt de necessitate requireret propriorum & vxorum abnegationem, sed vt hoc requireret de congruentia, quia habendo propria & vxores multum impediretur cura & diligentia circa subditos, ita quòd de ratione status & eius perfectionis nihil requiritur nisi diligens operum curæ executio cum assumptione siue deputatione ordinaria prædicta, sed ad perfectionem personæ pertinet diligenter exequi officium curæ ita quòd sicut æqualiter in statu perfectionis sunt, diligenter exequens eam &c. negligenter, & hoc siue status sit cum voto siue sine voto, sic æqualiter in statu perfectionis sunt quantum est ex ratione status, habens propria & vxorē & non habens licèt hoc diminuat multum de perfectione personali. Vnde si ita status prælatorum institutus fuisset, & Apostoli tria vota religionis vouerunt, sicut dicit August. 17. de ciuit. Dei eos vouisse paupertatem, hoc erat pertinens ad perfectionem personæ non status. Sed tamen hoc non fuit de institutione status, quemadmodum quòd Paulus vixit de opere manuum non erat prærogatiua pertinens ad statum sed ad personam tantùm.

Vnde Paulus qui non vixit de Euāgelio æqualiter & non magis ex hoc erat in statu perfectionis Apostolatus cum alijs qui vixerunt de Euangelio, licèt Paulus in hoc fuerit in sua persona singulari magis perfectus alijs. Aut si dicatur quòd status Apostolatus ratione suæ perfectionis requirebat ab institutione sua opera perfecta in apice perfectionis secūdùm omnem modum perfectionis, tunc cæteri Apostoli de Euangelio non debuissent vixisse, quia peccassent præcipuè si accepissent in casibus, in quibus Paulus non sumpsit, qui præcipuè erant duo: Vnus ne grauaret illos quibus prædicauit, &c. per hoc tardius ad prædicationem eius accederent, aut eam acceptarent. 2. Thessal 3. &c. actuum 20.

Secundò vt pseudo Apostolos qui prædicabant falsa &c. acciebant sumptus propter quos prædicabant, a prædicatione repelleret. secundo Corinth. 11. Et hoc etiam quia vt dicit Hieronymus in Epistola ad Cellantiam,

uas electionis Paulus castigat corpus suum & in seruitutem redigit, ne alijs prædicans ipse reprobus efficiatur, ne perfectionis magister aliquid in se imperfectum ostendat, ne Christi imitator extra præceptum quicquam ac voluntatem Christi faciat. Apostolici verò præcepti & exempli est vt curemus non conscientiæ tantùm, sed etiam famæ superfluum & effectu vacuum fugere magister gentium docet. Vult enim etiam extraneos ad fidem homines per fidelium opera proficere, & religionem ipsam religionis disciplina commendat, & ideo sicut luminaria in mundo lucere nos iubet in medio nationis prauę & peruersæ, vt incredulæ mentes errantium, ex nostrorum actuum lumine ignorantiæ suæ tenebras deprehendant. Vnde ad Roma. ipse ait. Prouidentes bona, non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus, & alibi. Sine offensione estote iudæis & gentibus & ecclesiæ Dei, sicut & ego omnibus per omnia placeo, non quærens quòd mihi vtile est sed quòd multis.

Quòd si ita status ille institutus fuisset, in his casibus sumptus sumere non debuissent cæteri Apostoli sicut nec Paulus sumpsit, aut peccassent nisi in hoc Christus generaliter dispensasset. Et puto quòd status Apostolorũ requirebat quãtum erat ex natura sua opera perfectionis in apice secundùm omnem modum perfectionis, & erat ille quod sic de Euangelio sumptus acciperent vt expeditius & fructuosius officio suo vacare possent, & erat semper expeditius & fructuosius officio apostolatus sumptus de Euangelio sumere, nisi in casibus illis in quibus Paulus non vixit de Euangelio propter causas dictas: Et quòd Christus in institutione Apostolatus dispensauit generaliter quòd etiam in his casibus qui vellent de Euangelio viuerent, vt per hoc Paulus eo qd in illis casibus non vixit de Euangelio, sed de opere manuum suarum, ipse solus statum perfectionis Apostolicę custodiuit in apice, & quòd cęteri vixerunt de Euangelio in illis casibus, hoc erat ex dispensatione generali Christi qua reliquit in apostolorum voluntate posse sumere necessaria de Euangelio propter infirmitatẽ quam præuidit in eis &c. in eorum successoribus, si tamen in talibus casibus sumptus acceperunt. Et quòd amplius est, dispensauit cum successoribus eorum Episcopis, vt non solum haberent potestatem viuendi de Euangelio accipiendo de die in diem sibi necessaria, sed quòd possent habere bona ecclesiæ communia, ne per subditorum auaritiam qui non essent prompti ministrare de die in diem necessaria, essent ab officij executione impediti, vt per nullam prouidentiam oporteret eos curare de crastino.

Et ob hoc Christus habuit loculos gerens in ipsis personam imperfectorum, dans signum per hoc bonorum communium ecclesiasticorum, vt 12. quæstio. prima. Exemplum. & cap. Habebat dominus loculos. Et sic (vt puto) a Christo fuit status Apostolatus institutus vt Apostoli possent de Euangelio viuere in omnem casum &c. successores eorum de communibus bonis ecclesiæ absque omni diminutione perfectionis in illis, &c. sic facere opus Apostoli & non sumere sumptus, non erat nisi prærogatiua personalis, & hoc non nisi in illis casibus in quibus Paulus non sumpsit.

Vnde Augustinus exponens illud Psalm. 103. Producens fœnum iumentis &cęt declarat qualiter qui Euangelium enunciant debent de Euãgelio viuere: post magnam exhortationem subditorum vt diligenter in necessarijs prouideant suis curatis, dicens sic. Itaque curiosi estote ad ista fratres mei, &c. inuenietis multorum Dei seruorum indigentiam, tantum vt velitis inuenire.

Sed quia delectat vos excusatio quam vultis dicere nesciebamus, propterea ipse dominus loculos habebat quo emebantur necessaria, &c. possidebantur nummi in vsus eorum qui cum illo erant, &c. infra. Vide quæ fiebant. Futurus erat Paulus nihil tale aliquando quærens & omnia prouincialibus donans sed quia multi infirmi ista quæsituri erant magis infirmorum personam accepit Christus, sublimius Paulus. & infra. Cum enim videret Paulum ista non esse quæsiturum, prouidit ne damnaret quæsiturum, &c. præbuit exemplum infirmo. Nota ex his quòd Paulus in eo quòd non quęsiuit nec accepit annonam sibi debitam pro obsequio suo, firmus fuit, non autem de numero infirmorum quorum personam gessit Christus, habendo loculos.

Sed de numero illorum infirmorum erant omnes recipientes annonam in illis casibus in quibus Paulus non accepit. Vnde in hoc Paulus cęteris perfectior fuit &c. apicem tenuit perfectionis, quàm tanquam sibi propriam requirit status perfectionis Apostolicæ, a qua cæteri per indulgentiam propter eorum infirmitatem a Christo generaliter concessam deficiebant, si tamen in istis casibus de Euangelio vixerunt. Sed est aduertendum quòd annonam aliqui infirmorum quorum personam Christus gessit in loculis, erant quæsituri dupliciter, quidam ex debito officij sui quòd impendebant: quidam vero ex charitatis pietate tantùm absque debito officij.

Primo modo quæsituri erant cęteri Apostoli, dicente August. ibidem. Dominus constituit vt qui Euangelium enunciant de Euangelio viuant. Misit prædicatores & ait illis, omnia quæ apponuntur vobis manducate, dignus est enim operarius mercede sua. Cum enim dixisset: quæ apponuntur vobis manducate,

ne

ne illi dicerent impossibile erimus ad mensas alienas? vis nos ita esse fœnosos?

Non inquit, non est ista donatio eorum sed vestra merces. Et infrà Apostolus tàm laboriosus, tàm impiger, tàm exercitatus vt ista non peteret: ego inquit nullius horum vsus sum, ostendit sibi deberi & non accepit, nec condemnauit eos qui acceperunt quod debebatur. Alij infirmorum, quorum Christus personam gessit in loculis, erat quæsituri ex charitate non ex debito officij, vt cæteri pauperes non rectores populi quibus in recipiendo debent priores infirmi præferri, dicente Augustino ibidem. Ne dicatis, homines seruientes non indigent nostri, quærere tamen ne quis indigeat, & qui non indiget inueniat in te quod voluit accipere: & noli dicere si petierit dabo. Expectas ergo vt petat, sic pascis bouem Dei, quomodo transeuntem mendicum. Si sic inter vos indigent milites Christi vt etiam petant, videte ne vos iudicent antequam petant. & infra. Da illi sed multo magis illis. Illi enim sunt vere pauperes de quibus dixit Christus. Matthei 5. Beati pauperes spiritu. dicente Hieronymo aduersus Vigilantium.

Non simpliciter pauperes, sed pauperes spiritu beati appellantur, de quibus scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. In vulgi pauperibus sustentandis nequaquàm intellectu sed eleemosyna opus est, in sanctis pauperibus beatitudo est intelligere vt ei tribuatur qui erubescit accipere, & cum acceperit dolet metens carnalia & seminans spiritualia. Et nota quòd licet respectu Pauli & ipsi similium cæteri Apostoli & similes eorum infirmi sunt dicti primo modo scilicet ad actum quærendi sibi necessaria, firmi tamen erant ad exercendum rectorũ officia, respectu quorum dicuntur infirmi illi qui quæsituri erant secundo modo, & ipsi firmi. Infirmi dico ad exercendum opera rectorum fortia, de quibus dicit Augustinus super Psal. 36. Neque aliquid in ecclesia agunt sicut præpositi, velut in agricultura laborantes, sed veluti ad hoc infirmi secedunt ad otium &c. vt iam supra. Quare cum illud quod fit pro infirmis, potius indulgentia est minoris boni, quàm maioris boni perfectio, sumere ergo annonam & viuere de Euangelio in casibus prædictis, dispensatio Christi generalis erat. Et sicut fuit illa dispensatio a Christo per seipsum, sic reliquit ecclesiæ potestatem dispensandi vt etiam in dictis casibus prælati primò haberent possessiones communes dispensandas sibi & pauperibus, quales habebant Apostoli communes cum tota primitiua ecclesia, vt habetur actuum 4. de illis enim portiones fuæ ministrabantur Apostolis, sicut & cæteris, prout cuiq; opus erat.

Secunda enim parte super Ioan. sermo. 45. in exponendo illud, Accepit eam discipulus in sua, quærit Augustinus dicens. Sed in quæ sua Ioannes matrem Domini accepit? neque enim non ex eis erat qui dixerant ei: ecce nos reliquimus omnia & secuti sumus te; sed ibi quoque audierat quicunque ista dimiserit propter me accipiet in hoc sæculo centies tantum. Habebat ergo ille discipulus centupliciter plura quàm dimiserat, in quæ susciperet matrem eius, qui illa donauerat.

Sed in ea societate Ioannes perceperat centuplum vbi nemo dicebat aliquid suum, sed erant illis omnia communia, sicut in actibus Apostolorum scriptum est. Sic enim Apostoli erant quasi nihil habentes & omnia possidentes. Quomodo ergo accepit in sua vbi suum nemo aliquid dicebat? an quia paulò post in eodem libro legitur, quotquot enim possessiones prædiorum vel domorum erant vendentes afferebant precia illorum & ponebant ante pedes Apostolorum, distribuebatur autem vnicuique prout cuique opus erat, vt illic etiam Beatæ Mariæ tanquam matri eius portio tenebatur, magisque sic debemus accipere quod dictum, ex illa hora accepit eam discipulus in sua, vt ad eius curam quicquid esset ei necessarium pertineret?

Accepit ergo eam in sua. non prædia quæ nulla propriè possidebat, sed officia quæ propria dispensatione exequenda curabat? sic reuera erat: sed in hoc generali includitur illud, ad curam enim Ioannis pertinebat quòd de communi ad sibi & Mariæ necessaria duplicem portionem acciperet: vnam pro se, alteram pro Maria, quia tempore illo ab illis quibus prædicabant nihil aliter accipiebant quàm quòd conuersi omnia bona sua bonis communibus adiungebant.

Et sicut Christus reliquit ecclesiæ potestatem dispensandi primò hoc est in primitiua ecclesia, vt prælati haberent possessiones mobilium communes dispensandas sibi & pauperibus, sic reliquit ei potestatem dispensandi consequenter crescente ecclesia vt Prælati haberent prædia & possessiones immobilium, quorum fructus sibi & pauperibus dispensabant, dicente Melchiade Papa 12. quæstio. prima. Futuram ecclesiam in gentibus Apostoli præuidebant, ideirco prædia in iudea minime sunt adepti sed precia tantùm modò ad fouendos egentes & cætera. Et Vrbanus Papa ibidem.

Videntes autem summi sacerdotes & laij leuitæ & reliqui fideles plus vtilitatis posse conferre si hæreditates & agros quos vendebant, ecclesijs, quibus præsidebant Apostoli, traderent, eo quòd ex sumptibus eorum tam præsentibus quàm futuris temporibus plura & elegantiora possent ministrare fidelibus communem vitam ducentibus, quàm ex pretio

eorum, cœperunt prædia & agros quos vendebant ecclesijs tradere &c. & ex fructibus eorum viuere &c. & hoc sine omnis perfectionis diminutione, vt ibidem in capit. Expedit dicitur, quod etiam iam amplius declarabitur.

Deindeps procedente tempore ex eadem potestate dispensatum est ab ecclesia quòd tam clerici quàm Episcopi, cum communibus possent habere propria, dicente Aug. de clericis in sermone de communi vita clericorum, & habetur ibidem.

Certe ego sum qui statueram &cet. & de Episcopis dicitur in capitulis sequentibus. Sed non sine omni ignominia hac indulgentia vtuntur, dicente Hieron. ad Nepotianum: Gloria Episcopi est pauperum opibus prouidere, ignominia omnium sacerdotum est proprijs studere diuitijs. Et per eundem modum dispensatum fuit ab initio de habendis vxoribus, & in hoc detractum est a perfectione status prælatorũ a Christo instituti, quia licèt prelaci habentes propria & vxores sunt in statu perfectionis, non tamen in ipsis perfectè obseruatur, & sic in hoc nihil omnino subtrahit siue derogatur statui in se siue perfectioni eius, sed solũ modo perfectioni personali existentium in statu, quemadmodum si dispensatum esset cum monachis propter aliquam infirmitatem ne tenerentur obedire Abbatibus, in quibus modo tenentur obedire eisdem, hoc in nullo derogarer statui, in quo essent neque perfectioni illius, sed solùm modo perfectioni personali.

Ad formã argum. Quòd ergo dicitur in argumento quòd status prælationis compatitur secum propria & vxores, ergo non est status perfectionis: dico primo quòd si status prælatorum fuit a Christo institutus vt requireret ex debito abrenunciationem propriorum & vxorum non oportet quòd hoc diminuat de ratione status, sed solùm de perfectione personali. Si verò (quòd verius credo secundum prædicta) status prælatorum fuit institutus a Christo sic quòd ex debito essent prælati dispositi ad exercendũ opera perfectionis secundum dictum modum, dico quòd illa duo etiam per indulgentiam concessa infirmis animo qui proprijs & vxoribus carere non possunt, summe diminuunt rationem perfectionis personę licèt non status: vt nullomodo sine diminutione personalis perfectionis possint habere, inquãtum tamen sunt in statu executionis officij prælaturę, semper in statu perfectionis sunt. *Obiectio.* Sed tũc arguet aliquis quòd tunc eadem ratione habere cõia siue mobilia siue immobilia diminueret de ratione perfectionis, cõtra illud quod dicitur 12. quæst. 1. Expedit facultates ecclesiæ &cet. Dico quòd non est simile de bonis proprietarijs & de bonis communibus ecclesiæ maxime pertinentibus ad dispensationem prælatorum, illa enim possideri non possunt a prælatis sine speciali dispensatione secundum dictum modum & similiter non absque diminutione perfectionis personalis, sed bona communia ecclesiæ sine omni diminutione et personali prelatorum eodem modo possunt possideri sicut & accipi sumptus annonæ a seruiẽtibus Euangelio. Ad cuius ampliorem intellectũ sciendum est, quòd prælati si apicem status perfectionis suæ quam ex natura sua requirit, seruare vellent sicut seruauit Paulus in casibus prædictis, & occurreret opportunitas nihil omnino percipiendi a subditis sicut occurrebat tempore Pauli, in apice perfectionis status quem requiris apostolatus de natura sua essent illi prælati solum modo qui pro laboribus suis annonam non quærerent quam possent petere a subditis, sicut solus Paulus tempore Apostolorum apicem perfectionis custodiuit quando solus nihil horum quæsiuit: si tamen alij quæsiuerunt, quando hæ eedem causæ erant apud illos, quæ erant apud Paulum, vt iam supra dictum est.

Intelligo ergo quòd non erat de statu perfectionis Apostolicæ & ex natura sua non petere annonam a subditis nisi tempore opportuno, scilicet casibus illis occurrentibus, illis enim non occurrentibus laborare pro victu, cui sum predicationis & officij prælationis potius impediret quàm promoueret.

Cum ergo talis opportunitas scilicet non accipiendi occurrit, tunc puto accipere annonam esse in generali indulgentia propter infirmitatem non valentium laborare sed istam indulgentiam puto contineri sub institutione status Apostolici a Christo, & tunc credo quòd diminueret perfectionem personalem in accipiẽte etiam tantùm modo annonam nouam de hora in horã secundum quòd est necesse, quasi habẽdo solum & nudum vsum facti. Et quia iste casus sæpius natus est contingere, ideo generaliter dominus ordinauit vt qui seruiret Euangelio, de Euangelio viueret, tam in tempore quo dicti casus occurrerent quam in alio, licet siquis posset & vellet in alio tempore & in illo laborare acquirendo victum non prohiberetur de laboribus viuere.

Sed hoc tempus non de facili occurrit, immò frequentius tanta occurrit occupatio vt potius vellet prælatus labore victum quærere, quam laboribus officij sui insudare si liceret, dicente August. libro de opere monachorum. Non alligamus onera grauia & humeris vestris imponimus quæ nos digito non tangimus, quandoquidem si officij nostri salua ratione possemus (vt nouit ille qui scrutatur corda nostra) mallemus hoc agere, quæ vt agatis hortamur, quàm ea quæ nos agere cogimur. Cum autem adest tempus quo recipi potest sine diminutione personalis perfectionis annona a subditis quo ad vsum facti,

ti tunc etiam sine omni diminutione personalis perfectionis quantum est ex parte sua possideri a prælatis possunt ecclesiæ communia tàm in mobilibus quàm in immobilibus, &c. sic omnino eodem modo sine omni diminutione perfectionis possunt prælati ad suum vsum & pauperum bona ecclesiæ possidere. tàm mobilia quàm immobilia quia vt Apostoli sine omni diminutione perfectionis poterunt viuere de Euangelio.

Sed distinguendum est hic ex parte personarum, quia prælati qui possident eas, aut possident ipsas eo animo quòd non plus acciperent pro se quàm si de die in diem administraretur eis anno na a subditis, & sic de bonis communibus pauperum viuerent sicut vnus ex pauperibus. Dico q in talibus nullo modo diminueret nec de perfectione status nec de perfectione personæ quæ est in statu, immo magis perfectionem personæ augmentaret in eo videlicet quòd meritum magnũ haberet in bene dispensando pauperibus quod vltra propriam necessitatem remaneret.

Et ideo non solum non diminuit de perfectione sed etiam expedit sic communia possidere prælatos &c. propria perfectionis amore contemni, vt dicit capit. prædictum. Si qui autem prælatorum possident communes possessiones ecclesiæ tali animo vt ex eis lautius viuant & eis carere equo animo non possent etiam si eis subiecti sine difficultate &c. promptè ministrarent necessaria quolibet tempore prout opus esset, dico quòd in istis nihil diminueret omnino de perfectione status sed multum diminueret de merito & perfectione personæ.

Quod autem assumitur in argumento quòd status qui compatitur secum opera imperfectionis, non est status perfectionis, sicut nec est status virtutis qui secum compatitur vitium. dico quòd duplex est imperfectio scilicet infirmitatis quæ pœna est non culpa, licèt non sit in homine nisi ex culpa propria vel originali, propter quàm infirmitatem indultæ sunt nuptiæ non tanquam peccatum sed tanquàm minus bonum. Alia verò est imperfectio culpæ.

De primo modo imperfectionis est infirmitas propter quàm in prælatis indulgentur propria & vxores, & ideo illa compatitur status perfectionis illorum, licèt cum aliqua diminutione, vt dictum est, quia scilicet non contrariatur omnino statui. Et de secundo modo est vitium quòd est omnino contrarium virtuti, &c. ideò status virtutis vitium nullo modo compatitur, &c. sic nequaquam est simile.

Ad quintum principale.

Ad aliud quo arguitur quòd non est status perfectionis nisi ex voto, dico quòd verum est religiosorum inquantum sunt religiosi pro modo quo isto tempore dicitur esse status perfectionis in religione. Aspiciendo tamen ad naturam rei propter quàm aliquis status dicitur esse status perfectionis: scilicet quia ordinat hominem ad opera perfectionis exercenda, benè potest esse status perfectionis absque voto, vt in prælatis quo ad paupertatem & castitatem, nisi sic fuisset institutum a Christo, quia ista non pertinent per se ad executionem actuum perfectorum prælationis sicut religionis.

Habendo tamen aspectum ad modum iam dictum institutionis prælatorum a Christo, ista duo non obseruare, diminuit de ratione perfectionis prælatorum personalis, quæ si obseruarentur etiam sine voto, pro tanto ipsam augerent, & magis augerent si cum voto, quia omnia bona facta sub voto maioris meriti sunt alijs eisdem retentis secundum Anselmum libro de similitudinibus, cap. 35. Quod si Christus non instituisset vota huiusmodi scilicet paupertatis & castitatis fuisse de essentia status prælatorum vt nulla dispensatione opus fuisset ad non obseruantiam illorum, tunc illorum non obseruantia in nullo diminuisset de perfectione status nec in se nec in istis, sed solum modo de personæ perfectione siue status vt obseruatur ab istis, vt patet ex dictis.

Quòd verò additur quòd virginitas non honoratur nisi quia est sub voto, quia nec alicuius habet statum perfectionis, Dico quòd est quædam virginitas despecta, quædam laudata, quædam honorata, quædam acceptata. Despecta est virginitas proponentium nubere, dicente Augustin. libro de virgin. Felicior videtur mihi nupta mulier quàm virgo nuptura. habet enim illa quòd ista adhuc cupit incerta cui danda est. licet vni pudicitiam custodit segregato a turba, ille verò non adulterum sed maritum quærit in turba. Laudata virginitas est proponentium Deo perpetuam pudicitiam conseruare, de qua dicit Augustin. in eodem.

Ad confir.

Virginalis integritas &c. per piam continentiam ab omni concubitu immunitas est in carne corruptibili incorruptionis perpetuæ meditatio. Et libro primo de Ciuit. Dei. Si animi bonum est cum immundicitiæ non cedit, ipsum corpus sanctificat. Constat autem quòd perpetua talis meditatio &c. quòd nunquam cedat immunditiæ bene potest esse sine voto, corpus autem non sanctificaret nisi ex tali proposito quodammodo Deo dicata esset.

Honorata virginitas est illa quæ est firmata voto, de qua loquitur auctoritas Augustin. arguendo introducta. Acceptata virginitas est per Episcopalem benedictionem sanctificata Et in qualibet harum trium meretur aureola. Non enim est ad ipsam promerendam vllum votum necessarium, vt patet in martyribus, &c. quolibet horum modorum est puella in statu virginitatis, sed in prima inchoatur matrimonium spirituale cum Christo quasi per sponsalia de futuro: in secunda confirmatur quasi matrimonium per consensum

sensum de præsenti, in tertia verò consummatur quasi in coniunctione &, copula cum sponso, &, sic nihil arguit illud dictum August. nisi quòd altiorem gradum in statu virginali ponit votum sicut facit in quolibet actu, nec tamen votum extendit quemlibet actum ad summum, aliquis enim actus sub voto inferior bene potest esse quàm alter sine voto, non enim obseruãtia virginitatis sub voto excedit, aut æquiparatur martyrio perpesso sine voto, dicente August. in libro de virginitate.

Nemo quantum puto ausus fuerit virginitatẽ præferre martyrio. Ex quo minus rationabiliter mihi videntur aliqui dicere: quòd aspiciendo ad illud cui vacant prælati, perfectiores suus simpliciter prælati & officio & merito & statu, & hoc ideo quia in deducentibus vitam suam secundum ea quę pertinent ad illum statum, maiorem perfectionem requirit, &, maiorem perfectionem acquirit, quàm si deducerent vitam suam secundum statum religiosorum, eo quòd in statu prælatorum vacatur sibi &, alijs, in statu autem religiosorum sibi tantùm, &, difficilius & melius est pluribus benè intendere quàm vni. Item status prælatorum se habet ad statum religiosorum sicut status magistrorum ad statum discipulorum. Magister autem debet esse perfectior discipulo, nemo enim debet esse magister qui non fuerit ante discipulus.

Aspiciendo autem ad vacandi modum qui attenditur ex voto vel obligatione qua vacatur operi, status religiosorum perfectior est merito, quia vacant Deo in se non solum ex officio sed etiam ex voto, &, ideo ad duplicem perfectionem attingit, ad vnam ex ipso facto, ad alteram ex modo faciendi scilicet sub maiori districtione &, custodia, propter quòd perfectius vacant religiosi quàm quicunque alij sine voto, &, ex maiori voluntate, ex qua opus debet pensari magis quam ex eius arduitate.

Vnde dicunt quòd si prælati facerent votum cum hoc quòd faciunt opera perfectiora, & facerent ex voto quod faciunt ex officio, tunc essent perfectiores &, status eorum perfectior, sicut erant Apostoli qui fecerunt ex voto & officio simul quod fecerunt, vt sic prælati abijcerẽt superflua statui suo &, cauerent mulierum suspecta consortia, & nihil facerent nisi de voluntate confessoris sui, & tunc essent omnino holocaustum sicut religiosi, cum modo nõ sunt nisi sacrificiũ: quod minus est secundum Gregor. super Ezec. par. 2. Homil. 8. Forma respondendi in toto dicto isto vnica est &, breuis, quòd modus operandi ex deuotione & feruore magis debet pensari in perfectione & prę eminentia operis quàm ipsum genus operis, &, ideo opera religiosorum quia ex voto sunt facta quo homo se totum obligat Deo, quantum est ex ratione voti perfectiora sunt & meliora quàm prælatorum, licẽt illa sint de genere operis magis ardua. Et est clarum quòd forma ista procedendi non valet, quia vt dictum est, quantuncunque virginitas obseruetur ex voto, tamen martyrium quòd deuotè sustinetur pro Deo, semper perfectius &, melius opus est.

Nihil ergo valet totũ illud dictum in se, quòd benè sentientes dixerunt, quòd illud maximè regnet in illis quæ non multum seinuicem excedunt sicut contemplatiua pura religiosorum & contemplatiua prælatorum. Vnde dicitur de cõ. di. 5. ca. Non mediocriter. Magis est quinque Psalmorum cantatio cum cordis puritate quàm totius Psalterij cum anxietate. Hinc etiam dicitur in collat. patrum col. 2. Melius est esse deuotũ in minoribus quàm in maioribus indeuotum inueniri. Dico quòd vniuersaliter verũ est quòd alijs eisdem retentis melius &, perfectius est opus quod fit sub voto quàm quòd fit sine voto scilicet in eodem genere actionis & cum equali feruore charitatis. Esto etiam quòd illud sit melius quando in valde modico ista se excedunt, quandocunque tamen ista multum se excedunt, melius faciũt opus & perfectius illi qui opus perfectionis multæ faciunt sine voto quàm illi qui faciunt minus perfectum cum voto, puta de genere operis in virginitate & martyrio vt dictum est. De deuotione autem operantis puta si religiosus dicit horas in tepida deuotione, secularis autem in multum feruente melius est & perfectius opus secularis in hoc quàm religiosi. Vnde non bene distinguit quãdo pro eodem accipit votum & deuotionem. In proposito autem dico quòd reuera si prælati vouerent sicut fecerunt apostoli, perfectiores essent quàm nunc sunt, sed non in perfectiori statu etiam si status eorum ex debito requireret votum, quia si non requireret status eorum votum nisi ex congruo, non esset status eorum ex hoc imperfectior neque in se, neque vt ab illis obseruatur, licet ipsi essent ex hoc imperfectiores.

Sed quocunque modo in hoc res se habeat, dico quòd status prælatorum inquantum ordinantur ad seruandum ipsum, &, quo ad illud ad quod ordinantur ad seruandum de eo, perfectior est etiam sine voto, & similiter opera illorum quæ competunt eis ratione status quàm quæcunque opera religiosorum quæ competunt eis ratione status, & quàm status eorum etiam sub voto quocunque, etiam si prælati nullo modo vlla obligatione astringerentur ad opera status sui exercenda, quòd tamen falsum est secundum prædicta.

Quòd declaro primò ex ratione & conditione ipsius prælati cuius est exercere opera congruentia statui. Secundò ex ratione &, conditione ipsius status. Tertiò ex ratione & conditione

operum

operum quæ debet exercere ratione sui status.

Secundum vtranque enim rationem intantum excedunt status & opera prælatorum statum & opera religiosorum & nullo modo potest votū illa parificare istis. Primum patet, quia quando aliquis religiosus deductus est ad summum aliquid & perfectum per opera propria religioni, tunc primò est idoneus vt assumatur in prelatum ad exercendum opera prælationis. Debet enim prælatus statim esse in omni genere virtutis excelsus, dicente Cregor. 1 past. 11. Ille modis omnibus debet ad exemplum viuendi prorrahi qui cunctis carnis passionibus moriens iam spiritualiter viuit, qui prospera mundi postponit qui nulla aduersa pertimescit, qui sola interna desiderat. De hoc etiam satis est dictum supra. Hinc dicit Amb. libro de dignitate sacerdotali. Audite stirps leuitica, germen sacerdotale propago sanctificata, duces & rectores gregis Christi. & infra. Hæc nos pmisisse debetis cognoscere vt ostenderemus nihil esse in hoc seculo excellentius sacerdotibus, nihil sublimius Episcopis reperiri, vt cum dignè mostramus quod sumus professione, quòd sumus, actione potius, quàm nomine demonstremus.

Secūdum patet, quia in illo statu casus grauior est, ergo econuerso debet esse perfectus maior, vt etiam dictum est per August supra ex epistola ad Valeriū, hinc dicit Amb. vbi supra. Sicut diximus nihil esse Episcopo excellentius sic nihil est miserabilius si de sancta vita periclitetur, si sacerdos in crimine teneatur, & vt leuius est de plano corruere, sic grauius est qui de sublimi ceciderit dignitate, &c. quia semper optimis permixta sunt pessima. Hinc dicit Grego exponendo illūd Iob. 19. Abstulit coronam de capite meo, libro moral. 14. Caput fidelium non immerito sacerdotes accipimus, quia pars membrorum Christi prima sunt. Corona ergo de capite aufertur cum supernæ remunerationis præmia ipsi etiam deserunt qui in hoc ecclesiæ corpore præesse videbantur, & plerunque ducibus cadentibus latius succumbit exercitus qui sequebatur.

Tertium patet per Grego. dicentem in pastor. cap. 13. Qui ad pastoralis officij magisterium dignè peruenerit, in eo qualiter viuere debeat demonstramus. Oportet nanque vt me tiri sollicitè studeat sub cuius æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est vt cogitatione mundus actione præcipuus, discretus in silentio, vtilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis in contemplatione suspensus, benè agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, secundum quòd singula horum prosequitur in singulis capitulis. Ecce qui talis est &c. in tàm arduo positus quòd talia agere oportet, quomodo erit in operibus potest comparari religiosus? quia supremum in quo religiosus opus suum terminat, tàm ex parte personæ operantis quàm ex parte operis, infirmum debet esse a quo prælatus inchoat. Religionis enim est de imperfectis perfectos facere, & ab operibus imperfectis ad perfectiora perducere, & quasi paruulum lacte nutrire.

Prælationis est iam perfectos in opus perfectius quàm sit opus cuiuscunque religiosi inquātum religiosus est, &c. in agendo & in contemplando inducere. Vt enim patet ex prædictis excellentior est actio prælati quàm contemplatio religiosi. Est etiam eminentior eius contemplatio mixta cum actione quàm simplex contemplatio religiosi. Quomodo ergo solum votum in perfectione religiosum præferre potest prælato, cuius dispositio perfectior, &c. in omnibus maior debet esse charitas &c. deuotio, cum hoc quòd de genere suo maior est eius actio? Ex quo patet vanum esse quòd dicunt, quòd status prælationis exigit meliores inuenire, sed status religionis exigit meliores reddere, quoniam quantuncunque bonum reddit religio, vix sufficit ad prælationis statum, quia, vt iam dicetur: bonus monachus vix erit bonus clericus.

Et iterum status prælationis non solum requirit meliorem inuenire quàm religionis, imò meliorem reddere, quia &c. plus augetur charitas per actionem mixtam cum contemplatione in prælatis, quàm per contemplationem puram in religiosis vt dictum est. Vnde dicit August. super Ioan sermo penultimo. Vis amoris in eo qui pascit oues Christi, in tàm magnum deberet spiritualem crescere ardorem, vt vincat etiam mortis naturalem timorem quo mori nolumus. Et sic licèt perfectius esset perfectum facere quā perfectum inuenire, si inueniens vlterius &c. amplius non perficeret inuentum, sicut est perfectius diuitem facere quàm diuitem inuenire, si inuentus non amplius ditaretur, perfectius tamē imperfectum inuenire &c. multo amplius perfectiorem facere quàm ille prius factus est &c. quàm fieri potuit ab illo qui prius ipsum perfecit quàm ab initio perfectum simpliciter facere, sicut perfectius est diuitem inuentum multo amplius ditare, quàm ditare potuit ille qui ab initio ditauit, quàm ab initio illum ditare simpliciter. Hæc & talia deberent prædicare de prælatis religiosi, quia hoc cederet etiam multum in religionis honorem, quòd scilicet status ille talis & tantus esset, vt inde prælati laudabiles assumantur, & hoc vice versa deberent prædicare prælati de religiosis, dicente August. 12. libro contra Faustum capit. 24.

Quis non videt toto orbe terrarum homines ab operationibus seculi & ire in otium contemplandæ veritatis, & econuerso accipi in

ecclesi-

ecclesiastica necessitate atque ordinati? quibus ministerium Dei castè dispensantibus laudatur &c. a populis illa vita, cuius amore conuersi spem seculi reliquerunt, &c. ex cuius professione ad misericordiam regendæ plebis assumpti sunt, idque agunt in omnibus laboribus suis, vt illa professio quia tales rectores populis dedit, latius &c. clarius glorificetur. Item Hieropymus ad Furiam. Quicquid in monachos dicitur redūdat in clericos, qui patres sunt monachorum. Detrimentum pecoris pastoris ignominia est, sicut eregione monachi illius vita laudatur qui venerationi habet sacerdotes Christi & non detrahit gradui, per quem factus est christianus. Sic ergo statu religionis qui imperfectos & sceleratos recipit vt perfectos faciat, multo perfectior est status qui quantum est ex se non nisi perfectos aut perfectiores recipit, &c. eos perfectiores quantum est ex se reddit.

Obiectio. *Responsio.* Sed dicunt, quòd pluribus intentus minor est ad singula sensus, vt dicit Gloss. super illud Exo. 18. Leuius sit tibi partito in alios onere. Dico quòd illud verum est alijs eisdem retentis in persona intenta pluribus, &c. in alia persona non sic intenta, sed quandocunque eminens excessus est personæ super personam, personæ multum eminenti maior est sensus ad singula & ad plura quàm alteri ad vnum aut ad pauciora, & per hoc melius seruat pacem pecoris &c. innocentiam, &c. cætera quæ seruari debent in homine perfecto, qualis debet esse prælatus.

Aspicimus enim in his dictis & in determinatione nostra non ad prælatum quem talem esse in ecclesia cognouimus (forte tamē multi sunt tales Deo noti, licèt hominibus incogniti) sed qualem nobis depingimus non vana curiositate sed solida ratione describendo qualis debet esse prælatus &c. in primo ordine &c. secundo respectu religiosi supremi in suo ordine, respectu quorum debet attendi comparatio penes prę minentiam. Quod enim melius est in melius disposito, hoc est melius simpliciter. Sicut enim intendere oportet ex secundum naturam habentibus quod magis est natura, &c. non in corruptis &c. pestilentibus secundum naturam, vt dicit Philosophus in primo Politicæ & habitum est supra, sic oportet intendere ex secundum perfectionem habentibus quod magis est perfectum, &c. non in corruptis & pestilentibus.

Esto ergo quòd prælati qui non videntur in ecclesia tàm Episcopi quàm sacerdotes corrupti vita & pestilentes sint moribus & scientia, quòd absit, & econuerso religiosi qui modo sunt in ecclesia sint in omnibus perfecti, fatuum est valde ex talium comparatione comparare inter se status & opera propria statuum secundum perfectionem maiorem & minorem, qualem comparationem quidam nituntur introducere, & quibusdam apparentijs ex prælatis & religiosis secundum conuersationem quæ modo communiter videtur in ecclesia, mentes hominum obumbrare, vt credere faciant statum religiosorum & eorum opera esse perfectiora quàm statum prælatorum, & quàm possent esse eorum opera si tales essent quales esse deberent, ad quales aspiciunt sancti non ad pestilentes, similiter ad religiosos tales quales esse deberent non autem ad pestilentes si qui tales sint inter illos Quod patet ex comparatione Ioannis Chrysostomi quam facit inter illos vbi dicit in suo dialogo intitulato de dignitate sacerdotali.

Si talem (inquit) mihi aliquem adducas monachum, qualis vt secundum exaggerationem dicam, Helias est, is quandiu solus est si non perturbatur, neque grauiter peccat, quippe qui non habet quibus stimuletur atque exasperetur, non tamen illi comparandus est qui traditur populis, &c. multorum ferre peccata est compulsus, immobilis perseuerans &c. fortis. Et si quis mihi proponeret optionem, vbi mallem placere in officio sacerdotali an in solitudine monachorum, sine comparatione eligerem illud quòd prius dixi. Et constat ex dictis eius quòd causa hoc eligendi eadem est in sacerdotibus curatis & Episcopis ne dicatur quòd tantùm loquitur de Episcopis.

Vnde quando prælati tales erant quales esse debebant, prædicta doctrina non pullulabat, sed modo appropinquante mundi termino, quando vt dicit Hieronymus ad Nepotianum, iuxta prophetam Zachariam, stultus pastor esse cępit, & sapientia decrescente refrigescit charitas multorum, pullulare videtur, cui quantum in nobis est, resistere debemus quandiu poterimus Quia secundum quòd dicit Augustinus ad Aurelium, nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam monachos subigimus, & tam graui contumelia clericos putamus dignos, in quorum numero sumus, si scilicet vulgares de nobis iocabūtur dicentes, malus monachus, bonus clericus, & tamen aliquando bonus etiam monachus vix bonum clericum faciat.

Propter quòd Beatus Hieronymus docēs monachos debere obtemperare a studio talis doctrinæ, dicit in Epistola ad Rusticum monachum. Moyses vt præesset populo Iudæorum 40. annis eruditur in eremo, pastor ouium hominum factus est pastor. Hoc dico vt si clericatus te titillat desiderium, discas quòd possis docere, ne miles antequàm tyro, ne magister antequàm discipulus sis. Non est humilitatis meæ iudicare de cęteris, & de ministris ecclesiarum sinistrum quicquam dicere, habeant illi ordinem & gradum suum, in solitudine citò subrepit superbia, & si parum ieiunauerit putat se alicuius esse momenti, & iudicat alienos seruos, nullum veretur,

omnes

omnes inferiores putat &c, inter fratres simulat verecundiam qui platearum turbis colliditur. Idem ad Marcum presbyterum. Pudet dicere de cauernis cellularum, damnamus vrbem, in sacco &c, cinere volutati de Episcopis sententiam ferimus quid facit sub tunica pœnitentis regius animus? Idem ad Heliodorum. Absit vt quicquam de his sinistrum loquar, qui Apostolico gradui succedentes Christi corpus sacro ore cõficiunt, per quos nos etiam Christiani sumus, qui claues regni cœlorum habentes quodammodo ante diem iudicij iudicant, qui sponsam domini sobria castitate conseruant, cleri oues pascunt, &c, ego pascor; mihi ante presbyterum sedere non licet, illi si peccauero licèt tradere me sathanæ. Quòd si te ad eundem ordinem pia patrum blandimenta sollicitant, gaudebo de ascensu, timebo de lapsu. Non est enim facile stare loco Pauli, tenere gradum Petri, iam cum Christo regnantium. Monachus si ceciderit orabit pro eo sacerdos, pro sacerdotis lapsu quis rogaturus est? Idem ad Nepotianum. Esto subiectus Pontifici tuo &c, eum quasi animæ parentem suscipe.

Quòd Aaron & filios eius, hoc Episcopum & presbyteros nouerimus. Si igitur talia dixit tantus religiosus, & ita est in rei veritate, immò quia ita est, qua fronte audet quis modernorum religiosorum (inter quos non tam sunt clerici quàm laici, quorum status non est melior ex hoc quòd sunt laici) statum religiosorum qui de iure communi deberẽt esse oues de parochijs &c, cura presbyterorum, aut opera eius inquantum sunt religiosi equiparare, &c, quòd maius est præferre statui &c, operibus prælatorum inquantum prælati sunt, & dicere quòd multi prælati in morte vellent fuisse religiosi? Quod nequaquam verum est aspiciendo ad bonos prælatos qui vixerunt secundùm quòd status eorum requirit.

Obiectio. Sed dicunt aliqui quòd beatus Gregor. hoc confessus est de seipso, dicens in primo Dialog. Infelix animus meus occupationis suæ vulnere pulsatus meminit qualis in monasterio aliquã do fuit &c, at nunc ex occasione curę pastoralis hominum sæcularium negotia patitur, &c, post tam pulchram quietis suæ speciem terreni actus puluere fœdatur, cunque se pro condescensione multorum ad exteriora spargit, etiam cum interiora appetit, ad hæc proculdubio minor redit. Et ideò dicunt, quòd status religionis aliquo modo dici potest perfectior, quàm status prælationis, scilicet propter maiorem distractionem prælatorum &c. vt dictum est.

Responsio. Sed dico, quòd reuera animus prælati assumpti ex religione, dum amaritudinem sentit actionis, cum quadam tristitia rationis inferioris disturbatæ recordatur quietis religionis. Disturbationem autem ex amaritudine actionis appellat fœlationem quæ pœnæ est non culpæ, quæ etiam si intelligatur aliqua parua culpa venialis, non propter hoc debet eũ pœnituisse status sui, quia illa stat cum augmento charitatis. Quod autem additur, quòd animus prælati ad interiora contemplationis minor redit: Dico quòd hoc verum est in principio, quia mœror a disturbationẽ interiori non statim pacatur, & ideo retrahitur ratio superior cuius est diuina contemplari, postmodum tamẽ pacata illa altius in diuinorum contemplatione eleuatur vt dictum est per eundem.

Et sic bonus & idoneus prælatus non debuit in morte voluisse fuisse religiosus aut vixisse secundùm statum religionis, & non secundùm statum prælationis, nisi forte ratione timoris fugiendo ne forte non benè exercuisset ea quę pertinent ad officium prælaturæ, attendendo illud Apostoli. Nihil mihi conscius sum, non tamen in hoc iustificatus sum, &c, dicendo illud Iob: Verebar omnia opera mea. Super quo dicit Gregor. Quia culpę subreptio in virtutis actu vix vincitur. Et sic quantuncunque prælatus benè laborauit, tamen quia in statu prælationis propter arduitatem status & operis plus incertus est de perfectione operis, ideò fortè prælatus bonus in morte voluisset fuisse religiosus, vel in statu religioso mortuus fuisse. Vnde super illud quòd statim sequitur in Iob: Quare frustra laboraui, dicit Gregor. Hoc dicit non quòd eum laborasse pœniteat, sed quòd incertum se esse de præmijs & inter labores dolet.

Sic ergo si prælatus bonus potius velit mori religiosus, hoc non est quia pœnitet eum laborasse in prælatione & dimisisse quietem religionis, sed quia plus incertus est de præmio, & hoc non propter maiora, quæ in statu religionis creditur se sibi procurasse, quàm in statu prælationis, si eum bene administrasset, nec propter maiorem innocentiam, aut puritatem, aut custodiam nec quia actus purioris & superioris contemplationis est in eis, nec quia circa Deum in se versatur eorum actio & cętera huiusmodi accidentalia perfectioni generandæ circa imperfectos, sed solùm propter maiorem securitatem de merito ratione status inferioris in religione & actuum eius & modum viuẽdi in ipso, quàm in prælatione propter eminentiam eius &c, difficultatem actuum eius, & modum viuendi in illa. Et sic illud quòd inducere putant pro se, omnino est contra eos.

Religiosi an sint holocausta. Quod addũt quòd religiosi sunt holocaustum quod totum comburitur, prælati verò sacrificium quòd pro parte reseruatur: Dico quòd prælato petunt ratione status eius aliqua ex parte personæ suę, quædam verò ex parte operum. Ex parte personæ secundùm prædicta competit ei perfectio omnimoda perfectio, &c, puto quòd ex insti-

institutione prima status requiritur in eo quòd sit talis, quia requirit quòd sit perfectus ad idoneam officij sui executionem. Et dicit Hieron. in Epist. ad Heliodorum. Perfectus seruus Christi nihil præter Christum habet, & si præter Christum habet perfectus non est. Et infra. Igitur clericus qui in Christo seruit ecclesiæ, interpretetur primum vocabulum suum &, nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur, cleros enim græcè sors latinè appellatur; propterea enim vocantur clerici vel quia de sorte Dei sunt vel quia dominus ipse sors id est pars clericorum est. Qui cum Propheta dicit, Pars mea dominus, nihil extra dominum habere potest, quòd si quippiam aliud habuerit præter dominum, pars eius non erit, verbi gratia, si aurum vel argentum & cætera huiusmodi. Si autem ego pars domini sum &, quasi leuita & sacerdos viuo de decimis, & altario seruiens altaris oblatione sustentor, habens victum &, vestitum his contentus ero & nudam Crucem nudus sequar.

Si igitur comparet se religiosus tali prælato propter vota, eisdem constringitur prælatus sicuti &, constricti erant Apostoli, vt enim de vno illorum dicit Hieron. ad Demetriadem, Apostolici fastigij est perfectæque virtutis vendere omnia & pauperibus distribuere, & sic leuem atque expeditum cum Christo ad cælestia subuolare, & sic in hoc nulla est prærogatiua religioso.

Quòd autem prælati ex dispensatione secundùm prædicta modo votum paupertatis non faciunt, in hoc benè diminuitur de eorum perfectione personali, & etiam ab ipsis status diminutè obseruaretur si votum esset de institutione, hoc tamen non obstante pro tanto quòd obseruarent de statu ipsi perfectiores essent, & in statu perfectiori quàm quicunque religiosi. propter illud enim non est status in se imperfectior. &, quo ad hoc respectu religiosorum benè sunt sacrificium &, illi holocaustum. Et secundùm hanc sententiam procedit allegoria Gregor qui dicit sacrificium illos qui bona temporalia benè disponsant partem dando pauperibus, partem vero sibi reseruando, quemadmodum sacerdos legalis partem sibi de sacrificio reseruauit & partem Deo obtulit. Dicit autem illos holocaustum qui nihil sibi reseruant sed omnia dimittunt, quia de holocausto sacerdos nihil sibi reseruabat, sed totum Deo comburebatur. Nec in hoc prælati modo tenent locum Apostolorum secundùm quòd 12 quæstio. prima in capit. Videntes, super illo verbo.

Tenent locum Apostolorum, dicit Gloss. Episcopi tenent locum Apostolorum quo ad dignitem: Monachi quo ad remotionem propriorum & communem vitam. 16. quæstio. prima. Ex auctoritate, Omnes sacerdotes quo ad sacramentorum dispensationem 11. quæst. 3. Absit. Quo ad votum autem castitatis & obedientiæ æqualiter obligantur cum religiosis quantum pertinet ad officium.

Ex parte autem operum requiritur quòd prælatus opera perfectiora agat quàm religiosus & quæ sunt vitæ actiuæ & quæ sunt vitæ contemplatiuæ, &, hoc siue ad statum prælationis ex prima institutione sua requiratur votum siue non. Et ideò cum hæc opera sint essentialia prælato ratione status per se, ad quæ etiam prælati modo exequenda astringuntur: Dico quòd ratione talium operationum prælatus magis comparatur holocausto, & religiosus sacrificio. In sacrificio enim vt dicit Gregor. pars pecudis, in holocausto autem totum pecus offerti consueuerat. Cum enim aliquid suum Deo vouet sacrificium est, cum verò omne quòd habet vouerit, holocaustum est, nũc autem prelatus se totum offert, quia & vitam ad seruitium, & mortem ad supplicium quandocunque fuerit opportunum. Religiosi autem non dant ex voto nisi vitam ad seruitium, &, hoc non publicum vt prælati quòd est maius: sed priuatum quòd est minus, & ita non dant nisi id quòd est pars illius maioris, eius scilicet quòd dant prælati.

Vnde prælatis benè competit illud Psalm. 68. Zelus domus tuæ comedit me, propter enim nimiam charitatem qua prælatus diligit Deum, non enim in seipso vt religiosus, sed etiam in proximo, zelum habet non solùm Dei, quem solùm habet religiosus respectu prælati: sed etiam domus Dei id est ecclesiæ, & iste zelus eum totaliter & in vita & in morte consumit, quia in vita per ipsum seruit corrigendo, increpando, & huiusmodi opera exercendo, & morti finaliter se exponit vt per hoc sit totum incensum, holocaustum autem incensum dicitur quasi incendio consumptum.

Vnde &, de hac consumptione subditur in Psalm. Et opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me id est secundùm August. quia perfecutus sum iniquitates quia corripui, quia flagellaui in templo male versantes Item sacrificium solet in aquis decoqui · holocaustum solet igne assari Religiosi etiam quia in mollitie contemplationis quasi in humido & in calore obtuso decoquuntur, sacrificium sunt. Prælati autem qeia in ardore tribulationis quasi in igne & calore acuto comburuntur, propriè holocaustum sunt. Et sic fit allegoria contra allegoriam, vna pro religiosis contra prælatos inquantum non renunciant omnibus, alia pro prælatis contra religiosos inquantum religiosi non exercent tantę perfectionis opera.

Sed adhuc contra primum dicunt quòd religiosi vouentes se Deo, parati sunt quantum in se est semper subire martyrium, & ad hoc semper

Respon

Replica sio.

per habent animum paratum magis quàm prelati ex feruore charitatis maiore quàm habent ex contemplatione, quàm prelati ex sua administratione. Sed quia martyrium prouenit ab extrinseca occasione quę prelatis ratione status sui occurrit: & dat eis materiam martyrij sustinendi, ideò prelatis potius incumbit animam suam ponere pro domo Dei quàm religiosis. Nihilominus tamẽ quia parati sunt animo, propterea quòd amittunt in materiali, scilicèt in exteriori exercito, recuperant in formali scilicèt in impenso desiderio. Et preterea (vt dicunt) obligati sunt ad mortem spiritualem quę est vita claustralis, cuius sustinẽtia pp̃ sui diuturnitatem videtur equiparari sustinentię mortis temporalis. *Responsio.* Sed dico, quòd si religiosus inquantum religiosus quocunq; tpe debet animum habere paratum ad sustinendũ pro Deo & pro domo Dei martyrium, hoc non habet ratione voti, sed ratione charitatis ad Deum & ad proximum simpliciter: ad hoc enim tenetur etiã quilibet laicus, licet plus religiosus quàm laicus: prelatus autem ad hoc tenetur ex eadem causa & plus quàm religiosus: quanto plus debet esse perfectus in propria persona, & quod amplius est ex prelationis officio ad quod obligatus est, primus debet se ad martyrium pro alijs offerre cum opus fuerit, primo Past. c. 9 Qui Episcoparum desiderat bonum opus desiderat, illo in tẽpore dicitur, quo quisque qui plebibus preerat, primus ad martyrij tormenta adducebatur, tunc fuit laudabile Episcoparum querere, quando per hunc quemquam dubium non erat ad supplicia grauiora peruenire. Sicut autem tunc propter occasionem prelatus prior erat ad martyrium de facto, ita adhuc prior debet esse de iure, quod multo precellit quantum ad perfectionem status & personę & operis sui quam quicquid religiosus habet in se ex animi deuotione aut ex voto quocũque: quanto amplius est & difficilius pro salute aliorum vitam ponere, ad quod pro tempore prelati obligantur, quàm temporalia dimittere & castimoniam seruare, & ideò omninò perfectior illis iudicandus est non solum sicut in se perfectus existens, sed sicut exemplo & facto alijs perfectionem tribuens. Vlterius autem sicut dicunt religiosi se esse paratos affectione & charitate animi quantum est in se ad martyrium, & per hoc in nullo diminui a perfectione prelatorum; Dico ꝙ falsum est: bonus enim prelatus maiorem feruorem charitatis hausit ex contemplatione quàm religiosus, & etiam magis eius augmentum ex sua administratione quàm ille ex sua contemplatione: vt patet ex dictis. Quod autem additur qd mors spiritualis diuturnitate equiparatur morti corporali: Dico quod falsum est, sicut nec diuturnitas virginitatis obseruatę secũdum Aug. potest equiparari martyrio. Sic è contra potest dici de prelatis, quòd ex obligatione qua prelaturam assumunt tenentur etiam tempore opportuno pro subditis omnia temporalia dimittere & eis ipsos pascere, dicente Grego. in Homel. super illud Ego sum pastor bonus. Audistis (inquit) fratres charissimi eruditionem vestram & periculũ nostrum, & infra. Ostensa est nobis de contemptu mortis via quam sequamur, primo exteriora nostra misericorditer omnibus impendere, postremo verò si necesse est mortem pro eis debemus ministrare.

Et sic ex obligatione habent prelati propriorum dimissionem, sicut & mortis perpessionem, & ideò omninò potius sunt holocaustum quàm religiosi. Vltimum autem quod ponũt ist in dicto suo, quòd tunc prelati essent Deo holocaustum, si per obedientiam nihil facerẽt nisi de consilio confessorum suorum, hoc reuera est valde absurdum. Per hoc enim dictum ad hoc quòd Dominus Papa mereretur dici holocaustum & esse in statu perfectionis equali religioni, oporteret quòd in omnibus esset sub obedientia confessoris sui, quod penitus falsum est & absurdum, non enim tenetur obedire prelatus suo confessori in alijs quàm in quibus se accusat in confessione. In omnibus autem alijs quæ contingunt & sunt facienda extra confessionem ipse confessor tenetur obedire ipsi prelato. Per dicta patet ad primum. Quod arguitur vlterius, quòd licèt prelati sint in statu perfectionis, religiosi tamen sunt in maiori, hoc omninò est falsum. Ad secundum, quòd status religionis magis assimilatur omninò perfecto statui vt beatorum, ergo &c. Dico quòd falsum est, quoniam secũdum predicta prelatorum status non solum est actionis: sed & perfectionis contemplationis quàm sit contemplatio religiosorum. Sed quòd amplius est, si in ipsis compare mus opus contemplationis & actionis inter se quantum ad statum presentis vitę, preferenda est actio in prelatis cõtemplationi, quia per actionem offert Deo sacrificium animarum aliorum ipsos ad statum salutis perducendo, & suam propriam in ea meritum maioris salutis acquirendo quàm esset acquisiturus in contemplatione sola persistens, & quod maioris meriti est tali, est maioris meriti simpliciter, & sic simpliciter actio melior est quàm contemplatio etiam in eodem prelato. *Ad secundum.*

Sicut enim status contemplationis religiosis est essentialis & ordinatur finaliter pro vita ista ad statum actionis prelatorum inquantum ille est status perfectionis acquirendę & exercendę quo ad contemplationem inferioris gradus, status autem prelatorum est status perfectionis acquisitę in contemplatione religionis exercendę in statu prelationis, sic contemplatio prelatorum finaliter ordinatur ad actionem eorundem, in qua finaliter oportet eos mori si opus est, & dimittere omnem contemplationem pro-

pter actionem, quemadmodũ oporteret si opus esset Philosophum, & benè contemplatiuũ descendere ad politicum regimen, & mori pro defensione illius, vt dictũ est supra, quod opus est maximæ charitatis, quia maiorem charitatem nemo habet &c. In charitate autem consistit radix meriti. Et tunc ad formam argumenti, quod similius meliori, melius est. Dico q illud intelligitur quando est similius in meliori, aliàs non, quemadmodum simia licèt sit similior homini quàm equus ex parte corporis, quod non est melior pars in homine, non ex hoc oportet, quòd simia sit melior equo.

Ad formã argumẽti.

Consimiliter in proposito, quando dicitur q̃ status religiosorum contẽplatiuus similior est statui beatorum contemplatiuo. Dico q̃ status beatorum perficitur in contemplatione, quæ continet in se notitiam pertinentem ad intellectum, & amorem pertinentem ad voluntatem, in quibus melior est amor, q̃ notitia, vt aliàs exposuimus. Nunc autem, q̃ status iste contemplatiuus religiosorum sit similior statui contemplatiuo beatorum, hoc est ratione cognitionis, quia scilicet contemplatio clarius noscit Deum, quàm actio, quod signat Lya, quæ fuit lippa oculis, & Rachel quæ fuit clara, secundum Grego. Ratione autem amoris magis illi assimilatur actio, quæ procedit ex maiori charitate secundum prædicta, & quod amplius est vita prælatorum ratione contemplationis eorũ, quæ lympidior est finaliter post actionem, licèt non sit ita lympida, siue pura in principio secundum prædicta sicut cõtemplatio religiosorum, secundum prædicta magis assimilatur contemplationi beatorum quantum ad cognitionem, quàm faciat contemplatio religiosorum. Et sic omnibus modis status prælatorum magis assimilatur statui beatorum, & ideò simpliciter melior est & perfectior.

Quod autem subditur in argumento quòd cõtemplatio præsens est quædam inchoatio contẽplationis futuræ: Dico adhuc amplius exponendo iam dicta, quòd similitudo aliquorum duplex est, quædam secundum genus: quædam secundũ speciem. Contemplatio autem præsens similis est futuræ secundum genus, non autem secundum speciem, quia aliud genus contemplationis omninò est contemplatio præsens & aliud futura, quia præsens contemplatio consistit in quadam intellectuali cognitione quæ superior est fide, semper tamen innixa fundamento fidei, quę omninò est aliud genus cognitionis quàm sit visio aperta, quæ fidem euacuat, vt patet ex dictis supra in quæstione secunda. Et secundum hoc dico quòd præsens contemplatio inchoatio est futuræ secundum aliud genus contemplationis & perficienda secundum aliud. Dico inquantum est sermo de perfectione quæ est in aperta visione, licèt fortè intellectualis cognitio in præsenti manebit perficienda, etiam secundum idem genus cognitionis in futuro. Quando autem aliquid perficitur alio secundum aliud genus perfectionis & sic illi fit similius, non oportet quòd propter hoc sit melius illo, quod non perficitur per illud, immò benè potest esse in præsenti maioris meriti ipsa actio secundum prædicta. Vnde sicut Augustinus exponendo illud, Sic eum volo manere, dicit. Inchoata contemplatio &c. sic exponendo illud quod præcedit, Tu me sequere; dicit. Perfecta me sequatur actio informata meę passionis exemplo; Multo autem plus est sequi Christum perfecta actione quàm manere in inchoata contemplatione, & maior est perfectio in illo sequi quàm in isto manere. Propter quòd & Christus verbo & exemplo hortatus est ad se sequendum per tolerantiam eorum quæ pertinent ad vitam actiuam, non autem ad se imitandum per permanentiam in contemplatione vitæ præsentis sic hortatus est. Vnde & Christi vita in præsenti principalis magis fuit actiua quàm contemplatiua, propter quod status ad quem principaliter pertinet actio, potius imitatur exemplum vitæ Christi, quàm ille ad quem principaliter pertinet contemplatio; Vnde de Christi vita actiua dixit Petrus, Christus pro nobis passus est vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Non autem sic dixit, Vobis cõtemplatus, &c. licèt vtraque Christi vita nobis sit in exemplum proposita etiam coniugatis dicente Hieronymo ad Cellantiam coniugatam. Eligatur tibi opportunus & aliquantulum a familiæ strepitu remotus locus, in quem tu velut in portum quasi ex multa tempestate curarum te recipias, & excutiens foras cogitationum fluctus secreti te tranquillitate componas, tãtùm ibi sit diuinæ lectionis studiũ, tam crebrę orationum vices, tam firma ac pressa de futuris cogitatio, vt omnes reliqui temporis occupationes hac vacatione compensęs. Nec hoc ideò diximus quo te a tuis retrahamus, immò illud egimus, vt ibi discas ibique mediteris qualem tuis præbere te debeas.

Ad tertium quòd per opera vitę contẽplatiuæ perficitur homo in amore Dei: per opera verò actiuæ in amore proximi, ergo &c. Dico quòd vita prælatorum secundũ prædicta mixta est, quæ licèt inquantum est actiua principaliter perficit in amore proximi, inquantum tamen est contemplatiua perficit in amore Dei. In quo etiam magis perficit contemplatiua prælatorum quàm religiosorum, inquantum requiruntur esse perfectiores. Etiam in ipsis prælatis magis perficit ipsos in charitate ipsorum actio, quàm eorum contemplatio, vt iam dictum est.

Ad tertium.

Ad quartum.

Quare simpliciter actio prælatorum plus perficit in charitate, quàm quæcunq; contemplatio huius vitæ, & ideò pro statu huius vitæ maior est vitæ merito, Licèt enim diligere Deum ex

electione

electione secundum se & ex suo genere maioris sit meriti quàm ex electione diligere proximũ, diligere tamen proximum ex necessitate coactionis pro tempore huius vitæ, maioris est meriti quàm diligere Deum in se, quia quòd sic aliquis diligit proximum hoc procedit ex nimio amore &, quo homo diligit Deum in se & quo Deus diligit hominem quo vult se diligi ab homine non solum in se, sed etiam in proximo, & quòd amplius est cum necessitas coactionis occurrit, magis vult quòd diligamus eum in proximo quàm in seipso. Propter quod dicit Grego. primo Pastor. capit. 17. Sit rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus &c. vsque ibi. Quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit: cum ad ima proximorum se miserabiliter trahit, &, dum benignè descendit ad ima, valenter recurrit ad summa. Ex quo patet quòd falsum est dicere, quòd puri contemplatiui magis cognoscant Deum, & magis delectentur in Deo: & magis in eius amore crescant. Vnde &, illi qui nituntur contemplatiuam, vitam simpliciter præferre actiuæ, dicunt, Potest tamen contingere quòd aliquis in operibus vitæ actiuæ plus meretur, quàm alius in operibus vitæ contemplatiuæ, puta, si propter abundantiam diuini amoris, vt eius voluntas impleatur, ad ipsius gloriam interdum sustinet ad tempus se a dulcedine diuinę contemplationis separari, sicut dicebat Aposto. ad Roma. 9 Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.

Quod exponens Chrysost. in lib. de Compunctione, dicit. Ita totam mentem eius demerserat amor Christi, vt etiam hoc quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat scilicèt esse cum Christo, rursus id ipsum quia ita placeret Christo, contemneret. Iste autem qui sic in operibus actiuæ plus meretur, non est, vt patet ex dictis, nisi qui coactè ad actionem accedit, qualis non est religiosus inquantum religiosus, maximè secundum illum qui dicit quòd religio a descensu tali etiam erga parentes absoluit. Quod autem sic coacto est melius simpliciter est melius, vt similiter patet ex dictis & ideò in hoc simpliciter melior est vita actiua.

Ad quartum quòd perfectior est status Philosophi quàm principis, Dico quòd hoc est verum secundum opinionem erroneam Philosophorũ, qui non ponebant spem habendam alterius vitę: &, hoc pro tempore quo non erat opus se morti exponere pro republica, in quo secundum prædeterminata oporteret conuenire Philosophum cum Principe. Ponendo tamen secundum fidem spem vitę futuræ &, quòd tota vita ista se habet in ratione meriti respectu alterius vitæ multo perfectior est pro tempore huius vitæ status principis coacti ad principatum, quàm status Philosophi, licèt melior & perfectior esset status Philosophi quàm Principis non coacti, vt patet secundum prędeterminata, accipiendo hoc nomen Principis communiter, vt scilicèt cõtinet sub se nomen prælati, qui magis perfectus esse debet quàm Princeps proprie dictus, sicut etiam est superior illo.

Ad quintum ꝙ status consiliantium est perfectior q̃ bellatorum, ergo &c. Dico quòd hoc non valet ad propositũ, quia status consiliantium pertinet ad vitam actiuam, eo ꝙ bella non prosunt nisi consilio regantur. dicẽte Tullio ibidem. Omninò illud honestum ꝙ ex animo excelso & magnifico quærimus animi efficitur non virib. corporis. Exercendum tñ corpus & ita afficiendum vt obedire consilio rationiq; possit in exequẽdis negotijs & in labore tolerando. Honestum autẽ illud ꝙ exquirimus, totũ positum est in animi cura & cogitatione. Fortis autẽ & constantis animi est non perturbari in reb. asperis, sed animo vti & consilio, nec a ratione discedere Temere.n. in acie versari & manu cum hoste confligere immanũ quiddam & belluarũ simile est. Sed cum tps necessitasq. postulat decertãdũ manu est, & mors seruituti turpitudiniq anteponenda. Et sic illud dictũ Tullij assumptũ in argumento benè haberet locum in qõne circa vitam actiuã, cuius quædam actio est interior in anima circa dispositionẽ agibilium. quædã exterior circa dispositorum executionẽ quę illarũ est melior & perfectior. Et est dicendũ ꝙ illa quæ est interior, quemadmodum architectonici meliores sunt & digniores in artificialibus q̃ manuartifices, vt dicit Philosophus in primo Metaphys. Ad sextũ ꝙ religionis ingressus absoluit ab omni voto, nõ sic assumptio curæ: Dico ꝙ huius rõ est qa in malè dispositis secundum prædicta facilius indulgetur descensus q̃ ascensus licet in benè dispositis è contrario facilius admittitur ascensus q̃ descensus vt habitũ est supra. Et ideò ẽt in malè vel in diminutè dispositis facilius conceditur transitus ad inferiorẽ statum q̃ ad superiorem. Quare cũ vota alia a religione sint pręcipuè pp infirmitatẽ culpæ præteritæ vt emendetur, vel pœnæ ne in culpã descendatur, vel vt in bono diminuto proficiat, in religione aũt melius corriguntur delicta & facilius quã extra. secũdũ Ansel. de similitudinib 44. & 45. c. ibi ẽt magis cauetur ab infirmis ne in peccata incidant, & vota diminuta in illa cõplentur, vt propterea status religionis respectu omnium aliorũ votorum licèt sit superior respectu illorũ, adhuc tñ magis supra est status rectorum, propterea igitur facilius permittitur vt alia vota absoluantur per ingressum religionis q̃ per curæ susceptionẽ. Et hoc etiam illa de causa præcipuæ, quia status rectorum est iam perfectorum, status autem religionis quo ad intrantes est potius status imperfectorum, quales præsumuntur isti qui sunt alijs votis irretiti, vt patet ex dictis.

Ad septimum. Ad septimum quòd status prælatorum est magis periculosus &c. Dico quòd semper securum est magis eligendum periculoso, & ita melius dispositò diminutè & etiam benè dispositò cũ non vrget necessitas nec eminet magnum emolumẽtum. Sed cum necessitas vrget & homo est benè dispositus & eminet magnum emolumentum, maius est eligendum & melius & magis periculosum, vt in proposito cum homo est benè perfectus & populus indiget & ipse cogitur ad prælationem &c. magnum eminet emolumentum, ideò &c. Supponit etiam argumentum, quòd esset periculum sine emolumento propriè, quasi religio esset simul magis meritoria & magis secura quàm prælatio, quòd falsum est, vt ex prędictis patet.

Ad octauũ Ad octauum quòd contemplatio est opus magis spirituale, ergo est opus melius: Dico quòd verum est nisi opus corporale propter necessitatem coactionis & propter communem vtilitatem assumeretur sicut debet assumi prælatio, vt patet ex prædictis.

Ad nonũ. Ad nonum quòd in Angelis contemplantes sunt superiores præsidentibus, Dico quòd verum est, quia status illos habent Angeli vt quibus remunerantur, & sic vt considerantur contemplatio & actio secundùm substantiam, status autem illos habent homines viatores vt quibus merentur, propter quòd licèt illis consideratis secundùm substantiam suam status contemplationis semper est superior & in hominibus &c. in Angelis, vt patet ex supra dictis tamen quo ad vsum actuum &c. rationem merendi per illos multò superior est status actionis in prælatis quàm contemplationis siue in religiosis siue in prælatis, vt patet ex prædictis.

Comment. in Quæstionem XXIX. quæ est;

Vtrum Status Prælatorum maior sit, & perfectior, quàm status Religiosorum.

IN titulo not, quòd ly maior intelligitur de quantitate virtutis, non autem molis, &c. est synonimum ad ly perfectius.

Not. quòd proponitur hæc quæstio ob difficultates, quæ circa minores Prælatos videntur esse; sunt autem minores Prælati, qui sub se alios Prælatos habere non videntur, vt sunt Curati, maiores verò, vt Episcopi. In hac autem quæstione parum quid scribere debemus, quando Auctor posita solum ratione ad suam partem, qua tenet, quod etiam eorum status sit perfectior, respondet obiectionibus, vt apertissimè patet; solutionibus autem nihil addere volumus, nè prolixæ quæstioni prolixam addamus tractationem, fortè non necessariam: satis si quidem clarè loqui videtur Auctor.

QVAESTIO XXX.

Vtrum excommunicatus pro contemptu vero ab officiali non sacerdote, post absolutionem ab eodem in forma ecclesiæ ab excommunicatione teneatur petere absolutionem pro eodem contemptu à suo sacerdote.

Arg. principal. CIrca octauum arguitur, quòd excõmunicatus pro vero contemptu ab officiali non sacerdote post absolutionẽ ab eodem in forma ecclesię tenetur petere absolutionem pro eodem cõtemptu a suo sacerdote curato, quia iste nõ obediendo officiali non solùm est inobediens homini: sed etiam Deo, quare sicut pro inobedientia facta homini requiritur absolutio ab homine, ita similiter & pro inobedientia facta Deo requiritur absolutio a Deo, & hoc non nisi per sacerdotem, qui in hoc est loco Dei, ergo &c. Contra. tunc multi essent decepti, quia de tali inobedientia non solet fieri confessio Dico ꝙ excõicatio non est peccatũ, sed pęna medicinalis contra peccatum committẽdũ ne cõmittatur & ne pęna talis incurratur, & etiã contra iam cõmissum vt ipsum celerius emendetur, ita qđ qñ aliquis excõicatur pro contemptu vero hoc nõ est nisi ratione peccati scilicèt omissionis præcepti iudicis, ita quòd etsi non apponeretur excõicatio nihilominus tñ peccatum illud maneret vsque ad veram pœnitentiam, & indigeret contemptor absolutione ab illo peccato. Similiter si excõicaretur pro illo antequam esset pœnitens de illo, similiter maneret obligatus illo peccato, & oporteret illũ de illo pœnitere & ipsum confiteri sacerdoti. Similiter si esset pœnitens ante absolutionem ab excõicatione, dico quòd etiã post absolutionem illam necesse esset eum petere absolutionẽ de peccato. Quod clarũ est qñ officialis est non sacerdos, quia nec clericus non sacerdos sicut nec laicus sacramentaliter a peccato absoluere põt, & perinde esset si esset sacerdos, quia absolutiones illæ duæ omninò diuersæ sunt sicut pœna & culpa a quib. fit absolutio. & secũdũ hoc concedenda est prima ratio hoc probans. Ad secundũ ꝙ tunc multi essent decepti, Dico quod verũ est si ita sit ꝙ non sit consuetum cõfiteri de tali peccato sed ex illis deceptis aliqui benè possunt excusari ex ignorantia secundũ aliquem modorum tactorum in quadam quęstione superius. Propter quod sacerdotes ne sic conẽnentes per ignorantiam vt peccatum huiusmodi non recognoscant decipiantur debent hoc populo suo prędicare & eum in hoc docere, alioquin ipsi merbenè possunt ex tali omissione peccare.

In oppositum. Responsio.

Ad rationem in oppositum.

Com-

Comment. in Quæstionem XXX. quæ est,

Vtrum excommunicatus pro contemptu vero ab officiali non sacerdote, post absolutionem ab eodem in forma Ecclesiæ ab excommunicatione tenetur petere absolutionem pro contemptu à suo sacerdote.



ITVLVS satis clarus. Potest enim accidere vt Vicarius Episcopi sit non sacerdos, & contumacem, atque contemnentem in aliqua causa excommunicet. In corpore est conclusio affirmatiuè respondua quæsito, scilicet quòd tenetur petere absolutionem &c. Probatur per primum argumentum in fronte quæstionis. Probatur insuper sic. Teneretur petere absolutionem si non esset excommunicatus, igitur etiam cum sit excommunicatus, & absolutus. Non quidem à fortiori, quia videlicet excommunicatus, si quidem ipsa excommunicatio non est peccatum, sed pœna peccati, sed qui absolutus est, ac si non esset excommunicatus. Patet antecedens, quia contemptus ille peccatum est. Patet consequentia, quia vnusquisque tenetur petere absolutionem à peccato, à suo sacerdote. Not. illud, qui potestati resistit, Deo resistit. Iam verò officialis huiusmodi potestatem supponitur habere delegatam. Ideò qui illi resistit, Deo resistit, à quo est omnis potestas, id autem peccatum est. Not. amplius illud, quod pariter scriptum est, Qui vos spernit, me spernit. Id autem iudicibus iustis dictum est, siue ordinarijs, siue delegatis; spernere autem Deum peccatum graue est.

QVAESTIO XXXI.

Vtrum confessus priuilegiato teneatur eadem peccata confiteri Curato suo, &c.



TRIA horum, quod est tricesimum primum & vltimum, arguitur multipliciter pro & contra, quia quæstio illa erat per se disputata seorsum, illa ergo quæstio erat, Vtrum confessus peccatum sua priuilegiato priuilegio Domini Martini Papæ quod sic incipit Ad vberes fructus &c. teneatur confiteri eadem suo proprio sacerdoti.

Resolutio quæstio. In hac quæstione nihil intendo nouum dicere, sed solùm explicare quædam quæ alias circa ipsam à me determinata sunt, & motiua quorundam prælatis in ea contrariantium quanti ponderis sint, recipere procedendo in ea secundum hunc modum. Primò enim quædam tacta alias a me, & contra illa illorum responsiones measque defensiones proponam & in generali & in speciali. Secundò contra responsiones eorum ad argumenta 26. inducta contra eos pro prælatis replicabo. Tertiò 16. argumentis inductis ab eis contra prælatos respondebo. Et est aduertendum, quòd vbi aorius procedit disputatio, ex quatuor complexa est. Primò enim ponuntur illorum rationes ad proposita pro prælatis. Secundò ponuntur meæ defensiones ad sustinendum illa proposita contra illorum responsiones. Tertiò ponuntur illorum replicationes contra meas defensiones. Quartò ponuntur meæ tripliationes contra illorum replicationes.

Circa primum ergo primò in generali procedendo, hoc accipio pro fundamento quòd nullus negat & in quo omnes conueniunt, videlicet, quòd verè pœnitens & confessus rite absolutus ab eo qui absolutam habet potestatem absoluendi ipsum, non tenetur eadem peccata sibi confessa iteratò confiteri nisi in casibus. Sed dicunt contrarij quòd casus illi sunt tantùm quatuor qui ponuntur in quadam glossa de Pœnitentia, distinct. prima. Sed dico ego quòd adhuc sunt plures alij, quos cum dictis quatuor alibi sufficienter expoui.

Sed dicunt contrarij, mille ponemus qui sunt in hominis voluntate. Nos autem quærimus hic casum de tentionis necessitate, & non videmus casum præter illos, in quo istud inueniatur. Sed dico, quod vt puto, in scripto meo de hac materia alium casum immò alios viderunt, quos se vidisse dissimulant, sunt enim alij. Iste tamen quem ad præsens quærimus & dicimus contineri in fratrum priuilegio, super quo mota est quæstio, principaliter consistit in hominis voluntate. Ad quorum notitiam & distinctionem, & ampliorem intellectum, sciendum quòd istud duo scilicet teneri iteratò confiteri eadem, & teneri eadem bis confiteri, multum differunt inter se. Quicunque enim tenetur bis confiteri eadem, tenetur iteratò confiteri eadem, sed non è conuerso. Quia cum quis tenetur bis confiteri eadem, obligatio tentionis cadit directe super vtranque confessionem faciendam. Cum verò quis tenetur confiteri iteratò eadem, cadere potest obligatio solùm modò super dictam secundam confessionem, facta prima prius ex mera & libera voluntate, vt iam patebit.

Ad iterato autem confiteri eadem, intelligi potest fieri obligatio dupliciter. Vno modo ex necessitate iuris, Alio modo ex libertate voluntaris. Primo modo nullus (vt puto) hucusque aliqua lege aut statuto est obligatus iterato eadem confiteri, nisi in dictis quatuor casibus expressis in iure, propter quòd illi soli quatuor in iure expressi sunt. An tamen possit esse aliquod statutum ecclesiæ ad hoc obligans quo ad aliquod genus peccati, an videlicet possit ecclesia constituere, quod quicunq; committeret peccatum incestus, bis confiteretur idem, & sic idem teneretur confiteri iterato, licèt forte non posset hoc statuere de quolibet genere peccati vniuersaliter, quia regulariter loquendo iterato confiteri eadē peccata est opus prerogationis & potius consilij quā præcepti, de hoc alibi quod mihi visum est declaraui. Quin autem in casu & sub conditione benè aliquando aliquis obligetur ex statuto ecclesiastico ad bis confitendum idem, puta si quis commiserit peccatum pertinens ad superioris absolutionem, in articulo mortis tenetur illud confiteri suo sacerdoti parochiali & etiam suo superiori si conualescat, neminem puto dubitare.

Secundo modò scilicet ex libertate voluntatis potest aliquis obligari vt teneatur eadem iterato confiteri dupliciter. Vno modo absque alia causa præcedente & inducente necessitatem obligationis. Alio modo antecedente causa alia inducente necessitatem obligationis.

Primo modo potest quicunque se obligare ad bis aut iterato confitendum quæcunque voluerit, quemadmodum potest pluries eadem confiteri absque omni obligatione, ad quòd hortatur August. de pœn. distinct. prima, cap. Quem pœnitet. Secundo autem modo scilicet antecedente causa alia inducente necessitatem obligationis, potest aliquis obligari ad iterato confitendum eadem, dupliciter.

Vno modo quia illa causa alia potest inducere necessitatem obligationis vt causa propter quàm sic. Alio modo quia potest inducere illam necessitatem vt causa sine qua non. Primo modo impossibile est fieri dictam obligationem, quia causa propter quàm sic, omninò contraria est libertati voluntatis. Secundò autem modo possibile est eam fieri, quemadmodum postquā statutum est quòd quicunque facit se promoueri in ordinem subdiaconatus, debet esse continens, si quis facit se promoueri in ordinem subdiaconatus, de cetero necessitate statuti debet esse continens, & similitor prout dicitur in quibusdam religionibus esse constitutum quòd omnes intrantes illas teneantur facere generalem confessionem omnium peccatorum suorum quę vnquàm commiserunt, intrantes ergo voluntariè huiusmodi religionem, statim per ingressum obligati sunt ad iterato confitendum eadem, illa quæ prius scilicet confessi sunt ante religionis illius ingressum. Per hunc etiam modum, intrantes huiusmodi religionem obligari possent ad bis confitendum eadem, si videlicet in ea constitutum esset quòd quicunque professus in eadē, post confessionem primo factam in eadem committeret quodcunque mortale peccatum: de illo confiteretur bis, ad quod tamen nullus obligatur, nisi voluntate mera, qua voluntate huiusmodi religionem intrauit & se ad statutorum illius obseruationem astrinxit, & nullo modo ex statuto, nisi ex causa sine qua non, quia scilicet non esset talis obligatio, si statutum non præcessisset.

Sic dico, quòd in proposito quæstionis nostræ, confessi fratribus virtute solius priuilegij domini Martini Papæ absque licentia suorum sacerdotum, aut confessione illis prius facta, tenentur, ratione statuti generalis. Omnis vtriusque sexus &c. iteratò confiteri suo proprio sacerdoti, confessa fratribus. Et hoc præcipuè propter expressionem illius clausulæ in dicto priuilegio. Volumus autem &c. quæ perfectè saluat dictum statutum Omnis &c. quo ad confessionem faciendam suo proprio sacerdoti. Sine qua clausula, secundum opinionem aliquorum, etiam fratres non possunt absoluere subditos sacerdotum sine licentia eorundem, vt iam infra patebit, exponendo ly Volumus autem. Tenetur autem ratione statuti sic saluati in priuilegio, confessus fratri, eadem confiteri suo sacerdoti, nullo modo vt ex causa propter quam sic, nec per se, nec per accidens, nec directè, nec indirectè, nec absolutè, nec sub conditione: sed solùm modò vt ex causa sine qua non, quia si statutum non fuisset, omninò nulla maneret obligatio ad eadem iterato confitendū. Cuius causa per se & propter quam sic, est confitentis propria & mera atque libera voluntas qua eligit confiteri fratri sciens aut debens scire quòd per illam confessionem factam fratri nō absoluitur ab obligatione qua illa qua confitetur fratri, tenetur confiteri suo sacerdoti. Sed dicunt contrarij, quòd non est simile de continentia, respectu ordinum, & de confessione facienda sacerdoti, respectu confessionis factæ fratri, quia continentia necessariò sequitur ordinem, non tamen confessio facienda sacerdoti, necessariò sequitur confessionem factam fratri. Dico ad hoc, quòd continentia non sequitur ordinem necessariò, nisi propter statutum ecclesiæ, & consimili modo nisi propter statutum illud ecclesiæ. Omnis vtriusque sexus, confessionem factam fratri non sequitur necessariò confessio facienda sacerdoti. Ex quo patet, quòd nec per statutum. Omnis vtriusque sexus, nec per illam clausulam in priuilegio. Volumus autem &c. est impositum per dominum Papam illis qui fratribus confitentur onus graue, immò nec aliquod onus omninò per illa est eis impositum, sed si quòd onus restat

eis post confessionem factam fratri, hoc assumptum est abeis solùmmodò per propriam voluntatem eorum, vt semper dictum & scriptum est a nobis circa hanc materiam.

Mirabile ergo est dicere sicut dicunt contrarij, quòd secundum modum nostrum intelligendi priuilegium fratrum, populo imponitur onus graue & quasi importabile scilicet eadem bis aut iteratò confiteri. Cum appareat ex iam dictis, & ex alias dictis & scriptis a nobis semper, & etiam apparebit infra exponendo ly Volumus autem, quòd hoc omninò falsum est, sicut falsum est dicere, quòd volentibus intrare religionem onus graue impositum est priusquàm intrét eam, eo scilicet quòd multa grauia statuta sunt in religionibus quæ oportet seruare intrantes illas, & ad quæ obligantur, cum tamen non nisi voluntarie eas intrent. Vnde si propter tale onus scilicet de iteratò confitendo eadem sic voluntariè assumptum reprehendatur nostra expositio circa dictum priuilegium fratrum, reprehendantur ergo suadentes ingressum religionis propter graue onus religionis & statutorum eius ad quæ ingrediens voluntariè obligatur nulla præcedente necessitate sed mera voluntate, & rogo lectorem quòd intentè iudicet apud se an ita sit.

Sed dicunt contrarij quòd nunquàm concederent talé casum cõtineri in priuilegio fratrũ nisi Papa hoc dixerit, quia nouus & inconsuetus est. Dico quòd è contrario nunquam cõcedemus eis quòd confessa fratri non sint confitenda sacerdoti nisi Papa hoc dicat, quia hoc potius est nouum & inconsuetum, quia contrarium est antiquo statuto scilicèt quòd subditus aliqua non confessa suo sacerdoti non teneatur illi confiteri, eo quòd illud primum sequitur ex rationabili intellectu priuilegij fratrum & consono iuribus, istud autem haberi non potest nisi ex irrationabili intellectu priuilegij & dissono iuribus quantum apparet, vt inferius amplius patebit. Sic ergo reuertendo ad propositum dico quòd confessi fratribus virtute solius dicti priuilegij domini Martini (de alijs enim si qua habent nunquàm locutus sum nec similiter intendo loqui ad præsens) eadem quæ confessi sunt fratribus tenentur iteratò confiteri suis proprijs sacerdotibus parochialibus. Dico & intelligo si prius ab eisdem ad confitendum fratribus non fuerint licentiati nec confessi eis, ex priuilegio enim suo fratres habent plenam potestatem liberè confessiones audiendi & absoluendi sibi voluntariè confitentes, nec fratres cogunt nec cogere possunt virtute sui priuilegij aliquos vt sibi confiteantur, sicut nec ipsi fratres ex eodem priuilegio obligantur ad audiendum cuiuscunque confessionem, sed si fideles veniunt ad ipsos, fratres possunt si velint eos audire & absoluere virtute sui priuilegij. Attamen licèt fratres sint priuilegiati quòd liberè sibi confitentes absoluere possint & pœnitentias iniungere eisdem salutares, tamen ipsi subditi non sunt sic priuilegiati per illud priuilegium quòd sint omninò abstracti à vinculo statuti generalis quo sunt obligati presbytero parochiali ad illi confitendum, sicut ipse est obligatus ad eos audiendum.

Et ideò subditi sacerdotibus volentes fratrib. rite confiteri, vt scilicet non teneantur redire ad confitendum suis sacerdotibus, debent prius suis sacerdotibus confiteri aut a suis sacerdotibus petere & obtinere licentiam ad hoc antequàm confiteantur fratri, aut post confessionem illi factam debent petere a sacerdotibus quòd ratam habeat confessionem factam fratri & altero eorum obtento non tenentur eadem confiteri suis sacerdotibus. Nec propter hoc tamen debet subditus petere licentiam vt frater possit absoluere (quia hoc habet ex priuilegio fratrum vt puto, licèt aliqui hoc negent vt iam infra videbitur) sed vt abstrahatur a vinculo quo obligatus est sacerdoti per statutum generale ad confitendum ei, alias enim teneretur redire ad eum ad iteratò confitendum eidem confessa fratri.

Contrarij autem è contrario ad confirmandũ intentionem suam quo ad intellectum priuilegij scilicet quòd in priuilegio fratrum non sit casus aliquis de iteratò confitendo peccata eadem, Dicunt quòd hactenus surrexerunt quidam dicentes quòd fratres non poterant audire confessiones & absoluere à peccatis licèt super hoc essent licentiati a superiori, nisi cum hoc adhuc essent licentiati a curatis, & hoc ideò, quia licèt fratres per priuilegium a superiore datum haberent claues solutas quas sine priuilegio haberent ligatas, tamen per tale priuilegium, populus non esset fratribus subiectus, & ideò adhuc oporteret populum licentiari a curatis vt posset a fratribus absolui & hoc (prout dicunt) attendens Papa Clemens declarauit quòd in confessionib. audiendis a fratribus non oportet requiri licentiam curatorum parochialium, dicens sic. Quidam temere &c. vt iam patebit.

Sed dico, quòd re uera hoc quod illi insurgentes contra fratres dixerunt, quòd scilicet cum hoc quòd fratres essent licentiati a superiori prælato, oporteret etiam eos licentiari à parochiali sacerdote ad hoc vt haberent claues solutas & possint absoluere, quasi tatum est per declarationem Clementis. Sed quòd cum hoc quòd fratres essent licentiati à superiori prælato per priuilegiũ generale, oporteret subditos a parochiali sacerdote etiam licentiari ad hoc vt possent fratribus confiteri & ab ipsis absolui, hoc contra subditos confitentes fratribus, non autem contra fratres videntur sensisse duo solemnes glossatores iuris canonici scilicet Bernardus & dominus Ostiensis. Bernardus enim in glossa super illam

Bernar.

lite-

literam Omnis vtriusque sexus &c. super illo verbo. Si quis alieno sacerdoti &c. dicit sic. Alieno sacerdoti executionem habenti. Hoc dico propter illos sacerdotes siue sæculares siue regulares qui non habent executionē ordinis sacerdotalis. Sed ecce prædicatores & fratres minores vel alij religiosi non habentes populum habent priuilegium vt alienos parochianos possint recipere ad pœnitentiam, nūquid sufficit priuilegium vt parochianum alienum possint recipere ad pœnitentiam sine licentia proprij sacerdotis? Dicas quòd non sufficit priuilegium sine licentia sui sacerdotis, priuilegium enim eos æquiparat illis qui ab Episcopis præficiuntur, & dat eis solam executionem, & ita necessaria est adhuc licentia proprij sacerdotis. Si enim de duabus seruitutib. vna tollitur, remanet altera Has autem duas seruitutes vnam intelligo ex parte fratrum, quæ tollitur per priuilegium, sine quo non possent populum absoluere, alteram ex parte populi, quæ tollitur per proprij sacerdotis licentiam, sine qua non posset populus a fratre absolui secundùm Bernardum. Dominus etiam Ostiensis in suo apparatu super eadem litera & super eodem verbo dicit sic, Sed nec putamus quòd quantuncunque ex generali licentia confitenti vel sacerdoti data confiteatur quis præter parochialis proprij licentiam, saltem quantum ad confessionem semel in anno faciēdam, huic statuto præiudicari debeat, immò adhuc requirenda est licentia sacerdotis parochialis nisi hoc exprimatur quòd istud liceat sine sua licentia. Intelligo obtinenda, & hoc non pro fratre vt possit absoluere, sed potius pro subdito vt possit a fratre absolui. Ipse enim dominus Ostiensis dictam sententiam confirmat per glossam Bernardi subdens, Idem videtur hic sensisse Bernar. dicens quòd per talem indulgentiam non videtur tolli specialis licentia, immò restat petēda, sicut & vna seruitute sublata remanet altera, sed per hoc in nullo minoratur potentia fratris de absoluendo actiue.

Ostiēsis.

Et sic cum Dominus Ostiensis suam sententiam confirmet per glossam Bernar. patet quòd tempore Ostiensis non fuit glossa Bernar. reprobata. Qui tamen Ostiensis vltimus glossatorum fuit, & dicitur scripsisse glossas suas super decretales tempore Domini Clementis Papæ, licèt aliqui dicant quòd dicta glossa Bernar. reprobata fuit per literam Domini Clementis Quidā temerariè sentientes &c. Dicunt enim contrarij quòd talium assertionem & talem sententiam aliquorum attendens Clemens Papa declarauit quòd in confessionibus audiendis a fratribus nō oportet requiri licentiam sacerdotum parochialium etiam a subditis. Quod tamen (vt videtur) non est vsquequaque verum.

Ad cuius pleniorem intellectum est aduertendum, quòd secundùm quod iam innuebant Bernard. & Ostiensis alia est licentia qua licentiatur confessor, vt solutis clauibus possit audire confessiones subditorum alterius & illos absoluere, & alia est qua confitens licentiatur vt possit alteri cōfiteri q̄ suo parochiali & ab illo absolui. Ad hoc enim quòd sacerdos alienus possit absoluere cum effectu subditos sacerdotum parochialium, non solùm requiritur licentia vt ille sacerdos alienus habeat claues solutas, sed etiam requiritur licentia vt subditus alienus si subdatur, & per hoc vsus clauium sacerdotis alieni circa ipsum possit habere effectum, vt secundùm hoc licentia generali qua ex parte confessoris soluuntur claues quasi vna seruitus, non soluitur obligatio subditi confitentis quasi alia seruitus, vt videtur. Et videntur in hoc dicti expositores consentire, nec videtur in hoc eis cōtrariari Dominus Clemens quantum prætendūt verba declarationis eius.

Ipse enim secundùm planum verborum suorum solùm modò loquitur de licentia concessa confessori, quasi contra nescio quos temerarios, qui dicebant quòd licentia a superiori data sacerdoti alieno in prædictis non sufficeret, nec claues sic perfectè dissolueret vt confitentem sibi absoluere posset, etiam quantum esset de se, nisi cū hoc adesset licentia sacerdotis parochialis, quòd non est verum. Glossatores autem dicti dicunt quòd cum licentia data confessori generali priuilegio, qua quantum est de se possit absoluere sibi confitentes, requiritur licentia curati parochialis data confitenti, vt possit ab alieno sacerdote absolui cum effectu. Et quòd ita sit, videtur prætendere litera Domini Clementis, quæ sic dicit loquens fratribus.

Quidam temerariè sentientes & ad sobrietatem sapere nescientes, impudenter præsumunt asserere quòd de licentia vel commissione aut cōcessione Romani Pontificis, vel legatorum Apostolicæ sedis seu ordinariorum vos sine licentia sacerdotum parochialium & assensu nō potestis liberè prædicare populis, audire confessiones, absoluere pœnitentes ac pœnitentias iniungere salutares Nos igitur volentes assertionem tam temerariam penitus confutare & elucidare in talibus veritatem, deliberatione prouida declaramus, quòd si vobis detur licentia prædicandi populis, confessiones audiendi, absoluendi, ac pœnitentias iniungendi, committatur seu concedatur a legatis Apostolicæ sedis aut ordinarijs locorum nedum a Roma. Pontif. &c. aliorum prælatorum inferiorum & rectorum ecclesiarum ac sacerdotum parochialium assensu nullatenus requisito. Ecce quia dicit, Si vobis detur licentia &c. liberè potestis prædicare &c. aliorum &c. nullatenus requisito scilicet ad vos licentiandos.

Per quòd (vt videtur) non excluditur quin cum priuilegio generali ad subditos licentiandos

dos vt possint ab illis absolui, eorum licentia requirenda est. Quod videntur sentire dicti glossatores, & maximè Ostiensis, qui videtur hoc exprimere, cum dicit. Sed nec putamus quòd quantuncunq. ex licentia generali confitenti data &c. Et sic vt videtur, dicti glossatores nullatenus sentiũt idem cum dictis temerarijs scilicèt quòd ad illos confessores licentiandos deberet requiri illorum assensus, & sic vt videtur dictum Clementis non est diuersum aut aduersum dicto dictorum glossatorum.

Quare cum ex priuilegio Domini Martini nõ detur fratribus aut volentibus confiteri eis nisi licentia generalis remota illa clausula, Volumus autem (liberras enim &c. plenitudo potestatis ad exercendum actus prædicandi & audiendi confessiones &c. absoluendi, nihil speciale apponunt, sicut iam declarabitur, quantum est ex parte fratrum, quare & multò minus quantũ est ex parte cõfitentium fratribus, quibus non dirigitur priuilegium licèt in eorum fauorem sit concessum) igitur si vt videtur per sententiam dictorum glossatorum non quassat priuilegium, statutum generalis concilij, saltem quo ad confessionem semel in anno faciendam proprio sacerdoti, nec ei præiudicat, immò requirenda est licentia sacerdotis ad hoc vt subditus eius possit absolui à fratre, cum in priuilegio illo non exprimatur, quòd liceat fratrem illum absoluere sine licentia sui sacerdotis.

Nisi forte per quandam cõsequentiam intelligatur declaratio Clementis extendi ad confitentes. Si.n. detur fratrib. licentia audiendi cõfessiones & absoluendi actiuè absque licentia sacerdotis, ex hoc videtur dari subditis licentia confiteri illis & absoluendi ab eis passiue, etiam absque licentia sacerdotis, quia vana esset concessio actiua sine concessione passiua. Et sic vlterius videtur quòd a fratribus virtute talis concessionis possunt subditi absolui absqne licentia sacerdotum. Propter quòd aliquibus non aspicientibus ad talem consequentiam, sed tenentibus sententiam dictorum glossatorum, visum est quòd ego aliàs & iam supra nimis concessi fratribus, dicendo quòd ex priuilegio Domini Martini habent quòd possunt audire confessiones subditorum parochialium &c. eos absoluere prꝛeter hoc quòd subditi licentiam super hoc habeant a suis parochialibus.

Sed quicquid sit de dictis glossatorum & declaratione Clementis, semper visum est mihi & adhuc videtur, quòd Dominus Martinus priuilegio suo hoc intendat eis concedere, & hanc intentionem suam sufficienter explicat quando dicit, Volumus autem quòd qui fratribus confitebuntur eisdem &c. Per hoc enim quòd explicat quòd per concessionem suam subditi parochialium possint fratribus confiteri, satis explicat qđ &c. passiuè absolui, quia non fit fratribus confessio nisi propter absolutionem, &c. hoc etiam non licentiati ad hoc, quod sufficienter explicat per hoc quod continuò sequitur. Suis presbyteris parochialibus confiteri &c. ad quòd nequaquàm tenerentur si prius licentiati fuissent ab eisdem &c.

Hoc enim concedit eis statutum generalis cõcilij, scilicet quòd de licentia parochialis sacerdotis subditus potest alieno sacerdoti confiteri & absolui ab illo, &c. constat quòd talis non tenetur redire ad sacerdotem ad confitendum prout statuit generale statutum si nullum pactum committat post confessionem factam sacerdoti alieno de licentia parochialis. Dico ergo quòd quamuis verum esset quod dicunt prędicti glossatores, quòd scilicèt non sufficit licentia generalis ad prædicta, quando nihil exprimitur in priuilegio per quod soluatur ius commune: Semper.n. standum est pro iure communi nisi specialiter auferatur, aut nisi non possit saluari cum priuilegio, & priuilegium vt saluetur cum eo ius commune strictè interpretandum est, quando tamen in priuilegio generali exprimitur clausula per quam cum perfectè conseruetur ius commune, nullum fiat alteri præiudicium, benè sufficit licentia generalis.

De tali autem priuilegio non loquũtur glossatores, quorum sententia non intendit nisi saluare ius commune, sic vt nulli alij fiat præiudicium &c. Ipso enim saluo, sic benè verum &c. quòd priuilegium quo ad alia omnia debet largissime interpretari. Quare cum in priuilegio generali Martini per illam clausulam, Volumus autem &c. expresè saluetur ius commune &c. parochialium quoad obligationem de semel in anno ipsis confitendo prout statuit concilium &c. generale, etiam si non petatur ab eis licentia confitendo fratribus, eo quòd (vt opinor) virtute clausulæ dictæ tam perfectè tenetur confessus fratri, confiteri sacerdoti parochiali omnia peccata sua, quàm teneretur si fratri non esset illa confessus, secundum quòd hoc prætẽdit planum verborum illius clausulæ: Dico ergo quòd virtute priuilegij Domini Martini fratres non solum habent potestatem audiendi confessiones, qualem forte habuerunt a tempore Papæ Alexandri, aut forte ab ordinis sui institutione, &c. hoc ex aliquo generali priuilegio, cum quo secundum dictos glossatores requirebatur licentia subditi a sacerdote parochiali vt posset absolui a fratribus, sine quali priuilegio aut aliquo alio maioris virtutis fratres habuissent claues ligatas sicut subditi sine dicta licentia, etiam cum generali priuilegio secundùm sententiam dictorum glossatorum habuissent alas ligatas. Immò dico, quòd virtute priuilegij eiusdem Martini ipsi fratres habent etiam potestatem perfectè absoluendi subditos

ditos curatorum, etiam si non sunt ad hoc licentiati ab eisdem, &c. etiam si non habuissent hoc ex priuilegio generali cum declaratione Clementis. Vt in hoc derogatum sit illi quòd dicitur de pœnitentia distinctio. 6. capit. Placuit. Nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiam recipere sine eius consensu, sed tamen tenentur ad curatum reuerti ad eadem confitendum, aut ad ratihabitionem super factis per fratrem obtinendam, quia vt puto in hoc casu sufficit ratihabitio.

Secundum hæc ergo adhuc dico sicut alias dixi licèt fratribus videatur mirum quòd ab initio duplex erat ligamen, ne fratres cum effectu possent absoluere subditos curatorum. Vnum ex parte ipsorum, quia scilicèt habebant claues ligatas, quod soluit aliquod priuilegium ipsorum generale, &c. hoc secundùm declarationem Clementis iam dictam. Alterum verò ex parte subditorum ne possent absolui a fratribus sine licentia curati, quod dico secundũ expositionem iam dictam dictorum Glossatorum.

Et sic non nego nec vnquàm negaui quin fratres forte ex priuilegio Alexandri habeant quòd quantum est ex se possint absoluere. Sed an ante priuilegium Domini Martini habuerint priuilegium aliquod, per quod possent absoluere cum effectu non licentiatos a curatis, maximè sic qđ non oporteret eos reuerti ad confitendum eadẽ, de hoc me non intromisi vnquam nec intromitto adhuc.

Sed contrarij addunt dicentes, quòd ego adduxi Bernar. &c. Hostiensem ad probandum quòd oportet eadem reconfiteri, quod illi non dicunt. Dico quòd verum est, sed non solum ad hoc probandum quòd ex solo priuilegio generali secundum sententiam Illorum (vt videtur) fratres non possent omninò absoluere non licentiatos a curatis, quod concessit Dominus Martinus vt dictum est. Et sic in dicendo quòd fratres virtute priuilegij generalis non possunt absoluere, dicũt quod nos dicimus scilicèt quòd oportet eadem confiteri sacerdotibus &c. plus. Quod benè declarat Ostiensis, quia postquam dixit super illo verbo A proprio sacerdote, sic in quiens. Confessio facta Papæ Episcopo &c. eorum pœnitentiarijs &c. licentiatis ab ipsis tenet tanquam a suo iudice, & hoc sic licentiatis quòd non oportet confessos eis prius licentiari, vel pro confessione facienda reuerti ad sacerdotes, continuè subiunxit prædicta.

Sed vt putamus &c. vt supra quasi dicat, confessio facta habenti generale priuilegium non tenet nisi confitens ad hoc sit licentiatus, & sic eum qui vult confiteri priuilegio generali, non solum oportet petere licentiam ad hoc si non vult confiteri omninò suo sacerdoti (vt dicunt fratres) sed etiam si non vult confiteri ei eadem, &c. etiam (vt videtur secundum dictos glossatores) si velit ab illo simpliciter posse absolui.

Quod ergo dicunt contrarij, quòd fratribus data est potestas absoluendi ante priuilegium Domini Martini: dico quòd hoc benè credo, quòd scilicèt eis data est dicta potestas per aliqđ priuilegium generale, de quo loquũtur dicti glossatores vt visum est. Si autem data sit eis per priuilegium aliud speciale in quo eximitur populus &c. subtrahitur ius sacerdotum contentum in generali statuto, vt non licentiatos ab illis possint fratres sic absoluere, vt illi non teneantur reuerti ad illos ad eadem illis confitendum, quod quidem est æqualis ad minus virtutis cum priuilegio Martini vel maioris, mirum est quòd illi vsque ad ista tempora vsi non sunt illo aperte audiendo confessiones absque licentia Episcoporum &c. sacerdotum parochialium, & protestando quòd confessi eis sine licentia sacerdotum nullo modo tenerentur reuerti ad illos nisi ad protestandum se fuisse confessos fratri, &c. quòd modo litigant de nouo cum tanto scandalo pro vsu priuilegij Domini Martini secundum illum modum.

Sed quomodocunque res se habeat de eorum priuilegijs alijs, ad præsens solùm modo loqui intendimus sicut & hactenus locuti sumus, de concessis fratrib. in priuilegio Domini Martini, acsi alia priora priuilegia ipsorum essent ad istud priuilegium domini Martini redacta, prout alias de illo locuti sumus, & hoc maximè quo ad reuersionem faciendam dicto modo ad suum sacerdotem, quod fieri districtè præcipit Dominus Martinus, propter quod (vt videtur) quo ad hoc decreto in eius priuilegio stãdum est, etiam licèt alia priuilegia eorum præcedentia ad hoc confessos eis non expresse astrinxissent.

Sic benè enim probabile est auctoritate Domini Papæ fratrum priuilegia priora quo ad aliquid posse restringi per posterius, sicut rescripta priora per posterius frequenter restringuntur, non quòd per hoc alia priuilegia eorum sint retracta, sed quòd sunt fortè vel restricta vel declarata quo ad aliquam generalitatem quæ fuit in eis &c. quæ nimium posset extendi, ad hoc videlicèt quòd confessi fratribus &c. non licentiati a sacerdotibus nullatenus tenerentur ad eadem confitendum suis sacerdotibus secundùm quòd Dominus Bonauentura in scripto suo super quartum sententiarum distinct. 17. loquens de habentibus potestatem ex priuilegio generali dicit sic. Bonauentura.

Credo quòd talibus data sit potestas audiendi confessiones non in præiudicium bonorum sacerdotum, sed in fauorem potius fidelium. Quare cum omnes sacerdotes curati quousque tolerantur per ecclesiam existimandi sunt esse boni,

boni, sufficientes, &c. idonei, licèt fortè fratres contrarium suspicentur, vt iam dicetur. nullo ergo modo in præiudicium eorum est priuilegiũ generale, sic quòd confessi priuilegiatis non teneantur eadem numero iteratò suis sacerdotibus confiteri, si prius non fuerint illa confessi illis, aut licentiati ab eis ad alteri confitendum. Et ita quo ad hoc sy Volumus autem, in priuilegio Domini Martini non addit aliquid super priuilegium generale neque super illud quod præcedit in priuilegio eodem, quod non continebatur virtute in illa generalitate, vt iam amplius declarabitur. Et sic illa clausula, Volumus autem &c. non est nisi quędam explicatio intellecti sub generalitate generalis priuilegij, vt tollatur omnis occasio malè intelligendi illud & nimium extendendi potestatem in eo concessam. Quoniam quòd secundùm prædicta concedit subditis implicitè quòd possunt licentiati a sacerdotibus absolui a fratribus, benè prædictus Dominus Bonauentura addit subdens post prædicta. Dico quòd secundum intentionem priuilegij parochiales iure suo non priuantur, immò faciẽdum est semper, quòd a suis parochianis eis debita reuerentia exhibeatur, &c. ideò eius consilium est quòd tales confessores sic confitentes remittant ad proprios sacerdotes, & si sacerdos non est cõtentus tali confessione, iterum audiat eum, &c. si sacerdote exigente nolit confiteri vix crederem talem personam verè pœnitentem.

Sed sicut modo tali consilio non obtemperat fratres, sic nec tempore dicti magistri obtemperauerunt; sed grauis quærimonia super hoc facta erat Domino Innocẽtio Papæ IIII. in cõcilio Lugdunen. secundùm quod scribit vniuersis religiosis in illa litera. Etsi animarum, sic inquiens. Non solum graui, sed clamosa querela nostris assiduè auribus intimatur, quòd nonnulli vestrum suis juribus &c. finibus non contenti parochianos alienos præsumunt temerè ad diuina recipere contra canonicas sanctiones, &c. quasi cæteri ad laicorum iudicia existant minus idonei & indigni, velut ad morbos curandos apud alios salubre consilium nequiuerint inuenire, licèt dictorum parochianorum iudices non existant, se iudices facientes, periculosè illudentes ipsos in foro pœnitentiali iudicant &c. absoluunt pro libito suæ voluntatis, &c. infra. Sicque fit quòd sacerdos qui recipiendo curam ipsorum suam pro eis animam obligauit, dum sibi taliter subtrahuntur statum eorum ignorans non potest sanare quod in eis est ægrotum. & infra. Hi deni que sacerdotes nullam possunt de sic pereuntib. animabus Deo reddere rationem in supremo iudicio. Et ne tam abusiuos excessus videamur per tolerantiam comprobare, volentes in posterum freno iuris prædictarum transgressionum iniurias cohibere, ac singulis ecclesijs & eorum ministris sua iura omnimodè conseruari, nec non parochianorum saluti &c. vestræ consulere in hac parte circa præmissa &c. vt statim sequitur. Sed dicunt contrarij, quòd litera illa reuocata est per Dominum Alexandrum proximum successorem Domini Innocentij scribentem ōmnibus prælatis hæc verba. Vniuersitati vestræ per Apostolica scripta mandamus quatenus per huiusmodi literas vel occasione mandatorum seu præceptorum aut sententiæ quæ continent. nihil prorsus agatis, cum nullam deinceps efficaciam habeant vel vigorem. Dico quòd litera Domini Innocentij duo continet, vnum scilicèt antiqua iura quæ deducit in medium, &c. nihil nouum in grauamen fratrum, aliud verò est pœna contra transgressores.

Dicit enim Dominus Innocentius, loquendo fratribus sic immediatè post prædicta. Circa præmissa nihil nouum in vestrum inducendo grauamen, ecce primum. Sed antiqua & moderna iura in medium deducendo &c. infra. Si quis verò vestrum temerarius huius præceptionis transgressor &c. Ecce secundum. Dico etiam, quòd Dominus Alexander duo reuocauit correspondentia dictis duobus, vnum scilicèt ea quæ a prædecessore suo processere in grauamen religiosorum, aliud verò scilicèt pœnam contra transgressores inflictam. Dicit enim sic. Verum quia super præmissis literis cogitare attentius & studiosius deliberare proponimus pacis commodum & quietis solatium ecclesijs &c. personis ecclesiasticis potissimè cupientes præfatas literas, &c. si quæ aliæ super prædictis vel eorum aliquo contra præfatos religiosos vel aliquos ex ipsis generaliter vel specialiter prætenderint communem &c. solitam processere. Ecce primum; & sequitur continuè secundum. Ac mandata seu præcepta facta in eis vel eorum auctoritate penitus duximus reuocanda.

Quantum ergo ad primum Dominus Alexander nihil reuocauit, quia Dominus Innocentius vt ipsemet iam dixit nihil nouum in grauamen religiosorum fratrum induxit. Non enim putò quòd Dominus Alexand. insinuare voluit Dominum Innocentium in hoc fuisse mentitum. Quantum verò ad secundum etiam non putò quòd intentio Domini Alexandri fuerit reuocare antiqua iura, quæ Dominus Innocentius dixit se producere in medium, quibus exceptis vt videtur, nihil præter formam communem & solitam in litera Domini Innocentij processit. Benè tamen puto, quòd omnem pœnam contra trãsgressores latam reuocauit scilicèt inobedientiæ &c. excommunicationis & dompulsionis ad statutorum obseruantiam per diœcesanos. Quæcunque ergo scripta sunt in illa litera, Etsi animarum, adhuc rata sunt &c. esse debent dictis pœnis exceptis.

Et

Et sic quod dixit Dominus Alexand. in principio reuocationis suæ : Nec insolitum est nec nouum, vt ea quæ per occupationem vel festinationem fiunt, pro eo quòd congruę deliberationis limam prætereunt, impensioris considerationis reducantur examine vt rectiora &c. elimatiora per attentionem plenioris discussionis emanent, nullatenus est referendum (vt videtur) ad primum prædictorum. Illud enim nec nouum nec insolitum, nec per occupationem vel festinationem prolatum est, nec congruam deliberationis limam præteriuit vt impensioris considerationis reducatur examine.

Nec similiter referendum est illud ad secundum quo ad mandata, propter iam dicta, solùmmodò referendum est illud ad secundum quo scilicèt ad pœnas : quia fortè nimis graues erant, super quibus dictus Dominus Alexander studiosius deliberare proposuit. Sicut autem tunc Domino Innocentio super factis fratrum secundum dictum modum grauis facta fuit quærimonia, sic etiam nostro tempore consimilis quærimonia & super consimili facto proposita fuit Domino Martino, &c. similiter Domino Honorio, &c. adhuc proponitur Domino Nicolao.

Vtinam ergo ipse Dominus Nicolaus animarum affectans perfectus &c. vt scribitur in principio literæ Domini Innocentij, ac pacis commodum &c. vt scribitur in fine literæ Domini Alexand. ea quæ Dominus Martinus primo, &c. Dominus Innocentius secundo è vita præsenti subtracti complere non potuerunt ad pacis commodum &c. quietis ecclesiarum &c. personarum ecclesiasticarum executioni studeat salubri consilio demandare. His visis licèt post longum digressum miror multum quomodo contrarij possunt dicere se nunquam vidisse rationem mouentem eos quòd occasione dicti priuilegij poni debeat casus in quo debeat iterari confessio super eisdem, &c. quòd non credent ipsum esse donec per Papam explanetur : cum tamen ipsa litera Domini Martini de plano quoque &c. de communi vsu verborum etiam solam grammaticam intelligentibus ipsum prætendat.

Aliter enim clausula illa, Volumus autem, non expresè saluaret ius commune sacerdotum, sed omninò superflueret, &c. secundum sententiam dictorum glossatorum litera Domini Martini non contineret nisi generale priuilegium, vt nec fratres virtute ipsius possent absoluere nisi licentiatos a sacerdotibus, vt patet ex prædictis.

Sed dicunt adhuc contrarij. Cum igitur ego sciam dissoluere omnia quæ contra me arguuntur etiam per dicta contra arguentium : quaeritur compellat accipere nouum casum de iterum confitendo confessa ? An ita sit vt dicit iste contrarius scilicèt quòd sciam omnia dissoluere quæ contra me arguuntur etiam per dicta contra arguentium, super hoc committo iudicium legentibus scriptum hoc in quo sunt argumentationes nostræ &c. earum dissolutiones super hac materia.

Ad euidentiam autem dictorum in generali, &c. ad ampliorem intelligentiam dicti priuilegij Domini Martini ad modum processus quę contrarij sibi in sua determinatione præfigunt, tria sunt adhuc in speciali prius quàm ad rationum dissolutiones descendamus, considerandа, non intentione interpretandi priuilegium ipsum, sed exercitandi ingenia scholarium, & inuestigandi veritatem super prędictis secundùm planum verborum prout alias protestatus sum. Primum illorum trium est intentio dantis priuilegium. Secundum est motiuum eius ad dandum illud. Tertium est forma verborum ipsius priuilegij.

De intentione dantis priuilegium vt hominis, an scilicet intendebat quòd fratres vterentur suo priuilegio sicut modo vti volunt eo, an non, sed potius sicut prælati volunt quòd eo vtantur : bene verum est vt etiam dicunt contrarij, quòd occulta est nisi quatenus manifestari potest vel ex scripto, vel ex verbo, vel ex aliquo alio signo. Sed vt dicunt contrarij, ipsi nolunt inniti verbis eius, sed signo cuidam : quod erat taciturnitas eius. Bene enim verum est vt dicunt quòd Dominus Martinus audiuit plurium relatione, fratrum &c. prælatorum clamorem, audiuit etiam &c. scilit quòd fratres vtebantur potestate sibi concessa in dicto priuilegio, hoc modo quo dicunt se posse eo vti : videlicèt quòd possent vti dicto priuilegio mittendo fratres sub numero indeterminato &c. in perpetuum ad audiendum confessiones vbique locorum omnium subditorum quorumcunque sacerdotum, sęcularium scilicèt &c. religiosorum, & hoc absque eorum licentia & absque proposito confitendi eadem suis sacerdotibus, etiam si essent scientes potentes &c. volentes & idonei consulere illis &c. illos audire in propria persona, cessante etiam ex parte subditorum omni causa rationabili eundi ad illos &c. dimittendi suos proprios sacerdotes, quòd etiam dicunt se habere potestatem absoluendi ab omnibus petentis communibus & etiam pertinentibus specialiter ad Episcopos.

Quare (vt dicunt) cum Papa talem vsum eorum nouit & tacuit, quòd tamen solo verbo impedire potuit, nec est verisimile quòd Papa veller damnationem suam & fratrum ac populi, quam tamen procurasset &c. se-

man-

mancipium gehennæ fecisset non refrenãdo fratres si ipso sic sciente dicto priuilegio dicto modo vtendo abusi fuissent, vt dist. 40 cap. Papa. Et sic (vt dicunt) taciturnitate & permissione & dissimulatione Dominus Papa Martinus acquieuit intentioni fratrum, & visus est eis concedere quod intendunt. Et quòd plus est Dominus Honorius successor eius audiens similiter huiusmodi clamorem dissimulauit similiter fratres sic vti dicto priuilegio, nec est etiam verisimile quòd sui voluerint damnationem, fratrum ac populi.

Hic primò aduertendum est, quòd fratres dicunt se nolle inniti verbis Domini Martini. sed potius eius taciturnitati, quòd multum caute dicunt quia re uera verbis eius inniti nõ possunt quia vt a fide dignis intellexi Dominus Martinus sæpius plane dixit coram pluribus cardinalibus, & alijs, etiam semel in pleno consistorio, quòd intentionis suæ non fuit quòd fratres per suum priuilegium haberent potestatem absoluendi in casibus reseruatis Episcopis siue de iure, siue de consuetudine, siue de retentione, & quòd intentionis suæ fuit quòd in casibus & in peccatis communibus confitentes fratribus tenerentur iteratò eadem confiteri suis sacerdotibus parochialibus, secundum quòd super his ego vidi literas duorum cardinalium cum sigillis ipsorum appendentibus.

Hæc omnia etiam quidam vir probus & famosus mihi recitauit, qui dixit se ea audiuisse ab ore Domini Martini, & proposuisse ea ex parte prælatorum in pleno Consistorio in præsentia Cardinalium & Domini Honorij Papæ infra quindenam ante obitum eius, & inuocasse ipsum Dominum Honorium & Cardinales in testes super præmissa.

Et in alia determinatione concedit contrarius hoc se dixisse sed hoc non quia timuerit succumbere, quia vt dicitur contrarium à multis valentibus audiuit, sed quia noluit comparare personas personis, & sic vt dixit non velle inniti verbis non fuit diffidentiæ, sed personarum reuerentiæ. An ita sit Deus nouit quòd tamen illud dictum erat diffidentiæ satis declarat per hoc quod subiunxit sic inquẽs. Item dixi quòd propter diuersas causas Papæ intentio potuit bene mutari, & per consequens diuersa dicere, & ideò standum esset vltimo dicto eius qui sciret illud. Ecce quàm planè insinuat quòd Papa Martinus iam dicta primo dixit, etiã si dixit contrarium postmodum mutando suam intentionem.

Quod licèt potuit contigisse ipsi sicut homini, nullo modo tamen præsumendum est quòd in ore tanti patris tam apertè fuerint est & non, vnde hoc dicere est multum impingere in constantiam & maturitatem quas debet habere in dictis suis Dominus Papa. Præterea dicta verba Domini Martini a me proposita declarabãt eius intentionem non super aliquo facto futuro, sed solum super præterito scilicet super concessis fratribus in suo priuilegio, nunc autem licèt super facto futuro benè & discretè potest quandoque mutari intentio proponentis, non tamen super facto præterito, sicut nec ipsum potest mutari quin factum fuerit, & ita postquam semel verbis declarauit intentionem suam super contentis in dicto priuilegio, non fuisset discretionis aut constantiæ postmodum verbis contrarijs declarasse intentionem suam fuisse contrariam, nec potuerunt ambo dicta fuisse vera, qualia nefas est putare Dominum Papam protulisse. Quia ergo vt credo, benè notam est fratribus Dominum Martinum dixisse verba priora, cautè ergo dicunt quòd nolunt inniti verbis eiusdem, sed taciturnitati: qui si verba aliqua pro se habuissent, libenter ea proposuissent postquàm tot cauillationes & friuolas defensiones pro se inducunt, quæ taciturnitas re uera æque benè est pro prælatis contra fratres quàm è contra.

Sicut enim Papæ Martinus audiuit quomodo fratres vtuntur dicto priuilegio, sic similiter audiuit quomodo prælati in vsu eius prædicto fratribus resistunt, & eos impediunt, populum retrahentes & admonentes ne eis confiteantur nisi licentiati aut cum proposito confitendi eadem suis curatis, alio quoque modo quàm fratres ea vtuntur, esse vtendum dicto priuilegio asserentes, & tamen similiter tacuit Papa. Nec etiam verisimile est quòd Papa tacens vellet suorum Episcoporum damnationem & populi, & sic taciturnitate & dissimulatione, sicut prius acquieuit intentioni prælatorum, & videtur eis concedere quod intendunt, & idem fecit Dominus Honorius eius successor.

Et ad istam intentionem pro prælatis pòtius facit Decretum quod inducitur pro fratribus quã pro ipsis fratribus, quia ipsum loquitur specialiter de taciturnitate circa excessus & delicta Episcoporum. Dicit enim sic. Si Papa suę & fraternæ salutis negligens deprehenditur & cet. Constat autem quòd Papa solos Episcopos fratres suos solet appellare & cæteros omnes filios. Dicunt fratres quòd non omnes prælati clamauerunt, sed aliqui eorum tantum, quia vt dicunt, habemus multos bonos qui permittunt nos pacificè vti priuilegijs nostris. Quod non valet ad propositum.

Si enim omnes clamassent, & taciturnitas Papæ fecisset eum mancipium gehennæ: consimiliter etsi solum illi de regno vno aut de vna prouincia magna clamassent, taciturnitas etiam eius fecisset ipsum mancipium gehennæ. Maior enim & minor multitudo clamantium non variat, sed

genus peccati circa Papæ taciturnitatem, quod nefas est dicere.

Quòd dicunt: quòd habent multos bonos qui dimittunt eos vti priuilegijs suis sicut volunt: Dico, quòd non est aliquis prælatorum qui non permitteret eos in pace priuilegijs suis vti quemadmodum secundum iura eis vtendum est, sed illi qui resistunt eis intendunt solum resistere abusui ipsorum circa priuilegia, & in hoc sic resistentes fratribus merito credunt firmiter se offerre obsequium Deo, & populum à præcipitio trahere, implendo illud quod dictum est cuilibet eorum, prouerb. 14. Erue eos qui ducuntur ad mortem, & qui ducuntur ad interitum liberare non cesses.

Vnde si illi Episcopi qui permittunt eos vti suo priuilegio Domini Martini tali modo vt volunt eo vti, permittant vsum & non potius abusum & an in hoc boni sint, dum tamen nouerint abusum, & aduertant imminens periculum, ipsi viderint. Timeo enim ne eis possit imputari illud Ezec. 13. Non ascendistis ex aduerso, neq; opposuistis vos murum pro domo Israel vt staretis in prælio in die Domini.

Quod exponens Greg. in lib. 1. pastor dicit sic. Ex aduerso quippe ascendere est pro defensione gregis voce libera huiusmodi potestatibus contraire. Et in die Domini in prælio stare est prauis decertantibus ex amore iustitiæ resistere. Qui sic ex aduerso non ascenderit veritatem proponendo, re uera vt existimo hoc propter aliquē timorem mundanum omittit. Vnde & timeo ne illis poterit dici illud Iob 6. Qui timet pruinā cadet super eum nix. Quod exponens Beatus Gregor. lib. 7. Moral. dicit sic. Nonnulli dum temporalia pertimescunt districtionis æternæ animaduersioni se subijciunt. De quibus per Psalmistam dicitur Trepidauerunt timore vbi non erat timor. Iste namque veritatem iam liberè defendere appetit, sed in ipsa sua appetitione trepidus indignationem potestatis humanę pertimescit, cunque in terra hominem contra veritatem pauet, eiusdem veritatis iram cælitus sustinet.

Præterea in dicto modo arguendi, contrarij valde irreuerenter mali & insiliunt & impingūt in vtrunque Papam prædictum. Ex hoc enim modo arguendi, modo pro fratribus modo pro prælatis, concluditur ineuitabiliter vtrunque illorum aliquando occasione suæ taciturnitatis fuisse obnoxium graui peccato. Nam (vt aiunt fratres) si ipsi sustinerent falsitatem, & illam vterque Papa sua taciturnitate dissimulasset, seipsum damnasset? Et ex eodem modo arguendi vt iam dixi potest concludi quòd si prælati sustinerent falsitatem, & vterque Papa sua taciturnitate dissimulasset, similiter seipsum damnasset.

Et sic sequitur quòd in omnem euentum vterque Papa seipsum damnasset & peccato mortali se obligasset, & sic sua taciturnitate seipsum mancipium gehennæ fecisset, quod tam humiles filij de patribus tam propitijs eis nequaquam deberent suspicari, maximè quia in dicto Decreto quòd fratres pro se allegauerūt, dicitur, quòd Papa cuncta iudicaturus a nemine est iudicandus nisi deprehendatur à fide deuius. Et vos lectores si istud sequatur ex modo arguendi eorum iudicetis. Nec audiui quòd fratres ad istud aliquid responderunt. Præterea dicta argumentatio multò magis est contra fratres quàm pro ipsis.

Quando enim partes litigant coram iudice, & contrariantur, altera defendente malam causam, si dissimulatio & taciturnitas iudicis est in culpa eo quòd non obuiat parti quæ iniustam causam defendit: illa taciturnitas potius signum est quòd pars illa cui magis fauet iudex defendat iniustam causam quàm altera, quia quilibet iudex magis solet deferre parti cui magis fauet. Quare cum vt sæpius visum est de facto, fratres cōsueuerunt habere maiorem fauorem apud plures Summos Pontifices in impetrandis illis quæ sunt de iure prælatorum, quàm prælati in resistēdo in hoc fratribus & iura sua defendēdo, quòd patet ex hoc quòd sepulturas, immunitates quasdam, & plurima alia quæ multum vergunt in præiudicium & damnum prælatorum frequenter impetrauerunt in damnum illorum & grauamen, etiam ipsis contra clamantibus, si taciturnitate sua ipse Papa fuit in culpa, vel ex parte fratrum, vel ex parte prælatorum in non coercendo alteros eorum, quod necessario sequitur ex modo arguendi facto, vt dictum est, taciturnitas ergo illa potius erat signum quòd fratres defendūt iniustam causam contra prælatos quàm è contrario, & quòd Papa potius tacuit & peccauit, si tamen peccauit, plus fauendo fratribus quàm prælatis.

Ad hæc fratres non respondent, sed primo inuehuntur in me dicentes, ecce vna manu vngit & altera pungit: vngit quidem in eo quòd dicit nos esse fauorabiles Papæ, pungit autem in eo quòd dicit nos habere causam iniustam. *Obiectio.*

Item secundo inuehuntur in me dicentes, ecce quomodo impingit in Papam cum dicit eum fouere iniustam causam, & scribatur in prouerb. Accipere personam in iudicio non est bonum. *Secunda.*

Item tertio dicunt quòd non est simile de taciturnitate Papæ in facto fratrum & prælatorum, quia fratres benè vtuntur priuilegio suo in quo prælati eos impediunt, & ideò benè egit Papa quòd tacuit & noluit contra eos exaudire prælatos & permisit vsum fratrum. *Tertia.*

Item

Quarta. Item quarto dicunt, quòd taciturnitas Papæ poteſt eſſe pro eis, non autem pro prælatis, quia ſi aliquis ex zelo in aliqua parochia audiret confeſſionem nullam habens iuriſdictionem, &c. quærimonia contra illum de eo veniret ad Epiſcopum, & ipſe taceret nec illum prohiberet ſola taciturnitas Epiſcopi eſſet facti illius confirmatio & daret ei poteſtatem, & ſic taciturnitate vſum fratrum approbauit & multum meruit.

Reſpenſio ad prima. Ad iſta dico per ordinem. Ad primum enim dico, quòd nunquàm fuit intentionis meæ vngere eos oleo ſcilicet peccatoris impinguando capita ipſorum vt corda eorum tanquàm innocentium ſubuerterem per benedictiones & dulces ſermones, nec etiam vnquam fuit intentionis meæ pungere eos ad reprehendendum, ſed ſolùmmodò ad corripiendum in miſericordia & interpellandum vt per verba veritatis commoniti cuſtodirent viam æquitatis. Non eſt etiam verum, quòd dixerim fratres habere iniuſtam cauſam, immò ſolummodo dixi, quòd taciturnitas Papæ potius eſt ſignum quòd ipſi iniuſtam cauſam defendant quàm prælati: quòd etiam ego firmiter opinor.

Ad ſecundam. Ad ſecundum, quòd dixerim Papam fouere iniuſtam cauſam, & quòd ſic impingo in eum, dico quòd non eſt verum, non enim dixi Papam fouere iniuſtam cauſam, immò dixi quòd taciturnitas Papæ potius eſſet ſignum, quòd fratres defendebant iniuſtam cauſam, quàm quòd prælati, ſi ipſe ſua taciturnitate eſſet in culpa: quod neceſſariò ſequitur ex modo arguendi fratrum ſecundum prædicta.

Vt etiam iam dicam nullo modo neceſſarium fuit ponere Papam fuiſſe in culpa pro taciturnitate ſua, per hoc declarando, quòd modus arguendi fratrum prædictus non valuit, & hoc ad oſtendendum, quòd Papæ taciturnitas in nullo vſum ipſorum circa priuilegium approbare.

Ad tertiã. Ad tertium dico, quòd omninò eſt ſimile de taciturnitate Papæ in facto fratrum & prælatorum, præter hoc quòd ſi præſumendũ eſſet quòd propter iniuſtam cauſam alterius partis Papa tacuiſſet, potius præſumendum eſſet, quòd propter iniuſtam cauſam ex parte fratrum, quàm ex parte prælatorum tacuiſſet, vt dictum eſt. Et per hoc è contrario etiam præſumendum eſt quòd ſi propter iuſtam cauſam quam altera partium defendiſſet, feſtinaſſe debuiſſet ſuam declarationem, quòd potius feſtinaſſe debuiſſet eam propter iuſtam cauſam ex parte fratrum, quàm ex parte prælatorum, & ſic in eo, quòd taciturnitate ſua vterque Papa diſtulit priuilegij declarationem, omninò ex hoc præſumendum eſt, potius quòd iuſtam cauſam defendebant prælati, quàm quòd ipſam defendebant fratres, vt videtur probabiliter, in hoc potius deferendo fratribus quàm prælatis. Quod autem aſſumunt ad oſtendendum quomodo non eſt ſimile, ſcilicèt quòd fratres benè vtuntur priuilegio ſuo &c.

Dico, quòd eadem ratione poteſt dici, quòd prælati benè & rationabiliter reſiſtebant fratribus in vſu priuilegij eorum, & ideò benè egit Papa quòd tacuit & noluit eos reprimere & permiſit eos fratribus reſiſtere in hoc deferendo fratribus, quòd non ſtatim pro prælati ſententiauit, & ſic in tali dicto fratrum eſt petitio eius, quòd debent probare, & quod eis negatur. Et præterea licèt benè egiſſet vterque Papa, quòd tacuit & noluit exaudire prælatos, & permiſit vſum fratrum ſi bonus fuit, nihilominus tamen ſecundum dictum modum arguendi fratrum peccaſſet vterque eorum in non reprehendendo & cohibendo prælatos, quia bonum vſum fratrum impediſſent.

Ad quartam. Ad quartum quo arguunt quòd Papæ taciturnitas erat pro eis per ſimile de audiente confeſſiones in parochia alicuius abſque omni iuriſdictione, Dico, quòd iſte, qui ſic confeſſiones audiret, præſumptuosè ageret & multum peccaret talem actum attentando, maximè per actus continuationem ſibi ius præſcribere intendendo, & omninò eſſet cohibendus niſi notum eſſet quòd ad hoc a Deo miſſus eſſet.

Quemadmodum Equitius Abbas miſſus erat a Deo ad prædicandum, cui tamen Damaſus Papa defendere præcepit actum prædicationis licut & debuit quouſque in ſomno reuelatum fuit quòd ille ad prædicandum a Deo miſſus fuit, ſicut recitat Beatus Gregor. in primo lib. Dialog. Quare ſi tale factum tanquàm ſimile fratres ad factum ſuum velint applicare, confitentur ſe præſumptuosè agere, & mala fide ius ſacerdotii velle præſcribere, propter quod in talibus miſſum cautè cauendi ſunt ne clam ius ſacerdotum ſubripiant, & ſic ab initio a talibus cohibendi ſunt ne paulatim intrando contingat illud quod legitur cap 13. quæſt. 1. His itaque reſpondetur in b. Laborantem agricolam. Vbi dicitur ſic quaſi prælati loquantur fratribus. Nos ſumus agricolæ laborantes, vos vultis primum de fructibus noſtris percipere, immò non primum quia nec vltimum nobis relinquere vultis. A prioribus enim incipientes paulatim ſumitis & totum vſurpare contenditis, vt pro nobis videatur dictum Auſtratim lupus comedit agnum, de quo etiam dicit Innocentius Quartus loquens quibuſdam religioſis in litera ſupradicta.

Illud ſatis notabile videtur & indecens quòd nonnulli veſtrum mox vt aliquos ægritudinis languore detentos intelligunt ad ipſos vndique feſtini concurrunt, & eos illectiuis verborum blanditijs demulcentes & præcipuum ſalutis remedium pollicentes, ſi apud eos ecclefiaſtici

siasticam elegerint sepulturam: ac tandem eos ad suum propositum talibus assuasionibus pertrahentes ad testamenta eorum ordinanda se ingerunt &c. lætantur cum canonica iustitia defraudant ecclesias de quarum parochijs assumuntur corpora mortuorum, &c. qui vt nudi nudum Christum liberè sequi possent, religionis se vinculo astringentes pretiosa &c. magna contempsisse nóscuntur, se in alienis nimium contra Deum &c. iustitiam vsurpando exhibent pertinaces.

Nec credo quòd talis taciturnitas prædicta superioris prælati ad tempus posset tanquam ex suo facto ius tribuere, quia ex causa rationabili fieri posset vsque ad tempus congruum corrigendi talem præsumptionem, &c. maxime personis in quibus de iure communi tale ius cadere non potest: quales fortè sunt fratres, &c. maximè ex tali facto circa communitatem parochianorum, super quos non acquiritur præscriptio quin pertineant ad sacerdotis parochialis subiectionem &c. obedientiam, nisi omninò eis per præscriptionem subtrahantur ne sint eorum parochiani &c. sic quantuncunque alteri confiteantur absque licentia eius, semper tenentur reuerti ad ipsum ad eadem confitendum ei nisi contrarium in priuilegio specialiter cauea tur, vt dictum est secundum prædictos glossatores.

Sic ergo reuertendo ad propositum dico quòd vterque Papa tàm Martinus quàm Honorius benè dissimulare potuit ad tempus sua taciturnitate discordiam quam nouit inter prelatos &c. fratres licèt altera partium foueret iniustam causam &c. hoc ex causa licèt non cuique manifesta &c. absque omni culpa sua &c. negligentia. Decretum autem quod inducunt fratres ad probandum quòd Papa peccasset si sciuisset fratres fouere iniustam causam, &c. eos non reprehendisset, loquitur in casu quando Papa negligit corrigere corrigenda, vt patet ex verbis eius prædictis.

Ad decretum.

Tunc autem negligit quando sine causa differt corrigere quæ pro temporis necessitate statim sunt corrigenda, quam causam non debemus supponere defuisse in casu nostro.
Est ergo intelligendum, quòd licèt ita dissimulatum esset factum fratrum, vt dicunt: per hoc tamen non possunt ostendere suum propositum vllo modo, sed potius cautum faciunt Dominum Papam ne de cętero, nec diutius dissimulando talia permittat incorrecta, &c. ex negligentia inculpetur, quem tamen frequenter ex causa oportet multa per patientiam tolerare, alias perducenda in iudicium &c. corrigenda, &c. sic vt æstimo actum est in proposito.

Curia enim Romana non plumeos, sed plumbeos pedes habet, nec ad quemcunque ventum cuiuscunque clamoris statim mouetur, nec moueri debet: sed patiens est iustitiæ redditor, & expectat instructionem, maximè quando causa est ardua &c. inter magnas personas. Quamquam ergo tam Dominus Martinus quàm Dominus Honorius firmum habebant propositum pacificandi in breui dictam discordiam, & super modo pacificandi eam ad honorem Dei &c. animarum salutem deliberauerunt, tamen ambo morte præuenti implere non potuerunt quod conceperunt.

Sed hic insurgunt fratres &c. dicunt sic. Multum differt deliberare de bono faciendo & de malo impediendo. De bono enim faciendo verum est quòd diu debet deliberare homo quomodo melius fiat, &c. ideò in dando istud priuilegium tanquam de magno bono diu debuit deliberare Papa Martinus sicut ipse deliberauit. *Replica.*

Ipse enim (vt dicunt fratres) antequam esset Papa deliberauit quòd si contingeret ipsum esse Papam quòd tale priuilegium fratribus concederet, ipsi autem malo quàm primum videtur, occurrendum est, &c. ideò si vidisset fratrum abusum statim debuisset occurrere. Si enim vt dicit ille qui proponit, prior videret me audire confessionem alicuius, & non haberem auctoritatem, non reputaret bonum si taceret vsque eras.

Ecce quomodo omnibus modis inculpant Papam de negligentia erga alteram partium, quia scilicèt non statim obuiauit insolentię, vel contra vnam partem vel contra aliam.
Si enim omninò debuit statim obuiare parti defendenti iniustam causam, &c. in proposito indubitanter altera pars defendit iniustam causam: quia partes defendunt contradictoria, sequitur ergo necessariò ex dicto fratrum quòd Papa sciens causas fratrum &c. prælatorum in omnem euentum negligens fuerit & se mancipium fecerit gehennę, & sic perseueranter impingunt in Papam secundum modum prędictum.

Sed dico adhuc sicut dixi, quòd Papa sine culpa sua potuit non statim obuiare insolentię multitudinis fratrum vel prelatorum, sed ex causa expectare vsque ad congruum tempus, & interim super modo obuiandi deliberare. Non ergo (vt dicunt) tantum de bono faciendo deliberandum est, sed etiam de obuiando malo, quòd etiam est bonum quid facere. Quod autem dicunt quòd de dando suum priuilegium Dominus Martinus diu deliberauerit tanquam de bono, Dico quòd reuera valde bonum est & vtile eorum priuilegium, intelligendo ipsum secundum modum quo supra ipsum dicitur intellexisse.

Intel-

Intelligendo autem ipsum secundum modum exponendi fratrum : potius videtur mihi esse periculosum quàm bonum & vtile, secundum quòd infra declarabitur.

Quod autem addunt : quòd Dominus Martinus antequàm esset Papa deliberauit se daturum fratribus priuilegium illud : an hoc verum sit nescio, sed potius credo quòd non, quia per tale dictum quasi insinuant quòd ipse ad Papatum aspirasset, & antequàm factus erat, de fiendo Papa deliberasset, quòd ambitiosum valde fuisset, in quo, vt videtur, multum a fratribus inculpatur.

Quod subiungit ille de se & suo priore dicendum quòd non est simile, quia facto vnius personæ facilius potest obuiari, non sic facto duarum communitatum, quia maturius est agendum cum communitatibus quàm cum personis singularibus.

Et ideò licèt prior sciens fratrem audire confessionem sine auctoritate statim deliberet ei obuiare, non tamen Papa sciens communitatem iniustè agere, semper statim debet obuiare. Hoc aduertens frater qui determinauit pro ceteris in sua determinatione secundâ facta addidit dicens,

Recolo de taciturnitate : nos non habemus solam taciturnitatem, immò vidi literam bullatam Domini Martini Papæ : in qua fratribus dabatur iudex, coram quo possent conuenire impedientes prædicationem eorum & audientiam confessionum.

Dico quòd nec talibus verbis inniti possunt fratres. Benè enim verum potest esse, quòd Dominus Martinus dabat fratribus iudicem, executorem sui priuilegij, quod eis dederat quo possent conuenire impedientes prædicationem & auditionem confessionum eorum quo ad formam, quæ data est eis in priuilegio secundum superius dicta.

Non tamen ex hoc habent, quòd datus esset eis iudex contra impedientes auditiones eorum confessionis secundum modum quo ipsi intelligunt priuilegium, maximè cum sit inconueniens verbis priuilegij.

Vnde loquuntur fratres ac si omnia dicta & facta sua essent Euangelia, & Papa cuncta, quæ contingeret eos facere aut dicere approbaret.

Et mirum est vnde talia præsumunt, secundum quòd super hoc fundatur duodecima ratio inferius inducta contra prælatos.

Hic possent subscribi priuilegia fratrum, si quis desideraret.

Finis duodecimi Quodlibet Magistri Henrici à Gandauo.

Comment. in Quæstionem XXXI. quæ est,

Vtrum confessus priuilegiato teneatur eadem peccata confitteri Curato suo, &c.

NOT. quod hæc quæstio alibi agitata est, cum scilicet in septimo Quolib. quæst. 24. tùm etiam Quolib. 10. q. 5. Neque hoc loco aliquid noui dicit, nisi, quod ibi dictum est, quod confirmat, atque obiectionibus satisfacit. Nos autem cum reputemus huiusmodi Doctoris sententiam reprobatam a Ioanne 22. Vt ibi diximus, iudicamus omnia, quæ dicit glossandam esse, sicut ibi diximus. Neque propterea hoc loco quidpiam addere volumus, sed finem & quæstioni, & quolib. facere.

Explicit Quodlib. Duodecimum ad laudem Dei, & Beatæ Virginis.

MAGISTRI HENRICI A GANDAVO

DOCTORIS CELEBERRIMI

QVAESTIONES QVODLIBETALES

Cum Commentarijs, seu Adnotationibus R.P.D. Vitalis Zuccolij Abbatis Ordinis Camaldulensis Theologi Clarissimi.

Quodlibet decimumtertium decem ac septem quæstiones habet, tum de Deo, cùm etiam de creaturis, vt initio quæstionis primæ, & in processu deprehendere licet.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Deus possit videri à beato sub ratione veri, absque hoc quòd videatur ab eodem sub ratione boni.

QVODLIBET nostrum decimumtertium continebat Quæstiones decem & septem. Quarum quædam erant de Deo in comparatione ad creaturas & è conuerso: quædam verò de creaturis secundum se.

Circa primum erat vnum pertinens ad Dei visionem: Vtrum scilicèt Deus possit videri à beato sub ratione veri absque hoc quòd videatur ab eodem sub ratione boni. Aliud verò pertinebat ad Dei dilectionem, & erat Vtrum Deus plus possit diligi quàm cognosci. Tria verò alia ad Dei potentiam pertinebant. Quorum primum erat circa id, quod est extra mundum. Vtrum scilicèt Deus possit facere corpus aliquod extra cœlum, quod non tangit cœlum. Aliud erat circa assumptum ab ipso. Vtrum Deus potuit facere quòd anima Christi separata a suo corpore existente in sepulcro mortuo fuisset coniuncta corpori ipsius inuolucri vel in pyxide, si tunc fuisset consecratum. Tertium erat circa assumendum: Vtrum Verbum Dei potuit assumere substantiam non intellectualem in vnitatem personæ.

Circa primum arguitur: quòd Deus possit videri

radiat

Quæst. II.

Quæst. III.

Quæst. IV.

Quæst. V

Arg. primo.

videri à beato sub ratione veri absque eo quòd videatur ab eodem sub ratione boni: quia omne prius saltem secundum intellectum potest separari a posteriori: ratio autem veri prior est secundum rationem intellectus nostri in Deo quàm ratio boni: quia est simplicior. Ratio enim boni includit in se rationem veri, ergo &c.

Secundò. Item quia alia ratio est essentiæ diuinæ vt in se & absolutè consideratur, & alia ratio eiusdem vt est idea creaturarum, ideò diuina essentia potest videri a beato in se & absolutè sub ratione essentiæ absque eo quòd videatur sub ratione ideæ. Nisi enim ita esset, diuina essentia non posset videri a beato, quin simul in ea & cum ea viderentur creaturæ inquantum est idea: quòd tamen falsum est. Igitur poterit etiam videri sub ratione veri a Beato absque eo quòd videatur sub ratione boni. Item bonum

Tertium. operabile & factibile potest intelligi ab intellectu speculatiuo sub ratione veri absq; eo quòd intelligatur sub ratione operabilis, vt inquirendo quid est virtus moralis & quæ partes eius & huiusmodi, ergo &c.

In oppositum. Contra non minus differunt inter se ratio essentiæ in Deo, & ratio relationis, & relationes diuinæ personales, quàm verum & bonum in Deo: sed essentia diuina non potest videri nisi in persona: ergo &c.

Respõsio. Dico quòd in Deo præter pluralitatem & distinctionem personarum & proprietatum notionalium, quæ sunt secundum rem & naturam, & secundum relationes & esse respectiuum, nulla est pluralitas nec diuersitas aut distinctio nisi secundum rationem & considerationem intellectus, & secundum rationes attributales, prout hoc aliàs declarauimus. Et ideò cum diuina natura intellectui beato obiectiuè se offert & representat vt vnum simpliciter sub vna ratione simplicissima tantùm, videlicèt sub ratione esse, q̃ vniuersaliter est ratio, secundũ quam de quacũque re primus natus est formari conceptus ab ipso intellectu, ita quòd si intellectus apprehendés diuinam naturam sub ratione esse stet in sola apprehensione tali, & nequaquàm operetur vlterius circa sic apprehensum suæ considerationis intuitu nequaquàm apprehendet aut discernet aliquam pluralitatem rationum in illa, quia nec est in illa secundum naturam nisi in virtute, & secundum actum solùmmodò est in illa ex consideratione intellectus distinguentis illas in ipsa natura sub ratione quæ est esse, quasi determinantis & contrahentis ipsam, cuiusmodi sunt viuere, intelligere, velle: quæ significantur per modum actus.

Et quia ab esse dicitur essentia, essentia est ratio secundum quam de quacunque re primus natus est conceptus formari ab ipso & in ipso intellectu, ita quòd si intellectus apprehendens diuiniam naturam sub ratione essentiæ stet in sola apprehensione tali, & nequaquàm vlterius operetur suæ considerationis intuitu circa sic apprehensum nequaquàm apprehendet aliquam pluralitatem rationum in diuina natura, quia nec sunt in illa nisi virtute tantùm, & solùmmodo sunt in illa secundum actum ex consideratione intellectus distinguentis illas in ipsa natura sub ratione illa quæ est essentia, quasi determinãtis & contrahentis ipsam, cuiusmodi sunt vita, intelligentia, veritas voluntas, & bonitas, quę significantur per modum habitus. Nec est ibi alia determinatio aut contractio ex natura rei, quia tunc in illa ex hoc esset aliqua compositio, sed solùmmodò secundum rationem considerationis nostræ, quæ non potest sub ratione tantæ simplicitatis illas comprehendere, sub qua sunt in illa natura.

In ipsa enim diuina natura quantum est ex ipsa natura non est nisi vna singularitas simplex sine omni ratione vniuersalis sine qua non est determinatio vel contractio in re ex ipsa natura rei. Quare cum in visione beatorum non sit consideratio intellectus circa illa quæ sunt in Deo, discursiua, neque via inuestigationis vnius rationis post aliam: sed simplex & tota simul, de necessitate ergo beatus vnico & simplici intuitu videt in ipsa diuina natura omnes illas rationes simul, & earum pluralitatem atque diuersitatem siue distinctionem, quæ etiam nullo modo possent videri nisi ipsis rationibus simul visis acsi secundum rem essent in ipsa diuina natura, & sese ex natura rei offerrent intellectui & mouerent illum ad videndum eas. Propter quod dico, quòd non potest Deus videri a beato sub ratione veri absque eo quòd videatur sub ratione boni.

Ad cuius ampliorem intellectum à contrario acceptum est aduertendum, quòd si aliquid vnũ & ideò simplex secundum rem habet in se diuersas rationes, quòd posset cognosci secundum vnam earum, & non secundum aliam, hoc non videtur posse contingere nisi duabus de causis: propter quas vna earum possit intelligi seorsum sine alia. Quarum prima est, quòd res illa potest habere rationem vniuersalis secundum diuersas intentiones generis & differentiæ, hinc est ex se singularitas quædam sicut in diuina natura, in quam non cadit ratio vniuersalis. Propter hanc enim causam possum intelligere rationem animalitatis siue animalitatem secundum rationem generis absque eo quòd intelligam rationem rationalitatis aut irrationalitatis secundum rationem differentiæ, & similiter possum intelligere hominem & videre siue cognoscere à longe venientem sub ratione animalis quòd tamen ipsum non cognoscam secundum rationem rationalis vel hominis, cuius rationem

habet

habet per rationale additum animali. Alia est, quia res illa in qua sunt ambæ rationes non se offert clare cognoscenti, aut ipse intellectus propter suam obtusitatem non sufficit eam primo intuitu clare conspicere: sed oportet eum per discursum notitiam illius inuestigare: & hoc singillatim singulas rationes singulis inuestigationibus, & ideo vna illarum inuestigata sic vt cognoscatur siue intelligatur, altera quia nondum inuestigata est non cognoscitur nec intelligitur. Et secundum hoc in vita ista possum cognoscere Deum secundum quòd est ens & non secundum quòd est vnus vel bonus & huiusmodi: Hæc enim diuersis inuestigationibus, & seorsum de Deo in vita ista cognoscuntur.

Nunc autem in proposito ita est, quòd neutra harum causarum locum habet in aperta visione Dei in patria. Non prima, quia in Deo non cadit ratio vniuersalis, sed quicquid est in eo vna singularitas quædam est, secundum quòd alibi declaraui. Vnde quia ratio esse quæ est primum cognoscibile de Deo & visibile in ipso & simplicissima in eo, quoddam singulare est & similiter viuere & intelligere, velle & cęteræ virtutes omnes, & sunt omnes id quod ipsum in vna re singulari, & vna earum secundum rem & quantum est de natura rei est alia: licèt secũdum rationem nostram intelligendi vna includatur in alia vt esse in viuere, & viuere in intelligere, & verum in bono, & sic de singulis, vt secundum hoc omnes simul per considerationem intellectus in vnica singularitate secundum rem se offerant videnti ratio scilicèt ipsius esse in alijs vt quibus quasi determinatur, & rationes aliæ sub ratione ipsius esse quæ quasi ipsum determinant. Omnis ergo videns Deum vera visione ipsum totum & secundum omnes rationes eius videt eum: aut si subtrahatur visio hæc vnius rationis, necessario omnium aliarum visio subtrahetur.

Secunda autem causarum prædictarum nequaquam habet locum in proposito, quia in visione Dei aperta nulla est cognitio ex inuestigatione & discursu. Propter quod dico iterum quòd Deus non potest videri a beato sub ratione veri obiectiuè, quin etiam simul videatur sub ratione boni, in qua & ratione veri est ratio elicitiua actus videndi bonum, secundum quòd nihil omninò intelligitur nisi sub ratione veri, sicut alibi exposui.

Quod arguitur primo in contrarium, quòd prius secundum intellectum potest separari posteriori: Dico quòd non est verum quando prius non habet rationem vniuersalis, aut cognoscens cognoscit rem per discursum, aut prius re differt à posteriori, sicut substantia differt ab accidente: quorum nullum contingit circa Deum in visione beata. *Ad primũ principale.*

Ad secundum, quòd essentia diuina potest videri absque eo quòd alia scilicèt essentiæ creaturarum videantur in ipsa &c. Dico quòd non est simile: quia illa sunt extra diuinam essentiam, & ipsa nullum essentialem ordinem vel respectũ habet ad illa. Propter quod per illam non in ordine ad essentias creaturarum extra, non necessario cognoscuntur ipsę essentiæ creaturarum, sed possunt occultari. Quare similiter ipsis occultatis nequaquam possunt cognosci rationes relatiuales illorum in Deo, eo quòd relatio in vno extremo non potest cognosci nisi cognita relatione in alio extremo, quæ cognosci non potest sine cognitione illius in quo est. *Ad secundum.*

Ad tertium: quòd operabile vel factibile potest cognosci sub ratione veri, & non simul sub ratione boni: Dico quòd verum est vbi differt res & vsus rei, & de cognitione habita de illis in vita ista, quia non est nisi discursiua. Et sic non est simile de cognitione rationum Dei in patria, in qua omnes simul sub vno intuitu iugiter permanente absque vlla variatione cognoscentur. *Ad tertium.*

Ratio in oppositum concedenda est.

IN QVODLIB. DECIMVMTERTIVM.

Quodlibet decimumtertium decem ac ſeptem quæſtiones habet, tùm de Deo, cùm etiam de creaturis, vt initio quæſtionis primæ, & in proceſſu deprehendere licet.

Comment. in Quæſtionem Primam, quæ eſt.

Vtrum Deus poſſit videri à beato ſub ratione veri, abſque hoc quòd videatur ab eodem ſub ratione boni.

IN titulo videtur quæri vtrum in Deo attributa ſint formaliter diſtincta, &c. non ex ſola ratione. vnde non quæritur an ſcilicet per ſolam conſiderationem apprehendi poſſit veritas, &c. non bonitas.

In corpore eſt concluſio negatiuè reſponſiua quæſito, ſcilicet quòd beatus non poteſt ſub ratione veri videre Deum, &c. non ſub ratione boni.

Probatur primò concluſio. Vbi vnico intuitu videtur Deus, &c. omnes rationes attributorum eius, ibi non poteſt videri ſub vna ratione, &c. non ſub alia, ſed beatus videt vnico intuitu Deum, & omnes rationes attributorum eius. igitur. Maior patet, & minor probatur. Deus offertur intellectui beato tanquàm ſingulare ſimpliciſſimum ſine vlla diſtinctione attributorum niſi rationis, igitur vnico intuitu &c. Probatur antecedens, quia ſi non offeratur hoc pacto, ergo inter attributa erit aliqua diſtinctio vltra eam, quæ eſt rationis, & ſic aliqualis compoſitio, ſed conſequens eſt falſum, igitur.

Secundò probatur eadem concluſio. Si Deus poteſt cognoſci ſub vna ratione, &c. non ſub alia, hoc eſt, vel quia Deus habet intentionem vniuerſalis ſecundum diuerſas intentiones generis, & differentiæ, vel quia Deus non ſe clarè offert cognoſcenti, vel quia ipſe intellectus propter ſuam obtuſitatem non ſufficit eam pro intuitu clarè conſpicere, ſed oportet eum per diſcurſum notitiam illius inueſtigare. Nullum eorum eſt dicendum, igitur. Patet maior; minor verò probatur. Quia non primum, Si quidem Deus non eſt talis ratio vniuerſalis, &c. Non ſecundum, quoniam ſi non in patria beato intellectui clarè ſe offert Deus, vbi, & cui nam vnquam ſe offert? Non tertium, quoniam aperta Dei cognitio non habetur per diſcurſum.

Not. autem Scotum contra primam rationem, vbi habetur, attributa diſtingui tantùm ratione, arguere in primo ſententiarum, diſtinct. 8. q. 4 cui ſatisfactum eſt in quinto Quolib. quæſt. 2.

Not. inſuper, quòd per diſtinctionem rationis intelligit eam, quæ dicitur formalis, & ex natura rei, ſicut dictum eſt in quinto Quolibet. ſed tunc eſt dubium, quia ſi ex natura rei diſtinguuntur bonitas, & veritas, quid eſt, quòd vna non poteſt intelligi ſine altera? ſed ſoluitur, quòd id eſt in intellectu viatoris, qui intelligere poteſt vnam ſine altera; quod arguit imperfectionem, ſcilicet iſta potentia, quæ potius dicenda eſt impotentia. In intellectu autem beato contra accidit. Et quidem quoniam intellectui viatoris non ſe offert Deus clarè, ſed in ſpeculo, & in ænigmate: beato verò clarè, & ſicuti eſt. Et illud non poſſe cognoſcere illum ſub vna ratione. quin cognoſcat ſub altera arguit perfectionem in huiuſmodi intellectu. Vtrum ſi attributorum rationes realiter differrent in Deo, vtique poſſet beatus cognoſcere vnam ſine altera, ſed hoc eſſet ponere in Deo aliquam compoſitionem, vel plures Deos, quod eſt falſum. Cætera clara ex alibi dictis.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Deus plus possit diligi, quàm cognosci.

Argumen. principale.

CIrca secundum arguitur, quòd Deus non possit plus diligi quã cognosci, quia si simpliciter ad simpliciter &cet. Sed dilectio Dei simpliciter sequitur cognitionem Dei simpliciter, ergo maiorem cognitionem sequitur maior dilectio, & sic omninò equantur, ergo &c.

In oppositum.

Contra, tunc simplex idiota non posset plus diligere Deum quàm perspicax litemus, quod falsum est.

Responsio.

Dico ad quæstionem & ad argumenta simul: quòd ista quæstio de comparatione dilectionis & cognitionis de Deo inter se (vtrum scilicèt dilectio possit esse maior quàm pro tempore dilectionis sit ipsa cognitio) est quæstio de comparatis æquiuocè, ac si quæreretur de lacte vtrum possit esse plus dulce quàm album, siue vtrum dulcedo eius possit esse maior quàm sit sua albedo, & sic non est quæstio de comparatione propriè & verè dicta. Talis enim secundum philosophũ 7. Physic. non est nisi in vniuocis id est secũdum vnam dispositionem in specie specialissima, vt cum quæritur de duobus albis, vtrum illorum sit albius. De tali autem comparatione dispositionum diuersarum inter se: dico quòd potest intelligi prout ambę sunt in eodem: quemadmodum iam dictum est de dulci & albo in lacte, vel prout sunt in diuersis, quemadmodum si quæreretur an mel sit plus dulcè quàm lac sit album. Et isto secundo modo intelligendo comparationẽ, dico simpliciter quòd magis diligi potest ab vno quàm cognoscatur ab altero, & similiter magis cognosci ab vno quàm diligatur ab altero, puta quòd si dilectio sit in vno scilicèt in quarto gradu intensionis suę, & cognitio alterius in secundo, vnus in duplo plus diligit quàm alter cognoscat, & si è contra, vnus in duplo plus cognoscit quàm alter diligat, & sic non intelligitur quęstio: quia omninò nullam habet difficultatem, nec circa beatos, nec circa viatores. Primo ergo modo intelligẽdo eam distinguo de dilectione & cognitione Dei in via & in patria, & similiter de dilectione Dei naturali & gratuita. Loquendo autem de cognitione Dei in via quacunque, siue acquisita siue ex fide habita siue alio modo dono gratuito infusa, & de dilectione gratuita in via, dico quòd minus cognoscens potest plus diligere, & e conuerso plus cognoscẽs potest minus diligere, secundum quòd procedit secundum argumentum. Loquendo autem de cognitione Dei in via quacunque prædicta, & de dilectione gratuita similiter in via, & similiter de cognitione Dei & dilectione eiusdem in patria, distinguo quia aut intelligitur fieri comparatio vnius dilectionis & vnius cognitionis in eodem, aut duarum dilectionum, & duarum cognitionum inter se siue in eodem successiuè siue in diuersis. Si primo modo, dico quòd Deus non magis diligitur quàm cognoscitur, & hoc quia voluntas per dilectionem magis vnitur fini quàm intellectus per cognitionem, quia intellectus nõ vnitur per cognitionem nisi quia finis est, & in ipso ipsum informando forma intellectionis quasi specie sua.

Voluntas autem vnitur fini per dilectionem, quia ipsa subintrat finem, seseque in ipsum quod id quod est quantum possibile est transformando. Et propterea voluntas perfectius vnitur fini & verius quàm intellectus quanto vèrius & perfectius est rei vniri fini secũdum seipsam quàm secundum speciem suam, & quanto finis ipse verius habet esse in seipso quàm in intellectu & nobilius, sicut & omnia quę sunt supra intellectum, è contrario illis quæ sunt sub intellectu, quæ nobilius habent esse in intellectu quàm in seipsis. Propter quod melius est homini diligere superiora quàm cognoscere vt Angelum, nisi quatenus eius dilectio impedit dilectionem summi boni, & huiusmodi diligere Angelum est in finem. Econtra melius & perfectius est cognoscere inferiora quàm diligere ea: puta verum, nisi quatenus eius dilectio proficit ad dilectionem summi; & hoc diligere verum est in ordine ad finem, & quanto magis est transformari in ignem, quemadmodum ferrum missum in ignem candescit, & ignescit vt ignis, ac si secundum substantiam essent idem, ferrum & ignis, quàm infirmi similitudine ignis, & propterea voluntas sic vnita fini plus inardescit in eius dilectione & gradum pertranſit in dilectione quàm de cognitione precipit intellectus in cognitione, & amor subintrat vbi cognitio foris stat, secùndum quòd omnia hæc alias latius declarauimus. Si intelligatur ergo comparatio quatuor inter se, scilicèt vnius dilectionis & vnius cognitionis in vno pro vno tẽpore, & alterius dilectionis, & cognitionis in eodem pro alio tempore, aut alterius dilectionis & cognitionis in alio siue pro eodem tempore siue pro alio, vlterius distinguo, quòd talis comparatio talium dispositionum penes equale & inæquale siue magis & minus, potest intelligi secundum proportionem arithmeticam, in qua consideratur æqualitas vel excessus secundum speciem & formam proportionis. Vel potest intelligi secundum proportionem geometricam,

qua

quæ est secundum quantitatem proportionatorũ. Est enim æqualis, & consimilis comparatio quatuor ad duo, & octo ad quatuor secundum proportionem arithmeticam, quia sicut secundi duplam proportionem quatuor excedunt duo, sic & octo excedunt quatuor. Est autẽ inæqualis & dissimilis comparatio illorum secundum proportionem geometricam: quatuor enim non excedunt duo nisi in duobus, octo aut excedunt quatuor in quatuor. E contrario autem æqualis & consimilis est comparatio secundum proportionẽ geometricam quatuor ad duo, & sex ad quatuor, quia sicut quatuor excedunt duo in duobus tantùm, sic sex excedunt quatuor in duobus tantùm. Est autem inæqualis, & dissimilis comparatio secundum proportionem arithmeticam: quatuor enim excedunt duo secundum duplam proportionem, in qua vnum continet aliud bis: sex autem excedunt quatuor secundum sesquialteram proportionem, in qua vnum continet alterum & medietatem eius tantum. Si quidem enim intelligatur dicta comparatio secundum proportionem arithmeticam. Dico, q̃ Deus non potest plus, aut minus diligi, quàm cognosci, sed tantũmodo æqualiter, quia qualis est proportio inter cognitiones, dupla s. vel tripla, & sic de cæteris, talis est proportio dilectionũ inter se, prout processit prima ratio, & hoc secundum modũ quo est æqualitas in iustitia distributiua, quæ secundũ dignitatem recipientis procedit. Si verò dicta cõparatio intelligatur secũdum proportionem geometricam, dico, q̃ nunquam Deus æqualiter cognoscitur & diligitur, sed semper diligitur inæqualiter, quia enim vt dictum est, semper maior est dilectio, quàm cognitio sit, eo quòd voluntas magis penetrat, & ad simplicem cognitionem puta a, sequitur simpla dilectio, puta a, cum aliquo plus secundum quantitatem dilectionis, vt dilectio sit a c, vt a sit quantitas dilectionis quę respõdet per æqualitatem quantitati cognitionis: e verò sic superexcrescat ex voluntatis penetratione quantumuis sit modicũ, siue decima pars ipsius a, siue vicesima, siue secundum aliquam aliam proportionem, sed semper æqualiter, sicut per æqualitatem quantitati cognitionis respondet aliqua quantitas dilectionis, & duplæ cognitioni dupla dilectio, sic semper quantitati dilectionis respondet determinata quantitas in excrescente, & duplæ dilectionis duplum excrescens, ita q̃ comparando cum principali quantitate, quæ in dilectione per se respondet cognitioni per æqualitatem, quantitatem excrescentis, semper ad duplam cognitionem, puta a b, sequitur dupla dilectio, puta a b, & plus in excrescenti secundum quantitatem dilectionis, ita quòd in duplo plus quàm prius, secundum quòd est maior in duplo dilectio, quàm præcedens, & sit a d, vt sit hæc dilectio tota a b c d, vbi licet dupla proportio sit inter dilectiones ex vna parte, & ex altera, inter cognitiones tamen in maiori parte excedit dilectio dilectionẽ quàm cognitio cognitionem, quia in maiori medietate. Cognitio enim dupla, quæ est a b, nõ excedit cognitionem simplam, quę est a, nisi in b tantùm: dilectio autem dupla, quæ est a b c d, excedit dilectionem simplam, quæ est a c, in b d: & plus est b d, quam b tantùm. Propter quod est inæqualitas secundum geometricam proportionẽ, & excedit in plus dupla dilectio dilectionem simplam, quàm excedat cognitio dupla cognitionẽ simplam, licèt maneat vtrobique eadem proportio arithmetica.

Comment. in Quæstionem Secundam, quæ est,

Vtrum Deus plus possit diligi, quàm cognosci.

IN titulo aduert. est ex Auctore primum quomodo comparatio vniuoca non sit, sed æquiuoca. Quippè non sit inter ea, quæ sunt eiusdem speciei quemadmodum esse debet, sed diuersarum tùm specierum, tùm etiam generum subalternorum. Neque enim eiusdem speciei sunt cognitio, atque dilectio: vide Arist. in 7 Physic. tex. 19. vbi vult quòd comparabilia sint vniuoca, vnius videlicet speciei specialissimæ: si autem inter æquiuoca accepta potest fieri aliqua comparatio, conatur Auctor eam assignare in præsentia de dilectione, atque cognitione.

Not. insuper quæstionem non esse, qualenus cognitio sit, & dilectio in diuersis, ac si cognitio sit in vno: dilectio autem in alio; de hoc enim clarum est, inquit, quòd ab vno potest plus diligi, quàm ab alio cognosci, & è contra, sed quæstio est vbi cognitio, atque dilectio Dei accipiuntur in eodem, & comparantur ad inuicem.

In corpore igitur habita quibusdam diuisione, & subdiuisionibus, quatuor conclusionibus satisfit quæsito, quæ ad hanc formam redigi placet.

Dilectio Dei, atque cognitio est vel

In via, & est vel gratuita, vel naturalis, & tunc comparantur vel

In Patria, & est vel gratuita, vel naturalis.

Ea quæ est in via ad eam, quæ est in via

Ea, quæ est in via ad eã, quæ est in patria, & tunc comparatio est, vel

Vnius dilectionis, & cognitionis in eodem

Duarum dilectionum, & cognitionum inter se sine in eodem successiuè, sine in diuersis, & tunc comparatio est vel

Secundum proportionem Arithmeticam.

Secundum proportionem Geometricam.

Prima conclusio.
Deus potest plus diligi quàm cognosci, & è cõtrà.

Secunda conclusio.
Semper magis Deus diligitur, quàm cognoscatur.

Tertia conclusio.
Deus non potest plus, aut minus diligi, q̃ cognosci.

Quarta conclusio.
Semper Deus magis diligitur, quã cognoscatur.

Hanc credimus esse quæstionis resolutionem ad Auctoris mentem. vbi prima conclusio probatur per secundum argumentum in fronte quæstionis: constat enim quod simplex, idiota magis diligit aliquando, quam literatus, & constat, quòd simplex idiota Deum parum cognoscit, maximè cognitione acquisita, de qua præsertim intendit conclusio.

Secunda conclusio probatur. Voluntas magis Deo coniungitur tanquam fini, quàm intellectus, sed voluntate diligimus, intellectu autem cognoscimus, igitur magis semper diligitur Deus, quàm cognoscatur.

Not. pro assumpto, q̃ hæc differentia est inter intellectũ, & voluntatem; quòd intellectus dum aliquid cognoscit, illud cognitum quærit in se transformare, vt verum sit illud Philosophi, quod idem sit intelligere, intellectus, & intellectum. Voluntas verò ad volitum suum aliter se habet. Non enim quærit voluntas transformare volitum suum in se, sed seipsam in volitum: cùm autem id difficilius sit intellectui, transformare scilicèt Deum cognitum in se, facilius contra voluntas seipsam transformare in volitum Deum, fit magis vnio voluntatis cum Deo, quàm intellectus, facilior si quidem est transformatio finiti in infinitum, quàm è contra. Immò illa facilior, quia saltem id fit per immersionem: vnde in Deo tota immergitur ipsa voluntas.

Tertia conclusio, & quarta intelligentur facilè, si de vtraque proportione aliquid clarius dicamus. Sciendum itaque proportionem non esse nisi quandam comparationem vnius ad aliam quantitatem, quæ si sint æquales, profectò dicitur proportio æqualitatis, si verò inæquales, dicitur proportio inæqualitatis. Exemplum primæ, vt si comparemus 2. ad 2. erit proportio æqualitatis. Exemplum secundæ, vt si comparemus 2. ad 3. erit proportio inæqualitatis. Nunc autem dimissa illa æqualitatis, accipienda est altera, quæ diuiditur secundum minorem, & maiorem inæqualitatem, vbi maior est, quando maior quãtitas minori comparatur, altera verò quando è contra. Sed hoc parum refert, quia in omni huiusmodi proportione apparet vtraque comparatio. Et hæc in tres species diuidi solet, in arithmeticam, geometricam, atque harmonicam, non quidem propriè, sed impropriè, quoniam non proportiones dicuntur huiusmodi, sed proportionalitates, vbi videlicèt comparantur adinuicem proportiones. vnde vt loquamur tantùm de proportione arithmetica, & geometrica. Arithmetica ea est, quæ inter duos terminos cuiuscunque proportionis habet medium tale, quòd existentibus terminorum suorum differentijs æqualibus, proportiones erunt inæquales. Iam verò contra geometrica est, vbi tale erit medium, quod facit cum extremis inæquales differentias: æquales vero proportiones. Exempla patebunt in subscripta figura.

Arithmetica.	*Geometrica.*
Differentiæ æquales .1. .1.	*Differentiæ inæquales* .2. 1.
4. *Sesqtertia* 3. *Sesqualtera.* 2.	4. *Dupla.* 2. *Dupla.* 1.
Proportiones inæquales.	*Proportiones æquales.*

Ex hac fig. liquet expresiè exẽplũ vtriusq; proportionalitatis. Et tunc probatur, & intelligitur tertia concluſ. Probatur quidem p argum. primum in fronte quæst. adductum. Intelligitur verò sic, q̃ sicut se habet respectu differentiarum 4. ad 3 & 2. ad 1. sic cognitio ad cognitionem, & dilectio ad dilectionem. Ita q̃ si dupla est differẽtia ibi, & hic pariter, si tripla, tripla &c.

Quarta verò conclus. probatur per id, quod dictum est ad secundã. Intelligitur verò applicatè, qm̃ etsi proportiones sint equales: differentiæ tamen sunt inæquales, vnde tametsi vniantur intellectus, atq; voluntas Deo vt fini, differentia ista est ex parte voluntatis, quia magis adhæret, & vnitur, sicut dictum est. Et ex his satis notam credimus factam quæst. huiusmodi.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum Deus possit facere corpus extra mundum, quod non tangat cælum.

Arg. primo. Primum.

CIRCA Tertium arguitur, ꝙ Deus non potest facere corpus extra mundum, quod non tangat vltimum cœlum; quia non distaret ab illo: sicut enim non potest esse albū sine albedine, sic non possunt aliqua distare sine distantia, quare cum inter illud corpus & cœlum nulla sit distinctio media, non distant: corpora autem quę inter se non distant sese tangunt: ergo &c. *Secundō.* Item secundum Philosophum 6 Phys. Corpora illa tangunt se, quorum nihil est mediū: inter illud autem corpus, & extremum cœlum nihil est medium: ergo &c.

In oppos. Contra. Deus non est potentior intra cœlum quàm extra, sed intra cœlum Deus posset cœlum continuè tenere in esse cadentibus elementis in nihilum, cum in nullo dependeat cœlum ab elementis in suo esse, sed magis è contrario, & tamen latera cœli non concurrerent, nec se tangerent, sed distarent, sicut modo: ergo &c.

Responsio. Dico, quòd Deus benè potest facere corpus aliquod, vel alium mundum extra vltimum cœlum, sicut fecit terram infra mundum, siue infra cœlum, & similiter ipsum mundum & vltimum cœlum, & hoc non in aliquo, sed in nihilo, non materialiter quasi nihil sit aliquid, sed post nihil, quia vbi nihil erat, & hoc non quia tunc illud vbi erat aliquid vt dimēsio separata, in qua ipsum nihil erat, quasi nihil esset aliquid & in qua dimensiones corporis recipi possent post nihil prius ibi existens, & expulsum, sed totum debet intelligi negatiuè, ac si diceretur, nō vbi erat aliquid, vt & vbitas, & aliquitas simul negentur, vt intelligamus modo ipsum cœlum, vel corpus, de quo loquimur factum esse in nihilo, intelligendo hoc secundum modum quo intelligit Augu. ipsum nihil, quando exponendo illud Io. 1. Sine ipso factum est nihil, dicit sic, Videte ne cogitetis, quia nihil aliquid est. Solent enim multi malè intelligere Sine ipso factum est nihil, putantes aliquid esse nihil.

Et secundum hoc dicitur de Deo. Iob 26. Appendit terram super nihilum, omninò scilicèt quia non super plenum, quod est aliquid per se, vt corpus dimensionatum, nec super vacuum, quod est aliquid per accidens, vt iam dicetur. Secundum hunc etiam modum Deus extremum cœlum fecit in nihilo, scilicèt omninò, quia secundum Philosophum, extra cœlum nihil est, id est non est aliquid.

Dico neque per se existens aliquid, neque per accidens, propter quod specificādo continuè subdit. Neque plenum est vacuum, vt intelligatur omninò necesse extra cœlum nihil esse, & supremum cœlum factum in nihilo, & terra appensa super nihilum.

Vlterius dico, quòd posset Deus facere illud corpus extra cœlum distans ab vltimo cœlo, vt procedit vltima ratio, nec est hic aliqua alia difficultas nisi in argumentis duobus ad oppositum.

Quòd ergo arguitur primò, quòd cœlum, & dictum corpus non distarent, quia nulla est distantia inter illa &c. dico, quòd aliqua contingit distare dupliciter. *Ad primū princip.*

Vno modo per se, scilicèt quia est aliqua distantia positiua dimensionis corporalis in medio eorum.

Alio modo per accidens, quia etsi non sit aliqua distantia positiua inter illa: tamen iuxta, vel inter illa potest esse aliquid, quod habet in se dimensionem positiuam, per quam potest aduerti distantia illorum, vt si iuxta extrema duorum corporum inter quæ est vacuum, & iuxta vacuum sit murus trium pedum, tunc distantia trium pedum dicendum est corpus quod est sub vacuo distare à corpore, quod est super vacuum quod etsi nihil sit intra, tamen quantæ dimensionis corpus natum est recipi inter dicta duo corpora, tantùm secundum distantiam iudicandum est esse illud intermedium, sed per accidens, & ratione illius per accidens intermedium, quod secundum se omninò nihil est, per accidens est quasi aliquid, propter quod appellatur vacuum, quasi non omninò nihil, sed per accidens distantia separata corporis receptiua. Et secundum hoc dicta duo corpora non distant nisi distantia non quæ est secundum actum, & per se iuxta, vel inter illa, sed quæ nata est esse inter illa per se, aut iuxta illa, & per hoc benè distantia quæ est distantia per accidens, & inter illa, quale est vacuum sicut iam dictum est.

Quod arguitur secundò, quòd nihil est mediū inter illa, dico, quòd nihil esse medium inter aliqua potest intelligi dupliciter. *Ad secundū primo.*

Vno modo, quia nulla distantia nec per se, nec etiam per accidens est in medio.

Alio modo solòm, quia nulla distantia per se est in medio, vt nullum corpus: est tamen in medio, vel quod est distantia per accidens, & per hoc aliquid per accidens, scilicet vacuum.

De non habentibus medium inter se primo modo verum est solùm modò, quòd tangunt se, non autem verum est de non habētibus medium inter se secundo modo.

Sed

Sed contra hoc arguet fortè per Philosophũ, qui dicit, quòd extra cœlum nihil est, nec plenum, nec vacuum, quare nec est ibi distantia per accidens, per hoc scilicèt quòd in dicto vacuo intermedio natum esset esse corpus.

Ad quod dico, quòd sicut vacuum non est distantia, siue dimensio separata inter illa corpora, nisi per accidens secundum dictum modum, sic nec vacuum est omninò, nec est aliquid omninò, vt aliqua dimensio nisi per accidens, sed hoc alio &c. alio modo habet; quòd per accidens sit dimensio & aliquid, &c. quòd per accidens sit, sumendo esse secundo adiacens.

Est enim vt dictum est vacuum dimensio, siue distantia inter duo corpora dicta, &c. hoc per accidens, vel quia dimensio positiua est iuxta, vel nata est esse infra, aut iuxta. Ipsum autem vacuum habet esse per accidens, quia corporà aliqua, inter quæ est, sic situata sunt, quòd dimensio aliqua corporis nata est esse inter illa, sed non est. Et propterea si extra cœlum extremum esset à Deo aliquod corpus factum, vel alius mundus sine contactu ad cœlum, tunc inter vtrunque dicendum esset esse vacuum secundum mensuram determinatam corporis, quia natum esset inter illa recipi, sed alibi non, sicut nec modò extra dicendum est esse vacuum, sicut nec plenum, sed purum nihil. Et ideò Philosophus loquens de vnitate mundi, &c. supponens nullum corpus extra nostrum mundum esse, quod etiam nititur probare. Dicit (&c. benè) quòd extra cœlum nihil est, neque plenum, neque vacuum, &c. hoc neque per se, neque per accidens, puta nec aliquod corpus habens distantiam partium, & dimensiones, nec receptibile corporis determinatum inter duo corpora distantia. Vnde si Deus modo crearet corpus extra cœlum tangens cœlum, illud nec in pleno, nec in vacuo crearetur, sed in puro nihilo, &c. esset ex opposito cœli subsistens in puro nihilo negatiuè accepto, sicut cœlum creatum fuit in puro nihilo, &c. purum nihil erat prius vbi est illud corpus, & hoc totum negatiuè intelligendo secundum iam expositum modum.

Et propterea si elementa essent amota de sub cœlo, infra cœlum ponendum esset esse vacuum, quod tamen nequaquam ponendum esset esse extra cœlum. Et propterea licèt nunquam fuit cœlum sine elementis contentis in ipso, &c. sit ipso, quia tamen cœlum naturaliter prius est elementis: ideò prius naturaliter creatum est elementis, licèt simul duratione, &c. propter hoc significanter dicit beatus Iob de Deo. Qui extendit aquilonem super vacuum: non autem dicit super elementa, quia naturaliter sunt creata post creationem cœli, licèt simul duratione.

Sed nunc postquàm creata sunt elementa sub cœlo apparet cœlum extensum super terram, sicut quoddam tabernaculum super pauimentum, &c. sic non dicit cœlum extensum super aliquid positiuum, nec etiam super nihilum, sicut terra appensa est super nihilum, quam nec dicit appensam super vacuum, aut super aliquid.

Per aquilonem autem Beatus Iob intelligit cœlum, quia pars cœli aquilonaris maximè apparet supra nostrum habitabile.

Comment. in Quæstionem Tertiam, quæ est.

Vtrum Deus possit facere corpus extra mundum, quod non tangat cœlum.

ITVLVS clarus.

In corpore est conclusio affirmatiuè respondens quæsito, scilicèt quòd Deus posset &c.


Hanc conclusionem probat ex argumento contra in fronte quæstionis, & quoniam habet, quòd Deus posset facere illud in nihilo, declarat quomodo intelligi debeat, ly in nihilo, quod scilicèt intelligitur, post nihil, ita quòd non accipitur nihil tanquam sit aliquid &c.

Not. quod sic etiam habet intelligi illud, quòd Theologi contra Philosophos habent; cum enim Philosophi dicant ex nihilo nihil fit. Theologi dicunt, immò ex nihilo aliquid fit, non tanquàm nihil aliquid sit, sed ex nihilo, ideſt post nihil, ita quod insinuat potius ordinem, quàm aliquid, ex quo, tanquam ex causa. Nihil enim nullius est causa.

Not. quòd cum hoc non implicet contradictionem, simpliciter fieri à Deo potest, & si implicare videatur, in argumento contra exprimitur, quæ satis clarè soluuntur ab Auctore.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum Deus potuit facisse, quòd anima Christi fuisset in corpore existente in Pyxide ipso iacente mortuo in sepulchro.

Arg. prim. 

ARGVA Quartum arguitur, quòd Deus potuit facisse, quòd anima Christi fuisset in corpore existente in pyxide ipso iacẽte mortuo in sepulchro, quia tunc fuit in inferno, & magis nata est esse in suo corpore, quã alibi: pro tempore ergo quo fuit in inferno, potuit fuisse in corpore suo in pyxide.

In oppos. Contra. Anima non est nata esse in suo corpore nisi animando illud, quare si fuisse ponatur in corpore suo in pyxide, ergo esset corpus animatum & viuens in pyxide, quod iacebat mortuum in sepulchro, quod est inconueniens, quia tunc simul idem numero esset morruum, & viuum, quod est inconueniens: ergo &c.

Responsio. Dico, quòd esse in corpore potest conuenire substantiæ incorporeæ dupliciter, vel per suam substantiam, vel per suam operationem. Per suam substantiam dupliciter vel situaliter, vel localiter. Et est ille vltimus modus omninò impossibilis circa substantiam incorpoream, quia cũ locus sit vltimũ continentis corporaliter, & dimensiuè, non potest esse localiter in corpore, nisi quod continetur intra latera corporis alterius, & suis dimensionibus replet illud, & illi æquatur: locus enim semper est æqualis locato, quales dimensiones non habet substantia incorporea: & ideò hoc modo, nec anima, nec Angelus per suã substantiam possunt esse in corpore, aut in loco, nec est hoc omninò factibile. Loquendo autem de esse in loco situaliter per suam substãtiam, dico quemadmodum, & aliàs dixi, quòd cum anima separatà, sicut & Angelus sit substantia incorporea, quæ intelligenda est esse secundũ substantiam simplex, sicut vnitas abstracta: non autem sicut punctus, qui sibi determinat situm in magnitudine, extra quem non potest esse: anima autem & Angelus nullum situm sibi in magnitudine determinant, extra quem esse non possunt: difficile est mihi intelligere quomodo ipsa anima situaliter sit in aliquo corpore, seu magnitudine, & hoc absque vlla operatione in illa, aut passione, quam patitur à corpore, aut ab existente situaliter in ipso, & consimiliter de Angelo. Sed quia hoc tenere præcipit quidã articulus de contrariò interdictus: ideò non contradico, nec aliquo modo asserere intendo, quin anima, & Angelus situaliter secundum suam substantiam absque omni operatione necessariò sint in corpore, & secundum hoc in loco habet esse, prout dicit dictus articulus, licèt hoc non intelligam, quomodo per substantiam suam anima, aut Angelus sit determinatiuè, & situaliter in loco, præter hoc, quòd est in illo per operationem.

Loquendo autem de esse animæ in loco, siue in corpore per operationem suam, hoc modo habet esse in corpore dupliciter.

Vno modo per operationem primam, quæ est dare esse, quæ conuenit ei inquantum est anima, & substantia incorporea distincta, & diuersa omninò ab Angelo, quia hæc operatio non conuenit ei, nisi inquantum aut est nata esse, aut inquantum est secundum actum forma, & actus corporis animans ipsum.

Alio modo per operationem secundam. Sed operatio secunda duplex potest animæ attribui.

Vna quæ conuenit ei inquantum est anima: & omninò diuersa est ab Angelo secundum iam dictum modum.

Alia verò inquantum est substantia incorporea simpliciter conueniens est Angelo in esse substantiam incorpoream simpliciter.

Primo istorum modorũ conuenit animæ operatio secunda, quæ dat corpori, siue composito ex anima, & corpore per suas potentias sentire, intelligere, velle, nec conuenit ei ista operatio secunda nisi mediante prima.

Vnde nullo modo conuenit Angelo, tum quia conuenit animæ secundum id, quò differt ab Angelo, tum quia Angelo non est nata conuenire prima operatio in corpore.

Secundo dictorum modorum dicunt aliqui, quòd nullo modo conuenit animæ, licèt conueniat Angelo, puta mouere corpus aliquod secundum locum.

Vnde dicunt aliqui, quòd non potest esse in aliquo corpore per aliquam operationem, nisi sit in illo per operationem primam, nec mouere secundum locũ aliquod aliud corpus, nisi per illud cuius est actus, & perfectio. Propter quod dicunt, quòd anima separata à corpore, quod perficit, nullo modo potest esse, vel in illo, vel in quocunque

cunque alio per aliquam operationem veluti mouendo ipsum secũdum locum, licet hoc concedũt de Angelo, eo ꝙ nullius corporis natus est esse forma, aut perfectio. Sed nequaq; ponendum est, ꝙ anima separata non possit esse per operationem suam secundo modo in aliquo alio corpore, quã sit illud qđ perficiebat. Anima enim Christi separata, si anima situm habet, & transit magnitudinem situaliter sine operatione in trãseundo medium, non descẽdit ad infernum, neq; sine operatione fuit in illo. Sed an anima separata à suo corpore per mortẽ possit esse in suo corpore operatione secunda secũdo modo, de hoc aliqui dubitant, puta an in illo possit esse mouendo ipsum secundum locum, sicut potest Angelus, allegãtes pro se id, quod assumptum est in secũda ratione, scilicèt quod anima non est nata esse, neque operari in suo corpore nisi animando, quod, proculdubio verum est inquantum anima est differens secundum naturam incorpoream ab Angelo. An autem necessariò ita sit inquantum est substantia incorporea simpliciter conueniens, & communicans cum Angelo, non video.

Descendendo ergo ad quæstionem dico, quòd non video, quare anima Christi non potuit in triduo fuisse in suo corpore iacente in sepulchro, nõ sicut perfectio in perfectibili, sed situaliter, aut per aliquem modum cum hoc. Sed de esse eius in corpore suo existente sacramentaliter in pyxide, de quo quæstio est, nihil asserendo, dico, ꝙ licèt idem numero fuerit corpus in sepulchro & in pyxide: alio tamen & alio modo essendi habuit esse in sepulchro, & in pyxide secundum quod aliàs exposuimus, & secundum modum quo habuit esse in pyxide, nulla operatio extrinseca, nec aliquid extrinsecum potuit illud attingere. Vnde vt alibi exposuimus, licèt idem corpus mortuum & vulneratum fuisset in pyxide quod moriebatur & vulnerabatur in cruce: in cruce tamen & moriebatur & vulneratum fuit, sed non in pyxide. Et secundum eundem modum dico hic quòd licèt anima tunc potuit fuisse in suo corpore in sepulchro, & circa id aliquid operata fuisse, non tamen operata fuisse in pyxide, licèt cum hoc verum esset dicere, quòd fuit in illo corpore, sicut fuit in pyxide.

In pyxide enim non potuit esse in corpore nisi per concomitantiam, & hoc non nisi per hoc quòd actu animaret illud, sicut modo in pyxide est in suo corpore animato: non enim dicuntur esse in sacramento per concomitantiam nisi illa quæ essentialiter pertinent, & non ab extrinseco ad illud. Et ideò licèt benè dicatur, quòd corpus quod habuit vulnera erat in pyxide: non tamen propriè dicitur, quòd ipsa vulnera erant in pyxide.

Ad primum in oppositum, quòd anima magis nata est esse in suo corpore, quàm in alio, &c. *Ad argum. princip.*

Dico, quòd verum est secundum actum animandi, & secundum quod est anima: sic enim in alio nullo nata est esse.

Secundum autem quòd est incorporea substãtia simpliciter, & secundum quencunque alium actum, qui non sequitur animationem, non video quomodo magis nata est esse naturaliter in suo corpore, quàm in alio.


Quòd etsi nata est esse aliquo modo prędictorũ in illo, vt erat in sepulchro, nequaquam tamen vt erat in pyxide, sicut dictum est.

Ad argumentum in oppositum, quòd anima non est nata esse in suo corpore, nisi in animando, verum est quo ad actum primum, & vt est anima, & sic nequaquàm fuit in suo corpore, nisi dum ipsum animauit in resurrectione, quod tamen nequaquàm animasset in pyxide, licèt ibi statim fuisset in illo per cõcomitantiam. Alio autem modo essendi in, non video inconueniens quin tunc potuit fuisse in corpore in sepulchro, licèt non in pyxide, vt dictum est. *Ad argum. oppos.*

Comment. in Quæstionem Quartam, quæ est,

Vtrum Deus potuit facisse, quòd anima Christi fuisset in corpore existente in Pyxide ipso iacente mortuo in sepulchro.

IN hac quæstione ex eo, quod non liberè loquitur, nihil asserendo manifestè dicit, immò vt patet, potius intricatè procedit, quàm clarè. In causa autem est condemnatio illius articuli, cuius meminit in litera. Verum tamen hæc videtur conclusio, quòd si anima aliquo modo potuit esse in pyxide, non vtique eo modo quo potuit esse in corpore iacente mortuo in sepulchro. Quis autem sit iste modus non audet asserere: si tamen clarius aliquid dicere licèt ex hac quæstione, dicemus quinque conclusiones præmittere, præter eam quæ posita est, ex quibus elicimus necessariò nescio quid, sed non integram, & omni quaque claram huius negotij resolutionem, quam fortè liberius protulisset, nisi condemnatio illa articulorum obstitisset. Reducamus autem ad formam tabellæ omnia, quæ diximus breuitatis gratia.



Pro prima concluſione videnda eſt quæſtio nona ſecundi Quodlib. vbi Auctor etiam ibi incepſ, ac dubius eſſe videtur circa hoc negotium, quippe non videt quomodo ſubſtantia corporea poſſit in loco aliquo eſſe, vel corpore ſecundum operationem, &c. non ſecundum ſubſtantiam, vel è contra, tametſi articulus Pariſienſis ſeparet hanc ab illa, vide ibi &c.

Secunda concluſio manifeſta eſt, quia nihil eſt in corpore localiter niſi corpus, anima autem eſt incorporea. Igitur &c.

Tertia concluſio patet, quia prima animæ operatio eſt intelligere, ſentire, &c. huiuſmodi. Vnde ſi fuiſſet in corpore ſecundum huiuſmodi operationes, iam illud opera vitæ exercere poſſet, &c. ſic non eſſet mortuum, ſed viuum.

Quarta concluſio patet, quoniam inquantum anima animat, &c. eſt actus corporis, vnde ſi animaret illud corpus, &c. actuaret, iam id, quod prius ſequeretur, ſcilicet quòd eſſet viuum, non mortuum.

Quinta concluſio patet, quia ſicut Angelus poteſt eſſe in diuerſis locis hoc pacto, per operationem ſecũdam, ita & anima. Probatur, quia eſſe incorporeum eſt commune vtriq; Angelo, ſcilicet &c. animæ. Et hæc operatio eſt tantum motio, quòd videlicet poteſt corpora mouere, & in hoc eſt difficultas, quibuſdam id de Angelo concedentibus: negantibus verò de anima, quod tamen non videre dicit Auctor, & exiſtimare ſe dicit id non eſſe inconueniens. Et hæc ſunt, quæ præmittit ad id, quod dictum eſt: Cætera ex hoc lumine diligenti lectori relinquimus conſideranda.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum verbum potuerit aſſumere aliam naturam, quam intellectualem.

Argumen. principale.

Ifca quintum arguitur: quòd verbum non potuit aſſumere aliam naturam quàm intellectualem. Sic enim arguit Auguſt. 13. libro de Trinitat. capit. 9. exponendo illud Verbum caro factum eſt. Si illud eſt quod minus credibile eſt eſſe, &c. quod magis, ſed minus credibile eſt quòd Deus poſſit fieri filius hominis natura, quã quòd filius hominis poſſit fieri filius Dei gratia, ſed illud iam eſt factum in Chriſto: ergo credibile eſt aliud poſſe fieri in alijs hominibus, ſic enim ait cap. 9. Fides totum hominem futurum beatum verè promittit in Euangelio, cum dictum eſt quòd Ieſus dedit poteſtatem filios Dei fieri. Sed ne hominum infirmitas tantam excellentiam deſperaret, annexum eſt, Et Verbum caro factum eſt: & habitauit in nobis: vt à contrario ſuaderetur quòd incredibile videbatur. Si enim natura filius Dei factus eſt filius hominis, quanto credibilius eſt natura filios hominis, gratia fieri Dei filios &c. habitare in Deo? de quo ſolo poſſunt eſſe beati. Per eundem modum arguens ſermone 2 ſuper Ioan. dicit ſic: Vt homines naſcerentur ex Deo: primo ex ipſo natus eſt Deus. Noli ergo mirari homo quia efficeris per gratiam filius Dei: quia naſceris ex Deo: prius voluit naſci ex homine. Ideo cum dixiſſet ex Deo nati ſunt: quaſi hoc miraremur & exhorreremus tantam gratiam, ne nobis incredibile videretur quòd homines ex Deo nati ſunt, quaſi ſecurum te faciens ait: Et verbum caro factum eſt. Quid ergo miraris quòd homines ex Deo naſcuntur? Attende Deum natum ex hominibus. Et procedit argumentum Auguſtini a maiori ad minus, &c. a minore ad maius. Iuxta quem modum arguitur ad propoſitum ſic. Si quod maius eſt poteſt fieri, &c. quòd minus, & è contra ſi non quod minus, nec quòd maius, maius autem eſt vniri Deo in perſona quàm in gratia, quare cum non poteſt Deo vniri in gratia alia natura quàm intellectualis, ergo &c. Item eleuata &c. nobilitata eſſentia neceſſe eſt nobilitari &c. eleuari potentiam, quia potentia ſequitur conditionem eſſentiæ, vbi ergo potentia nõ eſt nata eleuari ad actũ vltra modum naturæ, nec eſſentia, ſed intellectualis natura nõ eſt nata eleuari ſecundũ potentiã ad actum vltra modum naturæ ſuæ: quare nec eſſentia vel ſubſtantia ſiue natura cuius eſt illa potentia, ſed in aſſumptione tali eleuatur natura aſſumpta vel eſſentia ad actum vltra modum naturæ ſuæ: quia ad eſſe ſubſtantiæ diuinæ perſonæ, ergo &c. Item tunc verum eſſet dicere quòd Deus eſſet lapis vel brutum.

Primum.

Secũdum.

Tertium.

Item

Quartum. Item cum manet natura in homine peccatore & damnato: tunc posset assumere hominem
Quintum. peccatorum & damnatum. Item si non esset necesse eleuari essentiam cum potentia, & potentiam cum essentia, tunc homo assumptus posset peccare & mereri damnationem, & verum esset dicere quòd Deus peccaret: consequens est falsum, ergo &c.

In oppositū Primum. Contra. Corpus Christi in triduo fuit vnitum verbo inanimatum, & potuit illud sic conseruare in perpetuum dimissa anima, eo quòd Deus nulla necessitate retinuit animam secum vnitam: quia nulla necessitate determinatur ad actionem in creatura, & sic eadem potestate ab initio potuit assumptisse corpus humanum sine
Secūdum. anima. Item ad Deum potest fieri assumptio in esse subsistentiæ: quia in Deo est ratio esse & subsistentiæ quæ est in natura assumpta, sed in ipso est ratio omnis esse, & subsistentiæ quæ sunt in creaturis, omnis ergo creatura siue natura subsistens potest assumi.

Quæst. resolutio. Quia naturæ assumendæ possibilitas ad assumptionem occulta est, & nulla ex parte Dei omninò existit dubitatio an possit sibi assumere quamcunque naturam assumptibilem, ideò tota difficultas huius quæstionis vertitur circa possibilitatem naturæ assumendæ.

Positio prior. Responsio ad primū princip. Et sunt circa hoc duæ positiones solemnes. Dicit enim positio communior & solemnior, cui quandoque aliquantulum assentire consueui, quod quælibet natura subsistens in creaturis possit assumi & hoc principaliter propter tacta in vltima ratione. Tenentes autem illam positionē respondent ad primum argumentum, si quod maius est potest fieri, & quod minus, & è contra si quod minus est non potest fieri nec quod maius est &c. Dicendo quòd verum est quando ambo scilicèt maius & minus consequuntur potentiam eiusdem rationis, quod enim potest calefacere vel calefieri magis, potest calefacere vel calefieri minus. Sed hoc non contingit in proposito de potentia passiua assumptibili, quia natura subsistens in creaturis ex eo quòd est natura subsistibilis simpliciter est assumptibilis ad vnitatem subsistentiæ diuini suppositi qua sit filius Dei per naturam, non autem vnde natura est simpliciter subsistibilis est assumptibilis ad operationes vnitatis qua sit filius Dei per adoptionem, sed solùmmodò vnde est intellectualis, & sic nequaquàm est eadem ratio potentiæ hæc & illa, siue potentia rationis eiusdem. Tamen quia non sunt eiusdem subiecti: nec sunt ad eundem actum, vnde nec est idem modus vnius rationis naturæ diuinæ & humanæ in vnitate suppositi & in vnitate operationis, licèt vna necessariò concomitetur alteram, sed hoc accidit ratione materiæ & naturæ assumptibilis, quia scilicet est possibilitas ad vtranque in eodem, ideò vt dicunt (& benè) argumentum Aug. non tenet ratione formæ, sed ratione materiæ tantū, quia scilicet in homine est potentia duplex prædicta. Vnde quod arguitur consimili modo, si potest fieri quòd est maius, & quod est minus, & è contra si non quòd est minus, nec quod est maius, dicunt quòd verum est quando potentia ad vtrunque est eiusdem rationis, quod non contingit in proposito, vt dictum est, & ideò non tenet vlterior processus.

Similiter quòd arguitur secundo, quòd elevata natura necesse est eleuari potentiam, dicūt quòd verum est quando potentia eleuabilis est in natura assumptibili quæ potest sequi naturam. Et ideò non posset Deus assumere hominem in natura quin assumendo ipsum in potentia faceret ipsum impeccabilem, & sic si naturam hominis peccatoris assumeret, statim omne peccatum aboleret, & sic non sequuntur inconuenientia assumpta in duobus argumentis vltimis. Secus autem est quando in natura non est potentia eleuabilis, immò tunc essentia potest sola eleuari. *Ad secundum.*

Sed hic supponitur vnum a quo dependet tota dubitatio scilicet an natura sit eleuabilis in qua non est potentia eleuabilis. Illæ enim absurditates adductæ in tertio argumento, quòd Deus esset lapis vel brutum vel irrationalis & huiusmodi: non arguunt ad negandum assumptibilitatem lapidis vel bruti nisi apud rudes qui ex euocatione quam habent ad dignitatem Christi & Deitatis, illud negant, quasi indignum esset ei vniri tali naturæ & eam sibi assumere. Propter simile enim aliqui rudes posuerunt quòd cum mus acciperet hostiam consecratam ad comedēdum illam, vel si proijceretur in locum immundum, quòd statim desineret ibi esse corpus Christi, quasi indignum esset ei esse sub hostia sic tractata, quod tamen non est verum. *Dubium suppositum.*

De illo ergo est tota dubitatio an aliqua natura sit eleuabilis dicto modo, in qua modo correspondenti non sit eleuabilis potentia, quod mihi non videtur posse rationabiliter poni. Ad cuius intellectum est aduertendum, quòd Deus dupliciter habet esse in creaturis. Vno modo naturaliter & modo congruenti naturæ: Alio modo voluntariè, & modo supergredienti limites naturæ. Primo modo habet esse per illapsum in omni natura & creatura. Secundo modo habet esse solùmmodò in natura assumpta per circumsessionem. Et licet per illapsum Deus sit intimus omni creaturæ, & intimior quàm ipsa sibi aut forma materiæ, per circuminsessionem tamen sit intimissimus naturæ assumptæ, & intimior quàm insit alicui naturæ per solum illapsum, per intimationem enim circuminsessionis natura assumpta intantum vnitur ineffabiliter & incomprehensibiliter naturæ assumentis quòd nec esse est naturam assumptam amittere proprium esse sub-

subsistentiæ naturæ, ad quam assumitur, vt sit idem suppositum subsistentiæ in duplici natura. Vtraque enim illarum naturarum in vnione ipsarum retinet suum proprium esse essentiæ & existentiæ.

Per illapsum autē Deus intimatur omni creaturę naturaliter & modo congruenti naturę ad duo scilicet ad actum naturæ primum, qui est esse stabiliendum vt persistat, & ad actum naturæ secundum qui est operari producendum vt existat, sine illo enim illapsu non potest creatura in esse persistere, nec propriam operationem elicere, quia per illapsum Deus creaturam in esse cōseruat, & cooperando omnem suam actionem siue operationem illi ministrat, dicēte Gregor. libro 16. Moral. super illud Iob. 23. Ipse solus est. Nunquid non sunt Angeli & homines & cęlum & terra? Sed aliud est esse scilicēt absolutè, & aliud principaliter esse, sunt enim hęc, sed principaliter non sunt, quia in semetipsis minimè subsistunt. & nisi gubernantis manu teneantur esse nequaquàm possunt. Cuncta namque in illo subsistunt a quo creata sunt, cuncta quippe ex nihilo facta sunt, eorumque essentia rursus ad nihilum tenderet, nisi eam auctor omnium regiminis manu retineret. Ecce primum dictorum, & sequitur de secundo & primo simul. Per se nec subsistere valent nec moueri, intantum subsistunt, inquantum vt esse debeant acceperūt, intantum mouentur, inquantum occulto instinctu disponuntur. Arescit terra, concutitur mare: igneſcit aer, obtenebrascit cęlum, & ardescunt homines, mouentur Angelicę virtutes, nunquid hęc suis instinctionibus & non magis diuinis impulsionibus agitantur?

Per circuminsessionem verò Deus intimatur soli naturæ quam voluntariè assumit, sed modo supernaturali, & hoc facit ad duo. s. ad sublimandam naturam ad actum primum qui est esse subsistentiæ diuini suppositi, & porētiam ad actum secundum, qui est operari actum beatificum intelligendi & volendi. Sine dicta enim circuminsessione non posset natura in esse diuinæ subsistentiæ sublimari, neque diuinam operationem participare, videndo scilicet & amando diuinam essentiam modo congruenti creaturę, sed per circuminsessionem Deus naturam assumptam subleuat ad esse diuinæ subsistentiæ, & ad operationem diuinam promouet, dicente Damasceno libro 3. capit. 16. Caro Domini Deificata dicitur esse & Deo coindiuidualis, non secūdum transmutationem naturę, sed secundum dispositionem vnionis, secundum quam indiuisibiliter Deo verbo vnita Caro per eam quæ inuicem naturarum circuminsessionem. Et infra. Dei autem Caro diuinis actionibus dicata est propter intimissimam ad verbum vnionem. Et sumit ibi carnem pro tota humana natura.

Ex his arguo sic. Sicut se habet Deus in omni creatura per illapsum naturalem ad duas actiones prædictas modo congruenti naturæ, sic se habet ad creaturam assumptam per circuminsessionem ad duas actiones prædictas supergredientes limites naturæ, vt iam patuit ex dictis Damasceni. Nec potest negari simile quo ad aliquid, quia sicut illapsus quantum in se est, semper natus est operari in eo cui Deus illabitur dicta duo: sic circuminsessio nata est quantum est ex se, semper operari alia duo. Sed nulla natura creaturæ est susceptibilis nec potest esse susceptibilis illapsus Dei ad suscipiendum in se modo congruenti naturæ primam Dei operationem prædictam, quin etiam susceptibilis sit in se operationis secundę, quia nulla creatura potest esse per substantiā cui non potest conuenire aliqua operatio per potentiam, quia secundum Philosophum in fine quarti Metaphys. omnia opere determinantur, & sunt propter suas operationes, & tādiu sunt quandiu possunt agere suas proprias operationes, & cum desinunt posse operari suas proprias operationes, tunc simul desinunt esse. Vt enim dicit Damasce. ibidem capit. 17. Intellectus insipiens & priuatus cognitione non vtique erit vnquàm.

Si enim inoperabilis & immobilis est, inexistibilis omninò est. Et per hoc apertè insinuat quòd si non posset eleuari per intellectum, non esset assumptibilis ipsa substantia intellectualis, nec ipse homo, quia nec esset homo, secundum quòd præmittit ibidem.

Quoniam autem rationale & intellectuale animal homo, qualiter ergo homo factus est Deus si carnem inanimatam vel animam anouin, ideſt sine intellectu assumpsisset? nó hoc enim homo. Ergo similiter nulla creaturæ natura est susceptibilis, aut potest esse susceptibilis circuminsessionis Dei ad suscipiendum in se supra limites naturæ primam Dei operationem prædictam, quin etiam sit susceptibilis in se operationis secundæ, secundæ autem non est susceptibilis nisi per potentias intellectus & voluntatis, ergo vt concludit secunda ratio prædicta, vbi nata est eleuari essentia dicto modo, & potentia, & vbi nó, non, vt idcircò etiam cum hoc, quòd gratia materiæ benè tenet argumentatio August. tacta in prima ratione, etiam non fallit in aliqua materia, quin sequitur, si natura ista, puta hominis, est eleuabilis secundum essentiam, quin sit necessariò simul eleuabilis secundum potentiam, & si non secundum potentiam, nec secundum essentiam. Quemadmodum sequitur, si anima Sortis est immortalis, etiam cuiuslibet hominis anima est immortalis, & si non cuiuslibet, nec Sortis, quia eadem ratio immortalitatis vel mortalitatis est in omnibus Et ideò talis argumentatio ratione materiæ talis, benè tenet ac si teneret secun-

dum

dum formam arguendi, quæ re vera tenet virtute formæ, habendo scilicèt aspectum ad communem rationem qua conuenit aliquid materiæ, puta immortalitas animæ, illa enim eadem est in omni anima quæ quia nobis incognita est ex parte assumptibilis, idcircò nobis difficilis est intellectus veritatis in dicta quæstione.

positio secunda.

Propterea hæc positio alia a prædicta licèt minus solemnis, quæ tamen magis applicabilis est animo, licèt non videatur ita vera propter cõsuetudinem, tamẽ fortè verior est: quòd scilicèt nulla natura susceptibilis est à Deo dicto modo per circuminsessionem nisi natura intellectualis, magis mihi placet. Tenendo ergò hanc opinionem ad præsens, Dico ad primum in oppositum de corpore Christi in triduo, quòd per naturam intellectualem intelligo & ipsam naturam incorpoream animæ rationalis vel Angeli, & in homine naturam corporis, inquantum ordinatur ad animam, vt perfectibile ad perfectionem, & in quo anima suam operationem intellectualem efficacius operatur, amota ab ipso omni dispositione accidentali impediente inquantum est separata, vt totum compositum ex corpore & anima cum sua vi intellectiua sit ipsum susceptibile & corpus mediante substantia animæ, & in ordine ad illam, & substantia animæ vt ipsa est potentia intellectiua, ita quòd nullo modo sit susceptibile id, in quo non est potentia intellectiua, & hoc comprehendendo sub potentia intellectiua totum illud, in quo principalis consistit ratio imaginis existens in substantia animæ vt nihil sit susceptibile, nisi ratione imaginis Dei quæ est in illo vt per circuminsessionem, vel secundum substantiam, & secundum potentiam simul, vt in solo Christo, vel secundum potentiam solum, vt in omnibus Beatis ipsa imago Dei quasi reimprimitur suo prototypo, quasi denarius figuræ, a qua sibi imago sua impressa est. Hinc Damascenus in cap. prædicto.

Ad primã in oppositũ

Quod secundum imaginem est volens reuocare Deus, verbum factum est homo. Imago Dei est hõmo secundum intellectum. Quid autem secundum imaginem nisi intellectus? Quod melius igitur derelinquens, quòd deterius est assumpsit. Quasi diceret, nequaquam hoc possibile est fieri nisi ratione ordinis quem habet ad intellectum. Et loquitur contra illos qui posuerunt corpus humanum assumptum in Christo absque anima rationali, & comprehendit sub intellectu etiam substantiam animæ, cuius vim & potentiam in assumptione ostendens, subdit. Intellectus enim est in medio Dei & carnis huius, aut vt inhabitator Dei, aut vt imago intellectus, igitur intellectui miscetur, & mediatur intellectus, Dei puritati & carnis grossitudini. Intelligo autem per mixtionem dictam vnionem per circuminsessionem intellectus diuini cũ humano, qui secundum tres potentias, quæ sunt memoria, intelligentia, & voluntas existentes in vnitate essentiæ animæ, vnitur per circuminsessionem quandam trinitati personarum in vnitate diuinæ naturæ, vt sic per se & proxima causa siue, ratio propter quam aliquid sit susceptibile à Deo, sit ratio imaginis Dei, quæ non est nisi in substantia intellectuali, & propterea ipsa sola substantia intellectualis sit susceptibilis. Et secundum hoc in glorioſa assumptione per circuminsessionem, qua natura diuina subintrat naturam assumptam, imago, quæ est in creatura intellectuali assumpta, vnitur intimè ipsi prototypo, quòd est in natura diuina, ad modum quo sigillum in qua est impressa figura sigilli, ipsum sigillum reapplicetur secundum eundem modum quo ipsa impressit subintrando omnes angulos eius, quali modo non posset applicari illi in quo non fuisset figura sua prius impressa, sed solum quòd effigies aliqua, quale est vestigium Dei in omni creatura non intellectuali, vt secundum hoc nulla natura non intellectualis nisi mediante intellectuali secundum dictum modum possit assumpti.

Ad secundum.

Ad secundum; quòd ad Deum potest fieri assumptio: quia in ipso est ratio esse & subsistentiæ in natura assumpta: Dico, quòd verum est quod illud est causa. Nisi enim ita esset nihil posset ad eam assumi, sicut nec vna natura creata potest assumi ad alteram. Sed hoc non est, tota causa. Licèt enim sit causa ex parte assumentis, quia propter illud ad ipsum potest fieri assumptio, non tamen ex parte assumptibilis, in qua tota cã assumptibilitatis est q̃ est imago, & per hoc solum circũinsessibilis a Deo & eleuabilis ad dictã vnionẽ in diuina essẽtia in vnitate diuinæ personæ, secundum dictũ modũ. Vnde nec aliqua est finalis, pp q̃ facienda esset a Deo alicuius naturæ assumptio, posset esse in assumendo alia natura quã intellectuale, quia nõ est naturæ assumptio finaliter, nisi ad illius aliquã promotionẽ & profectũ in sui eleuatione, qualem non potest habere nisi natura intellectualis. Hinc dicit Aug. superiõ. vbi supra. Prius verbum voluit nasci ex homine, vt tu secutus nascereris ex Deo. Nõne sine causa nasci ex homine voluit nisi quia alicuius momenti me existimauit, vt immortalem me faceret: quasi dicat, vtique sine causa &cet. Vbi per immortalitatem intelligit veram beatitudinem, quia non est sine immortalitate, secundum eundem Aug. 13. de Trinit. Hinc dicit vbi supra serm. 10. Deus homo factus est, quid futurus est homo propter quem Deus factus est homo? momentum illud, quo Deus homo existimatur, est dignitas imaginis in ipso, propter quam solam contigit quòd Deus ex homine nasci voluit, non sit causa. In qua natiuitate, humana natura assumpta est, ita quòd alia natura, in qua non est talis imago, omnino absque causa assumeretur.

Com-

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem Quintam quæ est,

Vtrum verbum potuerit assumere aliam naturam, quàm intellectualem.



N titulo intellige de assumptione omnimoda, sicut de facto assumpsit naturam humanam, scilicèt ad vnionem personalem, & hipostat. eam, per circuminsessionem, eam enim sic appellat Auctor. Vbi tamen not. quod non intendit omnimodam circuminsessionem, qualiter est in personis diuinis, sed tantùm eam, vbi per communicationem idiomatum circuminsedentes mutuò prædicantur. Vnde dicimus, Deus factus est homo, &c. homo factus est Deus. Primum habetur in Simbolo, secundum verò cum primo apud Augustinum, ac cæteros Sanctos, cum enim in omnimoda circuminsessione duo hæc præsertim requirantur, alterum præsentialitas intima, alterum consubstantialitas intentifica, primum tantùm est in hac circuminsessione.

In corpore igitur duo præsertim fiunt, primum reprobatur aliorum opinio. secundo respondetur quæsito.

De primo; opinio est respondens affirmatiuè quæsito, scilicèt quòd Deus potuit assumere aliam naturam. &c.

Reprobatur autem hæc opinio argumentis in fronte quæstionis positis, quæ recitare non est necesse.

De secundo ipse habet, quòd non potuit aliam naturam assumere, quàm rationalem.

Hanc suam conclusionem vnica ratione probare videtur, quæ talis est: sicut nempe eam satis fideliter recitat Scotus in tertio sententiarum distinct. 2. quæst. 2. Sicut Deus se habet ad omnem creaturam in illapsu generali quantum ad esse, & operari, ita videtur se habere ad hanc naturam in illapsu speciali quantum ad hanc operationem, & hoc esse. Sed primo modo nulli potest illabi ad esse nisi cui illabitur ad operationem. Igitur nec potest illabi huic naturæ illapsu speciali, quantum ad esse, nisi illabatur etiam quantum ad operationem specialem. Sed nulla creatura est capax talis operationis specialis nisi intellectiua. Igitur. &c.

Suppositum quòd Deus illabatur illapsu generali &c. & etiam speciali ex Gregorio, & Damasceno, manifestat. Minorem propositionem probat ex Philosopho & Damasceno. Antecedens prosillogismi, siue alteram minorem probat. Sola creatura rationalis capax est circuminsessionis, igitur & operationis consequentis circuminsessionem.

Not. diligenter, quòd cum ad circuminsessionem sequatur ob communicationem idiomatum mutua prædicatio, ita vt dicamus hominem factum Deum, videtur contradictio, quòd homo non habeat operationes subsequentes talem prædicationem. Vnde re vera dato quòd taliter vniretur v.g. lapis Deo, sicut vnitus est homo, per circuminsessionem, sicut dicimus hominem factum Deum, ita diceremus lapidem factum Deū. Impossibile autem esset, quod iam factus esset Deus, & expers esset cuiuslibet operationis diuinæ; quod si non expers cuiuslibet, cum sola operatio diuina sit per intellectum, atq; voluntatem, ita lapis haberet huiusmodi, quod vel absurdum est, vel sequitur, quod Auctor intendit.

Not. autem Scotum in primis loco citato argumentari contra, probando quòd possit assumi & alia natura, quia nulla est naturalis, quæ habeat aliquam entitatem positiuam repugnantem dependentiæ à verbo. Et tandem concludit, quòd quælibet creatura posset vniri verbo hypostaticè, etsi non personaliter. Sed certè dum hæc elicit Scotus, nihil officit doctori nostro. Quippe quærit Auctor noster de vnione illa, quæ est secundum circuminsessionem, quæve est hypostatica simul, atq; personalis, quemadmodum est apertè de facto. Valeat idcircò quantum vult ratio Scoti, quia conclusio non est contra nos, qui personalem vnionem quærimus.

Not. quod in fine quæstionis Scotus argumento doctoris conatur satisfacere, & sua responsio est in casu, quòd assumpta esset talis natura non rationalis; dicitur, quòd illapsus specialis dedisset operationem non repugnantem illi naturæ, cum autem repugnet ipsum frui, & intelligere, & velle, non esset necesse, quod illi daret huiusmodi operationes.

Hæc est responsio Scoti, quæ quidem optima est in se, sed intentioni arguentis, & argumentationis non satisfacit. Quippe verum est supposita vnione tantum hypostatica, non autem etiam personali per circuminsessionem. Vbi enim est circuminsessio, ibi communis operatio, sicut communis idiomatum communicatio. Sed si lapis vniretur personaliter, & circuminsessiuè ipsi verbo, esset communicatio idiomatum, igitur & operationum: Cum autem Deus circuminsedens non operetur nisi per intellectum, & voluntatem, sequitur, quòd etiam lapis taliter operaretur, quòd cum sit impossibile, sequitur quòd sola creatura rationalis taliter vniri posset.

Not. quòd D Thomas in 3. par. quæst. 4. artic. 1. ad hanc sententiam apertissimè venit, sed tamen in tertio sententiarum dist. 2. quæst. 1 artic. 1. videtur habere sententiā oppositam. Cæterum quicunque diligenter considerauerit verba D. Thomæ in tertio sententiarum vbi supra, videbit, quòd tamesi ponat quòd de potentia absoluta Deus possit assumere quancunque creaturam existentem in potentia obedientiali, non vult tamen quòd talis assumptio terminetur ad personam. Vnde assignans ibi conuenientias, ob quas Deus assumpsit humanam naturam, & non creaturam irrationalem, secundò, inquit, quantum ad terminum assumptionis. Terminatur enim assumptio ad vnitatem personæ, personalitas autē non inuenitur in irrationalibus naturis, cum persona sit rationalis naturæ individua substantia. Vnde mirum est certè quòd Capriolus, atque Soncinas conentur rationes Auctoris destruere. Non legimus autem in hac quæstione huiusmodi rationes ita præcisè, immò nullo modo, præter vnum, quod non est Auctoris, sed D. Augustini. Quod est illud, si quod maius est, potest fieri, & quod minus. &c. Ad quod negat maiorem Soncinas, quia non valeat illud dictum, nisi in his, quæ sunt eiusdem rationis. Et ideo vniones illæ non sunt eiusdem rationis, scilicet ad esse, & operationem. Sed profectò fallitur Soncinas. Nam ea sunt eiusdem rationis, quæ sunt eiusdem ordinis ita, quòd se se inuicem consequuntur. Sed ad vnionem personalem, per circuminsessionem sequitur vnio ad operationem igitur sunt eiusdem ordinis, & consequenter eiusdem rationis. Minor patet, quia communicatio idiomatum arguit & communicationem operationum.

Not. quod hæc est prima ratio. quam ex Augustino extrahit Auctor, quam pro nescio qua probatione assumit Soncinas; secunda autem ratio in fronte quæstionis est illa, quam quidem in primo loco recitat Soncinas, sed non satis fideliter, vt cuilibet legenti patere potest. Ad hanc autem negat maiorem, quam non triplici medio probat Auctor, vt credit Soncinas, sed tantùm hoc medio, quòd potentia semper sequitur essentiam. Quare si eleuatur essentia, eleuatur etiam potentia & in hoc non aduertit: quod duplex est essentia rei assumptæ. Essentia in se, quæ dicitur naturæ, & essentia accepta, quæ est essentia personæ. Verum quidem est, quod potentia correspondens primæ essentiæ remanet non eleuata: sed potentia alterius essentiæ, sequitur necessariò essentiam. Vnde in vnione verbi cum natura humana, verbum non dedit esse naturæ ipsi naturæ, sed dedit esse personale, quare in natura assumpta duplex est esse, alterum naturale, alterum verò supra naturale. Illud est ab essentia naturali, hoc ab essentia personali. Illud sequitur potentia ad operationes naturales, hoc verò potentia ad operationes supernaturales, cum autem creatura irrationalis vniretur verbo diuino, quoniam non personaretur, non esset necesse, quòd haberet esse personale, & consequenter potentiam eleuatam ad operationem correspondentem tali esse. Non omnis igitur potentia in natura assumpta remanet in puris naturalibus, vel in puris naturalibus est, vt credit Soncinas, vbi vnio est personalis.

Quòd

Quod verò vltimò ponit Soncinas, est vltimum argumentum in Auctore, ad probandum, quòd necessariò in eleuatione essentiæ ad vnionem personalem sequeretur alienatio etiam potentiæ, quia aliter homo assumptus posset peccare, & consequenter dici posset, quod Deus posset peccare. Ait Soncinas, quòd hoc non sequeretur de Deo, quia nullus actus attineretur tali naturæ, sicut agenti, sed sicut principio actionis, sed non aduertit Soncinas, quòd non vult Auctor concludere, quòd Deus posset peccare, vel quod peccaret, sed quod verum esset dicere. Et hoc probatur sicut verum est dicere homo factus est Deus, & homo iste verum est dicere quòd peccauit, igitur verum erit dicere, quòd Deus peccauit, & hoc per communicationem idiomatum, quod cum sit absurdum dictu, dicere oportet, quòd homo assumptus sit & secundum essentiam, & secundùm potentiam.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum Angelus moueat corpus per intellectum immediatius, quàm per voluntatem, suppositò quòd per vtrunque eorum moueat.

Sequuntur quæsita de creaturis secundum se: vbi duo quærebantur de Angelis, & plura alia de hominibus. Primum illorum de Angelis erat: Quomodo Angelus mouet corpus, an per intellectum immediatius, quàm per voluntatem, suppositò quòd per vtrunque eorum moueat.

Secundum erat de mensura actionis eius: Vtrum duobus instantibus existentibus in tempore Angeli, respondeat vnicum instans existens in tempore nostro.

Argumen. prime. Circa primum arguitur, quòd Angelus immediatius mouet corpus per intellectum quàm per voluntatem, quia formæ intellectus assimilatur actio & secundum ipsam procedit sed tali (vt videtur) immediatius mouet, ergo &c. Maior patet, quia si calor esset intellectus & moueret ad calorem, diceretur quòd immediatè per intellectum moueret ad producendum calorem. Minor manifesta est de se. Intellectus enim formam rei continet, vt ars.

In oppositũ primũ. Contra, intellectus non mouet nisi vt finis, quia non nisi per appetibile ab ipso comprehensum, qui non est immediatum principium actionis verę: sed motus a fine metaphoricè, secundum modum inferius declarandum.

Secũdum. Præterea intellectus non mouet nisi vt finis in præsentando obiectum volibile siue appetibile: finis autem etsi sit primum, non tamen est proximum & immediatum mouens. ergo &c.

Responsio. Dico, quòd re vera nulla substantia separata agit aliquam actionem circa exteriora sibi absq; intellectu & voluntate. Vnde dicit Auicenna de Deo in producendo creaturas lib 9. Metaphys. suæ Esse quod est ab eo non est secundùm viam naturæ vt sit ab eo non per cognitionem nec per beneplacitum. Quomodo enim hoc posset esse, cum sit pura intelligentia, quæ intelligit seipsam, & intelligit seipsam sequi vt esse omne sit ab eo? Ecce quòd necessariò præcedit primò intellectus Sequitur. Et hoc est de communi cantibus suam gloriam, per quam ipse diligit seipsum.

Omnis autem scientia, quæ scit quod prouenit ex ea, placuit ei quòd prouenit ex ea. Igitur primò placuit vt ex sua essẽtia fluat omne quod est. Ecce quòd necessariò secundò præcedit voluntas. Sed ante ista duo præcedit natura quæ mouet intellectum, & est tertium, sed primum in ordine, a qua secundum Philosophos procedunt res aliæ secundum viam naturæ, vnde dicit in eodem. Principium omnium est esse quod necesse est esse, & necesse est esse sic, quòd quicquid est ab eo necessarium est, quantum ad illud, non quòd sit natura proximum & immediatum agens, sed mediante intellectu & voluntate, secundum quod post prædicta subdit continuè. Vnitatis autem summæ non est sua prima actio nisi per suam essentiam. Ipse enim intelligit suam essentiam, quod est principium ordinis bonitatis in esse. Et ex hoc intelligit qualiter est possibile, & qualiter est elegantius prouenire esse totius secundum iudicium sui intellectus & sequitur ordinatio bonitatis in esse scilicèt ex rationis iudicio sicut principio proximo.

Ex quibus si benè aduertantur, innuit nobis quinque intelligenda per ordinem. Primum *Quinque intelligenda.* est quòd sua essentia est principium ordinis bonitatis in esse, quòd non est sua prima operatio nisi per suam essentiam, ipsa tamen sua essentia non agit vt id quod est sit ab ea secundum viã naturę absque cognitione & intellectu, vt iam dictum est. Secundum verò est, quòd ipse intelligit ipsam vt omne esse sit ab ea. Tertium est, quòd statim placuit ei vt ex eius essentia fluant res. Quartum est, quòd intellectus intelligit qualiter est possibile elegantiùs res prouenire ex eo. Quintum est, ordo bonitatis eorum fluens in esse secundum formam & iudicium intellectus. Innuit ergo, quòd sua essentia primò agit intellectu mouendo ipsum ad actum intelligendi. Secundò verò sequitur actus intelligendi omnia quæ sequuntur illam. Tertiò autem complacet intellectus voluntati. Quartò quòd formetur intellectus modo meliori producendi res Et quintò, quòd secundum formam intellectus ab essentia mediante intellectu & voluntatis complacentia præcedente fluunt res in esse, vt sic per intelle-

tellectum immediatius, quàm per suam essentiã & voluntatem producantur res in esse, sed naturaliter &, necessariò propter mouens primum quod est natura.

Opinio. Iuxta hanc sententiam aliqui volentes sequi viam Philosophorum, quantum audent salua fide, dicunt consimiliter de motu & actione Angeli &, hominis, quod sicut Angelus nulla necessitate naturæ mouetur in suis actionibus circa exteriora, nec similiter homo, sicut nec Deus In quo contrariantur Philosophis sequentes fidem, quæ ponit quòd Deus circa inferiora naturæ suæ necessitate non agit: agit tamen secundum formam intellectus sui habitam de rebus circa quas habet exercere actus &, motus suos, de qua forma intellectus dicit Auicenna, sexto Metaphys. Causa finalis in suo esse in anima prior est cæteris causis, quia anima adinuenit eam prius, &, postea imaginatur apud se actionem, &, inquisitionem recipientis &, qualitatem formæ.

Tali forma habita postquàm in ea complacet voluntati tanquàm cuidam annexo & non principaliter operanti sequitur operatio, vt secundum hoc intellectus sit principium proximum mouẽs &, agens in Angelo, determinans agenda, & post determinationem exequens, intercedente beneplacito voluntatis. Et sicut hoc ponunt in Angelo, ita nituntur hoc ponere in homine.

Improbatur. Sed si ita esset, nequaquàm ex libero arbitrio procederet actio Angeli aut hominis, sed solùm modò ex forma intellectus, cuius operatio sicut formæ naturalis ad vnum determinata est, quemadmodum si calor haberet intellectum sui absq; libero arbitrio, immediatum principium esset agens calefactionem & ex necessitate naturæ sicut modo eam agit calor secundum quod procedit probatio maioris ad primam rationem.

Opi. Aut. Nos autem contrarium tenentes, vniuersaliter &, in Deo &, in Angelis &, in hominibus, dicendo quòd intellectus non determinat agenda in Deo vllo modo vt alibi declarauimus, nec in Angelo aut hominibus, vt necessariò ad determinationem voluntatis sequatur actio: sed determinatio actionis sit tàm in Deo quàm in Angelis quàm in hominibus a sola voluntate, Dicimus quòd principium proximum producendi res a Deo in esse, &, agendi quæcunque agit circa illa quę sunt extra se, & similiter in Angelis &, hominibus quo ad actiones eorum, principium proximum est voluntas secundum liberum arbitrium.

Sed hoc est proprium soli Deo, quia sola sua voluntate producit res extra se, &, agit quæcunque agit circa illa: Angeli autem & homines nequaquam. Non enim ex eo quòd volunt aliquid, statim factum est: sed post voluntatem requiritur in eis alia vis motiua de proximo post intellectum, & per voluntatem productiua operis extra se.

Responsio. Dico igitur descendendo ad quęstionem, quòd sicut in nobis primum principium motus & actionis est intellectus repræsentans appetibile, secundum verò est voluntas operando determinans motu interiori suæ volitionis imperans viribus motiuis, tertium verò sunt vires motiuæ motum exequentes, vt principium proximum & immediatum mouens & agens: Sic & in Angelis. Et sic tanquam per principium primum mouet sicut nos per intellectum, tanquàm autem per principium medium per voluntatem, tanquàm verò per principium proximum sua vi motiua. Et sic proximius mouet per voluntatem, quàm per intellectum.

Ad argum. primo. Ad primum in oppositum quòd formę intellectus assimilatur actio, Dico quòd verum est vt repræsentanti circa quid agendum est, & dictanti modum actionis, vt procedit secunda ratio. Sed non sequitur ex hoc, quòd de proximo mouet ad actionem nisi ageret de necessitate naturę primi mouentis, sicut ageret si intelligendo calefaceret. Nunc autem quando ponimus, quòd homo &, Angelus non agunt necessitate aliqua naturæ circa illa, quæ sunt circa finem vltimum, sed solùm modò libertate arbitrij, illud non oportet: immò voluntas liberi arbitrij determinans agenda immediatius agit.

Comment. in Quæstionem Sextam, quæ est,

Vtrum Angelus moueat corpus per intellectum immediatius, quàm per voluntatem, suppositò quòd per vtrumque eorum moueat.

ANtitulo not. supposituum illud esse etiam D. Thomæ quodlib. 7. artic. 4. &, de malo quæst. 16. artic. 1. ad 14. contra tamen est Aureolus, & primò quidem nititur probare in Angelo dari virtutem motiuam distinctam &, ab intellectu, & à voluntate, & hoc ex articulo Parisiensi.

Secundò, quia in nobis virtus motiua distinguitur ab intellectu, & voluntate, igitur & in Angelis.

Tertiò quia mouere, intelligere, &, velle sunt actus genere distincti, ergo reducuntur ad potentias distinctas.

Not. quod tamesi quidam Thomistæ soluere nitantur huiusmodi rationes, tamen nihil refert si & insolutæ remaneant in doctrina D. Thomæ, quippe non excludunt intellectum, atque voluntatem, sed addunt virtutem motiuam, quam non negaret D. Thomas, qui si in locis citatis, &, alibi etiam dicit Angelos agere per imperium tantum, & quidem voluntatis,

luntatis, &c. consequenter rationis. in quolib. 8. & 9. quæst. 4. artic. 5. &c. alibi dicit oppositum, ad insinuandum, q agunt quidem per imperium tantùm, in quantùm nullam actionem habent, ad quam non concurrant voluntas, & intellectus; non tamèn ita agunt, quòd excludatur eorum virtus motiua. Et quidem idipsum concedit Author in corpore quæstionis.

In corpore igitur duo facit. Primùm reprobat opinionem sequentium Philosophos. Secundò ponit propriam opinionem.
De primo, quoniam Philosophi volunt Deum non agere liberè, ipsum faciunt agentem primò per intellectum. Secundò per voluntatem, quantum ad executionem operis. Et hanc opinionem potissimum declarat ex Auicenna. Id ipsum dicit quidam de Angelis, &c. nobis, quòd scilicèt principale agens est intellectus: exequès verò, & secundariò est ipsa voluntas.
Reprobat hanc opinionem quo ad Deum, & Angelos, & nos duo faciendo: primò, argumento deducendo ad inconueniens. Secundò declarando differentiam inter creaturas, & Deum.
De primo arguit, q sequeretur in Deo, & Angelis, & nobis non esse liberum arbitrium, sed consequens est falsum, igitur &c. Patet consequentia, quia taliter agens, est agès de necessitate naturæ, sed tale agens non liberè agens est, igitur &c. Patet falsitas consequentis. colligit propterea, quòd determinatio actionis est à voluntate.
De secundo, declarat, q tamen hoc agere ex libero arbitrio est maximè Dei proprium, quia agit quodcunque vult, quia infinitæ virtutis: creatura verò, quoniam non potest agere omne, quod vult, è contrà se habet, videlicèt, quòd cum Deo possit dici, quòd omne, quod agit Deus, agit quia vult, & omne quod vult, agit, in creatura rationali non potest dici nisi vnum, quod omne, quod agit, agit quia vult.
De secundo principali est conclusio, q Angelus immediatius, & proximius mouet corpus per voluntatem, quàm per intellectum.
Probatur autem hæc conclusio. Eo immediatius, & proximius mouet, quòd motui est proximius, sed voluntas est motui proximior, igitur. Maior patet. Minor verò probatur à simili in nobis, sicut in nobis primum principium actionis est intellectus representans appetibile: secundum verò est voluntas operando determinans motu interiori suæ volitionis, imperans viribus motiuis: tertium verò vires motiuæ motum exequentes, ita & in Angelis, sed secundum mones est proximius primò, vt patet igitur &c.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum duobus instantibus existentibus in tempore Angeli respondeat vnicum instans existens in tempore nostro.

Arg. prim. primum.

CIRCA secundum arguitur, q duobus instantibus in tempore Angeli respondet vnum in tempore nostro, quia duob. punctis in terminis duarum linearum respondet vnus in linea ambobus superposita. Item si non posset eis respondere vnicum, aut hoc est ratione minoris simplicitatis in vno, quàm in pluribus, aut quia in pluribus est mora.

Secundū.

Non ratione primi, quia plura instantia æquè simplicia sunt, vt vnum: simplum enim additum simplo nihil auget. Non ratione secundi, quia bene aliqua succedunt sibi sine mora, vt tempus & instans.

In oppositum.

Contra. Quia si ita esset cum primum instãs tẽporis Angeli sit simul cũ instãti nostro, tunc plura instantia tẽporis Angeli essent simul inter se.

Resolut. q.

Hic primo oportet videre quale sit tempus Angeli in se, & qualiter differat à tempore nostro, quæ aliàs declarauimus, quòd videlicet tempus Angeli discretum est, sicut & suæ actiones, siue motiones quarum est mensura, discretæ sunt sibi succedentes absque medio continuante. Sed est aduertendum, quòd multum refert de actionibus Angeli intrinsecus manentibus, cuiusmodi sunt eius volitiones & intellectiones, & de eius motionibus circa exteriora corpora, & similiter de mensuris illarum.

Primæ enim actiones operationes propriè sũt & actiones perfecti secundum quod perfectum est, simplices, totæ simul existentes, per moram comparatione nostri temporis, seu per comparationem ad tempus nostrum permanentes, & quælibet illarum est producta in esse per coexistentiam in vnico instanti nostri temporis.

Secundæ verò actiones mutationes sunt, quibus voluntate sua mouet seipsum quando transfertur de situ in situm, quæ sunt actus imperfecti secundum quod imperfectum est.

Tertię aũt actiones, quas agit circa exteriora, vt circa corporalia. Et tàm actiones de primo genere, q̃ de secundo pro mensura habẽt tempus discretum, sed modus actionum de primo genere pro mensura habet tempus compositũ ex instantibus indiuisibilib. quę sunt tota simul cum discretis & permanentib. in mora, sicut moram habent, & permanentiam ipsę actiones mensuratę, & distentionem: non est.n. in Angelo intellectio, aut volitio sine mora, sed immediatã sine mora mediantibus adinuicem successionem, quia cum vna intellectio Angeli præcesserit per aliquantulum mensę nostri temporis, in vltimo instanti illius producit tota simul alia cogitatio eius, quæ similiter durat per morã aliquantulam nostri temporis, & sic de cæteris.

Sed mora ista tàm in actionib. quàm in mẽsuris earum potest esse maior, vel minor secundum quod Angelus plus, vel minus voluit se tenere in vnica cogitatione. Et istud tempus est discreta quantitas sicut oratio; partes.n. orationis, quę consistunt principaliter in prolatione vocalium, cum quibus mixtim sonant consonantes, totæ simul sunt, sed non subito tranfeunt, sed totæ simul manent per aliquantulam moram nostri temporis, vt patet cum dicitur a, e, i, o, u, vel pa, pe, pi, po, pu, vel coniungendo hæc in dictione, & dicendo papa, pape, papi, papo, papu.

Et est instans quod est pars discreta talis temporis Angeli indiuisibilis, simul cum aliquanta parte nostri temporis, & cum omnibus instantibus quæ sunt in illo. Et sic contingit cõtrarium eius quod quæsitũ est in quæstione scilicet quòd vni instanti temporis Angeli respondet tempus nostrum, & plura instantia illius, cum quibus simul coexistit illud instans temporis Angeli in mora permanens, in qua tempus nostrum & instantia eius transeunt.

Modus autem actionum quæ de secundo genere, pro mensura habet tempus compositum ex instantibus indiuisibilibus quæ tota simul sunt & discreta sed transeuntia, & sine mora sicut trãseunt absque mora & permanentia ipsæ mutationes mensuratæ. In transitu enim Angeli de situ in situm nullam moram intelligo. Et est tempus mensurans istas mutationes Angeli subitas quantitas discreta sicut numerus vnitatum quæ simplices sunt. Sed partes eius quæ sunt sicut ꝙ vnitates simplices nullam habent permanentiam, sed solùm modò sunt in transitu, & coexistunt singulæ instantibus nostri temporis singulis, nec habent continuationẽ inter se, quia inter quælibet duo instantia & dictas mutationes necesse est moram ponere Angeli in signo ad quod terminatur præcedens mutatio, in quo Angelus non mutatur, sed quasi quiescit per aliquam moram & partem nostri temporis, & mensuratur illa quies per accidens per instans vel per instantia intellectionis vel intellectionum quam vel quas interim Angelus in se operatur, vna enim mutatio Angeli terminata in vnum situm, non potest habere aliam mutationem continuam ab illo situ in alium, quælibet enim mutationum talium sequitur propriam cognitionem in Angelo, quarũ cognitionum quælibet est morosa vt dictum est.

Responsio His prælibatis ad id quod quæritur vtrum duobus nunc existentibus in tempore Angeli respondeat vnicum nunc siue instans existens in tempore nostro: Dico, quòd non, loquendo de instantibus temporis Angeli quod habet esse secundum rem & veritatem extra animam, nisi secundum imaginantes intellectiones Angeli, secundũ quarum formas mutatur de situ in situm, esse subitas, & quòd secundum vnam transit per vnam partẽ spatij, secũdum aliam per aliam, quod impossibile est ponere ex parte transituum. Sicut.n. in naturalibus secundum Philosophum 7. Phys. subitæ mutationes non pñt fieri nisi in terminis motuũ sic istę mutationes Angeli nõ pñt fieri nisi in terminis morarum intellectionum Angeli. Si tamẽ Angelus habet situm in loco absque operatione in illo, quod ponit quidam articulus, cuius contrarium interdictum est, ita quòd ęqualiter natus sit situari in quolibet signo medio sicut & in extremis, sicut corpus natum est situari sub quolibet signo sibi ęquali in spatijs siue in extremis sit siue in medio, oportet ꝙ Angelus transeũdo de situ ad situm, puta ab orientis puncto in pũctum occidentis, transeat per oẽs partes spatij intermedias, & per omnia puncta existẽtia in illis et quod tñ totũ fit in eodem instanti tẽporis Angeli & similiter nostri, quia in illis est solũ in transitu & sic in potentia. Quemadmodũ.n. corpus motũ in spatio in quolibet instanti temporis sui motus est semper sibi æquale in spatio, & sunt huiusmodi æqualia infinita: super quæ corpus est in transitu & in potentia, & ideò possibile est illa à corpore pertransiri in tempore finito: sic Angelus transiens de termino in terminum semper est super ęquale sibi. s. in puncto, aut (vt quidam dicunt) in indiuisibili minimo, quæ licèt sint infinita, quia tñ solum sunt in potentia, & super illa est in transitu & in potẽtia, ideò omnia illa possibile est eũ transire in eodem instanti temporis sui, & nostri & non est prius super vnum dictorum signorum quam super aliud, nisi natura & consideratione nostri intellectus, & hoc quemadmodum si graue puta lapis pedalis descenderet in vacuo iuxta murum vel per aerem non plus resistentẽ quàm vacuum, & sit spatium muri vel aeris trium pedum. puta a, b, c, lapis ille in vnico instanti transiret totum spatium, nec esset prius duratione aut tpe in a, signo quàm in b, nec in b, quàm in c, nec prius trãsiret spatium a, q̃ spatium b, nec spatium b. q̃ spatium c, dico tpe. natura tñ prius esset iuxta signũ a, & trãsiret id spatiũ, q̃ b, signũ, & quàm transiret eius spatiũ, & similiter, de b, ad c, & similiter in quolibet dictorum spatiorũ pedalium prius natura intrat ipsum prima medietas lapidis q̃ vltima, & similiter quarta pars præcedens q̃ aliæ, vt sic secundum rõnem intelligendi siue imaginationem transit successiuè per partes illius spatij, & est totũ illud tps imaginatum cum omnibus instantibus suis simul in eodẽ instanti reali in quo descendit. Et sic si Angelus ponatur in vnico instanti temporis nostri pertrãsire aliquod spatium, sicut hic ponitur transire diuersa signa siue diuisibilia siue indiuisibilia in alio & alio instanti temporis sui, illa non sunt instantia temporis sui secundum veritatem, sed solùm modò per imaginationem tantùm. Vnde qui ponit quòd talia duo instantia temporis Angeli simul sunt in eodem instanti temporis nostri, verum dicit, sed si intelligit, ꝙ sunt secundum rem & veritatẽ instantia temporis Angeli, ipse id quod est phantasticum & secundum imaginationem tantùm, ponit esse aliquid secundum veritatem.

Ad primũ, quòd duob. punctis rñdet vnus &c. Dico, quòd hoc ideò contingit quia omnes sunt manentes in terminis linearum suarum, & indiuisibiles sunt, Vnde non plus occupat situs vnus illorum quàm plures, non sic autem est in instantibus quæ sunt secundum veritatẽ transeuntia, licèt sic possit esse in illis quæ solum transeunt

Ad arg. primc.

seunt, &c. sunt secundum imaginationem, quæ prius &c. posterius natura in transitu dicti spatij distinguit secundum cõsiderationem quasi fuissent secundum actum &c.

Ad secundum. Ad secũdum, quod videtur arguere iam dictorum contrarium: dico secundum dicta, quòd non potest duobus instantibus secundum veritatem existentibus in tempore Angeli secundum primum, aut secundum alium modum prædictos respondere vnicum nostri temporis, quia in primo modo temporis Angeli instantia habent moram, &c. ideò, vt dictum est vnum instans illius temporis Angeli respondet parti temporis nostri, & omnibus instantibus quæ sunt in illa &c. In secundo autem modo temporis Angeli instantia nó habent moram, sed transeunt mora quietis Angeli in medio, vt dictum est: &c. ideò singulis singula respondent instantia temporis nostri.

Ad assumptum pri. Quod autem assumitur, quòd instantia temporis Angeli succedunt sibi sine mora, dico, quòd hoc est impossibile in instantibus, quæ habent esse secũdum veritatem sed solùm modò verum est in instantibus acceptis secundum imaginationem tantùm &c. Et quod arguitur, quòd aliqua sibi succedunt sine mora, vt tempus &c. instans, dico, quòd succedere sine mora potest intelligi, vel sine mora media inter succedentia, vel potest intelligi sine mora in altero, vel in vtroque extremorum. Primo modo succedunt sibi intellectiones Angeli, vt dictum est supra, &c. sic verum est, quod aliqua sibi succedũt sine mora sin media. Sic sibi succedunt instans, & tempus, & nox &c. dies, &c. vniuersaliter omnes partes continuæ successiuorum: similiter motus & quies. Sed duo subito transeuntia non possunt sibi succedere sine mora media, vt duo instantia, vel duæ mutationes in eodem, quia nõ est mutatio nisi terminus, vel principium moræ, vel medium moraruꝫ, vt mutatio inter duas intellectiones Angeli, quæ sũt in mora permanente, vel mutatio inter duos motus, quorum est mora per successionem, vel mutatio inter duo tempora, quorum quodlibet est mora motus, vel potest huiusmodi indiuisibile esse principium, &c. terminus moræ, vt instans temporis, &c. mutatio motus, & sic secundo modo indiuisibile transiens nunquam est sine mora &c.

Ad argum. in oppos. Ad argumentum in oppositum, quòd plura instantia temporis Angeli non possunt esse simul cum vno temporis nostri, quia essent simul inter se. Dico, quòd verum est de instantibus veris. De instantibus autem imaginatis acceptis pro veris verum est, quòd secundum veritatem sine simul cum eodem temporis nostri, vt dictum est, non tamen sunt simul inter se, quia ordinem habent secundum imaginationem &c.

Comment. in Quæstionem Septimam, quæ est,

Vtrum duobus instantibus existentibus in tempore Angeli respondeat vnicum instans existens in tempore nostro.

IN titulo memoria repetendum est illud, quod ex D. Augustino dictum est in q. 8. quodlib. 12. nempè quòd actiones Angeli mensurantur mensura discreta, quæ vocatur tempus. Illud autem tempus ex illa quasi nube, & hac præsertim differt à tempore nostro, quoniam nostrum ponitur in genere continuorum. Quod patet ex Aristotele in prædicamento quantitatis, & alibi: tempus verò illud Angelorum dicitur discretum. Et vbi, quòd cùm in illa; tùm etiam in ista quæstione quæritur circa actiones Angelorum, quæ à tali tempore discreto mensurantur. Quippè fortè dantur & actiones, quæ tempore continuo mensurantur. vt sunt illæ, quæ transeunt in exteriorem materiam. Ideò nota illa tria genera actionum, quæ enumerat Auctor, quòd de tertio genere non est sermo, nempè de actione, qua mouent corpora, vt qua sũ Philosophum mouent corpora cœlestia: cum enim motus cœlorum tempore mensurentur, oportet, quòd actio etiam Angelorum, qua eos mouent, mensurentur tempore non discreto, sed continuo. Et de hoc non est difficultas, si quidem instantia Angelorum secundum tales actiones non sunt diuersa à nostris instantibus. Instans enim temporis continui non differt ab instanti temporis pariter continui. Sed difficultas circa tempus, quod mensurat illas alias actiones intraneas, vt volitiones Angelorum, intellectiones, hæ, quæ ab Auctore dicuntur actiones perfecti, vt perfecti; & motus locales: mutant enim situm Angeli, vt notum est Theologis omnibus, & huiusmodi dicuntur ab Auctore actiones imperfecti, fortè habito respectu ad illud, quod dicit Aristoteles motum propriè dictum esse actum entis in potentia: quod autem est in potentia aliqualem dicit imperfectionem &c. De his igitur difficultas est. Verumtamen &c.

In corpore conclusio est negatiuè responsiua quæsito, scilicèt, quòd duobus &c. non respondet &c. loquendo de instantibus temporis Angeli, quod habet esse secundum rem extra animam. Probatur: si enim hoc esset verum, id profectò esset secundum imaginantes intellectiones Angeli, secundum quarum formas mutatur de situ in situm esse mobilitas, & quasi secundum vnam transit per vnam partem spacij secundum aliam per aliam, sed hoc impossibile est ponere ex parte transitum. igitur

Not. hic diligenter, quòd ad intelligendum hoc negotium oportet considerare, quomodo moueatur Angelus de loco ad locum, an scilicet in tempore, an potius in instanti. Non desunt autem qui credunt motum Angeli esse in instanti, & id videtur Auctor innuere in hac quæstione, sed potius supponendo, quàm asserendo. Quicquid sit enim de hac quæstione fortè in præsentia non est discutiendum. Esto quod Angelus de loco ad locum moueatur in instanti, vt puta ab Oriente in Occidens. Aut illud instans est idem prorsus cum instanti nostro, aut diuersum; si idem, iam habemus, quòd duobus instantibus Angeli non respondet vnum nostrum, sed vni unum: si verò sit diuersum, aut hoc est, quia illud sit indiuisibile, & nostrum indiuisibile, aut quòd in illo instanti dantur plures morulæ, in nostro nequaquam, sed neutrum est dicendum, quoniam nullum instans est diuisibile, vel plures morulas habet.

Quòd si quis imaginetur illud instans Angeli correspondens nostro esse diuisibile, ac plures mortulas habere, secundum quod plures sunt partes distantiæ, in qua mouetur; potest etiam imaginari, quòd vnaquæque mortula, vel particula instans quoddam sit, &c. sic vni instanti nostro plura instantia respondebunt Angeli. Quod tamen falsum est. Et ideò probat Auctor, quòd sicut se haberet in mutatione subita locali alicuius corporis, ita se habet in motu Angeli. Nunc autem in mutatione subita corporis, quæ accideret in vacuo, si possibile esset dari, non daretur talis mortularum diuisio, igitur nec datur in Angeli motu. Et quidem proportio naturaliter probatur, q in mutatione corporis subita, non daretur &c. quia si hoc esset, quòd daretur, hoc non esset nisi ob partes spacij plures. Sed videmus, q partes infinitas pertransit in tempore finito, ex 7. Physic. cum omnis magnitudo sit diuisibilis in infinitum, &c. hoc non est, nisi quia id est in potentia. sic in vacuo, vbi nulla resistentia esset huiusmodi, non esset partes nisi in potentia, &c. ideò totæ simul transire possent, igitur &c. Esto igitur, quod moueatur Angelus in instanti, illud instans æquale est nostro instanti. Non est autem quòd absolutè velit Auctor Angelum moueri in instanti, quia immò dicit ex Augustino moueri in tempore, sed non simili nostro prorsus, quemadmodum dicit etiam D. Thom. p. p. quæst. 53. artic. 3. Tametsi autem tempus sit diuerlum hoc ab illo, vult tamen omne instans illius esse æquale huic, &c. non excedere, nec excedi.

Not. quòd totum hoc est dictum de secundo genere actionum Angelicarum: cum enim sint tria genera, tertium est in tempore nostro, vt diximus superius, non quidem respectu Angeli, quia respectu Angeli reducitur ad primum genus, sed respectu moti corporis. Secundum genus est in tempore discreto, secundum quod resoluitur quæstrum, q instans illius respondet vnico instanti nostro. Primum verò illud genus est, de quo præsertim actum est in 8 quæst. 12 quolib. In hac verò quæstione concludit, q instanti vni Angeli, in quo mouetur secundum primum genus intelligendo atque volendo, respondet tempus nostrum. Pro cuius rei notitia attendendum, q omne tempori subditum, est etiam motui Physico subditum, & secundum illud senescit. & veteratcit. vnde cum nulla passio, motusque Physicus accidat Angelo, nullo pacto est tempori nostro subditum. Quare dum exempli gratia, crucifigeretur, & pateretur Saluator noster haud existimandum est, quòd Angeli sancti non cogitarent de illa passione, & quidem tandiu, quandiu durauit. Illa tamen cogitatio vnica existens non est tempore mensurata, quia vel discretò, vel continuo. Non continuo, quia, vt dictum est, Angelus non est subditus huic tempori, quod solum continuum est, igitur discreto,

Sed neque discreto, quia discretum partes habet non continuas, & non compulatas ad terminum communem. Ergo & mensuratum illo tempore: vnica autem Angeli cogitatio cum careat huiusmodi partibus, sequitur, quòd neque discreto tempore mensurata sit, ergo mensura eius non potuit esse nisi instans. Quoniam verò passio Christi per amplius, quàm per diem duraut, quod spacium tempus est, patet, quòd illi instanti Angeli correspondet tempus nostrum, &c.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum intellectus agens pertineat ad imaginem hominis.

EQVVNTVR quæsita de hominibus, vibi quærebantur quædam pertinentia ad animam priucipaliter, & quædam pertineutia priucipaliter ad compositum ex anima, & corpore. Primò quærebatur vnum pertinens ad iutellectum Vtrum intellectus agens pertineat ad imaginem in homine. Et tria pertinentia ad voluntatem, quorũ primum pertinebat ad obiectum voluntatis. Vtrum primum & per se obiectum voluntatis sit bouum sub ratione boni simpliciter, an sub ratione conuenientis Alio verò duo ad voluntatis actum, quorum primum erat Vtrum actus volitionis moralis specié moris sortiatur ab obiecto, au à voluntate. Secundum erat. Vtrum ad elicien dum actum volitionis sufficiat sola obiecti ostensio, an cum hoc requiratur aliqua influentia, vel affectio. Quærebatur demum vnicum communiter pertinens ad essentiam animæ, & ad potentiam. Vtrum beatitudo perficit principaliter, & primò potentiam animæ an essentiam.

Arg. prin. Circa primum arguitur, quòd intellectus agẽs non pertiuet ad imaginem, quia nec est memoria, nec intelligentia, nec voluntas, eo quòd sua actio circa phantasmata præcedit operationes illarum, & non sunt aliæ partes imaginis: ergo &c.

In oppos. Contra. Agens & possibilis sunt duę partes intellectus, quare cum agens sit nobilior possibili, & in imagine cõsistat naturæ intellectualis nobilitas: ergo potius pertinet ad imaginem, quàm possibilis.

Hic oportet videre à principio quid appelletur intellectus agens, & quomodo se habeat ad memoriam & intelligentiam: hoc enim viso patebit intentum. Est igitur sciendum, quòd secundum Philosophum in tertio de anima, est intellectus agens, qui facit intelligere omne, & est habitus quidam vt lux. Habitus autem est non qui est accidens, ita quòd non sit pars animę, sed habitus dicitur, quia habet similitudiuem habitus, & hoc in duobus, quæ sunt opera eius. Quorum vnum est illuminare intellectum possibilem, sicut lumen materiale diaphanum, vel potius, sicut lux corpus luminosum. *Resolut.*

Actio enim eius in ordine ad possibilem potius est lucere, quàm illuminare; est enim lux quædam spiritualis in possibili pertinens ad potentiam intellectualem essentialiter, sicut & ipse possibilis, & quemadmodum lux est natura visus, & secundum hoc, vt dicit Auer. intellectus possibilis perficitur per agentem, & hoc dicit visus luce sua connaturali, sine qua non ageret ad formandum in se actum visionis, nec ad illum recipiendum. Et secundum hoc 12. de Trinit. cap. vltimo dicit beatus August. quòd intellectus noster intelligit intelligibilia in quadam luce interiore generis sui spirituali, sicut oculus videt colores in quadam luce generis sui corporali.

Secundum

Secundum verò opus eius est ex ordine suo ad phantasmata, quia resplendet super phantasmata sicut lumen diaphani super colores, & per hoc separat phantasmata à conditionibus particularibus materiæ, & de vniuersali & intelligibili in potentia facit vniuersale & intelligibile secundum actum, & ipsum mouere intellectum possibilem, & per hoc quòd vniuersale factum secundum actum imbutum est lumine agentis, facit quòd mouet intellectum possibilem, sicut colores mouent visum vt abstracti sunt secundum actum & imbuti lumine, & commixti sunt ipsi, ita quòd agens ista duo agat circa phantasmata, inquantùm enim facit quòd sunt formæ secundũ actum intelligibiles, se habet vt ars producẽs formas in actu & inquantum facit & mouent intellectum secundum actum, se habet ad phantasmata sicut lumen, quo imbuti sunt colores, qui licèt essent abstracti non mouerent visum nisi essent lumine imbuti & ei commixti vt per hoc in virtute eius moueant, & sic facit intelligere causando actum intellectionis in possibili. Et in summa facit duo circa phantasmata, & duo circa possibilem intellectum.

Circa phantasmata enim quasi resplendendo super illa & illuminando ea non egrediendo a possibili sed conuertendo se ad illa, quia in eadẽ substantia animæ sunt phantasiata, in qua sunt phantasmata, & intellectus agens primò facit illa esse actu intelligibilia, secundò dat eis vim mouendi secundum actum intellectum possibilem, inquantùm scilicèt sunt quasi imbuta & commixta lumini agentis. Circa possibilem autẽ non quasi resplendendo & illuminãdo eum, sed quasi lucendo in eo. Primò, vt est lux indeterminata disponit ipsum vt sit receptiuus actus qui est intellectio: sine qua media non reciperet illum, sicut nec visus actum visionis nisi in eo lucceret media lux connaturalis. Secundò autem vt est lux determinata ab intelligibili disponit ipsum vt sit actus actionis quæ est intellectio, sine qua determinante vim elicitiuam ipse intellectus possibilis illam non eliceret. Sicut vis visiua in oculo non eliceret actum visionis, nisi esset disposita luce determinata a colore. Et hoc est quod breuiter & expressè dicit Commen. Auer. super tertium de anima, loquens de intellectu possibili, sic inquiens. Debes scire quòd intellectus agens ad istum intellectum est respectus lucis ad diaphanum, & respectus formarum materialium ad ipsum est respectus coloris ad diaphanum, quemadmodum enim lux est perfectio diaphani, sic intellectus agens est perfectio materialis, & quemadmodum diaphanum non mouetur a colore nec recipit ipsum nisi quando lucet, ita iste intellectus non recipit intellecta quæ sunt hic nisi secundum quòd perficitur per illum intellectũ & illuminatur per ipsum, & quemadmodum lux facit colores in potẽtia esse in actũ, ita quòd possint mouere diaphanum, ita intellectus agens facit intentiones in potentia intellectas in actu intellectas, ita quòd recipiat eas intellectus materialis.

Nota quòd clarior fuisset sententia si sic dixisset. Debes scire quòd intellectus agens ad istum possibilem est respectus lucis connaturalis ad oculum, & respectus formarum materialium ad ipsum scilicet intellectum possibilem, est respectus coloris ad oculum, quemadmodum enim lux connaturalis est perfectio oculi, sic intellectus agens est perfectio materialis intellectus, ecce actio secunda agentis in possibili. sequitur, vt quemadmodum oculus non mouetur a colore neque recipit ipsum nisi quando lucet, ita iste intellectus non recipit intellecta quæ sunt hic nisi secundũ quòd perficitur per illum intellectum & illuminatur per ipsum, ecce actio eius prima circa possibilem.

Et quemadmodum lux facit colores in potentia esse in actu ita vt possint mouere oculum. Ecce primum opus lucis circa colores cum dicit: Facit colores in potentia esse in actu. & ecce secundum, cum subdit: Ita vt possint mouere oculum, sequitur. Ita intellectus agens facit intentiones in potentia intellectas in actu intellectas, ecce primum agentis opus circa phantasmata, & sequitur secundum. Ita quòd recipiat eas intellectus materialis. Et esset melius simile de luce connaturali in oculo si sufficeret ad medium illuminandum & agendum circa colores, sicut sufficit lux connaturalis in oculo cati, quam si de luce exteriore in diaphano, quia illa lux exterior magis assimilatur agenti vniuersali separato cuiusmodi est lux increata, qua vident etiam iniusti rectè operanda & non sine illa, quemadmodum non videmus colores sine adiutorio lucis exterioris.

Hoc viso dico quòd cum agens pertineat ad potentiam intellectiuam & est de natura eius non potest non pertinere ad imaginem. Sed quia secundum determinationem Augustin. imago non consistit propriè in potentijs animæ cum sit ipsa substantia eius, nisi vt per actus suos à prima illarum vt a parente habet produci secunda sicut proles, vt à memoria intelligentia, sicut notitia de notitia & ab ambabus tertia vt à dupli notitia amor, videlicèt à memoria & intelligentia voluntas, igitur dico, quòd agens intellectus vt conuertitur ad phantasmata secundum dictas operationes duas circa illa quia non includitur in memoria vt de ipsa & de notitia quæ est in ea, procedit notitia intelligentiæ, neque similiter includitur in ipsa intelligentia nec etiam in ambabus vt ab ipsis procedit voluntas, nequaquam pertinet ad imaginem nisi vt præparatiuũ & actiuum circa intelligibilia quæ sunt in potẽ-

Responsio.

tia vniuersalia, vt fiant actu vniuersalia & actu posſint mouere intellectum posſibilem vt informetur notitia simplici rerum sensibilium, a quibus erant phantasiata in vi imaginatiua, & sic vt fiat memoria actualis intelligentiæ: omnis enim notitia simpliciter primò generata in intellectu ascribitur memoriæ. Eadem enim sunt potentia memoria & intelligentia, in qua distinguũtur vt diuersæ vires. Et dicitur communi nomine intellectus posſibilis, qui distinguitur contra agentem, sed in se continet duas vires, quia memoria dicitur inquantum est susceptibilis notitiæ directo aspectu ab intellectibus simplicibus & conseruatiua eius; intelligentia verò dicitur inquantum conuersa super se, vt est memoria informata simplici notitia & susceptiua informationis notitiæ declaratiuæ, & ambæ tanquam plus conuenientes inter se distinguunt ab agente vt a tertia vi in potentia intellectiua distincta contra vtranque illarum.

Quia tamen agens intellectus vt conuersus est ad phantasmata dicto modo, præparatiuus est & actiuus ad informationem memoriæ vt fœcundetur notitia simplici & posſit esse parens, ideò quo ad hoc dici debet pertinere ad memoriam vt ad parentem & non ad intelligentiam. Sed quia secundum determinationem August. imago non est propriè in potentijs animæ, nisi vt suis actibus conuertuntur per cognitionem & amorem ad æternum & increatum, eo enim anima, imago Dei est, quo capax Dei est vel capax esse potest, ad quod nullo modo potest se conuertere intellectus agens per illas duas operationes suas quas habet circa phantasmata: quia æternum non habet phantasmata: Nullo igitur modo intellectus agens, vt consideratur in ordine ad phantasmata, secundum operationes eius circa illa pertinet ad veram rationem imaginis: sicut nec memoria & intelligentia, vt conuertuntur ad cognoscendum temporalia & inferiora, & vniuersaliter quæcunque creata per notitiam quæ propriè dicitur scientia, sed tantùmmodò vt conuertuntur ad cognoscendum æternum & æternas regulas per notitiam, quæ propriè dicitur sapientia.

Si igitur intellectus agens pertineat ad veram rationem imaginis: hoc non potest esse, nisi vt consideratur in ordine ad intellectum posſibilẽ, secundum alias duas operationes suas prædictas.

Conclusio. Et dico, quòd ita est. Per hoc enim quòd lucet vt pura lux in intellectu posſibili, disponit ipsum vt sit receptiuus notitiæ de luce increata. Per hoc autem quòd in eodem est quasi determinata ipsi intelligibili increato, operatur vel potius cooperatur vt in intellectu formetur notitia de intelligibili increato. Sed prima operatione, primo disponit intellectum posſibilem, vt sit receptiuus notitię simpliciter secundum rectum aspectum, & sic sub ratione memoriæ. Et secundò disponit intellectum posſibilem, vt sit receptiuus notitiæ declaratiuæ: secundum quod respicit memoriam informatam notitia simplici, aspectu cõuerso, & sic sub ratione intelligentiæ. Similiter secunda operatione primò disponit memoriam, vt in ea de intelligibili increato, formetur notitia simplex. Secundò verò, vt de notitia illa simplici existente in memoria, formetur notitia declaratiua in intelligentia, & hoc secundum modum quo notitia simplex & declaratiua siue verbum de Deo, habent formari: prout alibi declarauimus. Et secundum hoc dico, quòd intellectus agens secundum dictas duas operationes, communiter pertinet & ad memoriam & ad intelligentiam, sicut ad intellectum posſibilem, vt qui eadem est potentia simpliciter in re & in substantia animæ, a quo solùmmodò distinguitur vt vis alia, sed existens & manens vt forma & lux in illa: disponens ipsum, sicut habitus, ad recipiendum in se operationem vitæ quæ est intellectio, & ad agendum eundem. Secundum hoc ergo concedenda est secunda ratio.

Ad primum in oppositum: quòd intellectus agens non pertinet ad imaginem, quia nec est memoria, nec intelligentia, nec voluntas, Dico: quòd falsum est, quia memoria & intelligentia, vt distinguuntur sicut intellectus contra voluntatem, vt potentiæ diuersæ, sunt vna potentia continens diuersas vires, quæ primò distinguuntur secundum agens & posſibile, & posſibile secundum memoriam & intelligentiam, in quibus ambabus vt sunt partes imaginis, continetur agens vt perfectio posſibilis & habitus in illo secundum dictum modum.

Et quod additur: quòd sua actio est circa phantasmata, & præcedit actionem illarum, Dico, quòd verum est, & quòd secundum hunc respectum non propriè pertinet ad imaginem, pertinet tamen secundum dictum modum. Habet tamen alias operationes secundum quas propriè ad imaginem pertinet, vt supra dictum est.

Comment. in Quæstionem Octauam, quæ est,

Vtrum intellectus agens pertineat ad imaginem hominis.

IN titulo not. ℣ non quæritur vtrum pertineat ad imaginem hominis, nisi inquantum homo est imago Dei. Est enim homo imago Dei, non artificialis, sed naturalis. Et quidem propriè consistit in anima secundum tria hæc intellectum, voluntatem, atque memoriam. Non disputamus autem vtrum tantùm potentiæ, an etiam actus includamus in præsentia. Id sufficiat, quòd præsertim ad hæc imago spectat, tanquam ad obiecta Trinitatem personarum. Vt memoria pater sit, de qua, tanquam vt Augustin. ait, de memoria fœcunda, procedit filius, qui est intellectus, & ab vtriusque amor, qui per voluntatem clarè signatur.

In corpore est conclusio, scilicet. Partim pertinet intellectus agens ad imaginem, & partim non pertinet. Probatur. Quod partim pertinet ad hæc tria, & partim non; partim pertinet ad imaginem; & partim nō, sed intellectus agens est huiusmodi. Ergo &c. Maior nota est. Pro minoris verò notitia not. est, quòd dum dicitur ad imaginem pertinere intellectum, memoriam, & voluntatem. Per intellectum intelligitur potentia illa, qua anima intelligit, & vnde elicitur actus intelligendi, ita ℣ dici potest intellectum intelligere: cum autem vt Aristoteles dicit in 3. de anima intelligere est quoddam pati, per intellectum intelligitur intellectus possibilis: ideò non est augurio quærere de intellectu agente, quia ipse intellectus agens nō propriè intelligit, quia non recipit intelligibilia.

Ad videndum autem quomodo intellectus agens partim pertineat, & partim non ad illa tria, oportet notare illa diligenter, quæ præmittit Auctor ad hoc significandum: sunt autem quatuor officia intellectus agentis, duo respectu intellectus possibilis, & duo respectu phantasmatis. Primum est, ℣ illuminat intellectum possibilem, sicut lux diaphanum. Et hoc dupliciter, quia lucens in ipso intellectu possibili, tanquàm lux indeterminata, disponit ipsum ad percipiendum intelligibile. Secundò lucens est, vt lux determinata disponens ipsum ad agendum; vt nempè sit actus actionis, scilicet intellectionis. Secundum verò officium est circa phantasmata, & quidem duplex, quia primum illuminat phantasmata, faciens illa esse actu intelligibilia, cum prius essent in potentia. Secundò dat eis vim mouendi secundum intellectum possibilem, &c.

Nunc autem quatenus officia sua exercet circa intellectum possibilem eatenus pertinet ad illum, ac consequenter ad memoriam, atque voluntatem. Ad intellectum iam patet, ad memoriam, manifestum, quia inducit notitiam declaratiuam, vnde nascitur verbum de quo alibi dictum est.

Ad voluntatem verò, quia semper voluntas intellectioni alicui assentit, vel imperat. Sed sufficit, quòd directè pertinet ad intellectum, atque memoriam. Iam verò quatenus exercet officia sua circa phantasmata. non pertinet ad illa tria.

Not. ℣ pertinet etiam hoc pacto, sed tantùm per modum præparationis, & dispositionis.

Not. ℣ hæc sententia Doctoris in omni via locum habet, etiam supposito ℣ vnicus sit intellectus agens omnium hominū. Alio tamen medio probari posset, supposito ℣ vniuscuiusque hominis sit intellectus agens: cum enim ita sit iuxta fidem, & veritatem, oportet, ℣ intellectus agens sit aliquid animæ, & non quidem nisi superioris portionis, cumque secundum totam superiorem portionem homo sit imago Dei, illud sequatur oportet, vt intellectus agens attineat ad imaginem hominis.

Not. insuper, ℣ dum concluditur, intellectum agentem esse de imagine hominis, intelligitur de imagine creationis pro vtroque statu, naturæ scilicet integræ, & naturæ lapsæ.

Non intelligitur autem de imagine creationis pro statu naturæ integræ. Talem enim imaginem hominem perdidisse ait Augustinus. Dicit enim creata fuit in homine imago Dei, quam non seruauit. Non intelligitur etiam de imagine recreationis, ac similitudinibus, quia illa sit iustorum tantum per gratiam, atque virtutes, hæc verò beatorum tantùm, quod etiam habet D. Thomas, &c.

QVAESTIO NONA.

Vtrum primum, & per se obiectum voluntatis sit bonum sub ratione boni simpliciter, an sub ratione conuenientis.

Arg prime. Primum. CIrca secundum arguitur: quòd bonū sub ratione conuenientis sit per se & primum obiectum voluntatis, & nó sub ratione boni simpliciter, quia inquantum conueniens solùm modò habet rationem finis, qui est obiectum voluntatis: & non secundum quòd est bonum simpliciter, quia dicit Philosophus primo Ethicorum *Si poneretur bonum separatum, non haberet rationem finis*. Bonum autem simpliciter non est nisi bonum separatum.

Secundò. Item in magnis moralibus dicitur: quòd bonum dicitur æqualiter enti, sed bonum vt de quolibet ente dicitur, quod est bonum simpliciter: non est obiectum voluntatis: quia aliquod est nociuum vt venenum, ergo &c.

Tertium. Itē in tertio de Anima dicitur: illud est principium practici intellectus, quod est finis operis: finis autem operis non est nisi bonum conueniens, ergo &c. & hoc dicit Eustathius super illud: Omnia bonum appetunt.

Contra est: quia tunc obiectum voluntatis esset minus nobile, quàm sit obiectum intellectus, quia ratio boni conuenientis est magis particularis, quàm ratio entis: quæ est obiectum intellectus. *In oppositū primū.*

Item tunc sequeretur: quòd Deus diligeretur in ordine ad aliquid aliud: quia conueniens semper est ad aliud. Illud falsum est, quia omnia referuntur ad obiectum primum. *Secundum.*

Dico secundum Philosophum 7. Metaphys. Simpliciter dicitur aliquid dupliciter. Vno modo, quod dicitur secundum communitatem, & sic ens simpliciter est analogum ad decem prædicamenta. *Responsio.*

camenta. Alio modo dicitur simpliciter potissimum contentum sub termino: &c. sic substantia dicitur ens simpliciter. Secundum hunc modum dico, quòd bonum simpliciter dupliciter dicitur, vel primo modo, sic bonum simpliciter solùmmodò est bonum fruibile, quod in se habet rationem omnis boni & desiderabilis. Similiter etiam bonum conueniens dupliciter dicitur. Vno enim modo de bono conuenienti naturę vniuscuiusque, per quod ipsa perficitur & saluatur in esse. De quo dicitur, quod omnia bonum appetunt.

Alio modo dicitur bonum conueniens appetitui rationali. Cui potest dici aliquid conueniens in generali vel in speciali· &c. vel vt finis vel vt existens ad finem ordinabile, &c. hoc vel vt conueniens appetenti tantùm: vel vt conueniens appetenti & fini simul. Loquendo ergo de bono simpliciter primo modo, & similiter de bono cõuenienti primo modo: Dico, quòd neutrum eorum est per se primum obiectum volũtatis, quia neutrum eorum inquantum huiusmodi est finis &c. perfectio voluntatis inquantum voluntas est, sed potius naturæ cuiuscunque inquantum natura est, sic enim bonum famelici est cibus, & sitientis potus, &c. infirmi sanitas & huiusmodi cętera. Loquendo verò de bono simpliciter secundo modo, & similiter de bono conuenienti secundo modo, de illis bona est quæstio, sed de bonis primo modo dictis nequaquam, illis enim modis non dicitur aliquid bonum in ordine ad voluntatem, sed in ordine ad finem ad quem naturaliter est, sed sic scilicet in ordine ad voluntatem, dicitur bonum istis modis: Bonum enim simpliciter secundo modo non est nisi beatitudo, quæ habetur vel in bono increato, dicente Augustin. de moribus ecclesiæ. Bonorum summa Deus nobis est, neque infra nobis remanendum est neque vltra quærendum: alterum enim periculosum alterum nullum. Secutio Dei beatitudinis appetitus est. Assequutio autem, ipsa bonitas.

Cũ hoc omninò efficimur quod ipse est, eumque mirifico &c. intelligibili modo contingentes, eiusque veritate, &c. sanctitate id est bonitate penitus illustrati & comprehensi. & tale bonũ simpliciter non est nisi bonum aliquod singulare, in quo est vera beatitudo, Vel potest consistere bonum simpliciter, quod est beatitudo, in bono conuenienti generaliter dicto, quòd est respectu voluntatis bonum simpliciter primo modo quia est in bono vniuersali, in quo est beatitudo apparens, propter quòd in ipsa est veritas in speciali. Vt enim (secundum quod dicit Augustin. 13. de Trinit. cap. 4.) quæque res magis delectauit, ita in eo constituerunt vitam beatam. Et istud bonum conueniens secundo modo in generali, est bonum commodum, quod continet sub se bonum simpliciter iam dictum, scilicèt bonum singulare, quòd Deus est. Ipsum enim est commodum quoddam scilicèt quod est finis, de quo dicit Anselm. ante finem de concordia. In beatitudine secundum omnem sensum est sufficientia competentium commodorum sine omni indigentia.

Continet etiam omnia conuenientia speciali modo dicta quæ sunt ad finem. Est enim bonum conueniens appetenti tantùm, bonum vt nunc, bonum conueniens appetenti &c. fini, est bonum quod decet &c. iustum est appetitum rationalem desiderare. Illud autem bonum commodum in generali nullus potest non appetere, dicente Anselm. Nullus vult nisi quod aliquo modo putat sibi commodum. Hoc enim modo omnes benè esse sibi volunt, & in fine de concordia, dicit, quòd commoda non velle nequit. Et commodum sic in generali appetere, est beatitudinem in generali appetere, &c. veram beatitudinem quæ Deus est, quia nihil aliorum appetitur, nisi sub ratione boni, quæ non est nisi aliqua effigies veri &c. puri boni, quod est in Deo, dicente Aug. libro 2 Confess. Fornicatur anima, cum auertitur abs te, & quærit non apud te, quæ pura &c. liquida non inuenit nisi in te, cum redit ad te. Idem de verbis Apostoli Omnia in omnibus erit. Quid est omnia? quicquid hic querebas, quicquid pro magno habebas, quicquid hic amabas, quicquid hic volebas, ipse tibi erit. Verum est. sed sub eminentiore ratione boni quàm hic Tale ergo commodum in generali appetere, est quoquo modo beatitudinem appetere, dicente Augustin. 13. de Trinit. cap. 3. in fine. Ac si dixisset omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis, dixisset aliquid quod nullus in sua voluntate non agnosceret, quicquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus satis nota est, non recedit.

In speciali autem præter commodum & conueniens quod est finis, vt Deus clarè visus, quodcunque commodum potest non appeti. Sub conuenienti autem in generali comprehendẽdo omne conueniens præter conueniens iustum vt appellando illud conueniens in generali nomine commodi, omne appetibile in duo diuiditur, dicente Anselm. de concor. gratiæ & lib. arbit. cap. 12. Nihil vult voluntas, nisi aut commoditatem, aut rectitudinem. Quicquid enim aliud vult, aut propter commoditatem, aut propter rectitudinem vult, & ad has etiam si fallitur, putat se referre qd vult. Per affectionem enim quæ est ad volendum commoditatem, semper vult homo beatitudinẽ. Per affectionem verò, quæ est ad volendum rectitudinem, vult rectitudinem, & rectus, id est iustus esse. Propter commodum autem vult aliquid, vt cum vult arare, vel laborare vt habeat vnde tueatur vitam & salutem, quæ iudicat esse

com-

commoda. Propter verò rectitudinem vult cum vult cum labore discere vt sciat rectè id est iustè viuere.

Conclusio. Dico igitur: quòd sicut respectu visus illud est per se, &c. primum obiectum visus, quod per se &c. primò visibile est, vt lux, quia in huiusmodi virtute cætera sunt visibilia, sicut colores sic respectu voluntatis illud est per se, & primum obiectum voluntatis, quod per se & primò est volibile, &c. in cuius virtute vult voluntas quæcunque alia sunt ei volibilia. Tale autem est bonum non conueniens ad finem sed bonum simpliciter, quòd est beatificans bonum & habet rationem finis.

In illo enim est perfecta ratio commodi & omnis boni alterius, & hoc est bonum commodum in quo est beatitudo, & hoc vel sicut in quodam vniuersali seu gñali bono, vel sicut in quodam singulari quod est ipse Deus. In virtute enim talis boni bonum conueniens, simpliciter scilicèt secundum regulam iustitiæ, & similiter bonum conueniens carni contra regulam iustitię appetitur. Neutrum enim horum in particulari, vt scilicèt habet rationem conuenientis ad finem existens, quod proprie nominatur conueniens, appetitur nisi per respl endentiam aliquam boni simpliciter in illo, quod quærit in illo: vbi tamen illud quærere non deberet.

Et ideò dico, quòd bonum illud singulare quod est respectu voluntatis est bonum simpliciter secundo modo dictum, & hoc quia sub ratione illius omne aliud bonum appetitur: siue sub ratione commodi, siue sub ratione conuenientis appetatur. De quo dicit August. 8. de Trinit. capit. 10. Non amas certè nisi bonum, bonum hoc, bonum illud. Vide bonum si potest, ita Deum videbis non alio bono bonum, sed bonum omnis boni.

Et contra istud bonum commodum propriè distinguitur bonum conueniens quod est verè conueniens, & ad hoc vt ad finem ordinatur, & hoc est bonum simpliciter, quod per se, & primum est obiectum voluntatis, quia hoc est bonum, quod non secundum aliud à voluntate iudicatur bonum, sed potius secundum hoc iudicatur bonum quodcunque aliud bonum, secundum quod sequitur ibidem. Neque enim diceremus aliud alio melius cum verè iudicamus, nisi nobis esset impressa notio ipsius boni, secundum quam, & approbamus aliquid, & aliud alij præponimus.

Sed Philosophi non ponentes ipsum Deum bonum beatificans posuerunt bonum simpliciter primo modo esse per se, & primum obiectum appetitus, siue esset naturalis absque cognitione, siue brutalis siue rationalis. Obiectum etiam appetitus rationalis, qui est voluntas, primum & per se posuerunt bonum commodum, quod est commune, quid per prædicationem, & bonum simpliciter respectu talis appetitus sicut dictum est. Hinc dicit Philosophus, loquens de motio appetitus cognitiui 3. de Anima. Hoc autem est, p est bonum, aut quod videtur esse bonum, quæ ambo continentur sub nomine commodi, quantùm nominat conueniens generaliter dictum, sub quo etiam bonum continetur quod est finis sub ratione singularis etiam bonum conueniens. Quod tamé distinguitur vt simpliciter bonum, contra bonum conueniens, quod est ad finem, quod solum propriè dicitur conueniens & nequaquam per se, & primum obiectum voluntatis, secundum quod procedit vltima ratio, quæ secundum hoc concedenda est. Si enim bonum conueniens propriè dictum est, quod non appetitur nisi in ordine ad aliud, & ratio primi appetibilis continetur in quolibet alio, Deus ergo in ordine ad aliud diligeretur, quod falsum est.

Ad primum in oppositum, quòd simpliciter bonum non habet rationem finis aut appetibilis, dico, quòd verum est operabilis a nobis, de quo solùmmodò loquitur Philosophus, non appellando beatitudinem nisi bonum operabile à nobis in vita ista. Hoc tamen bonum habet rationem appetibilis nobis per gratiam donabilis, de quo Philosophus nihil sentiebat, quo modo in ipso est vera beatitudo. In quo multo melius quàm Aristot. sentiebat Plato, ponendo scilicèt beatitudinem nostram tale bonum vniuersale non prædicatione, sed virtute, quod Aristot. ad peruersum intellectum ducendo dicta Platonis nititur improbare, quod benè insinuat Eusta. in Comment. *Ad primũ principale.*

Ad secundum, quòd bonum simpliciter dicitur æqualiter enti &c. Dico, quòd verum est bono primo modo dicto in prima distinctione boni simpliciter, de quo non est hic quæstio nisi quatenus obtinetur sub ratione commodi, quam & rationem commodi potest habere venenum, inquantùm est medicamẽtum sanitatis, & etiam habet esse cibus vitalis quibusdam animalibus, & sic illis esse bonum naturæ, licèt sanis hominibus esset mors & malum naturæ. *Ad secundum.*

Ad tertium, quòd practici intellectus & finis operis non est nisi bonum cõueniens, Dico, quòd falsum est, nisi loquendo de bono cõueniente in generali, de quo etiam loquitur Eusta. Obiectum enim practici intellectus & finis operis est & bonum quod est finis, & bonum quod est ad finem, licèt aliter & aliter est obiectum intellectus, & aliter finis operis, vt iam dicetur in sequenti quæstione. *Ad tertiũ.*

Ad primum in contrarium, quia videtur probare, quòd primum, & proprium per se obiectum voluntatis sit bonum simpliciter primo modo dictum, quod scilicèt conuertitur cum ente, Dico, quòd re uera propriũ, & per se & primum obiectum *Ad primũ in oppositũ*

ctum voluntatis est magis nobile, quàm obiectum intellectus, quia semper nobilior est ratio boni, quàm veri siue entis, quia in ratione boni includitur ratio veri, &, quod additur, est ratio nobilior, quia est conditio finis, vt est perfectio appetitus.

Nunc autem quandocunque fit additio vel quasi alicuius nobilioris, & per hoc quoquo modo fit magis particulare &, quasi compositum aut verè compositum, tale quid est magis nobile, quàm simplum minus particulare, vt contingit vniuersaliter in genere &, specie, quæ constituitur per differentiam, quæ aliquid nobilius importat quàm genus, & sic licèt ratio boni conuenientis siue conueniens sumatur generaliter siue specialiter, semper ratio boni est nobilior, quàm ratio veri.

Et sic necessariò bonum, quòd est conueniens vniuersale vel virtute vel prædicatione, quod appellatur bonum simpliciter respectu voluntatis, aut bonum conueniens speciale, quod propriè dicitur conueniens, inter quæ procedit quæstio, necesse est ponere per se proprium & primum obiectum voluntatis, vt patet ex dictis.

Comment. in Quæstionem Nonam, quæ est,

Vtrum primum, & per se obiectum voluntatis sit bonum sub ratione boni simpliciter, an sub ratione conuenientis.

IN titulo adnotari debet de quo præsertim bono simpliciter, atque conuenienti sit quæstio ex ipso Auctore. Neque enim de bono simpliciter cuilibet appetitui, secundum quod dicitur, omnia appetere bonum. Sed de bono simpliciter ipsi appetitui rationali. Quoniam de illo bono debet esse quæstio, quod est finis illius, cuius obiectum quæritur, non autem omnium creaturarum. Similiter non est quæstio de quolib. conuenienti, vt de conuenienti communi omni naturæ, sed tantum rationali creaturæ, scilicèt eius appetitui rationali, qui voluntas dicitur.

Not. autem, quod etiam ad bonum commune ordinatur voluntas, & conueniens commune, sed non sicut voluntas, sed vt natura, quæ in tale bonum, atque conueniens fertur.

Not. quoque, quòd bonum, de quo quæstio est, beatitudo ipsa est voluntatis, ad quam præsertim ordinatur, quam tamen beatitudinem diuersi diuersimodè assignauerunt, quòd in Philebo manifestat præsertim Plato, & D. Augustinus in libris de ciuitate Dei.

In corpore est conclusio. Quòd primum, & per se obiectum est bonum simpliciter illi sub ratione boni, non autem sub ratione conuenientis.

Probatur. Illud est obiectum huiusmodi primò, & per se voluntatis, quod primò, & per se nobile est, & in cuius virtute voluntas vult omnia nobilia: sed bonum illi simpliciter est huiusmodi, igitur &c Patet maior ex similitudine ad obiectum visus, quòd est lux. Patet minor, quia omne bonum huiusmodi includit conueniens.

Not. quòd omne conueniens bonum est, sed tamen non omne conueniens habet rationem finis. Bonum autem habet rationem finis, & ideò conueniens in particulari non potest esse verum, & reale obiectum voluntatis, bonum autem cum habeat rationem finis, est tale obiectum, & hoc est, quod dicere vult etiam D. Augustinus, quòd scilicèt finis sit, quia ad bonum reducuntur alia omnia.

Not. hanc eandem sententiam habere etiam D. Thomam, dum p.p. quæst. 19. articul 9. & alibi dicit voluntatem nihil velle nisi sub ratione boni.

Not. quòd tametsi D. Thomas dicat in quæst. 59. artic. 4. & alibi. Quòd obiectum voluntatis sit bonum vniuersale, non propter hoc obstat, vt falsum sit obiectum esse bonum particulare. Quippe bonum vniuersale potest dupliciter capi, primò quatenus in se claudit omne bonum cuilibet naturæ correspondens tanquam conueniens. Secundò vt contradistinguitur à bono particulari singulariter accepto. Similiter particulare bonum accipitur vel singulariter, vel quatenus contradistinguitur à maiori vniuersali. Nunc autem D. Thomas, quando dicit obiectum voluntatis esse bonum vniuersale, & non particulare, accipit vniuersale pro vt contradistinguitur à singulari, & respuit particulare, quatenus distinguitur omninò ab ipso singulari, Auctor verò accipit particulare non quatenus contradistinguitur ab omni vniuersali, sed quatenus contradistinguitur à maiori vniuersali.

QVAESTIO DECIMA.

Vtrum actus volitionis moralis speciem moris sortiatur ab obiecto, an à voluntate.

arg. prim.

CIRCA tertium arguitur: quòd actio volitionis moralis speciem moris sortiatur ab obiecto, quia à cuius entitate habet actus entitatem, & ab eius bonitate naturæ, bonitatem naturæ, & ab eius bonitate moris, bonitatem moris, sed aliquod est obiectum habens entitatē & bonitatem naturæ & bonitatem moris, vt pascere esurientem, ergo cum entitate actio habet speciem entitatis, quia potentiæ distinguuntur per actus, &, actus per obiecta 2. de Anima. quare & à tali obiecto actus habet speciem omnis bonitatis quam habet. ergo &c.

Contra, ab illo habet actus volitionis speciem

moris

moris à quo habet, quòd sit laudabilis, quia bonum moris & virtutis secundum Philosophum, 1. Ethic. de numero luudabilium est, hoc autem habet à libera electione voluntatis, ergo &c.

Resolut. q. Quia quæstio ista de specie volitionis moralis non est nisi de bonitate actionis, à quo scilicet eam sortiatur, ens autem, & bonum sub sua ratione generalissima accepta conuertuntur, ideò dico, quòd sicut ens inquantùm ens speciem habet ab eo quod contrahit ipsum inquantùm ens est, sic bonum inquantùm bonum speciem habet ab eo quod contrahit ipsum inquantùm bonum est. Nunc autem ita est: quòd ens prima diuisione distinguitur in ens indeterminatum, & in ens determinatum.

Dicitur autem ens indeterminatum ens in sua simplicitate acceptum siue consideratum absque omni determinatione contrahente ipsum, quòd ideò dicitur ens simpliciter. Ens verò determinatum dicitur ens per aliquam determinationem contractum, sicut cum contrahitur determinationib. istis quæ sunt in se & in alio. Ens enim indeterminatum prima diuisione distinguitur in substantiam quæ primum prædicamentum est, & in quam ens contrahitur determinatione illa quæ est in se, & in accidens, quod continet alia nouem prædicamenta, in quod ens contrahitur determinatione illa quæ est in alio.

Responsio. Consimili igitur modo dico, quòd bonum prima diuisione sua distinguitur in bonum indeterminatum & in bonum determinatum Et dicitur bonum indeterminatum ipsum bonum in sua simplicitate acceptum siue consideratum absque omni determinatione contrahente ipsum, quod ideò dicitur bonum simpliciter. Bonum verò determinatum dicitur bonum, quod per aliquam determinationem contractum, & sicut ens simpliciter siue indeterminatum habet speciem siue formam entis à ratione suæ simplicitatis & indeterminationis, siue à ratione quæ est sua simplicitas & indeterminatio, sic & bonum simpliciter siue indeterminatum habet speciem à ratione quæ est sua simplicitas & indeterminatio.

Et sicut ens contractum habet speciem siue formam entis à determinatione contrahente ipsum, sic & bonum contractum habet speciem & formam à determinatione contrahente ipsum. Ens etiam simpliciter siue indeterminatum, hoc est absque aliqua determinatione acceptum, potest considerari dupliciter, Aut videlicèt in quadam singularitate, aut in quadam vniuersalitate. Et primo mó dicitur ens simpliciter solus Deus. Secúdo autem modo dicitur ens simpliciter ens quod consequitur decem prædicamenta. Consimili modo dico quòd bonum simpliciter siue indeterminatum dicitur dupliciter, secundum quod expositum est in quæstione præcedéte quæ fuit de per se, & primo obiecto voluntatis. De bono autem simpliciter primo modo dicto cuius modi est solus Deus, quod nullo modo natum est contrahi, nihil ad præsentem quæstionem, sed solum de bono simpliciter secundo modo dicto, quod est conuertibile cum ente quod sequitur decem prædicamenta, & natum est contrahi diuersis determinationibus sicut & illud eius.

Bonum autem simpliciter isto secundo modo duplici determinatione, & duplici modo habet determinari. Vno quidem quæ non apponit aliquam rationem propriam bonitatis seu entitatis, seu realitatis solùm modò, vt cum dicitur bonum hoc vel illud, puta lapis vel lignum, vel homo, & sic de cæteris rebus quæ simul entia sunt & bona, à cuius determinationis subtractione per abnegationem, tollendo hoc & illud, & retinendo ipsum bonum, intelligitur ipsum bonum simpliciter, quod Deus est, vt habitum est in dicta quæstione. Ab eiusdem verò determinationis subtractione per priuationem, tollendo hoc & illud, sicut prius, intelligitur bonum simpliciter alio modo, de quo hic est sermo: sed inquantum est determinatum determinatione tali, hoc enim modo bonum simpliciter dicitur actio quæcunque inquantum est res & natura aliqua, vt velle, intelligere, pascere, comedere, & sic de cæteris. Alia verò determinatione habet hoc bonum simpliciter determinari quę apponit aliquam propriam rationem bonitatis supra determinationem iam dictam, vt cum dicitur pascere hominem, & hoc bonum generali nomine potest dici bonum ex circunstantia.

Et determinatur bonum sic simpliciter dictū prima determinatione sub ratione incomplexi, quia vnum incomplexum constituunt determinatio & determinabile, sicut genus & differentia constituunt vnum in specie. Secunda verò determinatione determinatur sub ratione complexi, quia duos intellectus incomplexos & vnum complexum constituunt ipsa determinatio & determinabile. Pascere enim bonum est simpliciter, pascere autem hominem est bonum ex circunstantia.

Bonum autem ex circunstantia generaliter dictum distingui habet secundum diuersas circunstantias apponentes diuersos modos bonitatis quasi forma & specie per se distinguētes bonum ex circunstantia generaliter dictum. Et sunt tres modi talium circunstantiarum. Quædam enim accipiuntur ex parte obiecti ipsius actus, quædam ex parte finis, quędam verò ex parte efficientis siue agentis ipsum. Bonum autem ex circunstātia ex parte obiecti est sicut pascere hominem proximum. Est enim proximus obiectum actus pascendi, vt ille qui pascitur, & sic vt obiectum circunstans actum. Et sub tali modo circunstantiæ continentur omnes circunstantiæ pertinentes ad obiectum siue subiectum in quod recipitur

cipitur actus seu exercetur; quarum vna bene est materialis respectu alterius, & se habent per ordinem circa subiectum. Proximus enim qui pascitur potest esse dives vel pauper. Si dives, hoc non est circūstantia boni: propter quam pascendus est. Si pauper, aut validus potens lucrari vnde pascatur, nec est adhuc circunstantia talis boni. Si pauper infirmus, hoc est circunstantia boni, propter quam pascendus est, & maximè cum circunstantia de quando scilicèt quando esurit, nec habet alium qui possit eum pascere, & similiter circunstantia de vbi, vt quando recumbit in lecto nec potest circumeundo ostiatim mēdicare, & sic de cæteris quæ poterunt apponi.

A tali autem circunstantia ex parte obiecti siue subiecti actus habet speciem, qua dicitur bonus ex genere, vbi genus accipitur non a genere prædicabili, sed à genere subiecti, quia bonum ex circunstantia tali est materiale ad bonum secundum alios duos modos circunstantiæ. Circunstantia enim ex fine non est nata apponere rationem bonitatis actui, quin primo sit circunstantionatus circunstantia, qua est bonus ex genere. Validus enim mendicus, valens labore suo pastū lucrari, & nolens propter otium quod amat, propter Deum pasci non potest, licèt multi hoc facere se fingant, vt cum pascunt histriones.

Propter circunstantiam autem ex parte finis additam bono ex genere, dicitur bonum virtutis vt iam patebit, propter quod bonum ex genere solùmmodò est materia virtutis carens forma eius inquantum huiusmodi.

Materia autem inquaurùm materia per indifferentiā se habet ad duo contraria, propter quod dico, quòd bonum ex genere per indifferentiam se habet ad vitium & virtutem, & est de bonis infimis, quibus contingit benè & malè vti secundum Augustinum de libero arbitrio. Vnde non distinguit inter virtutes & vitia talis circunstantia: sed solùmmodò inter cōtrarietates virtutum & vitiorum, quorum ipsa vna & eadem est obiectum, puta bellum iustum, obiectum est fortitudinis & timiditatis, fœmina pulchra & casta temperantiæ & intemperantiæ, pauper infirmus liberalitatis & auaritiæ, & penes diuersitatem talium obiectorum differunt dictæ contrarietates & distinguuntur, non autem extrema earum.

Bonum autem ex circunstantia finis est, sicut pascere pauperem infirmum propter Deum.

A tali autem circunstantia, actus habet speciem qua propriè dicitur bonus ex circunstantia, quando distinguitur bonum per tria membra, scilicèt in bonum simpliciter, quale est quilibet actus ex eo quòd est res, & natura aliqua, & in bonum ex genere, quale est actus cum circunstantia obiecti cum qua potest materia virtutis existere, licèt cum hoc possit esse materia vitij, & in bonum ex circunstantia, quale est actus cum circunstātia finis boni, & penes illa distinguuntur virtutes & vitia. Et dat actui ista circunstantia finis, quòd sit bonus bonitate virtutis simpliciter, non autem illa circūstantia qua dicitur actus bonus ex genere, licèt hoc sentiebat Iulianus hæreticus, ponens, quòd ad cognoscendum veras virtutes tantùmmodò intuendum est quod agitur, vtrum scilicèt sit bonum ex genere, quòd si sic, opus verę virtutis est, quocunque fine agatur, secundum quòd Augustinus dicit recitādo super hoc dicta eius lib. 4. contra Iulianum, capit. 12. sic inquiens. Cum agitur fortiter, prudenter, temperanter, & iustè, omnibus quatuor virtutibus agitur, quæ secundum tuam disputationem verę virtutes sunt.

Sed ad cognoscendum vtrum veræ sint, hoc tantùmmodò intuendum est quod agitur. Vnde ne tibi videar calumniari, ipsa tua verba iam ponam. Cunctarum inquis origo virtutum in rationali anima sita & affectus omnes, per quos aut fructuose aut steriliter boni sumus, in subiecto sunt mentis nostræ, prudentia, temperantia, fortitudo, & iustitia. Horum igitur affectuum vis cum insit omnibus naturaliter, inquis, non tamen ad vnum finem in omnibus properat: sed pro iudicio voluntatis eius nutu seruiant, aut ad æterna, aut ad temporalia dirigitur, quod cum fit non in eo ꝙ sunt, non in eo quòd agunt, sed in eo solo variant quòd merentur. Nec nominis sui igitur, inquis, possunt nec generis sui sustinere dispendium, sed solius quod appetierūt prēmij, aut amplitudine ditantur, aut exilitate frustrantur.

Hæc vbi didiceris nescio. Hanc autem sententiam tanquàm erroneam Augustinus reprobat: subdens continuè. Iam tandem cernis (vt arbitror) consequens esse, vt vera virtus sit auarorum prudentia qua excogitant genera lucellorum, & auarorum iustitia, qua grauium damnorum metu sua nonnunquam contemnunt potius, quàm vsurpant alienum, & auarorum temperantia, qua luxuriæ (quoniam sumptuosa est) cohibent appetitum, soloque necessariò victu, tegumentoq; contenti sunt, & auarorum fortitudo, qua (vt ait Horatius) per mare pauperiem fugiunt per fata per ignes.

Ergo virtutes istæ tali fine turpes atque deformes, & ideò nullo modo germanæ veræque virtutes, tibi tamen ita veræ videntur, & pulchræ, vt nec nominis sui nec generis possint sustinere dispendium, sed solius quod appetierunt præmij exilitate frustrentur? Quis hoc sapiat nisi desipiat? Sed videlicèt homo eruditus eorum vitiorum verisimilitudine falleris, quæ si intima videntur esse & propinqua virtutibus, tàm absunt ab eis, quàm longè absunt a virtutibus vitia.

Veram

Veram autem ſententiam ſuper veris virtutibus à quo ſunt formaliter, determinat Aug. ſubdens, cap. 13. Noueris itaque non officijs ſed finibus à vitijs diſcernendas eſſe virtutes. Officium autem eſt, quod faciendũ eſt, finis verò, pp quod faciendum eſt. Cum itaque homo facit aliquid vbi peccare non videtur, ſi non propter hoc facit, pp quod facere debet, peccare conuincitur. Quæ tu non attendens, fines ab officijs ſeparaſti, & virtutes veras, officia ſine finibus appellandas eſſe dixiſti. Et ſubdit aliquantulum infra. Quales virtutes Epicurus induxit voluptatis ancillas. Abſit autem vt virtutes veræ cuiquam ſeruiant, niſi illi vel propter illum, cui dicimus. Deus virtutum conuerte nos. Quæ autem nulli rei ſeruire volũt, nec ipſę verę ſunt, veræ quippe virtutes Deo ſeruiunt. Quicquid autem boni fit ab homine, & nõ propter hoc fit, propter quod fieri debere vera ſapientia præcipit: etſi officio videatur bonum, ipſo non recto fine peccatum eſt. Poſſunt ergo aliqua bona fieri non tamen facientibus a quibus fiunt.

Bonum eſt enim vt ſubueniatur homini periclitanti præſertim innocenti. Sed ille qui hoc facit ſi amando gloriam hominum magis, quàm Dei facit, non benè bonum facit, quia non benè facit, quòd non bona voluntate facit. Abſit enim vt ſit vel dicatur voluntas bona, quæ in alijs vel in ſeipſa non in Domino gloriatur. Ac per hoc nec eius fructus iſte dicendus eſt, arbor enim mala fructus bonos non facit. Sed potius bonum opus eſt illius, qui etiã per malos benè facit. Hic idem Aug. dicit in libro de opere Monachorum capit. 26. Ille qui propter iſta temporalia ſcilicet Euangelium prædicat, non Deo, ſed mammonę ſeruire conuincitur, etſi Deus illo ad aliorum profectum, quomodo ipſe noſcit, vtatur. Eam quippe intentionem quare quid fiat, Chriſtus oculum vocat. Si oculus tuus fuerit ſimplex, totum corpus tuum lucidũ erit, ſi verò oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebroſum erit id eſt talia erunt facta tua, qualis fuerit intentio tua cur ea facis.

Nota quòd dicit, quòd ſubueniens innocenti periclitanti bonum facit, non benè, & hoc non niſi quia non eſt verè bonum virtutis, niſi ex finis circunſtantia, ſed ex genere & ex officio, quod fit ſolũmodò, quod nec ipſe propriè facit, ſed Deus per ipſum, & quòd tunc ſolùmmodò bonum ex genere benè fit, quando ex circunſtantia finis fit: quod ſolùmmodò eſt bona voluntate fieri.

Sed nec ex hoc habet actus, quòd ſit bonus ſpecie, & bonitate moris, quoniam ſi non eſſet datũ voluntati, quòd poſſet aliud velle, quàm bonum & benè, vt ſecundum Anſelm. de caſu diaboli. capit. 14. non poſſit velle niſi quod iuſtè eam velle conuenit, & neceſſe ſit ipſum hoc velle, ex hoc (vt vult ibi) nec iuſtam nec iniuſtam haberet quis voluntatem, id eſt actum voluntatis.

Dico iuſtitia morali ſiue virtute vt moralis eſt, quòd expreſſius determinat in fine capitis præcedentis ſic inquiens. Voluntatem ipſam ſiue cum vult ſumma commoda ſiue cum vult infima, conſtat eſſe opus & donum Dei, ſicut eſt vita & ſenſualitas, & non eſſe in ea ſiue iuſtitiam ſiue iniuſtitiam, & loquitur de voluntate quæ eſt vſus ſiue operatio, & de operatione, quæ ſola data eſt ei vt velit ea ſcilicèt commoda ſumma vel infima, ſicut patet inſpicienti ſeriem literæ eius.

Non reſtat ergo ex quo actio ſit bona bonitate moris niſi circunſtantia ex parte agentis, quæ duplex eſt. Vna procedens ex principio eidem naturaliter indito. Alia verò ex principio ei diuinæ gratię beneficio infuſo. Quorum primum eſt arbitrij libertas, ſecundum eſt ſyncera fides. Quorum primum circa actum apponit circunſtantiã, qua actio ſit bona bonitate moris, quæ etiam ei dat ſpeciem moris. Secundum verò apponit circunſtantiam qua actio ſit bona bonitate meritórij. De primo Anſelmus vbi ſupra, determinans quomodo voluntas poteſt eſſe iuſta volendo ſibi conueniens, videlicet quòd iuſtum eſt, & bonum iuſtè & benè, dicit ſic. Neceſſe eſt ergò ſic in voluntate conuenire vt velit & iuſtè velit, & quomodo hoc ſubdit, dicens. Quatenus ſic temperet voluntatem ne reſecet exceſſum, & excedendi non amputet poteſtatem vt ſcilicèt per hoc quòd volet, liberum arbitrium modum poſſit excedere, per hoc autem, quòd iuſtè volet non volet excedere, vnde in commendationem viri iuſti dicitur.

Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus. Et ſic dico, quòd actio volitionis moralis ſpeciem moris & bonitatis moralis ſortitur: non ab obiecto nec à fine, ſed potius ab agente illam, inquantum ſcilicet liberum arbitrium illam velit agere & benè agere, & poſſit eam non agere aut non benè agere. Vt ſecundum hoc, ad hoc, quod ſit actio bona bonitate moris, requiritur liberum arbitrium ad duo, quorum vnum eſt ad eliciendum actum ipſum bonum ex genere, & aliud eſt ad eliciendum ipſum boni finis intentione. Sed ſecundum eſt magis formale in actione bona morali, primum autem magis materiale.

Sed tamen aduertendum eſt, quòd bonitas actionis moralis ſicut, & virtutes morales, vt politicæ ſunt, ponuntur benè fuiſſe in Philoſophis, & reipublicæ rectoribus apud infideles, quorum actiones morales eliciebantur à libero arbitrio intentione boni, quod erat honeſtè viuere in exercitio virtutum moralium ſecundũ regulam prudentiæ, & ſic propter Deum, Deum attingendo per quandam aſſimilationem ad illum, in qua poſuerunt finem hominis & beatitudinem

eius hominis politicam, sed non intentione dirigendi nos ad Deum vt est saluator, & remunerator in beatitudine vitæ æternæ. Propter quod Augusti. etiam negat in illis veras virtutes morales fuisse, dicens contra Iulianum, vbi supra cap. 11. Ideò veras virtutes habemus, quia verum est propter quod facimus id est naturæ nostræ consentaneum ad salutem, & veram felicitatem. Non enim absurdè virtus definita est ab eis, qui dixerunt: Virtus est animi habitus naturæ modo, atque rationi consentaneus. Verum dixerunt, sed quid sit perfectè consentaneum liberandæ, ac beatificandæ naturæ mortalium nesciuerunt. Intelligo liberandæ à iugo mortalitatis, quòd valdè est consentaneum humanæ naturæ, ad quod probandum continuè addit. Neque enim omnes homines naturali instinctu immortales, & beati esse vellemus nisi esse possemus, sed hoc sum mum bonum præstari hominibus non potest nisi per Christum, & hunc crucifixum, id eò enim iustus ex fide Christi viuit. Si ergò ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis fides in Christo promittit, nihil prosunt homini virtutes, nullo modo possunt esse veræ virtutes, & infra, capit. 14.

Quapropter non possunt dici virtutes affectus esse, per quos aut infructuosè, aut steriliter boni sumus, sed tantùm virtutes sunt illi affectus, per quos fructuosi, & boni sumus. Vnde subdit Augusti. Fieri enim non potest vt steriliter boni simus, si boni non sumus, quicquid sumus steriliter sumus. Nullo ergo modo sunt homines steriliter boni, sed qui boni non sunt, possunt alij esse minus, alij magis mali. & infra capit 15. Vt tolerabilius puniantur, qui naturaliter quæ legis sunt vtique fecerunt, scriptum habentes in cordibus suis opus legis, vt alijs non facerent, quod peti nolisent, hoc tamen peccantes, quòd homines sine fide non ad eum finem ista retulerunt ad quem referre debuerunt.

Minus enim Fabricius quàm Catilina punietur, non quia iste bonus, sed quia ille magis malus, & minus impius quàm Catilina Fabricius, non veras virtutes habendo, sed à veris virtutibus non plurimum deuiando. Nota ad intellectum dictorum Augusti. quòd officium de genere bonorum potest fieri, non propter quod fieri debet, dupliciter. Vno modo, quia fit propter contrarium finem, vt faciunt qui subueniunt innocenti periclitanti propter vanam gloriam, qui sanè peccant, & mali sunt, & nullo modo sunt opera eorum opera virtutis, sed vitij, non in omittendo, sed in committendo, de quibus intelliguntur dicta Augusti. in cap. 12. & 13. præsignatis.

Alio autem modo, quia fit propter illud non secundùm illam rationem secundùm quam fieri debuit propter illud, vt qui subuenit innocenti periclitanti propter Deum, modo quo ex naturali pietate, & iudicio rectæ rationis regulæ lege naturæ, Philosophi & rectores politiarum talia opera fecerunt, vt se in hoc Deo conformarent, & ipsum, prout possibile erat, attingerent, hoc secundo modo, vt iam tactum est, isti proculdubio peccant secundum Augusti. sed peccato omissionis, vt dicit capit. 18. Si gentilis, inquit, nudos operuerit; nunquid quia non ex fide peccatum est à prorsus inquantùm non est ex fide, peccatum est, non quia per se ipsum factum, quòd est nudum operire; peccatum sit, sed de tali opere non in domino gloriari.

Sed solus impius negat esse peccatum. Vnde tales non peccant, nec mali sunt committendo, sed solùm modò omittendo & in faciendo boni politici sunt, sed non boni simpliciter, quia infideles sunt. Propter infidelitatem enim suam omittunt scientes, quid quoquo modo sit naturæ consentaneum, sed non quid perfectè sit ei consentaneum, & ideò opera eorum licèt sint propter Deum, non tamen perfectè. Et sic licèt opera eorum virtutes sint, quia politicæ, non tamen perfectè sunt virtutes, quia non gratuitæ. Cui videtur contrarium, quod statim addit Augusti. subdens.

Si Gentilis, qui non viuit ex fide nudum operuerit, periclitantem liberauerit, ægri vulnera fouerit, diuitias honestate amicitiæ impenderit, ad testimonium falsum nec tormentis poterit impelli, quæro abste, vtrum hæc opera benè faciat, an malè. Dicturus es, & bona facit, & benè, fructus ergo bonos facit arbor mala, quod fieri non posse veritas dicit.

Sed dico ego, quòd bona facit & benè, non simpliciter, & absque distinctione, sed quòd benè facit pro quanto ad bonum finem, & pro tanto est arbor bona, & facit fructus bonos.

Sed propter omittere facere ad finem secundùm rationem illam secundùm quam deberet facere, propter illum non benè facit, & non est arbor bona, nec facit fructus bonos, & inquantùm est arbor bona placet Deo & fructus eius, non vt pro eo remuneretur, sed ne pro eo puniatur, sicut puniretur qui facere illa propter vanam gloriam. Punietur tamen, quia omittendo peccat, & sic minus illo punietur.

Et hoc est, quod sibi respondet continuò subdens. An respondebis, non inquantùm infelix est, sed inquantùm homo est, arbor bona est? Addo tamen ego dicendo, quòd inquantùm homo est non simpliciter, sed ageus secundùm rationem rectam naturalem ad finem bonum, licèt non prout deberet (vt dictum est) arbor bona est,

Si enim ageret ad finem contrarium, licèt sit homo, nequaquam tamen esset arbor bona sed mala. Et de tali homine ait Dominus. Nó potest arbor mala, fructus bonos facere. Et sic homo inquantùm homo non est arbor bona, sed solùmodò inquantùm agit recta ratione ad finem bonũ vel simpliciter vel quoquo modo vt dictum est. Et similiter non est mala arbor inquãtùm est hó solùmmodò, sed inquantùm malę voluntatis est vel simpliciter, & omninò, vt ille qui facit dicta opera propter vanã gloriam, vel etiam si simpliciter, non tamen omninò, vt ille qui facit illa quo quo modo propter Deum etiam in infidelitate, & ideò multo magis vt ille qui facit dicta opera propter Deum vt redemptor est, ex fide informi extra charitatem, quia faciendo dicta opera nequaquàm dicendus est peccare est tamen simpliciter arbor mala, licèt non omninò. Sed cõtra hęc statim videtur August. arguere subdens, Sed fortè dicturus es, misericors voluntas bona est. Rectè istud diceretur, si quemadmodum fides Christi ideſt fides quę per dilectionem operatur, semper bona est, ita misericordia bona esset semper. Si autem reperitur, & misericordia mala, qua persona pauperis accipitur in iudicio, propter quam Rex Saul meruit a Domino damnari, quia cõtra eius præceptum regi per humanum pepercit affectum, si vitium est male misereri, proculdubio vitium est misereri infideliter. Quòd si & ipsa misericordia per seipsam naturali cõpassione opus est bonum, & isto bono malè vtitur qui infideliter vtitur, & hoc bonũ malè facit qui infideliter facit. Qui autem malè facit aliquid, perfectò peccat. Ex quo colligitur & ipsa bona opera quæ faciunt infideles, nó ipsorum esse, sed illius qui benè vtitur malis.

Ipsorum autè esse peccata, verum est, sed quandoque omissionis tantùm, quandoque commissionis, vt dictum est, sicut etiam contigit in Saul.

Et secundum modum dictum peccantes per omissionẽ solùm in dictis operibus, etsi boni homines sunt politici, tamen steriles, quia pro opere suo bono non consequuntur vitam æternam, licèt non steriles sint inquantùm euitant pœnam quam incurrunt committendo in eisdem, & sic tales bonos politicè benè pro omissione per infidelitatem mittit Dominus in ignem ęternum. Et sic licèt multa quæ simpliciter dixit August. in capitulis dictis benè & verè dicta sint contra Iulianum, qui posuit virtutes infidelium esse veras & perfectas virtutes, & opera bona non ex fide facta nullo modo esse peccata. & quòd solo libero arbitrio posset homo cauere peccata, & qđ peccatum originale nihil esset, tamen benè indigent expositione & distinctione modo iam dicto. In quo videtur August. consentire, & ad hoc descendere, vbi dicit in cap. 19, Quoniam saltem concedis opera infidelium, quę tibi videntur bona, non eos ad salutem sempiternam perducere, scito nos nullum hominem dicere bonum, nullã volũtatem bonam, nullum opus bonum sine Dei gratia & infra, Dicantur secundum te huiusmodi voluntates arbores bonæ, sufficit quòd apud Deũ steriles sint, & per hoc non bonæ. Et per hunc modum etiam loquitur Anſel. de iustitia & opere bono, vt patebit in sequenti quæstione. Et Gregor. in moralibus super Iob. Moral. enim lib. 17. exponendo illud Iob. 28. Non conferetur tinctis Indiæ coloribus, dicit sic. Vt Philosophorum sapientiam huic scilicèt sapientiæ diuinæ monstraret longè subesse, intulit: Non conferetur tinctis Indiæ coloribus. Vt ipsos quoque in ecclesia hæreticos increparet, qui à gentilitatis errore vniẽtes fidem quam suscipiunt per superbiam cindunt, addidit. Nõ æquabitur ei topazius de Ethiopia, ac si patenter insinuaret, dicẽs: Hi qui ex peccati nigredine ad conuersionem veniunt æquari Deo homini nõ possunt, quàmuis multis eorũ virtutibus resplendere videantur. Quorum vt superbia refutetur aptè subiungit, Nec tincturæ mundissimæ componentur, tincturæ enim mundissimæ sunt veraciter humiles qui sciunt, quòd ex semetipsis virtutum speciem non habent, sed hanc ex dono gratiæ superuenientis tenent. Tincti etenim non essent si sanctitatem naturaliter habuissent, sed mundissimæ tincturæ sunt quia humiliter custodiunt superuenientem in virtutum gratiam quam receperunt. Et notandum quòd superius cum dixisset, non conferetur tinctis Indiæ coloribus, eosdem colores non extulit mundos, hoc verò in loco vt tincturam veritatis virtutum ab illa Philosophorum fucatione distingueret, tincturas dicens addit mundissimas. Tincturę enim mundissimæ rectè nominantur, qui etsi prius per opera praua fœdi fuerunt, superueniente tamen spiritu nitore gratię vestiũtur. Tincti autem colores Indię sunt huius mundi sapientes, qui quàmuis per infidelitatem, & plerunque per actionem fœdi sunt, ante humanos tamẽ oculos superductæ honestatis colore fucantur. Quales etiam sunt hæretici Philosophorum doctrinã potius quàm Christi sequentes, de quibus immediate præmisit dicens. Fuere multi qui mundi huius sapientium disciplinis dediti ea quæ sunt inter homines honesta seruarent, & saluandos seruata honestate se crederẽt, nec iam mediatorem Dei & hominum quærerent, cum quasi sufficientẽ sibi Philosophorum doctrinam tenerent. In quorum despectum dicitur, non conferetur tinctis Indiæ coloribus. Siquis ergo aduertat prædicta, bonum circa actionem quinque modis dicitur. Primò enim modo dicitur bonum simpliciter, & talis est quæcunque actio ex eo, quod est res & natura aliqua, vnde potest dici bona ex natura, puta pascere. *Bonũ quinq; modis dicitur.*

Secundò dicitur bonum ex genere, & talis seu

tale bonum est quælibet actio ex circunstantia obiecti, qua nata est esse materia virtutis. Vnde potest dici bonum ex circunstantia generaliter, puta pascere pauperem infirmum. Tertiò dicitur bonum ex circunstantia finis, & talis est quælibet actio ex circunstantia specialiter finis boni & honesti, vnde potest dici bonum ex fine, puta pascere pauperem infirmum propter Deum simpliciter, & a tali circunstantia dicitur actus esse virtutis simpliciter. Quartò dicitur bonum ex circunstantia agentis quam habet à natura, & talis est quælibet actio moralis, & ab illo dicitur moralis, & in ipso cõsistit ratio virtutis moralis vt moralis est, & potest dici hoc bonum, bonum ex libero arbitrio. Quintò dicitur bonum ex circunstantia agentis, quam habet ex gratia & talis est quælibet actio gratuita, & illa dicitur gratuita, & in ipsa consistit ratio virtutis gratuitæ.

Est autem aduertẽdum, quòd circa talem actũ operatur fides habita ex gratia dupliciter: Vno modo determinando circunstantiam ex parte finis inquantùm fides, vt est fides simpliciter, determinat actionem omnem bonam debere fieri propter Deum, vt est reparator & remunerator, & propter beatitudinem increatam quæ ipse est. Alio modo cooperando libero arbitrio in eliciendo actionem moralem, vt ex debito amore finis eliciatur, quod facit forma fidei quæ charitas est in qua consistit radix. & ideò potest bonum hoc dici bonum ex merito. Sic ergò simpliciter dico, quòd actio, quę est volitio moralis, speciem moris, & bonitatem atque rationem virtutis moralis habet non ab obiecto, nec vt est principium operationis sicut finis in intellectu practico, neq; vt est principium eius a voluntate & operationẽ suam adeptum, sed potius ab agentis libero arbitrio, secundùm modum iam dictum. Quod ergo arguitur primo in contrarium, quòd ab obiecti entitate habet actus entitatem &c. dico, quòd aliquid habet speciem suam ab alio tripliciter. Vno modo vt à fine ad quem est. Alio modo vt a forma exemplari secundùm quam est. Tertio modo vt ab efficiente a quo est. Primo modo domus speciem siue formam suam habet à fine, quæ est inhabitatio eius. Sic enim debet formari, vt sit apta ad inhabitandum. Per hunc enim modum finis determinat sibi formam in illo, quod est ad finem. Et secundum hunc modum benè potest concedi, quòd omnis actio etiam moralis formã suę entitatis & bonitatis cuiuslibet habet ab obiecto tanquàm à fine ad quem est, & sic à fine vt debet esse terminus actionis, debet enim formari actionis species modo quo per ipsam conuenientius finis possit attingi. Secundo modo domus speciem siue formã suam habet à forma domus in mente artificis dirigente operantem, & hoc modo à fine concepto cum alijs circunstantijs ex parte subiecti, & modo deueniendi per actionem in finem, habet speciem omnis actio etiam moralis entitatis, & bonitatis suæ cuiuslibet ab obiecto, vt per suam speciem existens in mente est principium actionis. Tertio modo domus suam speciem & formam habet ab ędificatore imprimente eam lignis, & lapidibus per eorũ situm varium & ordinem, & hoc modo etiã quælibet actio etiam moralis entitatem, & speciẽ omnis bonitatis suæ habet ab agente eam, & est agẽs ille voluntas ex solo libero arbitrio. Sed vt actio moralis etiam sit gratuita, & meritoria vitæ æternæ, eget fide operante per dilectionem, vt dictũ est. Sed de modo isto habẽdi speciem habet quæstio difficultatẽ suam, propter quam vt existimo fuit proposita. Dicunt enim aliqui, quòd in intellectualibus semper actio voluntatis sequitur formam intellectus tanq̃ agentis proximi & per se, secundùm quod tactum est supra in prima quæstione de Angelis. Quod nequaquàm verum est. Non enim forma actionis volũtatis sequitur formam intellectus, sicut causam per se & propter quam sic. Si tamen eam sequatur voluntas in sua actione, hoc non est nisi sicut causam sine qua non, sicut sæpius declarauimus alibi, & etiam declarabitur adhuc in sequenti quęstione. Ita etiam quòd voluntas agens moraliter benè potest agere libero arbitrio contra formam rationis, licèt secus sit de voluntate agente artificialiter in artificialibus. Licèt enim in agibilibus & moralibus a forma rationis nequaquàm dicenda sit voluntas aut actio eius habere formam, & speciem bonitatis moralis vt ab illa voluntas dicatur bona bonitate morali, aut eius actio, neque ipse agens talem actionem tali voluntate dicatur ab illa bonus moralis, in factibilibus tamen, & artificialibus à forma rationis dicitur voluntas & actio eius habere formam, & speciem bonitatis, vt ab illa dicatur voluntas bona bonitate artis, & agẽs per voluntatem bonus artifex, & similiter actio bona & artificialis. Ad cuius plenorem intellectum est sciendum, q̃ secũdùm Auic. 6. Metaph. finis qui acquiritur ex actione agentis in artificialibus duplex est, vnus qui est forma in patiente susceptibili actionis, & alter qui nõ est forma in susceptibili, sed est intentio quædam in cognitione agentis. Exemplum primi est sicut forma domus in materia domus, quæ est finis agentis ad quem peruenit eius actio, & eius motus, & est finis agentis propinquus cõtingens motũ materię. Exemplũ secundi est sicut habitatio quæ est principium mouens ad essendum domũ fine ad hoc vt sit domus, & nullo modo est forma domus sed est finis remotus ipsius artificis agentis domum, licèt sit finis propinquus volẽtis inhabitare domũ, cuius è conuerso finis remotus est forma domus in materia, intantùm, quòd ille cuius nõ est finis forma in materia, non sit principiũ propinquum motui inquantùm sic est.

Responsio.

Ad argu. princ.

Quòd

Quòd si ille idem, cuius finis est forma in materia, sit ille cuius finis est forma non in materia, hoc est per accidens, sicut cum aliquis fabricat domum vt inhabitet in ea, tunc enim inquisitio habitationis inducit ad fabricandum eam, & est causa prima fabricandi inquãtum est fabricator, & est causatum inquantum est inhabitator, vt secundum hoc propriè loquendo alius est finis eius inquantum est fabricator scilicèt forma domus, & alius inquantum est inhabitator scilicèt inhabitatio domus. De fine autem quod est forma in materia, est aduertendum similiter, quòd secundum Auicennam ibidem, ipse comparationem habet ad multa, quæ præcedunt eum secundum eius acquisitionem in effectu, & in esse, primò ad agentem, secundò ad recipiẽs, cum ipsum est in potentia, tertiò ad id vt iam est in effectu recipiens, quarto ad motum. Et respectu agẽtis consideratus est finis, respectu motus est terminus, respectu verò recipientis vt est in potentia est bonum eius, & perfectio, malum autem est priuatio illi oppositum, respectu verò eius, vt est iam in effectu, est forma.

Quia igitur talis forma, vt est in cognitione existens, est finis respectu agentis, mouens ipsum ad actionem, qua inducitur in materia, & dirigẽs ipsum in eadem, ita quòd nihil aliud requiritur ad bonitatem actionis artificialis, & per hoc neque ad bonitatem artificis, vt artifex est, quàm vt secundum formam illam existentem in cognitione producatur forma consimilis in materia. Idcirco simpliciter dicendum est, & confitendum, quòd forma actionis, quę est factio, & bonitas eius, & per consequens bonitas artificis, secundũ quod est artifex, & similiter artificiati, secũdum quod artificiatum est, sit à forma rationis & intellectus, & ab illa habet formam, & speciem, ita etiam, quòd si agens artificiale non posset aliter agere producendo formam in materia, quàm secundùm formam rationis, sed naturali necessitate produceret secundum illam, quemadmodùm philosophi posuerunt Deum producere necessariò, & naturaliter mundum secundùm formam mentis suæ, tamen actio procedens secundùm formam illam, inquantum huiusmodi, diceretur actio artificialis bona, & per consequens artifex bonus, & artificiatum bonum, quòd enim artifex potest aliter agere, quàm secundum formam rationis, hoc non conuenit ei inquantùm est artifex, sed inquantùm est agens libero arbitrio, per quod potest esse negligens, aut maleuolus, & ideò non agere secundum formam artis & rationis. Ad bonitatem autem actionis moralis non sufficit forma rationis nisi procedat liberum arbitrium secundùm iam expositum modum. Ideò forma agibilis, siue moralis actionis in ratione existens nequaquàm dicenda est dare formam & speciem actioni morali, vt ab illa dicatur bona moraliter, aut agens bonus, sicut dictum est de forma artis. Ita quòd habẽs formam agibilis, siue actionis moralis in ratione rectam, quam actu considerat, si aliter agat quàm secundùm formam rationis, hoc non est inquantum prudens est, & moralis, nec inquantum est liberi arbitrij, nec quia negligens, sed solùm inquantum in libero arbitrio voluntatis est malitia ad agendum contrarium, vt per illam sciens, & prudens, & potens non peccare, peccet nolens agere secundùm formam prudentiæ in ratione. Habens autem formam factibilis in ratione rectam, quam actu considerat, quòd aliter agat, quàm secundùm formam artis, hoc non est nisi inquantùm artifex, nec inquantùm malitiam habens in libero arbitrio.

Sed quandoque potest hoc contingere quia negligens est, propter quod Philosophus 6. Ethi. assignans differentiam inter artem, & prudentiam dicit, quòd artis est virtus, prudentiæ verò non est, vbi dicit alia translatio. Ars indiget virtute, prudentia autem ipsa est virtus, quasi dicat, quòd artifex peccat agendo cõtra regulam artis in ratione, hoc non prouenit ex defectu artis aut artificis, inquantùm artifex est, aut etiam malitiæ eius, sed quandoque ex negligentia absque malitia, propter quòd indiget virtute morali instigante ipsum ne negligat agere, & secundùm rationem agere.

Quòd autem prudens considerans peccat, non est propter aliquod talium, sed solùm modò propter suam malitiam, & ideò non indiget virtute morali, ne negligat, quia contra hoc sufficit sibi prudentia actualis. Et ne dicatur, quòd agens potest agere voluntariè, & ex malitia contra regulas artis, sicut contra regulas prudentiæ, continuò addit in hoc secundam differentiam dicẽs. Et arte quidem volens peccans eligibilior, circa prudentiam autem minus, q.d. secundùm Comment. si pictor, vel statuifex, vel ædificator rectus existens contra propriam artem peccat volens, & inartificiosè, vel malè propriam operationem operatur, contemptiuè ipsam pertransiens pp mercedis fortè priuationem, vel aliquid tale, eligibilior erit eo, qui pp inartificiositatem, & ignorantiam artis inuoluntariè non attingit. Ecõtra autem si prudens directius existens operabilium contra propriam prudentiam peccat volẽs, & imprudenter, vel malè propriam operationẽ operetur, pp concupiscentiam fortè vel aliquid tale ineligibilior erit, immò etiam inculpabilior eo, qui propter imprudentiam inuoluntariè non attingit, quod non contingit in secũda dictarum differentiarum, nisi quia bonitas artificis inquantum artifex est, respectu sui operis nequaquam dependet ex libero arbitrio, sicut dependet bonitas prudentis, inquantùm prudens est, respectu sui operis.

Ex prima autem illarum differẽtiarum etiam claret, quòd sciens, &c. prudens potest peccare per malitiam, sicut &c. artifex per solam negligentiam. In quo clarè videtur velle, quòd malitia potest generari in voluntate absque errore, præcedente in ratione, cui multi contrariantur, intendentes tamen sequi Philosophum. Patet etiam, quòd prudens propter malitiam, quę potest esse in voluntate ad benè exequendum opus, potius indiget virtute, quàm artifex, licèt artifex magis indigeat virtute, ne negligat, quàm prudens.

Ad arg. in oppos. Ratio in oppositum, quòd actio non habet rationem laudabilis, nisi à libero arbitrio, ergo nec bonitatis, aut virtutis, licèt concedi possit loquendo propriè de virtute scilicèt vt est moralis, quia tamen (vt patet ex prædictis) actio habet rationem virtutis simpliciter, hoc potius habet ex circunstantia finis, quàm liberi arbitrij.

Quòd autem sit laudabilis, non habet nisi ex libero arbitrio. In eis enim quæ naturaliter in nobis contingunt, neque laudamur, neque vituperamur, secundùm Philosophum 2. Ethi. Et sic quoquo modo ab alio habet, quòd sit actio virtuosa, &c. ab alio quòd sit laudabilis.

Comment. in Quæstionem Decimam, quæ est,

Vtrum actus volitionis moralis speciem moris sortiatur ab obiecto, an à voluntate.

IN titulo not. ex Auctore, quomodo quæstio hæc sit de bonitate actus voluntatis.

In corpore ex Auctore &c. vnica, & sex conclusionibus resolui potest hæc quæstio, clarius tamen sex conclusionibus resoluitur.

Prima est. Bonitate simpliciter accepta, omnis actio est ex se bona.

Secunda est. Bonitate in genere sumpta, actio quælibet bona est ex circunstantia obiecti.

Tertia est. Bonitate ex virtute simpliciter accepta, actio quælibet est bona ex circunstantia finis.

Quarta est. Bonitate moraliter accepta in ratione moris, vt mos est ex virtute specialiter accepta, quælibet actio bona est ex circunstantia agentis, quam habet à natura, &c. est liberum arbitrium.

Quinta est, Bonitate gratuitè accepta, quælibet actio bona est ex circunstantia agentis, quam habet ex gratia.

Sexta conclusio, quæ præsertim intenditur à Doctore est. Actio, quæ est volitio moralis, speciem sortitur moris & bonitatę, &c. rationem virtutis moralis non ab obiecto, sed ab agentis libero arbitrio.

Prima harum conclusionum patet, quia omnis actio ens aliquod est, omne ens, quatenus ens, bonum est, conuertuntur enim, igitur omnis actio bona est.

Secunda conclusio declaratur exemplo pascendi aliquem. Pascere est actio, & potest esse bona ex obiecto, scilicet ex eius circunstantia, vt si quis pascit pauperem infirmum, Pascere est actio, pauper est obiectum, infirmus est circunstantia, qua carere posset obiectum, puta si pauper sit sanus, & potens acquirere sibi victum de labore suo, vnde si careret illa circunstantia, actio illa non esset bona.

Not. quòd considerat Auctor obiectum actionis voluntatis semper esse inter duo extrema, quorum alterum virtus est, alterum verò vitium, & ideò quantum est de se obiectum videtur indifferens esse, vt propterea non det determinatam denominationem actioni, siue bonitatis, siue malitiæ.

Adueniente autem circunstantia si bona est, tunc & bona dicitur actio, si mala circunstantia, mala quoque dicitur actio, Et ideò exemplificat de variis obiectis respicientibus opposita. Vnde ex hoc patet iam &c. prior pars sextæ conclusionis. Quod scilicet ab obiecto non habeat bonitatem, vt certare actio est, in iusto bello, obiectum est, quod non facit illam actionem adeò bonam, vt & mala non possit esse, superueniente circunstantia mala, puta, cum timiditate. Tunc enim timida dicetur actio, timore vitioso: contra verò superueniente circunstantia bona, scilicet fortitudine, tunc actio bona est, sed vtique in genere, vt dicit ipsa conclusio.

Not. insuper, quòd sicut se habet secunda hæc conclusio ad primam, ita se habet tertia ad secundam. Et quarta ad tertiam, &c. quinta tandem ad quartam. Quod semper subsequens addit aliquid, quo semper magis specificatur bonitas. Et quidem vnaquæque bonitas. præter quintam, habet nescio quid indeterminati, ita quòd rursum actio deteriorari pót. vt esto pro prima conclusione hoc exemplum. Pascere. Actio est bona bonitate naturæ, vt dictum est.

Non est tamen ita firma hæc bonitas, quin ex obiecto deteriorari possit. Quippè si addatur obiectum pura. Fures, raptores, homicidas &c. obiectum hoc deteriorabit actionem: honestabit verò obiectum, puta pauperem pro obiecto apponendo, sed adhuc non erit adeò firma bonitas hæc ex obiecto, quòd non possit deteriorari, vt dictum est. Quod si circunstantia sit bona, puta, pascere pauperem infirmum, bona est actio ex obiecti circunstantia, sed non est adeò firma hæc bonitas, vt deteriorari non possit, adueniente mala circunstantia finis. Quippè qui pascit pauperem infirmum potest illum pascere, vel amore inanis gloriæ, vel amore Dei. Et sic apparet etiam.

Tertia conclusio. Quomodo nempè ex circunstantia finis potest esse bona, vel mala actio ipsa, non tantùm ex circunstantia obiecti.

Probat autem Auctor hanc veritatem ex pluribus verbis D. Augustini aduersus Iulianum, qui non credebat actiones malas esse ex tali circunstantia finis. Probat & ex eodem Augustino alibi, vt patet.

Cæterum quoniam ad vtrunque requiritur electio, quæ dicta sunt sufficere non videntur, nisi voluntas ipsa velit in sua actione, tùm circunstantiam obiecti, cùm etiam finis: potest enim actio deteriorari à libertate contrariis eliciendi. Idcirco volendo, vtrunque, scilicet circunstantiam obiecti, & circunstantiam finis, facit voluntas, quòd sit actio sua moralis virtute morali: contra verò neutrum volendo. Et hæc probat ex Anselmo, & Augustino. Et quarta ideò patet.

Rursum verò & actio hæc elicita liberè, cum circunstantia finis, & obiecti, potest detetiorari, vt non sit meritoria, & perfectior redda, si sic meritoria.

Exigitur propterea alia circunstantia alterius agentis, quod est diuina gratia: si enim adest diuina gratia virtus operata, vel actio virtuosa meritoria est: Sin autem absit videlicet gratia, actio ipsa meritoria non est, quod dicit quinta conclusio, quæ

probatur

probatur ab Auctore ex Anselmo, Augustino, atque Gregorio, vt legitur in litera, & ex his facilè etiam patet sexta specialis conclusio.

Not. autem pro sexta conclusione, quòd pugna videtur aperta inter Auctorem, & D. Thomam p. 2. quæst. 18. art. 1. ubi enim vult bonitatem actionis specificari ab obiecto, quia sicut res naturalis habet speciem à sua forma, & motus ex termino, ita actio ab obiecto. Sed certè credimus eos non esse discordes, quia existimamus nolle per hoc D. Thom. velle obiectum dare speciem actioni vltimam, ac si non amplius mala possit actio esse ex bono obiecto procedens. Persuadet aût nos hoc de D. Thoma id, quod in alijs articulis subinfert: vult enim eandem actionem specificari etiam à circunstantia obiecti, vt in art. 3. patet, & ex circunstantia parker finis, vt in art. 4. Auctor autem non negat absolutè obiectum specificare, sed quòd non vltima specificatione morali affirmat. Amplius credimus Auctorem confundere obiectum cum sua circunstantia, vnde ad Gaetanum, qui adducit exempla de matrimonio, & adulterio, non diceret quòd essent obiecta, sed circunstantiæ, quia obiectum ponit in medio contrariorum. Diceret autem obiectum coitus cum muliere, quod obiectum est actio, iis bonæ bonitate naturæ, ex circunstantia actionem diceret bonam, vel malam, vt ex circunstantia matrimonij, bonam, ex circunstantia adulterij, vel fornicationis, malam.

QVAESTIO VNDECIMA.

Vtrum ad eliciendum actum volitionis sufficiat sola obiecti ostensio, an cum hoc requiratur aliqua influentia, vel affectio.

Arg. princ. Primum.

CIRCA quartum arguitur, scilicèt, quòd ad eliciendum actum voluntatis non sufficit sola ostensio obiecti, sed cum hoc requiritur aliquid aliud voluntati impressum, quia, vt videtur simile est de actu intellectus, & actu voluntatis.

Ad actum intellectus non sufficit sola præsentia obiecti in lumine intellectus agentis sed cum hoc requiritur species impressa intellectui possibili ab agente & obiecto, ergo &c.

Secundum

Item nihil indeterminatum exit in actum nisi per aliquam determinationem, quia aliter non potius exiret, quàm non exiret voluntas ex se omninò indeterminata ad actũ volitionis, ergo &c.

Tertium.

Item idem inconueniens est aliquid moueri à seipso primo secundum totum, & secundùm idem, sic scilicèt vt vnum, & idem secundum rem, secundum vnam rationem moueat se, & secundum aliam moueatur, quia tunc secundùm idem re, idem moueret se, & moueret à se, & sic secundùm se totum primò, quare cum illud sit impossibile, quia nihil seipso vadit de potentia in actum, quia ex eo quòd agit, necessariò est aliquid in actu, ex eo autem quòd agitur, est in potentia. ergo &c.

Quartum.

Item voluntas vt libera est, in potentia est ad actum suum, si ergo vt est libera sit motor sui, idem secundùm eandem rationem esset in potentia, & in actu.

In oppositum.

Contra. Virtus quæ nata est se determinare in actum suum, ex se motiua est sui, quia determinatio ad actum actio quædam est, ad quam necessariò sequitur operatio. voluntas est huiusmodi, aliter enim non esset libera. ergo &c.

Responsio.

Dico, quòd aliquid ad actum aliquem eliciendum requiritur dupliciter. Vno modo, vt causa sine qua non, quę nihil agit omninò in eliciendo actum, aut in causando dispositionem, qua elicitur actus, aut qua in passiuo recipiatur, quemadmodum requiritur remouens prohibens ad descensum grauis. Et hoc modo, vt sæpius dictum fuit, ad actum voluntatis eliciendum necessariò requiritur obiecti ostensio, & forma intellectus circa ipsum.

Alio autem modo requiritur aliquid ad actũ aliquem eliciendum, vt causa propter quam sic, quæ agit aliquid vel circa receptiuum actus, seu operationis, vel circa elicitiuum eius. Circa receptiuum autem actus aliquid agit causando dispositionem in illo, qua habilitatur ad recipiendum in se actum, quemadmodum lux agit in diaphanum, & in visum, generando in illis lumen, mediante quo in illis recipitur species coloris, secundùm quod superius in quæstione de intellectu agente declaratum est.

Et dico, quòd isto modo non requiritur ad eliciendum simpliciter actum volitionis aliquid quã solius obiecti ostensio, præter solam voluntatem liberi arbittij. Voluntas enim vt est appetitus simpliciter, nullam dispositionem in se requirit aliã a se, vt in se recipiat actum volitionis, vt liberi arbitrij, se sola sufficit ad eliciendũ volitionis actũ, supposita ostensione obiecti cum forma intellectus circa id, secundùm quòd hoc iam declarabitur in pertractatione solutionis ad tertiam rationem, non tamen per hoc excludendo actionem Dei, qui est generalis motor in qualibet actione omnis creaturæ, & hoc in eliciendo ipsum actũ, vt iam habitum est supra secundum Gregor. in quæstione de natura assumptibili, non solum in dando vim qua actus elicitur, de quo dicit Anselm. de concor. præd. Deus non facit aliquid iniustũ, qui tamen facit omnes actiones, & omnes motus, quia ipse facit res, à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt.

Et nulla res habet vllam potestatem volendi, aut faciendi, nisi illo dante, & infra in eodem. Si diligenter consideremus ille verius dicitur facere omne quod facit natura, aut voluntas, qui fecit naturam, & instrumentum volendi. Quòd autem nullã dispositio, seu affectio, nec in-

influxus ab obiecto requiratur in voluntate ad hoc, quòd ipsa in se eliciat actum volitionis etiã determinatum, sed sufficiat ad hoc sola ostensio obiecti determinati, aiguitur. In elicitiuum actus intelligitur agere dupliciter aliquid: Vno modò agendo in ipsum aliquam dispositionem, sine qua non eliceret actum, licèt illa non sit elicitiua actus. Alio modo in agendo in ipso dispositionem, sine qua non expeditè, & faciliter eliceret actum. Primo modo nihil requirit voluntas ad eliciendum actum volẽdi in ipsa, nisi solam obiecti ostensionem. Quoniam illa dispositio quocunque modo vocetur, puta affectio, nomine affectionis comprehendendo impulsum, vel influxum ab obiecto cognito, aut habitum quencunque, aut passionem, dummodò intelligatur re differre à voluntate, si sine ea non eliceret actum volendi, & hoc secundùm quod vult Anselm. quia voluntas nihil vult sine suis affectionibus, & sic non nisi quia est affectata, hæc non potest contingere nisi dupliciter. Primo modo, quia voluntas affectata necessariò vult illud ad quod est affectata, & non potest non velle. Et patet clarè, quia iste modus est impossibilis, quia omninò tolleret liberum arbitrium, & talis volũtas neque iusta posset esse, neque iniusta, secundum Anselm. de casu diabo. capit. 14.

Secundo modo, quia si voluntas aliquid velit, necesse est, quòd sit affectata ad illud. Quod videtur esse de intentione Anselm. quando vult, quòd voluntas non potest velle commodum sine affectione commodi, neque iustum sine affectione iusti, vt iam infra patebit.

Quod habet duas causas veritatis. Vnam, quia si velit aliquid, necesse est, quòd velit illud ad qđ est affectata. Alteram, quia nihil velle potest, ad quod non est affectata.

Dicere secundùm primam causam, est idem cum eo, quod dicunt ponentes, quòd voluntas necessitatur ab intellectu, quo ad actus determinationem, vt si velit aliquid, necesse est, quòd velit quod ei ostensum est, & indicatum à ratione, sic tamen, quòd non est absolutè necesse, quòd illud velit statim, quia statim potest illud non velle contradictorie.

Sed tunc quæro, vtrum possit illud nolle contrariè: hoc est velle non. Si dicatur quòd non: ergo tollitur libertas arbitrij ad velle, & nolle, sed manet solùmmodò ad velle, & non velle, quod videtur inconueniens. Quia si de dignitate creaturæ intellectualis est liberum arbitrium, vt est liberum arbitrium, & vt ordinatur ad attingendum finem actu suo sic, quòd possit seruare iustitiam, sed nõ deserere illam, & quod possit eam deserere, dicente Anselm. cap. 14. de concord. gratiæ, & liberi arbitrij: Accepit homo liberum arbitrium, sine quo iustitia seruari non valuit, ita vt illam posset deserere, quatenus cum illam non desereret, sed seruaret, proficeretur ad consortium Angelorum. Seruare autem illam non valet, nisi volendo, neque deserere, nisi nolendo.

De dignitate ergo humanæ naturæ est posse velle & nolle ostensum à ratione, & id ad quod voluntas est affectata. Sed valde inconueniẽs est denegare homini, quod pertinet ad eius dignitatem, cum hoc attribuere ei in nullo derogat eis, quæ sunt fidei, aut morum: immò valet ad illa, quæ sunt morum: ergo &c.

Si fortè dicatur, quòd potest illud nolle, licèt non statim, quia liberum manet arbitrium, quo ad exercitium actus, quo potest præcipere intellectui, vt deliberet de illo, vel non præcipere, etsi præciperet, vt deliberet post deliberationem habitam potest intellectus iudicare illud non volendum, & tunc potest voluntas illud velle, & nolle, & sic manet libera. *Obiectio.*

Hoc non sufficit ad perfectam libertatem arbitrij, quia iam dependeret à libertate rationis de iudicando illud esse volendum, vel non, Immò oportet, quòd sit libertas arbitrij ab initio primæ ostensionis, secundùm quod plenius declaratum est in Quolibet. præcedente duodecimo scilicet, Etiam dictũ hoc non valet eis, quia voluntas post primam ostensionem obiecti non potest præcipere intellectui, vt deliberet, nisi volendo, neque præcipere, vt non deliberet, nisi nolendo. *Reiect.*

Est ergò ex prima ostensione libera ad volendum intellectum deliberare, vel non deliberare. Et quæro vtrum illud velit voluntas affectata, an non affectata. Si non affectata, habeo propositum, scilicet quòd aliquid vult ad quod non est affectata. Si sic &, necesse est si aliquid velit, quòd velit illud ad quod est affectata, ergò nõ posset nolle intellectum deliberare, quia nolle hoc cum sit velle non hoc est aliqua volitio, licèt circa obiectum negatum, sicut velle hoc est aliqua volitio circa obiectum affirmatum, & tamen voluntas ad illud nolle non potest esse affectata, quia non affectione illa, qua vult positiuum, quia tunc eadem affectio esset contrariorum, quod est impossibile, quia dispositio vna, & eadem naturalis non est ad contraria, nec eadem dispositio naturalis potest esse ratio, qua aliquid determinetur ad contraria.

Illa autem dispositio, seu influxus ab obiecto non ponitur ab eis in voluntate nisi propter determinatam volitionem. Item neque in influxu, seu affectione alia, vel contraria, quia illa non potest poni: non enim haberet, à quo causaretur in voluntate, quia non à forma obiecti circa intellectũ. Nam illa est vnica tantùm, quia vnius obiecti, qđ cum sit naturale agens, non potest causare nisi vnicum influxum, seu affectionem in voluntate, & nequaquàm diuersas, seu contrarias.

Quare cum ab illa forma obiecti circa intelle-

ctum

ctum cauſetur affectio, ſeu influxus, quo voluntas vult poſitiuum, ab illa non poterit cauſari influxus quo nolit illud, ſeu quo velit negatiuum. Si dicatur, quòd immò eadem affectione, ſeu influxu, quo poteſt ipſa voluntas velle hoc affirmatiuè puta dulce, poteſt etiam nolle illud, vel velle non illud negatiuè, loquendo de bono, quod eſt ad finem.

Intellectum enim tale bonum poteſt agere diſpoſitionem aliquam in voluntate, quòd ipſa determinetur, ſeu determinet ſe ſimpliciter ad volendum tale bonum: quoniam & illa ſtante, & nulla alia influxa poſſit illud nolle, & velle non, negatiuè: & hoc propter imperfectionem talis boni. Secus autem eſt de bono, qđ eſt finis. Attamen ſi velit aliquid poſitiuũ aliud, oportet quòd alia diſpoſitio, ſeu influxus ſit cauſatus in ea ab alio bono cognito.

Sed contra iſtud dictum, quo ad primum, eſt id, quod ſtatim ſupra argutum eſt, ſcilicet quòd iſta diſpoſitio in voluntate, cum ſit vnica, quãdo vnum ſolum eſt oſtenſum, & naturalis, non poterit igitur eſſe cauſa, ſeu ratio coelicitiua actus volendi non hoc, ſeu circa obiectum negatum, cum ipſa ſit diſpoſitio coelicitiua actus volendi circa obiectum affirmatum, vt dicunt: hæc enim diſpoſitio, cum ſit ab agente naturali influxa, puta ab obiecto cognito, eſt naturalis. Eadem autem diſpoſitio naturalis nõ poteſt eſſe, vt dictum eſt, per ſe ratio agendi contraria: igitur illa diſpoſitio ſi eſt, non poterit tamen eſſe cauſa, ſeu ratio coelicitiua actus volendi circa obiectum negatum, ſed ſi eſt, erit vt id ſine quo non.

Item per idem arguitur contra id, quod addit, quod ſi ſit circa aliud obiectum affirmatum requiritur alia affectio ſpecialis.

Nam actus volendi affirmatus poteſt eſſe circa obiectum, quod eſt bonum apparens & malum ſimpliciter, & ita actus ille erit actus malus ſimpliciter è contrario verò actus volendi circa idẽ obiectum negatum erit bonus ſimpliciter.

Si ergo bonum actum circa obiectum negatũ poteſt voluntas elicere abſque omni affectione coelicitiua talis actus, quæ ſi adſit, erit tantùm ſine qua non, multò magis ergo malum actum circa obiectum affirmatum poterit eliccre ex puris naturalibus abſque omni affectione coelicitiua, vt cauſa propter quam ſic, & ſi adſit, hoc ſolum erit, vt cauſa ſine qua non. Ex quo vlterius concluditur, quòd ſi dicatur, ſi voluntas aliquid velit, quòd neceſſe eſt eam velle id ad quod eſt affectata, quare cum non ſit affectata ad nolle id, & nolle eſt aliquid velle, ergo nullo modo poſſet velle illud, & ſic omninò, vt prius, tolleretur liberum arbitrium. Et per idem patet falſitas eius, quod tactum eſt in ſecunda cauſa, ſcilicet q voluntas nihil poſſit velle, ad quod non eſt affectata: vt enim iam dictum eſt, licèt propriè loquendo nolle hoc, vel velle non hoc, non ſit velle aliquid, eſt tamẽ aliqua volitio, ſiue aliquis actus voluntatis, licèt circa negatum obiectum, ad quẽ nullam omninò affectionem requirit voluntas in ſe, & non ſolum ad talem actionem circa obiectum negatiuè nõ requirit voluntas affectionem in ſe, ſed etiam in ſe nullam requirit ad actum volitionis defectiuum, puta qua vult relinquere iuſtitiam, ſiue non tenere, quam poteſt relinquere etiam volendo bonum, vt nunc quod eſt malũ ſimpliciter, quia ex ſe ſola poteſt deficere.

Requirit tamen ad illam obiecti oſtenſionem quia nihil poteſt voluntas velle, niſi cognitum. Ita, quòd ſi non ſit niſi vnicum ſecundum vnam circunſtantiam boni oſtenſum, non poteſt velle niſi illud tanquàm primum & per ſe obiectum intellectus & cognitum.

Poteſt tamen non velle, & nolle illud, ſi ſit bonum aliud à fine. Poteſt etiam intellectum velle conſiderare, & non velle, atq; nolle, tanquàm ſecundarium obiectum intellectus, & oſtenſum in qualibet intellectione.

Sic ergo non requirit voluntas ad actum volendi ſimpliciter, niſi ſolam obiecti oſtenſionem quę quidem ſola obiecti oſtenſio ſufficit ad hoc, q ipſa voluntas vi libertatis ſuæ in ſeipſa, vt appetitus eſt, exerceat actum volitionis, & obiecti determinati oſtenſio ad determinatam volitionem a ipſa; aliquo influxu in ipſa ab obiecto. Quod plenius parebit ſoluendo argumenta. Vanum namque videtur tot inter media conculcare. Superfluum enim eſt ponere fieri per plura, quòd æqualiter poteſt fieri per vnum.

Loquendo autẽ de requirere aliquid ad eliciendum actum volitionis faciliter & expeditè, bene concedo, quòd ad ſic eliciendum actum voluntatis non ſufficit ſola obiecti oſtenſio, ſicut neque ſufficit ad eliciẽdum actus perfectos morales, neque maximè ad eliciendum actus gratuitos & meritorios, ſecundùm quod iam inferius declarabitur. Immò requiritur, vel impetus quidam à Deo, de quo aliàs locuti ſumus in quæſtione de bona fortuna, vel influxus quidam ab obiecto cognito, vel habitus temporantiæ in concupiſcibili, vel fortitudinis in iraſcibili, vel iuſtitiæ in rationali, vel etiam paſſionis alicuius vel in iraſcibili, vel in concupiſcibili, quæ omnia ab aliquibus vocatur affectiones, vt iam videbitur.

Habitus enim reddunt potentias habiles ad prompte eliciendum ſuos actus ſecundum Philoſophum 2. & 3. Ethic. Et ſuper habitus adhuc amplius paſſiones: ſecundùm enim quod dicit in 3. Ethico. Ira adauget fortitudinem. Contraria dictis iſtis repellentur in diſſolutione argumentorum, vbi & amplius confirmabuntur, & declarabuntur iam ſuppoſita, quæ tamen aliàs à nobis ſufficienter ſunt declarata, & contraria reprobata.

Quod

Quòd ergò arguitur primò contra primum membrum huius vltimæ distinctionis per hoc, ꝙ ad actum intellectionis requiritur aliquid aliud q̃ vis intellectiua, & præsentia obiecti: ergò similiter &c. ad actum volitionis, dico, ꝙ etsi cum illis duobus ad actum intellectionis requiritur aliquid aliud, secundùm quod iam declarabitur: non tamen illud est species impressa intellectui, quasi consimilis ei, quæ imprimitur organo visus, &c. necessaria est ad actum videndi: secundum enim, quòd aliàs declarauí in vi sensitiua apprehensiua requiritur species obiecti, quia ipsum obiectum non potest esse simul cum vi sensitiua existente in organo, &c. proximum agens debet esse simul cum patiente, &c. ideò requiritur species sua in organo, qua simul est cum vi sensitiua, quæ habet in se vim obiecti ad mouendum vim sensitiuam in organo existentem.

In vi autem apprehensiua intellectiua nulla species requiritur de obiecto, quia ipsum existẽs in phantasmate factum vniuersale virtute agẽtis præsens est, &c. simul cum intellectu, quia vis phantastica, in qua sunt phantasmata, &c. vis intellectiua sunt in eadem substantia animæ indiuisibili, propter quod obiectum vniuersale immediatè potest agere in intellectum absque specie aliqua intellectui impressa, quantum de actione eius requiritur ad eliciendum actum intelligẽdi, de quo statim erit sermo.

Sed esto, quòd species requireretur in intellectu ad actum intellectionis determinatum, sicut &c. suo modo in sensu ad actum sensationis: nõ tamen ideò sequitur, quòd in voluntate requiratur ad actum volitionis determinatũ aliquis influxus ab obiecto, seu bono correspõdens speciei intelligibili in intellectu.

Quòd enim in intellectu requirarur species, vt dicunt aliqui, hoc est, quia obiectum intelligibile, vt est in potentia sensitiua, est tantùm intelligibile in potentia, nec est sufficiens, vt sic, ad hoc, quòd secundùm ipsum moueat intellectus. Vnde &c. requiritur intellectus agens, vt ab ipso abstrahat speciem intelligibilem ponendam in intellectu possibili.

Sed à parte ista ipsum obiectum intelligibile per speciem suam, si sit species, sufficiens est absque aliquo influxu facto ab ipso in voluntate, ad hoc, quòd ad eius præsentiam in intellectu voluntas moueat se in actum volendi determinatum. Vnde non requiritur voluntas agens, quia illud idem, quod facit aliquid esse obiectũ intellectus sub ratione veri, facit obiectum voluntatis sub ratione boni.

Ad secundum: cum dicitur, quòd voluntas de se est indeterminata: ergò non exit in actum volendi, nisi per aliquid quod sit in ipsa super substantiam eius cum obiecti ostensione.

Dico, quòd triplex est indeterminatio voluntatis. Vna est per indifferentiam potentiæ ad duo circa actus contradictorios, scilicèt ad posse velle, & non posse velle quoquo modó, sicut visus est indifferens ad posse videre, &c. non posse videre, sed ad non posse velle, & non posse videre determinatur per omnimodam obiectorum absentiam, ad posse velle autem, &c. posse videre, per ipsorum præsentiam, sed multò aliter visus, quàm voluntas, quia visus necessariò: voluntas autem non nisi liberè.

Alia est indeterminatio voluntatis per indifferentiam actus respectu obiectorum, &c. hęc est duplex, quia vel respectu vnius obiecti tantùm, &c. hoc vel volendo illud, vel non volendo contradictoriè seu nolendo contrariè aut respectu diuersorum, puta ad velle hoc, vel illud, & quodcunque determinatum volibile, quemadmodum visus est indifferens ad videndum album, &c. nigrum, lucem & cæteros colores, ad vnum, vel plura horum per ipsorum præsentiam, sed visus necessariò per determinationem factam in seipso: voluntas autem liberè per determinationem factam in altero, scilicèt in intellectu, quia obiecti intellectus præsentia in intellectu, &c. determinatio per ipsum non est necessaria voluntati ad eliciendum actum volendi, nisi sicut causa sine qua non: sed tamen vt causa propter quam sic, finalis scilicet, est necessaria ad actũ volitionis terminandum, & sic potius propter ipsum actum, quã propter voluntatem elicientem, quia incognita velle non possumus, eò quòd actum volendi non possumus terminare nisi ad cognitum, qd tamen non vt cognitum, sed magis vt res terminat actum volendi, vt sic bonum cognitum, vt per sui similitudinem est in intellectu, præsentatum est actui volendi, &c. mouens voluntatem tantùm metaphoricè. Sed ad ipsum, vt res est, actus uolendi terminatur, sicut descensus grauis terminatur ad centrum, in quo natum est quiescere.

Omnis autem alia vis ab obiecto determinatur in seipsa. Vis enim sensitiua quæcunque non elicit actum sentiendi, nisi sit determinata in se quadam alteratione ab obiecto sensibili, neque similiter vis intellectiua nisi alteratione quadam determinata fuerit ab obiecto intelligibili: similiter neque vis appetitiua sensibilis elicit actum appetitionis, nisi determinata per passiones iræ, &c. concupiscentiæ causatas in organo appetitus, non quidem ex sensu, vt ex causa imprimente illas, sed ex vi existente in corde, quæ factiua est alterationis circa organum appetitus secundũ calidum & frigidum, humidum &c. siccum. Quæ quidem alteratio non est ex apprehensione sensus, nisi sicut ex causa sine qua non, post quã apprehensionem naturaliter vis alteratiua cordis alterat organum appetitus ad generandas dictas passiones, ad quas sequitur appetitio.

Vis autem volitiua habet ex se determinatum suum ad actum, cuiusmodi est libertas simpliciter respectu finis, quæ determinat tantùmmodò ad volendum illum, &c. liberum arbitrium respectu eorum, quæ sunt ad finem, quod determinat vel ad volendum, vel ad non volendum, uel ad nolendum. Non quòd talis determinatio in alijs viribus sit elicitiua actus, vel coagens cum ipsa ui, quæ determinatur, sed ipsa est solùmmodò causa, sine qua vis indeterminata nullum actum omninò eliceret.

Talem autem determinationem, quo ad tertiã indifferentiã, quæ est media in ordine, nihil potest agere in voluntate, neque obiectum, neque influxus quicunque ab ipso, neque passio quęcunque, aut habilitas siue fuerit habitus, siue dispositio. Quodlibet enim talium ad vnicum naturaliter mouet. Vnde Anselm loquens de motu voluntatis in Angelo (& simile est de motu eius in homine,) fingit Angelum à Deo factum per partes, & primò ponit ipsum factum in sua substantia cum potentijs naturalibus, scilicèt intellectiua, & volitiua, qua scilicèt sit aptus ad volendum, dicens cap. 12. de casu diabo Ponamus Deum facere Angelum, quem vult facere beatum, non simul totum, sed per partes, & hactenus iam esse factum, vt iam sit aptus ad habendum voluntatem, sed nondum aliquid velit. Et quærit, an ipse Angelus sic factus per se possit velle aliquid, & exponit hoc, quod dicit per se, dicens. Per se dico per hoc, quod iam habet, & diffusè prosequitur. Et post resumendo quæsitum, dicit, De propria igitur potestate loquor, cũ quæro de Angelo, quem nouum posuimus fieri, & hactenus iam esse factum, vt iam aptus sit per naturalem potentiam, scilicet ad habendum voluntatem, ideſt, actum volendi voluntatem, sed nihil adhuc velit, an ipse per se possit velle aliquid. Et videtur dicere Anselm quòd Angelus sic factus non possit per se absque aliquo alio sibi addito exire in actum primum volendi, vnde cõcludit. Restat igitur, vt ille Angelus, qui iã aptus factus est ad habendum voluntatem, sed tamen nihil vult, non possit habere primam voluntatẽ, ideſt, primum actum volendi à se. Et tractatu secundo in principio 13. capit. ponit à Deo voluntati Angeli esse inditum, quòd solùmmodò possit esse determinata ad velle bonum commodum simpliciter, uel solùmmodò ad velle cõmodum conueniens. Et determinat, quòd tali voluntate volendo commodum qualecunque, non posset dici voluntas sua iusta, vel iniusta, vt patet cap. 13. & similiter non volendo commodum conueniens, vt dicit cap. 14. in principio. Et hoc ideò, quia non posset velle aliter. Vnde tertiò ponit vlterius huiusmodi Angelo esse inditã à Deo voluntatem volendi, vel commodum simpliciter, vel conueniens sibi, & hoc iustè, & vt cum hoc possit illud velle, & iniustè sic incouueniens. Quoniam ergò non solùmmodò volendo beatitudinem, nec solùmmodò volendo, quòd quicunque nit, cum ex necessitate sic velit, iustus potest appellari, nec potest, nec debet esse beatus, nisi velit, & nisi iustè velit, necesse est, vt sic Deus faciat vtranque voluntatem in illo Angelo conuenire, vt & beatus velit esse, & iustè velit, quatenus iustitia addita sic temperet voluntatem, vt reiecet voluntati excessum, & excedendi nonam potestatem, vt tamen per hoc, quòd volet esse beatus, modum possit excedere, per hoc autem, quòd iustè volet, non valeat excedere.

Ex his dictis Ansel. ponunt aliqui, quòd Deus potest facere volũtatem Angeli, vel hominis, quæ per naturam suam non sit peccabilis, seu non poterit peccare. Et hoc tripliciter. Primo modo creando Angelum cum potentia volitiua pura non addendo voluntati Angeli aliquam affectionem, puta cõmodi, vel iusti, sine quarum aliqua non potest exire in actum volendi, nec per consequens peccare.

Secundo creando voluntatem informatã sola affectione commodi, absque affectione iusti, vel recti, & tunc licèt posset exire in actum volendi beatitudinem, quæ est ex commodis mediante affectione commodi, non tamen posset ex hoc exire in actum volendi rectum, vel iustũ, & ideò volendo ipsum non peccabit, quia nec tenetur velle rectum, seu iustũ, eò quòd affectionem recti, seu iusti non habet.

Tertio modo creando voluntatem informatã sola affectione iusti, vel recti, absque omni affectione commodi, & tunc talis uoluntas non potest peccare, quia non posset appetere, nisi rectum, & iustum, à quo tunc non posset retrahi, eò quòd non haberet affectionem aliquam commodi, aut incommodi, per quã posset aliud velle, quàm iustum, & rectum & ita nec peccare.

Sed aduertẽdum propter primo dictum, & ut patebit planè consequenter exponendo Anselm, hic & alibi, quòd duplex est habilitas uoluntatis, seu habitus. Quædam uidelicèt naturalis, alia uerò accidentalis, re absoluta differens ab ipsa uoluntate, & superaddita eius aptitudini naturali. Cum ergo dicunt primò, quòd posset creari uoluntas Angeli absque habilitate quacunque superaddita ei: Dico, quòd uerum est, loquendo de habitu, seu habilitate accidentali superaddita, uel superaddenda ipsi uoluntati quia talis differt ab ea, sed nequaquam creari posset in esse secundùm rem sine habilitate naturali ad actum uolendi, quia talis habilitas est de ratione ipsius potentiæ uolitiuæ, non accidens additum ei. Vnde nec potest esse sine tali habilitate, cum potentia sit realiter talis habilitas ad actum. Vnde & de tali habilitate naturali loquens Anselm in decem cor. gratiæ, & liberi arbitrij, sub nomine affectionis com

commodi, dicit quòd illa est inseparabilis, quod nequaquam verum esset, si talis habilitas re differret ab ipsa potentia, quia de affectione iusti, quæ re differt, dicit, quòd est seperabilis. De Angelo autem sic creato cum sola tali habilitate naturali nequaquàm verum est, quòd non possit exire in actum volendi, nec per consequens, quòd non possit peccare. Immò hac sua naturali habilitate potest velle commodum, & hoc vel temperatè, & tunc benè, vel excessiuè, aut remissè, & tunc peccaret, & hoc necesse est ponere, nisi ponatur, quòd talis voluntas non est liberi arbitrij sed naturaliter vult, quòd vult, seu quòd potest velle.

Ad dictū Anselm. Et quòd dicit Anselm. quòd voluntas non potest velle sine suis affectionibus: Dico, quòd nomine affectionis generaliter dictæ comprehenditur habilitas naturalis, qua voluntas vult, cum dicitur affectione velle.

Iterum propter secundò dictum & tertiò sciendum, quòd si ponamus Angelum factum à Deo cum potentia volitiua, & affectione volendi solum commodum, & hoc naturaliter non per liberum arbitrium, secundùm quod de Angelo videtur loqui Anselm. de casu diaboli. capit. 13. per totum, aut etiam factum cum volitiua potentia, & affectione volendi solum commodum conueniens, & hoc similiter naturaliter, non per liberum arbitrium, secundum quòd de Angelo videtur loqui Anselm. eodem lib. cap. 14 in principio, de Angelo, inquam, sic posito, immò ficto, verū est, quod non posset peccare, secundùm quod videtur velle Ansel. Et dico videtur, quia talis Angelus nō posset esse in rerum natura creatus, nec Anselmus ponit, quòd ita posset esse.

Et quòd talis Angelus non posset in rerum natura esse creatus, patet, quòd de ratione volitiuæ potentiæ Angeli, vel hominis respectu eorum quæ sunt ad finem, est, quòd sit liberi arbitrij, in quo necessariò est naturalis habilitas ad volendū iustum, & qua potest velle iustum volēdo, quod conuenit velle, & sicut cōuenit. Cum qua tamen habilitate positiua est defectibilitas annexa, qua potest excedere, si velit, ac per hoc non potest esse talis in rerum natura, quin possit sic peccare.

Tali autem voluntate cum tali habilitate creata si addatur habilitas accidentalis iustitię vel politicæ, vel gratuitæ, per illas vt per affectiones accidentales expeditius potest exire in actus iustitiæ, sed meritoriè solum per affectionem iustitię gratuitæ.

Istis tamen affectionibus semper in voluntate est potentia defectibilitatis coniuncta, qua potest in contrarium. Sed in his dictis Anselm. est eius intentio quòd Angeli & hominis voluntati à Deo datum est, vt possit se determinare ad sequendum inclinationem iustitiæ, vel contrarium agendum.

Quod ergò in argumento dicitur, quòd indeterminatum non exit in actum, nisi per determinationem factam in ipso, dico, quòd hoc non est verum, nisi de indeterminato, quod non habet vim seipsum determinandi, Reseruata autem hac vi determinandi seipsam in voluntate in qua consistit libertas arbitrij, non multum curamus si ponatur prima determinatione determinari, & tertia facta in seipsa secundùm aliquem influxum ab intellectu, & ab obiecto cognito, aut impetu, aut affectione quacunque, quia nullum tale influxum poterit esse causa, propter quā secundùm secundam determinationē velit, vel non velit, uel nolit ipsa uoluntas, sed solùmmodò causa sine qua non, quia semper manet indeterminata à determinatione secunda, nisi à se determinetur licèt determinatione prima determinetur in se secundum obiectum cognitum, & similiter tertia, ut scilicet non poterit uelle omninò, nisi ad uolibile determinetur, nec uelle determinatè hoc, uel illud, nisi ad uolibile hoc uel illud determinetur. *Ad formā arg. sed.*

Sicut nec sensus, nisi determinetur à sensibili potest omninò sentire, nec sentire hoc nisi determinetur ab hoc sensibili. Et similiter est de intellectu respectu intelligibilis, ita quòd non possit uoluntas uelle aliquid nisi cognitum ad quod determinatur, ita tamen, quòd si non nisi unum sit cognitum, quo determinetur, non possit aliud uelle cum effectu, possit tamen hoc uelle, uel nolle, uel non uelle, & imperare intellectui, quòd consideret amplius.

Si uerò plura præsentētur, quæ sunt ad finem, poterit liberum arbitrium quodcunque ex illis, siue sub ratione minoris, siue sub ratione maioris boni præsentetur, uelle alijs omissis, uel nolle alio electo, uel nullum illorum uelle in hoc standō, & etiam intellectui precipere, ut amplius cōsideret. Vnde si in hoc staremus solùm, negaremus aliquid agere ab extra actum uolitionis in uoluntate immediatè, uel modo congruenti naturæ suæ, quemadmodum sol agit in diaphano actum illuminationis, uel modo non congruenti naturæ suæ, quemadmodum lapis proijcitur sursum, aut mediatè agendo in ipsa dispositione, quę esset necessariò causatiua uolitionis, sicut qualitates primæ calidum, & frigidum generatæ sunt secundarum causatiuæ, ut albi, uel nigri.

Ad tertiū principale. Ad tertium dicendum cōtra idem membrum, quòd idem inconuenieus est &c. Dico, quòd propter fugam huius rationis, & inconueniens quòd uidetur concludere dicunt aliqui, quòd uoluntas non mouet se ad actum uolendi, nisi mota ab appetibili cognito, & hoc non metaphoricè sed uerè. Dicit enim Philosophus in tertio de anima sic. Res per quas fit motus, tres sunt. Vnum quidem mouens, immobile scilicèt secundum autē, quo mouet scilicet mouēs motum, tertium quod

mouetur,

mouetur, vbi continuò reducit ipsum, quo mouet ad ipsum mouens diuidẽdo illud in duo subdẽs: At mouens dupliciter. Aliud quidem immobile, aliud autem mouens, & quod mouetur. Est autem immobile actuale bonum: mouẽs autem, & quod mouetur appetitiuum est. Mouet enim quod appetitur, &c. appetitus motus est. Quod autem mouetur scilicèt ab appetitu animal est. Quare cum dicit, quòd appetibile mouet, continuè etiam dicit, quòd appetitus mouet, distinguendo mouens in hęc duo. Et inconueniens est dicere, quòd in tam breui verbo sumat mouere æquiuocè, &c. sit diuisio sua in æquiuoco. Igitur cum appetitus verè, &c. metaphoricè mouet animal, consimiliter appetibile verè, & non metaphoricè mouet appetitum, &c. hoc per verum influxum alicuius dispositionis realis factæ ab appetibili cognito in voluntate, sine quo vo luntas nullo modo moueret se ad actum volitionis; nec per consequens ad aliquid aliud, quia non mouet, nisi volendo.

Ad quod dico, priusquàm descendam ad argumentum, quòd voluntas non mouetur ab appetibili cognito, nisi metaphoricè, & est in suo motu primum mouens, secundùm quod iam declarabitur. Cum dicitur, quòd Philosophus in tam breui verbo non æquiuocat mouere, dico, quòd immò: loquendo de appetitu rationali, qui est voluntas: de quo tamen non loquitur ibi principaliter, sed de appetitu sensitiuo, qui est principium motus localis, etiam in brutis.

Sed istam æquiuocationem, benè expressit in alio libro præcedente naturalis Philosophiæ, videlicet in primo de generatione, vbi determinat, quòd secundùm alium &c. alium modum mouendi, & æquiuocè mouent finis, & efficiens. Appetibile autem secundum Philosophũ ibi non mouet, nisi vt finis. Dicit enim ibi. Sic autem est effectiua causa, vt vnde principium motus. Cuius autem gratia non factiuum, ideò sanitas non factiuum, nisi secundũ metaphoram. Etenim faciens, quando existit, generatur patiens, habitibus autem præsentibus non adhuc generatur aliquid. Species autem &c. fines habitus quidam. Ecce planè, quòd cuius gratia, scilicèt finis, siue causa finalis non est factiua alicuius motus, aut mutationis nisi metaphoricè, neque alicuius dispositionis productæ per motum, aut transmutationem, quod appellat Philosophus ibi generari. Appellat autem speciem finem intra quem quærit inducere agens in materia, vt est sanitas: fines autẽ appellat id, cuius gratia quæritur sanitas, & est finis extra, vt propter studium multi appetunt sanitatẽ, vt melius possint studere. Hos n. modos finis distinguit Auic. in 6. Metaphy sic. dicens. Finis, qui acquiritur ex actione agentis, diuiditur in duo s. in finem, qui est forma, vel intentio in patiente receptibili actionis, & in finem, qui nõ est forma, nec intentio in patiente susceptibili vllo modo. Est igitur in agente. Habitatio n. quæ est finis fabricatorũ domus, & principium motus ad essendum domum, ipsa nullo modo est forma domus. Vocat autem Aristoteles & species, & fines habitus, quia nõ habent rationẽ causæ finalis, nisi vt sunt in cognitione mẽtis, & per hoc habitus in illa, quia vt acquiruntur extra non sunt causæ, sed effectus aliarum causarum potius, dicẽte Auic. in 6 Metaphysicæ. Causa finalis in causalitate prędedit causas agentes, & recipientes similiter, & formã, & in suo esse in anima prior est cæteris causis. In anima enim prior est agẽte, quia anima adinuenit eam prius, & postea imaginatur apud se actionem, & inquisitionem, & qualitatem formæ. Respectu igitur causalitatis, & respectu essendi in intellectu nõ est causa prior causa finali: immò ipsa est causa essẽdi cæteris causis. Esse autem aliarum causarum in affectu est causa essendi illam in effectu. Sicut cum aliquis fabricat domum, vt habitet in ea. Ipsa enim inquisitio habitationis inducit eũ ad fabricandum, & est prima causa fabricandi, inquantùm est ipse fabricator, & causatum, inquantùm est habitator, &c. inquantùm ipse est habitator finis suus alius est; & inquantũ est fabricator. Videtur.n.ꝙ finis agentis propinquus, & contingẽs motioni materiæ sit forma in materia, & cuius non est finis forma in materia, non sit principium propinquum motuĩ inquantùm est sic. Vnde Philosophus, quia dictã æquiuocationem benè determinauit in præcedenti libro, nõ fuit ei curę ipsam determinare in 3. de anima. Supponentes igitur, ꝙ voluntas nõ mouet nisi verè mota ab obiecto, licèt nõ possint hoc habere a Philosopho declarando suum dictum, & modum mouẽdi voluntatis, dicunt, ꝙ voluntas nõ mouet se, sed affectatum i. compositum ex volũtate, & affectione, sub nomine affectionis comprehendendo omnem dispositionem, tã innatam, si qua est, siue quæ per motũ ab obiecto in ea possit causari, & hoc, quia tale quid est diuisibile in Duo. Dicunt.n. ꝙ vno illorum est per se mouens, vt per se ratione mouẽdi, siue motiua, & elicitiua formaliter actus volendi: per aliud verò est pẽ se mota, vt p se ratione, quã receptiua est volũtas actus volitionis. & sic non mouetur idem à seipso primò, & secundùm totum, neq; secũdùm idem diuersis rationibus, sed alio, & alio mõ secundum rem. Re.n. vt dicunt, differunt voluntas, & affectio eius, & hoc quemadmodum graui vt dixi pluries, quod descendit ex se amoto prohibente aliud re est ratio, qua mouet scilicet ipsa grauitas aliud verò qua mouetur, vt corpus naturale compositum ex materia, & forma existens sub quantitate dimensionali, & quemadmodum, vt dicũt species in intellectu aliud est re ab intellecto. Quod confirmant per Anselm. de concord. gratiæ, &c. liberi arbitrij, dicentem.

Per hoc cognosci potest aliam esse voluntatem & instrumentum volendi, aliam eius affectionē, quia si dicitur iustus homo etiam cum dormit, & nihil cogitat habere voluntatem viuendi iustè, & iniustus non negatur habere, eadem voluntas negatur de iniusto, quæ asseritur de iusto. Palàm autem quia non negatur in eo voluntas, quam diximus instrumentum, quoniam eam habet omnis homo, & dormiens & vigilans, sed illa, qua afficitur instrumentum. Alia ergò est voluntas instrumentum, alia voluntas affectio siue generalis, siue specialis, vt influxus quidam ab obiecto.

Quæstio. Sed quæro quid horum duorum est ratio motiua, qua mouet totum affectatum, & quid est ratio mobilis, qua affectatum recipit in se motum. An scilicèt voluntas sit mouens ratio, & affectio mota, an è contra. Si primo modo, cum actus agentium sunt in patiente, & dispositio, secundùm Philosophū primo de anima, & 5. Physicorum, actio ergò volitionis procedit a voluntate, & recipitur in affectione, sicut in subiecto, non autem in voluntate. Id autem in quo recipitur actio volitionis formaliter potius dicitur velle, quàm illud, à quo generatur, quemadmodum intellectus potius dicitur intelligere, quàm species, qua, secundùm illos generatur. Potius ergò dicetur affectio velle, & homo affectione formaliter, quàm voluntate, consequens falsum est, quia volitio non est formaliter actio, quę est operatio, siue perfectio, nisi naturæ viuæ & intellectualis, & per id quod est aliquid de essentia, & substantia viuentis, quod est ratio vitæ in illo in quo est, vt in subiecto proximo, nunc autem affectio non est natura viuens, neque intellectualis neque de essentia, & substantia eius vt ratio vitæ in illo ergò &c. Item quandocunque aliquid non est mouens ex se nisi sit prius motum ab alio motu, quo recipit in se dispositionē aliquam, & tunc compositum ex illa dispositione, & ex eo quod recipit ipsum, mouetur ex se, sic quòd vnum illorum sit in illo ratio mouentis, & alterum ratio moti, illa dispositio potius habet rationem mouentis, seu est ratio mouendi quia habet in se vim motoris a quo recipitur, quàm id in quo recipitur.

Verbi gratia, si generans graue facit dispositionem grauitatis in ipso, puta in lapide, vt possit lapis amoto prohibente seipso descendere secundum dictum modum, ipsa grauitas in lapide potius habet rationem mouentis, quàm moti. Vnde & propter hoc grauia, & leuia dicuntur moueri à generantibus ipsa. Et similiter est de motu intellectus ab intelligibili per speciem, quòd causatur ab intellectu, secundùm quem modum procedunt eorum similia. Sed nec è contra possunt ponere, quòd voluntas affectata moueatur ab affectione, vt ipsa affectio sit ratio motiua voluntatis, & actus volendi elicitiua. Hoc enim posset intelligi dupliciter. Vno modo vt nuda voluntas sit mota, & nihil eius mouēs, sed sola affectio sit mouens formaliter. Alio modo vt aliquid voluntatis sit mouens cum affectione, & aliquid voluntatis sit mobile, quod actum volitionis in se recipit. Si primo istorum modorum intelligant prædicti, quòd voluntas affectata mouet se, sic videlicèt, quòd illa dispositio, seu dispositiones, si plures sunt, sit tota ratio formaliter elicitiua actus volendi, hoc non potest stare, quia illud quod non est de substantia viuentis, non potest esse ratio elicitiua actionis vitalis, in eo, sicut nequa actuum talis actionis potest esse aliquid aliud, quàm substantia viuens. Aliter enim effectus scilicèt ipsa actio volendi esset nobilior, quàm sua causa formalis, siue ratio elicitiua illius. Viuens enim semper præponitur non viuenti.

Illa autem affectio seu dispositio in voluntate non est de substantia viuentis, sed accidens in voluntate re differens ab ea. Cum igitur volitio sit actio vitalis & per consequens nobilior quolibet alio accidente existente in viuente, ob hoc enim secundùm aliquos potentia animæ non potest poni accidens in anima, quia est ratio elicitiua actionis vitalis in illa, igitur nulla affectio, seu talis dispositio in voluntate potest esse ratio elicitiua actus volendi tota.

Secundò patet hoc idem, quia cum quælibet affectio sit forma naturalis habens propterea determinatam potentiam mouendi determinatè ad vnum tantùm, sicut & cæteræ formæ naturales, & sic solùm modò moueret ad id, ad quod voluntatem afficeret, ut enim dicit Anselm. de concord. gratiæ, capit. 11. affectum est instrumentum uolendi suis aptitudinibus benè dicitur hominis anima cum vehementer vult aliquid, affectata esse ad uolendum illud, uel affectuosè uelle, & per hoc in eliciendo actum uolitionis omninò tolleretur liberum arbitrium, & solo naturali impetu eliceretur ex coniunctione proprij actiui cum proprio passiuo omni impedimento exteriori remoto, ita quòd existente tali affectione in uoluntate non solùm necesse illam esse uelle illud, si aliquid uellet secundùm modum supra reprobatum, sed etiam necesse esset, quòd absolutè uellet illud, & non posset illud nequ non uelle, neque nolle, quia existente proprio actiuo naturali coniuncto à proprio passibili omni impedimento remoto necesse est ipsum agere solam propriam actionem naturalem sibi debitam, nec etiam posset velle aliud, nisi etiam habendo in se affectionem ad uolendum aliud ponderantem in uirtute, quia illa affectione minus ponderante nequaquàm moueretur, sed alia ponderante, alia uerò existēte æqualiter ponderā se secundum neutram moueretur, aut moueretur

tur

tur ſecundùm vtranque ſimul, quod eſt impoſsibile, ſicut impoſſibile eſt intelligere plura ſimul, niſi ad vnum illorum moueretur intellectus, & voluntas in ordine ad alterum. Hic Anſelm. determinat de caſu diaboli capit. 13. quòd voluntas non poteſt ſe mouere ad volendum aliud quã concepit, & non poteſt non moueri ad volendum illud. Nunc autem ſecundùm datã affectionem non accepit voluntas velle aliud, ſicut ſi accepiſſet Angelus de quo ibi loquitur Anſelm ſolam voluntatem volendi commodũ ſimpliciter vel ſolam voluntatem volendi commodum ſibi conueniens, per alterius illorum affectionem nullo modo poſſet illud non velle, aut nolle, nec aliquid aliud velle niſi propter illud.

Si verò prædicti intelligunt, quòd voluntas affectata mouet ſe ſecundo modo, ſic videlicèt qui affectio generalis, & influxus ſpecialis cum voluntate concurrant in vna ratione elicitiua actus volendi, hoc adhuc contingit intelligi tripliciter. Aut in tali motione actiua affectio cum influxu dicitur eſſe principalis, & mouere mediante voluntate, vt inſtrumento ſuo, aut è conuerſo, aut æqualiter ſe habent ad illam. Sed iſtud non poteſt ſtare, quia tunc exiſtente affectione & inclinante ipſam voluntatem ad actum volendi non plus poſſet facere voluntas quin ſequeretur actio volendi ſecundùm affectionem, & influxum quàm exiſtente voluntate, & inclinante ad actum volendi vel nolendi poteſt aliquid facere affectio quin ſequatur actio volendi, conſequẽs falſum eſt, quia à voluntate dependet agere ſecundùm affectionem vel non agere, & non è conuerſo, ergo &cet.

Item vtrunque duorum primorum membrorum inconueniens ponit, quod patet primo vnica ratione contra vtrunque illorum ſimul, quia quandocunque agens pure naturale, & agens libero arbitrio ſimul in eadẽ actione concurrunt, hoc non poteſt eſſe niſi in actione propria naturali congruenti agenti naturali in qua agens libero arbitrio ſequitur agens naturaliter, puta in agendo ad motum ſeu tranſmutationem grauis non poteſt concurrere agens liberi arbitrij cum naturali motiuo grauis, niſi in motu deſcenſus, in motu enim aſcenſus grauis quia eſt merè violentus non poteſt cooperari agens naturale, quia natura in contrarium inclinat.

Quare cum ſecundùm iam dicta affectio in voluntate mouet naturaliter tanquàm ratio formalis, liberum arbitrium ſi aliquo modo ſimul mouet, ſequitur motum affectionis, & ſic æquali neceſſitate impulſus naturalis mouebitur aliquid in voluntate ad actum volitionis qua ſecundùm iam dicta moueretur a ſola affectione.

Inſtãs. Si dicatur ad iſtud, quòd hoc verum eſt quando ſolum initium actionis dependet à voluntate, vt contingit in exemplo de graui naturali poſito in argumento. Sed quando initium actionis & proceſſus eius omninò dependet à voluntate, tunc non eſt verum. Quod patet, nam ſi eſſet aliquid exiſtens grauè naturaliter, & cum hoc voluntarium, & ſe voluntariè mitteret deorſum ita quòd libera voluntate poſſet pauſare in medio motus, & ipſum temperare ſecundùm velocitatem & tarditatem, iam illa actio cum hoc, quòd eſſet naturalis ratione grauitatis eſſet etiam voluntaria ratione libertatis, & ſic eſt à parte iſta.

Sed contra iſtud arguo, quia ſecundum philoſophum natura, & voluntas ſunt diuerſa inter ſe, & diſtincta vt duo principia ſeu rationes agendi omnium actionum, ſed ſecundùm diuerſitatem principiorum, & rationum agendi eſt diuerſitas actionum ſecundùm Damaſc. igitur non poteſt eſſe vna, & eadem actio cuius natura, & voluntas ſit ſimul coelicitiua ratio. Quare ſi affectio in voluntate ſit elicitiua actus volitionis iam talis actio erit naturalis. purè, nunquam enim natura, & voluntas concurrunt in eandem actionem vt eius coelicitiuæ rationes, niſi ipſæ concurrant inter ſe. Specialiter etiam arguitur contra primum membrũ, quòd videlicèt in tali motione voluntatis non poteſt affectio eſſe principale agens, & uoluntas inſtrumentum, quia in omni agente tàm naturaliter quàm artificialiter motus inſtrumenti ſequitur motum principalis agẽtis, calor enim naturalis non generat aliquid ſecundùm formam ſubſtantialem, puta aſinum ſecundùm formam ſubſtantialem, niſi in virtute formæ ſubſtantialis aſini generantis exiſtentis in calore ſeminis infuſi ab aſino deſcindẽte ſemen, nec calamus deſcribit figuram niſi motus à manu artificis. Si ergo principale agens & mouens ſit affectio & ipſa mouet naturali impulſu, vt oſtenſum eſt prius, ergo &c.

Idem etiam arguitur ſpecialiter contra ſecundùm membrum, quòd videlicèt in tali motione non poteſt aliquid voluntatis eſſe principale, & affectio inſtrumentum, quia agens principale non elicit actionem mediante inſtrumento, niſi ſecundùm exigentiam inſtrumenti, quare cum affectio inſtrumentum non ſe habet niſi ad vnũ tantùm mediante illa ſicut prius non poteſt niſi in vnum tantùm, ſicut ſi calamus non eſſet medium inſtrumentum ex natura ſuã, niſi ad depingendum figuram rotundam, nequaquàm mediante illo poſſet depingere figuram angularem.

Reprehẽ. Contra hæc tamen videtur ſentire, præcipuè ſecundùm illud vltimum membrum, Anſelm. quando dicit de concord. gratiæ & liberi arbitrij cap. 12. in fine. Voluntas inſtrumentum mouet omnia alia inſtrumenta quibus ſponte vtimur & quæ ſunt in nobis, ipſa verò ſe ſuis affectionibus mouet, & infra.

Quia & illa vult quæ affectione vult, & affectio vult per quam illa vult, sicut videre dicitur &c. homo qui visu uidet, & ipse visus quo videt. Vnde non absurde possumus dicere affectiones eius voluntatis quam instrumentum animæ dixi, quasi instrumenta eiusdē instrumenti, quia illa nihil nisi istis operatur, perdito igitur instrumento volendi iustitiam id est rectitudinem, nullo modo nisi per Dei gratiā reddatur potest voluntas instrumentum velle iustitiam. Si dicat aliqui volentes Anselm. exponere distinguendo circa actum voluntatis, quòd scilicèt aspiciendo ad substantiam actus volitionis in eliciendo formaliter principalius agit affectio, &c. est uoluntas vel liberum arbitriū eius instrumentum, aspiciendo aūt ad modum eliciendi ipsum actū principalius agit liberum arbitrium, eò ꝙ ipsum habet determinare se ad actum volendi vel nolendi secundum prædicta, & hoc modo affectio est instrumentum voluntatis. Isto secundo modo loquitur Anselm. cum dicit affectiones esse instrumenta voluntatis. Sed primo modo videtur loqui August. cum dicit de charitate quæ est affectio quædam infusa à Deo, quòd ipsa se habeat ad voluntatem sicut sessor ad equum.

Isti igitur tria ponunt per ordinem scilicèt libertatem arbitrij vt est determinatiua actus volendi vel nolendi, &c. ipsam affectionem, &c. tertiò liberum arbitrium vt est ratio elicitiua actionis quæ est volitio, vt sit affectio media inter liberum arbitrium vt est actus determinatiua ratio, & vt est ratio elicitiua eiusdem. Et hoc ponunt quasi ipsa determinatio sit in se quædam actio, & alia ab actione eliciendi, quod non est verum, quia nulla est actio voluntatis, nisi volitio quæ non fit in voluntate per aliquam aliā actionem, immò ipsa est actio quæ fit, determinatio autem dicta non est nisi relatio quædam siue ordo quo voluntas se extendit ad volendum vel nolendum siue ad volendum hoc vel illud. Ad talem autem sui ordinationem nequaquàm requirit affectionem vt instrumentum medium, etiam si forte requireret ipsam ad eliciendum actum volitionis, ad nihil enim aliud videtur ponere ipsam Anselm.

Ad videndum autem quomodo secundùm Anselmum affectio qualiscunque ponitur instrumentum voluntatis, & è conuerso secundùm August. ponitur voluntas esse instrumentum affectionis, circa actum volitionis duo sunt consideranda scilicèt, & substantia actus, & modus siue qualitas aut forma actus circa substantiam ipsius. Et est substantia actus quantum est de se semper eiusdem rationis, & diuersificatur secundùm qualitatem, &c. formam quæ consistit in volendo excessiuè vel remissè vel temperatè. Forma autem qua volitio est temperata, &c. è contra forma qua est excessiua, aut remissa duplex est. Quædā ex obiecto ad quod terminatur actus.

Alia verò ex ratione elicitiua actus. Ex obiecto enim dicitur actus volitionis excessiuus, quia volens vult quod non conuenit eum velle, nec competit nec congruit propter obiecti voliti magnitudinem, sicut non competit homini velle esse similem Deo cum effectu, intendēdo actu voluntatis ex puris naturalibus illam attingere, hoc enim non competit ei, quia illud nimis excedit potentiæ naturalis. Dicitur autem ex obiecto remissus, quia volens vult, quod non conuenit eum velle propter obiecti voliti paruitatem, sicut non conuenit homini velle esse similem Deo cum effectu, ad hoc intendendo, &c. hoc quia nimis est infra id ad quod natura humana nata est attingere.

Dicitur autem ex obiecto temperatus, quia volens uult, quod congruit eum velle propter obiecti uoliti mediocritatem, sicut congruit homini uelle esse similem Deo cum effectu, intendendo ad illud actu uoluntatis adiutæ gratia, & hoc quia hoc congruum, &c. consentaneum est naturæ humanæ. Ex ratione verò elicitiua actus dicitur actus uolitionis excessiuus, quia uolens intensius uult uolitum, quàm competit eum uelle, & dicitur similiter remissus, quia volens remissius uult uolitum, quàm congruit eum uelle illud dicitur etiam temperatus, quia temperatè sicut congruit eum uelle illud uult.

Nota de affectione in voluntate.

Dico ergò, quòd aspiciendo ad substantiam actus uolitionis, &c. id quod est secundùm se, sola uoluntas est ratio elicitiua, & quilibet alius cognitiua, &c. appetitiua sensibilis, licèt diuersimodè, ut supra expositum est, nec in hoc operatur aut cooperatur quicquam uolūtati quęcunque affectio. Aspiciendo autem ad utranque formam, & qualitatem actus, dico, quòd affectio operatur ut affectio iusti ad uolendum iustè &c. temperatè, & affectio commodi absque iustitia existens ad uolendum excessiuè uel remissè, dico autem affectionem iusti qua quis uult iustè aliquid, &c. hoc siue iustitia naturalis, &c. innatę rectitudinis ad uel secundùm cuius formam eliciuntur temperatè actus imperfecti quibus generantur habitus politici, siue iustitia uirtutis politicæ acquisitę, ad cuius formam eliciuntur actus politici perfectè &c. temperatè, siue iustitiæ gratuitæ quæ charitas est, & infusa, ad cuius formam eliciuntur actus perfectissimi meritorij.

Affectio iusti & commodi.

Operatur autem ad formam, &c. qualitatem actus ex obiecto aliter affectio cum uoluntate, &c. aliter ad illam quæ est ex eliciente. Ad primam enim illarum affectio operatur principaliter, &c. uoluntas vt illius instrumentum, quia uoluntas licèt ex se ut ratio elicitiua substantiæ actus non tamen sub tali forma per se elicit ipsum, nisi in uirtute iustitiæ siue affectus

actus iusti secundùm tres modos iustitiæ iam dictos.

Ex vi autem defectiua contrariæ affectionis, scilicèt iniusti, siue iniustitiæ contrariæ iustitiæ primo modo quæ nihil aliud est, quàm propria defectibilitas liberi arbitrij, vel secundo modo, vel tertio, vt est habitus iniustitiæ, voluntas deficit in excessum vel in remissionem. Operatur autem liberum arbitrium in virtute dictarũ affectionum iusti, vel iniusti in eliciendo actum volitionis sub forma ex ratione obiecti sicut instrumentum illarum, quemadmodum calor qui ex se, & ex propria virtute operatur ad eliciendum solùmmodò actum calefactionis vt instrumentum, agit in virtute alterius ad eliciendum actum calefactionis per formam determinatam ab illo in cuius virtute informatur in eliciendo, sicut enim calor in virtute propria, vt scilicèt est calor simpliciter, non agit nisi vt ratio elicitiua actus calefactionis simpliciter, sic nec voluntas, vt scilicet est voluntas simpliciter, non agit nisi vt ratio elicitiua actus volendi simpliciter. Et sicut calor agens vt ratio elicitiua calefactionis ex se cum est informatus virtute aliqua naturali, & proportionali alicui formæ substantiali generandæ ex materia calefactibili in virtute illius agit eliciendo sub determinata forma, & modo actum calefactionis scilicèt secundùm quam est actus ille dispositiuus materiæ, vt de ipsa forma substantialis dicta generetur, puta de agendo, congregando, atque commiscendo humidum & siccum, & constare illa simul faciendo, consimiliter voluntas agens, vt ratio elicitiua volitionis ex se cum est informata affectione aliqua in virtute illius agit actum volitionis sub determinata forma, & modo temperato, scilicèt secundum exigentiam, & congruentiam finis, per hoc quòd illa affectio, puta iusti, est temperamentum quoddam in voluntate, vt actus elicitus à voluntate sub temperamento quodam ab ipso sicut à ratione elicitiua eliciatur.

Quod planè explicat Anselm. quando loquitur de voluntate commodi in volendo beatitudinẽ, & de voluntate iusti in volendo beatitudinem iustè id est sicut iustum, & congruum est hominem velle illã, dicens sic de casu diaboli. cap. 14. Quoniam nec potest nec debet esse beatus, nisi velit, & iustè velit esse beatus, necesse est vt sic faciat Deus vtranque voluntatem in illo conuenire, vt & beatus velit esse & iustè velit quatenus addita iustitia voluntati sic temperet volũtatem beatitudinis, vt resecet voluntatis excessum, & excedendi non amputet potestatem, vt tamen per hoc quòd volet simpliciter esse beatus modũ possit excedere, per hoc verò, quòd iustè volet non velit excedere.

Ecce planè, quòd affectio iusti non est in voluntate vt ratio elicitiua vel coelicitiua actus volendi, sed solum vt temperatiua voluntatis, quatenus voluntas eliciens actum volitionis vt elicitiua vel potius in virtute illius agat vt temperatè & modo congruenti illum eliciat resecando per hoc excessum cum possit excedere, & consimiliter (licèt Anselm. non dicat) resecando seu potius supplendo defectum cum possit deficere. Et ratione huius temperamenti, quòd agit voluntas in virtute affectionis circa actum quem elicit, dicitur etiam affectio ipsa actum elicere, vt ratio elicitiua eius, licèt nequaquàm sit ratio elicitiua eius quo ad substantiam actus, & secundùm hoc dicit Anselm. in fine de concord. quòd non inconuenienter dicitur quòd voluntas vult, & quòd affectiõ vult, quamuis impropriè hoc dicatur nihil enim propriè vult, nisi habens voluntatem.

Minus etiam impropriè dicitur voluntas velle quàm affectio, eo quòd in ipsa affectione non est actio volitionis sicut est in voluntate, sed hoc non secundùm rationem illam qua est elicitiua, immò solùmmodò secundùm rationem illam qua de ipsa habet elici, & est eius receptiua, vt secundùm hoc minus propriè dicatur voluntas velle secundùm rationem illam qua elicit actum volitionis quàm secundùm illam qua ipsum recipit.

Et propter idem etiam habens voluntatem magis propriè dicitur velle voluntate quam affectione, & similiter magis propriè dicitur uelle uoluntate secundùm rationem qua recipit in se actum volitionis quàm secundum rationem illam qua eum elicit, & hoc loquendo de prædicatione formali, forma enim qua volens vult non est nisi ipsa volitio. Loquendo autem de prædicatione effectiua sic considerando substantiam actionis volens solùmmodò dicendus est velle voluntate, vt est ratio elicitiua, neqnaquàm vt est ratio receptiua, similiter nec ipsa affectio, eo quòd non est ratio elicitiua vt dictum est.

Considerando autem formam, & modum actionis elicitæ, sic secundum formam quæ est ex parte obiecti magis propriè dicitur volens velle affectione quàm voluntate. Et similiter affectio prędicatione effectiua magis propriè dicitur velle quàm ipsa voluntas, eò quòd forma illa actus magis & principalius procedit ex affectione quàm ex uoluntate.

Vnde aspiciendo ad talem formam actus dicit August. quòd charitas se habet ad liberum arbitrium ut sessor ad equum, charitas enim quasi frenò retrahit liberum arbitrium ne excedat in actum eliciendo, & quasi calcaribus urget liberum arbitrium, & stimulat ne deficiat, aut remissè agat sed vt agat ad finem adipiscendum, sicut conuenit & congruit quemadmodum equus currit sicut conuenit, &

congruit quando decenter, & pacificè ambulat, &c. propter hoc omnia opera meritoria potius attribuuntur charitati, quàm libero arbitrio, & in agendo, &c. in eliciendo & quibuscunque alijs modis. Sicut autem voluntas in virtute affectionis agit, sic calor in virtute alicuius formę substantialis secundum iam dictum modum, &c. è contra quemadmodum calor agens ex se vt ratio elicitiua calefactionis cum est informatus aliqua virtute naturali defectiua ab esse alicuius formæ substantialis, in virtute illius agit sub contraria forma & modo, vt calor putrefactus in materia cuius naturalis dispositio secundum formam substantialem corrupta est, non agit nisi vt ratio elicitiua calefactionis, secundum quam quòd putresit habet deuenire ad completam puluerizationem. scilicet disgregando, &c. dissipando per huiusmodi exhalationem ea quæ prius in mixto constabant congregata per generationem, consimiliter &c. voluntas agens vt ratio elicitiua actus ex se cum est informata affectione aliqua defectiua in vi illius agit actum volitionis excessiuè vel remissè, &c. per hoc affectio iniusti est intemperamentum quoddam in voluntate vt actus electus à voluntate absque medio & temperamento elicitur.

Sic ergò patet quo voluntas in eliciendo actũ volitionis sub forma accepta in actu ex ratione obiecti operatur sicut instrumẽtum affectionum iusti vel iniusti, in eliciendo autem actum sub forma accepta ab eliciente, nequaquàm opera voluntatis inducendo talem formam in ipso actu fit instrumentum affectionum, sed potius è conuerso affectiones agunt ad illam formam, vt instrumenta voluntatis, &c. liberi arb. Sicut enim forma actionis ex obiecto consistit in modo medio temperato quo congruit velle finem, & niti ad ipsum, sicut &c. forma cursus equi est decens ambulatio, qua proportionaliter passibus pedum anteriorum illos passus passibus pedum posteriorum transgreditur, sic etiam forma actionis ex elicitate consistit in motu intenso vel remisso volendi, & actione voluntatis intensa vel remissa in tendendo in finem prædicta forma supposita, &c. hoc quemadmodum est forma cursus equi, cum est velox vel tardus salua proportione formæ præcedentis in ambulando.

E dico hanc formam prouenire ex parte elicientis actum, quia modum hunc non imprimit in agendo in virtute affectionis sed propria supposita affectione, &c. forma præcedẽte circa actum. Sed sub tali forma ex parte elicientis actum accepta potest ab eliciente actus causari dupliciter. Vno modo stimulante ipsa affectione ipsam voluntatem ad intensè vel remissè eliciendum actum, &c. tunc adhuc affectio est principale in actu quo ad hanc formam inducendam, &c. voluntas instrumentum, quanquam voluntas inducat illam propria virtute, licèt stimulata virtute alterius non autem in virtute alterius. Alio modo non stimulante ipsa affectione sed voluntate seipsam stimulante, & tunc voluntas est principale, &c. affectio instrumentum quia assumit ipsam in vsum, &c. facultatem suam ad expeditè, & efficaciter siue intensè exequendum actionem suam, & hoc quemadmodum si equus sanitatem habens in membris vtatur illa ad velociter currendum, ipsa esset instrumentum equi respectu velocitatis in cursu.

Et sic affectio, quæ inquantùm est instrumentum voluntatis, charitas est, est quædam sanitas voluntatis, inquantùm verò stimulat ad motus intentionem salua eius temperantia adhuc habet rationem sessoris, & principalis agentis, & voluntas instrumenti, quemadmodum si equus agitatus furia currat, velociter ipsa furia quasi sessor est equi, & equus ipse instrumentum. Propter quod dico, quòd in his dictis, & in alijs consimilibus oportet Anselm. exponere per seipsum, sed requirit diligentem lectorem.

Ad intellectum igitur talium dictorum Anselm. sciendum est, quòd duplex est volitio, quædam qua quis vult commodum simpliciter, alia qua vult iustum, de quibus procedit determinatio Anselm. cum dicit, quòd voluntas nihil vult nisi suis affectionibus, vnde omnes affectiones quibus aliquid vult voluntas reducit ad affectionem commodi & iusti, quas vocat aptitudines siue habilitates quasdam ad eliciendum actus voluntatis.

Quod & declarat per simile in viribus sensitiuis vbi dicit ibidem capit. 11. Sicut habemus in corpore membra, &c. quinque sensus singula ad suos vsus apta quibus tanquam instrumentis vtimur, vt sunt manus aptæ ad capiendum, pedes ad ambulandum, lingua ad loquendum, visus ad videndum, ita & anima habet in se quasdam vires, quibus vtitur velut instrumentis ad vsus congruos. Est nanque ratio in anima qua sicut suo instrumento vtitur ad ratiocinandum, & voluntas qua vtitur ad volendum. Quoniam ergo singula instrumenta habent, & hoc quod sunt, &c. aptitudines suas, discernimus in voluntate instrumentum & aptitudinem, quas aptitudines in voluntate possumus nominare affectiones, & infra 12 capit Nam sicut uisus plures habet aptitudines, scilicet ad videndum lucem, & per lucem ad videndum figuras, & ad videndum colores, ita instrumentum volendi duas habet aptitudines quas voco affectiones, quarum vna est ad volendum commoditatem, altera ad volendum rectitudinem.

Nempe nihil vult voluntas quæ est instrumẽtum &cet. vt supra in quæstione quid est per se &c. primò obiectum voluntatis, & infra capit. eodem. Velle autem æquiuocum est, sicut

videre,

videre, quemadmodum nanque dicitur videre qui vtitur visu, & qui non vtitur, sed habet aptitudinem videndi; ita asseritur velle, & qui vtitur instrumento volendi, &c. qui non vtitur, quoniam affectionem hoc est aptitudinem habet volendi, &c. cap. 13. Ex his duabus affectionibus descendit omne meritum hominis, siue bonum, siue malum, quę in hoc differunt, quia illa quæ est ad volendum commodum inseparabilis est.

Affectio cõmodi triplex.

Illa verò quæ est ad volendum rectitudinem seperabilis. His prælibatis sciendum, quòd triplex est affectio commodi, prima à Deo per gratiam, secunda per actus nostros impressa, tertia à Deo naturaliter naturæ indita. Prima affectio charitas est inquantum ipsa diligimus Deũ, vt ipse est finis omnium, &c. omnia alia inquantùm ordinantur in ipsum, vt ea quæ sunt ad finem, &c. ipsa est affectio commodi, inquantum sub generali nomine commodi continentur &c. bonum quod est finis, & bona quæ sunt ad finem, secundùm quod supra est declaratum. Secunda affectio est amor qui est passio concepta de rebus nobis placentibus, &c. cum est vehemens dicitur zelus, qui cum bonus, est & temperatus, atque licitus dicitur amor amicitiæ, cum verò est malus intemperatus, & illicitus dicitur amor concupiscentiæ siue cupiditatis, dicente Anselm. de concord. capit. 13. Voluntas illa quæ est ad volendum commodum nó semper est mala, sed quando consentit carni concupiscenti aduersus spiritum.

Tertia affectio est amor naturaliter inditus voluntati ad bonum, &c. ita nihil est additum super essentiam animæ ad volitiuam potentiam, quod re differat ab alijs. Sed est solùmmodò quędam naturalis habilitas, &c. aptitudo ad volendum commodum statim cum offertur, quæ vt dicit Anselm. capit. 14. de concord non velle nequit, secundùm quam etiam omnia bonum appetunt, &c. ideò ista affectio est inseparabilis, &c. non solum in hominibus, sed etiam in brutis, dicente Anselm. de casu diaboli capitu. 13. Commodum non solum omnis rationalis natura, sed etiam omne quod sentire potest vult, & vitat incommodum.

Prima affectione pauci mouentur, quia in paucis est charitas secundum Philosophum, sed de istis non loquitur Anselm. &c. sunt seperabiles, licèt per secundam plurimi experiantur moueri. propter quod non est mirum si voluntas humana non dicatur moueri nisi suis affectionibus. Tertia est in omnibus hominibus etiam in brutis, & inanimatis, &c. de ista tertia affectione commodi loquitur solùmmodo Ansel. Propter id quod dictum est hic, quòd vnum & idem, scilicèt charitas potest accipi vt affectio commodi, &c. eadem potest accipi vt affectio iusti: Sciendum, quòd si ponatur charitas vt affectio commodi, & etiam vt affectio iusti, hoc est inquantùm iustum est commodum. Vnde alia & alia ratione est affectio commodi & iusti, est enim affectio iusti inquantùm illud est secundùm se bonum & eligibile, est autem affectio commodi inquantum illud iustum est bonum, & conueniens volenti.

Affectio in triplex.

De affectione autem, quam iustitiam siue rectitudinem vocant, similiter sciendum, quòd triplex est, quædam gratuita, quæ non habetur nisi à Deo ex gratia, quædam politica, siue moralis, quæ non habetur nisi exercitio operis, quædam verò naturalis quæ est naturæ indita, quarum prima &c. secunda sunt habitus quidam in voluntate, & omninò seperabiles, & differunt re à voluntate in qua sunt. Et de prima istarum solùmmodò loquitur Anselm. secundùm quòd de voluntate, & de iustitia loquens dicit vbi supra capit 4 Velle iam nequit nisi habens, habere illam nullatenus potest nisi per gratiam. De tertia loquitur Philosophus. Et est iustitia generalis comprehendens sub se omnes habitus virtutum moralium, quia non potest facere opera habitu iusta nisi habens iustitiam, sic neque fortia nisi habens fortitudinem, nec temperata nisi habens temperantiam.

Tertia non est habitus, sed naturalis quædam aptitudo in libero arbitrio, & habilitas ad eliciendum quæ recta, &c. iusta sunt, & est inseparabilis, & re idem cum voluntate, sicut aptitudo visus ad videndum cum visu, &c. aptitudo intellectus ad intelligendum cum intellectu, sed ista habilitas multum reprimitur per habitus uitiosos, manet tamen in re naturaliter remurmurans malo, & in damnatis, & pertinet ad synteresim. Et de qualibet dictarum trium iustitiarum uerè potest dici, quòd non potest rectitudinem uelle siue iustitiam, nisi habens eam. Ad cuius intellectum sciendum est, quòd tribus modis uult aliquis rectitudinem siue iustitiam. Primò modo minus diligendo eam, quàm ut iustus esse ualeat, & diligendo eam ipse sibi acquirat, & per hunc modum iniustus carens habitu iustitiæ primo & secundo modo, per iustitiam tertio modo potest diligere in alio iustitiam primo & secundo modo, secundum quod dicit August. 14. de Trinit. capit 3.

Secundo modo uult aliquis rectitudinem id est iustitiam, & primo uel secundo modo, intantùm diligendo eam ut per hoc iustus esse ualeat, dicente August. 1. de libero arbitrio capitu. 17. Volũtatem bonam si bona uoluntate diligimus, consequenter illæ uirtutes animum nostrum incolent, quas habere est honestè uiuere, & rectè. Quod uerum est de uirtutibus politicis diligendo eam rectitudinem uoluntatis tertio modo, sed non de uirtutibus gratuitis nisi diuina gratia

assistente, secundùm quòd illud dictum suum exponit in lib. Retract. Tertio modo vult aliquis rectitudinem, siue iustitiam, siue primo, siue secundo modo, tantùm diligendo eam vt secundũ eam operari non cesset, & sic non nisi iustus politicè potest velle iustitiam, seu diligere generalẽ iustitiam politicam, nec non nisi iustus gratuitò potest velle siue diligere iustitiam generalem gratuitam, tales enim actus volendi & diligendi sunt actus perfecti volendi iustitiam, qui non procedunt nisi ex habitu. Actus autem volendi & diligendi iustitiam primo modo sunt actus imperfecti non ex habitu, sed primi in politicis sunt dispositiui ad habitum imperfectè, &c. à remotis, secundi verò sunt inductiui habitus sub esse incompletissimo, qui augetur ex actibus eliciris ex ipso habitu, consimilibus illis ex quibus primo est generatus. Vt patet per doctrinam Philosophi secundo Ethicorum. Sic ergò patet, quòd ponendo voluntatem moueri suis affectionibus ad euadendum dictum argumentum, incurritur inconueniens maius, &c. quod plus est nec ipsi per dicta sua euadere possunt difficultatem conclusam in argumento, quòd voluntas ex se habeat, quòd determinet se ac per hoc moueat se in actum volendi, nec hoc habeat ab affectione aliqua, licèt non determinet se seu moueat ad actum volendi sine affectione, vt dicunt, seipsa ergò vadit de potentia ad actum, &c. secundùm idem re est mouens, & motum primo & per se.

Ad formã tertij arg. principalis

Quòd ergò dicitur in argumento idem inconueniens &c. dico, quòd cum dicitur aliquid moueri a seipso primo secundùm totum quatuor notantur, ex quibus vel ex aliquo illorum illud habet, quòd sit inconueniens. Quorum primum est ipsum moueri, quòd ponit nunc se habere aliter quàm prius, quod necessariò cooperatur ad hoc, quòd illud sit inconueniens, quia si poneretur aliquid moueri à seipso primo secundùm totum absque eo, quòd aliter se habeat nunc quàm prius, non esset inconueniens ponere, hoc enim modo Deus à seipso secundùm totum mouetur motu intellectionis, &c. volitionis excluſa sola ratione aliter se habendi nunc quàm prius à signatione motus. Secundum est quod dicitur à seipso, quod similiter necessariò cooperatur ad dictum inconueniens, quia si ab alio ponatur aliquid moueri primo secundùm totum, nullum omninò est inconueniens, puta cum lapis proijcitur sursum.

Tertium est quod dicitur primo, in quo intelligitur per se, quod similiter necessariò cooperatur ad idem, quia si ponatur aliquid moueri à seipso secundariò, & per accidens, nullum omninò est inconueniens, puta quando nauta existens in naui mouet nauem quæ primo mouetur ab alio vt a nauta, ipse secundariò, & per accidens mouetur secundum totum à seipso quia per motum nauis. Quartum est secundum totum, quod similiter necessariò cooperatur, quia nullum omninò est inconueniens aliquod compositum moueri à seipso primo secundum vnam partem sui, & mouere secundum aliam, & hoc siue sit pars compositi, quod est vnum per accidens sicut grauitas in graui, qua grauè mouet se largè sumendo motum, extendendo nomen motus ad mutationem, quod non refert ad propositum, quia & propriè moueri, & similiter mutari, ambo includunt nunc aliter se habere quàm prius, siue sit pars compositi, quòd est vnum per accidens, & hoc siue fuerit integrans quantitatem, quemadmodum dicimus, quòd animal mouetur à seipso primo secundum dextrum mouens, & secũdum siniſtrũ motum, siue integrans essentiam, quemadmodum dicimus, quòd animal mouetur à seipso primo secundum animam mouentem, & secundum corpus motum, & in solo isto quarto est ratio inconuenientis in proposito si sit inconueniens, eò quòd voluntatem moueri, & se habere aliter nunc quàm prius nullum est inconueniens. Hoc enim in solo Deo est inconueniens, similiter quòd ponatur mouesi à seipsa, & primo & secundum totum.

Si tamen esset sufficienter in ea aliquid quo perse moueret, & aliquid quo perse moueretur, nullum omninò esset inconueniens sicut nec, q grauè moueretur à seipso primo. Sed talia duo, vt dicit argumentum, non inueniuntur in voluntate, quia non sunt in ea diuersa, nisi secundùm rationem tantùm, quorum diuersitas non sufficit sic enim moueri à se primo secundùm vnam rationem, & mouere secundùm alteram esset moueri à se primo secundum totum, quia illud secundùm dictas rationes est idipsum, & totum quod eius est, & sic vt videtur nequaquam sufficit ad seipsum mouendum alia, & alia ratio in illo, quia mouens inquantùm mouens est in actu secundùm illud ad quod motum est in potentia, & impossibile est, quòd idem re licèt habeat diuersas rationes in actu, & in potentia idẽ & secundùm idem, & duo diuersa ratione, sint in voluntate, & tali diuersitate quæ sufficit vt secundùm vnum illorum sit mouens, & secundùm aliud motum, & non à se primo secundum totum, & quòd secundùm vnum illorum potest esse in actu ad quod est in potentia secundum aliud. Ad quorum intellectum distinguendum est aliquid ex parte diuersitatis secundùm rationem, & aliquid ex parte actus.

Est siquidem diuersitas aliquorum secundum rationem triplex, est quædam illorum quæ sunt in ipsa re, & similiter eorum diuersitas atque pluralitas, & ambo ab intellectu sunt percepta in re, & per hoc sunt concepta in intellectu, & habent esse in intellectu, qualis est diuersitas in specie

generis,

generis & differentiæ, propter quod facit veram compositionem in illa. Alia verò est ipsorum quæ sunt in ipsa re, & ab intellectu percepta esse in re, & per hoc sunt concepta in intellectu, sed eorum diuersitas aut pluralitas non est in re ipsa nec ab intellectu percepta in re esse, sed ab ipso solo intellectu ex consideratione rei, & illorum in ipsa concepta est in intellectu, & habet esse in ipso solo, qualis est diuersitas in Deo veri, & boni & aliorum attributorum, vt tactum est supra in prima quæstione.

Tertia autem est illorum quæ non sunt in ipsa re nec ab intellectu percepta esse in re, similiter nec ipsorum diuersitas, sed ab ipso solo intellectu ex simplici consideratione ipsius rei sunt concepta & eorum diuersitas in intellectu, & in ipso solo habent esse, qualis est diuersitas & pluralitas definitionis & definiti, & similiter dextri & sinistri in columna.

Dico ergò, quòd diuersitas aliquorum secundùm rationem isto tertio modo non sufficit ad hoc, quòd aliquid secundùm diuersas rationes possit esse mobile, & motiuum & sic seipsum mouere. Sic enim mouere seipsum secundùm diuersas rationes esset mouere seipsum secũdùm totum primò vt procedit ratio, quia illa diuersitas non est in re, nec aliquid facit ad rationem mobilis vel motiui. Diuersitas autem secundùm rationem secundo modo sufficit in Deo ad hoc qđ seipsum verè dicatur mouere secundùm actum intelligendi, sed secundùm aliud, & aliud secundùm rationem in ipso, quia secundùm rationem veri mouet, secundùm rationem autem intellectus mouetur. Et sicut ista diuersitas secundùm rationem sufficit in Deo, vt verè possit dici mouere seipsum primò, licèt non secundùm totum, sed secundùm aliquid sui mouet, & secundùm aliquid mouetur, & hoc excludendo ibi à motu omnem rationem mutationis in aliter, & aliter se habendo, sicut dictum est, sic diuersitas secundùm rationem in voluntate humana, & Angelica sufficit ad hoc, quòd verè possit dici mouere seipsum primò, sed non secundùm se totum, sed secundùm aliud, & aliud quia voluntas tàm Angeli, quàm hominis vt est appetitus simpliciter, se habet ad seipsum vt est rationalis siue liber aut liberi arbitrij, sicut se habet genus ad differentiam.

Hæc enim duo nominat voluntas tanquàm species composita, sicut enim homo est animal rationale, sic voluntas est appetitus rationalis, in qua rationalitate includitur libertas eius respectu finis, & liberum arbitrium respectu eorum quæ sunt ad finem. Ideò vt dicit Damasc. libro 2. capit. 24. nec voluntas dicitur irrationabilium appetitus, voluntas enim est rationalis, & liberi arbitrij naturalis appetitus, & infra capit. 29. Ideòque appetens si velit potestatem habet refrenare appetitum vel sequi eum. Quod intelligo non de appetitu sensitiuo tantùm, sed de illo qui includitur in voluntate, de quo dicit in dicto capit. 29. Ducit magis rationalis apperitus, libro arbitrio enim appetit, & istum motum quem facit voluntas quæ est appetitus rationalis eo quo rationalis est vt vna parte eius in appetitu, inquãtum est appetitus simplex, vt in subiecto receptibili, & passio vt in alia parte eius, potest retrahere cessando amouere, vel per ipsum continuare, qđ est refrenare appetitum vel sequi ipsum. Vt secundùm hoc iuxta imaginationem Anselm. 1 pe rius tactam imaginemur animam rationalem vel Angelum primò factam in nuda substantia, quæ ex illa esset in sola potentia essentiali ad actũ volendi, secundò factam in ipsa apperitum simpliciter, per quem esset in potentia accidentali ad recipiendum in se actum intelligendi si esset agens illum, tertiò libertatem, per quam est in potentia accidentali ad eliciendum actum volendi, & quartò ipsi datam esse affectionem naturalis habilitatis ad volendum commoda simpliciter, quæ vt dictum est secundùm Anselm. non velle nequit &, secundùm quod dicit Boetius, mentibus hominum naturaliter inserta est summa verique boni cupiditas. Anselm autem dicit. Secundùm omnium sensum in beatitudine est sufficientia competentium commodorum siue omnium indulgentia, & quòd quintò ipsi data esset affectio naturalis aptitudinis ad volendum iustè commoda, quæ vt sic appetuntur, non sunt nisi conuenientia & competentia, sed hoc non solum, sed cum potestate ipsa non volendi iustè, deserendo regulam naturalis iustitiæ, & ibi status, quia non superadduntur nisi habitus, & passiones, & influentiæ si sint separabiles.

Ex parte autem actus quãdo dicitur quòd mouens vel id quod mouet debet esse in actu respectu eius quod mouetur, vel quo mouetur, dico quòd agens semper est tale in actu quale est mobile in potentia scilicet actione vel virtute. Actione puta quando calidum agit in frigidum quod est potentia calidum, & idem est color secundùm speciem in agente qui postmodum fit in passo, & hoc generale est in omnibus generantibus, & producentibus aliquid vniuocè, nam per enim simile procedit à simili in specie sed talem similitudinem, vt dicit Philosophus 7. Metaphysicæ, non oportet vbique requirere vt equus ex equa, & Asino generatur mulus, est enim virtus illorum commixta in semine quasi mulus, quia licet mulus non sit mulus actione, est tamen mulus virtute, quemadmodum sol calefaciens est calidus virtute, & quemadmodum grauè virtute est deorsum, propter quòd mouet se deorsum amoto impedimento. Consimiliter dico in proposito, quòd sicut lapis à generante habet formam grauis qua descendit deorsum si non impediatur

diatur, vt quantum recipit de forma grauis, tantum & de motu, & de descensu: ita quòd in illo instanti, in quo perfectè generata est forma grauis, est perfectè mutatum deorsum, &c. si existente impedimento generetur, sursum est, vt potentia accidentali, vt statim amoto impedimento descendat, propter quod grauia, &c. leuia dicuntur in octauo Physicorum moueri à generantibus ipsa, &c. hoc quia dant formam, qua mouentur: habita tamen illa forma ipsa mouent seipsa per se primò, sed non secundùm totum, vt dictum est: Sic appetitus humanus non organicus si simpliciter consideretur, habet à causante formam liberi arbitrij, qua vult secundùm actum, aut liberè potest velle amoto impedimento, quod est absentia obiecti, &c. ipso facto præsente in intellectu per cognitionem, tunc liberè vult, si illud sit finis simpliciter, vel potest libero arbitrio velle si sit ad finem; &c. quantum recipit homo de forma libertatis, tantum de potestate ad eliciendum actum volitionis. Propter quod volentes possunt dici moueri à Deo in omni actu volendi, dicente Anselm. Ille verius dicitur facere omne, quod facit natura &c. vt supra.

Postquàm tamen homo habet à Deo sibi datam huiusmodi formam, potest moueri secundùm ipsam cessante impedimento absque eo, q̃ ab alio moueatur, &c. sic à seipso mouetur primò, licèt non secundùm totum, &c. hoc quemadmodum si sol esset virtute calidus, &c. caloris generatiuus, quasi aliqua potentia eius actiua in eo, quod est formale in ipso existente, & cum hoc esset susceptiuus calefactionis veræ, &c. formaliter natus esset recipere in se calorem verum ipsemet semetipsum calefaceret cum cessaret impedimentum, &c. hoc maximè in re spirituali non corporali, de qua principaliter procedunt rationes Aristot. quod omne quod mouetur ab alio mouetur, quas inducit. j. de anima. &c. vj. vij. & viij. Physicorum, secundùm quod illas soluit Macrobius vt aliàs recitaui, & maximè de motu qui non est verè motus successiuus, nec mutatio transiens, quæ sunt actus imperfecti, secundùm quod imperfectum est, sed operatio simplex tota simul existens, &c. permanens secundùm libitum agentis, quæ est actus perfecti, secundùm quod perfectum est.

In vno enim motu, aut mutatione aliquando mouens & motum &c. rationes motiuæ, &c. mobiles sunt diuersæ, atque separatæ re subiecto, & loco, vt quando ignis combusit ligna, & vniuersaliter quando mouens, &c. mobile sunt diuersa tota separata.

Aliquando verò sunt diuersę, & separatæ re, subiecto, &c. situ, licèt non loco, vt quando in animali bruto dextrum mouet sinistrum, & vniuersaliter quando mouens, & mobile sunt partes vnius, ita quòd vna pars sit omninò alia ab altera, & nihil eius, quod est in vna parte sit in altera. Aliquando verò non differunt loco, nec subiecto, nec situ, sed re tantùm, vt patet in motu grauis. Aliquando verò non differunt loco, nec subiecto, nec re, sed tantùm situ, vt quando in homine, in quo vna anima est vna anima simpliciter in qualibet parte tota, ipsa vt est in parte dextra mouet sinistram, & sic secundùm gradus semper minor est distinctio mouentis, siue eius, quo mouens mouet, &c. moti, siue eius, quo mouetur.

Quare non est mirum si in anima separata ab organo, secundùm actionem adhuc minus distinguatur, vt in voluntate mouens, siue ratio mouẽdi, & motum, siue ratio mobilis. Si enim altius ascẽdatur adhuc minus, vt in Deo non est exitus de potentia in actum, & adhuc differunt agens, & recipiens, sicut dictum est.

Ad illud, quod arguitur vltimo, quòd voluntas, vt est libera, vel liberi arbitrij ex se est in potentia ad actum, quare non exit in ipsum, nisi per aliud, dico, quòd si loquamur de potentia passiua, & receptiua actus volitionis voluntas ipsa, vt est libera, siue liberi arbitrij, siue ratione partis eius, quæ est liberalitas, vel libertas arbitrij non est in potentia ad actum volendi, sed solùmmodò, vt est appetitus simpliciter secundum prędicta. *Ad quartum principale.*

Si verò loquamur de potentia actiua: dicẽ, q̃ quantùm est ex se, aut semper est in suo actu, aut saltem in potentia accidentali ad illum, & transit in ipsum amoto prohibente, vel adiecto necessariò, absque tamen omni impressione facta in illam, vt à mobili in cognitione, quod vt cognitum metaphoricè mouet, sicut res verò, est terminus motus, sicut dictum est, quemadmodum Sol est in potentia accidentali ad illuminandum quando medium non est præsens, ita quòd ipso præsente, absque sui mutatione statim illuminat, & sicut est de illuminatione Solis in alio, ita est suo modo de actu volitionis in voluntate ipsa, secundùm aliam &c. aliam rationem.

Comment. in Quæstionem Vndecimam, quæ est,

Vtrum ad eliciendum actum volitionis sufficiat sola obiecti ostensio, an cum hoc requiratur aliqua influentia, vel affectio.

IN titulo not. q influentia, vel affectio hoc loco intelligitur prouenies ab obiecto, vt idcirco quæritur vtrum quando obiectum voluntatis, quod est bonum, vt visum est supra, offertur voluntati, vt moueat, causet aliquam affectionem in voluntate, qua necessariò agit circa illud obiectum. De influentia enim Dei non est sermo. Notum siquidem est, q potest Deus agere in voluntatem hominis, & hoc etiam ex D. Gregorio, & Anselmo.

In corpore habita distinctione, & subdistinctione tribus conclusionibus satisfit quæsito; quæ omnia placet ad hanc formam redigere.

Ad eliciendum actum aliquem aliquid requiritur vel

Tanquam causa sine qua non

Tanquam causa propter quam sic, & tunc vel

Ad eliciendum simpliciter

Ad eliciendum prompte, atque faciliter.

Prima conclusio. Necessariò requiritur obiecti ostensio.

Secunda conclusio. Præter obiecti ostensionem non requiritur nisi libertas arb.

Tertia conclusio. Exigitur aliqua affectio, vel ab obiecto, vel ab habitu.

Prima conclusio patet, & non quòd sufficiat, sed quòd necessariò requiritur. Quippè notandum est, quòd omnis causa propter quam sic, est etiam causa sine qua non; non tamen è contra. vnde si libertas arbitrij est causa propter quam sic, erit etiam sine qua non. Videtur tamen quòd inter causas sine quibus non, hæc sola simpliciter sit, quæ taliter sit sine qua non, vt nullo modo sit propter quam sic. Et sic intelligitur conclusio, quòd sufficiat etiam sola obiecti ostensio.

Secunda conclusio probatur, si præter obiecti ostensionem, tanquam causam sine qua non, & liberi arbitrij voluntatem, exigitur alia causa, propter quam sic, vt affectio, sequitur, quòd voluntas non sit liberi arbitrij. consequens est falsum, igitur & antecedens, consequentia patet, quia affectio mouet necessariò, & determinat ad vnum, sed quod est determinatè ad vnum non est liberum, igitur &c. Falsitas consequentis patet ex Anselmo. Imò dicere possumus cum patribus omnibus, & scriptura.

Secundò, si requiritur affectio tanquam causa, propter quam sic, necesse est, quòd voluntas velit illud, ad quod est affecta. Patet consequentia ex Anselmo, sed tamen hoc falsum, ergo & antecedens. Falsitas probatur, quia si necesse &c. velim, intelligitur sic, quòd si velit aliquid, necesse est, quòd velit illud, ad quod est affecta, vel quòd nihil velle potest, ad quod non est affecta: si primum, tunc aut potest illud nolle, & contrarium velle, aut non potest: si primum; ergo affectio non est causa, propter quam sic: si secundum, ergo non est liberi arbitrij: si secundum principale, id ipsum colligitur: si enim non potest contrarium, & hoc respuere, igitur non est libera: si potest, igitur affectio non est causa propter quam sic.

Not. quòd causa propter quam sic, est causa per se, ex qua necessariò sequitur affectus: causa enim quam non necessariò sequitur effectus, est causa per accidens. Nunc autem sermo est de causa per se, atque necessaria.

Not. quòd inter arguendum hoc secundo modo obiectioni, nè dum tacitæ respondet, sed expressè in superioribus quol. 12 quæst. 26 & 27. & est quòd potest illud nolle, ad quod affectata est, licèt non statim: liberum enim arbitrium manet, qui ad exercitium actus, quo potest præcipere intellectui, vt deliberet, sed hoc esse vanum, & insufficiens ex superioribus dicit, quippè sequeretur q voluntas dependeret ab intellectu, & actuaretur ab ipso, quod quomodo verum, aut falsum sit visum est supra loco citato: Et sequeretur idem, quod prius, voluntatem non esse liberam in quolibet instanti.

Not. tamen, q non obstant primi motus, qui communiter dicuntur non esse in nostra potestate, quia semper intelligitur dum est voluntas in termino deliberandi, quòd videlicèt à nullo prorsus externo necessitatur, vel cogitur.

Tertia conclusio patet. Habitus enim, vt de illis loquamur, reddunt potentias habiles ad promptè eliciendum actus suos ex Philosopho. Patet etiam à simili, de virtutibus moralibus, ad quas promptè & expeditè exercendas requiritur aliquid aliud.

In responsione ad secundum, in qua ita prolixè procedit Auctor, collige breuiter, & dicito ad maiorem. Quòd nihil indeterminatum exit in actum nisi per aliquam determinationem. Adde vel intrinsecam, vel extrinsecam. Et per intrinsecam determinationem intellige vim, qua aliquid potest se determinare, per extrinsecum intellige vim, qua aliquid ab alio determinatur. Adde quòd voluntas habet determinationem intrinsecam, scilicèt vim, qua potest se determinare, & ideo nihil aliud exigit præter suam libertatem ad causandum necessariò actum.

Not. quòd re vera materia prima est fundamentum omnium illorum, quæ ab intrinseco agente determinantur. Ipsa enim cum sit prorsus indeterminata eget extrinseco determinante. Et hoc quoniam nullam potentiam activam habet respectiuam super se: contra verò voluntas habet huiusmodi potentiam, vnde vult, & vult se velle, ac voluisse, immò & vult ex se nolle, & noluisse.

In responsione ad tertium, in qua prolixius se gerit Auctor, collige pluta ad hoc. Quòd, vt dictum est, in quæstio. 1 non Quolib. in voluntatis motu, quo ipsa mouetur, est distinctio mouentis, & moti, & si non realis, saltem rationis. vnde cum dicitur, quòd idem esset in actu, & in potentia, quòd est etiam dicere mouens, & motum, dicitur, q esse idem actu & potentia intelligitur vel realiter simul, & ratione, vel realiter idem, & non ratione. Nunc autem conceditur quòd voluntas non sit idem realiter, & ratione in actu, & potentia. Tamen est in actu, & in potentia idem realiter, sed non ratione. Hæc pauca diximus, nè prolixæ admodum orationi prolixiorem cum tædio lectoris addere videamur. Vide in 9. quolib. loco citato. & insta.

QVAESTIO DVODECIMA.

Vtrum beatitudo principalius perficiat essentiam animæ, quàm potentiam.

Arg. prim. [image_ref id="1" box="0.132,0.139,0.253,0.236" /> Primum quintum arguitur, q beatitudo principalius perficit essentiam animæ quàm potentiam, quia cum beatitudo sit summum bonum hominis, & perfectio, principaliter debet esse perfectio eius, qd est summum, & perfectius in ipso, quia secundum dignitatem, & æqualitatem arithmeticam procedit iustitia distributiua, vt scilicet magis digno magis de bono tribuatur alijs eisdem retentis, sed in anima perfectius, & dignius est substantia animæ respectu potentiæ, ergo &c.

In oppositũ Contra. Secundum Philosophum beatitudo est operatio quædam, sed operatio principalius perficit potentiam animæ quàm substantiam, ergo &c.

Responsio. Dico, quòd vt dicit Auicen. 6. Metaphysicæ, Bonum quod est finis, non est respectu essentiæ agentis, sed agentis secundùm quod est principium motus, & secundùm intentionem ipsius &c. Philosophorum bonum, quod est finis, & beatitudo hominis vel Angeli nullo modo respicit essentiam eorum, sed solùm modò potentiam mediante operatione. Sed hoc conuenit eis dicere, quia non viderunt veram beatitudinem nec verum humanum bonum vt dictum est in quæstione præcedente.

Quo omisso dico, quòd vera beatitudo humana sicut, & Angelica consistit non solùm in actu voluntatis & intellectus, in quibus non est nisi beatitudo creata ratione ipsorum actuum, sed principalius consistit in ipso obiecto, quod est ipsa beatitudo increata quæ Deus est, inquantùm est bonum voluntatis, in qua per actum beatitudinis voluntatis creatæ ipsa anima humana mediante voluntate se transformat vt conuertatur in illud prout possibile est secundùm naturã, & hoc vi amoris secundùm quem elicitur, vt ab habitu voluntatis ipsa volitio beata. Amor enim secundùm Dionys. est virtus transformatiua, & conuersiua amantis in amatum. Hic super illud cãpit. 7. cœlestis hierarchiæ, Calidum acutum, dicit Hugo. Significat impetum quendam amoris feruentis se ferentis in amatum, & intrantis, & penetrantis, vt vbi est ipsum, quod amatur ibi cum ipso, & in ipso sit, vt non solùm sit ab ipso calidum.

Intelligo ex eius spirituali cõtractu, per quem amplius inardescit, & feruentiori actu volitionis se in amatum mittit, vnde sequitur. Sed transeat in ipsum. Ibi. Si in dilectum non vadis adhuc foris amas, nec acutum dilectionis habes. Amor vnum te facere vult cum ipso, quoniam dilectio superemineat scientiæ, & maior est intelligentia, plus enim diligitur, quàm intelligitur, & intrat dilectio, & appropinquat vbi scientia foris est. Quomodo autem, & quare hoc sic intelligendũ, expositum est superius in quæstione quadam mota super hoc, sequitur. Semper amplius præsumit, & confidit, & ingerit se vt si fieri posset hoc idem ipsum sit quod ipse, & fit miro quodam modo vt cum per dilectionis ignem in illũ sustollitur qui est supra se, per vim amoris expelli incipiat, & exire etiam à se quasi despiciendo esse quod est, vnde præmittitur. Nam qui hoc solùm appetit quod amat etiam semetipsum despicit in illius comparatione quod amat.

Vt autem se exeat, & incipiat esse quod amat, fieri non potest nisi per circuminsessionem non animæ illabentis diuinitati, sed potius è conuerso diuinitatis illabentis in animam, vt in ea nihil appareat nisi diuinæ dispositiones, quemadmodum ferrum immissum igni candescit, & quasi ignis fit ardens & lucens, igne se profundante in ferrum, & interiora eius penetrante, & non è conuerso ferro se profundante in ignem, & interiora illius penetrante. Circuminsessio autem siue illapsus talis fit, potius in essentia animæ & per illam in potentijs, sicut gratia, & gloria quæ est gratia consummata, principaliter est in essentia animæ, & redundat in potentijs sub ratione habitus & virtutis, per talem enim circuminsessionem diuinitatis primò in substantia animæ ipsa anima illuminata luce increata lucet, & inflammata ardore charitatis ardet, & per hoc prout possibile est difformitatem, & similitudinem habet, vt quasi non sit nec appareat esse aliud quàm Deus, nec distinctum quid ab ipso. Sicut ferrum candens in igne lucet, & ardet vt ignis, quasi non sit nec appareat esse aliud quàm ignis, nec distinctum quid ab ipso.

Exemplũ notabile de anima cũ Deo vnita.

Et deinde per deriuationem etiam ipsa diuinitas illabitur potentijs animæ hoc est substantiæ animæ, vt habet rationem potentiæ, cui iam illapsa est vt est substantia simpliciter, ne intelligatur alius, & alius illapsus, sed illapsus vnius in vnum secundum rem, vt secundum diuersas rationes ad diuersas perfectiones ordinatur. Illabitur autem per deriuationem in potentia intellectiua, & ipsam purgando amplius illuminat, vt clarius videat, & similiter illabitur per deriuationem in potentia volitiua, & ipsam purgat, & purgando amplius inflammat vt ardẽtius diligat,

diligat, in quo perficitur, & completur beatitudo. Nec potest isto modo fieri circuminsessio in substantia animæ quin redundet in potentias; sicut nec circuminsessio humanæ naturæ, quin redundet in potentias, propter hoc enim dicit Damasc. de anima Christi. lib. 2. cap. 24. Etsi ignorantis futura naturæ erat, tamen secundum hypostasim vnita Deo omnium cognitionem habebat, non gratia, sed propter eam quæ est secundū hypostasim vnionem, super quo alias determinauimus quæstionem.

Et tanto magis illa circuminsessio quæ facta est in anima Christi secundum eius substantiam debet etiam redundare in potentias quanto intimior est, quàm alia quæcunque, vt etiam propter ea ipsa sola debeat dici circuminsessio, vt illa quæ est in omni creatura, propriè vocetur illapsus, & ista quæ est in beatis media, vocetur penetratio.

Conclusio. Dico igitur, quòd beatitudo principalius perficit essentiam animæ, quàm potentias, quia in illa principalius habetur Deus qui est finis & beatitudo, quàm in potentijs, quia illam perficit quodammodo per suam essentiam, potentias autem non nisi per illarum operationes terminatas ad ipsam essentiam sub ratione veri & boni, licèt ipsa perceptio huius perfectionis non competat essentiæ animæ nisi per potentias; vt per intellectum in ipsam cognoscendo, per voluntatem etiam ipsam degustando. dicente Hugo. super prædictum capit. 7. Duo sunt, cognitio & amor, alterum ad illuminationem pertinet, alterum ad refectionem. Cognitio illuminat: refectio satiat, in his beatitudo consistit cognoscere, & amare bonum. Gustate (inquit scriptura) & videte quoniam suauis est Dominus. In gustare dilectio, in videre cognitio est.

Per hæc patent obiecta. Primum enim procedit de beatitudine increata, secundum verò de beatitudine creata, & sic in æquiuoco, vt paret inspicienti. *Ad obiecta*

Comment. in Quæstionem Duodecimam, quæ est,

Vtrum beatitudo principalius perficiat essentiam animæ, quàm potentiam.

IN titulo, essentia animæ est eius substantia. Essentia enim rei est substantia ipsius. Potentiæ verò animæ sunt illæ, quæ capaces sunt beatitudinis, sunt autem intellectus, atque voluntas.

Not quòd duplex est beatitudo, alia creata, alia increata. Est autem quæstio de beatitudine increata, quia de creata notum est, quòd in operatione consistit secundum Philosophos. vnde non est dubium, quòd principalius perficit potentiam, secundùm quod ex Philosopho secundo loco arguitur.

Not. quòd loquendo de beatitudine increata, ipsa accipitur pro obiecto, quod Deus est, ita quòd quæritur quid nam principalius beatificando perficiat hoc obiectum in anima beatificabili, an substantiam, an potentias. vnde scito, quòd accipitur beatitudo obiectiua in qnæstione, non autem formalis. Et si de formali loquamur, dicendum erit, quòd primò perficiuntur potentiæ, & ad hanc spectabunt vltimæ conclusiones.

In corpore, prima conclusio est. Principalius beatitudo obiectiua perficit essentiam. Probatur. Illud principalius perficit, cui principalius vnitur vnione circuminsessionis, sed essentiæ animæ principalius vnitur tali vnione, igitur &c.

Patet maior. Minor probatur primò, quo ad suppositum, quod est animæ vnitu Deum vnione circuminsessionis.

Secundò probatur, quo ad essentiam.

De primò, Deus non vnitur animæ nisi per amorem, sed vnio amoris est vnio circuminsessionis, igitur &c.

Maior patet, Minor probatur ex Dionisio. Quòd amor transformat amantem in amatum: cum ergo Deus sit amans animam, transformat se in amatam, & è contrà.

Hoc autem esse non potest, nisi illabatur Deus ipsi animæ, illabi verò non potest nisi per circuminsessionem, igitur &c.

Not. de circuminsessione, q. ad ipsam requiruntur tria præcipua. Primum est. Quòd sit existentia vnius in alio. Secundum. Quòd circuminsedentia sint realiter distincta, ita quòd inter ea sit realis distinctio. Tertium, quòd sit in ipsis intima præsentialitas, & hæc potest esse cum identificatione substantiæ, vel non cum tali identificatione, sed cum lapsu, & penetratione per omnes substantiæ partes. Nunc autem omnes istæ conditiones sunt in vnione animæ cum Deo. Existit enim Deus in anima, & intimè penetrans eam, manet tamen distinctus realiter, & ab ipso anima beata,

Ita quod omnes conditiones istæ faciunt circuminsessionem. Excludit verò sola hæc, quòd non est identitas substantiæ, quia hæc conditio est tantùm in diuinis personis.

Ex his probatur ipsa propositio minor, quia illapsu huiusmodi non est nisi in substantia animæ principalius. Probatur, circuminsessio est præsentialitas, & intima penetratio substantiæ in substantia, igitur & vnio. Et sic patet etiam secundum.

Secunda conclusio. Beatitudo huiusmodi redundat in potentias, & consequenter ipsa circuminsessio. Probatur hæc conclusio ex Damasceno in litera.

Tertia conclusio. Perceptio beatitudinis non habetur nisi per potentias. colligitur probatio ex Hugone, quia cognitio intellectiua percipitur intellectu, & amore voluntatis.

Not. quod quicunque attribuunt potentijs beatitudinem accipiunt ipsam formaliter, non obiectiuè. Et secundnm formalem beatitudinem intelligitur præsertim vltima conclusio.

QVAESTIO XIII.

Vtrum aliquis adultus posset esse nec in statu salutis nec in statu damnationis.

SEQVVNTVR pertinentia consequenter ad coniunctum ex corpore & anima in hominibus, vbi quęrebantur tria pertinẽtia ad bonum spirituale, & duo pertinentia ad bonum corporale. Primum illorum trium erat pertinens ad finem hominis, & est. Vtrum aliquis adultus posset esse nec in statu salutis nec in statu damnationis.

Alia verò duo pertinebant ad illa quæ sunt ad finem. Quorum primum erat de voto castitatis, vtrum aliquod opus bonum sine voto possit esse melius quàm castitas sub voto. Secundum erat de ingressu religionis, vtrum ingressus religionem ex voto, & expertus quòd possit onera illius portare, teneatur profiteri. Duorum verò pertinentium ad bonum corporale, Primum specialiter pertinebat ad sacerdotes curatos, vtrũ sacerdos curatus posset aliquid accipere à Iudęis pro iure parochiæ in qua manent. Secundum pertinebat ad omnes existentes in statu perfectionis, vtrum maioris perfectionis sit viuere de labore manuum, an de Euangelio, an de mendicitate.

Arg. princ. Circa primum argũitur, quòd aliquis adultus non possit esse qui nec sit in statu salutis nec in statu damnationis, quia aut est in charitate, & est in statu salutis, aut non est in charitate, & sic est in statu damnationis, nec est medium inter illam affirmationem & negationem, quia sunt contradictionis extrema, cuius secundùm Philosophum non est medium, ergò &c.

In oppositũ Contra. Iudęus adultus statim baptizatus nec in statu damnationis est quia est in charitate, nec in statu salutis, quia nondum agonizauit, aut operatus est, & secundùm Philosophum 2. Ethicor. non optimi sed agonizantes coronabuntur, sed nullus est in statu salutis quin coronabitur si in illo discedat, ergò &cet.

Responsio. Dico breuiter, quòd quicunque non est regeneratus aqua baptismi vel aliquo virtutem eius habente non est in statu salutis, sed damnationis propter peccatum originale saltem, siue fuerit adultus siue non, licèt aliam damnationem expectet qui originali superaddit actuale, & ille qui non. Postquàm autem quis fuerit renatus non potest esse quin sit vel determinatè in statu salutis, vel determinatè in statu damnationis, prout processit primum argumentum, licèt ab illo statu possit quis resilire ad contrarium statum, vt non sit necesse vt finem status sui adipiscatur nisi perseueret in illo vsque in finem.

Ad arg. in oppos. Ad argumentum, quòd dictus iudęus non sit in statu salutis, quia nondum agonizauit. Dico, quòd licèt nondum agonizauerit in se, & per se, agonizauit tamen in Christo, & per ipsum vt in capite suo, & per illud cuius iam factus est membrum, qui non sibi per agoniam suam sed membris suis agonizauit, & hoc sufficit cum non supersit tps agonizandi in propria persona, sed cũ supersit, tunc oportet in propria persona non solũ agonizare, sed & legitime agonizare 2. Tim 2. Qui certat in agone non coronabitur nisi summe certauerit. Sed illam agoniam, & coronã quę pro ipsa expectatur non vidit Philosophus, nec de ipsis locutus est, sed solùm modò de agonia qua meretur corona gloriæ vitæ præsentis, quæ non redditur nisi in propria persona agonizantibus.

Comment. in Quæstionem XIII. quæ est,

Vtrum aliquis adultus posset esse nec in statu salutis nec in statu damnationis.

TITVLVS clarus. Not. tamen quòd per adultum, non accipitur adultus secundum Iurisconsultos, pro eo videlicet, qui compleuit annum vigesimumquintum, sed accipitur, qui habet rationis vsum, & qui cognoscit peccatum, quod commisit. Vnde Scotus in quarto sententiarum dist. 17. ait per adultum non tantum intelligo tantæ, vel tantæ ætatis, sed quòd habeat ætatem ad cognoscendum instum, vel iniustum contra legem Dei. Si quidem in multis ante ætatem consuetam malitia supplet ætatem, & bonitas quoque. Et hæc est etiam illius quæstionis resolutio, quæ quæritur quis nam sit annus discretionis, vt forte determinare illum iuxta quosdam ad octauum, vel alium huiusmodi, non sit valdè tutum: tutior autem sententia Scoti, quam sequitur etiam Richardus.

In corpore est conclusio negatiuè responsiua quæsito, quæ probatur per primum argumentum in fronte quæstionis. Cætera clara.

QVAESTIO XIIII.

Vtrum aliquod opus bonum sine voto possit esse melius, quàm castitas sub voto.

Arg princ. CIRCA secundum arguitur, ꝙ non possit esse melius opus bonum sine voto, quã castitas sub voto.

Primum. Primò specialiter, quòd sit melius, quàm opera pertinentia ad præcepta secundæ tabulæ, quia castitas sub voto est opus perfectum pertinens ad latriam, &c, sic ad primam tabulam in qua nulla cadit dispensatio, quæ cadit in omnib. præceptis secundæ tabulæ, & perfectius est vt videtur opus, in quo nulla cadit dispensatio, ergo &cæt.

Secundum Secundò arguitur idem generaliter de operibus quibuscũque, quia Eccles. 26. dicitur. Non est digna ponderatio animæ continentis, esset autem digna ponderatio si aliquod aliud opus posset esse melius illa: ergo &c.

In oppositũ Contra est Augus. de virginit. Nemo est vt puto qui ausus sit præponere castitatem martyrio, hoc autem non est, nisi quia melius opus est martyrium. ergo &c.

Responsio. Dico, quòd votum non mutat genus, aut speciem, aut substantiam operis cui annectitur, sed solùm modò apponit circunstantiam illi qua magis Deo gratum fit illud, &c, per hoc melius est vnum, & idem opus cum voto, quàm sine voto, alijs eisdem retentis, secundum quod declarat Anselm. in libro de similitudinibus in exemplo de duobus, quorum vnus fructus arboris suæ offert Deo liberaliter, & sine voto, alter verò etiam liberaliter, & cum voto. Veruntamen quia opus vt habitum est supra, non dicitur bonum nisi ex ordine ad finem, &c, hoc vel quia ordinatur ad meliorem finem, vel quia melius ordinatur ad eũdem finem finis autem ad quem ordinatur opus bonum, & melius non solùm ex genere, sed ex circunstantia, quale est opus castitatis cum voto, nõ est nisi beatitudo vitæ æternæ, propter hoc non ratione finis melioris, vnũ opus est melius alio, de quibus loquimur, sed si sit melius hoc procedit quia meliori modo aptum natum est ordinari de se in finem, qui modus ex charitate procedit secundum quam mouetur operans ad opus inchoandum, &c, ad ipsum exequendum vsque in finem.

Vnde virtus cuius opus non est bonum bonitate moris nisi ex ordine in finem à voluntate, vt habitum est supra, &c, secundum Augusti. de moribus ecclesiæ, non est nisi amoris modus, vnde dicit. Si virtus ad beatitudinem nos dicit, nihil omninò virtutem esse affirmaueris, nisi summum amorem Dei.

Nam quòd quadripertita dicitur virtus ab ipsius amoris vario quodam affectu dicitur, & secundum Gregorium 2. Moral. plerique sibi sufficere vitæ suæ innocentiam putant, atque ad feruorem spiritus nullis se ardoris stimulis inflammant, & fit plerunque Deo gratior vita amore ardens post culpam, quàm securitate torpens innocentia. In examine namque iusti iudicis mutat merita ordinum qualitas actionum.

Quare cum aliquod opus, immò multa opera absque voto de natura sua & secundum se nata sunt fieri cum maiori charitate, quàm opus castitatis sub voto, ita quòd charitas, & ordo eius atque modus quem requirit tale opus de se multum habet præponderare charitati ex qua natum est fieri opus castitatis, vel aliud cum voto, propter quod de opere martyrij loquens dominus dicit, Maiorem charitatem nemo habet &cet. quasi diceret, opus martyrij natum est fieri ex maxima charitate, &c, cum hoc etiam ex parte operantis charitas, &c, ordo eius atque modus in operando multum potest præponderare in opere bono sine voto facto respectu charitatis, &c, ordinis, & modi eius in operando aliud opus in specie vel idem in specie sub voto, idcirco dico, quòd simpliciter, &c, absolutè opus bonum non sub voto potest esse melius, &c, ex parte operis, &c, ex parte operantis, quàm aliquod opus sub voto, licèt enim votum semper aliquid bono operi vt dictum est addat, non tamen tantùm addit vt omninò opus cum voto præponderet cuicunque operi sine voto. Quod dico de quolibet genere voti.

Vnde castitas siue castitatis bonum vnius sine voto propter formam charitatis præponderantis potest esse multo melius, quàm castitas alterius, vel opus eius sub voto, & per hunc modum etiam castitas vidualis, aut coniugalis benè potest præponderare castitati virginali, dicente Augustino decimosexto de Ciuitate Dei.

Nouimus enim non ex bonis singulis inter se homines comparare. Sed simul quoq; comparemus vniuersa, ac per hoc sano veroque iudicio cũ continentia coniugio præferatur, melior tñ est fidelis coniugatus quã continens infidelis, &

obediens Deo quàm continens minoris fidei minorisque obedientiæ. Si verò paria sunt cætera, continentiam coniugio præferri quis ambigit?

Per hunc etiam modum similiter eleemosyna vnius sine voto potest benè præponderare castitati alterius sub voto, & sic de cæteris operibus tam primæ tabulæ quàm secundæ. Et propter hoc martyrium præfertur castitati sub voto, quia maiorem charitatem nemo habet &c. vt dictum est supra, secundum quòd processit vltima ratio. Votum enim modicum facit, aut addit operi nisi aliud adsit, plerunque etiam obest saltem per accidens, vt in stultis virginibus, in quibus vt dicit Gregor. & Moral. Dominus ad iudicium veniens dum mentis corruptionem considerat, corporis incorruptionem damnat. Vnde cum alias tres modos virginitatis distinxerimus, est enim quædam honorabilis quædam laudabilis, & quædam despicabilis, ista quarta est damnabilis.

Obiectio. Sed dices, quòd hoc est per accidens, quòd secundum hunc modum aliud opus sine voto est melius, quàm castitas sub voto non ex natura operis.

Responsio. Dico, quòd immò de natura operis aliqd opus sine voto puta martyrium, & plura alia, vt patebit infra, meliora sunt secundùm se quàm opus castitatis cum voto, quia ex maiori charitate nata sunt fieri, & difficiliora etiam sunt. Verum est tamen, quòd aspiciendo ad opus simpliciter vt est bonum ex natura, & substantia operis, bonitate illa qua conuertitur cum ente vel quæ est opus bonum ex genere, quòd includit in suo significato circunstantiam ex ratione, vt habitum est supra, operi inquam vt tali bonitate sit bonum, accidit, quòd fiat ex charitate, & fiat bonum ex circunstantia, nō solùm in genere moris sed etiam in genere meritorij, vt patet in comedere, & bibere quæ sunt opera de primo genere, & in operè dandi eleemosynam, & prædicandi quæ sunt de secundo genere. Aspiciendo autem ad opus vt est bonum bonitate meritoria, illud non est verum, quòd accidat ei fieri ex charitate, quia essentiale est operi meritorio inquantum est meritorium, quòd procedat ex voluntate secundum modum, & ordinem charitatis.

Ad primū principale Ad primum in oppositum quòd opus castitatis sub voto præponderat omni operi secundę tabulæ, quia pertinet ad primam tabulam in qua nulla fit dispensatio, sicut fit à Deo contra præcepta secundæ tabulæ: Dico, quòd præcepta primæ tabulæ, quia pertinent principaliter ad dilectionem Dei, alijs eisdem retentis sunt digniora, & meliora illis de secunda tabula quæ pertinent ad dilectionem proximi. Propter quod etiam dicitur, quòd in illis Deus non potest dispensare, sed in istis. Ratione tamen charitatis, & modi operis benè potest præponderare aliquod opus secundæ tabulæ operi primæ. Et sic non obstante, quòd ratione voti castitas sub voto esset de prima tabula, nec posset in illa dispensari, benè tamen posset aliquod opus secundæ tabulæ præponderare vt dictum est. Quin tamen in omni voto ecclesia si necessitas occurreret posset dispensare, non credo.

Vnde distinguendum est de pertinere ad primam tabulam, quia aliquid pertinet ad ipsam per se & ex se, vt non sumere nomen Dei in vanum. Aliquid per accidens, & ex adiuncto, vt castitas sub voto ad liberius vacandum Deo. Et licèt in eo, quòd primo modo pertinet ad primam tabulam non habeat locum dispensatio: habet tamen in illo, quod pertinet ad ipsam secundo modo, quia talem finem statuit castitati votum vel propositum nostrum. Et per hunc modum martyrium reducitur ad illud præceptum cuius obseruatio dat causam martyrio, vt quia non vult negare vnum Deum, ad primum præceptum primæ tabulæ, si quia non vult peierare Deum, ad secundum, si quia redarguit peccata proximorum, ad aliquod præceptorum secundæ tabulæ.

Ad secundum. Ad secundum, quòd non est digna ponderatio animæ continentis, Dico, quòd non loquitur ibi de continentia speciali quæ est in sola castitate, sed de illa quæ generaliter pertinet ad omnes virtutes, de quali loquitur Philosophus in 7. Ethicor. Vnde super illud Animæ continentis, dicit Glos. interli. Quæ ipso fuerit coniuncta spiritali scientia fidei, cuius est continere ab omni genere vitiorum, & omnia mandata seruare ad quæ se obligat in fidei professione, & sacramenti baptismatis susceptione. Talem autem continentiam quæ pertinet ad omnes virtutes, & virturum opera, & sic ad bona media, comparat hic ad bona infima, vt sunt scientiæ seculares, & bona quæ ex illis nobis possunt prouenire.

Vnde super illud Omnis pōderatio. Glos. interli. Operum mundi, & sapientię secularis. Propter quod ex illo dicto nequaquam potest concludi, quin continentia castitatis possit habere præponderationem. Et per eundem modum quo dico aliqua opera non sub voto posse præponderare castitati sub voto, sic dico, quòd possunt præponderare paupertati sub voto, & similiter abrenunciationi propriè voluntatis sub voto. Et per hunc modum dico secundum quod alias dixi, quòd opera vitæ actiuæ prælatorum multum præponderant operibus contemplatiuorum, & ideò status ille perfectiores requirit, ita quòd si prælati congruant suo statui proportionabiliter modo quo religiosi suo statui congruunt, perfectissimus prelatus perfectior est perfectissimo religioso.

Etiā ipse prelatus cui incumbunt opera perfectionis actiuæ & contemplatiuę perfectior est

ex

ex operibus suis actiuis, quàm contemplatiuis, modo quo exposui in 12. Quolibet quęstione 29. Hinc religiosi quidam, prout ab eis (vt dicitur) scribitur in tractatu quodam, quem scholares appellant Correctorium, dicunt sic.

Quòd status prælatorum perfectior est, quàm status religiosorum, hoc auctoritate, dignitate, &, officio constat. Sed vtrum meritò, dico sine præiudicio, quòd sic dùmmodò sit bonus prælatus secundùm exigentiam status sui nihil omittens de essentialibus tangentibus officium suum. Et subditur. Vnde si prælatus animarum salutem procuret prout debet docendo publicè, & priuatim orando, dona & sacrificia offerendo pro peccatis suis & alienis, conseruando se, & alios sine querela, & religiosus ex parte sua perficiat essentialia status sui viuendo in obedientia sine proprio & in castitate, videtur vt dictum est maius esse meritum prælati quàm religiosi.

Et inducunt ad hoc auctoritatem Augustin. Epistola ad Valerium à nobis sæpe inductam, vbi dicit, Nihil est in hac vita &c. Et in his dictis suis veritatem confitentur quam tenemus. Nisi enim ita esset, non sapienter agerent viri religiosi quando consentiunt vt prælati fiant, in quorum statu oportet eos postponere opera contemplatiuæ, & vt plurimum vacare operibus actiuæ, predicando, confessiones audiendo, consulendo, aut quando priuilegia impetrant, vel oblata acceptant, de exercendo opera vitæ actiuæ in prædicationibus consultationibus, & confessionibus audiendis.

Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiatur? Matth. 16. Quod quidem detrimentum necessariò paterentur isti, nisi opera actiuæ quæ exercent recompensarent detrimẽtum operum contemplatiuæ quæ omittunt. Vnde etiam quia ita est de prælatis respectu religiosorum contemplatiuorum, & de operibus actiuis ipsorum respectu operum contemplatiuorum quæ debẽtur religiosis, vt religiosi sunt, dicit quidam doctor religiosus valdè excellens, & in scriptis reliquit, religionem illam esse perfectiorem quę proximius operibus prelatorum actiuis communicat, & ordinatur ad illa exercendum in adiutorium prælatorum, & profectum populorum, vnde dicit sic. Summum gradum in religionibus tenent qui ordinantur ad docendum, & prędicãdum, quæ &, propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum.

Fines namque primorum iunguntur principijs secundorum, vt dicit Dionysius 7. capit. de diuinis nominibus. Quibus tamen religiosis nisi necessitas coactionis, vel ex conscientia, vel ab homine ad talia eos compelleret, ea exercere non liceret, dicente Dionysio 7. capit. de cœlest. hierarch. Non enim fas est sanctorum perfectioribus ac sancte perfectis operari quid omnino præter propria hostiarum mysteria, ac sacras ordinationes.

Quod exponens Hugo. dicit sic, Fas non est hoc est licitum omninò aliquid operari siue sanctorum perfectioribus id est qui alios in sanctitate perficiunt, siue sancte perfectis id est qui ab alijs in sanctitate perficiuntur, prẽter propria hostiarum mysteria id est propria gratiarum dona, &, proprias sacras ordinationes vnicuique propriè assignatas. Nam sine gratia operari vanum est, prẽter ordinem operari aut contra peruersum est. Habent nanque singuli propria dona secundùm quę valent operari, & ordines proprios secundùm quos debent suam operationem moderari.

Propterea necesse est vt studeat vnusquisque gratiam quam accepit agnoscere, ne incipiat presumere in eo quod non potest, &, officium proprium ordinem que attendere, ne audeat transgredi in eo, quòd non debet. Hunc ordinem diuinę dispensationis diligenter seruandum esse Petrus Apostolus admonet dicens. Vnusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum administrantes. Et Paulus eos qui hanc diuinam ordinationem, & dispensationem tenere noluerunt reprehendit dicens. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes prophetę? &, cęt. Propterea fas non est his qui diuinę gratię participes facti sunt, siue immediate à Deo, siue per hominem eam acceperint, aliquid operari prẽter propria dona &, officia, vt diuina pulchritudo in omnibus conseruetur, &, ordo dispensationis summę perseueret. Et infra. Vt videlicèt id solum vnusquisque operari presumat, quòd ad ordinem, &, officium sibi assignatos spectare probatur. Et infra. Quoniam aliter subsistere non possunt in eò statu quo diuinam pulchritudinem imitantur.

Hinc etiam iandiu occasione disputationum &, altercationum quas magistri Parisiens habebant inter se de perfectione statuum maiori vel minori, audiui Dominum Papam Clementem cum adhuc esset legatus, ad dirimendum dictas altercationes in quadam prędicatione sua præferre simpliciter statum prælatorum, statui religiosorum, licet fortè (vt dicebat) ipsi prelati non congruerent in omnibus statui suo, sed essent multi ex eis cõgruentius subditi quàm prelati.

Et hoc dicebat exponendo illud Ecclesiastes 10. Vidi seruos in equis, & principes ambulare super terram. Sed nunc mirum est, quare aliqui sic nitũtur deprimere statum prelatorum, vt dicant primò, quòd in ipsis non requiritur perfectio nec pręeminentia sanctitatis, & bonitatis, nisi solum de congruentia, & non de necessitate status.

Secundò, quòd opera eis propria ratione ſtatus prælationis non ſunt tantæ difficultatis, &c. arduitatis de genere ſuo, quantæ ſunt opera religioſorum eis propria vt religioſi ſunt, quia (vt dicunt) non eſt multum graue ſeu difficilè de genere prædicando illuminare populum, nec corrigendo ipſum purgare, nec ſacramenta miniſtrando ipſum ſanctificare & perficere, quæ ſunt opera hierarchica ad prælatos pertinentia, non ſolum ad maiores vt Epiſcopos, ſed etiam ad minore ſcilicèt ad parochiales presbyteros, eis propria ratione ſui ſtatus, licèt ſecundum magis & minus.

Quamuis autem aliàs horum contraria euidentibus auctoritatibus, & rationibus declarauimus, non tœdet tamen aliqua iam dictorum ſub compendio nunc repetere, & propter illa quæ iſti dicunt circa ſtatum prælatorum quædam alia addere, & dicta ipſorum quo ad hoc non ſolùm rationibus ſed maximè ſanctorum auctoritatibus refellere.

Eſt igitur in principio aduertendum, quòd ad verè iudicandum inter duo adinuicem, vtrum illorum in aliquo prærogatiuo eminеat, oportet primò aſpicere ſolùm modò ad illa quæ per ſe nata ſunt illis conuenire, non autem quæ per accidens. Secundò oportet aſpicere ad omnia, &c. ſingula talia non ad aliqua tantùm. Tertio oportet aſpicere ad bona cętera ſi ſint paria, &c. illa in comparatione præſupponere eſſe paria, vt ſiquis velit comparare caſtitatem virginalem ad caſtitatem coniugalem, non debet aſpicere ad conditiones perſonarum, quæ ſunt in iſtis ſtatibus, puta ſi meliores, & ſanctiores inueniantur in coniugio quàm in virginitate, non ex hoc præferendum coniugium, quia illud accidit ſtatui.

Similiter non debet aſpicere ad aliquam conditionem particularem ſolùm modò, puta ſi melior eſt corporalis fœcunditas coniugum, quàm ſterilitas virginum, non propter hoc ſimpliciter coniugium eſt præferendum virginitati, quia virginitas in alijs pluribus, & potioribus prœmi net. Similiter non debet aſpicere ſolùm ad conditiones quæ per ſe ſingulis conueniunt, ſed etiã ad cętera quæ vtriſque nata ſunt conuenire ſi ſint paria, & illa eſſe paria ſupponere, puta ſi melior eſt coniunx obediens, quàm virgo inobediens, non propter hoc coniugium præferendum eſt virginitati, ſecundum quòd de primo iſtorum dicit Auguſt. lib. 1. retractationum. Error ſacrarum virginum meritum æquando pudicitiæ coniugali tantùm inualuit vt nonnullas etiam moniales deieciſſe in nuptias diceretur. Et maximè argumento tali Tu ne melior es Sara? Melior ne es quàm Suſanna? Cui reſpondet in libro de bono coniugali dicens. Si res ipſas comparemus, nullo modo dubitandum eſt meliorem eſſe caſtitatem virginalem, quàm caſtitatem coniugalem.

Homines autem cum comparamus, ille melior eſt qui bonum amplius, quàm alius habet. De ſecundo dicit libro 16 de Ciuitate Dei. Nouimus non ex bonis ſingulis homines inter ſe comparare, ſed ſimul quoque comparemus vniuerſa. Vnde quia fœcunditas ſpiritualis in virginibus quam requirit earum ſtatus, cum ſterilitate corporali, fœcunditati coniugatorum corporali præponderat, non ſtatus coniugatorum, ſed virginum præfetendus eſt, dicente Auguſt. libro de Virgin. Fęlicior partus ſpiritualis quàm carnalis. Beatior enim Maria fuit concipiendo Chriſtum fide quàm carne. Materna enim propinquitas nihil ei profuiſſet niſi fęlicius ipſum fide quàm carne geſtaſſet. Idem ſuper illud Lucæ 11. Beati qui audiunt verbum Dei, &c. cuſtodiunt illud. Hoc (inquit) eſt dicere, mater mea quam appellas fęlicem, inde felix eſt, quia verbum Dei cuſtodit, non quia in illa Verbum caro factum eſt.

De tertio 16. de Ciuitate Dei poſt verbum prædictum ſub ſingulis inſpiciendis comprehendendo cœtera bona quæ communiter poſſunt in eſſe ambobus quæ debent ſupponi eſſe paria, continuè ſubdit dicens. Ac per hoc ſano veroque conſilio cum continentia coniugio præferatur, melior tamen eſt fidelis coniugatus, quã continens infidelis, & obediens Deo, quàm continens minoris fidei minoriſque obedientiæ. Si verò paria ſint cętera, continentem coniugato præferre quis ambigit? Nunc autem tria genera operum per ſe conueniunt ſtatui prælatorum ratione ſui ſtatus ſcilicèt purgare, illuminare, & perficere, qui ſunt tres actus hierarchici per ordinem ſe habentes, ſecundum quod dicit Hugo. vbi ſupra. Niſi præcederet purgatio non ſequeretur illuminatio, & niſi ſequeretur illuminatio non veniret conſummatio.

Sicut enim illuminari non poteſt qui non eſt purgatus, ſic conſummari non poteſt qui non eſt illuminatus, quia cognitio veritatis non niſi mundos illuminat, & perfectio virtutis non niſi ad illuminatos veritate appropinquat. Similiter tria genera operum per ſe conueniunt ſtatui religioſorum ratione ſtatus ſui ſcilicèt obſeruatio paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, & hoc ex voto. Cætera autem opera ſanctitatis communia ſunt omnibus, vt ſunt tria opera contemplationis, oratio, lectio, meditatio & omnia opera miſericordiæ. Volens ergo ſcire præeminentiam ſtatuum inter prælatos, & religioſos, reſpicere debet ad opera illa quæ his, & illis per ſe conueniunt ratione ſtatus ipſorum, & non ad alia quæ cæteris conuenire poſſunt, & ideò ſunt opera accidentia ſtatui, & vni, & alteri.

Conſtat autem, quòd actus prædicti tres pro-

prij

prij ſtatui prælatorum ſcilicet purgare, illuminare, & perficere, multo perfectiores ſunt quàm tres alij ſcilicet obſeruare paupertatem, caſtitatem, &c. obedientiam ſub voto, inquantùm ſunt per ſe opera ſtatus religioſorum, quia illa ſunt opera iuſtitiæ generalis ad alterum, iſta verò ad ſeipſum. Et ideò illa tantò ſunt digniora & perfectiora quantò communiora, & ad plura ſe extendunt, & per conſequens difficiliora cęteris dico paribus, quę poſſunt vtrique ſtatui congruere, quod ſupponendum eſt ſecundùm iam dicta. Vnde &c. illi dicunt. Supponamus in vtroque ſtatu fundamentum omnis perfectionis ſcilicèt charitatem, ita quòd prælati &c. religioſi ſint in charitate. Et tunc eſt quæſtio, quorum opera ſunt perfectiora ad quæ obligati ſunt ratione ſui ſtatus. Et quod amplius eſt addo ſupponendo fundamentum charitatis vtriſque æquale tàm ſecundùm omnia alia opera charitatis, quàm ſecundùm illa, in quibus ſtatus per ſe diſtinguitur.

Quòd autem dicta opera prælatorum ratione qua ad alterum ſunt perfectiora ſint. Vnde ſuper illud c.7 cęleſt. hierarch. de deſcriptione hierarchiæ, & ad proprium principiũ vt licèt aſſimilatione, dicit Hugo. Etenim vnicuique hierarchiam ſortientium perfectiõ hæc eſt, ſecundùm propriam analogiam in Dei imitationem aſcendere, &c. omnium diuiniſſimum vt aiunt eloquia, eſt cooperatorem fieri, & oſtendere diuinam in ſeipſo actionem ſecundùm poſſibile elucentem, id eſt nihil diuinius aiunt eloquia, vel quo nihil magis diuinum facit, vt ſcilicet ad alios relucẽdo infundant per exemplum operis, quod primum percipere meruerunt per dictum occultæ inſpirationis.

Vnde &c. illi qui ſunt in ſtatu purgandi illuminandi &c. perficiendi, ſtatus ipſe requirit, quòd prius ſint purgati, illuminati, &c. perfecti. Sequitur enim continuè. Sic ergo perfectio conſtat hierarchiæ, vt qui purgantur purgent, &c. qui illuminantur illuminent, & qui perficiuntur perficiant, &c. infra poſtmodum. Sed ſunt ſuperiores, & ſublimes, & ipſi appropinquantes diuinitati, immediatè ab ipſa recipientes & purgationem vt ſint mundi, & illuminationẽ vt ſint clari, & perfectionem vt ſint ſancti, & ab illis rurſum ſecundùm ordinem diuinæ diſpoſitionis hi qui ſequuntur, & in ordine ſubiecti ſunt & purgantur, & illuminantur, & perficiuntur. Conſtat autem, quòd quicunque religioſi de iure cõmuni per prælatos debent purgari, illuminari, &c. perfici, ſicut & laici quicunque etiam coniugati, quia ratione trium prædictorum votorum non habent, quòd ſint clerici ſacerdotes aut literati.

Vnde & antiqui monachi puri laici eſſe conſueuerunt vt teſtantur decreta ſanctorum, eſſent enim parochiani ſacerdotum curatorum contra quos præcipuè ſe extollunt, niſi eſſent eorum priuilegia & exemptiones, per quæ tamen ſtatus eorum nihil omninò perfectionis eſſentialis acquirit. Quod ergò dicunt, quòd conueniunt in orando, & offerendo ſacrificia pro populo, concedo quòd verum eſt de oratione, ſed hoc eſt de communibus vtrique ſtatui quę ſupponimus paria in noſtra operatione. Falſum eſt autem de ſacrificiorum oblatione. Hoc enim non competit ratione ſtatus niſi prælatis, non autem religioſis ratione ſtatus ſui, quia non eſt potior ratione ſtatus ſacerdos frater in religione, quam laicus conuerſus.

Vnde etſi perfectius, &c. melius fierent orationes, &c. ſacrificia à religioſis, quàm à prælatis, hoc nihil ad comparationem ſtatuum propter tertiam conditionem obſeruandam in comparationibus, quia in his debemus ſupponere religioſos, &c. prælatos eſſe pares, & quod amplius eſt prælatis incumbit ratione ſtatus orare pro populo vt purgetur, illuminetur, &c. perficiatur per publicas orationes, non ſic autem religioſis, ſicut nec offerre ſacrificia. Quod addunt, quòd ad obſeruantiam continentiæ ſtrictius, & firmius ſunt obligati religioſi quàm prelati, quia per votum indiſpenſabile niſi in caſu non quocunque ſed arduo, non autem regulariter nec vniuerſaliter vnquàm contra obſeruantiam caſtitatis diſpenſatum eſt cum religioſis, ſicut diſpenſatum eſt cum ſacerdotibus curatis, qui non ſunt ad caſtitatem obligati niſi ex ſtatuto generalis concilij. Item nec omnes ſacerdotes curati tenentur ad caſtitatem ſicut græci, & cęteri orientales.

Dico generali reſponſione, quòd caſtitatis obſeruantia abſque matrimonio non eſt de illis quę per ſe pertinent ad ſtatum prælationis, ſed ſolùm modò de illis quę pertinent ad ſtatum religionis, ita quòd ſi pertineat ad ſtatum prælationis, hoc eſt per accidens, vt ſcilicèt liberius poſſit vacari tribus dictis operibus quæ per ſe competunt prælatis ratione ſtatus. Vnde etſi Apoſtoli propter hoc caſtitatem obſeruabant, &c. ſub voto, non quaquàm tamen per ſe erat opus ratione ſtatus niſi Chriſtus ſic inſtituiſſet, & tunc quòd non obſeruabatur à poſteris, hoc erat per diſpẽſationem quandam eccleſię generalem, ſecundùm quod determinaui in precedenti Quolibet.

Sed in hoc non derogatur perfectioni ſtatus in aliquo, ſed perſonarum quę ſunt in illo ſolùm modò, quemadmodum ſi diſpenſaretur cum fratribus minoribus, quòd poſſent habere bona in communi qui vellent, in hoc in nullo videretur derogari perfectioni regulæ, &c. ſtatus illorum, quòd poſſent bona in communi habere: quemadmodum quòd ſorores ordinis fratrum minorum moniales habent poſſeſſiones & redditus in nullo derogat regulę, &c. ſtatui fratrum minorum,

ne

nec perfectioni volentium illam integrè obseruare. Et ideò licèt in hoc præminerent religiosi ratione quia castitatem seruant, &c. strictius quàm prælati quo ad obligationem, hoc est in prælatis de accidentalibus statui, & diminuit de perfectione personarum castitatem non obseruantium ea strictitudine, qua Christus eam obseruari instituit, si tamen instituit, & Apostoli obseruarunt, nihil autem diminuit de ratione status, licèt dispensatione generali antiquitùs non obseruabatur, & quòd modo obseruatur ab occidentalibus, hoc est, vt dicunt illi, ex generali statuto, per quod non tantùm sunt prælati ad castitatem astricti sicut religiosi ex voto. Quod tamen nequaquàm verum esse puto, quia cum quisque ordinatur in subdiaconum, & dicit ei Episcopus, si hucusque incestus amodo casus, consensu suo, &c. taciturnitate vouet, & censendus est vouisse, sicut religiosus per lapsum anni scienter, &c. absque coactione in religione perseuerans censetur professus.

Quòd autem facilius dispensatur in ordinatis quo ad castitatem quàm in religiosis, hoc non est propter maiorem obligationem sed propter euidentiorem causam dispensandi super hoc, quod accidit in clericis sæcularibus, non autem in religiosis. Si verò castitas sub voto non sit de statu prælationis ex institutione Christi, tunc obseruatio castitatis adhuc est de accidentibus statui prælatorum, licèt per se pertineat ad statum religionis. Et ideò licèt in hoc perfectiores essent religiosi, quia tamen castitas extra matrimonium non est de necessitate salutis in illis, quibus licèt vti matrimonio nõ tamen sequeretur, quòd simpliciter essent religiosi perfectiores prælatis propter secundam conditionem prædictam conseruandam in comparationibus, quia scilicèt opera tria prędicta prelatorum multum præeminent omnibus operibus obseruatis à religiosis ex voto, vt iam dictum est, & plenius declaratum in alio Quolibet, & iam amplius declarabitur. Quòd dicunt, quòd prelati ad opus illuminationis per prædicationem non sunt obligati ex necessitate status sui vt curati parochiales, licèt fortè ad hunc actum de necessitate teneantur Episcopi.

Quo ad Episcopos non oportet hoc ponere fortè, cum dicat Apostolus 1. Timot. 3. Oportet Episcopum esse doctorem, & Titum 1. Oportet Episcopum esse continentem, amplectentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere, &c. super hoc sunt plurima capitula in distinctionibus decretorum quæ longum esset hic adducere. Gregorius autem exponens iam dictum sermonem Tit. 1. dicit 1. pasto. 15. Prædicans officium suscipit quisquis ad sacerdotium accedit. Hinc Moysi præcipitur, vt tabernaculum sacerdos ingrediens tintinabulis ambiatur, vt videlicèt voces prædicationis habeat ne superni pectoris iudicium ex silentio offendat, scriptum quippe est, vt audiatur sonitus quando ingreditur, &c. egreditur sanctuarium in conspectu domini &c. non moriatur. Sacerdos nanque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus prędicationis non auditur, & iram contra se occulti iudicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Sed hoc tempore opportuno, quia præceptum affirmatiuum est, non semper tenetur prædicare in propria persona, scire tamen tenetur prædicationis doctrinam vt paratus sit ad exequendam ipsam etiam in propria persona cum necesse fuerit.

Aliàs autem benè potest ipsam exequi per aliũ vel minus, tamen ratione status semper est obligatus ad eam sciendam, & exequendam cum opus fuerit, sicut sacerdos curatus ex officio, & statu semper est obligatus ad audiendum confessiones subditorum suorum, licèt illas quandoque benè possit audire per alium, vt extra de pœnit. Omnis vtriusque sexus. Quod autem dicitur de curatis, quòd licèt prædicare eis competat ex officio, tamen ad hoc non sunt obligati ratione status, quia pro magna parte essent in statu damnationis cum pauci sint qui faciant, &c. rariores sint qui sciant, Dico de primo hic dicto de curatis, quòd non est verum, quia officium prędicationis nequaquàm competit eis nisi ratione status in quo succedunt 72 discipulis, quibus prędicare competebat ratione status quem assumpserunt cum mitterentur à Christo, sicut & 12. Apostoli, vnde eadem præcepta omninò dedit eis in mittendo ipsos, vt patet Matth. 10. & Luc. 9. Vnde super Luc. dicit Glos. Sicut in Apostolis forma est Episcoporum, sic in 72. forma est presbyterorum, secundi ordinis 72. mittuntur qui tot linguarum gentibus Euangelium prędicarent. Quòd dicunt, sunt ne in statu damnationis? Dico, quòd sic, si nec sciant nec prædicent, aut sciant, & non prædicent, secundùm quòd requirit indigentia populi pro tempore opportuno, quemadmodũ alia prędcepta affirmatiua obligant.

Sed ad hoc non requiritur multum eminens scientia modernis temporibus, licèt maior requiratur in Episcopis quàm curatis. Et ideò pro moderno tempore non potest dici, quòd pauci sciant quantum necessitas requirit, aut exequantur, & ideò nec quòd sint in statu damnationis ponendum est. Qualiter aũt se habebant tempora præcedentia quando erant hęretici, & se habebũt tempora futura in prędictis, nescio. Attamen si ita esset, quòd pauci sciant, &c. ratiores faciunt prout status eorum requirit. &c. propterea dicendum esset, quòd essent in statu damnandorum, quantuncunque sit durum dicere hoc, potius tamen dicendum esset, quàm falsum dicere circa ipsorum statum, &c. mentiri.

Sed

Sed quid hic laboramus? si prelati non sunt obligati ad predicationem ratione sui status, multo minus hoc competit religiosis ratione status ipsorum, quia non plus magistris vel magistris theologiæ, quàm laicis conuersis in ordine ipsorum, & sic illud dictum eorum nihil valet ad propositum.

Propter quòd addunt dicentes. Dato, quòd ad opus predicationis omnes teneantur, & Episcopi, & Curati, & quilibet illorum ad ipsum sit sufficienter instructus, iste tamen actus non est tantę difficultatis ex genere suo nec arduitatis quantę sunt ex genere suo actus religiosorũ, vt propriorum abnegatio, & propriè voluntatis per totam vitam suam abrenunciatio.

Dico, quòd etsi in officio predicationis non sit magna difficultas in corporis afflictione, maxima tamen est in afflictione mentis, si eò modo exerceri debeat vt status varius auditorum requirit, vt enim dicit Greg. in principio secũdi Pasto. Non eadem cunctos exhortatio constringit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit sæpè namque alijs officiunt quę alijs prosunt, & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate ergo auditorum debet formari sermo doctorum, vt &c. ad sua singulis congruat, & tamen à communis eruditionis arte nunquàm recedat. Aliter nanque admonendi sunt viri atque aliter fœminę, aliter iuuenes, aliter senes, aliter in opes, aliter locupleres, & cętera huiusmodi propria, & 30. lib Moral in principio. In ecclesia ordo doctorum quasi rex præsidet quem fidelium suorum turba circunstat, de pietate, & iustitia in prædicationis serie spem miscet & metum, quatenus nec incautè de misericordia confidant, nec desperatè iustitiam timeant, nec de exhibita iustitia presumant, nec de pręterita iniquitate desperent. Sic autem temperare, & scire temperare verbum predicationis, & exequi, multis est impossibile, &c. paucis possibile, ita quòd multo facilius est debitum obligationis soluere in propriorum abrenunciatione, & propriè voluntatis abdicatione, quàm debitum prædicationis vt oportet exercere. Qui sunt illi qui soluunt vt tenentur debitum abrenunciationis, abdicationis, & predicationis, & in quo deficiunt, Deus nouit.

Quod addunt, quòd religiosi benè exercent opus predicationis ex priuilegio, quare & eis in hoc non præferuntur prelati, dico quòd hoc nihil ad propositum, quia possunt exercere ex priuilegijs per superiorum imperium, de hoc nihil ad statum religiosorum. Nunc autem non est hic sermo nisi de statu non pręeminentia, propter operum suorum per se pręeminentiam. Quare cum opus predicationis per se pertineat ad statũ prelationis, quia est opus illuminationis, non autem ad statum religiosorum, nullo modo quo ad hoc equiparari potest per quęcunque opera status religiosorum statui prælatorum. Quę addunt vlterius, quòd actus correctionis qui pertinet ad prelatos, non est tantę difficultatis quantę sunt opera dicta religiosorum, Dico, quòd falsum est, siquis debeat corrigere prout recta ratio requirit. Summa enim difficultas est in illa quę ad duo, quorum vnum est iudiciorum strepitus ad causę quę correctione indiget indagationem, alterum est post indagationem corrigendi modus. De primo dicit Gregor. lib. Moral. super illud Iob 29. Causam ignorabam, diligentissimè inuestigabam. Qua in re, inquit, notandum est ne ad proferendam sententiam iniquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueant, ne passim dicta sine probatione credamus. De secundo dicit 20. lib. Moral. in princ. Talis debet esse dispensatio regiminis vt is qui præest, circa subditos se mensura moderetur, sæpè enim subditos frangimus dum plus iusto rigorem iustitię tenemus, qui perfecto iustitię rigor non est si se sub iusto moderamine non custodit, &c. sæpè disciplinæ metu frangimus subditos, si nostro regimini hilaritatis frena laxamus. Disciplina enim vel misericordia multum destituitur si vna sine altera teneatur, sed circa suos subditos in rectoribus debet esse, &c. iustè consulens misericordia, & piæ sæuiens disciplina, quatenus vnusquisque qui curandis vulneribus præest, in vinmorsum districtionis adhibeat, & oleo mollit pietatis. Si est virga disciplinæ; sit & manna dulcedinis, sit amor non emolliens, sit vigor non exasperans, sit zelus sed non immoderatè æuiens, sit pietas sed non plus, quàm expediat pacens. Idem versus finem lib. 30. Tunc est apud Deum oblatio veræ rectitudinis cum de radice iustitiæ prodeunt rami pietatis. Sunt nanque nonnulli ita districti vt omnem mansuetudinem benignitatis amittant. Et sunt nonnulli ita mansueti vt perdant districti iura regiminis. Vnde cum ab rectoribus vtraque summoperè tenenda sunt, vt nec in disciplinæ vigore benignitatem mansuetudinis, nec rursum in mansuetudine deserant disciplinę rigorem, quatenus nec à pietatis compassione obdurescant cum cõtumaces corrigunt, nec disciplinæ vigorem molliant cum infirmorum animos consolantur, regat ergo disciplinę vigor mansuetudinem, &c. mansuetudo obtineat vigorem, &c. sic alterum commendetur ex altero vt nec vigor sit rigidus nec mansuetudo dissoluta. Reuera in his seruare medium difficilius est, quàm seruare quancunque obseruantiam regularem. Dicere autem contrarium vt puto, in experientia facit Hinc dicit Auguſt in fine de opere monach. Non alligamus onera grauia, &c. vestris humeris imponimus quę nos digito attingere nolũmus, quæ ritè &c.

agno-

agnoscite labores occupationum nostrarum, & ecclesiarum, quibus seruimus, vt nos ad illa operanda ad quæ vos hortamur vacare non sinant. Quamuis enim dicere possumus: Quis militat suis stipendijs? tamen Dominum Iesum in cuius nomine fecurus dico, testem inuoco super animam meam, quoniam quantùm ad meum attinet comodum, mallem per singulos dies certis horis operari, & cæteras horas habere ad legendum & orandum, aut aliquid de diuinis literis agendum, quàm tumultuosas perplexitates causarum alienarum pati, de negotijs sæcularibus vel iudicando dirimendis, vel intercedendo præcidendis. &c. infra. Omitto alias innumerabiles ecclesiasticas curas quas fortasse nemo credit nisi qui expertus est.

Et ita qui non credit, & dicit contrarium, hoc contingit, quia inexpertus est, aut fortè quia respicit ad illos, qui perfunctoriè illa opera agunt, quibus facilia sunt quæ laboriosissima sunt ex corde agentibus illa, secundùm quod dicit August. in Epistola ad Valerium. Ante omnia peto vt nouerit religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, &c. maximè hoc tempore leuius, & facilius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut diaconi officio si perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur. Sed nihil apud Deum miserius, & tristius, &c. damnabilius. Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, & laboriosius, & periculosius Episcopi aut presbyteri aut diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius si eo modo militetur quo noster Imperator iubet. Quis iste sit modus nec à puericia, nec ab adolescentia mea didici, & eo tempore, quo discere cœperam vis mihi facta est merito peccatorum meorum.

Nam antequam expertus essem quid illic agatur, quasi doctior, & melior reprehendere audebam, ita postquam missus sum in medium, tunc sentire cœpi temeritates reprehensionum mearum, quanquàm & antea periculosissimum iudicarem hoc ministerium. &c. infra. Sed ad euitandas, aut perferendas molestias, &c. vires meas non noui, &c. alicuius momenti arbitrabar, & infra. Propterea ipsa re didici quid sit homini necessarium qui populo ministrat sacramentum & verbum Dei. & infra. Sed fortasse dicit sanctitas tua, vellem scire quid desit instructioni tuę, tàm multa sunt vt possim facilius enumerare quæ habeo, quàm quæ habere desidero. Audeo enim dicere me scire, & plena fide retinere quid pertineat ad salutem nostram, sed hoc ipsum quomodo ministrarem ad salutē aliorum non quærens quod mihi vtile est, sed quod multis vt salui fiant, & infra. Quomodo autem id fieri potest nisi quemadmodum ipse dominus dicit petendo, pulsando, quærendo, orando, legendo, &c. plorando? Nota quòd dicendo, nihil leuius, & facilius, aut acceptabilius Episcopi, aut diaconi officio, non addit, aut presbyteri, sed subdendo. Item nihil esse &c. addit aut presbyteri, quia officium presbyteri scilicèt curati de quo loquitur, multum habet oneris, sed modicum honoris sæcularis annexum, sicut habet officium Episcopi, & diaconi, & Archidiaconi, alij enim diaconi non habent propria officia in ecclesia supra populum.

Quod addunt de sacramentorum administratione ad populum perficiendum, &c. sanctificandum quàmuis sit summæ necessitatis &c. dignissimæ, non tamen sunt actus maximè meritorij dispensanti sacerdoti, neque enim in eis tanta arduitas, & difficultas est sicut est in actibus religiosorum, Dico, quòd licèt substantia actus talis administrationis sacramentorum, alijs quasi mechanicum quid videtur facilis administrationis, sicut est perfunctoriè agentibus, ad quem secundum talem modum aspiciunt qui hoc dicunt, modus tamen administrandi quo sacerdos debet ea ministrare secundum quod Imperator noster iubet, de quodam dixit August. Ipsa re didici quid sit homini necessarium, qui populo ministrat sacramentum, & verbum Dei, vbi verbo Dei adiunxit sacramentum, quia sicut multa requiruntur quo ad substantiam administrandi verbum Dei, & quo ad vires spirituales in sustinendo labores discendo quid & qualiter, quando, &c. quibus & cętera huiusmodi, etiam proponendo, sic etiam ad scientiam debitè ministrandi, & vires spirituales in sustinendo labores, discendo nō tàm per studium præcedens quàm in ipsa administratione inuestigando, quibus quando, & qualiter dignè sacramenta sunt ministranda, & quibus non, & cum hoc summo studio, & labore custodiendo à maculis culpæ & infamiæ, curam habendo de bono nomine vt qualibet hora idoneus inueniatur minister in administrando. Sicut enim indignè recipiens damnabiliter recipit, sic indignè ministrans damnabiliter ministrat. Labor autem in sic administrando sacramenta multo maior est quàm sit labor cuiusque operis per se pertinentis ad statum religionis.

Sed esto, quòd ita sit vt dicunt de opere administrationis sacramentorum, non tamen propterea præferendus esset simpliciter status religionis, quia in alijs operibus prædictis multum præponderat status prælatorum, vt dictum est. Sic autem comparatio non est attendenda ad vnum sed ad singula inspicienda, sicut dictum est supra in secunda conditione. Quod addunt de actu assiduo martyrij, quòd licèt religiosi ad illum non teneantur ratione status sui, siue voti sicut tenentur ratione status sui prælati, tenentur tamen ratione scandali vitandi, quia fugiendo magis scandalizarent quàm prælati. Dico, quòd etsi ita esset, tamen prælati ratione obligationis ad poncn-

dum

dum animam pro ouibus propter ſtatum magis peccarent fugiendo quàm religioſi. Et ideò ad non fugiendum plus ſunt prælati aſtricti, & eſt actus per ſe pertinens ad ſtatum prælatorum, non autem religioſorum niſi per accidens.

Ad id autem quod eſt per accidens, non eſt ſtatuum comparatio attendenda, vt dictum eſt. Et tamen hoc falſum eſt, quòd religioſus plus ſcandalizaret, immò quantò prælatus ſuperior, &c. honeſtioris vitæ tenetur eſſe in populo quàm religioſus, vt iam dicetur, tantò prælatus talis exiſtens qualis deberet eſſe, plus ſcandalizaret. Quòd addunt, quòd nec in hoc præferuntur aliquibus religioſis, puta templarijs &c. hoſpitalarijs, qui tenentur ſe exponere morti pro populo Chriſtiano, & non fugere, dico, quòd tale opus non pertinet per ſe ad illos ratione ſtatus religionis, ad quem ſolùmmodò per ſe pertinet obſeruantia trium votorum, ſed ſolùmmodò pertinet ad illos ratione ſpecialis inſtitutionis quæ accidentaliter ſe habet ad ſtatum religionis ſimpliciter, etſi ratione ſpecialis obligationis pertineat per ſe ad religioſos tales. Et tamen hoc quid ad illos qui talia proponunt, cum nullum ſtatutum ſuper hoc habeant in ſua regula? Et propterea cum ſecundum Auguſt. Martyrem non facit pœna ſed cauſa, quantò cauſa maior, & principalior eſt martyrij, tantò martyrium glorioſius eſt, & maioris meriti, &c. ſimiliter obligatio ad illud ſuſtinendum.

Nunc autem dicti religioſi, etſi pro populo Chriſtiano teneantur ſe vt dictum eſt, morti exponere, tamen hoc non eſt niſi ex cauſa corporalis inſultus quem infideles attentare poſſent, & inferre Chriſtianis in perſonis aut in rebus corporalibus. Prælati autem in talibus inſultibus etiam tenentur ſe exponere pro populo ſuo, ſicut expoſuit ſe Rhemis Beatus Nicaſius in inſultu Vandalorum, &c. ſimiliter in inſultibus ſpiritualibus defendendo fidei veritatem contra hæreticos. Ex qua cauſa non tenentur ſe dicti religioſi morti exponere, quia laici ſunt neſcientes tali militia militare, in qua non niſi ſpiritualibus armis eloquiorum veritatis pugnandum eſt, ſecũdùm quòd dicit Gregor. 1. Paſtor. 15. Paſtorem recta timuiſſe dicere quid aliud eſt quàm tacendo terga præbuiſſe? Et eſt iſta cauſa martyrij multò maior, & principalior quàm præcedens, quanto bona ſpiritualia corporalibus ſunt potiora, & ſic omninò in actu martyrij prælati & dictis religioſis &c. ómnibus alijs præferuntur.

Quod addunt, quòd iſta gregis perſecutio rarò accidit, &c. ſi ſæpè occurreret non ita multi efficerentur ſacerdote ſicut modo. Dico, quòd verum eſt, nec omnes modo currentes ad ſacerdotij curam ita debent eſſe perfecti vt per hanc ad martyrium properent ſicut properabant tunc quando dixit Apoſtolus.

Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat, quod vt dicit Gregor. primo Paſtora capitulo nono, illo in tempore dicitur quo quique plebibus præerat primus ad martyrij tormenta ducebatur, & tunc vt ſequitur continuò fuit laudabile Epiſcopatum quærere. Similiter intellige & ſacerdotium, quando per huiuſquenquam dubium non erat ad ſupplicia grauiora peruenire. Quod reuera non laudabile eſt in eo qui in Epiſcopatu non opus ſed honorem ſiue emolumentum quærit, quia vt ſequitur continuò, ipſe ſibi teſtis quia Epiſcopatum non appetit, intellige, neque ſacerdotium, quia non petit hunc boni operis miniſterium, ſed gloriam quærit, honoris ſubaudi, aut lucri. Propter quod occurrentes moderno tempore ad ſacerdotium ad Epiſcopatum potius mercenarij, quàm paſtores ſunt, qui tamen etſi raro contingat perſecutio vſque ad martyrium ſemper debent eſſe parati ratione ſtatus potius ad ipſam patienter toleranda quàm quicunque religioſi.

Quibus religioſis conſimili modo ſicut ipſi dicunt prælatis, poſſet dici, quòd perſecutio religioſorum in martyrio rarò contingit, &c. ſi ſæpè contingeret non ita multi efficerentur religioſi, ſicut modo. Quòd autem adhuc addunt, quòd ad actum martyrij non ſunt curati immobiliter aſtricti, quia poſſunt reſilire à cura, &c. tranſire ad religionem vt ad frugem vitæ melioris contradicente etiam Epiſcopo, ſicut fuit ordinatum in concilio Toletano. Non ergò ſimpliciter ſunt obligati ad hunc actum tam arduum, ſed ex ſuppoſitione tantùm, & vt nunc ſcilicet ſi velint ſtare in officio curæ. Dico, quòd in hoc ſilent de Epiſcopis, quia non eſt eis talis diſpenſatio exhibita ſuper tranſitu ad religionem dimiſſa cura, qualis eſt ſacerdotibus curatis, qui tamen de iure communi ſunt ita immobiliter curę ſuę aſtricti ſicut Epiſcopi, propter quod ſimpliciter ratione ſtatus ſunt ſimpliciter obligati ad actum dictum ſicut & Epiſcopi. Quare autem diſpenſatum eſt cum ſacerdotibus ſuper illo potius quàm cum Epiſcopis, in Quolibet. præcedenti rationem aſſignaui.

Quod tamen dato quòd non ſint obligati immobiliter ad hoc, nihil valet ad propoſitum illorum, quia ſaltem plus obligati erant ad dictum actum tempore quo ſteterunt in illo ſtatu prælatorum quàm poſtquàm tranſierunt ad ſtatum religioſorum, vt patet ex dictis. Quomodo etiam ſtatus religionis ſit melioris vitę ſatis expoſitum eſt ibidem. Quod addunt vlterius, quòd ad abdicationem proprietatis, &c. abnegationem proprię voluntatis ſunt obligati religioſi & non prælati, quia poſſunt habere propria, quare religioſi ratione ſtatus ſui ſunt perfectiores.

Dico, quòd etſi religioſi in hoc ſint perfectiores prælatis etiam habendo aſpectum ad ſtatum

qui

qui modo est obseruatus in ecclesia à prælatis, non autem ad aliquem mathematicum aut abstractum, qualis aliquando fuit aut posset esse, tamen ex hoc non sequitur, quòd religiosi ratione status sui sint perfectiores simpliciter, quia in vera comparatione secundùm prædicta oportet aspicere ad singula. Quia ergò opera propria prælationis, &c. per se ratione status sui prædicta multò sunt perfectiora dictis operibus religiosorum secundùm prædicta, non obstante, quòd aspiciendo ad statum modernorum in aliquo sunt perfectiores, &c. ita secundùm quòd prælati tamen sunt simpliciter perfectiores aspiciendo ad alia eorum opera propria, & comparando ipsa ad dicta opera religiosorum. Quòd autem addunt quòd sunt multi alij actus sancti, & difficiles proprij religiosis, scilicet abstinentia, ieiunij, asperitas victus, & vestitus, & cæterorum talium, ad quæ non tenentur prælati ratione status sui. Dico, quòd omnia talia sunt accidentalia statui tàm religiosorum, quàm prælatorum, quia sunt præter tria vota, quæ sunt per se opera religionis, & præter tria per se opera prælatorum, propter quod secundum prædicta nihil valet hoc ad propositum, maximè quia cum illis trib. generibus operum proprijs prælatis etiam incumbunt eis plura alia annexa, quæ sunt potiora, & difficiliora omnibus ieiunijs, & cæteris asperitatibus religiosorum, cuiusmodi sunt opera pietatis, & misericordiæ erga subditos illa debitè exercendo, vt quilibet eorum possit dicere cum beato Iob capit. 29. Oculus fui cæco & pes claudo, pater eram paupertum, & cor viduæ consolatus sum, &c. cum Beato Paulo 1. Corinth. 9. Cum ex omnibus essem liber omnium me seruum feci &c.

Quod autem dicunt, si status prælatorum comparetur ad statum religiosorum quantùm ad congruentiam potest dici, quòd status prælatorum eminentior est, & perfectior, quàm status religiosorum, quia congruit personas, quæ ex officio habent alios perficere esse perfectiores quàm religiosos, non quòd de necessitate oporteat prælatos esse tales, quia hoc esset damnare eos. Pauci enim aut nulli sunt tales, sed congruum est, quòd sint tales. Et secundum hoc intelliguntur omnes auctoritates quas aliqui inducũt pro ipsis ad probandum huius contrarium, quas tamen inducunt ac si de necessitate oporteret prælatos esse tales quantùm est de natura status eorum, quod non est verum.

Congruit tamen eos esse tales duplici ratione. Primò quidem ratione honoris, difficile enim est in honore esse, & non inde gaudere, quæ tamẽ difficultas non facit ad maius meritum, quia fugiendi sunt honores sicut cohabitare cum mulieribus, & continere est difficile inter eas, hoc tamẽ non auget meritum, sed minuit. Secundò congruit eos esse perfectiores ratione oneris periculosi. Dictum istud in fundamento suo seipsum destruit, quia perfectius non congruit seu decet, quod idem est, nisi perfectioni, sicut nec maiores honores nisi magis honorabilibus, vt cæteris sicut virtuosis, quia secundùm Philosophum Honor est præmium virtutis, vel præsumptiuè sicut principibus, &c. in dignitatibus constitutis, &c. maiora bona melioribus, & minora minoribus, quia paruos parua decent, sicut patet in iustitia distributiua secundùm proportionem arithmeticam, quare non congruit, & decet existentes in statu prælationis esse perfectiores, etiam si non sint tales, hoc nequaquàm esse potest nisi ratione status, qui quantum est de se necessariò requirit tales, propter quod etiam præsumitur, quòd qui sunt in tali statu sint tales. Et ideò si congruit prælatos esse perfectiores religiosis, hoc non est nisi quia status eorum perfectiorem hoc necessariò requirit, ita quòd non possunt esse prælati idonei, quin sint tales etiam priusquã assumantur ad prælationis statum, sed hoc non simpliciter & absolutè, sed solùm modò respectu subditorum, nec in eodem, & æquali gradu perfectionis; respectu enim subditorum debent prælati perfecti esse, quia debent subditos perficere.

Perfecti autem debent esse qui habent alios perficere, quia vt habitum est supra, secundùm Hugo. Sanctorum perfectiores vocat Beatus Dionysius eos qui tantam à Deo gratiam perceperint vt alios etiam ad sanctitatem perficiant. Sancti perfectè sunt qui ab ipsis superioribus perficiuntur. Quare cum de iure communi religiosi quicunque ratione status sui sint subiecti prælatis ratione status eorum, licèt per exemptionem subiecti sint soli Summo Pontifici, exemptio autem nihil derogat ratione statuum, respectu ergò status religiosorum requirit status prælatorum habere perfectos, non solum congruit, quòd tales habeat.

Quod ergò dicunt, quòd difficultas annexa statui prælatorum ratione honoris, & oneris non facit ad augmentum meriti, sed minuit, dico, q etsi hoc sit verum in his qui indispositi sunt, & vltrò se offerentibus ad statum prælationis, nequaquàm tamen verum est per se, & in his qui virtutibus prædicti, &c. coacti ad statum prælationis accedunt, tales enim se periculo non immergunt, sed magis charitate compulsi, non affectando periculum nec honorem, sed magis desiderando sui, &c. aliorum profectum parati sunt hostis insidiantis periculis occurrere vigilantes, quod est valdè difficilè, &c. ideò in tantùm hæc difficultas adaugeret meritum sic præsidentium, quòd non possunt ei æquari in merito opera propria religiosorum, vt religiosi sunt. Vnde nihil valet simile inductũ de cohabitante cum mulieribus, & præcipuè cum voluntariè cohabitat.

Quòd

Quòd autem adduxerit pro se auctoritatem Anselm. de similitudinibus. Deus cum diabolo bellum hic habet, in bello suo habet Christianissimum monachum, & supermonachum conuersationem tm̃ Angelorum. Quòd si sic, non ergò super statum monachi, per quem oēs religiosi intelliguntur, est status prælatorum, sed solùmmodò Angelorum.

Dico, quòd sicut patet inspicienti illam similitudinem, Anselm. ibi loquitur de differentia securitatis status monachorum, & Angelorum in bello Dei contra diabolum. Angeli n. sunt in statu omninò secuto, tanq̃ existentes in turri castelli vt nullo modo possint attingi à diabolo, monachi aũt tanquàm in castello in firma societate ad quã non potest accedere diabolus, & ideò nec aliquẽ monachum occidere nisi voluntariè exierit. Dico ergò, quòd benè verum est, quòd quantum pertinet ad securitatem, supra statum monachorum non est nisi status Angelorum. Status enim prælatorum summè periculosus est vt in precedẽte Quodlib. declarauimus satis, nihilominus tamen quantùm ad perfectionem, & meritum vitę status prælatorum est supra statum monachorum & proximior statui Angelorum. Et secundũ hoc illud quod expressius videtur esse pro ipsis, q̃ de religiosis monachis quos hortatus est ad opera manuum, dicit sic. Non cessauit Apostolus exhortari fideles qui haberent hùius mundi substantiã vt nihil deesset necessitatibus seruorum Dei, qui celsiorem sanctitatis gradum in ecclesia tenere voluerint vt spei sæcularis vincula cuncta præciderent, & animum liberè diuinæ militiæ dedicarent, sic ẽt intelligenda puto quæcunq; similia induci possunt, nisi fallaciam adducerent proprię solutionis.

Respectu ergò subditorum, & religiosorum omnium prælati ratione sui status debent esse perfecti, & opera perfectiora, & periculosiora, & difficiliora, vt dictum est, habent exercere, quæ illi tanquàm imperfecti respectu prælatorũ vt prælati esse debent non audeant attingere, sed operibus statui suo competentibus tanquàm securioribus licèt imperfectioribus contenti sint. vt enim dicit August. super Psalm. 36. veluti ad illa infirmi recedunt ad otium, & quieti esse diligunt memores infirmitatis suæ non se committentes magnis actionibus, & quodammodo in statu infirmitatis rogantes Deum qui licèt infirmi sint & imperfecti respectu prælatorum reputandi secundum rationem status sui, status enim eorum status perfectionis est secundum aliud perfectionis genus quàm dicatur status perfectionis status prælatorum.

Ille enim dicitur status perfectionis generandæ propter tria genera operum ad quæ per se ex voto obligantur, per quæ imperfecti nati sunt produci ad perfectionem, propter quod non requirit perfectos recipere, sed infirmos recipi vt ad perfectionem perducat contemplatiuam vitæ. Iste verò scilicèt status prælatorum est status perfectionis vtendæ propter tria genera operum ad quæ prælati ex iniuncto officio exercenda obligantur, quibus alios habent perficere tàm cõtemplatiuos, quàm actionis, propter quòd requirit perfectos vt dictum est quantùm est ex ratione status, sed non æqualiter, quia status iste gradus habet, quia in habentibus superiorem, & generaliorem curam requirit magis perfectos, minus autem perfectos in habentibus curam inferiorem & particularem magis. Propter quod electores prælatorum, cum magis perfectum, & idoneum habere possunt, illum debent præferre, & nõ minus perfectũ, & minus idoneum, quia esset accepti personarum, & minus idoneus cum viderit, quòd magis idoneus haberi poterit fugere debet si poterit vt magis idoneus præferatur. Deficientibus autem personis eminentibus, & quales status quantum est ex se requireret, sufficiet electoribus ponere magis idoneum cui sufficit vt in diuino adiutorio habeat perficiendi propositum, melius enim est preponi aliquem quàm nullum, & sic status ipse ex se propter eminentiam operum perfectã personam requirit.

Quantùm tamen est ex parte illius qui ponendus est in statu, non oportet semper, quòd sit perfectus, vt secundùm hoc si aliquo modo non necessitate sed de congruentia requiritur, quòd perfectus sit positus vel ponendus in statu prælati, hæc congruentia est solùmmodò attendenda ex parte ipsius existentis in statu, nequaquàm autem ex parte ipsius status, immò necessitas, & hoc ponere non est damnare semper positos in statu prælatorum si non sunt perfecti, sed solùmmodò quando potuerunt haberi perfectiores, & per hoc se ingerunt.

Et ad hoc membrum benè procedunt duæ causæ congruentiæ quas ponunt, quæ nequaquàm possunt habere locum aspiciendo ad istum statum. Status enim quantùm est ex se requirit, quòd non nisi perfectus in eo ponatur, & sic quantùm est de exigentia status necesse est prælatos perfectos esse.

Propter quod Apostol. explicat verbum quòd necessitatem importat quando dicit 1. Timot. tertio. Oportet autem Episcopum sine crimine esse. Gloss. Qualis Episcopus debeat esse describit, vt benè operari possit, & Tit. 1. Oportet Episcopum sine crimine esse. Gloss. 1. ad tractationem officij. Vnde Gregor. primo Pastoral. nono.

Apostolus ait. Siquis Episcopatum desiderat bonum opus desiderat, qui tamen laudans desiderium, in pauorem vertit protinus quod laudauit, cum repente subiungit. Oportet Episcopum esse irreprehensibilem. Et fauet ergò

ex desiderio, & terret ex præcepto, &c. cap. 13. Tantùm debet actionem populi actio transcendere præsulis, quàm distare solet à grege vita pastoris. Oportet nanque vt metiri sollicitè studeat quanta tenendæ rectitudinis necessitatè constitutur sub cuius æstimatione populus grex vocat. Sic ergò oportet, quòd sit cogitatione mundus: actione præcipuus &c. quę enumerat quæ sunt perfecti viri. Ecce quomodo & verba Apostoli, & glossæ necessitatem, & opportunitatem ponunt perfectionis circa ponendum, &c. iam positum in statu prælationis: quod enim de Episcopo dicitur, proportionaliter de sacerdote curato intelligitur, &c. secundum hoc aliæ auctoritates consimiles de necessitate intelliguntur quantùm est ex parte status, vt ratione status personæ prelatorum debent esse perfectiores, quia ad opera perfectiora, & difficiliora obligati sunt, quàm religiosi, & hoc de necessitate status, & non solùm de congruentia ex parte & personarum &c. status. Quòd dicunt, quòd licèt Episcopi sint in statu perfectionis, non tamen curati, licèt eis competant eædem actiones, quia Episcopis competũt per obligationem perpetuam, non autem curatis. Dico, quòd de iure communi æqualiter astricti sunt statui suo. & operibus illius curati & Epi, licèt curatis super hoc concessa sit dispensatio generalis, qualis etiam Episcopis posset concedi, quæ si concessa esset, constat, quòd nequaquàm mutaret, vel diminueret in aliquo statum Episcoporũ, quare nõ diminuit statum curatorum, aut mutat. Quod dicunt, quare vbi illa dispensatio inueniatur in iure, & non inuenies, mirum est quomodo hoc possunt dicere, cum statim supra dixerint ꝙ sic fuit ordinatum in Concilio Toletano. Vbi autem illa generalis dispensatio in iure inueniatur, & quomodo intelligendum sit, quòd curatus trãsire potest ad religionem propter frugem melioris vitæ, & ductu Spiritus Sancti, & de minore ad maius, totum declaratum est in præced. Quolibet. in quæstione de præminentia inter prælatos, & religiosos. Quidam dicunt, quòd expositiones illius Lucæ 10. Maria optimam partem elegit, vel quia sibi vel quia magis mansuam, non tamen magis meritoriam, falsæ sunt. Ad cuius refricationem aliqua sunt reducẽda ad memoriam quæ determinaui in præcedenti Quodlib. in quæstione de comparatione vitę actiuæ, & cõtemplatiuæ penès præminentiam. Distinxi enim ibi triplicem ordinem in ecclesia existẽtem. s. laborãtiũ in agro, laborãtiũ in mola, & recũbentiũ in lecto, quorum primus est prælatorum, secundus coniugatorum, tertius religiosorum, & signantur per Noe, Iob, &c. Daniel, distinxi etiam triplicem vitam actiuam, vnam propriam prelatorum ad subditos secundùm tres actus prelatorum prædictos, alteram coniugatorum in operibus operum mecanichorum, &c. negotiationum secularium tertiam communem dictis tribus ordinibus in exercitio operum mandatorum Dei & virtuum moralium. Distinxi etiam duplicem contemplatiuã vitam, vnam vię & alterã patrię. Distinxi et ex parte operũ vitæ actiuę & contẽplatiuę consequẽter, ꝙ pñt considerari rõne substãtię actuum, quę respicit modũ, & circunstantias actuum, vel rõne vsus eorũ qui respicit meritũ & finem operũ. Et dixi, ꝙ aspiciendo ad substantiam actuum opera contẽplatiuę sunt potiora simpliciter & absolutè, quia sunt pacata & quieta, operæ verò actiua sunt laboriosa & turbulẽta. Vnde glo. ibidem. Maria sedet quia contẽplatiua mentis quiete fruitur Martha stat quia actio laboriosa desudat in certamine Itẽ aspiciendo ad substantiã operum potiora sunt opera contẽplatiuę, quia magis mansiua, vt dicit secunda expositio vnde super illo. Quę nõ auferetur ab ea, Glos. interlin. Ex opposito intelligo, ꝙ à Martha auferetur pars quã elegit, quia transit labor. Vnde glo. marginalis. Nõ reprehenditur pars Marthę, quia & ipsa bona, sed laudatur pars Marię: quę qũo sit optima subinfertur. Quę non auferetur ab ea, quia cõtẽplatiua hic incipit & in cęlesti patria perficietur actiua aũt cum corpore deficit, quia in ęterna patria pãnẽ non porriget esurienti, quia nemo esuriet, nec cętera opera miseri cordię aget, quia nõ erunt necessaria. Illã ergò secundã expositionẽ secũdũ has conditiones differentes nequaq̃ põt aliquis dicere falsam esse. Vnde, ꝙ dñt eam falsam esse ęstimo. ꝙ hoc dñt ratione adiuncti. s. nõ tñ magis meritoria. Vnde & contra hoc adducunt auctoritates Greg 6 Moralium, & Aug. de bono cõiugali. quib. probatur, ꝙ contẽplatiua est magis meritoria, quę nequaquã sunt cõtra illud additũ aspiciendo ad intentionẽ argumenti, in cuius dissolutione ponuntur dictę expositiones. Dixi. n in dicta qõne, ꝙ aspiciendo ad vsum dictarũ operationũ, contemplatiuę. s. & actiuę, si loquamur specialiter de operib. actiuę q̃ per se specialiter. & propriè conueniunt prelatis inquantũ prelati sunt s. ratione sui status, ꝙ potiora sunt opera actiuę simpliciter quo ad statũ vitę prẽsentis, & magis meritoria q̃ sint quęcunq; opera cõtẽplatiuę vitę prẽsentis, dũ tñ plus coactus accedat, & talis sit, & taliter operetur qualem, & qualiter operantẽ status requirit secũm modũ ibi expositũ, & iam in parte tactũ. Aspiciendo ergò specialiter ad talia opera actiuę plãtorũ, & contẽplatiuę vitæ prẽsentis vera est illa additio, opera n. talis actiuę operib. talis contẽplatiuę magis meritoria sunt, vt ibidem sufficiẽtibus auctoritatibus probaui, nec contra hoc inuenient aliquam auctoritatem. Vnde quia argumentum nitebatur probare per illud dictum Maria optimam partem elegit, quòd etiam contemplatiuæ vitæ præsentis opera potiora essent, &c. magis meritoria quàm opera dicta actiuæ prælatorum, benè assignata est contra illius argumenti intentionem ꝙ

dicta

dicta expositio, & vera; & malè reprehensa, nisi ostendant, q̃ opera contemplatiuæ vitæ præsentis sunt magis meritoria, q̃ opera actiuæ prælatorum prædicta, quod nunquàm probat, sed solùmmodò supponunt, & cõtraria, absq; ratione, & auctoritate reprehendunt. Auctoritates enim, quas illi secundùm Augu. & Grego. adducunt ad probandum, quòd opera contemplatiuæ vitæ præsentis magis meritoria sunt, quàm opera actiuæ, nequaquàm loquuntur de operibus actiuæ prælatorum prædictis, sed solùmmodò de operibus actiuæ laborantium in mola, vel pertinentibus ad omnes, &c. circa opera mandatorum, & virtutum moralium, vel etiam prælatorum, ad quæ non coacti, sed vltro accedunt, ad quod eas ibidem adduximus, & de quo solùmmodò loquuntur, vt patet inspicienti, & sic malè ab illis retorquentur contra dictam secundam expositionem.

Vlterius autem vt reuortar super calumniam primæ expositionis addendo dictis in quæstione prædicta, sciendum est, quòd sicut opera prælatorum prædicta propter necessitatem totius temporis vitæ præsentis præferuntur operibus contemplatiuæ præsentis vitæ, licèt operibus eorum actiuæ, ad quæ vltrò se offerunt, præferantur opera contemplatiuæ, &c. hoc quemadmodum sub lege Moysi opera coniugij præferebãtur pro determinato tempore operibus continentiæ, licèt in aliquibus tunc prærogatiuè in alijs erant opera continentiæ, &c. pro tempore moderno opera continentiæ præferantur, dicente Hieron. Algu. Olim gloriæ erat audire illum versiculum. Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mensæ tuæ, & videas filios filiorum tuorum Nunc verò de continentibus dicitur; Adhæsit anima mea post te Idem contra Helu. ad hæreticum Nec putent me aliquam fecisse distantiam inter sanctos veteris testamenti, & noui, ideſt, inter eos, qui habebant coniugia, &c. hos, qui à complexibus penitus recesserunt. Verum pro conditione temporum alij eos, tũc subiecisse sententiæ, & alij nos: ideò nanque sylua crescit, vt succidatur postea, iam plenus est orbis terra nos nõ capit: ideò ager seritur, vt metatur. Vnde Augu. de virginitate. Prioribus quippè temporibus venturo secundum carnem Christo ipsum genus carnis in prophetica gente necessarium fuit: nunc autẽ cum ex omni hominum genere ad populum Dei membra Christi colliguntur, sacram virginitatem, qui potest capere capiat, de quo Hiero. ad Eusto. Alia autem erat in veteri lege fœlicitas cum vacuus erat orbis, &c. sola erat benedictio liberorum: paulatim autem crescẽte segete messor immissus est. Virgo erat Helias. Helisæus virgo: virgines filij prophetarum. Hieremiæ dictum est. Tu ne accipies vxorem, & Greg. super Euangel. Quòd enim per incrementa temporum excreuit virtus castitatis in eorum translatione, qui ascensionem dominicam designauerunt, ostenditur; nã Enoch vxorem, & filios habuit; Helias verò nec vxorẽ, nec filios habuisse legitur; Translatus est Enoch per coitum generans, &c. per coitum genitus. Raptus est Helias per coitum genitus; sed nõ per coitum generans. Assumptus verò est Dominus non per coitũ generans; nec per coitum genitus. Ambros. lib. 2. super Lucam. Denique Maria exẽplum edidit. In ipsa enim cœpit dignitas virginũ. Hieron. in libr. de homine perfecto. Quæ virgo peperit, quod virgo concepit, quæ prius mater facta est, quàm maritata. Consimiliter omninò opera pietatis & misericordiæ ad proximios vitæ actiuę in aliquibus personis pro determinato tempore præferri possunt operibus vitæ contemplatiuæ præsentis in eisdem, vt maioris meriti sit personis illis insistere pro illo tempore operi pietatis actiuę vitæ, quàm operi contemplatiuæ, quemadmodum cum Gen. 18. Abraham Angelos tres in specie trium virorum recepit, qui festinauit, dixitq̃ne ad Saram, Accelera, quæ occurrit, dixitq̃ue puero, qui festinauit, perfectius opus fuit Sarræ, &c. puero iuuare Abraham, fortè & magis meritorium pro illa hora, quàm insistere contemplationi. Sic etiam in proposito fortè pro hora, qua Domino seruiendum erat à Martha, & Maria, vt hospiti, perfectius, & magis meritorium fuit Marthę esse sollicitam circa opus pietatis exhibendum Christo, quod erat vitæ actiuæ, & similiter magis meritorium fortè fuisset Mariæ, si exercitata fuisset in illo opere, sicut Martha. Quod quia non fuit, & in nullo profuisset Marthæ, licèt illam vocasset loquens, vt dicit Glossa ex illorum persona, qui diuinæ contemplationis ignari solùm didicere fraternæ delectionis opus magis meritoria fuit Mariæ pro hora pars, quàm elegit, licèt magis meritoria eidem fuisset pro hora pars Marthę simpliciter si idonea fuisset ad opus illud, & secundũ hoc processit illa prima expositio, quæ omnino literalis erat, & absque aliqua absurditate, nec discordans fidei, &c. moribus, propter quod nequaquã debet reputari fuisse falsa, dicente August. in Glossa super principium Gen. Cum omnes diuinos libros legimus, in tãta multitudine verorum intellectuũ, qui de paucis veris eruuntur illud potissimum deligamus quod apparuerit eum sentire quẽ legimus. Si aũt hoc lateat, illud quod circunstantia scripturæ non impedit. & cũ sana fide concordat Quare cum in proposito lateat quid Christus senserit, alioquin non tã varię expositiones in ipso essent, nec impedit literæ circunstantia, & ipsa cõcordat cum sana fide, nequaq̃ ergò falsa reputanda est. Cæterum cum primas duas expositiones non approbant, quare tertiam, cui nequaquàm contradicunt non commendant? Quia expressè declarat, q̃ nequaquã de contẽplatione vitę præsentis ad actionem eiusdẽ dictũ illud intelligendum sit, sicut ipsi volũt illud

intelligi, sed potius de actione vitæ præsentis, & contemplatione vitæ futuræ, quarum figuram gerunt Maria & Martha.

Quòd dicum vltimo, quòd in Apostolis fuit omnis perfectio, quantum ad opera religiosorũ & prælatorum, vnde statum prelationis habuerunt sublimem, sed in difficilioribus actibus qui sunt continentia, abdicatio omnis proprietatis, & abnegatio propriæ voluntatis vel obedientiæ, succedunt eis religiosi. Vnde non sunt ab homine instituti quantum est de substantia status religionis, sed quia totam plenitudinem perfectionum natura humana non poterat sustinere in vno, ideò in ijs quæ sunt auctoritatis, & dignitatis solùmmodò Episcopi successerunt Apostolis, & sacerdotes curati 72. discipulis, vnde patet quod dicit, quòd religiosi in difficilioribus actibus succedunt Apostolis, ex quo patet, quòd status religiosorum est perfectior quàm status prælatorum, & quòd est à Christo institutus sicut & prælatorum. Dico, quòd si omnis perfectio fuit in Apostolis (dico omnibus) vnde ergò prærogatiua Pauli, quòd proprijs manib laborauit, & gratis Euangelium dispensauit sine sumptu? qđ nullus aliorum Apostolorum fecit vt infra dicetur. Sed esto, quòd in ipsis fuerit omnis perfectio quantum ad omnia opera religiosorum & prælatorum, nunquid ad omnia illa erant astricti ratione status prælaturæ institutæ à Christo? Non vidi enim in scripturis, quòd Christus eis perceperit tria vota religionis, etsi illa eis suaserit, & ipsi propria voluntate ad eorum obseruantiam se obligauerunt postquàm audiuerunt Christum grauia prædicantem de nuptijs, & dicerent Matth. 19. Si ita est causa viri cum vxore, non expedit nubere, super quo dicit Chrysostomus. Nõ dixit Christus quia non expedit, sed magis consentit quia non expedit. Hinc etiam dicit August. lib 3. de virgin. Eodem itaque iam tunc docuit dominus esse debere intemeratæ studium castitatis. Vnde & Apostoli eam cæteris præminere cernentes, si ita est aiunt causa viri cum vxore, non expedit nubere. Quo dicto, & grauia iudicauerunt onera coniugij, & veræ integritatis gratiam prætulerunt, sed dominus qui sciebat prædicandam omnibus integritatem, imitandam paucis, non omnes inquit capiunt verbum istud, hoc est pro infirmitate præcipitur, sed pro virtute conceditur. Et sicut hoc concedi potest de castitate sic & de paupertate Vnde secundùm August. de opere monachorum, vt inferius dicetur, Dominus Apostolis permisit vt de Euangelio viuerent, non præcepit, alioquin Paulus peccasset de labore viuendo, nec rursum præcepit de labore viuere, quia tunc alij peccassent qui de labore non vixerunt, permisit ergò eis, vt videtur, nec de Euãgelio, nec de labore, sed de proprio eos viuere si habuissent & sic de ratione status prælationis à Christo instituti in Apostolis non est obligatio ad castitatem aut paupertatem, etsi ipsi ex mera voluntate per votum ad illa se obligauerũt sicut exemplo Christi, & doctrina ea seruanda didicerunt, & ea posteris suis seruanda verbo, & exemplo docuerũt. Et ita, quòd in istis actibus succedãt Apostolis religiosi, hoc non est vt in illis quæ Apostoli rationem status tenere debueret, in illis enim, & quò ad illa quæ sunt oneris, & honoris soli Episcopi successerunt Apostolis, & curati discipulis, sed solùm modò vt in illis quæ propria voluntate assũpserunt vt expeditius officium Apostolatus, & discipulatus exequi possent, & sunt illa multo difficiliora & arduiora, in quibus Episcopi & curati succedunt Apostolis & discipulis, quàm illa in quib. religiosi, vt dictum est, propter quod omnino perfectior est status prælatorum quàm religiosorum. Nec possunt aliquo modo statum suum attendere à Christo institutum, sed exemplo, & doctrina eius solũmodò suasum, & per hoc quoquò modo traditum & institutum, sicut sunt & cæteræ religiones, & omnis obseruantia operum perfectionis, & consiliorum tàm in religione, quàm extra. Quod addunt vltimo, quòd institutio. 72. discipulorũ fuit immediatè à Christo vt à Summo Pontifice, & ideò misit eos vt Summus Põtifex non vt Christus, & ideò Summus Põtifex successor eius habet potestatem mittendi quos vult. Quero quare non dicũt hoc de Apostolis cum tñ secũdùm textũ Euangelij æqui immediatè, & ad consilia opera, & cũ similib. edictis 72 discipulos miserit, vt patet manifestè ex serie textus Euangelici Lucæ 10 vbi dicitur. Post hęc aũt designauit Dñs Iesus & alios 72. & misit illos binos ante faciem suã &c. Et subdit parũ post. Ite, ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, nolite portare sacculũ neq; peram &c. Ecce, ꝙ idem Christus, & secundũ, ꝙ idem mittit discipulos 72. & ad similia opera, & cũ similib. edictis, qui & secundũ ꝙ huiusmodi miserat duodecim Apostolos, vt patet c. præcedẽti Lucæ. Quod ét planè patet per Aug. in lib de opere monach. aliquantulũ post principiũ, vbi tractans illud Matth. 10. Deiñ 12 Apost. &c. Nolite possidere aurũ, neq; argentũ, neq; pecuniam, dignus est eñ operari cibo suo &c. subdit. Aug. Nequis aũt arbitretur solis 12. hoc fuisse cõcessum, vide quid ét Lucas narret. Post hæc iquit designauit Dñs & alios 72. & misit illos &c. Ecce ꝙ tàm ex serie textus Euangelici, q̃ expositione Aug. patet, ꝙ idem Christus, & secdm ꝙ idem misit, f secdm ꝙ Deus, vel secdm quod Christus tã 72. discipulos, q̃ 12. Apostolos: non Apostolos vt Deus seu Christus 72 discipulos vt homo purus, dicere. n. ꝙ Christus secundũ ꝙ hõ, & non secdm ꝙ Deus aut Christus misserit 72. discipulos, est dicere aliquid sine ratione & auctoritate immò eui contrariari videtur & litera euangelica manifestè, & omnes Sancti eam exponentes.

Si

Si enim Apost. Paulus à Christo secundùm quòd Deus licèt regnante in cœlis missus est, vt dicat de seipso Galat. 1. Notum facio vobis fratres Euangelium quod euangelizatum est per me, quia non est secundùm hominem, neque enim ab homine accepi illud neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi. Vnde super illud Non est secundùm hominem. Glos. secundùm docentem me vel mittentem. Neque enim accepi illud ab homine. Glos. vt homo me eligeret.

Sed per reuelationem Iesu Christi. Glos. omnia clarè ostendentem, non ergò Apostolus Paulus omnia docens missus fuit à Christo secùndùm quod homo, sed secundùm quod Deus licèt ab homine Deo vt regnante in cœlis, vnde & in raptu suo hora suæ conuersionis videndo clarè diuinam essentiam, in illa visione accepit reuelationem Euangelij, & vidit arcana verba quæ non licèt homini loqui. dicente Gregor. 19. Moralium.

Paulum video ad ecclesiarum custodiam vigilanter se ac pastoraliter exercentem, cuius cum initium conuersionis aspicio, perpèdo quòd ei superna pietas cœlos aperuit, Iesuque illi Iesus de sublimibus ostendit, qui lumen corporis ad tempus perdidit, lumen cordis in perpetuum accepit.

Quòd si Paulus immediatè missus sit à Deo, nunquid & cæteri Apostoli? similiter etiam si Apostoli, nonne & discipuli? licèt non nisi vnus eorum princeps, Petrus scilicèt super eos à Deo sit ordinatus vt ipse circa cæteros Apostolos & discipulos cuncta disponat, & similiter Petri successor circa successores Apostolorum & discipulorum, stante semper immobiliter ordinatione, quam Christus in illis ordinauit, de quibus aliàs satis locuti sumus.

Vnde & secundùm hoc loquitur decretum Anacleti Papæ distinctio. vigesimaprima. In nouo testamento

Comment. in Quæstionem XIIII. quæ est,

Vtrum aliquod opus bonum sine voto possit esse melius, quàm castitas sub voto,

IN titulo per ly aliquod opus, vt sit recta comparatio, intellige castitatem, vt castitas sine voto, comparetur castitati sub voto. Tamen scito, quòd extendi potest quæstio ad quodlib. opus sine voto, vt comparetur alteri facto ex voto, quod potest esse dupliciter. Primò comparando idem opus eidem operi ex voto & sine voto, vt castitas ex voto comparetur castitati sine voto. Et hoc dupliciter, vel scilicet cæteris paribus, vel non cæteris paribus, vt quòd castitas sine voto sit cum maiore charitatis ardore, atque feruore. Secundò principaliter comparando opus vnius generis ex voto cum opere alterius generis, quod solet fieri sine voto, vt castitas ex voto comparata martyrio, quod non est ex voto, & fortè nunquam esse potest ex voto. Et sic quæstio potest habere tres articulos, vt patet.

In corpore igitur tribus conclusionibus tribus articulis correspondentibus satisfacit, vt tamen vltima præcipuè sit ad principale quæsitum.

Prima igitur conclusio, castitas sub voto melior est castitate sine voto, cæteris paribus.

Not. quòd dicitur cæteris paribus, propter secundam conclusionem, in qua huic oppositum accidere potest.

Not. quòd dicitur melior tantùm ex circunstantia, non ex genere operis, non etiam ex specie eius, neque ex substantia, quippè idem sit genus, species, & substantia operis, vt patet. Melior autem dicitur ex circumstantia, quàm apponit votum, quæ facit, vt gratior sit Deo castitas sub voto. Et quod dicitur de castitate, dicendum est de quolibet alio opere bono.

Probatur autem conclusio ex Anselmo, vt patet in litera.

Secunda conclusio ad secundum articulum, castitas sine voto potest esse melior, quàm castitas cum voto.

Declaratur conclusio. Quòd vbi castitas sine voto est cum maiori feruore charitatis, est melior castitate cum voto sine tali feruore charitatis. Et sic etiam intelligitur de omni opere.

Probatur modo conclusio. Quod meliori modo est aptius, & accommodatum ad finem est melius eo, quod non meliori modo &c. Sed modus melior ad finem est feruor charitatis. Ergò omne opus ex charitatis feruore procedens melius est eo, quod sine huiusmodi est, ergò, & castitas. Maior patet. Quia opus quolib. bonum est vel ex fine, vel ex eo, quod tendit ad bonum finem. Sed respectus finis cum sit vnus & idem omnium operum, scilicèt Deus, non variatur bonitas eorum respectu finis, ergò ex eo, quod melius, vel non ita tendit ad finem, scilicèt meliori modo. Minor patet ex August. de moribus ecclesiæ, & de Ciuitate Dei, & colligitur etiam ex Gregorio.

Tertia conclusio. Aliquod opus sine voto potest esse melius castitate ex votu, & alio etiam opere ex voto.

Declaratur primò, quòd intelligitur in diuersis operibus specie vel genere, scdm quod vult tertius articulus. Declaratur secundò, quod intelligitur illud melius esse opus, quod suaptè natura est ex maiori charitate, vt martyrium, & alia, quæ in responsione ad secundum enumerat Auctor.

Probatur autem conclusio eodem medio, quo probata est proxima superior.

Not. tamen quod superior conclusio erat de eo, quod melius est, non ex parte operis, sed tantùm operantis, hæc autem est de eo, quod est tùm ex parte operantis, cùm etiam ex parte operis. Vnde not. quòd vbi fit comparatio inter ea, quæ sunt eiusdem speciei, apposita tantùm circunstantia, vt dum comparatur castitas cum voto castitati sine voto, ex substantia operis non potest esse variatio, quia quæ sunt eiusdem speciei specialissimæ non possunt contrahi per diuersas alias essentiales differentias.

Per vltimam enim essentialem differentiam species constituitur. At vbi opera sunt diuersarum specierum, variari possunt, ex parte operantis, vt dictum est, sed & ex parte operis, quoniam genus plures differentias semper virtute continet. Quocirca vna castitas non potest esse melior in sua essentia, quàm alia, sicut nec Petrus in sua essentia melior est Paulo. Potest verò esse per aliquod accidens, & sic castitas ex charitate maiori superueniente castitatem illius expertem excedit.

Votum verò operis vnius generis potest esse melius in sua substantia, quoniam in se suapte natura potest habere maiorem charitatem, &c. hoc ex se, non ex parte operantis. Vt martyrium, quod ex se maiorem habet charitatem, quam quælibet castitas. Non intelligas autem illud ex se, nisi quatenus imperatur a charitate, tunc enim intelligitur esse maximæ perfectionis. Quod notat etiam D. Thomas 22. quæstio. 124. 3.

In responsione ad secundum notaueris, quòd prolixa oratio, quam inducit, correspondet quæstioni 28. & 29. duodecimi Quodlib. quippè agat de statu prælatorum, duo faciens. Primò probans id, quod in illis quæstionibus probauit. Secundò nouis obiectionibus satisfaciens, facilè quidem; sed prolixè. Et nota quòd eiusdem sententiæ est etiam D. Thomas 22. quæstio. 184. artic. 6. quo ad maiores prælatos, tametsi quo ad minores non ita absolutè, & sine distinctione, non respondeat in 7. artic. vide ipsum.

QVAESTIO DECIMAQVINTA.

Vtrum ingressus religionem ex voto, & expertus quod possit onera illius portare, teneantur profiteri.

Arg princ. Primum.

CIRCA tertium arguitur, quòd ingressus religionem ex voto, & expertus post ingressum, quòd possit onera illius portare, teneatur in illa profiteri, quia sicut se habet votum ad ingressum sic experientia post ingressum se habet ad professionem, sicut enim non est votum nisi propter ingressum, sic non est experientia nisi propter professionem, sed vouens se ingressurum religionem aliquam tenetur illã ingredi ergò similiter expertus in illa, quòd possit onera eius portare, tenetur in ea profiteri.

Secundum

Item nemo mittens manum suam ad aratrum aspiciens retrò aptus est regno Dei, Lucę 9. sed iste expertus misit manum ad aratrum religionis, recedendo autem, & non profitendo aspicit retrò, ergò non est aptus regno Dei, hoc autem non est nisi quia mortaliter peccat non profitendo, & quilibet tenetur facere illud quod non faciendo mortaliter peccat, ergò &c.

In oppositũ

Contra. Vouens intrare religionem non plus tenetur facere ratione voti, quàm sub voto continetur, sed professio non continetur sub voto de ingressu, quia tunc vouens ingressum simul voueret professionem, quod falsum est, quia nec vouet experientiam, aliter enim non posset exire antequàm esset expertus an fortis esset ad portandum onera religionis, an intantùm debilis, quòd non consequenter teneretur, quare &cet. Dicunt

Opinio quorundam

aliqui, quòd quilibet tenetur facere illud sine quo illud ad quod tenetur, siue ex voto, siue alio modo, non potest impleri, nisi vanè & inutiliter, puta si miles promittat regi, & secum ibit siue veniet ad bellum contra aduersarios illius, vanè & inutiliter iret comparendo coram aduersarijs in bello, si non maneret, & manendo pugnaret, & in pugna perseueraret, sed recederet, nec impleret promissum de eundo siue veniẽdo ad bellum sine mora, & pugna, & perseuerantia, nisi rationabilis causa de recedendo superueniret, puta ægritudo aut notitia, quòd rex iniustum bellum mouerer, aut aliquid huiusmodi, quia sine illis vanè veniret, quia nihil proficeret & inutiliter, quia alijs mitibus exemplum recedendi præberet, quod totum exercitum regis in timorem, & fugam conuertere posset.

Sed ingressus religionis ad quem quis tenetur ex voto, non posset impleri nisi vanè & inutiliter si non maneret, & manendo experiretur, & expertus profiteretur, & perseueraret, sed recederet, quia sine illis vanè & sine profectu intraret atque experiretur, & similiter inutiliter, quia alijs sibi consimilibus exemplum recedendi consimiliter præberet, & ad recessum quantùm in se esset prouocaret, & sic eos scandalizaret. Nec est causa rationabilis de recedendo superueniens de nunquam profitendo, quia neque ex parte sua, quod supponitur, neque ex parte religionis, quia supponitur, quòd quælibet religio quantùm est ex parte sui sit conueniens cuilibet valenti onera illius portare, ergò quilibet vouens ingressum religionis tenetur non solum ingredi illam, sed etiam manere quousque sit expertus vires suas dicto modo, & similiter profiteri si fit expertus, quòd onera illius religionis sufficit portare, & secundùm hoc concedunt duas priores rationes.

Ad rationem autem in oppositũ dicunt, quòd licèt professio non contineatur sub voto de ingressu principaliter, continetur tamen sub illo ex annexo, quia vouens ingressum debet habere prò posito de profitendo si expertus fuerit vires suas sufficere ad onera illius religionis portanda, & ideò professio futura cadit sub voto sub conditione, si tales vires expertus fuerit forę in se, nec illis expertis poterit exire. Et quia expertus sic esse non potest nisi prius experiatur, neq; experiri nisi maneat, ideò etiam implicitè & ex annexo sub voto de ingressu cadunt simpliciter, & absque vlla conditione manere, & experiri post ingressum, quousque super viribus suis dictam habuerit experientiam.

Responsio

Dico ego, quòd in omni quæstione de quacunque obseruantia regulari ex voto qualis est quæstio iam proposita, & qualis erat quæstio quam habuimus in præcedenti. Quolibet, vtrum videlicet

licet ingressus religionem ex voto præcedente si statim exeat post ingressum votum suum expleuerit, duo sunt considerandæ scilicèt vis, &c. obligatio voti, & vis atque obligatio statuti ecclesiastici, siquidem circa illam obseruantiam sit editum, &c. similiter vis & obligatio consuetudinis circa illam obseruantiam rationabilis & præscriptæ, quæ meritò vigorem iuris debeat obtinere. Si enim statutum aliquod circa illam sit editum, aut consuetudo obseruata, secùdùm illam votum illud interpretandum est, puta si quęratur, vtrum ingressus religionem ex voto præcedente post lapsum anni possit liberè exire, si statutum aliquid ecclesiæ contineat, quòd talis post lapsum anni statim teneatur pro professo seu teneatur profiteri, aut etiam consuetudo religionis, sentiendum est, quòd ille nequaquàm possit de cętero exire. Si autem nullum statutum circa illam obseruantiam editum sit, neque consuetudo aliqua obseruata, votum illud solùmmodò, &c. præcisè interpretandum est secundum vim, &c. obligationem voti.

Intentio igitur mea est respondere ad propositam quæstionem, quemadmodum etiam fuit in responsione ad quæstionem dictam præcedentis Quodlib. habendo respectum solummodò, & præcisè ad vim, & obligationem voti saluo omni statuto ecclesiastico circa obseruantiam regularem in quæstione propositam edito vel edendo, &c. similiter consuetudine obseruata vel conseruanda, quia &c. ordinationi ecclesię, & voluntati superioris, & statuto ecclesię atque consuetudini prædictę censemus in talibus omninò fore assentiendum.

Hac ergò protestatione proposita & intellecta semper in hac quęstione, & in consimilibus, Dico, quòd reuera ingressus religionem siue ex voto præcedente de ingrediendo siue absque voto, debet prius experiri vires suas antequàm profiteatur. Vnde &c. ad hoc nequis indiscretè profiteatur, datus est ei annus probationis, sicut dicit illa decretalis, non solùm in fauorem conuersi.

Vt enim dicit Ambro. in Epistola ad Montanum, tempore indigemus vt aliquid maturius agamus nec præcipitemus consilia. Et idem ad Simplicium. Lenta est omnis virtus, &c. diuturna cunctatrix, ante iudicat priusque examinat, & hoc præcipuè ad illa de quibus sunt consilia, quæ vt dicit libro primo de virginitate, supra nos sunt, & in voto magis sunt quàm in magisterio siue præcepto, quæ vt dicit Augustin. lib. de adulterinis coniugijs, facienda sunt non lege iubente, sed libera charitate, & ea sunt in nostris officijs gratiora, quæ cum liceret nobis non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Et ideò vt dicit in lib. de virginitate, in maiori merito collocant, propter quòd de talibus dicit dominus, Qui potest capere capiat, non ex necessitate, potestatem habentes vestrę voluntatis, vt dicit ibidem. Igitur vt de proponente vouere seu profiteri dicit Hiero. ad Demetriadem, sanctę ac spiritualis vitæ fundamenta iaciantur vt vires suas agnoscat, quas demum bènè exercere poterit cum eas se didicerit habere, optima enim hortamenta sunt cùm docetur aliquis posse quod cupiat, ne nihil prosit ad ea vocari quę sibi fortè impossibilia esse præsumpserit, & Ambro. lib. de vidui. Mensura ergò oneris pro mensura debet esse gerentis, alioquin impositi hominis fit ruina vbi vectoris infirmitas est, non supra vires abstinentię grauioris vectura subeunda est, sed relinquendum est vt vnaquęque anima se pensęt, non auctoritate aliqua præcepti, sed incremento gratię prouocata.

Vbi præceptum est, lex est, vbi consilium gratia est, præceptum ad naturam reuocat, consilium ad gratiam prouocat, sed hoc non omnibus imperatur, sed ab omnibus flagitatur, etenim qui pensam distribuit æquitatem debet examinis reseruare, pęsa est quę diuiditur, sapientia quę ita diuidit vt virtutes vireſque æstimet singulorum, &c. ideò dicit dominus, quòd qui potest capere capiat. Scit enim creator omnium affectus esse varios singulorum, & ideò ad virtutem prouocat, non autem infirmitatem vinculis alligat. Sed quoniam vt sicut dicit dominus non omnis quę non cępit deliberet, quę aggressa est perseueret, nulla detur occasio aduersario, nulla subtrahatur Christo oblatio, noli ergo vt ait Hieron. ad Alletam, subire onus quod ferre non poteris, nec ait Gregor. lib. 1. Pastor, qui in plano stantes titubat in præcipitio pedem ponant.

Et licèt vt dictum est ingressus religionem debeat experiri vires suas prius quàm profiteatur, vt non nisi discretè profiteatur, Dico tamen quòd vouens ingressum religionis, &c. illum solùmmodò explicans verbo cordis, siue explicet verbo cordis aut oris, quòd in vouendo habet propositum, & de intrando, & de permanendo, &c. de experiendo, & de profitendo, siue neutro modo explicet, sed cò intelligatur implicitè, nisi verè & expressè intendat verbo cordis, aut oris se obligare ad permanendum, & ad experiendum, &c. ad profitendum vel simpliciter, vel sub conditione si sufficientem se oneri inuenerit, ad nullum illorum se obligat per illud votum, nec continentur sub eo ex annexo, sicut nec simpliciter, sed cadunt solùmmodò sub modo proposito, quia nequaquàm se obligat, sed est solùmmodò circumstantia voti, siue tanquàm circumstans votum, sine quo votum ipsum non esset votum, nec etiam esset licitum promissum nisi in casu siet puta occasione mortis, vel huiusmodi vel alicuius consimilis, vnde & in præcedenti Quolib. si sic posset vouerī ingressus religionis sub dubitatione dimisi quęstionem 20.

Et

Et sic dico, quòd ex ratione, &c. forma talis voti sic vouens nihil amplius vouet, quàm meri ingressum, &c. ad nihil amplius se obligat. Et sic vt mihi videtur nihil illorum verum est quæ assumpta sunt in solutione vltimi argumenti, & sicut professio sub dicta conditione scilicèt si expertus fuerit, non cadit sub voto, similiter secundùm quod alias declaraui, nec mora, nec experientia cadunt sub voto ingressus, quoniam si aliquod istorum implicitè, aut ex annexo caderet sub voto, potius caderet sic sub voto ipsa professio quàm mora vel experientia, quia professio est finis ingressus moræ &c. experientiæ, finis autem semper principalius cadit sub proposito, &c. intentione proponentis inquantùm proponit, quàm aliquid eorum quæ sunt ad finem. Et sic quemadmodum si quis voueret se daturum pitantiam alicui religioni in aliquo certo die, & simul proponeret illam intrare illo die, nec intenderet in proponendo se obligare ad ingressum, nec in vouendo pitantiam, nullo modo dicendus esset talis esse obligatus ad ingressum, nec deberet dici, quòd ingressus caderet vllo modo sub illo voto, sic, si quis vouet se ingressurum religionem, &c. simul proponit manere, & experiri, & profiteri, nullo modo dicendus est esse obligatus ad moram, experientiam, seu professionẽ, nec implicitè, nec explicitè, nec verè, nec interpretatiuè, nec principaliter, nec ex annexo quantùm est de vi voti simplicis ingressus, quia vota sunt stricti iuris, sed si quis voueret se professurum, siue proponeret expressè, aut voueret se intraturum siue non, semper tamen implicitè, & interpretatiuè, &c. ex annexo censendus esset vouere ingressum, & similiter moram ad experiendum, & experientiam si non velit in ingressu statim profiteri, & hoc ideò quia posterius ordine non potest impleri sine impletione prioris, prius tamen potest impleri sine posterioris impletione. Vnde cum ordine discretionis, & rationis rectæ atque statuti ecclesiæ, post ingressum mora, &c. experientia quæ haberi potest primo anno qui dicitur probationis, debeant præcedere professionem, in quo tamen quisque potest ex promissione ecclesiæ sibi præiudicare seipsum statim ad professionem futuram obligando, aut etiam statim profitendo, ideò profitens statim, aut obligans se ad professionem futuram, post talem obligationem aut professionem tenetur intrare, &c. morari, sed non ad experiendum, sed ad votum implendum, non tamen è conuerso post introitum tenetur vllo modo morari experiri aut profiteri quantùm est de vi voti.

Et sicut iste ex vi voti ingressus non tenetur experiri, sic religionem ingressus, & expertus quòd potest onera eius portare non tenetur profiteri. Quod dico, si solùmmodò expressit votum introitus. Si enim sic expertus teneretur ex hoc profiteri, videtur quòd si quis esset perfectè expertus quòd sufficerent sibi vires ad portandum onera religionis, sicut plurimi sunt clerici, qui morantur cum religiosis, qui secretis consilijs & laboribus pertinentibus ad onera religionis interfunt, qui etiam experientia visus, & auditus, &c. aliorum sensuum plus possunt noscere onera religionis, quàm nouitij in illa quacunque experientia operis, talis inquam vouendo introitum religionis statim esset obligatus ad faciendum professionem, quòd falsum est, quia etiam tali à iure concessus est annus probationis, qui frustra ei concederetur. Perinde enim esset talem statum profiteri, &c. expectare vsque ad annum, nisi quòd maior experientia esset in ipso, si cum experientia sensuum esset experientia operis in ipso, quàm si non esset.

Sed non videtur, quòd requiritur in hoc summa experientia. Aliter enim nouitij deberent interesse secretis consilijs ordinis, in quibus grauia, &c. ardua ordinis tractantur, ad quæ in plerisque ordinibus nequaquàm admittuntur. Falsum est ergò illud ex quo istud sequitur, scilicèt quòd vouens simpliciter intrare tenetur ad professionem si expertus fuerit se fore idoneum ad onera religionis portanda. Quare non plus vouens intrare secundùm dictum modum tenetur permanere experiri aut profiteri si inuenerit se idoneum, quàm intrans simpliciter absque omni præcedenti voto, de quo omninò manifestum est, quòd ad nullum illorum tenetur, quia nihil omninò vouit aut promisit nisi ex fallibili apparentia facti, potest enim talis intrare deriſoriè cũ intentione statim exeundi, qui grauiter peccaret, quemadmodum grauiter peccaret ille qui in facie ecclesiæ duceret per verba de præsenti mulierem cui non esset in aliquo prius obligatus, cum intentione, & proposito ipsam statim dimittendi & intrandi religionem, & tamen sicut iste non est obligatus ad standum cum illa muliere, quia nec est ei in ullo obligatus secundum rem, sic nec ille ad permanendum in religione.

Vnde, quòd post introitum religionis, etiam ex voto, aliqua mora aut experientia expectanda sunt, hoc non est ex aliqua obligatione in voto de intrando, sed solùmmodò ne professio fiat indiscretè, vt patet ex dictis sanctorum præpositis. Nec etiam ecclesia ex statuto suo tale tempus indulsit nisi præuio iudicio rectæ rationis naturalis qua sic debet fieri, sed quòd tantùm tempus, annuale scilicet ordinauit, & sic limitauit, non similiter ex recto iudicio rationis naturalis fuit, quia vbi vni vel in vna religione sufficeret ad experiẽtiam tempus annuale, fortè alteri vel in alia religione non sufficeret tempus triennale, sed potius ex recto iudicio rationis coniecturalis tantum tempus est præfixum, & quia regulariter præsumendum est, quòd cuilibet homini habẽti vsum

rationis

rationis tantum temporis sufficiat ad capiendum experientiam duritiæ, &c. status cuiuslibet religionis. Sic ergò adhuc dico reuertendo iterum ad propositum, quòd esto, quòd quis voueat intrare religionem cum proposito intrandi, permanendi, experiendi, & profitendi, tamẽ postquàm ingressus est, & soluit propositum de intrando, non tamen quia proposuit, sed quia vouit, aliter enim ad soluendum non teneretur, sicut dictum est, absque omni calumnia soluit totum promissum suum, maximè si intrauerit continuato proposito de intrando, quod proculdubio necesse est implere, vt dictum est. Nec tamen fuit ei necesse ad soluendum votum, quòd intrando haberet propositum de permanendo experiendo, & profitendo, sed statim post introitum potest exire absque omni mora experientia, & professione, & in mera voluntate intrantis est permanere, &c. non permanere, & etiam per aliquam permanentiam experiri, & non experiri, &c. similiter post perfectam experiẽtiam etiam si inuenerit se idoneum profiteri & non profiteri, ita quòd quandocunque ei placuerit post ingressum liberè possit exire absque omni peccato. Etenim si vouendo introitum simul voueret ex proposito annexo permanentiam experientiam, & professionem, hoc tamen non esset nisi sub conditione tali, scilicèt si ei placeret, & quousque ei simpliciter placeret.

Etiam licèt ab initio præsumeret, & certitudinaliter sciret, quòd posset onera ordinis portare, nequaquàm esset ex hoc ad profitendum obligatus, quia nequaquàm vouet sub illa conditione, si inuenerit ex experientia se idoneum ad portandum onera religionis, tunc enim illa conditione extante etiam statim obligatus esset ne posset post modum, vel statim exire, vt dicunt in solutione vltimæ rationis. Quod falsum est, quia in primo voto non plus vouet se professurum si experiatur se posse portare onera religionis, quàm non professurum si experiatur se non posse portare illa, cum tamen esset ei licitum, & bonum non profiteri, si non posset onera religionis portare, & malum profiteri, vt patet ex supradictis. Et quod amplius est non plus vouet se permansurũ, & experturum, & professurum post ingressum si velit, quàm non permansurum nec experturum neque professurum si nolit, cum tamen hoc liceat licèt forte non expediat, immò nullo modo omninò vouet aut obligat se permansurum aut non permansurum, experturum aut non experturum, professurum aut non professurum, & hoc neque simpliciter neque sub conditione vlla.

Dico igitur tertio simpliciter, quòd si talis expertus sit post ingressum ex voto præcedente ẽt de ingressu, quòd possit onera religionis portare, nequaquàm tamen propter hoc tenetur profiteri, sicut nec fratres illius religionis tenentur ipsum ex vllo voto vel promisso recipere ad professionẽ etiam si ille velit, licèt fortè illi peccarent volentem profiteri non admittendo nisi causa rationabilis esset, ille autem non peccaret exeundo. Quod ergò dicunt prædicti, quòd quilibet tenetur facere &c. vt recitatum est iam supra, dico, Q vtiliter & fructuosè aliquod opus contingit implerè dupliciter. Vno modo illi cui vouetur & promittitur. Alio modo illi qui vouet aut promittit. Et licèt primo modo talis intrans, &c. non permanens neque experiens, neque profitẽs similiter neque experturus, neque professurus nõ impleat promissum vtiliter seu fructuosè illis quibus vouit, immò occasionaliter illis quibus vouit magis obest talis introitus, quàm prodest, secundo tamen modo vtiliter, &c. fructuosè intrat dicto modo. Vtiliter dico, & fructuosè non in acquirendo bonum, sed in fugiendo malum, quia sic intrando nõ est transgressor voti primi, quod esset si non intraret etiam si mutaret propositum de intrando, &c. haberet propositum de non intrando, quemadmodum è contra vouentibus castitatem non solum nubere, sed velle nubere damnabile est, quod tamen nequaquam esset, si ante ingressum mutaret propositum de nõ permanendo, aut non experiendo, aut non profitendo, quia vt dictum est nullum illorum omninò cadebat sub voto, &c. ideò absque peccato potest tale propositum ad libitum voluntatis mutari statim antè ingressum, nec peccat in introitu cum tali proposito contrariò proposito sub quo vouit, quia se liberat à præcedenti obligatione, sicut qui primo promisit ducere mulierem, &c. vouit intrare religionem, potest primo ducere illam absque peccato, non tam propter aggressum melioris boni, quia hac de causa etiam consummato matrimonio post carnalem copulam posset vxorem dimittere propter ingressum religionis, simpliciter enim semper melius bonum est religio, quam matrimonium, quàm propter promissionem qua se prius obligauerat soluẽdam, licèt vt dictum est multum peccaret qui absque coactione voti præcedentis intraret religionem cum proposito statim exeundi, aut duceret mulierem absque obligatione præcedente de ipsa ducenda, cum proposito statim religionem intrãdi. Maior ergo in ratione illorum simpliciter vera est quando illud ad quod quis tenetur nullo modo potest impleri sine alio nisi vanè & inutiliter, & illi qui promittit &c. tenetur, & illi cui promittitur &c. cui tenetur. Veruntamen si illud ad quod tenetur ex voto, vel ex promissione non vergit in profectum illius cui vouetur vel promittitur, nisi cum alijs impletis, &c. sine alijs inutiliter impletur illi, si tamen illud vergit in profectum illius qui vouit aut promisit, benè potest vtiliter impleri sine illis impletis, quia votum siue promissum sic debet semper interpretari,

tari, vt vergat in fauorem illius in cuius profectum fit principaliter, sicut iam dicetur. Et sic nō est simile de milite qui ex promisso tenetur ire ad bellum cum rege, & in proposito, quia illa obligatio fit in commodum regis principaliter, & in eius fauorem, & ideò secundùm intellectum regis rationabilem deberet interpretari, sicut iuramentum semper debet interpretari secundùm rationabilem intellectum qui præsumi debet fuisse in eo cui iuratur. Et ideò quia rationabiliter præsumitur, & pro certo, quòd rex militē non conduceret ad solum veniendum secum ad locum belli, sed ad pugnandum & secum perseuerandū in bello, ideò miles ad hoc tenetur principaliter, & implicitè intelligitur fuisse promissum in promissione veniendi ad bellum. Ista autem promissio de intrando religionem fit principaliter in fauorem ipsius vouentis, & ideò secundùm eius intellectum rationabilem debet votum illud interpretari, & ideò rationabiliter præsumitur, quòd ad tam arduum, & periculosum velit se statum obligare, si hoc specialiter exprimat vel intendat, puta ad profitendum etiam si se inueniat per experientiam idoneum, quia benè fallit humana experientia, vel ad simpliciter permanendum post ingressum, aut etiam experiendum, postquàm dubium est an placere debeat ipsum permanere aut experiri, etiam si nulla causa rationabilis occurrat propter quam debeat rationabiliter displicere, sed maximè si aliqua causa etiam minus rationabilis ei occurrat quare ei displiceat, inutile esset omninò illi permanere aut experiri sine complacentia, & sic nō obstante, quòd tale votum posset impleri mutato proposito de permanendo experiendo, & profitendo, simpliciter tamen quantum est ex se tanti boni est, & ideò intantùm est materia voti quàmuis postmodum mutetur propositum dictum, quanti boni esset, & quantum esset materia voti si maneret propositum dictum, quia mutatio vel permanentia superueniens omninò est accidentalis voto, & sufficit ei, quòd pro tempore voti sit propositum implendi illa tanquàm circunstantia necessaria ad fieri voti, sed non necessariò ad impletionem voti.

Ad cuius intellectum est aduertendum, quòd ad fieri voti necessariò duo occurrunt. Quorum vnum est materia voti siue actus, qui vouetur qui debet esse bonus ex genere. Alterum verò est circunstantia voti propter quam actus fit bonus ex circunstantia. Et ad primum vouens obligatur simpliciter, non autem ad secundum nisi sub conditione si velit assequi primū ex actu, quemadmodum in baptismo quilibet adultus vouet de facto obseruare diuina mandata, puta honorare parentes, & debet habere in proposito explicitè, vel implicitè, quòd seruabit illa ex charitate. Aliter enim fictus ad baptismum accederet. Si verò postmodùm occurreret necessitas honorandi parentes, si ipsos honoret ex solo timore pœnę transgressionis legis quam incurreret, ipse mandatum impleret, sed præmium vitæ ęternæ non obtineret. Consimiliter si quis vouerit, quòd infirmum quem credit pauperem visitaret, & cum hoc proponeret, quòd ei denarium daret, si statim post perciperet, quòd sufficientiam haberet, & propositum mutaret de dando denarium, & visitans nihil daret, re uera votum impleret, licèt cum proposito nihil dandi accederet. Et hoc est quòd communiter dicitur, q̄ sine charitate impleri potest substantia mandati, sed non finis mandati. Et sic iste in proposito implet votum implendo substantiam introitus sed non finem, qui est præmium vitæ æternę pro merito introitus, & sic omnem pęnam deuitat & omninò non peccat. Et propter illa duo definitur votum, quòd est conceptus melioris propositi, vt materiam voti intelligamus per ly conceptus id est res concepta, circunstantiam verò per ly melioris propositi id est circa quod propositum est aliud quod est melius quàm substantia actus sit, & natum est facere ipsum actum meliorem, quàm sit ex substantia sua, vt sit definitio materialis. Secundum dicta ergò concedenda est vltima ratio. Ad primum in oppositum, sicut se habet votum ad ingressum, &c. Dico, quòd verum est quo ad ordinem prioris & posterioris. quia sicut votum præcedit ingressum, sic experientia præcedit professionem, & sic ingressus non posset esse sine voto præcedente, nec professio sine præcedente experientia. Sed non est simile quo ad illorum connexionem in ordine, quia votum obligat ad consecutionem ingressus, quia ipse est materia voti, non autem experientia ad professionem, quia neutrum illorum cadit sub secundo, quod patet ex prædictis. Ad secundum, nemo mittens manum &c. *Ad primū principale.*

Dico, quòd ibi metaphoricè loquitur Christus per aratrum intelligit opus bonum, quod secundum glos. duritiem cordis euertit, & ad bonos fructus aperit, per manum intelligit voluntatis intentionem. per retrospicere intelligit carnale desiderium ad vitia relicta. Et propter argumentum distinguendum est de aratro, sicut & de bona operatione. Est enim quædam bona operatio præcepti, est alia bona operatio consilij. Ad aratrum operis præcepti manum mittit qui voluntatem suam illi ad se in illo exercendum apponit, & retrò aspicere missa manu ad istud aratrum est per desideria carnalia ad vitia relicta se conuertere. Ad aratrum verò operis consilij manum mittit aliquis dupliciter, vel proposito proficiendi absque voto, vel cum voto. Primo modo manum mittit ad aratrum qui proponit absque tamen omni promissione, & voto religionem intrare, quem retrò aspicere ad actiones mundi *Ad secundum.*

licitas

licitas relicto progressu in opere perfectionis proposito, peccatum non est, eo quòd nudum propositum talem nullo modo obligauit ad opus supererogationis exequendum. Secundo autem modo scilicèt cum proposito vouendo manum mittit ad aratrum aliquis dupliciter. Vno modo per solum votum de intrando. Alio modo per professionem de perseuerando. Quorum quilibet retrò aspicit dupliciter. Aut videlicèt de promissione pœnitendo, facto tamen quod promissum est implendo, aut ad contraria eius quod quilibet secundum se promisit diuertendo, non implendo facto illud quod promisit. Et isto secundo modo quilibet prædictorũ retrò aspiciens non est aptus regno Dei, sed peccat non adimplens quod promisit: Vterque enim talium post votum vel professionem tenetur manum apponere ad aratrum, quia vouens tenetur intrare, & qui professus est tenetur professionis suæ opera adimplere, vt posteriorum oblitus ad antériora quæ professus est conuertat aspectum. Si autem primo modo scilicèt de promisso pœnitendo quilibet horum retrò aspiciat, neuter aptus est regno Dei, aliquid scilicèt præmij promerendo, quia vt dictum est qui vouit religionis ingressum, ex eo quòd nudum votum implet ingrediendo absque proposito manendi, præmium non meretur apud Deum inquantum huiusmodi, licèt pœnam transgredientis votum euadat.

Similiter in religione professus si opera suæ professionis faciat quo ad substantiã facti, pœnitens tamen de professione & voto, in hoc faciendo præmium non meretur æternum licèt pœnã transgressionis euitet. Et hoc dictum de his duobus verum est, &c. locum habet in astrictis voto & professioni alicuius operis supererogationis, quod quidem non est de necessitate salutis. In illis autem operibus quæ sunt de necessitate salutis, qualia quis vouet assumendo baptismum, nullus aspiciens retrò illa scilicèt non faciendo, aptus est regno Dei, quia talis non solum gloriã non meretur, sed pœnam damnationis incurrit. Quòd si substantiam operis impleat, sed non ex charitate, pro tanto retrò aspicit, quia etsi pœnam transgredientis opus præcepti euadat, gloriam tamen quæ debetur obseruationi præceptorum non meretur.

Si quis autem supra opera præceptorum ad quæ de necessitate tenetur, vouerat consilia, si debeat mereri gloriam simul tenetur ad impletionẽ præceptorum, &c. consiliorum modo quo promisit consilia, volèdo scilicèt vel cum hoc etiam profitendo, talis enim non solum tenetur ad obseruationem præceptorum, sed & consiliorum, ita quod retrò aspicit, siue obseruatis consilijs mandata non obseruet, siue è conuerso obseruatis mandatis non obseruet consilia. Vnde de talium obligatione dicit Hiero. ad Demetriadem, loquens de præceptis & consilijs. Vtrunque debes, &c. virginitatem quam vltrò obtulisti & iustitiam quam ipse præcepit, integrum vtrunq; persolue. De transgressione autem talium circa præcepta obseruatis consilijs subdit. Non eorum te exempla decipiãt, qui sibi in sola castitate placentes, perpetuæ castitatis bonum non cum iustitia, sed pro iustitia offerre volunt, vt in compensatione peccatorum præmium virginitatis annumerent, atque pro præmio impunitatem petunt, vel certè impudentiæ verecundia coronandas esse putant in regno cęlorum cęteris præferendas quæ sibi mandatorum trãsgressione aditum clauserunt cęlorum. Et sicut hoc est verum de voto castitatis sic &c. de alijs, vt alibi determinauit circa præceptum de honorando parentes. De transgressione autem talium circa consilia dicit August. super Psalm 75. Quisque quod voluerit voueat, &c. illud attendat vt quid voueri reddat. Si aspiciat retrò malum est, quæ autem respexit ad nuptias non quia voluit nubere damnatur sed quia iam antecesserat. Idem ad Armentarium. Quia enim iam vouisti, iam te astrinxisti, aliud facere tibi non licè.

Comment. in Quæstionem XV. quæ est,

Vtrum ingressus religionem ex voto, & expertus quod possit onera illius portare, teneatur profiteri.

IN titulo, vt scias vbi tendit quæstio, nota, quòd in omni religione regulari est ordo huiusmodi, quod primò aliquis ingreditur ipsam, secundò moratur in ipsa, tertiò experitur onera eius, quartò profitetur &c. Ita autem se habent, quod vltimum præsupponit antecedentia, & sic tertium præsupponit secundum, & hoc primum. Sed non è contra, quia potest quis ingredi religionem, & non morari &c. sic de alijs. Vnde apparet quidem quòd hæc quatuor non se consequantur, nec sunt taliter annexa, quòd ad primum cætera sequantur, & hoc simpliciter.

Et in hoc non est quæstio, omnes enim id gratis concederent. Sed quæstio est vtrum ius voti habeat talem vim, quòd taliter hæc coniungat; vt qui vouerit vnum, necessariò voueat & reliquum, & hoc incipiendo ab ingressu, non è contra, quoniam qui voueret profiteri, certum est, quòd teneretur ad antecedentia. Sed quæstio est, vbi initium est ab ingressu. Vt sit quæstio, Vtrum qui vouit ingressum iure voti teneatur ad moram, & qui vtrunque vouit teneatur ad experientiam, & qui pariter hanc, vtrum & ad professionem teneatur, tametsi non voueat profiteri. Sed insuper nota quòd nec ita simpliciter tractatur quæstio, sed quatenus accedit propositum. Nempe vt si quis vouerat tantùm ingredi religionem

gionem, cuius proposito tamen morandi, experiendi, & profitendi, quæritur vtrum propositum huiusmodi habeat vim voti cum sit annexum voto.

In corpore duo præsertim facit. Primùm reprobat aliorum opinionem, Secundò suam ponit.

De primo, aliorum opinio est, quòd teneatur. Doctoris conclusio est, quòd non teneatur, quod est secundum.

Declarat Doctor sententiam suam, sumptis his principijs, quibus alteram opinionem reprobat.

Primum est, quòd propositum non est votum. Secundum est, quod nisi quis vouerat expresse, vel ore, vel corde, non teneretur. Et ex his colligit, quòd quicunque vouit &c. non tamen vouit professionem, quòd ad illam non teneretur. Aliter omne propositum esset votum, quod est falsum. Nam si propositum esset votum, sequeretur quòd esse frustratoria experientia: siue enim posset sustinere onera religionis, siue non, teneretur ad professionem. Et sic vana esset experientia, quod est contra sanctos Patres; qui citantur sin litera.

Not. autem quòd Auctor hanc habet sententiam quòd accepta quæstione, vnde in casu dato, prout sonat quæsitum, tria attendi possunt.

Primum, quòd si esset præceptum, vel statutum aliquod ecclesiasticum, quòd quicunque ingressi religionem, & experti, & conscij, quòd onera religionis portare possent, intelligerentur professi, & id sciret vouens ingressum, si moraretur, & experiretur, & esset conscius, quòd posset, & teneretur vtique permanere in religione, quia voto professionis ipso facto consentiret.

Secundum, quod attendi debet est, quòd vouens ingressum, si vouit cum proposito profitendi, si cognosceret se posse sustinere religionis onera, tunc si certò cognosceret, propositum illud haberet vim voti, quia conditio illa mutat propositum in votum.

Tertium attendendum est, quòd si tantùm vouit ingressum cum simplici proposito ad reliqua, nequaquàm teneretur, quia propositum nunquàm est votum suapte natura. Et sic accipit quæstionem, & intelligit conclusionem suam Doctor noster, vnde not. ꝙ quidem omne votum est propositum, sed non omne propositum est votum.

Ad votum quippè vltra propositum requiritur deliberatio voluntatis, atque promissio. Quod etiam dicit D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 2. vbi præsertim dicit D. Thom. quòd promissio est, quæ perficit rationem voti. Promissio autem hæc est à Deo facta, vt ibidem dicit, deficiente igitur hac promissione, quæ non continetur in proposito, quatenus propositum, quod ex D. Thoma, & Gers. est voluntas tantùm exequendi ea, quæ obiecta sunt, sequitur quòd non sit votum: ea verò accedente est votum: cætera satis clara sunt in quæstione.

Not. autem quod promissio non conuertitur & ipsa cum voto, sed tamen promissio maiorem vim habet, quàm propositum, quia ad promissionem quamlibet tenemur, non ad propositum. Est autem promissio genus ad votum, quæ conuertitur cum voto, quando contrahitur per differentiam, quæ est, quod votum est promissio Deo facta. Promissio autem est etiam ad homines, quæ cum fuerit solemnis præsertim debet adimpleri, & etiam in ciuilibus, sed de solemni loquitur Auctor in corpore, vbi distinctè loquitur de ea contra votum, vt puta de promissione in contractu matrimonij: cætera ex se diligens lector facilè poterit percipere.

QVESTIO XVI.

Vtrum sacerdos curatus possit aliquid accipere à Judæis pro iure Parochiæ, in qua manent.

Arg. prin. primum.

IRCA quartum arguebatur, ꝙ sacerdos non pōt accipere à Iudęis aliquid pro iure Parochiæ suę, in qua manēt, quia illis non ministrat spiritualia, & non sunt à sacerdotibus de iure accipienda à populo temporalia, nisi quia ministrant eis spiritualia, vt 1 Cor. 9. dicitur, ergò &c.

Secundū. Item Iudęi nihil habent nisi de vsura, quod est restituendum, quod nulli licèt accipere nisi ad restituendum, ergò &c.

In oppoſit. Contra. Ita ordinatum est in quibusdam Parochijs, ꝙ sacerdotes annuos redditus habent de singulis hospitijs existētib. in suis Parochijs, sed hoc non est nisi ratione inhabitationis, quare cū Iudæi illa inhabitent, ab illis potest accipere pro iure Parochiæ.

Reſponſio. Dico ꝙ Iudæi, & cæteri vsurarij nihil habētes nisi de vsura, quod est restituendū, nihil possunt dare, neq; alienare, per quod eorum conditio de restituendi potestate fiat deterior, neq; etiam pōt quid recipi ab eis, vel dono, vel per exactionem quancunq; nisi ea intentione, vt acceptū restituatur vel pro labore, quo agit negotium eorū, quib. restituendum est, vt videlicet ab illis fiat restitutio, neque ēt contractus potest fieri oīnò cum eis, quib impotentiores fiunt ad restituendum, nisi fortè pro necessitate extrema victus, & vestitus.

Si ergo domus existentes in Parochia sint sacerdoti ad certos redditus obligatæ, secundùm quod dicit & supponit vltima ratio: Dico, ꝙ debitum, reale est, nec obligatur inquilinus nisi de ratione domus, quare cum nihil habeat Iudæus inhabitans, quod soluere possit de suo, inanis esset obligatio, qua talis inquilinus obligaretur pro domo, & inanis esset actio contra illū quem inopia excusaret. Et sic dico, ꝙ licèt teneretur sacerdoti, quia inquilinus: cum tamen non habeat de suo vnde soluat, & de alieno, qđ habet nō pōt soluere, quare nec ille recipere, vt dictū est, sed manere debet inanis obligatio, aut ergò sacerdotes non debent permittere, quod Iudæis locentur domus tales in suis Parochijs, aut si ipsis inuitis locentur, debent petere iura sua à locatoribus, quorū sunt domus, aut manus ponere per publicam iustitiā ad ipsas domus, quæ eis sunt obligatæ, sed à dictis Iudæis nihil possunt recipere, sicut dictum est, &, vt procedit secunda ratio, quæ concedenda est.

Ad primū principale. Ad primum ante oppositum, ꝙ sacerdos non potest recipere à Iudæo temporale, quia non ministrat ei spirituale, dico, ꝙ immò si haberet aliquid de suo, &, hoc, quia non est debitum personale, sed reale, vt dictum est: nunc autem qn pp spiritualia, quę seminant, metūtur tpalia, hoc est ratione debiti personalis. Ad vlt. patet p iā dicta.

Com-

Comment. in Quæstionem XVI. quæ est,

Vtrum Sacerdos curatus possit aliquid accipere à Judæis pro iure Parochiæ, in qua manent.



ITVLVS clarus, & maximè breuiter clarificatur in corpore, quia non intelligitur illud ius, nisi circà habitationes, nempè in casu, quòd domus ab eis habitatæ essent obligatæ illi Parochiæ, vt soluerent, vel ratione liuelli, vel quomodocunque.

In corpore est distinctio. Quòd aut Iudæi illi habent aliquid de suo, aut non, sed omne, quod habent, habeat de vsura. Si primum.

Prima conclusio est, quòd Sacerdos potest creditum suum accipere ab illis. Si secundum.

Secunda conclusio est, Quòd non potest &c.

Prima conclusio patet, quia est debitum reale, & non personale: reale autem creditum à quolibet accipi potest habente de suo, quod soluat.

Secunda conclusio patet ex his, quæ iam alibi dicta sunt, vt quolib. 4. quæst. 27. & quolib. 6. q. 16. Cætera clara sunt.

QVAESTIO XVII.

Vtrum maioris perfectionis sit viuere de labore manuum, an de Euangelio, an de mendicitate.

Arg. prim. *Primum.*



IRCA quintum arguebatur, q cæteris paribus maioris perfectionis esset viuere de labore manuum, q̃ de Euangelio, aut de mendicitate, quia per hoc repellũtur pseudo 2. Corinth. 11. non grauantur subditi, & ad bonum prouocantur suo exemplo. Actuum 20. & 2. Thessal. 3. & à malo reuocat. 1. Corinth. 9. & vt haberet vnde viueret, & vt vnde viuerent infirmis ministraret. Act. 20. propter hoc enim cõmẽdat Aug. Paulum super cæteros Apostolos, qui vixerunt de Euangelio, & super multitudinem credentium, quæ tunc vixit de mendicitate: ergo &c.

Secundum

Quòd de Euangelio viuere sit perfectius: arguitur, quia per hoc expeditius, & sine impedimento exequitur opus Euangelizandi: tempore enim laboris, & mendicationis non potest homo vacare Euangelio, & sic ab illo retraherentur. Quòd viuere de mẽdicitate sit perfectius arguit, quia in hoc imitatur Christus, qui dixit in Psalm. Ego mendicus sum. Gloss. Dicit de seipso.

Tertium.

Item in hoc est maxima humiliatio, & ita maxima perfectio. Philip. 2. Humiliauit semetipsũ.

Responsio.

Omissis illis, qui non laborant, neque volunt laborare propter otij solatium, vt sunt validi mẽdicantes, qui nec seruiunt Euangelio, nec diuinæ contemplationi insistunt, quibus malum est non laborare, & non de labore viuere, & quib. non licèt mendicare, nec debet eis eleemosyna dari, dicente Aug. in Epist. ad Vincentium, & habet. 5. q. 5. Non omnis, Vtilius esurienti panis tollitur si de cibo securus iustitiam negligat, quàm esurienti panis frangit vt iniustitiæ sed victus acquiescat, & hoc, vt dicit in fine de opere Monach. Nè peruersa misericordia magis eorum futuræ vitæ noceat, quàm præsenti subueniat. Vel qui non laborant, neque de labore viuere volunt, propter opulentiæ præsidium, nec Euangelio seruiunt, nec cõtemplationi vacant, quibus licitum est non laborare, sed non licèt eos mendicare. Vnde Hieron. ad Damasum Papam, & habetur 16. q 1. Quoniã quicquid. Qui bonis parentum, & opibus sustentari possunt, si quod pauperum est, accipiunt, sacrilegium incurrunt, & committunt: & per abusum talium iudicium sibi manducant, & bibunt. Vnde nec talibus eleemosyna danda est, dicente eodem ad Demetri. Da pauperibus nõ diuitibus, non propinquis, non ad luxuriam, sed ad necessitatem, siue ille sit sacerdos, siue cognatus, siue vicinus, nihil in illo aliud consideres, quàm paupertatem: talibus autem perfectius esset de labore viuere, dicente eodem ad eandem. Nec idcircò tibi ab opere cessandum est, quia Deo propitio nulla re indiges, sed ideò cum omnibus laborandum est, vt per occasionem operis nihil aliud cogites, quàm quod ad Domini pertinet seruitutẽ. Simpliciter loquor, quàmuis omnem censum tuũ in pauperes distribuas, nihil apud Deum erit pretiosius, quàm quòd manibus tuis ipsa confeceris, vel in vsus proprios, vel in exemplum virginũ cæterarum. Vel qui non laborant, nec de labore viuunt propter corporis debilitatem, nec Euangelio seruiunt etiam si sæculares, & de statu contemplantium non sint: talibus enim non esset bonum laborare, nec de Euangelio viuere debent.

Vnde nihil est eis melius, quàm viuere de mẽdicitate, & talibus præcipuè dandæ sunt eleemosynæ, maximè quando parati sunt laborare, &

victum acquirere pro posse suo, dicente Augu. de opere Mona. Propter occupationes seruorum Dei, vel infirmitates corporales, quæ omninò deesse non possunt, non solùm permittit Apostolus Sanctorum indigentias suppleri à bonis fidelibus, sed etiam saluberrimè hortatur. Sub dicta autem infirmitate etiam comprehendo operandi insolentiam, vel imperitiam.

Si verò habens corporis infirmitatē aliàs Euangelio seruit, perfectius est tali viuere de Euangelio, quàm de labore, vel de mendicitate, qualis erat Timotheus, de quo dicit Augustinus ibidem supra. Timotheum, quem sciebat corpore infirmum; quia in opere manuali laborare non potuit, nè fortè cum indigeret, & nollet vti victu quotidiano ab eis, quibus Euangelium ministrabat, aliqua sibi negotia quæreret, quibus animi eius implicaretur intētio, Paulus sic hortatur, scilicet, Nemo militans Deo, &c. Hinc nè angustias pateretur, dicens, Fodere non valeo, mendicare confundor, adiunxit. Laborantem agricolam, &c. vt intelligeret necessarium sibi sumere ab illis, quib. militabat, non esse mendicitatem, sed potestatē.

Nec tantùm ad opus manuale infirmos ægritudine corporis reputamus inidoneos, sed etiam diffuetudinem operandi habentes, & imperitiam, de quibus dicit Augustinus ibidem. Si qui saltem habebant aliquid in sæculo, quo facilè sine opificio sustentarentur, & conuersi ad Dominū indigentibus dispartiti sunt, & credenda eorum infirmitas est, & ferenda; solent enim tales non melius, sicut multi putant, sed quod est verum languidius educati laborem operum corporaliū sustinere non posse, & sic talibus melius est mendicare. Si tñ quoquo modo possunt, perfectius est se labori exponere, dicente Augustino ibidem. Illi, qui relicta, vel distributa opulentia inter pauperes Christi numerari voluerunt, q̃q̃ tàm magnū deferentibus vicē sustinendę vitę eorum res ipsa, & fraterna charitas debeat, tñ si & ipsi manib. operent, vt pigris auferant excusationē, mūltò miserericordius agunt, q̃ cum omnia sua indigētib. diuiserunt. Quòd si nolūt, quis audeat cogere? quibus tamen inuenienda sunt opera in monasterio etiā si corporali functione liberaliora, sed vigilanti administratione curanda sunt, vt nec ipsi panē suum, quoniā cōis iam factus est, gratis māducēt. Omissis igitur prædictis trib. generib. hominum, nunc dicēdum de validis, qui ratione status proprijs rebus carere debent, & diuinis operib. vacare, vt non quærant otium, sicut primi, nec habere propriū sicut secūdi, nec sunt infirmi sicut tertij, qui quidē validi sunt prelati Ecclesię, & religiosi. Prelati quidem, qui soli potestatem habent viuere de Euangelio, qui & possunt viuere de labore, aut de mēndicitate, quia vt dicit Augustinus de opere Mona quæ dicta sunt, quòd de Euangelio viuerent non iussa, sed permissa sunt. Et vt dicit contra Adimantium, quòd ait Dominus, Nolite portare aurum, neque argentum, neque nummos in zonis vestris, non ista iussa, sed permissa esse Apostolis, ex hoc intelligitur, quòd Apostolus Paulus manibus suis operatus victum quærebat, ad hoc dixit omnia illa, nè portarent, vt vbi opus esset ab eis acciperent, qui annunciabant regnum Dei in militia vestra, nec in crastinum cogitaremus, quia non propter ista temporalia, quæ pertinent ad crastinum, sed propter illa sempiterna, vbi est semper hodiernus. Religiosi quidem, qui non habent potestatem viuendi de Euangelio tantùm, vt spiritualiter operantes manducent panem suum à corporali labore gratuitum, qualem potestatem viuendi de Euangelio, scilicet habēt Prælati ecclesię maiores, & minores eis datam in Apostolis & discipulis secundùm Augustinus de opere Mona. sed solùm modò habent potestatem viuendi de labore, aut de mendicitate, vt sic restringatur quæstio ad illos, qui sunt in statu perfectionis exercendæ, vt sunt Prelati, siue in statu perfectionis generandæ, vt sunt religiosi, & quicunq; viuunt de bonis communibus ecclesiæ.

Et videtur mihi hic in primis distinguendum esse de non labore, siue de non laborantibus, neque viuentibus de labore, dico manuum, de quo loquitur Augustinus lib. de opere Mona. circa existentes in statu perfectionis generandæ, qui sunt religiosi, sic in persona illorum dicens in princip. lib. Non de opere corporali, in quo vel agricoiæ, vel opifices laborant, præcepit Apost. 2. Thess. 3. Qui non vult operari non manducet: non enim potest esse contrarius Euangelio, vbi ait Dominus, Matth. 6. Nè solliciti sitis &c. vt nos curis opificū oneraret, quapropter opera spiritualia debemus accipere &c. Et respōdens eis Aug. subdit. Superfluè conant sibi, & cęteris caliginem obducere. & infra. Denunciamus, inquit, q̃m si quis non vult operari non manducet: audiuimus enim quosdā ambulare inter vos inquietè nihil operantes &c. Quid ad hęc dici pōt? de talib. inquam, qui q̃tùm est in se parati sunt laborare: tñ pp maius meritū in diuino opere spirituali laborare. s. corporaliter omittunt. Distinguo, q̃ quidam horum non laborant pp contemplationis complementum, vt contemplatiui, quidam pp proximorū negotium, vt Prelati actiui. Et de primis distinguo, qa aut sūt tales, q̃ ex se exercere possunt multiplici genere contēplationis, quę sunt lectio, oratio, & meditatio, vt cū lassati fuerint in vno, mutatione laboris refocillent in alio, & sic persistere possint in continuò exercitio contēplationis aut non. Et de primis iterum distinguo, quia tales, aut victum suū minori sollicitudine acquirerent mendicatione, aut manuū labore, aut è conuersò. Et dico, q̃ sp maioris perfectionis est acquirere victū minori sollicitudine in istis, & sīr si comparent labores manuū iter se, & similiter si mēdicitates cōparent

inter

inter se, semper maioris perfectionis est acquirere victum suum illo modo in quo est minor sollicitudo, & secundùm vtrunque modum quærendi pauciſſimis debent esse contẽti, quia minor est sollicitudo in quęrendo pauca quàm multa, vnde de talibus in quærendo victum mendicitate dicit Aug. de moribus eccleſiæ. Secretiſſimi ab omniũ hominum aſpectu pane ſolo qui eis per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti deſertiſſimas terras incolunt perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhęſerunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatiſſimi. De alijs verò qui quærunt victum manuum labore, dicit ibidem. Sed ſi hoc excedit noſtram tolerantiam, quis non illos miretur qui contemptis mundi huius illecebris, in communem vitam caſtiſſimam, & ſanctiſſimam congregati ſimul ętatem agunt viuẽtes in orationibus, in lectionibus, & in diſputationibus, nulla ſuperbia mũdi, nulla peruicacia turbulenta, nulla immunditia liuidi, ſed modeſti verecundi pacati concordiſſimam vitam intentiſſimam in Deum gratiſſimum munus ipſi offerũt, neque quiſquàm poſſidet proprium, nemo cuiquàm oneroſus eſt, operantur manib. ea quib. & corpus paſci poſſit, & à Deo animus impediri nõ poſſit &c. Cęteris aũt paribus quæ pertinent ad ſollicitudinem in quærendo victum labore vel mendicitate, ſemper in talibus perfectius eſt quęrere victum labore manuum, quàm mẽdicitate, vt patet ſupra ſecundùm Hieron. ad Demetriadem, & ſecundùm Aug. de forti muliere. Operari carne, & non ſpiritu, vtile non eſt, operari aũt ſpiritu, & non carne, pigrorum eſt. Vnde ſecundùm Hiero. ad Heliodorum, apud grẽcos Philoſophos ille laudatur qui omne quo vtebatur manu ſua factũ gloriatus eſt. Propter quod dicitur in Pſal. Labores manuum tuarum quia m. b. e. & b. t e. In quo caſu intelligo illud dictum Aug. de opere monac. Quid agant, quando operari corporaliter nõlunt, cui rei vacent ſcire deſidero. Orationi inquiunt Pſalmis lectioni & verbo Dei, ſancta planè vita, ſed ſi ab his auocandi non ſumus, nec manducandum eſt, nec ipſę eſcę quotidie aſperandę Si autẽ ad iſta vacare ſeruos Dei certis interuallis temporis neceſſitas cogit, cur non & præceptis Apoſtolicis obſeruandis aliquas partes temporum deputemus? Si autem contemplatiui non ſunt tales vt poſſint ſtare in continuo exercitio contemplationis, diſtinguo, quòd aut alij conſortes talium qui poſſunt ſtare in continuo ſtudio cõtemplationis indigent continuo auxilio tempore vacationis ſuæ, aut non.

Si ſic, diſtinguendum eſt vt iam ſupra diſtinctum eſt de illis, & eodem modo definiendum. Si non, dico quòd perfectius eſſet talibus laborare manibus quàm mendicare. Hinc dicit Hiero. ad Ruſticum. Fac aliquid operis, vt ſemper diabolus te inueniat occupatum, manus operetur cibum, & animus lectione ſaturetur. In deſiderijs eſt omnis otioſus. Aegyptiorum monaſteria hunc morem tenent, vt nullum abſque opere & labore ſuſcipiant, non tàm propter victus neceſſaria, quàm propter animæ ſalutem ne vagetur, & Aug. de opere Monach. Cum ad Titum ſcriberet (Apoſtol. ſcilicèt) dicens. Zenam legiſperitum & Apollo ſollicitè præmitte, vt nihil illis deſit, vt oſtẽderet vnde nihil deeſſe deberet continuò ſubiunxit. Diſcant autem, & veſtri bonis operibus præeſſe ad neceſſarios vſus ne ſint infructuoſi. Et hoc etiam vt cęteris fratribus non laborantibus de labore illorum neceſſaria miniſtrentur, & ſiquid deſit à fidelibus mendicatione ſuppleatur dicente Auguſt. de opere Monach. Suppleatur ex oblationibus bonorum fidelium quod laborantibus, & aliquid vnde victum tranſigant operantibus propter infirmitates aliquorum corporales & propter eccleſiaſticas occupationes vel eruditionem doctrinæ ſalutaris, deeſſe putauerint. & infra. Ad hoc enim illa bona opera fidelium ſubſidio ſupplendorum neceſſariorum deeſſe nõ debent, vt ij à quibus ad erudiendum animum ita vacatur, vt illa corporalia geri non poſſint, non opprimantur egeſtate. Et ſic viuere communitatem de labore aliquorum inter illos, puto eſſe perfectius quàm viuere de quacunque mendicitate vel quotidie prouidenda, de quali viuunt aliqui religioſi, vel hactenus per deuotionem populi prouiſa, de quali viuunt monachi & canonici. Illo enim modo viuere de labore, etiam non laborantibus non eſt viuere de mendicitate, quia omnia eorum facta ſunt communia dicente Beato Auguſt. ibidem. Quo animo debet eſſe in republica ſua ciuis cœleſtis, niſi vt id ipſum quod proprijs manibus elaborat, commune habeat cum fratre, & ſi quid ei defuerit, de communi ſuppleat? Vnde ſecundùm hunc modum illi quibus Apoſtoli, & diſcipuli qui erant de illa communitate, cuius erat cor vnum, & anima vna, & omnia eis cõia, miniſtrabant ſpiritualia, ẽt debitores erãt temporalium illi cõitati. Vnde Apoſtoli non propriè accipiebant de mendicitate, ſed potius de poteſtate, quod Paulus & Barnabas illis attulerant de collectis factis ex gentibus, dicente Auguſt. ibidem. Quia vtiles fuerunt gentibus quæ ab idolorum cultura vocabantur, debitores eorum dixit Apoſtolus ex gentibus Chriſtianos, & addidit quare.

Si enim ſpiritualibus eorum inquit cõicant gẽtes, debent & in carnalibus miniſtrare eis. Quapropter illi qui omnimodè contemplationi ſedm prædicta vacare poſſunt, nec habent ſecum laborantes manibus, ſed ſolùmmodò miniſterio ſuo inſiſtentes, & ſic ſoli mendicitati in quærendo victum innituntur, vt omninò ſollicitudinem in mendicando minuant, & perfectius viuant, pauciſſimis debent eſſe contenti. aliàs

contra ipsos intelligitur loqui Augustꝰ. quando dicit ibidem.

Certè si propterea se dicunt operari non debere, quia nec volucres cęli seminant, nec metunt, de quibus similitudinem Dominus nobis dedit ne de talibus necessarijs cogitemus, cur ergò non attendunt quod sequitur? Neque enim hoc tm̃ dictum est, quia non seminant neque metunt, sed adiectum est, neque cógregant in apothecas, apothecę autem vel horrea vel repositoria dici pñt. Cur ergo isti manus otiosas, & plena repositoria volunt habere? Cur ea quæ sumunt de laboribus aliorum, recondunt & seruant vnde quotidie proferantur? & infra. Sed si hoc placet, studeant boni fideles regis æterni fortissimis eius militibus seruire, vt sibi nec aquam implere cogãtur, si iam illos qui tunc erant hierosolymis nouo gradu iustitiæ supergressi sunt. & infra. Proinde rursus istos alio sublimiori gradu iustitiæ superabunt qui se ita instituunt, vt quotidie in agros tanquã in pastum pergant, & quo tempore inuenerint carpant, &c. sopita fame reuertantur. Sed planè propter agrorum custodes quàm bonum esset si etiã pennas largiri dignaretur, vt serui Dei in agris alienis inuenti non tanquàm fures comprehenderentur sed tanquàm strumi fugarentur, & infra. Cęterum quis ferat non sicut infirmiores tolerari, sed sicut sanctiores etiam prædicari? Est autem aduertendum, quòd de talium labore contingit viuere dupliciter. Vno modo ius sibi vendicando in præmio laboris. Alio modo vsum facti tantùmmodò ex illo expectando, vt tunc demum cum præmium denegatur pacificè sustineatur, & ad mensam Domini mendicando accedatur, & hoc vltimum credo esse perfectissimum.

De illis autem qui non laborant manibus, & hoc propter proximorum negotium saluti animarum intendentes, distinguo, quia aut labor manuum posset exerceri ab eis absque detrimento proximorum, aut non. Si primo modo, dico omninò quòd perfectius esset eis viuere de labore, quàm de Euangelio, vel de mendicitate, ea ratione qua prius, nisi postponeretur labor propter complementum contemplationis, tunc enim distinguendum esset, vt iam supra distinctum est. Si secũdo modo, aut ergò ad proximorum negotium exequendum quis fraterna charitate vrgetur, aut debito officij compellitur, vtroque enim cessante nullus perfectus deberet insistere vel velle negotijs exterioribus vitæ actiuæ, quia semper cõtemplatio debet esse in desiderio, licèt actio propter necessitatem sit in exercitio, prout in præcedenti Quolib. declarauimus in quæstione de præeminentia inter vitam actiuam & contemplatiuam. Et vtrolibet illorum modorum existẽte, aut nullus dictorum casuum seu causarum occurrit, propter quos vel quas Paulus laborauit, aut immò aliquis eorum vel plures occurrunt. Si primo modo, dico, quòd compulsis debito officij omninò perfectius est viuere de Euangelio, quàm de labore aut de mendicatione, vnde in isto casu viuebat Paulus de Euangelio, vniuersaliter n perfectius est viuere de Euangelio, quàm de mendicitate. Vnde Timotheus quia non potẽs viuere de labore timebat viuere de Euangelio, putãs hoc minus perfectum esse, quia vidit magistrum suum Paulum non velle viuere de Euangelio secundùm Aug. vt dictum est supra, cogitauit se debere viuere potius de aliqua negotiatione, & nequaquàm cogitauit se diuertere ad mẽdicitatem quasi perfectius esset viuere de iusta negotiatione quã de mendicitate. quod re vera perfectius esset, & melius non potenti laborare, & non tendenti ad contemplationem contemplationis, neque intẽto negotijs proximorum. Illis verò qui vrgẽtur fraterna charitate ad proximorum negotium exercendum, qui non habent potestatem viuendi de Euãgelio, Dico, quòd perfectius est viuere de mendicitate, quàm de labore, quia illis. f compulsis ex officio viuentib de Euangelio, & istis alijs viuentibus de mendicitate minus impedirentur seu retraherentur à proximorum negotij executione. Nec etiam in isto casu si illi qui vrgentur ad negotia proximorum fraterna charitate, acciperent victum ab illis quibus militant, esset mendicitas propriè, sed potius potestas, licèt non ex debito officij, & diuinæ institutionis tamen ex debito charitatis, & obligatione naturali. Si verò aliquis dictorum casuum seu causarum, in quibus Paulus laborauit manibus, occurrat, tunc dico, quòd perfectius est secundùm vtrunque dictorum modorum, exercentibus negotia proximorum viuere de labore vel de mẽdicatione sumpta ab alijs quibus non militarent de quali viuebat Paulus quãdoque omisso labore, secundùm quod Aug. testatur dicens de opere Monach. Putemus Apostolũ illis omnib. dieb q̃b. fuit Athenis non fuisse operatum, propter hoc enim & ex Macedonia supplebatur eius indigentia, sicut dicit in secunda ad Corinth. quànquàm & alijs horis, & noctibus poterat, quia valebat, & animo, & corpore. Sed omninò perfectius est in illis casibus de prõprio viuere labore aut confratrum suorum, & hoc ne sumẽdo ab alijs maximè ab illis quibus militant, impediretur cursus Euangelij, qui re vera impediretur in hoc, secundùm quod patet discurrendo per casus, in quibus diuersis de causis specialibus Paulus nihil accepit ab illis quibus militauit, sed quãdoque accepit ab alijs, &c. quandoque vixit de labore, secundùm quod quandoque in aliquo casu bonum videbatur ei accipere vno modo, quandoque autem, & in alio casu melius videbatur ei accipere cumque occurrebat causa propter quam visum est ei laborandum, captabat ad hoc certas horas, tàm de die, quàm de nocte, maximè de nocte, in quibus sine minori

dispen-

dispendio potuit se subtrahere à populo, & tunc laborabat, dicente Augus. de opere monach. 1. Ipse Apostolus quo vacare operari manib. suis, ni si ad erogandum verbum Dei certa tempora constituerat, nequeam Deus, & horolatere nos voluit, nam & cuius artis opifex fuerit, & quib. temporibus vacabat dispensando Euāgelio Sacra Scriptura non tacuit: Nam cum dies profectionis vrgeret in Troade &c. vbi declarat Augu. q̄ præcipuè de die disputauit & prædicauit, per quod insinuat à contrario, q̄ de nocte præcipuè laborauit, vnde sequitur. Optima enim est gubernatio, vt omnia suis temporibus distributa ex ordine gerantur ne animum humanum turbulentis implicationibus inuoluta perturbent. Ibi etiam dicit, q̄ operabatur Apostolus. Post hæc inquit egressus ab Athenis venit Corinthum, & cum inuenisset quendam Iudæum nomine Aquilam, & Priscillam vxorem illius, accessit ad illos, & propter artis similitudinē mansit apud illos opus faciens, erant enim tabernaculorum artifices. Casus autem, & causæ pro quibus Apostolus manibus operabatur, erant septem. Quarum prima erat vt pseudo Apostolos à prædicatione compesceret 2. Corinth. 11. Vt amputem occasionem eorum qui volunt occasione. Gloss. Intentio pseudo, &c. studium erat in pecuniis accipiendis, ideòque Apostolus accipere renuit, ne illis esset forma, &c. occasio accipiendi. Sciebat. n. quòd si non acciperent non diu prædicarent. Et hic non laborauit, ait enim. Gratis Euāgelium Euangelizaui vobis, alias ecclesias expoliaui accipiens stipendium ad ministerium vestrum, nam quod mihi deerat suppleuerunt fratres qui venerunt à Macedonia, & 1. Corinth. 9. Ne quod offendiculum demus Euangelio Christi. Gloss. quia si acciperet Apostolus, iam pseudo liberè acciperent, & sic in prædicatione duraret, & ita impedimentum esset Euangelio, & ideò laborauit dicente Augus. de sermo. Domini in Mō te, cap. 24. Erant n. multi qui occasionem acquirendi, & vendendi Euangelium quærebant, quibus eam volēs amputare Apostolus manibus suis victum &c. & de opere Monac. cap. 4. Ipse stipendium sibi debitum non exegit, vt se formam daret eis qui exigere non debita cupiebant, ergò q̄d sibi debebatur accipere noluit, vt suo exēplo coercerentur qui sibi non ita ordinatis in ecclesia talia deberi arbitrabantur. Secūda ne subditos suos grauaret 2. Corinth. 11. Cum essem apud vos & egerem, nulli onerosus fui & in omnibus sine onere me vobis seruaui & seruabo 2. Thess. vltimo. Neque gratis panem manducauimus ab aliquo, sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, nequem vestrum grauaremus 1. Thessa. 2. Memores estis fratres laboris nostri, & fatigationis nocte & die operantes nequem vestrum grauaremus, q. d. secundùm Augus. de opere monac. cap. 8. Omnia itaq; toleramus nequod impedimē tum demus Euangelio Christi. Tertia vt exēplū operandi manibus ceteris præberet 2. Thessal. vltimo. Ipsi. n. scitis quemadmodum oporteat imitari nos, q̄m non inquieti fuimus inter vos, vt nosmetipsos formam daremus vobis ad imitandum nos. Augus. de opere monac. cap. 4. Qua nos imitemini. Glo. & otium dimittatis. Et Actu 20 Hæc omnia ostēdi vobis exemplum operandi, q̄m sic laborantes. Glo. Vt ego. Cuius manus ministrauerunt suscipere infirmos. Glo. ad ministrandum in firmis sicut &c. ego feci his qui mecum sunt.

Quarta, vt pauperes qui erant cum ipso sustentaret. Act. 20. His qui mecum sunt ministrauerūt manus istæ. Vnde ad idem hortatur suos. Ephe. 4. Qui furabatur iam non furetur, magis autem laboret operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti. Et iterum post iam dicta Ephe. 4 Vos autem fratres nolite deficere ad benefacientes. Gloss. Pauperibus, quia etsi operentur, p̄t tñ nonnullis indigere, & ideò monet ne illi qui habebant vnde seruis Dei necessaria præberent pigresceret hac occasione, non enim in reprehensionem venit qui humanus est in largiendo.

Quinta, vt in se appetitum rei alienę compesceret, & honestè conuersaretur. Act. 20. Argentū & aurū aut vestem nullius concupiui, q̄m ad ea quæ mihi opus erat &c. vt iā supra. Vnde & ad idē hortat cū dicit 1. Thess. 4. Operemini manib. vestris, sicut præcepi vobis, honestè ambuletis ad eos qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis. Glo quia honestum est, &c. lux ad infideles, &c. si desideraueritis rem alterius ne rogetis vel tollatis.

Sexta, ne venale videretur ponere Euangeliū, 1. Cor. 9 Dñs ordinauit his qui Euāgelium annūciāt de Euangelio viuere, ego aūt nullo horū vsus sum, & inf Quę est ergò merces mea vt Euāgeliū p̄dicās sine sumptu ponā Euāgeliū? Gl. sensus est, mercedē habeo si ex dilectione ita facio, vt potius patiar penuriā q̄ abutar ptāte, q̄d vtiq; facerē si sūptuosum credētib. Euāgeliū esset importunè exigēdo, vel indiscretè accipiēdo. Aug. de opere monac. c. 11. Vt nō sit credētib. sumptuosum Euāgeliū, ne purēt ad hoc sibi Euāgelizari, vt illud Euāgelistę quasi vēdere videātur. Idē lib 2. de ser. Do. in mōte. c. 24. super illud Primo q̄rite regnū Dei, & hæc oīa apponētur vobis Cū. n. primū dixit, illud signauit, qa hoc posterius quęrendū est nō tē pore, sed dignitate, neque. n ideò debemus Euangelizare vt manducemus, sed ideò manducare vt Euāgelizemus, si propterea Euāgelizamus vt mā ducemus, vilius habemus Euangeliū q̄ cibū. Sed nō ideò Euāgelizauit, vt peruenire ad cibum & alia necessaria, sed ideò ista sumpsit vt illud ipleret. Idē de opere monac. cap. 12. Infirmorū periculis ne falsis suspitionib. agitati odissent quasi venale Euangelium, tanquàm maternis paternisq; agitatus visceribus tremefactus hoc fecit.

Septima, quia ei necessaria non dabantur. 1. Corinth. 4. Laboramus operantes manibus nostris. Gloss. pro nobis necessarijs, quia nemo dat nobis. Et Gloss. super illud 1. Corinth. 9. Ego autē nullo horum vsus sum, ne forte quisquam ideò eum non accepisse putaret, quia illi non dederat, &c. de sua potestate hoc potiens hac de causa dixisset, vt deinceps darent subdit. Non scripsi autem hæc vt in me fiant. Gloss. q. d. non sum vsus, sed nec mori volo, nec scripsi hæc, vt ego accipiam, &c. Ne ergo moreretur quandoque operatus est, quod tamen non recepisset si oblatum ab illis quibus prædicabat fuisset propter causam incidentem, oblatum autem accepisset ab alijs sicut, &c. quandoque accepit, secundùm quod dicitur de opere monach. cap. 2. Veneratad tātam indigentiam, vt de longinquis ecclesijs ei necessaria mitterentur, dum tamen ab eis apud quos erat, nihil tale acciperet, à quibus tamen accepit, non tàm propter suam necessitatem, quàm propter illorum vtilitatem, secundùm quod sequitur capit. 16. Non solum curam factarum plebium esse voluit, sed &c. ministrare necessaria sanctis Dei seruis, consilium in hoc dans quòd hoc magis ipsis qui hoc faciunt proderat, quàm illis erga quos faciebant.

Octaua causa operandi manibus est quæ non tangit Paulum, sed solùm modò subditos suos, fuga otij &c. curiositatis 1. Thessal. 4. Operam detis vt quieti sitis, & vt negotium vestrum agatis, &c. operemini &c. vt supra. Vt quieti Gloss. à curiositate. Et nota sicut dicit Gloss. quòd ait, Operam detis, quia difficilè est dimittere consuetudinem, sed vos cogitetis vt vestrū negotium agatis Gloss. Dimittis alienis, quia adiuuat nos quietos esse, quia illud malum ex otio veni-.

Hæc ergò fuit prærogatiua Pauli in labore manuum super ceteros Apostolos, de qua dicit Aug. de opere monach. cap 6 Si quis eo quòd sibi debetur vti vellet sicut Paulus Apostolus voluit, amplius impenderet non exigendo stipendium debitum, sed quotidianum victum suis laboribus transigendo. &c. capit 7. Non ergò solus Paulus & Barnabas non habebant potestatem non operandi, sed omnes pariter habebant hanc potestatem, qua isti non vtebantur amplius impendendo ecclesiæ, sicut in illis locis in quibus Euangelizabant infirmis congruere iudicabant.

Vt autem dicit cap. 20. Quid ergò ceteri Apostoli quia non operabantur peccabant, aut afferebant impedimentum Euangelio, quia dixit Beatus Paulus idcò se nō vsum hac potestate ne quid impedimentum daret Euangelio Christi? Si ēm peccauerunt quia non operati sunt, non ergò acceperunt potestatem non operandi, nec de Euangelio viuendi. Si autem acceperunt hanc potestatē, qua Paulus aliquid vltra erogans vti noluit, non vtique peccauerunt, si non peccauerunt, nullum impedimentum dederunt, neque enim nullum peccatum est impedire Euangelium. &c.

Et respondet Augustin. eodem capit. subdens, Hanc quæstionem breuiter soluerem si dicerem, quia &c. iustè dicerem, credendum esse Apostolo, ipse enim scidbat cur in ecclesijs gentium non oporteret portare venale Euangelium, non culpans Coapostolos suos, sed distinguens ministerium suum, quia inter se distribuerant Euangelizandi prouincias, vt Paulus & Barnabas ad gentes irent, illi autem ad circumcisionem &c. Vult ergò Augustin. quòd alij non peccauerunt, quia eis prædicabant à quibus potuit conuenienter sumptus accipi sine impedimento Euangelij, Paulus autem non talibus, sed illis à quibus non erat conueniens sumptus accipere, nec accipi sine impedimento Euangelij. Et supponit secundùm quod dicit supra capit. 6. &c. contra Adimantium capit. 20. quòd omnia illa Nolite possidere aurū &c. &c. quæ apud illos sunt manducare &cet non sunt iussa Apostolis neque discipulis, sed solùm modò permissa, vt quicunque vti vellet potestate sumendi sumptus, liceret ei de iure ex domini licentia & constitutione. Si quis autem illa vti nollet similiter liceret ei, nec contra iussum aliquid faceret in hoc, quòd iuri suo cederet, &c. misericordius agens de labore viueret, &c. argentum in zona portaret acceptum de labore ex necessariò victu, quod Paulus fecit, &c. hoc ex causa circa illos quibus prædicauit. Alij autem non fecerunt hoc propter aliam causam circa illos quibus ipsi prædicabant.

Sed licèt ita fuerit ordinatum, & obseruatum inter Apostolos, &c. obseruatum in principio ecclesiæ, admonente Spiritu Sancto, nunquid ceteri Apostoli postmodum diuerterunt se ad prædicandum gentibus sicut Paulus & Barnabas? nunquid Thomas cucurrit ad Indos, Bartholomeus ad Aethiopes? vtique, nec tamen legitur, quòd illi inter gentes de labore vixerunt. Paulus etiam, vt dictum est, non semper de labore vixit. Esto ergò, quòd ceteri Apostoli non peccauerunt non laborando, quia casus tales illis non occurrerunt quales Paulo, sed quid si eis occurrissent nūquid peccassent sumendo sumptus, &c. dando impedimentum Euangelio? &c. an Paulus peccasset, sumendo sumptus & non laborando? Re vera non peccassent alij in consimilibus casibus, nec Paulus peccasset accipiendo sumptus, & non laborando in suis casibus, aliter enim non fuisset ei potestas concessa sumendi sumptus tunc, neque misericordius egisset volendo accipere debitam mercedem, quòd falsum esse ostendit Augustin. ex dictis Pauli sic inquiens ibidem cap. 7 Nunquid habemus inquit licentiam manducandi &c. bibendi? nunquid habemus licentiam sororem mulierem circumducendi? quàm licentiam dixit

nisi

aiſi quàm Dominus dedit eis, quos ad prædicandum regnum cœlorum miſit dicens: Ea quæ ab ipſis ſunt manducare, dignus eſt enim operarius mercede ſua, & ſeipſum proponens ad eiuſdem poteſtatis exemplũ, cui fidelisſimæ mulieres neceſſaria de ſuis facultatibus miniſtrabant?

Amplius autem fecit Apoſtolus, vt de coapoſtolis ſuis documentum adhiberet huius licentiæ à Domino permiſſæ: neque enim reprehendens ſubiecit, ſicut &c. cæteri Apoſtoli, ſed vt hinc oſtenderet hæc ſe accipere noluiſſe, quòd enim liceret accipere, cæterorum commilitonum etiam eius more probaretur.

Nota, quia dicit, quod licuit accipere non accepit, quod non fuiſſet, niſi quando laborauit non peccaſſet, quare nec cæteri Apoſtoli in caſibus conſimilibus. Et hoc verum eſt, &c. ſic Paulus miſericordius egit, quàm cæteri & perfectius, ſicut perfectius agit continens, qui cum poſſit nubere ſine peccato, non tamen vult nubere. Et ſic illa reſponſio Auguſt. non videtur ſufficere mihi ad propoſitum. Dico ergo, quòd cæteri Apoſtoli non peccabant, quia non operabãtur, ſed accipiebant ſumptus etiam occurrentibus dictis caſibus: aliter enim non accepiſſent poteſtatem non operandi; tunc neque viuendi de Euangelio, vt dicitur in argumento. Quòd arguitur in oppoſitum, quòd immò quia afferebant impedimentum Euangelio, quia Paulus laborauit, vt dicit, nè fieret impedimentum Euangelio: Dico, q̃ alij acceperant poteſtatem tunc non laborandi, & viuendi de Euãgelio, qua Paulus aliquid vltra erogans vti noluit, &c. ſic non peccauerunt, nec nullum impedimentum dederunt Euangelio, in quo conſiſtebat peccatum.

Sed quia vt dicit in argumento, neque nullum peccatum eſt impedire Euãgelium: diſtinguo de impedire Euangelium, quia vno modo contingit impedire Euangelium faciẽdo illud, quo ceſſat curſus Euangelij, quemadmodũ pſeudo Apoſtoli prædicantes falſa, &c. contraria Euangelio impediebant Euangelium, quos Apoſtolus non accipiendo viſus eſt ab actu prædicandi remouere, &c. cogere ceſſare, de quibus dixit Apoſt. ad Galat. 1. Nos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Chriſti.

Alio modo faciendo illud, quo non habet Euãgelium, ita celerẽ curſum vt haberet ſi nõ fieret. Quod dupliciter poteſt fieri. Vno modo faciendo quod non eſt licitum fieri, quemadmodũ impediuiſſent Apoſtoli curſum Euangelij, ſi ſecundùm Euangelium non vixiſſent, & contraria eis, quæ prædicauerunt feciſſent, ſicut fecerunt pſeudo, qui tamen non contraria Euangelio, ſed veritatem Euangelicam prædicauerunt, quos Apoſtolus non cenſebat repellendos, ſed permittendos, dicens Philip. 1. Quid enim dum omni modo, ſiue per occaſionem, ſiue per veritatem Chriſtus annuncietur? & in hoc gaudeo.

Alio modo faciendo quod licitum eſt fieri, licèt non ſit perfectius fieri, & iſto modo Apoſtoli cæteri accipiendo ſumptus etiam in dictis caſibus dederunt impedimenta Euangelio. Paulus nequaquam, quia per hoc, quòd Paulus ſumptus nõ ſumpſit in dictis caſibus, ſed laborauit, & de labore vixit, fortius ad eius prædicationem occurrit Euangelium, quàm occurriſſet ſi ſumptus accepiſſet, & quàm occurriſſet ad prædicationem aliorum ſi occurrentibus dictis caſibus ſumptus ſumpſiſſent.

Dico igitur, quòd impedire Euangelium ſecũdo modo, graue peccatum eſt, & mercenariorũ. Impedire autem primo modo grauiſſimũ eſt peccatum, & luporum, quia tale impedimentum procedit ex facto omninò illicito.

Impedire autem Euangelium tertio modo qđ non eſt propriè impedire, ſed eſt propriè non expedire: benè poteſt eſſe paſtorum, & abſq; omni peccato, quia procedit ex opere licito, in quo nullus peccat, niſi per occaſionem ſcandalizãtes infirmos, quale ſcandalũ oriri non potuit ex ſumptu quem accipiebant Apoſtoli, quia modica acceperunt, & non petierunt, neque abſtulerunt, quia aliter non honeſtè ambulaſſent, vt dicitur in quinto caſu prædicto: cum enim eis neceſſaria denegabantur, aut non vltrò offerebantur, tunc erat tempus excutiendi puluerem de pedibus, & pacificè recedendi. Vnde præueniri debebant, ſicut & modo debent præueniri in neceſſitatibus ſuis, dicente Auguſt. ſuper illud Pſalm 103. Producens fœnum iumentis. Ne dicatis, ſeruientes non indigent noſtri, quærite, ne quis indigeat, & qui non indiget inueniat inde quòd nolit. Noli dicere ſi petierit dabo. Expectas ergò & vt petat, ſic paſcis bouem Dei, quaſi tranſeuntem mendicum, illi petenti das. Si ſic inter vos indigent milites Chriſti vt etiam petant, videte, nè vos iudicent antequàm petant.

Alius ad te venit vt petat: alium tu præueni, nè petat, da illi, ſed multò magis iſti, quantò minus petit, tantò magis tibi vigilandum eſt, vt præoccupes petiturum, aut fortè non petiturum, & aliquando damnaturum, & infra. Non indiget cibo, fortè veſte indiget, nec indiget veſte, fortè tecto indiget, fortè etiam fabricat, fortè aliquid vtile in domo Dei molitur, & expectat vt attendas.

Quia ergò licitè non laborauerunt, & ſumptus acceperunt, & abſque ſcandalo, licèt non expediebant curſum Euangelij faciendo opus prærogationis, ſicut Paulus, nequaquàm peccauerunt, quia ad tale opus prærogationis non tenebantur, eo quòd nõ erat iuſſum à Deo, vt dictum eſt iam nec tenetur quis ad opus prærogationis: nullus autem peccat non faciendo id ad quod non tenetur pro tempore, & loco. Hinc dicit Auguſt. ſu-

per

per dictum locum. Ego inquit nullo horum vsus fui: offendit sibi debori, & non accepit, nec eò desinquit dos, qui non acceperunt, quod debebant: condemnandi enim erant exigentes indebita, non accipientes mercedem suam: ille tamen & ipsam mercedem donauit, non quia tibi alius donauit non debes alteri.

Quòd ergò arguitur primò, quòd viuere de labore perfectius est, dico, quòd verum est modo & in casu, quo Paulus laborauit: secundùm quod procedunt allegata in argumento: aliàs autem nequaquàm, præterquàm secundum tacta in corpore solutionis.

Ad secundùm quòd viuere de Euangelio est perfectius. Dico, quòd verum est secundùm prędicta, nisi in casibus, in quibus laborauit Paulus: in illis enim casibus laborando manibus expedit, ius est Euangelium secundùm prædicta, licèt aliquantulum temporis labor occupat, quod laboras sibi determinat, secundùm quod minus Euangelium retardat, vt similiter dictum est.

Ad tertiũ, quòd viuere de mendicitate est perfectius, quia in hoc imitatur Christus, de quo dictum est: ego autem mendicus sum: Dico quòd sicut pauper dicitur secundùm etymologiã, quasi parum in pera habens, &c. egenus, quasi egens alterius onere, id est bonis, quibus alter est oneratus, & inops, quasi sine opibus, sic mendicus dicitur quasi mentem indicans super eò, scilicet quòd parũ in pera habet, & bonis quo alter oneratus est indiget, & per hoc desiderium habendi de bono alterius indicans. Sed hoc contingit fieri dupliciter. Vno modo petendo, quod est proprium mendicantium non habẽtium potestatem accipiendi, qualem habebant Apostoli, quorum potestas accipiendi distinguitur contra mendicitatem petentium quę idcircò propriè dicitur mendicitas. Alio modo ipsam indigentiam insinuando, & prætendendo, quòd benè fecerunt Apostoli, & Christus, & hoc modo habentes potestatẽ accipiendi largo nomine dicuntur mendici, secundùm quod hęc distinctio ponitur expressè ab Augustin super Psalm. prædicto. Quomodo inquit Augustin. Christus in passione infirmorum personam sustinuit præfiguratam, sic & in loculis habendis, & exigendo quodammodo annonam nõ petendo, sed præferendo indigentiam susceptit. Ex qua distinctione circa factum Christi de loculis satis exprimitur, quòd licèt in habendo loculos mendicus fuit, non tamen primo modo, sed secundo, & quòd non expressè petẽdo exigebat, sed quodammodo exigebat indigentiam præferendo. Vbi in eò, quòd dicit exigebat, & quòd dicit annonam: benè notatur, quòd prę ferendo indigentiam quærebat de alieno non ex vera mendicitate, sed ex potestate: exigere enim non habent mendicantes verè primo modo, sed solũ potestatem habentes: exigere enim supponit iuris debitum, quod benè insinuat nomẽ annonæ, quæ non debetur verè mendicantibus secundùm primum modum, sed solùm modò potestatem recipiendi habentibus, vnde ibi dicit glossa super illud; Ego autem mendicus sum, Hoc dicit Christus de se ex persona serui, secundùm quod homo mendicus est, qui ab alio petit: re verè enim secundùm illum modum erat mendicus, quia indigebat, quod exponit continuò additum. Et pauper: non tamen secundùm modum, quo mendicus est, qui non exigit præferendo indigentiam, sed expressè petendo. Vnde non video Christum fuisse mendicum alia mendicitate, quam illa, qua mendici erant: maximè ideò, quia non inuenio vnquàm ipsum alia mendicasse, quàm illa, qua reponebat in loculis suis, nisi in ministerio potius, quàm propter indigentiæ supplementum, dicente Augustin. super illud Psalm. 108. Persecutus est hominem inopem, & mendicum.

Mẽdicum autem quomodo intelligemus, nisi fortè, quia dixit mulieri Samaritanæ, Da mihi bibere, &c. in Cruce ait sitio? In hoc ergò, quòd accepit reponenda in loculis: Augustin. dum mendicum non iudicauit, &c. hoc, quia illa non recepit ex mendicitate, sed ex potestate consimili illi petenti, quàm concessit Apostolis, non tàm verbo, quàm exemplo, dicente Augustin. super illud; Producens fœnum iumentis. Cum videret Paulum nõ ita quæsiturum, præuidit, nè damnaret quæsiturum; & præbuit exemplum infirmo, vbi nomine infirmi comprehendit cęteros Apostolos à Paulo, vt declarauimus in precedenti Quolibet. in quæstione de perfectione Prælatorum, vnde & cæteri Apostoli ad exẽplum Christi iusmodi acceperunt, dicente Augustin. de opere Mona. cap. 6. Dominus more misericordiæ suę infirmioribus compatiẽs cum ei possent Angeli ministrare loculos habuit, quibus mitteretur pecunia, quę conferebatur à bonis fidelibus eorum victui necessaria, & infra post modicum. Hoc exemplum Domini imitabantur Apostoli ad accipiendum sibi debitum cibum.

Constat autem, q̃ non fuisset eis congruum exemplum quærendi sic debitum, nisi Christus etiam illa accepisset tanquàm propter debitum, propter hoc enim præmisit; Nolite portare aurum &c. vt supra dictum est.

Alijs autem, quibus incumbit necessitas procurandi sibi necessaria, quia non habent vnde viuant ex debito: benè etiam fuit in exemplo sibi prouidendi de futuro, dicente Augustin. lib. 2. de sermo. Domini in monte, Vehementer cauendum est, nè fortè cum viderimus aliquem seruũ Dei prouidere, nè ista necessaria desint, vel sibi, vel eis, quorum cura sibi commissa, iudicemus eum cõtra præceptum Domini facere, & de crastino esse sollicitum: nam & ipse Dominus, cui ministrabant Angeli: tamen propter exemplum, nè quis

postea

postea scandalum pateretur cum aliquem seruorum eius animaduertisset ista necessaria procurare, loculos habere dignatus est. Ex quo aduerto, quòd Christus in loculis duplex exemplum præbuit. Vnum accipiendi ex debito, in quo exemplum dedit solis Apostolis, & discipulis, & eorũ successoribus, & alijs, qui in ministerium publicum sunt vocati, & hoc tanquàm infirmis non valentibus sibi manibus quærere necessaria. Alterum reseruandi sibi acceptum in futurum, in quo exemplum dedit omnibus alijs tanquàm infirmioribus. Sed neutro modo exemplum de loculis secutus est Paulus tanquàm miles strenuissimus.

Ad formã argum. Quòd ergo dicitur in argumẽto, illud est perfectius, in quo imitatur Christus: dico, ꝙ quia omnis Christi actio nostra est instructio, facta sua omnia nobis sunt, quasi quædam verba instructoria. Sed hoc dupliciter, quandoque enim sunt instructoria quid tanquàm perfectum facere expediat: quandoque autem quid tanquàm imperfectum facere liceat.

Primo autem modo facta Christi sunt exẽpla perfectis, & sunt opera perfectionis ex genere, & ratione facti, & ex animo facientis. Tale exemplum dedit, cum quando hora sua venit passioni crucis se obtulit quèdo dixit, Si quæritis me sinite hos abire.

Opera autem Christi secundo modo sunt exẽpla imperfectis, & sunt opera imperfectionis ex animo facientis tantùm. Tale exemplum etiã dedit Christus in passione quando dixit, Tristis est anima mea &c. secundùm quod de vtroque dicit Augustin. supra dictum locum Psalm. 103. Cum videret multos pronos, & gaudentes ad martyrium passionis exultantes, in ipsa passione fortes seminatores, & maturos ad horreum: ecce qualibus competit exemplum operis Christi primo modo. Sequitur continuè de secundo modo. Quorundam tamen infirmorum, quos videbat posse turbari ventura passione ne deficerent, sed potius voluntatem humanam voluntati creatoris coniungerent, ipsorum personam voluit accipere in passione Christi, cum dicens, Tristis est anima mea vsque ad mortem, & iterum, Pater si fieri potest transeat à me calix iste, docuit quid esset dicturus infirmis, sed secutus ostendit quid facere deberet infirmis. Veruntamen non quod ego volo, sed quod tu vis pater: egit ergo Christus, & docuit, & perfectionis, & imperfectionis opera. Dico quantùm est ex genere, & ratione operis, sed in exemplum alijs, & alijs, quæ tamẽ ambo perfecta erant ex intentione facientis. Dico ergò, qnòd perfectius est opus, in quo imitatur Christus sequẽdo rationem perfectionis in illo qualem tenuit Christus, & secundũ hoc iuxta secundùm modum operum Christi perfectius fuit Paulo circuncidere Timotheum compatiendo Iudæorum infirmitati, quàm non circuncidere, licèt non circuncidere simpliciter esset perfectius, de quo Actuum 16. Assumens circuncidit eum propter Iudæos, Gloss. Nè offensi alienarentur, propter quod dicit 1. Corinth. 9. Factus sum Iudæis tanquàm Iudæus, vt Iudæos lucrifacerem. Et per hunc modum, licèt carnes comedere esset imperfectionis: comedere tamen propter infirmos, nè crederent non licere perfectionis esset, & è conuersò esset perfectionis non comedere, aut non bibere vinum, nè proximus per infirmitatẽ scandalizaretur in comestione, aut potatione, qd fortè aliàs licitum esset, aut perfectionis comedere, vtpotè panem, & aquam in pœnitentiam, & cap. 14. Bonum est non comedere carnes, neque bibere vinum, neque in quo frater tuus offenditur, aut scandalizatur, aut infirmatur.

Et similiter si laborare manibus præbuisset scãdalum, aut offendiculum alijs Apostolis, & nullum perfectum eis, quibus prædicabat, perfectius fuisset ei non laborare, quàm laborare.

Nequaquàm tamen esset ei perfectius sequi in talibus quandoque substantiam actionis Christi, vt fugere passionẽ ex iusta causa, aut propter iniustam illam sustinere, & in hoc homo non potest sequi rationem perfectionis Christi, quia non est institutus in hoc Doctor vniuersalis Ecclesiæ, sicut fuit Christus, propter quod licèt fugere in Christo fuerit opus perfectionis secundo modo, non tamen sic in alijs esset opus perfectionis, & per hunc ẽt modum licèt in Christo fuerit opus perfectionis non laborare, sed viuere de Euãgelio, non sic fuisset opus perfectionis in Paulo, sicut neque fuit in alijs Apostolis.

Sequendo autem rationem perfectionis operum Christi, iuxta primũ modum operum eius, semper perfectius est opus. in quo quis imitatur eum, & sic generaliter omnium tẽporalium abrenunciatio tàm in proprio, quàm in communi, & quærere in eis solùm modò quotidianum vsum facti, vel de Euangelio, vel de labore, vel de mendicitate viuere est status perfectionis quàm Christus obseruauit viuendo de Euangelio, & verbo docuit dicendo, Nihil tuleritis in via &c. comedentes, & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua, & docuit exemplo in accipiendo à fidelibus sibi, & suis necessaria, sicut dictum est.

Obseruantiam autem perfectionis viuendo de labore, & de mendicitate propriè dicta, alijs reseruauit. Sic ergo in Paulo perfectius fuit laborare manibus, & non viuere de Euangelio, quàm imitari Christum viuendo de Euangelio, in quo eum imitati sunt alij Apostoli. Propter quod Paulus sublimius egit, quàm cæteri Apostoli, vt dicit Aug. super dictum locum Psal 103. Multi infirmi ista quæsituri erant: Paulus sublimius egit, scilicèt ista non quæsiturus, vt statim præmisit.

Et

Et tunc continuo quærit Auguſt. Nunquid & Chriſto ſublimius? &c. reſpondet. Chriſtus ſublimius, quia miſericordius. Quod verum eſt quo ad animum operantis, &c. Paulus enim miſericorditer operatus eſt manibus operando. Vnde, quòd non voluit ſumptus ſumere ne vena le videretur ponere Euangelium, hoc fecit miſericorditer ne offendiculum poneret proximo, in ſuſpicando, quòd Euangeliſtæ non Euangelizarent niſi propter ſumptus, dicente Auguſtino de opere Monach. capit. 10. Infirmitati hominum compatiens id faciebat, propter quod 1. Corin. 9. vbi exponit illam cauſam, continuo exponit qualiter in pluribus alijs operibus ſuis miſericorditer condeſcendit infirmitati proximorum, ſubdens.

Nam cum liber eſſem omnibus omnium me ſeruum feci vt plures lucrifacerem &c. Sed Chriſtus multò miſericordius operatus eſt habendo oculos quia illud fecit in exemplum, &c. documentum omnium de eccleſia, pauciſſimis exceptis qui aliquid aliud vellent ſupererogare. Paulus autem illud fecit ſolùmmodò in exemplum &c. documentum paucorum, & perfectorum qui in hoc eum erant imitaturi, &c. imperfectorum qui contra eum aliquid ſiniſtri eſſent ſuſpicaturi. Quo ad perfectionem autem rationem generis ſiue ſubſtantiæ ipſius operis perfectius egit Paulus quàm Chriſtus; ſicut perfectius egit quàtum erat de genere operis, quandò paſſionem ſuſtinuit quàm quandò lapidationem fugit.

Quòd ergò arguebatur, quòd viuere de mendicitate eſt perfectius, quia in hoc eſt maxima humiliatio, Dico, quòd duplex eſt humiliatio, quædam exterior & quædam interior, &c. hoc tàm in manuum opere, quàm in mendicitate, & quàm in Euangelizatione, &c. eſt quælibet iſtarum de bonis meritorijs, & nulla earum quantũ eſt de ſe bonum eſt niſi ex genere, & poteſt bono modo fieri, ſiue conuenit eis benè, & malè vti. Illa autem quæ exterior, conſiſtit in quadam vilificatione ſcilicèt ſecundùm reputationem hominum, &c. ideò de illa nihil ad bonum virtutis de quo eſt quæſtio. Vnde talem vilificationem pro nihilo reputant boni viri in his trib. actibus, nec propter vilificationem talem adipiſcendam, ſcilicèt vt homo vilis reputetur in hominum æſtimatione, debet aliquis ſe in dictis operibus humiliare, quia hoc vergit in hominis diffamationem, &c. curam oportet habere de bono nomine. Nec ſimiliter propter talem vilificationem fugiẽdam debet homo iuſtus ab aliquo illorum trium actuum deſiſtere, dum tamen poterit ipſum in actum virtutis conuertere, dicente Auguſtin. de Paulo circa opus manuale de opere Monach. Innocenter, &c. honeſtè ea quæ apta ſunt humanis vſibus operabatur, ſicut ſeſe habent opera fabrorum ſtructorum, ſutorum &c. his ſimilia, valet enim honeſtas ipſa quod reprehendit ſuperbia eorum qui honeſti vocari volunt, ſed eſſe non amant. Non ergò dedignaretur Apoſtolus ſiue ruſticanum opus aliquod aggredi, ſiue in opifico labore verſari.

Qui enim ait: Sine omni offenſione eſtote Iudæis &c. gentibus, & eccleſiæ Dei, quos in hac cauſa vereri poſſet ignoro. Si Iudæos dixerim Patriarchæ pecora pauerunt. Si græcos dicimus etiam Philoſophos, multum ſibi honorabiles ſutores fuerunt. Si eccleſiam Dei, illo cui deſponſata eſt virgo Maria, faber fuit. Hinc dicitur ſecundo Soliloquiorum. Multa enim fiunt quæ quaſi facie, &c. populari turpia videntur, alio tamen fine laudabilia &c. honeſta monſtrantur. Illa autem humiliatio quę eſt interior, ſimiliter in quadam vilificatione conſiſtit, ſcilicet ſecundùm reputationem propriam, &c. habet quatuor actus. Primò enim homo per ipſam abominatur vitia tanquàm ſibi contraria. Secundò deſpicit bona infima, vt omnia temporalia tanquàm ſibi inſufficientia. Tertiò non reputat bona media vt vires, &c. naturalia ſua tanquàm ad bona ſuprema adipiſcenda infirma &c. inualida.

Quartò paruipendit bona quæ adeptus eſt ſuprema ſcilicèt bona gratiæ &c. virtutum, & hoc reſpectu bonorum gloriæ ad quæ toto deſiderio tendit, vt virtutes, & gratiarum dona. ſecundùm quod hæc omnia probari poſſent per dicta ſanctorum, ſed longum eſſet &c. impertinens ad propoſitum. Et humiliatio hæc ſecundùm tres vltimas operationes idem eſt, quod paupertas ſpiritus, quia reputatione ſpiritus hoc eſt mentis ſuæ parum ſibi eſt quicquid habet, &c. eſt pars magnanimitas inquantũ magnanimitatis deſpectiua eſt, &c. eſt ſubminiſtratiua alterius partis magnanimitatis, inquantùm ſcilicèt ipſa eſt dignificatiua, &c. ſecundùm ipſam magnanimus ſe reputat dignum magnis bonis, &c. ad illa anhelat. dicente Philoſopho 4 Ethicor Magnanimus magnis ſeipſum dignificat dignus exiſtens, &c. ſecundùm aliam translationem.

Præparat ſe ad res eximias aptus ad hoc, & infra. Paruum autem hunc ſunt alia, propter quod deſpectores videntur eſſe. De illa prima parte quæ eſt humilitas, ad præſens nobis ſermo eſt. De alia verò aliàs ſermo fortè erit, quæ nomen proprium non habet, ſed nomen virtutis ſimpliciter ſibi appropriat quia dignior pars eius eſt, vnde &c. ab illa nominatur, dicente Philoſopho. Magnanimitas circa magna quidem eſt, & ex nomine videtur eſſe. Circa humilitatem igitur eſt aduertẽdum, quòd ſi prima humilitas, ſiue humiliatio affectetur ſine ſecunda cum illa non ſit affectanda ſicut dictum eſt, propter ipſam vilitatem, non affectatur niſi propter temporale commodum aut vanam gloriam, quam ex illa

con-

consequitur, & quantò maior est illa humiliatio in mendicatione, quàm in Euangelizatione vel manuum labore, tantò illa est deterior. Dicit enim Hieronym. ad Oceanum. Difficilius arrogantia quàm auro caremus &, gemmis, his etiam abiectis interdum glorioſis intumescit animus sordibus, & venerabilem paupertatem populari auræ offerimus. Propter quod ad secundam humilitatem exhortans idem dicit ad Demeriadem. Præcipuè fictam humilitatem fugiens illam sectare quæ vera est, in qua non sit superbia inclusa, multi enim huius virtutis vmbram, veritatem eius pauci sequuntur. Item dicit ad Eust. Nec gloriam fugiendo quæras, plures enim in hoc placere cupiunt, quòd placere contemnunt, nec plus religioſa velis videri, nec plus humilis quàm necesse est.

Dico ergò respondendo ad argumẽtum, quòd in quo est maxima humiliatio isto secundo modo in illo est maxima perfectio, & tali humiliatione humiliauit se Christus. Quod autem assumitur, quòd hæc est maxima in mendicatione: Dico, quòd nequaquàm verum est, quia cæteris paribus qui laborare non vult sed mendicare, laborem fugit, &, otium quærit, & sic se plus debito diligit, &, non vt congruit vero humili sese reputat, si enim tantùndem laborare oporteret mendicando, quantùm opus faciendo alijs eisdem retentis, semper de labore melius est acquirere quod sibi sufficit, & vnde alijs succurratur, quàm de mendicitate, quia melius est, & perfectius est non indigere alieno quàm indigere, propter quod beatitudo est sufficientia commodorum sine omni indigentia, vt dictum est supra, &, vt dicit Philosophus 10. Ethicorum beatitudo est per se sufficientia.

Similiter nec vera humiliatio maior est in mendicitate quàm in Euangelizatione, sed è conuersò quoniam verus Euangelista intantùm semetipsum despicit, quòd omnium quibus incumbit ipsum Euangelizare se seruum facit, secundùm Apostolum 1. Corinth. 9. Cùm essem liber ex omnibus &cet. sicut supra. Mendicans autem inquantùm huiusmodi non nisi gratiæ eius à quo mendicat se subijcit. Hinc Gregor. 17. lib. Moral. exponens illud Iob. 16. Ecce gigantes gemunt sub aquis, dicit sic. Gigantes gemunt sub aquis, quia quantò quisquis altius erigitur, tantò curis grauioribus oneratur, eisque ipsis populis mente &, cogitatione supponitur quibus superponitur dignitate, homo quippè in sublimibus elevatus tantos super se sustinet quantos suppositos regit, ij autem qui talibus satiantur ipsi etiam laboris participatione deprimuntur.

Explicit Decimumtertium Quodlib. Magistri Henrici à Gandauo.

Comment. in Quæstionem XVII. quæ est,

Vtrum maioris perfectionis sit viuere de labore manuum, an de Euangelio, an de mendicitate.

TITVLVS satis clarus. In corpore autem duo præsertim fiunt. Primum excludantur tria genera hominum communiter non laborantium, quorum duobus non licet mendicare, nec viuere de Euangelio, vt ociosi, & diuites. Et vni licet mendicare, vt sunt pauperes infirmi sæculares, de quibus alibi dictum est. Et circa hæc tria genera hominum inducuntur sanctorum auctoritatis in vestibulo quæstionis, vt clarè patet in litera. Secundò respondet quæsito, sumpto quarto genere hominum non laborantium, quod est religiosorum, potentium laborare, qui differant à primis, scilicèt ociosis, & secundis non habentes proprium, & à tertijs sanitatem habentes. Habitis diuisione, & pluribus subdiuisionibus nouem conclusionibus quæsito satis diligenter videtur satisfacere, quæ vtique tùm diuisiones, cùm etiam conclusiones ad breuem & facilem formam redigentur, vnde & ipsa quæstio facilius intelligatur, si de more conabimur eas ad tabellæ formam redigere hoc pacto.

Non laborantes huiusmodi aut

- *Non laborant propter cõtemplationis complemen tum, & hi tales vel*
  - *Se possunt exercere in multiplici gñe cõtẽpla tionis, & hi tales vel*
    - *Possent minori sollicitudine, acquirere, nec tùm mendicatione, aut labore* — **1. Conclusio.** Perfectius est viuere mendicando, aut laborando.
    - *Cum maiori sollicitudine* — **2. Conclusio.** Perfectius esset viuere contemplando ex Euãgelio.
  - *Nõ possunt, et tũc qui stãt in cõtinua cõtemplatione, vel*
    - *Illis egent tpe suæ vacationis* — **3. Conclusio.** Si cũ minori sollicitudine pñt laborare, tunc vel mendicare perfectius id illis est, si cum maiori contra.
    - *Nõ egent* — **4. Concl.** Perfectius esset illis laborare q̃ mẽdicare tpe vacationis.
- *Non laborãt propter proximorũ negotium & sit vel*
  - *Possent laborare absque detrimento proximorum* — **5. Concl.** Perfectius esset illis viuere de labore, aut mendicitate.
  - *Non possẽt, & hi mouentur vel*
    - *Affectu charitatis, et tũc vel*
      - *Aliqs casꝰ occurrit eorũ pp quos laborauit Apostolus* — **6. Concl.** Perfectꝰ eẽt illis viuere ḋ labore, aut mendicitate.
      - *Nõ occurrit* — **7. Concl.** Perfectius est viuere de Euãg. vel pfectius de mẽdicitate, q̃ de labore.
    - *Coactione officij debiti, & tunc vel*
      - *Occurrit* — **8. Cõcl.** Perfectius de labore, aut mẽdicitate.
      - *Nõ occurrit* — **9. Cõcl.** Perfectius de Euangelio.

Pro prima conclusione, atque cæteris vbi de solicitudine sermo est, not. q̃ intelligitur de illa solicitudine, quæ distrahit animum à seruitio Dei, vnde semper regula generalis videtur, q̃ maximè qui Dei seruitio mancipati sunt, vt religiosi, quantò minus distrahuntur ab illo seruitio tantò perfectiores iudicandi sunt, contra verò imperfectiores, quantò amplius distrahũtur. Et ex hac regula probat conclusionem Auctor in litera, & confirmare videtur ex D. Augustini, atque Hieronymi dictis. Vt patet apertè litera.

Secunda verò conclusio patet à contrario, quia si minor est solicitudo in viuendo ex Euangelio ex eodem fonte hoc magis eligendum est. Et quibus & tertiam elicit conclusionem, quia sicut prius distinguendum esse ait.

Quartam verò conclusionem probat ex D. Hieronymo ad Rusticum, ex August. de opere Monach. quorum verba recitare non occurrit. Et his quatuor conclusionibus terminatur pars contemplatiuorum, cum cæteræ potius spectent ad actiuos.

Quinta conclusio declaratur, q̃ intelligitur dummodò non impediatur actus contemplationis. Vbi not quòd potest esse aliquis actiuus, atq; simul contemplatiuus. Et tunc dum transfertur ad contemplationem negotium, distinguendũ est, & determinant dũ sc̃m q̃ determinatum est in quatuor præcedentib. Vbi verò non impeditur, quia non sit nisi actiuus, probatur conclusio ex eisdem verbis D. Hieronymi, & August. quibus probata est superior proxima cõclusio, quippè ex suis verbis elicitur & ista.

Sexta aũt, & octaua conclusio patent ex consideratione illorum casuum, quibus laborabat &c. & enumerantur in litera.

Quoniam verò oppositorum est eadem disciplina patet septima, & nona. Quoniam simpliciter perfectius est viuere de Euangelio. Pro septimæ verò secunda parte not. illud venit, quod melior esset mendicitas, quia supponitur laborem esse cum proximorum detrimento, siquidem nascitur ab illo membro, vt videre est. Cætera lectori prudenti contemplanda relinquimus ex se, hac enim breui modula contenti sumus.

Explicit Quodlib. Decimumtertium ad laudem Dei, & Beatæ Virginis.

MAGISTRI HENRICI A GANDAVO

DOCTORIS CELEBERRIMI

QVAESTIONES QVODLIBETALES

Cum Commentarijs, seu Adnotationibus R.P.D. Vitalis Zuccolij Abbatis Ordinis Camaldulensis Theologi Clarissimi.

Quartumdecimum Quodlibet decem & septem quæstiones habere de more, tùm ad Deum, cùm etiam ad creaturas attinentes, vt tamen priores simul ad Deum, & creaturas pertineant, ex vestibulo prioris quæstionis in litera, progressuque dignoscitur, nos morem nostrum prosequamur.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum agens secundarium, agens in virtute primi agentis, habeat in se virtutem illius mansiuam.

DISPVTATIO nostra de quolibet decimoquarto, continebat quæstiones decem ac septem. Quarum vna communiter pertinebat ad Deum & ad creaturas, aliæ verò omnes solùm modò pertinebant ad solas creaturas. Illa vnica erat. Vtrum agens secundarium, agens in virtute primi agentis, habeat in se virtutem illius mansiuam. Et arguebatur quòd sic, res quòd est mansiua hoc habet à Deo cuius est res conseruare in esse, illud autem quod habet res in esse conseruare, æqualiter habet conseruare in esse illas ad quas æqualiter se habet, sed Deus æqualiter se habet ad illam virtutem quæ est in secunda causa à prima, & ad alia quæ sunt in illa causa secunda, cum ergò sic conseruat alia in illa quòd habeant in ea esse mansiuum, ergò similiter & illam virtutem. *Argumen. principale.*

Contra. vis primi agentis est in agente secun- *In oppositum.*

do sicut in quodam instrumento, sed in instrumento talis vis manifestè non est, vt patet in secutis, in qua non manet vis ei influxa ab artifice, secundùm artem suam cum manuum artificis exierit, ergò &c.

Resolu. 90. Hic oportet primò videre de virtute primi agentis quæ est in agente secundo quid illa sit, & in se, & in suo effectu, quem agit agens secundùm per illam. Et dicunt aliqui quòd virtus agentis primi in agente secundo est forma agentis secundi qua existit, & per quam operatur opus debitum suæ formæ qua existit, cuiusmodi est forma ignis inquantùm ignis est quæ vocatur igneitas, qua ignis generat ignem, & forma calidi inquantùm est calidum quæ dicitur caliditas, qua calidum producit calidum.

Et dicitur virtus primi agentis esse in agente secundo, quia habet esse ab illo in isto. Sed hoc non potest esse verum generaliter in causis ordinatis, quarum vna est prima, & altera secunda, semper enim tunc, & vniuersaliter causa secunda id quod est haberet esse à causa prima, quod nequaquàm verum est, nec verum esse potest nisi in causa simpliciter prima, quæ Deus est solùmmodò respectu cuiuslibet alterius causæ quæ causa secunda est respectu illius, quia ipse solus est causa prima à qua habet esse causa secunda secundùm id quod est, quoniam ipse est primum ens, & vt dicit decimaocta ua propositio de causis, res omnes entes sunt propter ens primum, vbi in commento dicitur. Et ens primum est causa causarum.

Illud ergò non est generaliter verum nisi ponendo quòd non sit aliqua alia causa prima respectu alterius nisi solus Deus, aut quòd ab ista causa prima quæ non est Deus, habeat esse secundùm id quod est ipsa causa secunda.

Quorum neutrum verum est, multæ nanque sunt aliæ causæ primæ respectu alterius, vt respectu secundæ, quæ non sunt Deus, & à quibus non habet causa secunda esse id quod est, puta in operibus cœli intelligentia mouens cœlum est causa prima, & ipsum cœlum est causa secunda, & in operibus elementorum, & compositorum ex elementis cœlum est causa prima, & elementa sunt causa secunda, & tamen elementa non habent esse id quod sunt à cœlo sicut à causa prima, neque cœlum ab intelligentia, nisi secundùm errorē aliquorum Philosophantium, puta Auicen. tertio Metaphysic. suæ. A tali ergò causa prima si sit aliquid seu aliqua virtus in causa secunda, illa necessariò est aliquid præter illa quæ sunt de natura ipsius agentis secundi, & præter id quod est, licèt fortè à causa prima quæ Deus est non sit aliquid in causa secunda quo agit suam propriam operationem, præterquàm id quod est ipse.

Propter quòd dicunt aliqui, quod in singulis causis aliis à Deo, quæ sunt omnes causæ secundæ respectu illius, non est nisi id quod naturaliter ipsi inditum est à Deo, quo quælibet earum agit propriam operationem competentem sibi secundùm illud, vt quòd ignis sola forma igneitatis generat ignem, & forma caloris generat caliditatem siue calidum, ita quòd Deus nihil aliud influit in ignem vt generet ignem, neque in calorem eius vt generet calorem, præter hoc quòd causat in illo formam igneitatis & caloris, ita quòd quicquid agit in eo quod fit, & procedit ab agente creato, siue mediatè, siue immediatè, hoc agit virtute naturæ suæ præsentis substantialiter, non autem per aliud ab eo influxum agenti secundo.

Vnde enumeratis pluribus effectibus agentium secundorum dicit August. septimo de Ciuitate Dei. Hæc omnia facit atque agit vnus verus Deus, sed sicut Deus idem vbique totus præsente potentia. Dicunt etiam aliqui, quòd Deus non aliter operatur opera ignis quæ agit vi igneitatis aut caloris, quàm per illa inquantùm ista operatus est in igne, ita quòd non sit ponendum quòd immediatè operetur Deus in opere quolibet creaturæ aut operato ab illa, præter hoc quòd operetur mediante illa, inquantùm id quo illa operatur habet esse ab ipso in ista, vt secundùm illud intelligatur ita dixisse August. continuè post iam dicta septimo de Ciuit. capitulo trigesimo. Sic itaque omnia quæ creauit administrat vt etiam ea proprios motus agere sinat. Et Anselm. lib. de concord præscientiæ, & liberi arbitrij dicit sic.

Sicut Deus non facit iniustitiam, ita non facit aliquid iniustum esse, qui tamē facit omnes actiones, & omnes motus, quia ipse facit res à quibus, & ex quibus, & per quas, & in quibus fiunt, & nulla res habet vllam potestatem volendi aut faciendi, nisi illo donante. Et non dicit Aug Sic Deus res administrat vt cum illis proprios motus illarum agat.

Quo modo autem, & quare necessarium sit ponere, quòd aliter quàm secundùm tactum modū Deus mediatè aut immediatè cooperetur creaturæ in omni opere sibi proprio & naturali, non video, nec tamen asserō hoc non esse ponendū aut necessariò non esse ponendum. Fortè enim hoc diuinæ maiestati congruit, & ideò illud ponendum est, quia quicquid maiestati eius congruit, ei necessariò congruit, quia inipso nihil est contingenter, & quicquid ei ineſt aut congruit, necessariò ei ineſt aut congruit, & quicquid ei non ineſt, aut non congruit, impossibile est ei ineſſe aut congruere. Similiter nec asserō quin sit ponendum aut quin sit necessariò ponendum tanquàm congruens diuinæ maiestati, quòd ad hoc, quòd agens secundarium agat aliquid forma sibi à Deo indita, Deus adhuc

influat

influat illi aliquam aliam virtutem neceſſariam illi ad agendum propriam illius operationem, ſine qua per formam ſibi inditam non poſſet agés ſecundarium aliquam operationem ſuam produ cere, maximè cum ad operationes ſuas indigeant cauſæ ſecundariæ in elementis, &c. elementaribus ſuper formam ſibi à Deo naturaliter inditam virtute influxa ab alio agente primario ſub illo omninò primo, puta à cœlo, à quo non habent elementa neque elementaria mixta ex elementis quo ad ſpecies ſuas, formas ſuas quibus agunt ſecundùm iam dicta, quæ tamen non agunt ſuas proprias operationes niſi per aliquam virtutem influxam à cœlo, ſecundùm quod dicente Philoſopho ſecundo Phyſicorum, homo generat hominem &c. Sol.

Vnde vt etiam dicunt aliqui quia cœlum non influit illam virtutem niſi mediante motu, ſi cœlum ſtaret nulla eſſet alteratio, neque generatio, neque corruptio aut motus aliquis naturalis in elementis aut mixtis ex illis, quia nec calidum calefaceret, nec frigidum frigefaceret Licèt in hoc eis alij contrarientur, & merito vt puto, dicentes quòd licèt elementa aut formæ ſubſtantiales atque accidentales eorum non ſufficiant ad generationem mixti in forma mixti ſine virtute cœleſti illis influxa, ſine qua etiam vnum mixtũ non ſufficit generare alterum, vt equus equum, ſufficiunt tamen ipſa elementa ſecũdùm formas ipſorum ſubſtantiales & accidentales ad generationem ſibi conſimilium ſecũdùm formam ſubſtantialem & accidentalem, vt quòd ignis ignei tate generaret ignem, & caliditate ſua generaret calidum.

Et quod amplius eſt, dicunt aliqui, quòd elementa ſua forma accidentali ſola generant ſibi ſimilia ſecundùm formam ſubſtantialem elementi vel mixti, vt ignis calore exiſtente in ſeipſo de aqua ignem, & equus calore exiſtente de ipſo in ſemine ab ipſo deciſo equum, &c. hoc ſola virtute caloris ſecundùm diuerſos gradus caloris diuerſa, & varia mixta generando vt ex ſemine equi ſecundùm vnũ gradum caloris equũ, &c. ex ſemine aſini ſecundùm alium gradum caloris aſinum abſque aliqua virtute in ſemine influxa in calore ab illo à quo ſemen deciſum eſt. Quod nullo modo poteſt ſtare, quia cum calor conſideratus vt eſt tantum calor ſecundùm diuerſos gradus non differt vt eſt in ſubiecto niſi ſecundùm magis & minus. nec ſimiliter operatio nec etiam operatum mediante eius operatione differre poſſunt amplius quàm ſecundùm magis &c. minus.

Hæc enim tria, agens, propria operatio, &c. proprium operatum per ſe ſunt ordinata adinuicem, &c. in talibus tenet illa regula, Simpliciter ad ſimpliciter &cet. Quare cum operationes caloris differant ſpecie in generatione & corruptione, puta diſgregare per putrefactionem, & congregare diſgregata per generationem ex putrefactis, dicẽte Philoſopho quarto lib. Meteororum, Animalia innaſcuntur putrefactis, eo quòd diſgregans caliditas naturalis cum ſit conſtare facit diſgregata, & ſimiliter differant ſpecie operata, à calore in generatione equi ex ſemine equi, & aſini ex ſemine aſini, oportet ergò quòd calor hinc inde non ſolum differat ſecundùm magis &c. minus, ſed alio modo, ſcilicèt per aliquid additum aliud, & aliud quod determinat ipſum ad aliam, & aliam operationem. & etiam ad aliud & aliud operatum, quod appellamus virtutem in agente ſecundario ab agente primo, puta in calore putrefaciente à corpore cœleſti, quæ fit naturalis &c. congruens ad ſpeciem alicuius vermis producendam, &c. in ſemine equi ab illius forma ſubſtantiali à qua ſemen deciditur ad ſolùmmodò producendum ſimile ei in ſpecie, etſi ſemen ſit commixtum, & deciſum à duobus differentibus ſpecie, puta ex aſino, & equa in generatione muli virtus commixta eſt ab vtroque in calore exiſtente in ſemine commixto, per iſtam enim virtutem exiſtentem cum calore in ſemine, ſemper ſimile generatur ex ſimili vt equus ex equo ſiue ex eius ſemine, & aſinus ex aſino ſiue ex eius ſemine, &c. ſimiliter mulus ex mulo, licèt enim ſit mulus ex aſino & equa, virtus tamen vtriuſque commixta in ſemine ex quo generatur mulus, eſt virtus vtriuſque, in qua vtrunque illorum eſt mixtum, ſicut ambo ſunt mixta in mulo, vt per illam virtutem mixtam in ſemine duorum quodammodò generetur mulus ex mulo propter quod Philoſophus 7. Metaphyſicę vbi exponit quomodo ſemper ſimile generatur à ſimili, dicit ſic.

Sèmen facit ſicut illa quæ ſunt ex artificio. Cõmenta. Semen enim generat per potentiam in eo ſimilem artificiõ. Et eſt potentia iſta virtus cum calore in ſemine illius à quo eſt ſemen deciſum. Vnde Ariſtot continuò ſubdit. Et illud ex quo eſt ſemen, eſt conueniens in nomine quoquo modo, non enim oportet quærere omnia iſta in eadem diſpoſitione in qua generatur homo ex homine, &c. ideò mulus non eſt ex mulo niſi ſit quiddam ſcilicèt virtus aſini, & equæ commixta in ſemine, vbi dicit Comment. Dicimus quòd cũ conſiderata fuerit demõſtratio Ariſtotelis in hoc loco, apparebit quòd ſemina ſunt illa quæ dant formas rerum generatarum ex ſeminibus per formas quas dederunt ſemina generantia generabilibus. Ex ſe autem apparet, quòd corpora cœleſtia ſunt iſta quæ dant illis formas vel aliquid loco ſeminis, & virtutum quæ ſunt in ſeminibus in eis quæ generantur ex ſeminibus, & quòd omnes illæ virtutes ſunt virtutes naturales diuinæ gene-

rantes sibi similia secundùm quod artes generãt artificiata. Appellat autem Commentator generabilia ex se illa quæ fiunt ex putrefactione, quæ loco seminis habent putredinem, & loco virtutum quę sunt in seminibus à generante, virtutem quam dant illis corpora cœlestia.

Et vt æstimo errant aliqui in assignando modum generationis similis secundùm formam ex semine à calore qui est in semine, & à certa virtute. Dicunt enim, quòd calor non agit nisi calefaciendo, & hoc disponendo in digerendo materiam prout regulatur à vi dicta, vt de ipsa educatur forma substantialis, quam non attingit calor vt dicunt, sed materia dispositа illam attingit sola virtus illa immediatè producendo formam substantialem de materia. Secundùm quem modum plures dicunt, quòd generaliter in omni productione creaturę à creatura esse in illa est immediatè à solo Deo, sed determinatio ipsius esse qua est aliquid, solùmmodò est à creatura, iuxta hoc quod super illud Boetij. Diuersum est esse & id quod est, dicit Comment. Esse & esse aliquid multipliciter dicuntur.

Nam in Theologia diuina essentia, quam de Deo prædicamus cum dicimus Deus est, omniũ creatorum dicitur esse, cum autem dicimus homo est vel corpus est vel huiusmodi, Theologi hoc esse dictum intelligunt quadam extrinsecus denominatione ab essentia sui principij. Non enim dicunt corporalitate corpus esse, sed esse aliquid, nec humanitate hominem esse, sed esse aliquid. Et similiter vnumquodque subsistens essentia sui principij scilicèt primi quod est Deus, prædicatur non esse aliquid sed esse. Illa verò quæ in ipso creata est substantia, non esse, sed esse aliquid. Et ad eundem modum quicquid operante summo principio est, eadem principali & increata essentia dicitur esse, suo verò quolibet genere esse aliquid esse. Cui videtur concordare idem Commentator super primam propositionẽ de causis dicens sic Causa vniuersalis prima agit in causarum secũdæ, antequàm in ipsum agat causa vniuersalis secunda quæ sequitur ipsam. Et quid agit in illud primo antequàm in illud agat causa secunda, exponit super quartam propositionem super illud, Prima rerum creatarum est esse, dicens sic.

Quod est, quia est super sensum, & super animam, & super intelligentiam, & non est post causam primam latiùs, neque prius causatum ipsa. Propterea ergò factum est superius causatis omnibus, & vehementius vnicum, & non est factum ita nisi propter propinquitatem suam puro, & vni in quo non est multitudo aliquo modo. Et secundùm hunc modum dicunt etiam, quòd propterea esse propriè habeat esse in re per creationem, esse autem aliquid non nisi per quandam ipsius esse informationem, non autem propriè per creationem. Vnde exponendo illud propositionis 18. Res omnes entes sunt propter ens primum, dicit sic.

Quod est, quia si omnis causa dat causato suo aliquid, tunc procul dubio ens primum dat causatis suis omnibus ens. Et dicamus, quòd ens primum est quietum, & est causa causarum, & si ipsa dat omnibus rebus ens, tunc ipsum dat eis non per modum creationis, sed per modum formalem.

Responsio.

Dico ergò ex prædictis, quòd in omni actione secundi agentis & rei naturalis creatæ cum eo, quod pertinet ad naturam illius, est in ipso aliquid quod est virtus agentis primi non principalis cuiusmodi est omne agens primarium præter Deum, & hoc quia non potest esse præsens illi per suam substantiam, sicut præsens est Deus omni rei, & ideò potest seipso operari, nec requiritur alia virtus eius vt videtur. Quæ tamen virtus à quocunque agente primo fuerit, non propriè agit in eliciendo actum de materia aut subiecto, & per illum attingendo ipsum productum, vt aliud agat virtus ista, & aliud calor in semine, secundùm quod dicunt prædicti, immò nõ est quo formaliter agens agat aliquid in materia nisi calor, vt tamen determinatus est ad determinatam formam substantialem per virtutem existentem in ipso à primo agente.

Et hoc est quod dicit Comment. super 7. Metaphys. vbi supra. Apparet quòd elementa non patiuntur nec agunt nisi per qualitates, non per formas substantiales, vniuersaliter enim apparet, quòd non sunt hic potentiæ agentes nisi quatuor qualitates, & istæ non sunt formæ substantiales, & quòd formæ substantiales nec sunt actiuæ nec passiuæ, & quòd actiuę, & passiuæ sunt primæ qualitates. Et quia ex istis sequitur vt agens istas formas sint principia non materialia, ideò Auicenna cum obediuit istis propositionibus, credidit omnes formas esse ab intelligentia agente, quam vocat datorem formarum.

Quod reuera non oportet sic intelligere, scilicet quòd principia non materialia sint separata omninò, sed principia non materialia agentia istas formas sunt virtutes dictæ in semine, quæ non sunt materialia, non quia non sunt in materia seminum, sed quia sunt sine materia formarũ à quibus habentur in semine, quemadmodum species sensibilium sunt in sensu sine materia.

Sunt etiam dictæ virtutes in materia seminum non sicut in organo operantes sine determinantes ad vnicam operationem secundùm speciem, sed ad plures secundùm diuersas formas membrorum generatorum ex seminibus, sicut facit intellectus per formam artis producendo similitudines diuersorum membrorum puta hominis in imagine hominis, pp quod virtutes istæ dicũtur esse similitudines formæ intellectus

& arti-

& artificis, dicente ibidem Comment. Et ideò dixit Aristot. in libro de Animalibus, quòd virtutes istæ assimilantur intellectui, quia agunt actione intellectus hoc quod agunt, non per instrumẽtum corporale. Ex quo patet, quòd virtutes istę non sunt veluti formæ reales materiales puta carnis vel ossis, aut sicut calor vel frigus, quia istę formæ materiales quantùm est ex se non agunt nisi determinatos actus ad quos sunt naturaliter, sed virtutes istę sunt veluti formæ intentionales, quales sunt vt dictum est species sensibilium in medio, &c. adhuc sunt plus spirituales quantò minus ad actus determinantur quàm illæ. Vnde & consequenter commentator post iam dicta immediatè dicit.

Et in hoc differunt istæ virtutes generatiuæ quas medici vocant formatiuas, a virtutibus naturalibus quæ sunt in corporibus animalium. Istæ enim agunt actione intellectus operatiui, sed agunt per instrumenta terminata, & membra propria, virtus autem formatiua non agit per membrum proprium. Et ideò dubitauit Galenus & dixit, nescio vtrum ista virtus sit creatoran non, sed vniuersaliter non agit nisi per calorem qui est in semine, non ita quòd fit forma in eo, sicut anima in corpore naturali, sed ita quòd sit inclusa in eo, sicut anima est inclusa in corporibus cœlestibus.

Et aduerte, quòd solùm in hoc est simile, quòd virtutes istæ non sunt materiales sicut virtutes dictæ naturales sunt materiales, & in hoc etiam quòd virtutes istæ non agunt nisi per calorem determinando ipsum, sicut nec virtutes naturales, & etiam sicut intelligentiæ non agunt secundùm Philosophum in ista inferiora nisi per motum cæli quem determinant ad speciem. Vnde sequitur Comment. &c. dicit. Generans igitur est illud quod mouet materiam donec recipiat formam id est extrahat illam de potentia ad actum, &c. illud quod mouet materiam necesse est esse fortius, habens qualitatem actiuam aut potentiam qua agit per corpus habens qualitatem actiuam.

Et errauerunt omnes, quia non intellexerunt demonstrationes Arist. & ideò posuerunt vnum agens non corpus, sed illud est impossibile vt transmutet materiam nisi mediante alio non transmutabili scilicèt corpore cœlesti, & ideò impossibile est vt aliquæ formæ separatę dent aliquam formam mixtorum in materia. Et ideò dico, quòd causæ secundæ secundùm quòd secundùm ordinem se habent sub prima, secũdùm hoc regunt inferiora per virtutem superiorem quàm in se recipiunt, iuxta hoc quod dicit Comment. nona propositione de causis. Intelligentia est regens omnes res quæ sunt sub ea per virtutẽ diuinam, & secundùm eam est causa, & sicut natura est regens res quæ sunt sub ea per virtutem intelligentiæ, similiter intelligentia regit naturã per virtutem diuinam. Et intelligentia quidem comprehendit generata, & naturam, & horizonta naturæ scilicèt animam. Nam ipsa est supra naturam, quia natura continet generationem, & anima continet naturam, & intelligentia cõtinet animam, ergò intelligentia continet omnes res, & non est facta ita nisi per causam primam quæ supereminet omnibus rebus, & non est intelligentia, nec anima, nec natura, immò super intelligẽtiam animam, & naturam, & causans omnes res. Sic ergò dico, quòd calor seminis attingit immediatè formam generatam, & eam educit de potentia materiæ, quam prius digerendo tẽperatè calefacit vt disponendo eam per alterationem vt fieret necessitas ad educendum formam de illa per generationem, & sic vna, & eadem vis caloris in semine agit quicquid fit in generato, & secundùm formam substantialem, & secundùm formas accidentales, & hoc per actionem dictæ virtutis in calore quæ ipsum determinat, quemadmodum dixi in Quolib præcedenti, quòd voluntas elicit actiones meritorias in virtute charitatis Et hũc modum productionis scilicèt ab vno producente in creaturis productis ab alijs creaturis, esse tenendum puto, & quòd quicquid est in producto producitur in isto à calore informato, &c. determinato dicta virtute, & similiter in productis immediatè ab agente omninò primo scilicèt à Deo, siue mediatè ab alio sub isto. Quorum productio licèt sit totaliter à prima causa superiori, siue per virtutem eius à causa inferiori, semper tamen eodem principio producitur quicquid producitur in illa, & est idem opus in quo communicant agens secundùm & primum: siue sit Deus siue aliud, & secundùm totum est causatum causæ primæ, & similiter causæ secundæ, quia dans esse dat tale esse, & dans viuere dat tale viuere, quia semper idipsum sunt in eodem, sicut in eodem idem sunt vniuersale & singulare. Quod alij concedunt, sed distinguunt dicendo, quòd Deus & natura idem faciunt secundùm totum immediatè sed non totaliter, vt videlicèt Deus intelligatur facere in re esse immediatè, & esse aliquid mediante natura, sed natura immediatè aliquid esse, & mediante diuina virtute agente esse simpliciter. quod licèt sit idem, tamẽ posterius est seipso, & dependet à seipso vt est à causa prima. Sed melius vt puto dici potest, dicẽdo scilicèt, quòd id quod dignius est in re producta principaliter solet attribui causæ superiori, propter quod etiã quando tota res immediatè à Deo producitur, ipse dicitur producere esse in ea secundùm quòd est ens, quod est dignior ratio in Deo, &c. viuere secundùm quod est vita, & intelligere secundùm quòd est intelligentia, vt dicitur in 18. propositione de causis, & etiam in Cõmento. Et etiam similiter quando res immediatè producitur

citur à secunda causa, licèt totaliter producatur ab vno principio, tamen propter cooperationem quam facit Deus in illam producendo, esse attribuitur ei, & esse aliquid causæ secundæ, & quia licèt aliquid contrahit siue à Deo immediatè producatur res, siue mediante causa secunda, semper dicitur esse fieri per creationem, & aliquid esse per informationem.

Quę intellexit commentator super Boetium de hebdomadibus, & librum de causis, & secundùm hoc intelligenda, & exponenda sunt ista commenta. falsum enim, & non intelligibile est, quòd in eis quæ fiunt in naturalibus actione naturali, esse sit causatum quid à Deo, & aliquid determinans ipsum sic productum à creatura, nisi esse, & essentia rei ponantur secundùm rem differre, sicut aliqui posuerunt contra quos aliàs sufficienter disputaui. Sed nec sic loquitur de illis Comment. in prædictis locis, scilicèt pro esse existentiæ, sed solùm pro esse essentię, quod est analogum ad decem prædicamenta in re, cui acquiritur esse existentiæ, quod quid sit, etiam alibi satis exposuimus.

Magnum ergò inconueniens est dicere, quòd sicut agentia secunda nihil possunt agere nisi in virtute agentis primi, sic effectus secundorum agentium non potest in esse produci nisi ei substernatur effectus agentis primi, vt sicut agens præsupponit agens, sic effectus præsupponat effectum, nisi forte quo ad hoc, quòd effectu agentis secundi natura prior est effectus agentis primi, sicut ille prius natura agit in subiectum, quàm agens secundum.

Nec est ergò ponendum, quòd nihil creatum quicquàm agat, sed quòd omnis actio, & omnis motio atque operatio, & similiter omne factum siue operatum sit à solo Deo. Nulla est enim creatura quæ caret propria operatione, quia operatio sequitur formam non solùm in spiritualibus, sed etiam in corporalibus, secundùm Philosophum in fine quarti Meteororum, & quædam illarum non solùm habent propriam, sed aliquid sua actione producunt, non solùm secundùm formam accidentalem disponendo subiectum ad susceptionem formæ substantialis, sed etiam attingendo formam substantialem, & ipsam in esse producendo, licèt non ipsum productum in esse conseruando, quia licèt domificator sit causa domus secundùm fieri esse eius, non tamen secundùm permanentiam eiusdem, qualis est causa prima quæ est Deus, non derelinquens causatum, qui se habet ad rem productam in esse non sicut ædificator ad domum quæ manet ædificatore corrupto, sed sicut ædificator ad fieri siue ædificium domus, respectu cuius non est ædificator causa nisi in actu ædificandi existens, Deus enim semper est causa in actu existens cuiuslibet creaturæ.

Quod intelligo non quo ad actum producendi eam in esse, quasi productio eius semper fit in fieri, sed quo ad actum conseruandi in facto esse quemadmodum stante corpore luminoso lumen in diaphano non est semper in fieri ab illo sed conseruatur ab ipso in facto esse secundùm quod aliàs declarauimus.

Sed tamen non sequitur ex hoc, quòd Deus immediatè omnem creaturam conseruat, quòd sit causa eius secundùm actum immediatè, sed solùmmodò, quòd sit causa fieri eius in esse siue immediatè siue mediatè, & hoc vel mediante sola potentia naturali data creaturæ, vel cum hoc virtute eius illi influxa.

Quocunque istorum modorum post primam rerum productionem operetur adhuc in fieri earum, certum tamen sit, quòd adhuc operetur in fieri earum, quod pertinet ad mundi gubernationem, & conseruationem earum, quod pertinet ad mundi esse, dicente August. quarto super Genes. capitulo decimoquarto. Neque enim sicut structor aliquid cum fabricauerit, abscedit, atque illo cessante, & abscedente stat opus eius, ita mundus vel ictu oculi stare poterit si eidem regimen sui subtrahit.

Proinde etiam quod Dominus ait, Pater meus vsque nunc operatur, continuationem quandam operis eius quæ vniuersam creaturam continet atque administrat ostendit, aliter enim posset intelligi si diceret, nunc operatur, vt non esset necesse vt operis continuationem acciperemus, aliter autem cogit intelligi cum ait, vsque nunc, ex illo scilicèt cum conderet operatus est.

Nota, quòd ait August. Si diceret, nunc operatur, non necesse esset operis continuationem intelligi, vt scilicèt in opere omnis creaturæ operaretur aliter quàm dando ei ab initio vires operandi, sed cum dicit vsque nunc, insinuando operum productionem innuit, quòd aliter operatur modo, quàm immediatè producendo scilicèt producta à creaturis conseruando.

Sed an sic solùm, non exprimit, quòd expressisset si dixisset Genes. 2. Requieuit ab omni opere faciendo, quando dixit, Requieuit ab omni opere quod fecit, dicente Augustin. consequenter capit. 18. Ab omni quod fecit in seipso requieuit, ea scilicèt requie à qua nunquàm recessit. Sed si diceret requieuisse à faciendis, nihil aliud quàm non fecisse intelligeretur.

Descendendo igitur ad quæstionem de suprà dicta virtute, vtrùm sit mansiua in agente secundo, dico, quòd in omnibus agentibus naturali- *Respõsio ad principale quæstionis*

ralibus ipsa est mansiua, sed diuersimodè secundum diuersitatem recipientium, vt in seminibus est mansiua si foueatur, vt debet vsque ad certum tempus infra, quod natum est quid produci de eo in quo est, puta in semine equi si recipiatur in matrice equæ, &c. calore eius foueatur: si autem extra ceciderit cum calore, per frigus statim corrumpitur: & similiter in grano, & in ouo per aliquod tempus, nisi nimium calore, vel frigore alteretur, infra quod si prius, quàm in grano, aut ouo per antiquitatem grani, aut oui virtus ista deficiat, granum tempore congruo committatur terræ, &c. fomento Solis, & ouum fomento alarum gallinæ, producit effectum suũ de ouo &c. grano.

Et quòd intantùm est mansiua in rebus naturalibus est à diuina ordinatione, quæ vim talem influi in causis secundis à primis ordinauit, &c. sic tantò tempore conseruat, quantò dedit in natura illarum posse conseruari, quod dedit quibusdam quoad longius tempus, quibusdam quoad breuius, &c. sic processit primum argumentum.

Quantùm enim est de se, Deus singula æqualiter conseruat in esse, quæ tamen diuersimodè conseruantur secundùm diuersitatem ipsarum rerum. Propter quod dicitur vigesimaquarta propositione de causis.

Causa prima existit in rebus omnibus secundùm dispositionem vnam, sed omnes res non existunt in ea secundùm dispositionem vnam.

Quod est, sicut dicit Commentator, quia quàmuis causa prima existat in omnibus rebus: tamen vnaquæque rerum recipit eam secundùm modum potentiæ suæ, quod est, quia ex eis sunt, quæ recipiunt eam receptione æterna, &c. ex eis sunt, quæ recipiunt eam receptione temporali.

Et secundùm hoc fortè, sicut virtus dicta est principians rem naturalem in esse, sic est mouens in ea, &c. principium conseruans eam in esse, secundùm quod è conuersò dicunt aliqui de Deo, ex hoc, quòd ponitur principium immediatum cõseruandi quàmlibet rem in esse, oporret, quòd ponatur etiam immediatum principium producendi quàmlibet rem in esse, sicut iam dictum est, sed hoc non nisi, sicut causa vniuersalis prima, quę secundùm Dionysium quarto de diu. no. quantùm est de se vniformiter in omnibus operatur, &c. non accidit diuersitas, nisi à secundis causis mediantibus quibus operatur, quæ inter se difformes sunt.

Quod benè probat Deum non operari effectus nisi mediantibus causis secundis, etiam quoad esse simpliciter, licèt hoc non asseram, vt dixi in principio, sicut nec contrarium eius, eò quòd vtrunque impertinens est ad propositam quæstionem.

In artificialibus autem, quia ars non agit, nisi ab extra circa rem, &c. ita non nisi per motum localem, nec est virtus artis in instrumento, puta in securi, nisi motus quidam regularis à voluntate, iuxta regulam artis in intellectu artificis: ideò non inest in aliquo instrumento cum manu exit, aut cum manus à motu cessat, secundùm quod procedit secunda ratio.

IN

IN QVODLIB. DECIMVMQVARTVM.

Quartumdecimum Quodlibet decem & septem quæstiones habere de more, tùm ad Deum, cùm etiam ad creaturas attinentes, vt tamen priores simul ad Deum, & creaturas pertineant, ex vestibulo prioris quæstionis in litera, progressuq, dignoscitur. nos morem nostrum prosequamur.

Comment. in Quæstionem Primam, quæ est,

Vtrum agens secundarium, agens in virtute primi agentis, habeat in se virtutem illius manssuam.

IN titulo quæstionis huius adnotare oportet, quòd Auctor non solùm respondet quæsito, sed circa suppositum duos articulos habere videtur, quorum alter est, quid sit virtus illa. Alter verò, vtrum talis virtus sit in agente secundo. Nam aliud est quærere vtrum sit virtus in aliquo, & vtrum in ipso sit manssua. vnde, vt rectè procedit secundum argumentum, tametsi in instrumento operante sit virtus agentis, non tamen est virtus manssua.

Not. etiam, quòd Auctor dum de agente primo, atque secundo intendit loqui, intendit profectò quatenus ambo naturalia sunt. Notum enim est, quòd Deus est agens primum, in cuius virtute cætera conseruantur tùm in esse, cùm etiam in opere, & manet in omnibus sua virtute, sed vtique sermo est de agentibus naturalibus, quæ tametsi omnia sint agentia secundaria respectu Dei, qui est agens supernaturale, tamen comparata ad inuicem alia sunt respectu effectus agentia primaria, alia secundaria, vt exemplificat Auctor in litera, & ex Philosopho habetur de generatione præsertim hominis, cum dicit, quod Sol & homo generant hominem, vbi homo quidem est agens secundarium: Sol verò primarium. Quæritur propterea vtrum virtus aliqua Solis sit manssua in homine, scilicet in semine hominis, ad quam quæstionem sequitur, vt antecedat quid sit ista virtus, & an sit in agente huiusmodi secundario.

In corpore igitur tres huiusmodi pertractat articulos, & de primo quidem not. quod cum spectet ad quidditatem &c. sunt circa ipsam opiniones.

Prima quarum est, Quòd talis virtus sit forma agentis secundi substantialis, ita quod forma seminis substantialis est illa virtus, qua operatur semen ad generationem.

Secunda opinio est, Quod talis virtus non sit nisi id, quod vnicuique inditum est à Deo, per quod conseruatur in esse, & in opere.

Tertia opinio est Auctoris nostri, quòd sit virtus à cœlesti corpore infusa calori, qui calor non agit nisi in virtute illa.

Primam autem opinionem destruit ex hoc, quòd sequeretur omnem causam secundam habere totum esse à causa prima, sed hoc est falsum in causis naturalibus: igitur &c.

Not. quòd concedit Auctor, omne quod est habere esse ab vna prima causa, quæ Deus est, sed circa hoc non est quæstio, sed circa causas naturales, vt dictum est, sed in his causis falsum est, quod forma vnius sit virtus alterius. vbi not. quod sequeretur agens æquiuocum cooperari ita ad generationem vniuocam, quod existens æquiuocum generaret sibi dissimile in generatione vniuoca, quod est impossibile.

Et certè quòd sequatur hoc, considerare oportet, quomodo vnunquodque agens in generatione vniuoca agat per suam formam: si agens proximum generaret per formam, quæ esset virtus alterius agentis, effectus ascriberetur illi alteri agenti, & sic si forma hominis sit virtus Solis, dum homo generat hominem; non generat per id, quod suum est, sed per alienum. Non est propterea dicendum nisi quòd forma agentis secundi sit forma alterius agentis, sed propria illius & virtus & forma: quæ tamen virtus, nisi adiuuetur alia virtute, de qua sermo est, non sufficit ad generationem.

Secunda opinio conceditur, in quantùm quòd verum dicit, Deum influere omnibus virtutem, & conseruare, sed hæc non est virtus, quæ quæritur. Et quidem not. quod hæc opinio videtur esse D. Thomæ p.p.q. 105. art. 3.

Propterea remanet tertia opinio, quòd hæc virtus sit virtus cœlestis, in semine existens, vel semini correspondens, quæ si quæratur quid sit. dici potest, quòd sit vis quædam à corpore cœlesti indita calori seminis, vel proportionali, quæ facit vt semina sint ad generationem fœcunda.

Not. quòd hæc diffinitio colligitur ex illis verbis, quæ habet Aristoteles in libro secundo de genaratione animalium. cap. 3. Inest, inquit, in semine omnium, quòd facit vt fœcunda sint semina, videlicet quod calor vocatur, idque non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus. qui in semine, spumoso que corpore continetur, & natura, quæ in spiritu est, proportione respondet elemento stellarum: hæc ibi Aristoteles.

Not. quòd dictum est de proportionali seminis, quia non omnia generantur ex semine, vt quæ ex putrescente materia. In pueri autem materia esse huiusmodi virtutem, necesse est.

De secundo articulo. Vtrum sit talis virtus in calore seminis &c. est duplex opinio. Prima eam negat, & vult calorem agere ad generationem sine tali virtute. Secunda opinio est Auctoris, quæ est contraria huic, vult enim quòd talis virtus necessaria sit. Prima autem harum opinionum destruitur, & secunda confirmatur.

Not. autem pro notitia rationis Auctoris, quòd proprietas caloris est disgregare, quemadmodum frigoris congregare, secundum quod in libris de cœlo manifestat Aristoteles: cæterum dum disgregat etiam congregare videtur. Et profectò in generatione, & corruptione aliter se habet. Generando namque congregat, & congregando generat; contra verò disgregando

gando corrumpit, & corrumpendo disgregat; quemadmodum autem generare & corrumpere sunt operationes diuersæ specie, ita profectò congregare, & disgregare.

Not. amplius, quòd calor in quocunque subiecto fuerit non differt nisi secundum magis & minus: hæc autem non variat speciem, his adnotatis erigitur sic Doctoris ratio: si solus calor est causa generationis, & corruptionis, sequitur quod illud, quod variatur tantùm secundum magis, & minus varietur secundum speciem, consequens autem falsum est, igitur & antecedens: consequentia patet, quia operationes specie diuersæ arguunt diuersa specie agentia, sed disgregare, & congregare corrumpendo, & generando sunt operationes diuersæ specie. Igitur cum procedant à calore, calor erit diuersæ speciei, sed hoc est falsum, vt dictum est, igitur &c. Falsitas probatur. Quoniam magis, & minus non variant speciem ex Aristot. sed calor in subiecto existens non variatur nisi secundum magis, & minus, igitur cum ex se non possit variari secundum speciem, variabitur per aliquid additum: hoc autem non erit nisi virtus, quæ dicta est. Confirmatur ex verbis Arist. & Comment. in litera.

Not. etiam quòd colligitur ex verbis Aristotelis ex secundo de generatione animalium. virtutem enim illam non vult esse nisi calorem alium à calore ignis, scilicet cœlestem, vt patet.

Sunt autem tales virtutes, quasi formæ intentionales ex Aristotele, & beneficio harum virtutum, calor attingit generationem, calor scilicet agentis secundarij. Cætera, quæ addit Auctor, clara videntur.

De tertio articulo, in quo respondetur quæsito: conclusio est, quòd in tantùm est mansiua hæc virtus, in quantùm fouetur à diuina ordinatione, secundum diuersitatem recipientium,

Declaratur hæc conclusio exemplo plurium recipientium, vt in semine animalis est mansiua hæc virtus, quousque fouetur, quousque scilicet fuerit in vase proportionato: si enim extra, à frigore dispergitur. In granis pariter si diu detineantur in horreis, ipsa grana amittunt virtutem, sed si suo tempore fouenda terræ dentur, emittunt fructum, & sic de alijs.

Not. quomodo ad hoc aspiciens Plato in Timæo dixit semen, esse animatum, quòd verum est in potentia, tametsi actu, & propriè non dicatur animatum, sed dicitur animatum respiciendo ad hanc virtutem in semine existentem.

Not. quod ad hanc conclusionem comprobandam facit primum argumentum adductum in fronte quæstionis. Deus enim causa est mansionis huiusmodi, vnde grana diuersimodè virtutem illam retinent, & ova, & cætera talia.

In responsione ad secundum not. quòd omnis causa secunda videtur quidem tenere locum instrumenti, non tamen omne instrumentum potest dici causa secunda, pro vt hoc loco accipitur: quippè pro causa secunda sumitur illud genus instrumenti, quod operatur ad effectum interius, non exterius, secundum quod aliud genus instrumenti operatur.

Quare in instrumento quidem intrinsecus operante remanet virtus primæ causæ, non autem in instrumento extrinsecus tantùm effectum attingente &c.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum in creaturis vnum & idem secundum rem possit esse fundamentum plurium relationum realium.

EQVITVR de pertinentib. ad solas creaturas, vbi quærebatur vnicum pertinens cõmuniter ad omnes creaturas: deinde quærebantur quædam alia specialiter pertinentia ad creaturas determinatas. Illud autem vnicum erat. Vtrum in creaturis vnum & idem secundùm rem possit esse fundamentum plurium relationum realium. Et arguitur, quòd non, sic, quod non conuenit alicui nisi ratione suæ infinitatis, nulli creaturæ cõuenire potest, quia non potest habere illam infinitatem, sed quòd plures relationes fundentur in eodem secundùm rem, hoc non conuenit alicui nisi ratione suæ infinitatis: hoc enim vt videtur non conuenit diuinæ essentiæ in tribus personis nisi ratione suæ infinitatis: ergo &c.

Arg princ.

In oppositũ

Contra. Actiuum reali relatione refertur ad passiuum, & è conuersò, secundùm Philosoph. 5. Metaphysic. Actiuum autem & passiuum fundantur super vnum & idem in creaturis, quæ seipsas mouent, vt homo & Angelus, secundùm intellectum & voluntatem: ergò &c,

Resolu. qs.

Quæstio ista, vt puto, inducta est propter difficultatem tactam in hoc secundo argumento, an aliquid idem possit esse mouens & motum, quia si non, nec possent relationes illæ fundari in eodem, quia non fundantur nisi per motum distinctum per actionem & passionem, si sic, tunc necnè super idem pñt fundari. Vt aũt clarius descẽdamus ad propositum, sciendum q̃ diuersas fundari relationes reales in eodem secundùm rem, potest intelligi dupliciter, vel in eodem simplici, vel in eodem ex pluribus composito, quod dicitur vnũ subiecto, & habet in se plura secundùm rem differentia. Quòd re vera benè secundùm vnum illorum mouet, & secundùm aliud mouetur, sumendo moueri largè ad mutari: hoc enim modo graue remoto impedimento mouet seipsum, vt sæpè exposuimus. Hoc etiam modo semen mouet seipsum in generatione alicuius ex semine secundùm modum tactum in præcedenti quæstione: & similiter aqua calida mouet se ad frigiditatẽ, vt aliàs diximus. Hoc etiam modo nullo extrinsecus agente corporale mixtum à seipso corrumpitur secũdùm Philosophum tertio Physicorum, & in tali eodem diuersæ relationes reales fundantur super idem: tamen secundũ aliud & aliud secundùm rem in ipsa: licèt enim verum est, quòd agere & pati semper sint compositi, atque totius, videtur tñ quòd semper aliud & aliud compositum, seu totum sit agens, & aliud passum, vt sint separata & tangentia se secundùm quantitatibus suis diuersis seorsum existentibus. Sed sufficit, quòd idem totũ sit agens aliquo sui, & idem sit patiens totum secundùm aliquid aliud sui, vt secundùm hoc non propriè dicatur caliditas agere in humiditatem, siue ambo sint in

eodem

eodem ſubiecto, ſiue in alio &, alio, ſeu potius totum compoſitum vt calidum, ſiue habens in ſe calorem, dicitur agere, &, totum compoſitum, vt humidum, ſiue habens in ſe humiditatẽ, dicitur pati: vnde quando ſimul ſunt in eodem ſubiecto calor &, humiditas, idem vt totum, &, vt compoſitum agit in ſeipſum, ſed alio ſui agit, &, alio ſui patitur, per quod quoqno modo agens tangit paſſum.

Tangere autem tactu, quo tactum caret omninò quantitate tangentis, non ſemper requiritur ſecundùm quod ſæpius expoſui. Ex quo patet non valere, quod aliqui nituntur arguere contra dicta noſtra nunc &, aliàs, quòd non agit, neque patitur, niſi totum compoſitum: tangens ergo idem ſubiecto non poſſunt eſſe agens, &, patiens, ſiue actiuum, &, paſſiuum.

Quòd etiam arguunt, quòd nullus formæ eſt agere ad ſubiecti ſui deſtructionem, ſed potius ad eius conſeruationem, quia tunc ageret ad deſtructionem ſuiipſius: cum tamen vnunquodquè naturaliter agit ad ſuiipſius conſeruationem.

Dico, quòd hoc non habet veritatem niſi in ſimplicibus, in mixtis enim nunquam ceſſat calor naturalis conſumere humidum, aliter nunq̃ corrumperetur mixtum nullo extrinſecus agente, ſecundùm quod etiam aliqui hoc ſupponentes ponebant corpora damnatorum incorruptibilia, quòd alibi reprobauimus.

In mixtis ergò calor naturaliter corrumpit ſuũ ſubiectum, &, ſic ſeipſum, licèt per ſe vnunquodque nititur ſaluare ſeipſum.

Sed iſtæ modus agendi aliquid in ſeipſum nõ eſt ille, de quo ad præſens quærimus, ſed quærimus de eodem ſimplici ſecundùm rem, de quo diſtinguo, quia aut cum hoc, quòd ipſum eſt idem re, eſt etiam idem ratione, aut cum hoc eſt diuerſum ratione.

Si primo modo, dico, quòd nunquam in eodẽ neque in Deo, neque in creaturis diuerſæ relationes reales fundantur, niſi enim in Deo differrent ratione intellectus, &, voluntas, nunquàm eſſent emanationes diuerſę in diuinis ſecundùm diuerſas relationes, vt alibi ſatis declarauimus 11. Quolibet quæſtione ſexta, &, in quęſtionibus ordi. art. 55. quæſt. 6. In quibus locuti ſumus de relationibus actiuorum, &, paſſiuorum, vt ſunt in diſtinctis ſuppoſitis, licèt ſuper idem re ſecundùm aliam &, aliam rationem fundatæ, vt contingit in diuinis, abſque tamen mutatione, & motu aliquo, & vt etiam actiuum, & paſsiuũ ſunt diſtincta ſecundùm ſuppoſitum, & rem abſolutam, in quibus eſt motus corporalis, & propriè dictus. Et ideò nec etiam relationes diuerſæ, & reales, quæ non ſumuntur in diuinis, niſi ſecundùm emanationes, & terminos earum, poſſent eſſe in diuinis, quare & multò minus in creaturis, in quibus non ſunt relationes reales diuerſæ, niſi ſecundùm maiorem diuerſitatem fundamentorum, quàm in diuinis, vt iam patebit. Si ergò ſit aliquid idem ſimplicitate rei, & diuerſum ratione, aut ergò ratione abſoluta, & hoc eſt abſque ordine ad aliquid extrinſecum, quod exigat, aut reſpectiua, & hoc eſt in ordine ad aliquid extrinſecum re differens quod exigit, vt ſit illarum relationum fundamentum.

Si primo modo, dico, quòd in ſolo Deo ſuper idem ſecundùm diuerſas rationes fundantur reſpectus diſparati ſecundùm duo genera relationum, puta ſecundùm actum generationis actiuæ &, paſsiuæ ſuper diuinam eſſentiam, vt habet rationem intellectus, & ſecundùm actum ſpirationis actiuæ, & paſsiuæ ſuper eãdem eſſentiam, vt habet rationem voluntatis.

Si ſecundo modo, aut ergo differt idem re & ratione reſpectiua vnius ad vnum, aut vnius ad diuerſa. Si ſecundo modo, ſic in creaturis benè diuerſæ relationes reales fundantur ſuper idem re ſimplici, ſcilicèt ſecundùm ordinem eius ad diuerſa, puta ſuper eandem albedinem in vno albõ fundatur ſimilitudo in ordine ſuo ad aliud albũ, &, diſſimilitudo in ordine ſuo ad nigrum. Et ſunt ſimilitudo, & diſſimilitudo duæ ſpecies relationum inter ſe contrariarum, quantum quęlibet requirit in extremis diuerſitatẽ realem fundamentorum abſolutorum.

Similitudo quidem ſecundùm numerum ſub eadem ſpecie qualitatis.

Diſſimilitudo verò ſecũdùm ſpeciem ſub eodem genere qualitatis. Et quia nulla diuerſitas realis abſolutorum cadit in Deo, ideò plures tales relationes reales non poſſunt fundari ſuper illud vnũ ſingulare, quod eſt in Deo, de quali pluralitate adhuc non quærimus, ſed quærimus de pluralitate relationum realium in eodem ſimplici ſecundùm rem, ſuper quod ambæ fundantur ſecundùm diuerſas rationes reſpectiuas vnius ad vnum ſcilicet illarum rationum inter ſe.

Et eſt dicendum, quòd ſuper idem ſic diuerſum ſecundùm rationem talem non poſſunt fundari relationes reales plures conuenientes in nomine, cuiuſmodi ſunt æquale & ſimile, & eorum contraria, quia vt dictum eſt, iſtæ relationes cum ſint reales requirunt realem diuerſitatem fundamentorum, neque ſimiliter diuerſæ relationes reales ſecundùm menſuram &, menſuratum, quia altera iſtarum ſecundùm rationem eſt, ſecundùm Philoſophum 5. Metaphyſicę, vt iſta quæ eſt in menſura.

Si ergò eſſent diuerſæ relationes, oporteret, q eſſent diuerſa menſurata, quæ neceſſariò ſunt re diuerſa ſecundùm diuerſas perfectiones reales, & ſic ſuper idem ſecundùm modum quem quærimus non poſſunt fundari plures relationes reales ſecundùm duos modos relationum neque in diuinis, neque in creaturis.

Si ergò illud sit possibile, hoc solùm oportet esse in actiuis, & passiuis. Quòd proculdubio secundùm fidem necesse est ponere in diuinis: pater enim & filius in diuinis dicuntur relatione reali inter se secundùm vtrunque extremorum secundùm rationem actiui, & passiui. Sed dubium est multis an hoc possit contingere in creaturis.

Dubium.

Et dicunt multi, quòd in creaturis hoc omninò est impossibile, quia actiuum, & passiuum siue agens, & actum siue producens, & productum in creaturis non sunt sine motu, aut mutatione, secundùm quam vadit aliquid de potentia ad actum.

Actus autem, & potentia necessariò sunt contraria, nec compatiuntur sese circa idem, vnde per immediata diuidunt ens secundùm totum ambitum suum: omne enim ens, aut est in potentia, & sicut materia, aut est in actu, & sicut forma, vel habens formam: secundùm actum autem & potentiam sumitur differentia inter agens & actum.

Nullo ergò modo in eadem re simplici creata, quantuncúque ratione diuersificetur, possunt esse actiuum & passiuum, siue agens & actum, vt idipsum re sit agens & actum: aliter enim res seipsam formaret, & quod est in potentia sese deduceret ad actum, & esset simul in potentia & in actu, quia secundùm quod est agens debet esse in actu, & secundùm quod est patiens debet esse in potentia.

Et ideò dicũt aliqui, quòd tales relationes reales duæ, quæ sunt in actiuis, & passiuis, nullo modo possunt super idem re differens sola ratione fundari in creaturis, licèt hoc sit possibile in Deo, vbi nihil vadit de potentia ad actum, sed in eo sunt ratio actiui & passiui, absque omni innouatione, & secundùm aliam rationem, quàm in creaturis, quod impossibile est esse in creaturis, sicut iam patebit.

Dico, quòd re vera potentia est contraria actui non cuicunque, sed illi, qui est complementum ipsius potentiæ. Istæ enim actus cum res est in potentia, non est, & è conuersò cum ipsa est in potentia actus non est. Et isti sunt actus & potentia, qui diuidunt ens, & impossibile est, quòd aliquid idem re, vt est in potentie ad talem actum, deducat se ad illum: idem tamen re, quod est in potentia ad talem actum, puta voluntas ad actũ volitionis, si simul cum hoc, quòd est in potentia ad actum illum secundùm vnam rationem eius possit esse in actu sub isto secundùm aliam eius rationem, secundũ quam natus est iste actus produci ab eodem secundùm aliã rationem, nullum est inconueniens, quòd idem, vt est in actu secundùm vnam eius rationem, seipsum vt est in potentia ad illum secundùm aliam rationem deducat de potentia ad actum: v.g. si Sol cum hoc, quòd est calidus virtute esset in potentia ad actum secũdùm formam caloris, seipsum prout est actu & virtute talis qualis, est in potentia vt fiat talis secundùm formam caloris de potentia calido faceret actu calidum.

Similiter si forma substantialis lapidis haberet vim illam quam habet forma accidentalis grauitatis quæ est in ipso, & hoc ex se, & substantialiter absque forma accidentali grauitatis existente in ipso, tunc per hoc, quòd esset in actu secundùm vim illam posset lapidem facere in actũ secundùm descensum deorsum cessante impedimento, ad quem impedimento existente erat in potentia, actu tamen sub illa vi. Sic dico in proposito quòd voluntas ratione suæ libertatis est virtute tale quid quale est volitio, forma scilicèt sua quæ ipsa est.

Propter quod ipsa voluntas quia virtute talis est qualis est ipsa secundùm formam quando est informata forma volitionis, siue qua est volitio ipsa, seipsam vt est in potentia ad formam volitionis potest deducere de potentia ad actum, & est volitio actui qui est complementum illius potentiæ, & isti potentiæ contraria, nec possunt esse similes. Actus autem quo voluntas est virtute tale nec volitioni nec potentiæ ad illam contrariatur, sed est simul cum ambobus quia est alterius generis, & cum voluntas secundùm actum volitionis seipsam facit de potentia in actum, est actio agentis equiuoci, sicut cum Sol generat hominem aut calorem.

Cum ergò quærunt, & arguunt sic aliqui, si voluntas continet virtute formam illam ad quam est in potentia, aut ergò sicut instrumentum, aut sicut agens principale. Dico, quòd sicut agens principale & essentiale. Quòd addunt, ista ergò forma quàm voluntas continet virtute, aut est eadem numero cum ista ad quam est motus voluntatis, aut non. Dico, quòd ipsa eadem est, sicut eundem calorem quem generat sol ex materia, prius continebat, & simul quando producit, producit cum secundùm actum formæ, & continet eum virtute, sed solùm modò ad semel generandum illum eundem secundùm numerum.

Ad pluries autem immò infinities generandũ continet virtute eundem secundùm speciem. Sed arguunt, si voluntas continet illam vt eandẽ numero iam habet volitionem illam, dico, quòd verum est si illam aliter haberet quàm virtute id est formaliter, ad quam sic est in potentia. Similiter quod arguunt, si cõtinet illam vt aliam numero, ergò non possunt esse simul in eodem, quia sunt eiusdem speciei, Respondendo modo eodem dico, quòd forma qua voluntas continet virtute omnes volitiones quas potest in se habere est ipsa potentia volitiua vt actiua est, quæ sola ratione differt à substantia animæ cuius est potentia,

rentia, &c. est potentia ipsa substantia animæ secundùm rem, & è contrario. Et ideò sicut differunt genere ipsa anima substantia, &c. ipsa volitio, sicut forma quæ est substantia, & forma quæ est accidens, sic differunt forma qua voluntas virtute continet formam quæ est volitio, & ipsa volitio & est ruditas ingenij magna nescire distinguere qualiter aliquid continet formam aliquam formaliter vt ignis in se calorem suum, &c. virtualiter vt Sol istum calorem quem ignis continet formaliter.

Credo, quòd ista videns de facili non posset redargui in hac materia, & clarè videre quomodo idem ens in actu virtute potest benè seipsum deducere in actum secundùm formam ad quam est in potentia, & sic formare seipsum, sicut &c. formare posset aliud si talis actus posset transire in alterum, & esse alterius quàm agentis, sicut motus transit in alterum, & est alterius, quàm sit mouens. Sed istud non est natum contingere secundùm quemlibet actum in creaturis, nec est tamen omninò natum fieri in diuinis. Licèt enim relationes in actiuis & passiuis habeant esse in diuinis secundùm diuinos actus qui sunt generatio & spiratio, & in creaturis secundùm actum volitionis, & illi consimiles, secundum quos idē potest se ducere de potentia in actum, vt dictum est, & similiter in creaturis secundùm alios quibus nihil seipsum sed solùm modò aliud de potentia potest in actum ducere, vt patet in calefaciente, & calefacto, hoc tamen est multum alio, & alio modo, ita quòd secundùm hæc tria genera relationum in actiuis &c. passiuis debent accipi.

Ad cuius intelligentiam sciendum est, quòd in fundatione dictarum relationum realium in diuinis super idem est duo considerare. Vnum scilicèt ipsum idem re diuersum solum ratione, vt super ipsum fundatur vna relatio & alia. Aliud verò scilicèt personarum constitutionem per singulas relationes cum ipso fundamento, & illarum fundatione in isto, absque omni alio producto de fundamento. Quo ad primum quidem simile est de diuina essentia in fundando super ipsam relationem actiui & passiui, & de voluntate. Quo ad secundùm autem magna est differentia, quia in voluntate relationes cum fundamento secundùm diuersas illius rationes non constituunt ipsa relata, sed ipsum fundamentum per diuersas relationes secundùm relationem actiui & passiui, refertur secundùm vnam rationem ad seipsum secundùm aliam rationem, & cum hoc etiã ipsæ relationes non fundantur super illud vnum in voluntate, nisi per actum productum in fundamento, qui est aliud re à fundamento.

Aliud enim est voluntas aliud volitio. Et contingit ista diuersa reperiri multò magis in actiuis & passiuis, in quibus relationes fundantur super re diuersa, in diuinis enim non est nisi vnicum secundùm rem quod est fundamentum vtriusq; relationis, &c. cum vna relatione constituitur actiuum siue agens, & producens, vt pater, qui diuina essentia vt est forma, &c. potentia actiua super quam fundatur paternitas, generat, cum alia autem relatione constituit passiuum, siue actum & productum puta filium, qui eadem diuina essentia vt quasi materia, & potentia passiua super quam fundatur filiatio, congeneratur, nec est aliquid medium productum de essentia, vt motus seu forma educta per motum, aut operatio, qualis est volitio in nobis, vt nihil habeat diuina productio de actione, & passione nisi rationes respectuum in suppositis vt constitutis per illos, & in essentia vt in fundamento eorum, &c. sunt illi respectus à quo & qui ab. & à solo primo respectu denominatur pater producens, &c. quia modo naturæ producit denominatur specialiter generans, ab alio verò respectu e contra filius denominatur productus, &c. genitus. Et sic in ista productione ex parte producentis non est considerare nisi suppositum quod est per se producens, &c. in ipso deitatis essentiam, vt formam & potentiam actiuam qua producit, & notam relationis quæ est a, quoniam à patre est filius.

Et similiter ex parte producti non nisi ipsum suppositum per se productum, &c. in ipso essentiam diuinam, vt quasi materiam, & potentiam passiuam de qua producitur, & notam relationis quæ est ab. nec est considerare in istis plus.

In creaturis autem cum est idem fundamentum duarum relationum non constituentium relata, hoc non est nisi per aliquid differens re à fundamento quod educitur de ipso, vt dictum est, &c. actiuum in talib. per hoc est actiuum, quòd virtute continet actum ad quem passiuum est in potentia, & secundùm hoc est in actu respectu passiui, & passiuum per hoc, quòd est passiuum, quia de ipso nata est educi forma qua fit in actu formali, quam ex se sola virtute continebat agēs sicut dictum est, & producit vt est actiuum illa, virtute illum actum formalem, &c. producitur vt est passiuum, de isto vt est in potentia, &c. carens forma illius actus; vt secundùm hoc præter rationes respectuum in relatis cum fundamēto secundùm quas solùm modò ratione actionis, &c. passionis habet esse productio in diuinis à qua denominatur producens &c. productum, habet ista productio in creaturis à qua denominatur producens, & productum aliquid plus, secundùm quod habet plus de ratione actionis & passionis. & est illud plus actus ipse qui est volitio, aliquid scilicèt in re differens à fundamento, à qua volitione potest dici volicions, & actum potest dici volicitum, si liceat nomina fingere, sicut ab infrigidatione denominatur infrigidans

& infrigidatum, & est relatio realis ex vtraq; parte inter volicíens & volicitum, sicut inter actum & agens, mouens & motũ, & in ista productione ex parte producẽtis est suppositum, quod est per se voliciens id est informans seipsum volitionis forma, sicut calefaciens est informans aliud forma caloris, vel mouens est informans aliud forma motus, & in ipso est vis volitiua virtute continens formam volitionis, sicut Sol calefaciens virtute continet formam caloris vel grauitas mouẽs formam motus, vel vis in semine formam generandam ex isto, & per hoc vis volitiua ipsa est forma, & potentia actiua qua producit, & nota volitionis quę est à quo, similiter est in isto, quoniam à voliciente est volicitum. Et pro isto suppositio accipitur volicitas quando est quæstio vtrum moueat se ad actum volendi, & est ratio mouendi in eo dicta virtus, vt forma qua agit, quæ non nisi ratione differt ab ea Et sic ex parte producentis hic & in diuinis si hæc voluntas dicatur producere, non est differentia, nisi quòd relatio ibi cõstituit suppositum, hic nequaquàm. Ex parte autem producti hic sunt duo re differentia, scilicet ipsa voluntas vt est in potentia passiua de qua producitur ipsa volitio, & cum hoc ipsa volitio quæ producitur, & cum hoc respectus qui est ab. volicitum n. informatum volitionis actu est à voliciente.

In creaturis autem cum aliud, & aliud est fundamentum huius duplicis relationis realis, atque extra agentem est passum, & quòd procedit ab ipso, vt patet in calefactione, hoc non solùm est per alicuius differentis à fundamento productionem de ipso fundamento, cuiusmodi est calor in calefacto, sed etiam per motum aut trãsmutationem in eodem fundamento à calefaciente, qui etiam secundùm rem differt à calefacto, vt in producẽte s. calefaciente sit considerare suppositum agẽs, & formam qua agit, & materiam in qua subsistit, quæ sunt duo differentia secundùm rem in ipso, & cum hoc est ibi tertium. s. nota relationis, a qua scilicèt à calefaciente, est calefactum. In producto autem. s. in calefacto considerantur tria secũdùm rem differẽtia. Actum enim est suppositum quòd patitur sua materia sed per motum quo forma quæ actu est in materia, educẽda est. s. frigiditas, & inducenda forma contraria. s. caliditas, propter quod ibi necessarius est motus Et sic tria sunt secundùm rem differentia in calefacto scilicèt materia, & motus per quem debet vna forma amoueri, & forma alia introducta per motum, & quartum est nota relationis qua actum scilicèt calefactum est abagente calefaciente, & à forma inducta in materia denominatur motus, puta à calore calefactio, & à motu sic denominato denominantur agens & actum.

Et sic sunt in omni tali passo quatuor notæ, quæ sunt de, quid, per, & ab quia de materia aut subiecto producitur quid, scilicèt forma educta per motum, & ipsum actum scilicèt calefactum est per motum ab agente, & hoc semper contingit in producto per motum qualis est omnis productio naturalis, de qua habet considerare, & solum de illa naturalis Philosophus & nequaquàm de secunda quæ est volitio & intellectio, nisi quatenus sunt cum continuò & tempore, non quo ad ipsos actus, quia sunt perfectiones simplices manentes totæ simul, secundùm quod ipsas habet considerare Metaphysicus, sed quo ad præambula ad illas, inquantùm nostrum intelligere & per consequens velle non sunt sine phantasmate. Ex quibus patet quòd multum differunt rationes agentis & acti in diuinis, & in creaturis, & similiter in creaturis primo modo & secundo. In secundo enim modo quia non fundantur in ipsis respectus qui sunt a & ab, nisi per verum motum qui est actus imperfecti secundùm quòd imperfectum, quia motũ inquantùm est sub actũ motus imperfectum quid est, & ad perfectionem vadit, agens autem necessariò est perfectum secundùm dispositionem inducendam per motum vel virtute vel forma simili formæ producendæ, idcirco necessariò requiritur realis diuersitas actiui & passiui, & hoc semper contingit in corporalibus.

In primo autem modo respectus qui sunt a & ab, fundantur nõ super motum quo aliquid aliud producitur, sed immediatè per operationem à qua nihil aliud producitur, quæ est actus perfecti secundùm quod perfectum est, & inquantùm est sub isto, perfectionem suam habet, & est perfectum forma, & virtute simul cum prius erat perfectum virtute sola, & hoc quia operatio propria vniuscuiusque non est nisi ab ipso & manẽs in ipso vt secundùm hoc multum æquiuocè dicatur agens & actum, producens & productum, actio & productio in diuinis vbi est sine omni transmutatione, & omni absolutio acquisito in fundamento, & in creaturis vbi non est sine mutatione, & non sine aliquo absoluto prodit cto in fundamento, licèt multo aliter in primo modo & secundo, vt penitus non idem sed diuersum omninò debeat esse iudicium de actiuis circa creaturas in primo modo, secundùm illa quæ videntur in subiecto, & circa Deum secundùm ista quę videntur in creaturis aut primo modo aut secundo.

Per quod planè soluitur quod aliqui arguunt sic, de ratione relationis est, quòd sit ad aliud, & quòd per ipsam aliquid refertur ad aliud, relatio enim secundùm quòd est relatio, est habitudo ad aliud, & de sui ratione distinctionem & extremorum relatorum, & ipsorum fundamentorum requirit.

Vnde qd Philosophus libro prædicamentorũ in plurali dicit, Ad aliquid talia dicuntur quæcunque hoc ipsum quod sunt aliorum dicuntur,

multum notat Simplicius ſuper illum locum. Quare cum eſt relatio ſecundùm rem, etiam eſt relatio ſecundùm rationem. Nunc autem ſemper ita eſt, quòd plures relationes ſecundùm rationem exigunt plura extrema, & etiam plura fundamenta ſecundùm rationem diſtincta. vt patet inducendo in omnibus relationibus ſecundùm rationem, ergò & plures relationes ſecundùm rem mutuò adinuicem ſe habentes exigunt plura extrema, & plura fundamenta ſecundùm rem diſtincta, ſed relationes actiui & paſſiui ſunt mutuò reales adinuicem, ergò exigunt extrema per eas relata, & ſimiliter fundamenta diſtincta adinuicem ſecundùm rem.

Vnde in diuinis vbi actiuum & paſſiuum fundantur ſuper eandem rem, licèt non habeant diſtincta fundamenta realiter, habent tamen diſtincta extrema perſonaliter, ergò in creaturis vbi multò magis differunt, nullo modo poſſunt habere idem extremum ſecundùm rem, immò neceſſariò exigunt ſecundùm rem extrema diſtincta, & cum hoc etiam fundamenta diuerſa realiter, ſicut plures relationes ſecundùm rationem ſiue in Deo, ſiue in creaturis exigunt plura extrema diſtincta ſecundùm rationem, & ſimiliter plura fundamenta diuerſa ſecundùm rationem. Et dico, quòd quædam ſunt relationes ſecundùm rationem in vtroque extremorum, quæ aliquando habent diuerſa extrema, & diuerſa fundamenta ſecundùm rationem tantùm, vt ſunt relationes identitatis ſimpliciter ſcilicèt numeralis in creaturis & identitatis diuinæ ſubſtantiæ ad ſeipſam. Aliquãdo verò habent ſecundũ rem, vt ſunt relationes æqualitatis, & ſimilitudinis diuinarũ perſonarum inter ſe, ſed habent fundamentum idem ſecundùm rem. Quædam etiam ſunt relationes ſecundùm rem in vno extremorum tantùm, & in alio ſecundùm rationem, vt ſunt relationes inter menſuram, & menſuratum quæ habent ſemper diuerſa extrema & ſimiliter diuerſa fundamenta ſecundùm rem. Sunt adhuc quædam relationes ſecundùm rem in vtroque extremorum, vt ſunt omnes quæ ſunt in potentijs inter diuina, & inter creaturas, de quibus nunc eſt ſermo, quæ non requirunt diuerſa fundamenta niſi in actiuis & paſſiuis per verum motum, ſed in diuinis fundantur ſuper idem re, non per aliquid re differens, in creaturis verò, puta in voluntate, non niſi per aliquid differens re ab iſta, vt eſt volitio ſecundùm prædicta. Semper autem requirunt diuerſa extrema relata, ſed hoc ſecundùm rem abſolutam, vt in actiuis & paſſiuis per verum motum, in alijs autem non niſi per ipſas relationes, quæ ſolæ faciunt, quòd aliquid ſit extremum relationis per ſe, quicquid.n. eſt præter ipſam relationem in his quæ ad aliquid ſiue relatiuè dicuntur, per accidens relatiuè dicitur, & accidentaliter eſt relatiuum; ſ. quia accidit ei ipſa relatio vnde duplum in eo, quòd eſt duplum id eſt in eò quòd duplicitas eſt, aliquid eius per ſe dicitur ad aliquid, & eſt relatiuum. Homo autem vel lignum cui accidit, quòd ſit duplum, dicitur relatiuum per accidens, quia ſcilicèt ei accidit duplicitas, ſicut dicitur per accidens album, quia accidit ei albedo dicente Philoſopho 5. Metaph. Et relatiuorum eſt quod dicitur modo accidẽtali, ſicut homo, qui eſt relatiuus quia accidit ei duplũ eſſe alicuius rei.

Accidit enim eidem vt ſit duplum & album. Et Commenta. 1. quand omini accidit vt ſit duplum ad aliquid accidit ei vt ſit relatiuum ſicut accidit ei vt ſit album Homo n. ſecundùm q hõ nõ eſt duplũ nec album, & ſic in actiuis & paſſiuis ſine verò motu relata non requirunt aliam diſtinctionem inquantùm ſunt relata per ſe, niſi ipſas relationes, ſed in voluntate ipſa relata p accidens, vt eſt ipſa voluntas, vt eſt actiua per potentiam actiuam, & vt eſt paſſiua per potentiam paſſiuam, illas relationes ſecundùm actum non poſſunt habere in ſe niſi per aliud re. ſ. per volitionem, ſicut in actiuis & paſſiuis verò motu non poſſunt haberi indifferentibus re abſoluta illę relationes niſi per motum. Et ſic quo ad huiuſmodi relationes non eſt differentia in Deo, & in voluntate, niſi quòd in Deo fundentur ſuper idem re non per aliud diuerſæ relationes reales, & qđ cum fundamento conſtituunt diuerſas perſonas, in voluntate nequaquàm, & quod in Deo nõ per aliud re fundatur ſuper idem, in voluntate aũt nõ niſi per aliud re, ſecundùm prędicta, & quo ad hoc ſolum, & quo ad hoc quòd iſtæ relationes accidunt fundamento & iſtæ non plus differunt extrema relationis in voluntate quàm in Deo, & propter hoc in Deo ſunt conſtitutiuę perſonarum & non in voluntate.

Et ſic in creaturis actiuum & paſſiuũ quæ fundantur ſuper eandem rem licèt non habent diſtincta fundamenta realiter, habent tamen diſtincta extrema accidentaliter ſcilicèt re relata accidentali fundamento, ſicut in diuinis vbi actiuum & paſſiuum fundantur ſuper eandem rem, licèt non habeant diſtincta fundamenta realiter, habent tamen diſtincta extrema perſonaliter ſcilicèt re relata eſſentiali fundamento.

Benè ergò concedendum eſt illud quod narratur in principio ad fundationem argumenti, videlicèt quòd de ratione relationis eſt, quòd ſit ad aliud, & quòd requirit diſtinctionem extremorum, & quòd relationes ſecundùm rationem ad minus requirunt diſtinctionem extremorum, & fundamentorum ſecundùm rationem, & cum hoc aliquando diſtinctionem extremorum ſecundùm ſuppoſita vt iam dictum eſt, & amplius Deo donante declarabimus diſputando de relationibus communibus in quæſtionibus ordinarijs.

Sed

Sed ex illo non sequitur conclusum. Q plures relationes secundũ rem mutuo exigant plura extrema & plura fundamenta secundùm rem, immò sicut relationes secundùm rationem in vtroque extremo non semper requirunt pluralitatem extremorum secundùm rationem solùm, sed benè compatiuntur secum illorum pluralitatem per sonalem relationes essentialis existente vnitate fundamenti, sic relationes secũndùm rem in vtroque extremorum non semper requirunt pluralitatem fundamentorum secundùm rem, sed benè compatiuntur secum vnitatem illius rei existente pluralitate extremorum secundùm rem accidentaliter, & secundùm rem relationis accidentalis, sicut dictum est. Quòd ergò interponitur; quòd Simplicius notat multũ quod Philosophus dicit in plurali, Ad aliquid talia dicuntur &c. quod re vera multum notandum est, quia hoc dicit ad exprimendum, quòd nihil vnum; & idem penitus secundùm rem, & rationem quo ad extremum & fundamentum relatiuè potest dici, sed oportet quòd vel sola ratione differant vel secundùm rem, vel partim sic, & partim sic secundùm iam expositum modum, nó tamen potest ex hoc notari si relatio sit secundùm rem, quòd sit ad aliud absolutum secundùm rem absolutam, semper tamen verum est, quòd in per se relatis sit ad aliud secũdùm rem relatiuam vt dictum est, nec è conuersò potest notari, quòd si sit relatio secundùm rationem, quòd non sit nisi ad aliud secundùm rationem, quia benè est ad aliud secũdùm rem absolutam, & secundùm rem relatiuam, vt patet in relatione mensuræ ad mensuratum. Nec etiam potest notari, quòd si sit relatio secundùm rem, quòd sit ad aliud secundùm rem, vt patet in mensurato respectu mensuræ.

Vnde si notat Simplicius, Q in relatiuis relationibus realibus vtrunque oportet, quòd re absoluta differant extrema & fundamenta, hoc non est nisi quia intelligit, quòd non sunt vera relatiua realiter vtrinque nisi in corporalibus, in quibus sequuntur motum, quod re vera erat opinionis suæ, quia tales relationes negat esse in spiritualibus vt aliàs diximus in quadam quæstione longa de relationibus, & in corporalibus benè verum est, quòd non sunt vtrinque relationes reales quin differant extrema, & etiam fundamenta re absoluta, quod nequaquàm requiritur in spiritualibus, de quorum numero est voluntas, siue habens voluntatem inquantùm huiusmodi.

Obiectio prima. Sed adhuc arguunt vlterius sic, voluntas magis differt à volitione quàm ipsa à seipsa vt est actiua & passiua realiter, ergò voluntas potius debet referri ad volitionem quàm ad seipsam, vt scilicèt est actiua & passiua, quod tamen non est verum, quia inter subiectum, & accidens non est relatio.

Secunda. Item arguunt, si volitio esset medium inter actiuum & passiuum in voluntate, fortè illud esset possibile, scilicèt quòd per volitionem mediam voluntas vt est actiua & passiua referretur ad seipsam, nunc autem volitio in voluntate est sicut extremum, non autem sicut medium.

Tertia. Item arguunt sic, si velimus in voluntate ponere aliquas relationes per volitionem, per illam non referretur voluntas ad seipsam, sed potius ad volitum, à quo mensuratur perfectio volitionis, sicut intellectus per scientiam refertur ad scibile per quod mensuratur perfectio scientię. Ad quorum intellectum dico adhuc, quòd voluntas vt est actiua actus volitionis, refertur ad seipsam, vt est passiua & receptiua illius; & hoc mediante actu volitionis, sicut mouens refertur ad id quod mouetur, & è conuersò mediante actu, & per actum qui est motus. Quod non est sic intelligendum secundùm, quòd prætendunt obiecta, quòd illæ relationes vel aliqua illarum sint in motu aut volitione sicut in fundamento, aut sicut in subiecto, sed vna illarum semper est in agente, fundata in ipso super potentiam actiuam qua elicit motum de mobili, aut volitionem de voluntate, & altera illarum est semper in passo fundata in ipso super potentiam passiuam, de qua elicitur actus, qui est motus existens in mobili sicut in subiecto, licèt à mouente, dicente Philosopho 5. Physicorum. Motus est actus huius, scilicèt agentis, in hoc, scilicèt in passo, aut actus qui est volitio existens in voluntate vt est passiua sicut in subiecto, licèt ab eadem vt est actiua, & sic sit actus eius vt est actiua in eandem vt est passiua.

Et quia dictæ relationes non habent esse in agente vel in passo quocunque secundùm actum, nisi quatenus motus aut volitio procedit ab agente in passum vt medium per hunc motum inter vtrunque idcirco mouens, & agens vniuersaliter dicitur referri ad id quod mouetur, & è conuersò per motum, & mediante motu aut volitione, & sic dicuntur dictæ relationes esse & fundari in illis per motum & volitionem, aut mediantibus illis, penitus enim eodem modo dicitur voluntas vt est mouens referri ad seipsam vt est mota per volitionem, & mediante volitione, sicut calefaciens ad calefactum mediante calefactione & per motum calefactionis, præter hoc quòd talis motus est actus imperfectus trãsiens in aliud, & volitio est actus perfectus manens in eodem.

Est enim actus volitionis ipsa motio seu mutatio qua de non volente fit volens, & est media inter voluntatem vt est mouens, & vt est mota à seipsa. Quod ergò arguitur primo, quòd voluntas actiua per actum volitionis referatur ad seipsam vt est passiua, & è conuersò, & hoc realiter, potius debet referri realiter ad volitionem. *Ad primam obiectionem.*

Dico, quòd verum esset, si ratione maioris differentiæ fieret ista relatio, quòd in ipsa volitione fundaretur relatio per quam voluntas refertur ad seipsam, quia scilicèt ipsa volitio est in voluntate vt in subiecto. Sed non est ita quia relationes actiuorum & passiuorum non fundantur in aliquib. nisi ratione differentiæ quæ est per potẽtias actiuas &, passiuas, quæ non sunt nisi in illis, licèt non nisi per motum aut volitionem mediam, vt dictum est. Idcirco sub ratione actiui aut passiui nullo modo potest referri voluntas ad volitionem, sed solùmmodò ad seipsam, sicut nec mouens ad actum qui est motus, sed solùmmodò ad id quòd mouetur, licèt non nisi mediante volitione, & motu sicut dictum est.

Ad secundam. Ad secundum, quòd volitio non est medium, sed potius extremum dico, quòd sicut motus ad passum comparatur dupliciter, vno modo vt ad subiectum in quo est, alio modo vt ad terminum in quem ab agente recipitur, & primo modo benè verum est, quòd respectu passi se habet vt extremum, quia vt accidens ad subiectum. Secundo tamen modo non est nisi medium inter agentem & passum fluens ab vno in alterum, sic &, volitio vt est in voluntate prout est passa sicut in subiecto, ipsa extremum est respectu illius, inquantùm tamen procedit à voluntate agẽte, &, recipitur in eandem passam vt in terminum, semper est medium illorum, sicut etiam medium esset inter intellectum, & voluntatem si intellectus esset proprium motiuum voluntatis.

Ad tertiã. Ad tertium, si in voluntate essent aliquæ relationes per volitionem, per illam potius referretur ad volitum, quàm ipsa ad seipsam, dico secundùm iam dicta, quòd verum esset si voluntas referretur ad aliquid per volitionem, vt per id in quo aut super quod fundaretur relatio per quam referretur, sicut intellectus refertur ad rem intellectam, & sciens ad scitum per scientiam quę est in ipso sciente & intelligente, quia in ipsa realiter fundatur relatio per quàm intellectus intelligens vel sciens refertur ad intellectum vel scitũ, &, hoc per accidens, dicente Philosopho 5. Metaphysicę.

Relatiuorum quoddam dicitur modo accidentali sicut homo qui est relatiuus quia accidit ei esse duplum alicuius, quia accidit ei quantitas in qua fundatur duplatio. Vnde quoniam ibidem circa opinionem æstimantium, quòd sciens relatiuè dicatur ad scitum per accidens, quia scientia est quid commune illis, præmisit dicens, Ista æstimatio accidit quia relatiuorum quædam referuntur adinuicẽ propter hoc, quòd conueniunt in eodem, &, quia æstimatur, quòd scientia est huiusmodi quia est in quo conueniunt sciens &, scitum, contingit vt medium sit ex hoc relatiuorum, nunc autem voluntas nec ad seipsam nec ad aliud refertur vt per volitionem vt per id in quo fundatur relatio qua refertur, sed potius vt per medium sine quo relationes secundùm actum nequaquàm fundarentur in actiuis & passiuis vt dictum est. Nec tamen simile est de scientia, & scito, & volitione, & volito, non enim volitio mensuratur à volito sicut scientia à scito, sed solùmmodò à libertate, aut à libero arbitrio voluntatis.

Sic ergò patet ex dictis, quòd in creaturis duæ relationes oppositæ secundùm actiuum & passiuum possunt fundari in eodem secundùm rem, secundùm primum modum, licèt non penès secundùm. Et secundùm hoc concedenda est secunda ratio. *Conclusio.*

Ad argu. principale. Ad primam in oppositum, quòd hoc est proprium diuinæ substantiæ ratione suæ infinitatis, dico, quòd verum est quando fundatur super idẽ non per aliquid additum illi quod re differt ab ipso, per additionem tamen alicuius re differentis hoc non est proprium diuinæ naturæ, immò repugnat ei, &, conuenit creaturæ in primo duorum dictorum modorum circa creaturas, sicut patet ex dictis. Ex quibus etiam planè intelligitur dictum Boetij de Trinit. & Comment. eius, de quo sumitur medium illius argumẽti. dicit. n. Boetius 1. de Trinit. c. 14. sic. Idem ei quod idem, idẽ est, & similis est relatio in Trinitate Patris ad Filium & vtriusq; ad Spiritum Sãctum, vt eius quod est idem ad id quod est idem. Quòd si id in cunctis reb. alijs non potest inueniri, facit hoc cognata caducis reb. alteritas. Commenta. Id autem, si referri aliqua inter se quæ omnib. quib. sunt inuicem idẽ sunt, vel quæ referuntur inuicem idem esse omnibus quibus sunt, non potest inueniri in cunctis alijs rebus id est nullæ alię res sunt in quibus hoc potest inueniri. Quòd si hoc in alijs rebus inueniri non potest, re vera hoc facit alteritas quæ cognata est caducis rebus, non enim sine illorum quibus sunt alteritate diuersa, sunt à se quælibet subsistentia, vt nisi hac alteritate diuersa possunt ad inuicem referri, & sequitur post pauca.

Quàmuis horum terrium ad se relatorum, & relationum proprietatibus diuersarum intelligamus vnam solam simplicem qua vnusquisque est & omnes simul vnus, & simplex Deus essentiam & nullatenus alterius alteram, & alterius alterã, hoc adde, & nullatenus per aliquod accidens ei quòd alterius est ei aliter, & alterius aliter, vt à contrariò, quòd illud in alijs rebus esse non possit hoc faciat alteritas vel scilicèt qua fundamentum relationum in altero, &, altero relatorum alterum est, &, alterorum secundùm rem, puta humanitas in Sorte & in Platone cum dicuntur idem, aut cum vnus dicitur pater, alter verò filius, vel qua fundamento existente eodem secundùm rem singulare illi accidit aliquid, sed aliter secundùm quod est agens, &, aliter

secun-

secundùm quod est patiens, puta voluntati volitio, cui secundùm quod est agens siue volifaciens accidit quòd volitio est ab ipsa, secundùm verò quòd passum, accidit ei, quòd volitio sit in ipsa & de ipsa secundùm præexpositum modum. Et quia alteritas vtroque horum modorum remouetur à Deo in eo, quòd est producens & productum, &c. similiter à substantia Dei vt est ratio producendi actiuè & passiuè, ideò productio in Deo est absque omni alteritate, & primo modo, & secundo, &c. sic idem simplex in re esse fundamentum plurium relationum realium contrariarum est proprium essentię ratione suæ infinitatis, nec potest conuenire alicui creaturæ.

Potest tamen illud contingere in creaturis per istum modum alteritatis secũdùm iam additum absque modo alteritatis quem iam in prædictis Boetius remouit à diuinis. Aliquando autem alium modum alteritatis Boetius explicat, & similiter remouet ipsum à diuinis, vbi dicit in principio dicti capituli. Neque accessisse aliquid potest dici Deo vt pater fieret, nec enim cœpit vnquam esse pater, eo quòd substantiale est ei filij quidem productio, vbi dicit Commentator primo tangendo modum alteritatis prædictum, quẽ postea exponit vt iam dictum est, dicens. Differentiarum pluralitas in Patre & Filio & Spiritu Sancto qui non nisi vna essentia sunt, esse non potest, certum est enim, quòd non sunt substantialibus pluribus.

Deinde tangit alium modum continuè, &c. ipsum exponit dicens, Nec accidentibus, non enim potest dici Deo aliquid secundùm tempus accessisse, non enim alicuius accessione cœpit esse pater, sicut nunquàm alicuius accessu cœpit esse, eò quòd id in quo ex se filium produxit, non nisi substantia est.

Secundùm hoc ergò dico in proposito, quòd licèt in agente, & passo ex parte voluntatis non sit aliquarum differentiarum substantialium pluralitas, quia non sunt nisi vna simplex essentia, &c. sic accessit ei secundùm tempus, cuius accessione cœpit esse agens, eo quòd accidentalis est ei productio eius quod est informatum volitione, quod est vnum per accidens compositum ex voluntate vt est vis passiua, & volitione, &c. sic id in quo voluntas vt agens ex se productum suum produxit, est aliquid aliud q̃ substantia eius scilicèt ipsa volitio, inquantùm ipsum per se productum est compositum ex substantia eius, &c. volitione, sicut à mouente extra productum est compositum ex substantia mobilis, & moti. In quo nullum accidit inconueniens, nec in aliquo derogat productioni, & multum differt ab ista. Est enim in diuinis relatio producti, & producentis sicut eiusdem ad seipsum, in hoc videlicèt quod in relatis secundùm rem cum pater refertur ad filium, nihil præter relationes appositum est fundamento illarum mediante quo inter producentem, & productum fundentur relationes in isto, sicut in relatis secundùm rationem cum idem dicitur ad seipsum, nihil additur illi præter relationes rationis, quoniam vt dicit Comment. sicut in his non aufert relationem illa illorum qualiscunque identitas, ita patris ad filium, & vtriusque ad Spiritum Sanctum relationem non aufert hæc qua trinus singulariter vnus Deus sunt eorum identitas.

In creaturis autem puta in voluntate nequaquàm est relatio producentis, & producti sicut eiusdem ad seipsum, in hoc videlicèt, quòd in relatis secundùm rem cum agens refertur ad patiens in voluntate aliquid præter relationes appositum est fundamento, mediante quo secundùm prædictum modum fundantur relationes in illo.

Et sic in voluntate, & quacunque creatura identitas in fundamento si nihil sit ei additum, aufert relationem actiui ad passiuum, & ita si in creaturis sint rationes actiui, oportet quòd hoc faciat alteritas causata ex tali addito.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem Secundam, quæ est,

Vtrum in creaturis vnum & idem secundum rem possit esse fundamentum plurium relationum realium.



ITVLVS ex his, quæ pluries dicta sunt de fundamentis relationis, &c. de ipsa relatione, clarus videtur.

In corpore habita diuisione, ac subdiuisionibus quibusdam quæsito satisfacit quinque conclusionibus, quæ facilioris intelligentiæ gratia, nostrum morem prosequentes, ad hanc tabellæ formam cuncta redigere volumus, &c.

Diuersas relationes fundari secundùm rem in eodem intelligitur vel

- *In eodem ex pluribus composito.*
  - **Prima conclusio** In eodem possunt fundari plures relationes reales secùndùm actiuũ, scilicet & passiuum.
- *In eodem prorsus simplici, & tunc vel*
  - *Cum hoc, quòd ipsum est idem re, & ratione.*
    - **Secunda conclusio.** Non possunt esse plures relationes in eodem.
  - *Cum hoc quòd est diuersum ratione, & tunc vel*
    - *Ratione absoluta, absq; ordine ad extrinsecum, quod exigat.*
      - **Tertia conclusio** In sola diuina essentia fundantur plures relationes.
    - *Ratione respectiua, & tunc aut*
      - *Vnius ad diuersa.*
        - **Quarta conclusio** In creaturis possunt fundari plures relationes.
      - *Vnius ad vnum.*
        - **Quinta conclusio.** In diuinis possunt fundari plures relationes secundũ passiuum, & actiuum, & in voluntate.

Prima conclusio probatur. Quod potest esse simul actiuum, &c. passiuum potest esse fundamentum reale plurium rationum, sed compositum potest esse simul actiuum, & passiuum, igitur. Maior nota est, Minor verò patet vt de graui, & leui, quod ex se mouetur, vt dictum est in quæst. 5. noni quolib. vt de semine, quod ex se mouetur ad generationem, vt in præced. quæst. dicitur, &c. sic de alijs.

Not. quòd omne, quod ex se mouetur, non egens aliquo mouente extrinsecus videtur esse in actu & in potentia, mouens & motum, & sic videtur habere plures relationes, scilicet plura extrema relationis.

Not. quòd circa hanc conclusionem non videtur multa difficultas, & de ipsa non est quæstio præsens. Et si est aliquid difficultatis eam tollit Auctor obiectis satisfaciendo prioribus in initio corporis huius quæstionis.

Not. quòd sufficit ad hoc, quod idem sit aliquo sui mouens, aliquo verò sui motum, vt rectè declarat in litera. &c. patet de graui, & leui.

Secunda conclusio probari videtur ex hoc. Talia extrema, quæ sint eadem re, & ratione existentia relatiuè, plura esse non possunt in diuinis, ergo multò minus in creaturis. Antecedens patet, quia nisi intellectus, & voluntas in diuinis differrent ratione, nunquàm essent emanationes diuersæ secundum diuersas relationes, quod supra in nono quol. quæst. 6. dictum est, igitur. consequentia patet, quia in creaturis est maior diuersitas fundamentorum, quàm in diuinis; igitur.

Not. quòd omnis oppositio necessariò secum defert aliquam differentiam, ita quòd non sit prorsus aliqua oppositio sine differentia, quod Aristot. in primo de partibus animalium cap. 3. dicit, Iam verò omnis differentia, vel rationis est, vel realis, quod ipse Aristotel. & omnes sapientes dicerent; cùm autem relatiua sint opposita patet manifestè, quòd aliqua different ia differunt.

Tertia conclusio declaratur. Quia in diuina essentia eadem prorsus fundatur generatio, atque spiratio, secundùm rationem intellectus illa, secundùm voluntatem verò ista.

Not. quòd quis posset dubitare vtrum in creatura idem possit: videtur enim quod idem homo numero pater sit, atque dominus, vel filius idem, ac seruus, & similis, & vicinus, & duplus &c.

Ad euidentiam autem huius difficultatis, sciendum, quòd non est difficultas nisi de illis relatiuis, quæ fundantur in substantia immediatius, vnde non est idem fundamentum similitudinis, &c. dominationis. vel paternitatis, quia etsi, vt alibi dictum est, omnia accidentia fundentur in substantia, tamen similitudo, vt relatio est, fundatur in qualitate, & duplicitas in quantitate, immediatè loquendo, & sic de alijs, quare sola difficultas est in fundatis immediatè in substantia, sed & nec debet esse difficultas in hoc, quoniam in creatura non fundantur, nisi secundũ esse respectiuum, non autem in essentia. Et si fundantur in essentia, quoniam est eadem, vbi tanquam in fundamento naturæ nihil est distinctum, non cognoscitur diuersitas relationum, nisi in ipso actu relationis, & hoc, quoniam essentia non prædicatur de diuersis in creaturis, sicut in diuinis, vbi &c. de voluntate, ac intellectu prædicatur: sic itaque in actu relationis cognoscitur ipsum fundamentum in creaturis, & per hoc patet etiam quarta conclusio.

Quarta itaque conclusio declaratur, quia idem album, & simile suo coalbo, & dissimile nigro: similitudo a & dissimilitudo sunt relationes diuersæ.

Not.

Not. quòd tales relationes non possunt fundari sit in Deo, in quo nulla prorsus cadit diuersitas absolutorum, & ideò ponitur quinta.

Quinta igitur conclusio, quantum spectat ad diuina, nullam habet difficultatem, hoc est, prima pars nullam habet difficultatem. Quam tamen vt intelligas, scito, quòd hoc intelligitur tantùm secundùm actiuum, & passiuum, & dicit hoc esse verùm Auctor, quia in diuinis pater, & filius referuntur adinuicem, circa quòd nascitur dubium, quoniam & in creaturis pater & filius referuntur adinuicem secundum actiuum, & passiuum, quòd idem est actiuum, & passiuum non distincta realitate, sed distincta ratione, scilicet eadem essentia est actiua & passiua, actiua secundùm rationem paternitatis, passiuam secundùm rationem filiationis.

Circa verò secundam conclusionis partem tota difficultas est. Et ideò circa hanc difficultatem habet totum quæstionis residuum, in quo tria præsertim facit Auctor: primum manifestat partem conclusionis: secundò declarat idipsum: tertiò satisfacit obiectionibus aliorum: cum autem hæc tria faciat: tertiò dimisso, circa alia duo verba faciemus pro notitia.

De primò itaque intendit hanc rationem. Quod deducit se de potentia ad actum est simul actiuum, & passiuum, sed voluntas creata est huiusmodi, igitur. Maior patet: Minor verò probata est pluribus in locis superius, quia scilicet tolleretur liberum arbitrium, quando moueretur ab alio, vide in quæst. 5. noni quolib.

De secundo declaratur, quòd sicut in diuinis: ratio actionis est ipsa paternitas, ratio passionis est ipsa filiatio, ita vt paternitas se habeat sicut causa, filiatio tanquam effectus, sic in voluntate ratio actionis est ipsa volicitas, ratio passionis est ipsum volicitum (ita enim necesse est nomina fingere) vnde sicut eadem essentia est fundamentum paternitatis, & filiationis, causæ & effectus actionis, & passionis; similiter voluntas est fundamentum volitionis, seu volicitatis, & voliciti, tanquam causæ, & effectus, insuperque actionis, & passionis. Differentia autem est, quòd in diuinis vtraque ratio personam constituit, atque suppositum: in voluntate autem creata nequaquàm, & sic intelligit Auctor hoc negotium. Hæc breuiter sunt, quæ præter responsiones ad argumenta habere videtur Auctor. Cætera hoc posito quasi lumine, prudenti lectori relinquimus contemplanda, nè prolixo sermoni prolixiorem incassum addamus.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum forma separata, puta color aut albedo habeat omnem rationem illorum, quæ sub sua specie habent participari in subiecto.

SEQVITVR de pertinentibus ad creaturas determinatas, vbi primò quærebatur vnicum pertinens ad substantiam corporalem tantùm, deinde plura alia pertinentia ad substantiam spiritualem tantùm, vel ad compositam tantùm ex corporali & spirituali. Illud vnicum erat, vtrum forma separata, puta color aut albedo habeat omnem rationem illorum quæ sub sua specie habent participari in subiecto.

Arg. prim. Et arguitur quòd sic, quod est per essentiam tale habet rationem omnium illorum quæ per participationem sunt talia, quia necesse est, quòd in isto sit puritas ipsius speciei, quemadmodum dicitur Plato posuisse tale quid in suis ideis, sed forma ista ex hoc, ꝙ est separata ab omni subiecto est per essentiam tale, eò quòd à nullo est participata, ergò &c.

In oppos. Contra. magnitudo separata est in sacramento altaris, & tamen non habet rationem omnium magnitudinum in materia, quia habet determinatam rationem extensionis, quàm multæ magnitudines existentes in materia excedunt, ergò &c.

Resolu. qō. Dico, quòd quæstio ista supponit, quòd talis forma sit separata, quod falsum est, immò fortè etiam nec separabilis est virtute cuiuscunque agentis, sed quia vt dicit Philosophus, diuersum peccatum est, dicere quod non oportet scilicèt ponere falsum, & positionem non seruare secundum modum, vt scilicet etsi sit impossibilis aut incompossibilis, seruanda tamen est concedendo conuenientia posito secūdùm modum quo positum est, quam artem seruabimus in huius quæstionis pertractatione, posita igitur tali forma separata in reali existentia & extra animam, & extra subiectum, dico in primis, quòd necesse est ponere, quòd ista inquantùm huiusmodi inextensa est, & inextensibilis, & indiuisa, & indiuisibilis secundùm partes, quarum vna est extra aliam, quales habet omnis magnitudo, & est extensa, & diuisibilis secundùm illas, & hoc siue ponatur in subiecto naturali & materia, siue separata etiam à subiecto, & extra animam, quod non contingit circa alias formas à magnitudine, sicut nec hoc contingit circa materiæ substantiam, quæ si separata ponatur à quantitate, & extra animam, inquantùm huiusmodi inextensa est, & inextensibilis, indiuisa, & indiuisibilis secundùm partes extra partes existentes, quæ sicut extensibilis est & extensa, atque diuisibilis, & diuisa secundùm partes extra partes sub quantitate habentes partes substantiæ suæ sub partibus quantitatis per quantitatem, vt per causam sine qua non non autem à quantitate vt à causa propter quam sic, sed solùm modò ab agente, similiter & formæ materiales substantiales extensibiles sunt, & diuisibiles sub quantitate, & per quantitatem, sed ab agente, sic etiam dictæ formæ accidentales vt sub quantitate, & in subiecto sunt, per agens sunt intensibiles & remissibiles secundùm gradus perfectionis in essentia earum, ad quam intensionem vel remissionem quoad perfectionem in essentia formæ secundùm maius, & minus sequitur simul necessariò intensio vel remissio eius quo ad virtutem eius in operando secundùm magis & minus, à quibus vlterius cōformiter sequitur intensio vel remissio eius quo ad participationem eius à subie-

cto,

&to, qua ſubiectum ſecundum eas magis, vel minus tale dicitur, puta magis, vel minus calidum, quod magis, vel minus natum eſt calefacere per hoc, quòd calor in ſe eſt maior, vel minor: ita, quòd maius, vel minus in perfectione ſubſtantiæ ſint cauſa eius, quod eſt magis, vel minus in vigore, & etiam in participatione, ſecundùm quod hoc aliàs declarauimus in quæſtione de magis & minus.

Dico vlterius, quòd quælibet talium formarum, vt habet eſſe etiam in ſubiecto, habet quẽlibet gradum perfectionis vigoris, & intenſionis in quodam ſimplici, hoc excepto, quòd extenditur extenſione quantitatis, & per hoc eſt diuiſibilis ſecundum partes quæ ſunt extra ſe, vt ſecundùm hoc æquè ſimplex ſit calor maior, vt minor, & calor, qui eſt in magis calido, illi, qui eſt in minus calido, nec excedit maior calor minorem, nec magis calidum minus calidum in calore ſecundùm proportiones & partes, ſicut magnitudo maior excedit minorem, ſed ſecundũ perfectionem maiorem, ſecundùm quod in ſubſtantijs ſpiritualibus, quantò aliqua eſt ſuperior, tantò perfectior eſt, & ſimplicior, continens in ſuo ſimplici omnem perfectionem inferiorum, & ſecundùm quod Deus immenſus, & infinitę ſimplicitatis continet perfectiones omnium entium.

Quia igitur in talibus formis non ſunt maius, aut minus, nec magis, aut minus niſi ab agente ſecundùm diuerſitatem ſubiecti, & materiæ: ideò ſi ponantur ſeparatæ, quia nihil habent ibi à ſubiecto, & materia, nec ab agente, niſi quod cõpetit eis ſecundum rationem ſuæ ſpeciei, in gradu illo ſolo ſunt, qui competit ipſi ſpeciei, vt eſt ſpecies creaturæ, quæ neceſſariò certis limitibus continetur, & ſic quælibet talium formarum ſeparatarum eſt in ſummo gradus illius, qui ſpeciei competit.

Et quia omnis perfectio in participato deſcendit ab imparticipato: ideò quælibet talium rationes omnium participatorum, quæ ſunt ſub ipſa ſpecie, continet virtute in vno ſimplici, & hoc ſiue quæ ſunt in materia, ſiue quę natæ ſunt fieri in ea, & ſemper excederet in gradu quamlibet illarum, quia omnis forma materialis habens cõtrarium in materia, per cuius admixtionem obũbratur, non poteſt exiſtere in ea puritate, & perfectione, qua exiſtit ſeparata. Et ideò ſicut Deus eſt mẽſura omnium entium ſimpliciter, ſed excedens in infinitum ſic iſta forma eſſet mẽſura omnium, quæ ſunt in materia ſub ſua ſpecie, ſed excedens ſecundùm finitum tantùm.

Dicta autem in vtroq; argumento perſcrutanda ſunt. Quod ergò dicitur in primo argumẽto, quòd forma ſeparata eſt per eſſentiam tale, quia eſt ſeparata, intelligendum quòd duplex eſt formę ſeparatio. Vna ſecundum rem, & exiſtentiã. Alia ſecundùm rationem & intelligentiam, qualis eſt abſtractio logica vniuerſalis. ſcilicèt à particularibus, aut mathematica, quæ eſt formę quantitatis à materia ſenſibili, de quibus nihil ad præſens.

Separatio autem formæ ſecundùm rem & exiſtentiam duplex eſt. Vna rei habentis eſſe ſeparatum ex ſe, qualis eſt ſolùm modò diuina natura, reſpectu cuius omne aliud ens quantumcunque ſeparatum ens participatum eſt. Alia verò eſt rei habentis eſſe ſeparatum, ſed ab alio, & hoc tripliciter. Vno modo per naturam, ſicut Angeli, vel intelligentiæ, & hoc à Deo, qui tales formauit eos, & quia quælibet talium eſt indiuiduum ſub ſpecie, eſſe ſpeciei habet participatum nõ participatione gradus, quia quotquot ſunt ſub eadem ſpecie, quodlibet eorum æqualiter habet gradum ſpeciei in ſummo, ſed participatiuè, quia nullus numerus eorũ poſſet euacuare ſpeciei pluraliratem ad eius plurificationem per indiuidua. Alio modo per errorem, ſicut ideæ Platonicæ, & hoc ab homine errante, ſi tamen Plato poſuit illas prout ei imponitur, videlicet quòd ſic per naturam exiſtant à Dao, & quòd vna eſt cuiuslibet ſpeciei ſpecialiſſimæ, quæ totum gradum & naturam ſpeciei continet ſic, vt non poſsint eſſe plures illius ſpeciei, ſicut eſt tantùm vnica idea hominis, quam vocant hominem ſeparatum, & vna aſini, & ſic de cæteris, qui tamen homo non erat homo niſi æquiuocè cũ illis hominibus, qui ſunt hic, cum iſte incorruptibilis ſecundùm Platonem ſit per naturam & ingenerabilis: iſti verò, qui ſunt hic, generabiles ſunt & corruptibiles, & non poſuit aliud vniuerſale, nec aliam rationẽ vniuerſalis ſuper homines, qui ſunt hic, & ꝙ iſte eſſet principium generationis ad quẽ aſpiceret natura in generando homines iſtos, ſicut ad exemplar, quòd etiam principium eſſet cognitionis hominum, qui ſunt hic, ad quem reſpiceret intellectus. In quibus reprobat Platonem Ariſt. oſtendendo, quòd vniuerſale & principium generationis, & cognitionis rerum eſt in rebus, & ꝙ ratio hominis vniuerſalis eſt per abſtractionem intellectus à particularibus hominibus, qui ſunt hic, & ꝙ ideò vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius, propter quod vocat ideas Platonicas monſtra, quia ſunt quidam errores, & exorbitates à naturis rerum, & cum hoc ſi eſſet illa ponere, eſſet neceſſe ponere aliud vniuerſale per abſtractionem intellectus ab hominibus, qui ſunt hic, & præterea cum quælibet illarum idearum eſſet quoddam ſingulare per ſe ſubſiſtens limitatum in gradu, neceſſariò eſſet particulare, vel ſingulare alicuius ſpeciei, ſub qua plures tales eſſe poſſent, quarum quælibet in ſe haberet perfectũ gradum ſpeciei, & nullam totalitatem eſſentię illius, ſecundùm quod aliquando determinauimus de Angelis.

Tertiò

Tertio autem modo est abstractio per positionem impossibilem, qualis est ista de qua loquimur, quæ non est rerum, quæ sic habeant esse per naturam, sed quæ per naturam habent esse in corpore & materia participatè, quæ licèt in multis haberent rationem idearum Platonicarũ: tamen quia esse naturale non habent nisi in participatione, respectum habent ad ista, à quib. sunt participantia, qualẽ non habent ideæ Platonicæ. Habent autem formę istæ respectum ad participans, non quidem determinata ad determinatũ, puta hic calor separatus ad hoc corpus, à quo intelligitur abstractus: tunc enim non excederet gradum illum, quẽ habuit in corpore, sed ad corpus simpliciter, & ad indiuiduum illius vagum, propter quod necessariò calor abstractus vniuocè esset calor cũ calore in materia, licèt formę ideales separatæ se per æquiuocationem haberent cũ formis, quæ sunt hic, vt dictum est. Et sunt formæ istæ separatæ eiusdem speciei specialissimæ, & si posset esse vnus calor numero separatus eadem ratione possent & plures, sed essent omnes in æquali gradu sub specie sua, sicut sunt Angeli sub sua, sed sub illis in gradibus essent calores participati in caloribus: respectu quorum illi essent imparticipati, & per essentiam.

Veruntamen intelligendum, quòd triplex est participatio, in qua participans dicitur habere formam aliquam per participationem, & è contrà est aliquid per essentiam tripliciter.

Est enim quædam participatio formæ à materia, vel quæ est materia tantùm, qualis est participatio omnium formarum substantialium materialium, vel quæ est materia & subiectum, qualis est participatio omnium formarum accidẽtalium, & ex opposito huic participationi forma separata tertio genere separationis esset tale per essentiam, & imparticipata.

Alia verò est participatio formę vniuersalis à particulari in eo, quòd nullum particularium continet totalitatem essentiæ illius, licèt cõtineat totalitatem gradus ipsius.

Et tali participatione forma illa separata esset participans formam speciei, licèt non esset ab alio participata, & forma existens in materia esset participans forma speciei, & participata à subiecto. Tertio modo est participatio vnius formæ singularis ab alia forma singulari, & hoc aut per naturalem existentiam, aut per quandam positionem, aut fictionem.

Primo modo quælibet forma creata participat formam increatam, vt mensuratum mensuram suam, & hoc maximè secnndum illud, quod est omnium communissimum scilicèt esse, propter quod forma diuina dicit esse mensura in genere entis simpliciter, sub qua est ponere specialem mensuram in vnoquoque genere vsque ad specialissima, sub quibus sunt sola indiuidua, inter quæ nullum est mensura aliorum, sed omnia sunt æqualis gradus sub specie in substantijs separatis: & ideò esse in creaturis dicitur quædam diuina participatio secũdùm quod supra expositum est in prima quæstione.

Secundo autem modo scilicet non per naturalem existentiam, sed per positionem, aut fictionẽ quęlibet forma in materia participaret ideam Platonicam, & formam de qua loquimur, & ipsa forma talis, vel idea esset quid per essentiam imparticipatum.

Et quia tale quid non habet esse per naturam, quia sub specie specialissima non est participatio nisi per æqualitatem, nisi fortè in animabus humanis, quod dico propter quendam articulũ Episcopi, qui ponit, quòd anima Christi in substantialibus nobilior est, quàm anima Iudę, quem negare non volo: Gregorius tamen lib 21. Mora. exponens illud Iob 31 Nunquid non in vtero fecit me, qui & illum operatus est? dicit sic, Magna est virtus humilitatis considerata æqualitate conditionis: omnes nanque homines secundùm naturũ æquales sunt, sed accidit dispensatorio ordine, vt quibusdam prælati videantur. Si ergo hoc à mente deponimus quod temporaliter accessit, inuenimus citius quod naturaliter sumus.

Si enim apud seipsam descẽdit de virtute culminis, citiùs planitiem inuenit naturalis æqualitatis. Nam omnes homines natura æquales genuit: homo quippè animalibus irrationalibus: nõ autem cæteris omnibus hominibus natura prælatus est.

Dico ergò, reuertendo ad propositum, ꝙ participatio, quæ est in mensurato secundùm formã quæ est mensurę, non est nisi secundùm formam quæ est generis, propter quod dicitur mensura vnigenea mensurato, & est semper nobilior species sub quocunque genere mensura omnium illorum, quę continentur sub specie minus nobili, & semper mensura inferior est mensurata à superiori, vt omnem mensuram sit reducere ad vnam, quę Deus est, à quo omnia alia & mensurata, & mẽsurę sunt mensurata, & maximè secundùm esse, in quo metitur gradum suę essentię, & ipsa à nullo est mensurata, sed ipsa est in se immensa.

Ad rationem in oppositum, ꝙ magnitudo separata non habet rationẽ omnis magnitudinis existẽtis in materia, quare nec forma talis omnis formę existentis in materia. Dico, quòd non sequitur, eò quòd non est simile, quia magnitudo omnis per se extensa est habens partem extra partem ex eo, quòd est magnitudo, & non habet aliquos gradus maioris & minoris nisi maius, & minus in extensione non autem in formæ perfectione, propter quod non recipit magis & minus, nec in vigore, nec in participatione. Propter quod ipsa separata etiam eũdem gradu

exten-m

extensionis secundum numerum retinet quem habuit in materia, eò quòd nec à materia, nec per materiam habuit illam.

Forma autem, de qua loquimur è contrà ex se non habet extensionem, nec partem extra partem, nec magis, aut minus, quia hoc solùm, vt iam dictum est, habet in subiecto ab efficiente, sed quantùm est ex se est in simplici, & inuariabili essentia consistens, vt dicitur in principio sex principiorum, licèt ista accidant ei secundùm quod est compositioni contingens: & ideo ex se nullum gradum potest habere nisi gradum speciei suæ, vt dictum est: & ideò forma abstracta à diuersis differentibus in subiecto secundùm maius & minus, aut magis & minus, puta à magis calido, & à minus calido, necessariò æqualis gradus & continentiæ est, propter quod licèt quiritas separata non possit habere in se secundùm gradũ rationes omnium magnitudinũ, quę sunt participatę sub suæ specie: benè tamen potest illas habere forma nostra separata, quę qualitas est.

Comment. in Quæstionem Tertiam, quæ est,

Vtrum forma separata, puta color aut albedo habeat omnem rationem illorum, quæ sub suæ specie habent participari in subiecto.

IN titulo primum aduert. est, q. propriè quidem intelligitur de forma accidentali, potest tamen transferri ad formas illas etiam substantiales, quæ dependent à materia, quippè de eius potentialitate traducantur.

Excluditur autem quantitas, & si non excluditur, de ipsa est ponenda contraria conclusio, vt apparebit in corpore.

Not. amplius ex Auctore, quòd suppositum in facto esse est falsum: ponitur tamen supponendo sic esse, vt videatur quid sequeretur ex dato supposito, si possibile esset, quòd poneretur in esse.

Et not. quòd si talem artem docuit Aristoteles, Plato ea vsus est diligenter in Parmenide. Etsi enim falsum sit, non esse animam, non esse materiam: id tamen supponit, vt videat, quidnam ex dato illo sequeretur, vt videre est ibi, in vltimis scilicet suppositionibus.

In corpore, duabus conclusionibus videtur quæsito satisfacere, quarum

Prima est, Omnis huiusmodi forma, præter quantitatem, excederet quancunque formam in subiecto.

Secunda est, Quantitas abstracta haberet omnem rationem illorum &c.

Probatur prima conclusio. Talis forma esset mensura cæteratum, ergò excederet: consequentia patet, quia omne participatum excedit id, quod eo particeps est. Antecedens patet, quoniam talis forma esset in summo gradu speciei, nullam habens prorsus imperfectionem, nec contrarietatem: existentes autem in subiecto formæ accidentales, de quibus fermo est, recipiunt magis & minus, & habent contrarietatem, sed omne existens taliter in summo, est metum & mensura, & participatio, quia est quoddam perfectum cæterorum, igitur.

Not. q. tametsi forma substantialis vllo pacto non recipiat contrarietatem, tamen si daretur abstracta, adhuc idem sequeretur, quia abstracta existens esset in summo gradu speciei, in quo à nulla re, nec etiam quantitate mensuraretur. Et ex hoc etiam ponitur Deus mensura omnium, quia sit abstractus omninò, & in omnium summo.

Probatur secunda conclusio, quoniam quantitas quomodocunque sit semper retinet eandem naturam, scilicet diuisibilitatem, & hoc quia non per aliud est diuisibilis, sed ex se.

Veruntamen vt dictum est, suppositum huiusmodi est impossibile, quòd pluribus in locis Aristoteles, & Auctr. dicunt.

In responsione ad primum colligo declarationem primæ conclusionis, atque etiam suppositi eius, itemq; rationis ad illam, & not. quod multum differret ab idea Platonica talis forma, si quidem secundum rei veritatem, vt manifestamus in Parmenide, Plato non posuit ideas, tanquã formas ita separatas, sicut ei imponit Aristoteles, sed posuit eas in mundo intelligibili, scilicèt in mente diuina, secundum quod nostri quoque ponunt Theologi. Sed & dato, quod esset idea, secundum quod eam accipit Aristoteles à Platone, non tamen esset similis huic formæ, quæ supponitur, quia hæc ponitur vniuoca formis existentibus in materia, illa verò poneretur æquiuoca, &c.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum intellectus beatus possit proficere in cognitorum multitudine absque hoc, quod proficiat in cognitione diuinæ essentiæ.

SEQVITVR de pertinentibus ad substantiam spiritualem tantùm separatam aut coniunctam, vbi primo proponebantur duo pertinentia cõmuniter ad vtranque. Quorum primum pertinebat ad statum gratiæ specialiter. Vtrum intellectus beatus possit proficere in cognitorum multitudine absque hoc, quòd proficiat in cognitione diuinæ essentiæ.

Secundum verò pertinet ad omnem statum indifferenter, vtrum videlicèt intellectus, & voluntas ambo sint æque liberi, supponendo, quòd ambo sint liberi. Deinde quærebantur plura alia pertinentia ad substantiam spiritualem corpori coniunctam, cuiusmodi est anima humana.

Circa primum arguitur, quòd beatus non potest proficere in cognoscendo multitudinem cognitorum circa creaturas in cognoscendo diuinam essentiam quin simul proficiat in cognitione

Arg. prim.

ne ipsius diuinæ essentiæ, quia diuina essentia se habet ad cognita in illa, sicut in disciplinis se habent principia ad conclusiones· ipsius enim diuinę essentię cognitio in beatis est causa, &c. principium cognitionis multitudinis, quę cognoscitur in ipsa. Sed nullus intellectus proficere potest in cognitione conclusionum, quin simul proficiat in cognitione principiorum, quia necessariò clarius cognoscuntur principia cum plures cõclusiones cognitæ ex illis eliciuntur, quàm cum paucæ: ergò &c.

In oppos. In contrarium est, quòd tunc intellectus beatus proficeret in essentiali beatitudine, quod falsum est, quia illa respondet charitati ipsius beati quæ in beatitudine proficere nõ potest, eò quòd non proficit nisi ex merito, quod non sit in beatitudine: ergò &c.

Respons. Dico, quòd intellectus beatus benè potest proficere in cognitorum multitudine circa creaturas cognitas in diuina essentia visa absque omni profectu eius in cognitione diuinę essentiæ, &c. hoc iuxta processum secundi argumenti, quia per cognitionem illorum in diuina essentia non augumentatur essentialis beatitudo, nec per illius subtractionem diminuitur, dicente August. 5. lib. confess. versus principium; Infelix homo ille, qui scit ista omnia: te autem nescit. Beatus autem, qui te scit etiam si ista nescit. Qui autem te, & ista nouit, non propter ista beatior, sed propter te solum beatus. Fortè tamen in istorum cognitione in diuina essentia consistit quædam accidentalis beatitudo, quæ benè augeri, &c. diminui potest secundùm augmentum, &c. diminutionem istorum cognitorum absque omni augumento &c. diminutione ipsius essentialis beatitudinis, quæ non consistit nisi in cognitione solius diuinæ essentiæ.

Ad argu. principale. Ad primum in oppositum, quòd diuina essentia se habet ad cognita in ista, sicut principia ad conclusiones &c. Vno modo potest dici, ꝙ falsum est illud assumptum, quòd clarius cognoscũtur principia pluribus conclusionibus cognitis ex illis, &c. hoc quia principia non cognoscuntur per conclusiones, nisi cognitione, quæ dicit quia est, quæ non cadit intra essentiam principiorum, &c. non augetur cognitio principiorum propriè nisi aucta ista cognitione, quæ intra essentiam principiorum, qua cognoscitur de vnoquoque quid sit.

Sed licèt per conclusiones non cognoscantur principia cognitione quid est: tamen non augetur notitia conclusionum ex principijs, nisi per augumentum notitiæ ipsorum in ipsis. Si enim per se ex notitia principiorum elicitur notitia conclusionum, &c. augmentatio notitię conclusionum nullo modo potest esse sine augumento notitiæ principiorum, quia in eis, quæ sunt per se tenet ista regula.

Si simpliciter ad simpliciter &c. Ideò aliter dicendum, quòd non est simile de notitia multorum indiuidua essentia, &c. conclusionum in principijs, aut ex principijs, quia essentia diuina non est principium naturale, siue ratio cognoscẽdi multa in alia, sicut sunt principia in disciplinis: non enim cognita diuina essentia naturaliter, &c. necessariò sequitur, aut simul habetur cognitio multorum in ista, sicut cognitis principijs disciplinarum secundùm modum cognitionis istorum naturaliter, &c. necessariò sequitur, aut simul habetur cognitio conclusionum in illis &c. per illa, & hoc quia diuina essentia respecta cognitionis aliquorum in illa non est speculũ necessarium, sed voluntarium tantùm in qua nihil aliorum à se manifestatur, nisi secundùm beneplacitum diuinæ voluntatis.

Comment. in Quæstionem Quartam, quæ est,

Vtrum intellectus beatus possit proficere in cognitorum multitudine absque hoc, quòd proficiat in cognitione diuinæ essentiæ.

IN titulo notare oportet circa suppositum, quòd intellectus beatus quicquid nouit in patria extra se, nouit quia in diuina essentia, siue in verbo diuino tanquam speculo quodam relucere ea videt: cæterum illud animaduertendum est, quòd in hoc differt speculum illud diuinissimum à speculo naturali, quod hoc necessariò representat cuilibet oculo potenti videre, & aspicienti quodlib. obiectum visibile, quod sibi obijciatur. Deus autem speculum est huiusmodi voluntarium, representans quodcunque voluerit secundùm beneplacitum suæ diuinæ voluntatis, vnde cum non sit necesse vt statim cum beatus videt diuinam essentiam, videat & omnia relucentia in ipsa, quoniam etsi reluceant in ipsa omnia, non tamen ostenduntur nisi voluntariè, suppositum stare potest, quod proficiat quis in cognitorum multitudine, scilicet circa creaturas.

In corpore est conclusio, quòd potest intellectus beatus proficere in cognitione aliorum, scilicet creaturarum, absque quod proficiat in cognitione diuinæ essentiæ.

Probatur conclusio per secundum argumentum in fronte quæstionis, & confirmatur per Augustinum in litera &c.

Non autem quod intelligitur & August: & falsitas consequentis de essentiali beatitudine, in qua nemo proficit: potest tamen concedi consequentia de beatitudine accidentali, vt patet.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum intellectus, & voluntas ambo sint æquè liberæ supponendo, quòd ambo sint liberi.

Arg. primo. primum.



IRCA secundum arguitur, q̃ æquè liberæ potentiæ sunt intellectus & voluntas, quia libertas potentiæ consistit in hoc, quòd suum actum possit elicere seipsa primò quod æqualiter conuenit intellectui, & voluntati, quia hoc conuenit ipsis eo, quòd potentiæ spirituales sunt, quòd patet ex hoc, quòd super illud 8. Phy sicorum. Impossibile est, q̃ illud quod mouet se moueat se secundùm totum dicit Commentator ſiç. Hoc non est impossibile nisi in motoribus, quæ sunt corpora, aut virtutes in corporibus. Intellectus autem & voluntas per hoc, quòd sunt potentiæ spirituales nõ sunt corpora, nec virtutes in corporibus, per hoc ergò conuenit eis, quòd non est impossibile in eis, sed potius possibile, quòd moueant se secundùm totum, in quo libertas consistit, quare cum sint æquè spirituales potẽtiæ, sequitur quòd æquè liberæ sunt.

Secundũ. Item nono Metaphysic. & in secundo Periherm enias dicit Philosophus, quòd potentiæ rationales valent ad opposita, quòd non contingit eis, nisi per hoc, quòd sunt rationales, quia ex hoc distinguuntur contra irrationales & naturales potentias, quę non valent ad opposita quare cum intellectus & voluntas sint æquè rationales aut si altera sit magis rationalis ista est intellectus, quia ipse ratiocinatur, & sibi & voluntati, ergò ergò æquè sunt liberę, aut intellectus est magis liber, quàm voluntas.

Tertium. Item ista potentia est magis libera, quæ secundùm suum actum minus dependet ab alia, & ab actu illius, quia dependentia ab alio impedit libertatem in actum suum exequendo: intellectus autem in suo actu non dependet omninò ab actu voluntatis, sed magis è conuerso voluntas in actu suo dependet ab actu intellectus, eò quòd intellectus potest intelligere nullo actu voluntatis prœuio, sed voluntas nihil omninò potest velle, nisi prœuio actu intellectus: ergò &c.

In oppoſit. Contra. Ista pótentia est magis libera, quæ seipsam determinat ad actum suum liberę, quàm quę ad actum suum ab alio determinatur necessariò: voluntas liberę seipsam determinat ad actũ suum; intellectus autem necessariò determinatur ab obiecto: ergò &c.

Reſolut. q. Hic oportet ante alia videre quid non sit libertas? & quid non sit libertas, & in quo consistat, & per hoc patet intentum, & hoc iuxta artem definitiuam in qua supponitur genus supremum, supponendo quòd libertas sit facultas quædam, quæ quidem facultas secundùm se nihil aliud est, quàm habilitas quædam indifferenter se habens ad patiendum, & ad agendum.

Nunc autem vt statim infra videbitur, libertas non est in potentijs purè passiuis.

Prima ergò differentia adijciẽda facultati est, quòd sit ad agendum. Vlterius autem dico, q̃ libertas non est facultas ad agere, vel posse agere bonum, & posse malum, nec in hoc consistit, quia secundùm Anselm. de libero arbitrio posse malum non est libertas, nec pars libertatis.

Est ergò libertas facultas, quæ quis potentia aliqua potest bonum agere, siue operari: vnumquodque enim ens in creaturis secundùm speciẽ suam ad aliquod bonum ordinatur, quod naturã est sibi acquirere sua propria operatione, secundũ quod de homine dicit Philosophus secundo cœli & mundi, ipse non est cum integra bonitate. Res enim integra bona non indiget opere, quo sit bona, quoniam ipsa est illud, & addit Commentator. Cuius substantia est actio. Vnde etiam ista, quorum nobilitas est in actione sunt diminuta, vnde ad istam diminutionem supplendam quælibet creatura secundùm suam speciem propriam actionem habet, quæ bonum speciei suæ proprium sibi acquirit, & hæc est secunda differentia addenda, scilicet quòd libertas est facultas ad agendum bonum.

Vlterius autem quod frequenter potentia, quę potest agere bonum, potest etiam nõ agere, illud libertas autem non est posse hoc, & posse non hoc, vt posse aliquod bonum velle & posse illud non velle, quia pro quãto potest aliquod bonum non velle pro tanto est defectibilis, sicut ergò in ordine ad malum non consistit libertas, nec pars libertatis secundùm Anselm. nec similiter consistit libertas in posse non agere, seu non velle, id quod bonum est. Vnde & libertas est ipsius volũtatis circa finẽ prę sentem, quem tñ non potest nõ velle. Quòd aũt possit bonum velle, & non velle, hoc non pertinet ad libertatẽ simpliciter, sed solũ ad lib arbitriũ, & sic libertas est facultas, qui quis potest bonum non dico non facere, sed facere, & hæc est tertia differentia.

Vlterius autem sicut iuxta dictum Philosophi in primo Metaphysicę, dicimus quòd homo liber est cum suiipsius causa sit, & non alterius; sic sola ista potentia libera est, quę suiipsius causa est, & quę magis est talis, ista magis est libera. Est autem homo ille suiipsius causa, & non alterius, quem non oportet causari, seu sollicitari de aliquo alio, sed de seipso tantùm, qualiter homo dominus liber est respectu hominis serui, quia

seruum

seruum oportet sollicitari de domino suo, & de eis quæ sunt domini sui, & hoc ex conditione seruitutis quæ est contraria libertati, &c. non è conuersò, & hoc ex absolutione & conditione seruitutis quæ libertas est. Vnde seruus est vtilis domino suo vtilitate seruili, qua nequaquam est dominus vtilis seruo, de qua dicit Auicéna primo Metaphysicæ.

Minus communiter vtilitas est vt sit adducens ad excelsiorem qui est ei sicut seruus, quia est propter eum, sed non conuertitur, vtilitas enim minus communis penè seruitus, sed vtilitas quæ procedit ex nobiliore in ignobilius, non est similis seruituti. Seruiens enim vtilis est ei cui seruit, &c. ille cui seruitur vtilis est seruienti.

Sed cuiusque vtilitatis proprius modus est, & alia maneria, & hoc quia vtilitas qua superior vtilis est subdito, est profectus subditi sine quo non posset esse, vtilitas verò qua inferior vtilis est superiori, est necessitas sine qua non posset benè esse, sed à suo fine exequendo in casu impediretur.

Propter quod cum dicit Philosophus, quòd sapiens per se sufficientissimus est, apponit. Melius autem fortè cooperatores habere, vbi dicit Comment. Hoc autem scilicèt fortè adiacet quoniam circa necessaria corpori non ad fœlicitatem ipsam sunt cooperatores, non ad eam quæ secundùm intellectum est speculationem, sed ad imperturbamentum speculationis. Indiget enim, elixante olera, & aquam ferente, & vestem mundante, &c. totaliter necessitatem faciente, & si his indiget vel extremè esuriens corpus, vel difficulter ęgrotans impedit speculationem, per se tamen sufficientissimus est propter paucissima indigere. Hauriet enim, &c. ipse aquam, &c. olera elixabit.

Si quidem enim perdicum, & phasianorum elixatione indigeret, tunc vtique esset indigens sicut seruus scilicèt cupiditatis, sicut scdm Tull. de paradoxis sunt omnes improbi & fracti animi & abiecti & arbitrio carentes. Nunc autem iste verè diues est, isti autem verè Indigentes secundùm quod dicit idē ibidē. Quem intelligimus diuitem, aut hoc verbum in quo homine ponimus? opinor in eo cui tanta possessio est, vt ad liberaliter viuendum facile contentus sit, qui nihil quærat, nihil appetat, nihil optet amplius. Sed qui innumerabiles cupiditates habet, hunc quando appellabo diuitem, cum ipse se egere sentiat? Et sic libertas hominis qua liber dicitur, est facultas qua solùmmodò ordinatur ad seipsum & non ad alium, &c. hoc quemadmodum dicit Auicenna de libera scientia primo Metaphysicę.

Hæc scientia adeo alta est, quòd ipsa non dignatur esse vtilis alijs scientijs, cęterę verò scientiæ sunt vtiles ad eam, quemadmodum etiam vbi supra secundùm Philosophum sola scientia ista libera est quæ suij ipsius causa est desiderata, &c. non alicuius commodi gratia, sed omnibus existentibus necessarijs quæritur propter seipsam, &c. non propter aliquam aliam vtilitatem, quæ in ipsa prouenire posset ex ea, vnde non est nisi liberorum, quibus omnia suppetunt necessaria, vt sicut homo liber non est propter alios, vt pro illis oporteat eum sollicitari, sic nec indiget alijs vt propter eum tanquam vtiles sibi oporteat aliquos sollicitari.

Vnde de fęlici fęlicitate speculatiua secūdùm scientiam liberam quæ sapientia dicitur, qua etiam verè liber homo est, dicit Philosophus decimo Ethicorum. Per se est sufficientissimus, vbi dicit Commentator. Propter paucissima indigere. Hauriet enim ipse aquam, & olera elixabit.

Vnde Apostolus qui dixit tanquàm verè liber primæ Corinth. nono. Cum essem liber ex omnibus. Gloss. id est nullius meritis obnoxius, dicit Actuum vigesimo. Argentum &c. aurum aut vestem nullius cócupiui, quoniam ad ea quę mihi opus erant ministrauerunt manus istæ.

Hinc dicit Hieronymus ad Heliodorum. Apud Græcos Philosophos ille laudatur qui omne quo vtebatur, manu sua factum gloriatus est. Ex quibus sumuntur aliæ duæ differentiæ, &c. sic coniungendo differentias quinque cum facultate quod est genus libertatis, dico, quòd libertas est facultas qua quis actiuè potest bonum facere sibi non indigens altero ad hoc, &c. sic oportet si sit libertas quòd opus quo bonum acquiret suū agat ex principio quod est in ipso per se, & primò, & hæc est quinta differentia.

Sed &c. hoc contingit adhuc potentiæ purè naturali. Vt enim dicitur in fine quarti Meteororum, vniuersa sunt determinata, & vt dicitur 2. cœli &c. mundi, ex eis sunt qui recipiunt rem bonam per operationem vnam, &c. ex eis sunt qui recipiunt eam per operationes multas. Propter hoc in descriptione libertatis oportet addere, & dicere quòd scilicèt est facultas qua quis potest bonum operari sibi absque alterius indigentia ex principio in ipso, & hoc vltraneo. & est sexta differentia, per quod excluditur impetus quo potentia purè naturalis per operationem suam potest in suum proprium bonum.

Sed quia &c. hoc potest intellectus quo ad actus sui exercitium quando factus in actu, per intellectionem simplicem discurrit diuidendo, componendo, &c. conferendo, ita quòd si nihil addendum esset ex parte libertatis in voluntate quod non esset in libertate intellectus, pariter & æquè liberę essent, excepto tamen aliquo, vt iam dicetur, quia constat quòd intellectus ab exercitio sui actus potest retrahi per voluntatem, & impelli in ipsum.

Voluntatis enim imperio intellectus à dictis operibus suis retrahitur, & in ipsa impellitur ad libitum voluntatis secundùm quòd experimur in nobis. Voluntas autem tantam libertatem habet, quòd à nullo in actum suum impelli potest, nec ab ipso ab alio retrahi, sed absque impulsu vadit in suum actum, & absque alio retrahente ab isto cessat à suo actu vltraneo. Quod aliqui quantùm apparet ex suo dicto concedunt de voluntate quantùm ad actus sui ingressum, licèt negent hoc quantùm ad actus sui cessationem, dicentes quòd voluntas sequitur necessariò iudiciũ rationis, quia, vt dicunt, etsi necessariò moueatur ad aliquid volendum adhuc non excluditur libertas.

Non enim sequitur, hoc est necessarium, ergò non est volũtarium siue liberum, quia enim actus actiuorum sunt in patiẽte & dispósito, ideò cum voluntas secundùm se sit libera recipit motionem volitionis secundùm modum naturæ suę scilicèt liberè, quàmuis necessariò, & est exemplum de seruo, qui inquantùm mouetur ad præceptum domini sui quodammodò mouet necessario, & tamen liberè, quia complacenter illud exequitur, & sic in voluntate est ratio mouentis, & ratio moti in eodem simplici, & sic mouet seipsam, & tamen necessariò sequitur iudicium rationis siue intellectus qui pensat rem in suis principijs, &c. per seipsum iudicat liberè, &c. ex hac libertate, vt dicunt, est libertas in voluntate, &c. ideò mouetur liberaliter secundùm ipsam rationem. Et secundùm hoc dicunt, quòd voluntas si non moueretur secundùm rationem nõ moueretur liberè, & sic libertas voluntatis non est nisi à libertate intellectus.

Et quòd idcirco intellectus magis liber est quã voluntas. Sed si ita est de motu voluntatis quo ad ingressum atque inchoationem actus volendi à voluntate, in nullo differt motus voluntatis in finem, & in eis quæ sunt ad finem, immò sicut in finem præsentem per iudicium rationis mouetur liberè, sed non libero arbitrio, sic similiter ad ea quæ sunt ad finem. Quàmuis ergò voluntatis libertas saluari posset cum motus eius necessitate, nequaquàm tamen libertas arbitrij, quia volũtas liberi arbitrij nec inchoare posset actum volendi nec cessare ab ipso contra iudicium rationis, cuius contrarium semper experimur circa nos in eis quæ sunt ad finem, sed de hoc aliàs sufficienter disputatum est. Quantuncunque ergò ratio penset &c. iudicet, nihil hoc pertinet ad liberum arbitrium voluntatis, nec per consequens ad libertatem eius, quia eodem cursu currunt libertas, & liberum arbitrium semper respectu eorum quæ sunt ad finem.

Sic ergò licèt nihil ad intellectum de motu voluntatis inchoando ipsum, quia sine motu voluntatis præcedente posset inchoare actum suum intellectus, multum tamen de motu exercitij intellectus inchoando ipsum, & in cessando ab ipso; quia nec potest inchoare nec exercere potest ipsum contra imperium voluntatis. Et cum hoc etiam multum deficit intellectus à libertate voluntatis, quia intellectus non mouetur ad exercitium actus nisi prius motus ad actum intelligentiæ simplicis per actus primi intelligendi determinationem ab obiecto, vt sæpius dictum est, & iam dicetur iterum. Voluntas autem mouetur ad actum primum nec mota nec determinata ab alio, &c. etiam ad omne exercitium actus atque ad imperium actuum aliarum virium. Idcirco igitur simpliciter dico, quòd licèt intellectus quodam modo sit liber, prout iam patebit, multò magis tamen libera est voluntas quàm intellectus, &c. ideò in definitione libertatis quæ propria est voluntati, super libertatem intellectus aliquid oportet addere, septimam scilicèt conditionem, & dicere, quòd libertas voluntatis est facultas qua potest in suum actum quo acquirit bonũ suum ex principio intra se vltraneo, &c. absque omni impulsu & retractione ab altero. Et in hoc deficit intellectus quia per determinationẽ actus in primum actum intelligendi simplicis intelligentiæ impellitur ab obiecto, & vlterius à voluntate impellitur liberè vel non impellitur in actus exercitium, & liberè illum retrahit ab isto. Ex quibus constat, quòd intellectus nihil habet libertatis nisi quo ad exercitium actus, donec voluntas permittat. Propter quod dico simpliciter quòd voluntas multo liberior est quàm intellectus.

Et cõcedenda est vltima ratio ad hoc adducta, &c. dictam libertatem puto intellexisse Philosophum circa voluntatem quando dixit 2. Ethicorum, quòd est domina suorum actuum. Et est talis libertas voluntatis tanta circa ea quæ sunt ad finem, quòd non solùm potest in ista liberè, sed etiam libero arbitrio, cum tamen intellectus, etsi aliquid possit agere liberè, nihil tamen potest agere libero arbitrio. Hinc Tullius de paradoxis, Quid est libertas? potestas viuendi vt velis.

Quis viuit vt vult nisi qui recta vult, qui nec legibus propter metum paret, qui nihil dicit, nihil facit, nihil cogitat nisi libenter ac liberè, cuius omnia consilia, resque omnes quas gerit ab ipso proficiscuntur, nec est vlla res quæ plus apud eum polleat, quàm ipsius voluntas atque iudiciũ? Soli igitur hoc contingit sapienti vt nihil faciat inuitus nihil dolens nihil coactus. Igitur constendum nisi qui ita est affectus liberum nemen. An ille liber qui nihil imperanti negare potest? Ad primum in contrarium, quòd voluntas, &c. intellectus seipsis actus suos atquè primò, &c. per se eliciunt, Dico, quòd non est verum.

Ad arg. princ. pri mum.

Et

Et quod addunt ad eius probationem, quia hoc conuenit potentiæ per hoc, quòd spiritualis est, dico quòd verum est. Sed non oportet, quòd si non sit impossibile, quòd aliquid moueatur à seipso nisi in motoribus qui sunt corpora aut virtutes in corpore, ꝙ sequatur à cõtrariò, ergò æqualiter est possibile in omnibus virtutibus quæ non sunt in corpore, nec etiam necessarium est, quòd æqualiter sit impossibile omnibus motoribus quę non sunt corpora. Angeli.n. liberius se mouent, & secundùm voluntatem, & secũdùm intellectum quàm homines. Est autem mirum quod aliqui nituntur dicere, quòd Commen ibi solùm modò loquitur de spiritualibus separatis: in quibus idem sunt intellectus & intellectum, eo quòd de illis in fine commenti illius facit mentionem. Quod re vera non facit, de illis solùm intendendo facere exceptionem à dicto Aristotelis, sed quia circa ista spiritualia reprehendit quendam errorem quem imponit Platoni, vt patet inspiciendo, & ponderando literam suam quæ talis est. Hoc non est impossibile nisi in motoribus quæ sunt corpora aut virtutes in corporibus, & non pertinet plus in dictis commentatoris ad verificationem dictę propositionis Aristotelis quàm istud. Cætera autem quæ adiungit nõ pertinent ad expositionem dictæ propositionis Aristotelis, sed in illis solùm modò se conuertit ex dictis in sua expositione breui ad quædam dicta Platonis, quibus in parte concordat, & à quibus in parte discordat, &c. primò ex sua expositione concludit quiddam in quo Platoni &c. expositioni suæ concordat dicens.

Et ideò æstimauit Plato, ꝙ mota ex se mouentur à motoribus abstractis &c. quia scilicèt ponebat, quòd mouens se est mouens abstractum, & abstractum est mouens se. Vt enim dicit Commẽtator patum ante expositionem suam iam dictã, videbatur Platoni, quòd motum ex se componitur ex moto, & motore qui mouet se, quod proculdubio, vt dicit Commentator. Verum est de moto, & motore non moto omninò ab alio, qualiter mouetur cœlum, & homo ab anima. A motore enim cœli non mouetur cœlum, neque homo secũdùm corpus ab anima, nisi quia motores primò mouent se motu voluntatis. Bruta autem quòd non mouent se secundùm locum, hoc non est nisi quia prius mota sunt ab alio secundùm appetitum, vnde sequitur in Commen. & verificat dictum Platonis quod iam posuit. Et ideò æstimabat Plato &c. subdens. Si autem ita fuerit, tũc mouens & motum illic dicuntur æquiuocè cum motu qui est hic. Et re vera motus qui est illic id est in abstractis, quo mouent se primò per voluntatem, &c. motus qui est hic scilicèt in corporibus motis ab illis, puta cœlesti & humano, multum æquiuocè dicitur, secundùm quod patet ex supradictis in quæstione secunda de motu voluntatis à se motu volitionis, & motu calefacti à calefaciente.

Sed quia istam æquiuocationem non vidit Plato prout imponit ei Commentator, ideò ipse hoc statim reprehendit eum subdens. Et error hic contigit Platoni ex hoc. Sed primò antequã explicet in quo errauit, præmittit quiddam in quo ipsum commendat dicens. Quia opinabatur quòd primus motor in corpore qui mouet ex se, non est corpus, &c. vera est opinio. Et statim adiungit id in quo ipsum reprehendit dicens. Et opinatus est cum hoc, quòd omnis motor siue fuerit corpus siue non, non mouet nisi moueatur vno motu, &c. dicto vniuocè, quod proculdubio falsum est, vt in secunda quæstione præcedenti exposuimus.

Nihilominus Aristoteles etiam hoc imponit Platoni circa animam, arguendo contra eum in primo libro de anima super hoc, quòd ipse Plato posuit animam mouere seipsam, inducendo argumenta contra verum motum corporalem, ac si Plato posuisset animã moueri à se tali motu vniuocè quali ab ista mouetur corpus. Sed Macrobius in fine libri sui respondet rationibus Aristotelis per æquiuocationem motus ad motum animæ à se, & motum corporis, &c. dicit quòd non fuit de mente Platonis, quòd anima moueret se vniuocè tali motu quali mouetur corpus.

Et per eundem modum respondèndum est omnibus rationibus acceptis ex dictis Aristotelis, &c. aliorum de motibus corporum, ad probandum, quòd anima siue voluntas non possit mouere se.

Vnde cum Aristoteles 8. Physicorum ante dictam propositionem dicit sic. Quomodo est possibile vt aliquid omnium naturaliter conuenientium moueat seipsum, sed necesse est vt motor in quolibet eorum sit distinctum à moto, & vt dicit Commentator debet esse distinctum à moto, aut secundùm definitionem, &c. esse simul, sicut ista quæ mouentur ab extrinseco, aut secundùm definitionem tantùm, vt est dispositio in habentibus animas.

Anima enim quæ est motor in eis, distinguitur à corpore quod est motum, secundùm definitionem, licèt non distinguatur secundùm esse scilicèt quia impossibile est animam esse sine corpore, nisi æquiuocè. Si quis ergò dictum hoc Aristot. & Commen. vellet applicare ad spiritualia quo ad motum voluntatis eorum, Dicendũ secundùm ꝙ hic dicit Comment quòd illud non est impossibile in spiritualibus, sed loquitur Aristoteles solum de motu corporum, sicut etiã manifestant exempla Commentatoris. Nunc autem æquiuocè dicitur motus de motu corporalium & spiritualium, vt dictum est. Deinde Commẽtator repetit illud in quo iam Platonem commẽdabat, vt addat aliud quod similiter imponit ei dicens.

Et fuit impossibile apud ipsum vt motor qui est corpus moueat se, & similiter qui est virtus in corpore, & tunc concluſit Plato ex hoc, quòd anima non est in corpore, & quòd est ęterna, cũ moueat se. Quod Comment. dicit esse distinguẽdum in eo quod cõtinuò subdit. Et hoc esset verum si anima moueret se essentialiter. Vbi aperte innuit hãc distinctionem, quòd mouens se aut mouet se essentialiter aut non essentialiter, & dicendo quòd hoc scilicèt quòd anima non est in corpore esset verum, si anima moueret se essentialiter, dat intelligere, quòd non esset verum si anima moueret se non essentialiter, sed quòd tunc benè posset esse in corpore, & mouere se. Et exponendo quid sit mouere se essentialiter, subdit dicens. Et moueret se motu proprio abstractis scilicèt vt intellectus, & intellectum in ea essent idẽ, vt declaratum est de primo motore, & de ęteris motoribus abstractis, per quod intendit è contra, quòd moueret nõ essentialiter motu non proprio abstractis scilicèt vt intellectus & intellectũ non sint idem, vt intelligat illa sola moueri in se essentialiter, in quibus sunt idem intellectus & intellectum, & illa moueri à se non essentialiter in quibus non sunt idem intellectus & intellectum, & quòd mouens se primo modo abstractum est solùm modò, & non est in corpore nec virtus in corpore, vt sunt secundùm Philosophum omnes motores sęparati, sed mouens secundo modo nõ est abstractum, sed est virtus in corpore, licèt non de corporis potentia educta sicut forma materialis, vt sunt secundùm Philosophum anima & motor cœli coniunctus, vnde, vt iam dictum est, secundùm Commentatorem impossibile est animã esse sine corpore nisi æquiuocè, quod similiter intelligit de motore cœli coniuncto. Ex quo patet, quòd dictum suum de mouentibus se in quib. est idem intellectus & intellectum, impertinens est ad expositionem dictæ propositionis Aristotelis. Impossibile est, quòd illud quod mouet se moueat se secundùm totum. Nec potest dici, quòd Commentator in exponendo illam propositionẽ per hoc quòd dicit, Hoc non est impossibile, nisi in motoribus qui sunt corpora aut virtutes in corpore, intendit quòd illud solum sit possibile in spiritualibus in quibus idem est intellectus & intellectum, immò expressè insinuat secũdùm iam dicta, quòd omnia spiritualia in quib. sunt aliud intellectus intellectio & intellectum, similiter volens volitio & volitum, si qua essent talia, qualia licèt secundùm ipsum, & secundùm Philosophũ nulla erant, sunt tamen talia omnia spiritualia citra vnum Deum existentia, possent mouere se non essentialiter, & quòd nullum esset impossibile, quòd aliquid illorum esset actus corporis, puta anima, non tamen vt virtus corporalis educta de potentia materiæ. Et idem est de motore cœli coniuncto, quod etiam expressè insinuauit iam supra vbi dixit. A motore cœli non mouetur cœlũ &c. & sic intelligit Comment. ꝙ illud sit possibile in omnib. spiritualib. quorum motus dicitur ęquiuocè respectu motus corporis, & in hoc conueniunt. Propter quod subdit Comment in fine dicti commenti. Sed iste motus dicitur ęquiuocè cũ motu qui est à corporib. aut à motoribus qui sunt corpora aut virtutes in corporibus. Constat enim ex prædictis in secunda qõne, ꝙ non solùm dicitur motus ęquiuocè de eo in quo idem est intellectus, & intellectum, volens & volitum, & de corporalibus, sed etiam dicitur ęquiuocè de voluntate in qua est aliud volens, volitio & volitum, & de corporalibus, quamuis etiam, vt dictum est ibidẽ, ęquiuocè multũ dicatur motus, & de motu volũtatis in anima, & de motu Dei. Vnde motus corporum, & voluntatis in hoc conueniunt cõmuniter, sed differunt à motu Dei, ꝙ in Deo idẽ sunt re mouens motum & motus, in voluntate autem sunt idem mouens & motum, à quib. secundùm rem differt motus. In corporib. autem differũt secundùm remouens & motum, & similiter motus ab vtroque. Ad secundùm ꝙ potentiæ rationales ex hoc, ꝙ sunt rationales valent ad opposita dico, ꝙ verum est quando sunt actiuæ purè & in eo ꝙ sunt actiuæ. Vbi n. hoc dicit Aristoteles, loquitur solùm modò de comparatione potentiarum actiuarum rationalium, & non rationalium, sed naturalium, valere autem ad opposita non arguit libertatem nisi in potentijs actiuis, potentiæ n passiuæ quantuncunque valeant ad opposita, libertas tñ ex hoc non potest eis competere, quia non posset eis competere nisi in ordine ad passionem, secundùm ꝙ potentijs actiuis nõ competit libertas nisi in ordine ad actionem, nunc aũt omne patiẽs inquantùm patiens impetu naturali patitur, nec posset non pati prẽsente actiuo, siue illud naturaliter agat siue libero arbitrio, illud aũt repugnat libertati. Vnde multum mirabile est dicere, ꝙ voluntas est virtus passiua, liberè tñ, sicut mirabile esset dicere, ꝙ aliquid esset vis actiua naturalis, liberè tñ. Ex quo prouenit, ꝙ contingens ęqualiter potest inueniri à voluntate fieri pro altera parte, non sic aũt ab agente naturali, dicente Comment. super secundùm Physicorum. Contingens ęqualiter impossibile est, quòd inueniatur ex eo altera duarum actionum nisi ex altera causa adiuncta cũ eo, qm̃ neutra actio est dignior vt sic reliqua, & cũ ista sit actio, non inuenitur ex eo nisi ex alia causa extrinseca coniuncta cum eo. A contingente autem æqualiter nulla actio prouenit secundũ quòd est contingens ęqualiter, quãdo natura eius est natura materiæ, & non natura formæ. Idem super secundùm de anima.

Ad secundum principale.

Nulla potentia actiua potest se habere ad vtrũ libet in respectu contrariorum, immò omnis talis potentia est passiua, & se habet vt materia, qua reducitur ad actum secundùm alterum illo-

illorum ab alio agente siue sit vera materia siue anima. Vnde etiam mirum est, quòd aliqui hoc adducunt ad probandum, quòd voluntas est potentia valens ad contraria, de hoc enim diximus sicut supra, quòd hoc non est impossibile nisi in motoribus qui sunt corpora aut virtutes in corporibus, eo quòd illa non nisi naturaliter agunt. In spiritualibus autem quæ liberè agunt, hoc nequaquàm est impossibile, & ideò in illis æqualiter se habere ad contraria non est nisi ratio materiæ & passiui. In spiritualibus autem benè potest esse ratio formæ & actus. Licèt ergò intellectus æquè rationalis sit, quàm voluntas aut etiam magis, cum tamen non sit actiua potentia, nisi prius passiua nec etiam actiua quo ad exercitium actus etiam in iudicando quod est opus quod magis liberè agit, nisi secundum complacentiam voluntatis secundùm prædicta, ideo non tam liberè valet ad opposita vt voluntas. Sed dicunt quòd si voluntas mouetur liberè hoc cõtingit ipsi quia mouetur secundùm rationem, quia si non moueretur secundùm rationem non moueretur liberè. Dico, q ratio est nomen potẽtię spiritualis distinctæ contra substantias corporales, cõiter in se cõtinens potentiam appetitiuam quæ est voluntas, & potentiam cognitiuam quæ est intellectus, licèt secundùm nominis vsum ratio approprietur intellectui, quæ distinguntur contra potentiam appetitiuam, & cognitiuam in corporalibus, & à ratione communiter dicta, qua ambo & intellectus & voluntas dicuntur rationales, non magis est intellectus rationalis, quàm voluntas, quia sicut intellectus rationaliter siue rationabiliter intelligit sibi & voluntati, sic voluntas rationabiliter vult sibi & intellectui. A ratione autem qua intellectus propriè dicitur ratio, non magis dicitur voluntas rationalis quàm intellectus volitiuus. Sicut enim intellectus non dicitur volitiuus ex hoc, quòd sequitur imperium voluntatis quod non potest non sequi, sic non dicitur voluntas rationalis ex hoc, quòd sequitur iudicium rationis, maximè cum possit ipsum non sequi.

Quòd si ratione aliquo modo dicitur rationalis, hoc est ex accidenti quia eligit sequi rationem, cum posset non sequi, nec tamen sequitur è conuerso, quòd ex accidẽti, quia intellectus sequitur imperium voluntatis, dicatur volitiuus quia, non potest non sequi. Vnde cum voluntas moueatur in finem præsentem, eò quòd non potest non moueri in illum, potius dicitur naturaliter moueri in illum quàm rationabiliter licèt liberè, ita quòd voluntas hoc modo non dicitur propriè rationalis, nisi quia electione liberi arbitrij sequitur rectum iudicium rationis sicut causam sine qua non. Vnde videntur mihi aliqui deficere in eo quod dicunt, quòd libertas voluntatis non est nisi à libertate rationis, quia ratio cadit in definitione voluntatis, & per hoc ex libertate rationis qua iudicat liberè, est libertas in voluntate, & ideò mouetur voluntas liberè secundùm rationẽ. Hoc enim falsum est, quòd ratio cadat in definitione voluntatis, nisi sumendo rationem communiter, vt continet intellectum & voluntatem. Quòd si dicatur quòd cadit saltem in definitione voluntatis liberæ, dico quòd, & hoc falsum est, nisi per accidens inquantùm enim voluntas sequitur rectum iudicium rationis, potest dici voluntas rationalis, & similiter libertas rationalis à ratione quæ propria est intellectui, vt dictum est, non tamen ex hoc siue ex ratione aut libertate iudicij eius est libertas in voluntate. Et sic non dicitur voluntas moueri liberè secundùm rationem quia libertas eius essentialiter est à ratione, sed quia per voluntatis electionem accidit eam sequi rectũ iudicium rationis, propter quod solùm modò definitur liberum arbitrium, quòd sit facultas voluntatis & rationis.

Ad tertium, quòd intellectus est magis liber quia in actu suo minus dependet à voluntate quã è conuerso, dico, quòd licèt hoc verum sit quantum ad determinationem actuum suorum in hoc quòd voluntas requirit actum primum si debeat determinari ad actum suum, & non è conuerso, secundùm quod procedit obiectio, multò magis tamen intellectus quo ad actus sui determinationem dependet ab obiecto voluntatis quàm voluntas ab intellectu, quia intellectus non requirit solum præsentiam obiecti vt eo presente seipsum faciat in actum absque omni passione ab obiecto, sicut voluntas requirit præsentiam actus intellectus, sed etiã requirit vt patiatur ab obiecto prius quàm poterit aliquem actum intelligendi elicere, qualiter nequaquàm requirit voluntas pati ab intellectu primo secundùm suum actum, prout aliàs sæpius hoc declarauimus exponendo quomodo voluntas non dependet ab intellectu nisi sicut ex causa sine qua non. Intellectus autem dependet ab obiecto sicut ex causa propter quam, sic, & hoc de intellectu speculatiuo. Specialiter autem intellectus practicus nec determinationẽ sui actus habet, nisi à motu voluntatis, quia bonum nõ est obiectum intellectus vt practicus est inquantùm est bonum simpliciter, sed solùm inquantùm est bonum volitum, aliàs enim qualitercunq; intellectus intelligat bonum etiam sub ratione boni, non intelligit illud nisi vt ipse est speculatiuus. Sed si intellectus speculatiuus intelligens primo bonum sub ratione boni simpliciter intelligat postmodum ipsum sub ratione boni voliti, per quod de proximò habet rationem operabilis, tunc primò intellectus speculatiuus extensione quadam factus est practicus.

Ad secundum principale.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem Quintam, quæ est,

Vtrum intellectus, & voluntas ambo sint æquè liberi, supponendo, quòd ambo sint liberi.

IN titulo not. quòd nemo negauit libertatem ab intellectu, quando tanta sit diffusio libertatis, quod omne ens habet aliquam libertatem. Deus enim cum sit summa libertas, sicût ab entibus omnibus creatis participatur in esse, ita & in libertate, sed tamen sicut omnibus à primo ente Deo datum est esse, his quidem clarius, his aũt obscurius, ita & à summa libertate data est omnibus libertas, his quidem clarius, his autem obscurius.

In corpore est conclusio, quòd libertas est liberior. Sed ante omnia not. quòd distinctio est inter libertatem, & liberũ arbitrium, quippè & vt modo diximus libertas videtur communis omnibus, liberum arbitrium autem nequaquàm. Est autem libero arbitrio præditum, qui ex sẽ potest ad oppositа. quod autem habet libertatem, habet tantùm facultatem ad operari bonum.

Probatur autem conclusio sic ex Auctoris mente. Quod cum pluribus differentijs aliquid superaddentibus ad libertatem, habet libertatem, liberius est eo, quod eandem habet cum paucioribus. Sed voluntas est huiusmodi respectu intellectus. Igitur.

Maior nota est, Vt tamen eam intelligas, considera quomodo nobiliora semper sunt pluribus prædita differentijs. Vnde si compares corpus ad hominem, si substantiam ad Angelum, videbis, quòd corpus respectu hominis paucas habet prorsus differentias. Est enim vel animatum, vel inanimatum, homo verò & corpus est animatum, & animal, & rationale, & risibile, & sic de alijs.

Minor verò probatur ex completa diffinitione libertatis includente septem differentias vbi libertas intellectus deficit ab vltima. Est autem completa diffinitio hæc quòd libertas est facultas, quæ potest operari bonum tantùm sibi, absque indigentia alterius, quia ex principio intraneo, & etiam vltraneo, atque non ab alio impulsa ad operandum, vel ab opere desistendum. Nunc autem vltima differentia non conuenit intellectui, quia impellitur à voluntate, & retrahitur etiam ab eadem. Voluntas verò à nullo retrahitur.

Not. autem quòd in data diffinitione omnes illæ differentiæ probantur in litera. Vt prima, qua dicitur, quòd est facultas ad operandum. patet expressè, quia quod operari non potest, non est liberum, vt manifestum est, sed prorsus impeditum. Secunda differentia, quæ est, quòd est ad operandum bonum, probatur ex Anselmo in litera; & tertia pariter, quæ est significata per ly tantum, quia scilicèt non ad non operandum, probatur ex eodem Anselmo, quarta item, per ly sibi delignata, probatur ex Auicen. Auerr. & Ciceron. Quinta autem, scilicèt absque indigentia &c. probatur ex eisdem, & Apost. & Hieronymo, exemplis scilicèt, quæ ab illis inducuntur. Immo & probatur ex Philosoph. ex quò colligitur & sexta, quæ addit, ad impetum naturæ. Et hucusque, scilicet ad sextam terminatur libertas intellectus, vltra quam additur septima ad voluntatem, quam confirmat ex Philosopho, & Cicerone, Deinde confirmat conclusionem ex vltimo argumento in fronte quæstionis adducto.

Not. quòd etiam obiectioni respondet in corpore, quòd ex eo, quòd voluntas non fertur in incognitum, videtur sequi in sua libertate ipsum intellectum, & ideò intellectum esse liberiorem. Ergò intellectus magis liberi arbitrij capax esset. Sed dicitur. Quòd ad liberum arbitrium duo concurrunt. Iudicium, & electio, sed iudicium est causa, sine qua non. Electio propter quam sic. Atque ideò principalius liberum arbitrium competit voluntati. Propositio enim illa. Propter quod vnum quodque tale, & illud magis, non verificatur in causa sine qua non, sed in causa pp quam sic.

Not. quod si quidam eliciunt ex D. Thoma quod libertas sit dominium sui actus ad opposita, atque ad eadem potestas, ex per hoc est contra tertiam differentiam assignatam à Doctore nostro, hoc verè nihil est, quoniam D. Thomas ibi, vbi hoc eliciunt, scilicèt par. 1. quæst. 83. art. 3. & 4. loquitur de libero arbitrio, & id de libero arbitrio dicit, quemadmodum etiam loquitur Petrus Apostolus, non quasi velamen habentes malitiæ libertatem. Et August. de correctione, & gratia, cum dicit. Prima libertas voluntatis erat posse peccare, & alij sapientes dum sumunt sic libertatem ad malum, semper intelligendi sunt, quòd loquantur de libertate sumpta pro libero arbitrio.

Not. quòd contra conclusionem principalem est præcipuè Durandus, probans intellectum liberiorem esse ipsa volunta-te, & Durandum sequuntur alij pariter nonnulli.

Primò quòd æquè liber sit, arguit Durandus, in 2. Sententiarum distinctio. 24. quæstio. 3. Intellectus à nullo cogitur, ergò liber. Patet antecedens, quia si intellectus cogeretur, vtique eius intelligere non esset secundum naturalem inclinationem intellectus, quod est falsum.

Secundò, si non esset liber sicut voluntas, non esset aptus ad omne intelligere, sed ita ad vnum determinatus, quòd non ad alterũm, quod est falsum.

Tertiò, quòd sit liberior voluntate. Intellectus per prius habet facultatem ad oppositа, quam voluntas, ergò per prius est liber, patet consequentia. Antecedens verò probatur, quia facultas ad oppositа contingit ex notitia, quam habemus de contingenti connexione aliquorum volibilium ad per se, necessarièque volibilia, sed hæc conueniunt intellectui. Ergò &c.

Quartò, Primus actus, qui est in nostra potestate est iudicium conclusiuum alicuius eligendi, sed hoc pertinet ad intellectum, ergò & cęt.

Quintò, alij arguunt. Intellectus est principium cognoscendi, ergò & libertatis, ergò liber magis, &c.

Sextò, Facultas libera est cognitiua, apta ad dominandum iudicio, & ratione, & efficiens, & altruit. Intellectus autem est huiusmodi, non autem appetitus, cuius non est cognoscere, sed cognita exequi, dirigi, contrahi, determinarique ab alio.

Arguunt & alij, vt videre est apud Soncinatem. Sed ex horum solutione alijs quoq; difficilè non est respondere.

Ad euidentiam ergò totius huius negotij, sciendum, quòd vt dictum est, ex Auctore libertas in vtrisque est, scilicèt tùm in voluntate, cùm etiam in intellectu, sed cum fit comparatio quòd nam sit liberius, profecto fieri potest diuersimodè, iuxta diuersum modum essendi libertatem in vtrisque.

Est enim in intellectu libertas tanquàm in dirigente, in voluntate verò potius in exequente, quo fit vt in intellectu conspiciatur libertatis radix, & actionis, sed in voluntate potius vsus eius. Et si dicere veritatem fas est, in intellectu est potius in virtute, at in voluntate magis cum forma sua apparente, vt magis etiam sit quo ad nos, quatenus est magis proximum agendi principium. cum contra in intellectu primò quidem sit quo ad naturam. Et verum est, quod assumunt in ratione, libertatem esse, quia non determinatur ad vnum, quod ei offertur.

Quippè

Quippè de appositis ratiocinari possit, sed & voluntas opposita potest in electione, sed dum comparatur hac consideratione, tunc profectò comparatio esset non minus æquiuoca, ac illa fuerit, vtrum magis cognoscatur Deus, quàm dil gat: comparationem idcirco propriam aggrediens Auctor, accipit vltimam differentiam diffinitionis libertatis, eamque esse manifestatos voluntati, non intellectui; concluſit, quòd perfectius inest libertas voluntati, quàm intellectui, & ideò hoc est illud, quod probandum esset, inesse contra magis intellectui, & minus voluntati.

Ad primum propterea argumentum conceditur, quòd intellectus à nullo cogatur, inde que qd liber sit, at non propterea sequitur q sit æquè liber, vel magis quàm voluntas. Immò si intendat ex hoc medio id colligere, sciat quòd necesse ipsi erit argumentari ex duobus affi matiuis in secunda figura, & erit argumentum. Intellectus à nullo cogitur, voluntas à nullo cogitur: ergò æquè sunt liberi, quia quod non cogitur liber est. Sed consequentia minimè sequitur.

Ad secundum conceditur, quòd in hoc intellectus est æquè liber, sed non sequitur absolutè est æquè liber. Nam adhuc remanet vltima differentia perficiens adhuc libertatem. vnde verum est, quòd intellectus non determinatur ad hoc, sed ad hoc, & illud &c. sed vt dicit Auctor aliter, quòd potest retrahi à voluntate, & amplius ab obiecto mouetur, tanquam à causa propter quam sic: non autem voluntas, quæ nec mouetur ab intellectu, nec ab obiecto, nisi tanquam à causa sine qua non.

Ad tertium, adhuc dicimus non euacuari vltimam differentiam, per quam liberior est ipsa voluntas. Quia esto, quòd prius habeat facultatem ad opposita, non sequitur tamen quod sit liberior, quantùm ad vltimam differentiam libertatis, præter id, quòd si primò id illi inest, profectò inest primò quo ad naturam: in voluntate autem inest primò quo ad nos, vnde & quo ad nos, hæc ipsa liberior, sed principaliter liberior est, quia à nullo mouetur, tanquam à causa, propter quam sic, sicut intellectus, vt dictum est.

Ad quartum dicimus, quòd illud argumentum arguit radicem libertatis esse in intellectu, directionem que ad liberratem, sed non vndequaque perfectam libertatem. Et quòd natura primò misit libertas quantum inesse potest, & in eo, in quo æqualiter inest vtrique libertas, non tamen absolutè sequitur; quòd ratio sit liberior, nimirum adhuc non euacuatur vltima libertatis perfectio, atque differentia.

Ad quintum similiter dicimus, quòd arguit radicem libertatis, atque naturæ prioritatem: negatur tamen quòd absolutè sit principium libertatis. Et pro notitia sciendum, quòd in tantùm intellectus est libertatis principium, in quantùm cognitio est necessaria libertati: cognitio autem non videtur necessaria vltimæ d fferentiæ, quia supponitur voluntatem à quantuncunque cognito obiecto non moueri tanquàm à causa, propter quam sic, quemadmodum visum est, & in nono quolib. & in præsenti; vnde cognitio non est principium libertatis in voluntate tanquàm causa, propter quam sit, sed potius tanquàm causa, sine qua non, vt dictum est.

Ad sextum, quòd dicitur de intellectu concedimus, secundùm quod dictum est in superiori responsione. Quod verò dicitur de appetitu, negamus de rationali, concedimus de appetitu in communi. Quantum enim spectat ad appetitum rationalem, dicimus, quòd à nullo determinatur tanquam à causa, propter quam sic, licèt determine ur tanquam à causa, sine qua non, quod nihil refert. vide Soncinatem 2. Sen tent. dist. 24. vide & Franc. Piccolom. gradu secundo.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum esse quidditatiuum sit ab intellectu possibili per actum intelligendi.

SEQVVNTVR quædam pertinentia ad substantiam spiritualem corpori coniunctam specialiter, cuiusmodi est anima humana. Vbi quærebatur primò vnum quod pertinet ad ipsam animã principaliter, deinde quærebantur plura alia pertinentia principaliter ad coniunctum ex corpore & anima, sed per animam. Illud vnum erat, vtrum esse quidditatiuum sit ab intellectu possibili per actum intelligendi.

Arg. princ. Et arguitur quòd non, quia intellectum, & intellectus sunt relatiua, quorum secundùm Philosophum in prædicamentis neutrum est causa alterius vt fit, esse quidditatiuum est obiectum intellectus ab eò intellectum, ergò &c.

In oppos. Contra. omne quidditatiuum est vniuersale, quia est definitiua ratio vniuersalis, & conuertibile cum ipso, sed vniuersale est ab operatione intellectus, quia super illud primi de anima, Vniuersale aut nihil est aut posterius est, dicit Commentator, quòd intellectus operatur vniuersale in rebus.

Responsio. Dico, quòd duplex est actio intellectus possibilis. Vna qua intelligit prima intelligentia, & simplici, ad quam determinatur per obiectum. Alia verò est eius actio secunda, qua se exercet, & discurrit ab vno in alterum diuidendo congregando & conferendo.

Et dico, quòd loquendo de primo actu intelligẽdi nequaquàm esse quidditatiuum est ab intellectu possibili per eius actum, aut etiam vniuersale intellectum quod est eius proprium obiectum immò è conuersò ipse intellectus possibilis quo ad talẽ actum habet esse ab ipso vniuersali quod formatum est in phantasia per sequestrationem conditionum particularium lumine intellectus agentis, secundùm modum pluries à me expositum.

Ab vniuersali enim sic existente in phantasmate primò immutatur intellectus, & determinatur ad primam intellectionem confusam simplicissimam. Loquendo verò de secundo actu intelligendi, dico, quòd ab ipso habent esse vniuersale, & quod quid est. Licèt ei quòd quid est sit vniuersale quia est ratio definitiua vniuersalis propriè dicti & conuertibilis cum ipso, sicut dictum est opponendo, differunt tamen propriè loquendo, quia ipsum commune esse definibile per genus & differentias, vt consideratur sub

ratione

ratione confusi, & indistincti secundùm partes quæ cadere debent in definitiua ratione, sic proprièdicitur vniuersale, & dicitur esse eius quidditatiuum esse definitum continens ipsum distinctum secundùm partes, vt homo animal rationale, & habet ipsum vniuersale esse ab actu intelligendi intellectus possibilis per abstractionẽ eius à singularibus intellectis in phantasmate ab hoc, & ab isto abstrahendo, & intelligendo hominem simpliciter, non cointelligendo hoc, & illud. Et de tali vniuersali verum est, quòd ipsum posterius est, vt dicit secunda ratio, & ab opere intellectus, quæ secundùm hoc concedenda est.

Similiter dico, quòd esse quidditatiuum habet esse ab intellectu diuidendo, & cõgregando. Cum enim intellectus operatus fuerit vniuersale, quod est primum in ipsa cognitione confusa: intellectus primò cõcipit in eo genus supremum sub ratione maximè confusi, & secundùm artem definitiuam primò diuidit illud genus per duas differentias, & illam, quæ conuenit vniuersali definibili aggregat ad genus, & subdiuidit aggregatum, semper addendo differentiam conuenientem vniuersali quousque habeatur conuertibile, & illud appellatur quod quid est, & definitiua ratio, & est opus intelligentiæ simplicis, quod cum formatum fuerit ab intellectu per vltimam differentiam aggregatam præcedenti, tanquàm vniuersale distinctum, & determinatum per partes mouet intellectum possibilem tãquam eius obiectum, & format in eo intellectionem declaratiuam, quæ intellectio appellatur verbum de eo, quod quid est. Propter quod Augustinus etiam quod quid est dere appellat verbum eius, & sic ipsum quod quid est ab intellectu simplicis intelligentiæ formarum causat intellectum. & informat ipsum quo ad intellectionem declaratiuam determinatam.

Ad primam rationem, quòd intellectus & intellectum sunt relatiua &c. Dico, quòd hæc ratio est transcendens, & habet locum in omnibus relatiuis quæ inquantùm sunt relatiua vnum non habet esse nisi in ordine ad alterum, & per alterum: tamen in creaturis cõsiderando id quod est in eis vnum benè habet esse sine altero, vt filius sine patre, & sic cõtingit in proposito, vt patet ex dictis.

Comment. in Quæstionem Sextam, quæ est,

Vtrum esse quidditatiuum sit ab intellectu possibili per actum intelligendi.

IN titulo nota quadruplex esse. Esse essentiæ, esse existentiæ, esse subsistentiæ, & esse propottionale. vbi tria se consequuntur, non tamen secundum subsistendi consequentiam: quartum verò non habet communicationẽ cum illis, quia videtur hoc esse ens rationis. Importat enim compositionem prædicati cum subiecto: cætera autem ita se habent, quod tertium præsupponit secũdum, & secundum præsupponit primum: Et profectò si esse quidditatiuum habet aliquam conformitatem cum aliquo istorum esse, habet cum primo, quod est esse essentiæ, de quo propterea videtur quæstio: Cæterum illud rectè considerandum est, quòd esse essentiæ partim quidem excedere videtur propriè esse quidditatiuum, & partim cum ipso æquari: si enim esse quidditatiuum accipiatur obiectiuè, tunc cum esse essentiæ re vera conuertitur, quod si accipiatur formaliter potius excedit. Et hoc quidem comprehenditur dum transfertur hoc ad ipsum vniuersale. Esse enim quidditatiuum est vniuersale, & etiam obiectum intellectus est vniuersale, sed hoc propriè adæquat esse essentiæ. Exceditur verò ab vniuersali quidditatiuo, quia vltra ad esse obiectiuum includere videtur actum intellectus, ex cuius distinctione in duo membra quæstionem resoluit.

In corpore igitur transfertur esse quidditatiuum ad vniuersale, & distinguitur de actu intelligẽdi circa hoc vniuersale, & duabus conclusionibus satisfit quæsito.

Distinctio est, quòd actus intellectus vel est, quo intelligentia simplici intelligit', & prima, ad quam determinatur per obiectum, vel est, quo se exercet, & discurrit ab vno in alterum, diuidendo, congregando, & conferendo.

Si primo modo, tunc est Prima conclusio, scilicet. Esse quidditatiuum non est ab actu intelligendi.

Si secundo modo, est secunda conclusio. Quòd esse quidditatiuum est ab actu intelligendi.

Pro notitia distinctionis huius, atq; totius huius quæstionis. Sciendum est, quòd obiectum intellectus re vera est ens: & non quidem particulare, quoniam particularia sunt obiecta sensus: non autem intellectus. Nulla autem potentia est, quæ faciat suum obiectum esse, ita quod si non sit illa potentia, nec obiectum sit: hoc enim absurdum esset dicere. Hinc manifestat Aristoteles in prædicamento relationis, quòd sensus & sensibile, scientia atque scibile non se mutuo conuertuntur: cum autem hoc verum sit, cum obiectum intellectus sit ens, & quidem vniuersale, videtur apertè quòd quatenus obiectum nullo pacto pendet ab intellectu in ratione sua essendi absoluta, tametsi dependeat in ratione respectiua, quæ tamen ratio non tollit vniuersalitatem, sed tunc sola remanet difficultas, vtrum hoc vniuersale sit esse quidditatiuum, ad cuius rei euidentiam, sciendum est, quod propriè esse quidditatiuum est esse diffinitiuum, esse diffinitiuum non potest esse nisi vniuersale, nimirum & hoc esse sit vniuersale, quia ex vniuersalibus, vt ex genere, ac differentia, quæ vniuersalia sunt.

Hoc autem esse quidditatiuum, siue diffinitiuum non est diuersum quid omnino ab illo esse, ac vniuersali, quod est obiectiu intellectus, & non est tamen quid cum ipso conuertibile, unde est idem profectò fundamento, sed non est idem ex additione. Fundamentum est quid reale, additio uerò quid rationis. Quo fit ut realiter sint idem uniuersale quidditatiuũ, & uniuersale obiectiuum; formaliter uerò diuersa ex additione, si quidem idem obiectum efficitur alterum formaliter à seipso: uidenda est autem hæc additio.

Sciendum igitur quod triplex in uniuersum uidetur hæc additio. Prima est congregatio, secunda diuisio, tertia collatio. Pro cuius rei intelligentia, esto quod diffinire oporteat hominem, necesse quidem est accipere quoddam uniuersale, quod non est nisi de ratione obiecti intellectus, sed utique non rectè id fieri posse, nisi trina illa operatione, unde primò ex particularibus, si tamen licèt etiam species particularia uocare, colligit intellectus congregando uniuersale, scilicet genus. Nempè animal: hoc autem accepto, cum non sit sufficiens ad hominem diffiniendum, superaddit diuisionem per differen-

tias

tias oppositas, rationale, & irrationale. Quo facto, ad tertiam se confert operationem, conferens & genas illud, & alteriã differentiarum, scilicet rationale ipsi homini, colligendo, quòd homo sit animal rationale. In hoc quod dicitur animal rationale duo includuntur, ut patet.

Primum est res ipsa, secundum est triplex illud opus, res ipsa est illud esse essentiale, quod etiam est obiectum intellectus, quod nullo pacto dependet ab opere intellectus. Triplex illud opus est trina illa additio, quæ est opus intellectus, unde esse quidditatiuum, siue uniuersale huiusmodi tùm dicitur pendere ab intellectu, cùm etiam nequaquàm dependere. Et ex his faciliter satis credimus declaratam Auctoris sententiam, omnemque etiam difficultatem.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum soli duodecim Apostoli cum Christo in die iudicij iudicabunt mundum.

SEQVVNTVR pertinentia principaliter ad coniunctum in homine ex corpore & anima. Et erat vnicum pertinens ad statum distributionis pœnarum & præmiorum in futuro, & alia plura pertinentia ad statum meriti, & demeriti in præsenti. Illud vnicum erat, Vtrum soli duodecim Apostoli cum Christo in die iudicij iudicabunt mundum.

Arg. prim. Et arguitur, quòd sic, quia illis solis dixit Christus verbum illud, quo iudicandi auctoritatem promisit quando dixit Matth. 19. Amen dico vobis, vos qui secuti estis me, & reliquistis omnia, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel, &c.

In oppos. primum. In contrarium est Augustinus super illud Psal. 49. In circuitu eius tempestas valida, vbi exponens illud Matth. 19. Amen dico vobis &c. quærit sic. Duodecim Apostoli sedebunt non amplius, vbi ergò est Apostolus Paulus, nunquàm inde separatus est? Manifestat quidem scriptura, quòd in loco Iudæ sit ordinatus Matthias: cadente ergò Iuda impletus est numerus duodenarius. Quod interponit Augustinus nè dicatur obtinere sedẽ promissam Iudæ, & hoc supposito sequitur, & quærit. Cum ergo iste numerus duodenarius occupauerit duodecim sedes, non iudicabit Paulus Apostolus? an fortè stans iudicabit? quasi diceret, nequaquam, quia minoris auctoritatis est iudicare stando, quàm sedendo: Paulus autem non iudicabit minori auctoritate, quàm alij, & hoc est quod subdit dicens. Non est ita. Non enim stans iudicabit, qui alijs plus laborauit: sedens ergò iudicabit: ergò &c.

Secũdum. Item, qui eiusdem gradus sunt in statu meriti, eiusdem gradus erunt in statu præmij, dum tamẽ cætera sunt æqualia, quia præmium secundùm æqualitatem respondebit merito, sed prælati maiores vt Episcopi & minores vt curati eiusdem gradus sunt in statu meriti in præsenti cum Apostolis, & discipulis Christi; ergò Episcopi si merita eis suffragantur in eodẽ gradu erunt præmij cum Apostolis, sed iudiciaria potestas in futuro pertinebit ad præmium: ergò &c.

Tertium. Item Grego. dicit 10. Moral. in fine, Si quis stimulo diuini amoris excitatus hic possessiones reliquerit, illic proculdubio culmen iudiciariæ potestatis obtiuebit, vt simul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc consideratione iudicis sese spontanea paupertate castigat.

Resolut. Dico, quòd motiuum huius quæstionis ab initio erat perfectio Pauli Apostoli, & determinatio duodecim sediũ duodecim Apostolis, prout procedit prima ratio, de quorum numero non erat Paulus, vt procedit secũda ratio. Hinc dicit Augustinus super locum iam dictum insinuãdo dissolutionem quæstionis. Certè iste vnus Apostolus Paulus cogit nos diligentius cogitare, & perscrutari, quare dictæ sunt duodecim sedes, & inuestigato, q per ministeriũ dictæ sunt 12. dissoluit quæstionem subdens. Sed in duodecim sedibus non duodecim homines, sed magnus est perfectorum numerus, quid sibi volunt sedes? quid significant? omnes vndique qui perfecti esse potuerint, quia perfectis dictum est, sedebitis super sedes duodecim: ipsum vndique quod dicimus de toto mundo. Quod probat per Paulum de se, & de alijs per ipsum subdens. Apostolus Paulus cum argueret fideles laicos, quòd iudicia sua ad ecclesiam non deferrent, sed ad publicum trahebant quæcunque habebant negotia, ait, Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? Videte quẽadmodum iudicem se fecit, non solum se, sed & omnes qui rectè iudicant in ecclesia. Sic ergò ex præcedenti dicto Aug videlicet illo. In duodecim sedibus non duodecim homines &c.

Responsio. Dico, quòd non solũ duodecim, aut tredecim Apostoli connumerando Paulum cum alijs duodecim, cũ Christo iudices erunt, sed omnes perfecti inuenti cuiuscunque status fuerint, vel conditionis. Vnde Gregor. 10 lib. Moral. Neq; enim plus quàm duodecim iudices illa curia non habebit, sed nimirũ in duodenario numero quantitas vniuersitatis exprimitur, quia si quis stimulo &c. vt iam dictum est in vltima ratione: Ex alio verò dicto, Pauli videlicet, de quo dicit Augustin. Apostolus cum argueret, &c. coniecto, q Paulus, quia in futuro iudicem se futurum asseruit, & Augustinus cæteros ex dicto Pauli, non pro quocunque opere perfectionis, sed pro opere iudiciario, quo iustitia exercetur in præsenti, vt quamuis omnes perfecti tunc iudices erunt: hoc tamen erit præcipuè ratione iudiciariæ potestatis, quàm perfecti hic in operibus iustitiæ erga semetipsos, aut

etiam

etiã alios exercent, vt qui ibi iudices fieri cupiunt hic iudicium, & iustitiam circa se, & alios exercere festinent, iuxta prædictam Pauli instructionem, qua per illos qui iudices expectantur in futuro, in presenti exerceri constituit, concludens quòd qui tunc iudicabunt, in præsenti debent homines iudicare. Ex quo etiam dicto Pauli & adiuncto August. vlterius colligo non solùm quòd qui hic exercent iudicium, & iustitiam eadem debent exercere in futuro, sed etiam quòd qui hic superiora iudicia, & excellentius iustitiã exercent illic superiores iudices erunt, ita quòd quantò sunt superiora iudicia, & excellentiores iustitiæ quæ prælati exercent non tàm circa se quàm circa alios, quàm quæ quæcunque personæ priuatæ contemplatiuæ aut actiuæ quæ exercent circa seipsas solas tantò ceteris paribus prout ad status suos pertinent superiores in futuro iudices erunt. Vnde iudicium in futuro priuatarum personarum meritur Gregor. secundùm iudicium & iustitiam quæ exercent circa seipsos in præsenti, dicens lib. 26. Moral. super illud Iob Iudicium pauperibus tribuit, & reges in solio collocat. Sancti viri reges vocantur, quia prælati cunctis motibus carnis modò luxuriæ appetitum frenant, modò æstus auaritiæ temperant, & sic de cæteris vitijs, & sequitur. Reges ergò sunt quia tentationum suarum motibus non consentiendo succumbere, sed regendo præesse nouerunt. Ab hac potestate regis ad potestatem transeunt retributionis, semetipsos regendo ad tempus fatigati sunt, sed in regni erectione solio in perpetuò collocantur, eo illic accipiunt alios digne iudicare, quo hic nesciunt semetipsis nequiter parcere. Hinc dicitur. Dònec iustitia conuertatur in iudicium. Iustitia in iudicium conuertitur, quia hi qui nunc iustè, & irreprehensibiliter viuunt, tunc iudiciariam potestatẽ nanciscuntur, & ibidem super illud Iob. Causam iudicium que recipies, dicit sic. Causam iudicium que recipient, quia ex ea iustitia qua modo viuunt, tunc in culmine iudiciariæ potestatis enitescunt, vt tantò tunc potentius cuncta iudicent quantò nunc potentius iudicantur. De iudicio verò publico prælatorum dicit libro 11. Sancta ecclesia non solum tunc de iniquis iudicat cum vltimi iudicij dies aduenerit, sed nunc etiam de cunctis prauè agentib. vel stultè sentientibus iudicare non cessat.

Quod ergò arguitur primo, quòd solum dictum est duodecim Apostolis, sedebitis super sedes duodecim iudicantes duodecim trib. Israel, Dico, quòd hoc quod illis dixit in verbo isto, ibi illis omnibus perfectis dixit, sicut quod dixit de iudicandis duodecim tribus Israel, in illis dixit de imperfectis omnium nationum, dicente Aug. vbi supra. Sicut enim iudicaturi ex toto mundo, sic & iudicandi ex toto mundo. Alia tria argumenta concedenda sunt secundùm iam dicta.

Ad arg. principale

Comment. in Quæstionem Septimam, quæ est,

Vtrum soli duodecim Apostoli cum Christo in die iudicij iudicabunt mundum.

AN titulo est dubium circa suppositum. Videtur enim quod Apostoli ipsi quoque non iudicabunt, vel si iudicabunt explanandum est quomodo. Dubium illud est, quoniam tùm Ioannis quinto, cum etiam Danielis septimo. Solus filius Dei iudex erit. Ibi enim habetur. Quod Pater omne iudicium dedit Filio. Præterid, quod alibi habetur. Quod ipse constitutus est iudex viuorum, & mortuorum. Et de seipso loquens manifestare illud dicturum. Ite maledicti in ignum æternum &c. Danielis autem septimo. Legitur. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Et infra. Aspiciebam in visione noctis; & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit. Et paulo post. Et dedit ei potestatem, honorem, & regnum. Hæc, & alia, manifestare videntur quomodo solus Christus sessurus in iudicio sit ad iudicandum.

Cæterum notandum est ex Richardo in 4. Sentent. dist. 47. q. 7. artic. 1. Iudicium accipi potest tùm ex ordinaria potestate, cùm etiam ex delegata, & amplius accessoria dignitate. Si primo modo accipiamus iudicium, certè nec Apostolis, nec reliquis Sanctis, nec ipsi Christo conuenit, sed potius toti Sanctissimæ Trinitati. Si secundo modo, tunc profecto solus Christus iudicabit ex delegata potestate. Quod si demum tertio accipiamus iudicium, vtique & ipsi Apostoli iudicabunt, & profecto ne dum ipsi, sed & omnes perfecti, cunctique Sanctorum. Secundùm illud Iob. Iudicium pauperibus tribuit. Et hanc pariter sententiam habet D. Thom. ibidem. Et sic intelligendum est suppositum, immo & conclusio, quam habet Auctor in corpore.

In corpore enim ostenso vbi sit a sit difficultas, tandem colligit pro conclusione, quod nè dum duodecim Apostoli, sed & Paulus, Sanctique omnes iudicabunt. Quod comprobat ex dictis ipsius Pauli Apost. atque S. Gregorij, & Augustini. Cætera autem clara videntur. Vide Sotum diligentissimè pertractantem hanc quæstionem tametsi sub alio titulo, in quarto distinctio. 47. artic. 2. quæstio. prima.

QVÆSTIO

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum quisque subditus teneatur statuta seruare, licèt non sit euidens, quòd ad communem vtilitatem expediant.

SEQVVNTVR pertinentia specialiter ad statum meriti, & demeriti hominum in præsenti. Vbi primò quærebatur de agibilibus, in quibus cadunt meritum, & demeritum. Deinde de demerito in quibusdam peccatis commisso. Tertiò de quibusdam pœnis pro demerito peccati.

Circa primum primò quærebantur duo circa statuta superiorum: deinde quærebatur alia duo circa propria facta priuatarum personarum.

Quorum primum erat de statutis positis in illis, quæ sunt ad communem vtilitatem, qualia re. Vera ipsi statuere possunt, Vtrum quisquo subditus statuta teneatur seruare, licèt non sit euidẽs, quòd ad communem vtilitatem expediant; Secundùm erat de interdictis. Vtrum interdicta generalia in prouincijs, ciuitatibus, aut ecclesijs sint licita. Tertium erat, Vtrum subditus cognoscens, quòd prælatus suus ex rancore ipsum punire intendit, debeat ei obedire. Quartum erat, Vtrũ is cui sufficienter prouisum est vnde secundum statum suum possit sustentari, teneatur receptum in eleemosynam titulo paupertatis restituere largitori.

Arg prime. Circa primum istorum arguitur, quòd subditi tenentur seruare statutum superioris in eis, quæ sunt ad communem vtilitatem, licèt non sit euidens, sic: qua ratione tenentur seruare vnum ex talibus statutis, eadem ratione, & quodlibet aliud. Aut ergò nullum talium tenentur seruare, aut quodlibet. Non nullum · ergo quodlibet.

Secundum. Item talia statuta sunt opera virtutis. In operibus autem virtutis subditi tenentur obedire superiori: ergo &c.

In oppos. primum. Contra. Subditi non tenentur obedire superiori in eis, quæ non pertinent ad speciale votum eorom, nisi sint de necessitate salutis, quia aliter nulla esset differentia obligationis ad ista, quæ cadunt sub voto, & ad quæcunque alia, quæ non cadunt sub voto: talia autem statuta non pertinẽt ad aliquod speciale votum subditorum, nec sunt de necessitate salutis: ergo &c.

Secũdum. Item si ad talia statuta obseruanda tenerentur, cum soluere decimam omnium bonorum de ratione talium statutorum sit, possent ergo principes statuere super laicos, quòd soluerent eis decimam omnium bonorum suorũ, & illi tenerentur, sicut Dominus Papa hoc statuit super clericos soluentes decimas: hoc autem videtur inconueniens & graue: ergò &c.

Tertium. Item si talix possent statuere, tunc per superiorum statuta laicis auferretur potestas disponendi de rebus suis pro voluntate, quod similiter videtur iuconueniens: ergò &c.

Responsio. Dico, quòd finis superiorum Principum, vel prælatorum debet esse pax, & salus Reipubl qui etiam debet esse finis singulorum subditorũ inquantùm sunt partes communitatis, quem etiam tenentur intendere vna cum Principe, vt illum, in quo cõsistit bonum Principis, & cuiuslibet etiam de communitate, ad quem tenetur & Princeps, & quilibet de communitate referre bonum proprium, & omnem suam actionem, cũ opus fuerit. Vt enim dicit Philosophus in primo Ethic. Amabile vni soli bonum: melius & diuinius genti, & ciuitatibus. Et Tullius in Oratione populari ad Senatum. Sic ab initio fui animatus, vt non magis me mea causa putarem esse natũ, quàm Reipublicæ procreatum: nihil duri, nihil acerbi mihi erit, quod Rempublicam tutabitur. Nec enim mors miseranda est, quæ ob rem publicam capitur: nec exercitium turpe est, quod virtute suscipitur.

Nunc autem quia finis imponit necessitatem eis, quæ sunt ad finem: si ergo tenentur intendere finem illum, etiam tenentur intendere ea, quę sunt ad finem illum, & operam exhibere, vt in finem ordinentur. Quare cum Principis, vel superiorum sit super talibus ordinare quæ, qualia, quando, & quomodo sunt necessaria ad illum finem secundum scientiam architectonicam, de qua dicit Philosophus in princip. Ethicorum, Quos debitum esse disciplinarum in ciuitatibus, & quales vnunquodque addiscere, & vsquequo hoc præordinat; Idcirco ergò dico, quòd quilibet subditus tenetur obedire statutis editis à superioribus super necessarijs ad hunc finem, aut ad aliquid eorum sine quo finis ipse adipisci non potest, aut non commodè, etiã si non sit euidens cuilibet, quòd statutum illud sit necessarium ad finem, vel ad aliquid ordinatorũ ad ipsum, & hoc, quia Princeps, eò quòd omnium virtutum claritate debet esse perspicuus super cæteros, qui sunt in communitate, vt in ipso sit quodammodo bonum totius communitatis, & eius bonum sit bonum vniuscuiusque de ciuitate, à quo debet venire bonum super vnunquenque de communitate, dicente Tullio in Oratione populari ad Iulium Cæsarem. Illam tuam vocem Satis diu vixi, inuitus audiui: satis fortasse naturæ, at quod maximum est patriæ parum, tibi satis te vixisse, credo, sed audirem si tibi soli viueres, aut si tibi soli etiam natus esses omnium salutem ciuium cunctamque Rempub. res tuæ complexæ sunt. Et sic communiter sumendo vtilitatẽ Princeps

ceps vtilis est omnibus de communitate, & secundùm Auicennam primo Metaphys. dicitur effluxio vel profectus vel dominatio vel procuratio. E contra autem subditi sunt vtiles principi vtilitate quæ est penè seruitus, qua nequaquàm princeps ordinatur ad alium sicut neque liber homo vt habitum est supra in quæstione de libertate voluntatis & intellectus, licèt liber homo communiter loquendo vtilis sit alijs.

Propter quod subditi debent tenere superiorũ statuta in prædictis, etiam si ignorent, quòd aut quomodo vergant in communem vtilitatem propter dubium de hoc, quia ex confidentia de prudentia ac bonitate principis ac suorum consiliariorum debent ei in hoc credere & supponere quòd talia sint, quòd vergant in publicam vtilitatem nisi constet de contrario, & maximè ex alijs plurib. statutis consimilibus quæ hactenus obseruata à subditis non vergebant in dictum finem, & tunc ante omnia debent subditi supplicare superiori super huiusmodi statuti reuocatione, quòd si noluerit reuocare, etiã tunc nihilominus statutis superiorum obediendum est quousque in statu superiori tolerantur quòd si non sit omninò spes correctionis in isto, debent subditi agere ad depositionem superioris potius quã tolerare ipsum, & non obedire.

Ad duo prs. Prima duo argumenta procedunt, & benè supponendo de prudentia, & industria principis, quod verè præsumendum est ratione status. Secundùm enim artem Philosophi in primo Politicę, à domo procedit vicus, à vicis ciuitas, & à ciuitatibus regnum, sic à regimine domus regimen vici & ciuitatis & regni. Vt autem dicit omnis domus regitur à senissimo, quare & vicus, quod intelligitur de senio mentis, quo quis naturaliter liber, & ingenuus est

Et quia, quòd princeps talis fuerit ab initio præsumendum est, ideò etiam quòd omnes progeniti successores sint tales præsumi debet Vt enim dicit Philosophus in eodem, ex ambobus diuinis id est liberis & ingenuis progenitricibus radicibus quis dignificabit addicere seruum? Dignificãt enim quemadmodum ex homine hominem sic ex bonis bonum, natura autem vult hoc facere multotiens, & tamen non potest.

Non supposita autem principis industria, sed potius contrario, dum tamen adhuc esset toleratus, statuere posset, & ei obediendum esset, sed potius agendum ad eius depositionem quantuncunque hereditariè regnauerit à progenitoribus suis, vt depositus non posset statuere; nec debitum esset ei obedire, quia non esset præsumendũ quòd sua statuta continerent opera virtutis, quæ tamen si non essent euidenter contraria virtuti, quoadusque toleraretur superior, statutis eius omninò obediendum esset.

Ad pri. in oppos. Ad primum in oppositum, quòd talia statuta non pertinent ad aliquod speciale votum, nec sunt de necessitate salutis, quare non est obediendum eis, Dico, quòd pertinent ad speciale votum siue promissum communitatis, & singulorum in ipsa inquantùm sunt partes illius, licèt non inquantùm sunt singulares personæ potentes tanquàm liberi se liberè trãsferre de communitate in cõitatẽ, prout eis placuerit, quod quidem votũ siue promissum interpretatiuè quilibet de cõitate facit scilicèt recipiendo illum in superiorem, & hoc vel propria electione, vel aliquorum vice omnium, vel ad prouisionem primi superioris, vel iure hæreditarię successionis, etiam si nullam obedientiam verbo illi promittant, quam tamen aliquãdo maiores de communitate vice communitatis, & singulorum in illa superiori de nouo instituto promittunt.

Vnde multum errant commorãtes in communitatibus, quæ aliquo publico consilio reguntur siue in beghinasijs, siue congregationibus quibuscunque, si credant se non obligari ad tenendum publica edicta ad vtilitatem communitatis edita à superioribus suis.

Ad secũdum. Ad secundum, quòd tunc subditi laici tenerentur soluere decimas Principi sicut clerici Papæ, Dico, quòd verum est, si necesse sit ad dictum finem, & non solum decimam, immò medietatem, immò totum, immò seipsos. Sed benè debent cauere sibi superiores, quòd nihil talium statuant aut exigant quin saltem euidens sit ipsis, quòd sit ad communem vtilitatem seu publicam, non tantùm ad priuatam, & ponant statuta & edicta tam rationabilia, vt procedãt ab ipsis non de potentia facti sed iuris, nec de potentia absolutè, sed de potentia relata pensa rationis non errante. Nec video in hoc circa clericos aut laicos respectu suorum superiorum aliquam esse differentiam, licèt prælati clericorum eo qđ nullum hæreditarium ius habent in suis dignitatibus sicut principes, facilius possunt deponi quã principes, & laici nullo statuto superioris constricti liberiorem dispositionem de bonis suis habẽt quàm clerici, eo quòd bona clericorum communicanda sunt pauperib. vltra id quod in proprios vsus assumunt; sicut aliqui de numero pauperum, prout aliàs satis exposui.

Ad tertiũ. Ad tertium, quòd tunc subditi non possent disponere de rebus suis, Dico, quòd verum est contra statuta superiorum, aliàs autem benè possent,

Comment. in Quæstionem Octauam, quæ est,

Vtrum quisque subditus teneatur statuta seruare, licèt non sit euidens quòd ad communem vtilitatem expediant.

IN titulo nihil videtur addendum.
In corpore tribus conclusionibus satisfit quæsito, habita diuisione, ac subdiuisione, quæ ad talem formulam reduci possunt, distinguendo de non euidentia sic.

Non euidentiam habere intelligitur vel

- *Priuatiuè, scilicèt quòd nulla euidentia habetur, quod expediat* — *Prima conclusio.* Obediendum esset.
- *Contrariè, scilicèt quod cum non euidentia stat euidentia de contrario, & tunc vel*
  - *Toleratur Statutum illud* — *Secunda conclusio.* Obediendum esset.
  - *Tractatur de eius reuocatione,* — *Tertia conclusio.* Agendum esset contra Statutorem, si non vellet reuocare.

Prima cõclusio, ex hoc supposito declaratur, atq; probatur. Videlicèt. Quod cũ finis Principis statuẽtis sit Pax, & Salus Reipub. Omne Statutum dẽt tendere ad hunc finem, & ex hoc præsuppositio exigitur ratio. omne tendens ad optimũ finẽ, veluti est Pax, & Salus Reipub. siue sit euidẽs, siue non, seruari dẽt, sed omne Statutũ, vbi non cõstat de opposito, est hmõi. igitur &c.
Maior propositio patet, minor verò probatur ex supposito, quod quidem suppositum confirmatur ex Aristotele, & Cicerone in littera ex quibus etiam ipsa conclusio comprobatur.
Secunda conclusio declaratur. Quia semper obediendum est, quousque ille superior in gradu superiori toleratur, & dummodò sit spes correctionis. Agendum autem est pro vt in tertia conclusione habetur. quæ ex eò firmatur, quòd melius est deponere aliquem à superioritate, & gradu, quàm tolerare, atque ei non obedire.
Not ꝙ superior quousq; toleratur, semper præsumitur bonus, quia nunq; malus est tolerãdus. Non est tñ ꝙ vllo pacto quis teneatur obedire Statuto euidenter pernitioso, putà contra honorẽ Dei, & fidem, &c. Sed reclamare dẽt, vel ẽt mortem pati.
Vnde tametsi Regina Angliæ in suo Regno toleretur à Principib. illius Regni, nemo tñ illius Regni tenetur obedire Statutis illis, quæ sunt contra Ecclesiæ libertatem, & honorem publicum fidei Catholicę, &c. Et ꝙ dicimus de ipsa, dicendum est de omnibus alijs hmõi. Et in omnibus Statutis, quæ intolerabilem errorem continent. Non loquitur tñ Auctor de hmõi tolerationẽ, sed de illa, vbi illi tolerant, qui superiores sunt, & boni præsumuntur. Sed profectò circa hoc dicendum aliquid esset contra plura statuta, quibus fortè obediendum non esset in rigore, quia tolerantur quidem à bonis superioribus. Sed qui non possunt, vt vellent, remedium afferre salutare, nisi cum maiori periculo. Vtinam autem qui statuta intolerabilem errorem continentia edunt, resipiscant, nè dum ab hominibus tolerantur haud valentibus impedire iustis de causis, gehennam sibi, & Reipubl. suæ ædificent. thesaurizantes sibi iram in die iræ.

QVAESTIO NONA.

Vtrum interdicta generalia in Prouincijs, Ciuitatibus, aut Ecclesijs sint licita.

Arg. princ. Primum.

IRCA secũdum arguitur, quòd generalia interdicta in communitatibus non sunt licita, sic. Innocentius dicit de sententia excommunicationis, cap. Romana ecclesia. In vniuersitatem verò vel collegium proferri excommunicationis sententiam penitus inhibemus volentes animarum vitare periculum, quod exinde sequi posset, cum nonnunquàm contingeret innoxios in huiusmodi scientia irretiri, quod vt dicit Gregor. esse non debet, cum peccata tantùm suos actores tenere debent, sed quando fiunt generalia interdicta in communitatibus, etiam multi innoxij huiusmodi interdicto irretiuntur, ergò &c.

Secũdum.

Item illicitum est accipere beneficium sine seruitio, sed clerici in interdictis accipiunt sua beneficia, ergò &c.

In oppos.

In contrarium sunt vsus & consuetudo ecclesiæ.

Responsio.

Dico, quòd quia secundùm dicta in præcedenti quæstione princeps quodammodò representat totam cõitatem quæ est sub ipso, ideò factum suũ interpretatiuè cẽsetur factum totius cõitatis, propter quod pro delicto Principis contra Ecclesiam vt citius ad emendam compellatur, licitum est interdictum in communitatem, in quo nullus omninò innoxius punitur, qa illi qui in multitudine non sunt noxij propria noxa personali, sunt tamen noxij interpretatiuè noxa sui capitis, sedm quod membrũ reputatur noxium noxa capitis, & quemadmodum quodãmodo omnes sumus noxij noxa primi parentis, licèt aliàs multum sit-

dissimile. Et ratio ista veritatem habet in interdicto terræ ipsius Principis, sed si Princeps malefaciat contra Ecclesiam aliquam, & propter hoc feratur interdictum in terram alienam, nõ video ibi rationabile causam, quia ibi nullus est noxius, nec verè, nec interpretatiuè.

Ad primũ prine. Quòd arguitur in oppositum de sententia excommunicationis, dico, quòd non est omninò simile, quia sententia excommunicationis multò grauior pœna est, quàm interdicti, propter quod maiori cautela ferenda est, propter quod licèt interdictum feratur in communitatem pro delicto solius Principis, non tamen sententia excommunicationis, dum tamen non constet euidenter singulos fore in delicto, sicut sunt omnes & singuli Græcorum in delicto schismatis contra Ecclesiam Latinorum, in quam vt puto benè posset potentia iuris sententiam excõmunicationis ferre, non obstante edicto Innocentij, quod loquitur in casu, cum præsumi potest, quòd in communitate sint aliqui innocentes.

Ad secundum, ꝙ in interdictis clerici sumunt sua beneficia, quod non licet. Dico, ꝙ verum est si ipsimet ferrent interdictum in Ecclesiam suam absque causa rationabili, sed si causa rationabili ferant illud, ꝙ feratur à suo superiori, non debent perdere sua beneficia, quia non stat per ipsos, ne faciant officia.

Comment. in Quæstionem Nonam, quæ est,

Vtrum interdicta generalia in Prouincijs, Ciuitatibus, aut Ecclesijs sint licita.

IN titulo not. quòd debet supponi fieri huiusmodi interdicta admonitione vt c. reprehensibili de appell. Amplius ex causa rationabili. c. Medicinalis. li. 6. In interdicto autem intelligitur suspentio ab omni opere diuino, ita quòd nec sacrificare, nec officia licet celebrare diuina, aliter irregularis fieret, quicunque id faceret: omnis enim interdictus est etiam suspensus: differt autem ab excommunicatione, quia hæc tollit omnem participationem, illud autem tantum in diuinis.

In corpore est conclusio affirmatiuè responsiua quæsito, quod scilicet licita sunt.

Not. autem quòd supponitur, omnes, qui interdicantur, noxios esse. Id autem contingere potest dupliciter, vel quod omnes prorsus peccauerint ita, quòd personaliter & peccauerint, & meruerint illud interdictum, vel quia Princeps eorum peccarit, qui tamen toleratur, & defenditur ab eis.

Primum videtur impossibile, nam pueri, plures mulieres, & minuta, igonaraque plebs nesciunt quid faciant.

Secundum videtur facilè occurrere posse, & tunc omnes noxij videntur, sumpta similitudine à protoparente nostro Adam, qui cum peccauerit, existens caput omnium nostrum, omnes obnoxij peccato illius prorsus facti sumus. Et ideò omnibus interdictum fuit ingredi cœlum. Sic peccante Principe, peccare videtur omnes, quia languente capite membra videntur infirma: cum ergo generale fertur interdictum, ideò fertur, quia omnes obnoxij sint demerito, & tunc sic erigitur ratio.

Licèt interdicere omnes noxios, sed cum fertur interdictum generale supponitur omnes noxios esse. Igitur &c. Prior propositio patet. Semper enim aliquo pacto licitum est punire peccato obnoxios, quia id exigit ipsa iustitia.

Suppositum verò præsumitur, quia ablato hoc, nulli dubium est, quòd licita non sunt huiusmodi interdicta, sed vide Summistas in verbo. Interdictum.

QVAESTIO DECIMA.

Vtrum subditus cognoscens quòd Prælatus suus ex rancore ipsum punire intendit, debeat ei obedire.

Arg. prine. CIRCA tertium arguitur, quòd subditus cognoscẽs, quòd Prælatus suus velit ipsum punire ex rancore non debet ei obedire, sic: nullus debet alteri obedire in eo, quòd scit ipsũ facere iniustè: iste subditus scit Prælatum suum facere iniustè si ipsum puniat, quia punitio ex rancore non potest esse iusta: ergo &c.

In oppos. Contra. Prælatus suus simpliciter Prælatus est ei, & absque conditione, & sicut ei Prælatus est ita debet ei obedire: ergo &c.

Responsio. Dico, ꝙ prælatus in puniendo talem, aut præcipit ei aliquid contra suam regulam, qua subditus est illi, aut secundum regulam, aut præter regulam. Si contra, dico simpliciter, quòd non tenetur in hoc ei obedire, quia quo ad hoc non est ei subditus, quia cum omnis regula ab Ecclesia susceptа facta sit secundùm regulam Euangelicã & consilia eius, illud quod Prælatus subdito secũdùm regulam præcipit, Deus præcipit: & è contrà, quod contra illam præcipit Deus prohibet, contra quem nemini obediendum est, dicente Bernard. in Epist. ad Adam monachum. Liquidò apparet mala imperantibus non esse parendum, præsertim cum prauis obtemperans imperijs, in quo homini videtur obediens, Deo planè, qui omne quod perperam agitur, interdicit, inobedientem te exhibes. Valdè peruersum est profiteri te obedientem in quo nosceris superiorem, propter inferiorem diuinam propter humanam soluere obedientiam.

Quid enim? quod iubet prohibet Deus, & ego audiam hominem surdus Deo? non sic Apostoli clamant dicentes, Melius est obedire Deo, quàm hominibus. Si verò Prælatus præcipit secundùm regulam tenetur subditus in omnibus illi obedire, & similiter in eis, quæ sunt præter regulam, dum tamen non sit certum, quòd vergant contra ea, quæ sunt secundùm regulam.

Sed

Sed &c. tunc tenetur obedire quousque in prælatura permittitur, si non poterit ab eo impetrari, quòd desistat.

Aliàs enim debet præsumere, quòd quicquid præcipit regulæ congruat, & ad implectionem eorum, quæ regula præcipit conferat.

Nec in hoc est differentia de inferiori prælato, qui præest alijs secundùm aliam regulam priuatam, qualiter præsunt Abbates, &c. cæteri prælati religiosorum, & de superiori prælato Ecclesiastico, qui præest alijs secundùm regulam publicam Christianæ religionis, qualiter præsunt Papa, & cæteri sub ipso Episcopi & curati, de quibus iam habitum est supra, & secundum hoc concedenda est secunda ratio.

Ad rationem in oppositum, quòd subditus scit talem prælatum suum in dicta punitione iniustè agere: ergò &c. *Ad ratio. principa.*

Dico, quòd non potest eum scire in tali punitione iniustè agere, nisi sciat eum agere in hoc cõtra regulam secundùm quam præest, & tunc vt dictum est non est ei obediendum, aliàs autem obediendum est ei, quia non potest scire, quòd iniustè agat, nisi ex præsumptione, cui imniti non debet, aut recurrendum est ad superiorem, vel per appellationem, vel per conquestionem, & si non est superior ad quem est recurrendum, aut per illum non potest haberi succursus, stare oportet in obedientia quousque deponatur.

Comment. in Quæstionem Decimam, quæ est,

Vtrum subditus cognoscens quòd Prælatus suus ex rancore ipsum punire intendit, debeat ei obedire.

IN titulo not. quid est rancor. Est enim displicentia contra aliquem, propter quam desiderat, vel quærit quis alteri malum, &c. est filia accidiæ, aliquando etiam filia iræ.

Not. insuper, quòd hoc velle punire intelligitur non in casu punitionis, sed in casu oblationis, seu præceptionis alicuius, quo non facto ab eo, cui imperatur, habet occasionem puniendi.

In casu enim punitionis debet subditus obedire, &c. si immeritò puniatur, &c. iniustè; expectando retributionem à Deo, vbi à superiori non potest habere, quod iustum est.

In corpore distinguitur de his, quæ præcipiuntur: tria enim sunt, quæ præcipi possunt à Prælato ipsi subdito, vnde & iuxta hæc etiam quatuor sunt in corpore conclusiones, sic dispositæ facilis cognitionis ergò.

Prælatus huiusmodi, aut præcipit

- *Quod est contra regulam.* — *Prima conclusio.* Non tenetur obedire.
- *Quod est secundùm regulam.* — *Secunda conclusio.* Tenetur obedire.
- *Quod est præter regulam, & tunc vel*
  - *Vergit in id, qd est contra regulam.* — *Tertia conclusio.* Non tenetur obedire.
  - *Non vergit.* — *Quarta conclusio.* Tenetur obedire.

Prima conclusio patet, quia quo ad hoc non est subditus illi prælato. Nam regula est secundùm legem Euangelicam, contra quam nemo prælatus potest, confirmatur ex D. Bernardo. Et similiter ex hoc patet tertia conclusio, ad hanc enim tendit.

Secunda conclusio patet à contrario: oppositorum enim eadem disciplina: si enim contraria regulæ facienda non sunt, vtique facienda, quæ secundùm regulam sunt.

Not autem, quòd id contingere potest tripliciter, scilicet quòd quis obediat in his, quæ secundùm regulam: vel enim ratione rei præceptæ tantùm, & non præcipientis, vel ratione vtriusque. Et hoc tertio modo tenetur obedire: ratione quidem operis præcepti, quia cum sit secundùm regulam, ad illud tanquàm bonum obligamur ex voto, & communi & particulari. Tamen secundùm magis, & minus, & secundùm quod sunt præcepta, vel consilia. Ratione verò præcipientis, quia in hoc prælatus verè est, & ipse subditus, in eo autem, quòd quis verè prælatus, illi à subdito obtemperandum est. Ratione autem tantùm operis præcepti, & non præcipientis tenetur quis obedire, quando quod præcipitur suapte natura bonum est, sed præcipitur à non habente auctoritatem præcipiendi. Ratione verò præcipientis, & non rei præceptæ quis tenetur obedire, quando quod præcipitur, præcipitur quidem à prælato, sed non est secundùm regulam, sed præter regulam secundum quartam conclusionem.

QVAESTIO VNDECIMA.

Vtrum is, cui sufficienter prouisum est vnde secundùm statum suum possit sustentari, teneatur receptum in eleemosynam titulo paupertatis, restituere largitori.

Arg. prim. primum.



IRCA quartum arguitur, quòd habens sufficienter vnde possit sustentari secundùm statum suũ non tenetur receptũ in Eleemosynam titulo paupertatis restituere. Primò sic: talis Eleemosyna ab Apostolo 2 Gorinth. 9. vocatur benedictio. Error autem personæ non facit irritam benedictionem, vt patet in benedictione, quàm Isaac contulit Iacob vice Esau. Gen. 17. Quare etsi conferens dictam Eleemosynam erret circa personam credendo conferre illam pauperi indigenti: rata tamen est Eleemosyna, quam talis non indigens recipit, sed quando collatio rata est collatum non debet restitui: ergò &c. Secundò sic, Meretrix acquirens pecuniam ex fornicatione, licèt eam ex peccato luxuriæ acquirat, non tamen tenetur eam vlli restituere: ergò &c. similiter iste licèt acquirat eleemosynam ex peccato cupiditatis, nulli tamen tenetur eam restituere.

Secũdum.

In oppos. Contra. Clericus acquirens beneficium ex peccato simulationis bonitatis tenetur illud restituere, quia non intrauit per ostium, ergò &c. similiter iste acquirens eleemosynam ex peccato simulationis paupertatis illam tenetur restituere.

Responsio. Dico simpliciter, quòd nullus tenetur restituere conferenti receptum titulo Eleemosynæ quantuncunque habeat sufficientiam sustentationis, eò quòd conferens liberaliter contulit intendens prouidere indigentiæ personæ, cui conferre posset liberè etiam si indigens non esset, & hoc quèadmodum Isaac potuisset liberè, & sufficienter scienter contulisse illam benedictionem Iacob, quam ei contulit, propter quod non obest error personæ, quemadmodum pater, qui liberè potest hæreditare filium, quem elegit, &c. non nisi vnum ex filijs suis, si hæreditando vnum crederet hæreditare alterum, rata esset hæreditatio, quę tamen rata non esset si hæreditaret extraneum. Et sic processit prima obiectio, quæ secundùm hoc concedenda est.

Dubium. Sed vtrum iste, qui talem Eleemosynam recipit poterit eam sibi reseruare, &c. in vsum proprium conuertere, de hoc maior est dubitatio, &c. credo, quòd non, dum tamen recipienti sufficienter secundùm statum suum sit prouisum, non tàm pro tempore præsenti quàm etiam futuro, de quo probabiliter potest præsumere, quòd pro illo poterit ei sufficienter prouideri ex iam habito, aut ex propria industria, seu labore.

Sin autem, poterit illam Eleemosynam sibi reseruare pro futuro, vt tunc de illa viuat, dum senio, vel aliquo alio incommodo oppressus lucrari non poterit, vel dum diuino obsequio sine distractione liberius vacare intendit. In quo casu credo, quòd illam Eleemosynam sine peccato sibi poterit reseruare: aliàs verò nequaquàm, sed debet illam pauperi alicui restituere, quia in illa pauperem aliquem defraudauit, qui eam erat acceptarus, in quo in pauperem illum peccauit, &c. quod illius futurum erat per fraudem subtraxit.

In quo tamen dantem in nullo defraudare potuit, quia intentio illius illi apud Deum ad recipiẽdum remunerationem sufficit, propter quod illi nihil restitui debuit.

Quinetiam etsi ille Eleemosynam restituere deberet, quia per ipsum pauperi non conferretur: meretrix tamen nequaquàm acquisitum per fornicationem deberet restituere illi, à quo recepit, vt non valeat ad propositum secundùm argumentum, quia non est simile, eò quòd meretrix aliquid de suo dat fornicatori. Vsum sui corporis pro quo per commutationem pecuniam sumit, &c. secundùm æquitatem iustitiæ commutatiuę illam recipit, licèt per opus iniustitiæ, quod committit.

Iste autem accipiens Eleemosynam nihil de suo reddit, pręter dolum, qui non debet ei patrocinari.

Ad argu. in oppos. Ad argumentum in oppositum per simile de accipiente beneficium per simulationem bonitatis, quòd tenetur illud restituere: ergo &c. iste Eleemosynam. Dico, quòd non est verum, ꝙ acquirens beneficium per simulationem bonitatis teneatur illud restituere, dum tamen non obsit aliud. Ad cuius intellectum sciendum est, ꝙ cum aliquis acquirit beneficium per simulationem, decipit conferentem illud, &c. facit illum in conferendo errare contra eius intentionem. Et tunc simulatio, &c. error hinc inde possunt esse, aut quoad personam simulantis, &c. beneficium recipientis, aut quoad personę conditionem.

Si quoad ipsam personam puta si conferẽs beneficium intendit illud conferre alteri certę personę, &c. simulans simulat se esse illam personam, puto quòd non valet collatio, nec recipiens ius habet in beneficio sibi sic collato, propter errorem conferentis, & hoc adinstar matrimonij quod contrahit aliquis per errorem cum aliqua persona, &c. intendit contrahere cum alia.

Sicut

Sicut enim ibi error personæ impedit matrimonium, sic & hic impedit receptionem iuris in beneficio, & tenetur recipiens per talem simulationem illud restituere conferenti, vt conferat illi quę defraudauit. Et hoc idcirco præcipuè, quia in collatione beneficiorum ecclesiasticorum non tàm debet esse intentio prouidentis prouidere personæ cuiquàm de beneficio, quàm ecclesiæ de seruitore. Beneficia enim sunt propter seruitia. Et ideò, quia sic recipiens defraudauit ecclesiam de seruitore, de quo conferens intendebat prouidere, & præsumitur, quòd de idoneo, omninò iste, qui sic recipit tenetur restituere beneficium: nó sic autem recipiens dicto modo eleemosynã, quia conferens eam non intendebat per eam prouidere nisi personæ. Vnde quia ecclesiæ, cui debet prouideri multum posset derogari per errorem personæ in collatione beneficij: nulli autem in collatione eleemosynæ, quia danti ad meritũ sufficit sua bona intentio: & pauperi defraudato simpliciter sufficit si pauperi restituatur, dum defraudans non est indigens, nec pro præsenti, nec pro futuro, aut si indigens est pro futuro, etsi nó præsenti, in hoc conferens non debet credere se fuisse deceptum, quia sæpè fructuosius est tali conferre, quàm indigenti in præsenti.

Si verò sit error, quo ad conditionem personę simulantis, & beneficium recipientis, aut ergò conditio ista talis est, quòd propter illam factus est insuscepti bilis beneficij, aut talis est, quòd per illam factus est inidoneus ad exequendum beneficium.

Si primo modo, putà si sit excommunicatus, & simulat se non esse talem, adhuc non valet collatio, sicut non valet matrimonium fœminæ cum fœmina, quæ se finxit esse virum, & tenetur restituere beneficium.

Si secundo modo, subdistinguo tripliciter, aut ergò est conditio talis, quòd per illam est omninò impotens implere seruitium ad quod confertur beneficium, putà si finxit se scire literas, & literas omninò ignorat, & beneficium requirit literaturam, aut si beneficiatus in vna Ecclesia tacens de beneficio impetrat à Papa beneficiũ aliud in alia Ecclesia cùm non possit simul seruire in duabus Ecclesijs.

Et dico, quòd non valet collatio, & tenetur restituere beneficium, sicut nec valet matrimoniũ cum viro carente membro virili, sed deberet separari. Aut est conditio talis, quòd per illam potest impleri seruitium, licèt non ita eminenter vt credebat conferens, & vt ille se simulauit posse implere. Et tunc dico quòd benè valet collatio, & non tenetur restituere, quia sufficit idoneo dare quantùm est ex parte Ecclesiæ, cui seruiendum est, & hoc sicut valet matrimonium cum viro, qui quoquo modo valet actum matrimonialem exequi, licèt non ita viriliter, vt multi alij. Aut est talis conditio, quòd stante illa non potest impleri salubriter seruitium ipsi seruienti maximè, puta si non sit bonæ vitæ, de qua conditione fit mentio in argumento, & quæ solet esse regulariter in beneficijs impetrandis per simulationem. Dico, quòd valet collatio, & non tenetur restituere beneficium, & hoc quia super tali conditione, quia respicit occulta nullus conferens beneficium ad plenum certificari potest, & variãtur homines secundùm talem conditionem frequẽter, nec à tali conditione omninò dependet seruitij executio. Et est simile de matrimonio cum pauperc, qui simulauit se diuitem, propter qualem fictionem non est minus ratum matrimonium. Et in prędictis casibus, in quibus non valet collatio beneficij acquisiti per simulationem, non est simile de receptione eleemosynæ per simulationem secundùm prædicta.

Comment. in Quæstionem Vndecimam, quæ est,

Vtrum is, cui sufficienter prouisum est vnde secundùm statum suum possit sustentari, teneatur receptum in eleemosynam titulo paupertatis, restituere largitori.

TITVLVS clarus. Aduertendum autem, quòd quæstio duos habere videtur articulos subordinatos, quia hunc, qui expressus est in titulo, subsequitur iste, vtrum dato, quòd non debeat restituere largitori possit illam sibi reseruare, an teneatur alteri pauperi dare.

In corpore satisfit vtrique articulo. Et de primo quidem conclusio est negatiua, quod non tenetur largitori restituere. Probatur, quia largitorem liberè dedisse præsumitur, siue pauperi, siue non pauperi, sub titulo tamen pauperis, & confirmatur in exemplum Isaac, & patris restantis, quæ sunt satis clara in litera. Nota quòd eleemosyna semper respicit pauperem Christum, vnde quicunque sub titulo pauperis se offert, tanquàm Christus pauper se offert, & ideò, qui dat eleemosynam Christum ipsum respicit, dicente ipso, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, ex quo præsumitur largitorem liberum Christo dedisse, quomodocunque fefellerit ipse recipiens

De secundo articulo. Est distinctio, quòd, qui recepit talem eleemosynam habet prouisionem conuenientem ad statum suum vel

- *Tantùm pro tempore præsenti, & tunc vel pro futuro suo labore, & industria vel*
  - *Poterit sibi prouidere.* — *Prima conclusio.* Tenetur dare quod accepit alteri pauperi.
  - *Non poterit sibi prouidere.* — *Secunda conclusio.* Poterit eam sibi pro futuro reseruare.
- *Pro præsenti, atque futuro.* — *Tertia conclusio.* Tenetur alteri pauperi dare.

Prima &c. tertia conclusio patent, quoniam in receptione talis eleemosynæ alium pauperem defraudauit, qui indigentior existens recepisset eam.

Secunda conclusio patet, quia id erit prouidentiæ, quæ coniungens futurum cum præsenti, dat illi, tanquàm pauperi iam receptum. Cætera clara satis esse videntur.

In responsione ad argumentum in oppositum attendito diligenter, quòd tangitur quæstio vtrum clericus accipiens beneficium merito peccati simulationis teneatur restituere illud, nec ne, quàm quæstionem ibi habitis quibusdam diuisione, & subdiuisionibus quinque conclusionibus satisfit quæsito. Quæ vtique omnia facilis perceptionis gratia reduci possunt ad hanc formam.

Simulatio, qua &c. vel est

- *Quoad personam simulantis & beneficium recipientis.* — *Prima conclusio.* Tenetur ad restitutionem.
- *Quo ad personæ conditionem, & tunc aut*
  - *Conditio ista talis est, quod propter illam factus est insusceptibilis beneficij.* — *Secunda conclusio.* Tenetur ad restitutionem.
  - *Conditio ista talis est, quod propter illam factus est in idoneus ad exequendum beneficium, & tunc talis est quod vel*
    - *Est impotens ad exequendum.* — *Tertia conclusio.* Tenetur restituere.
    - *Potens sed non sicut credebat cõferens.* — *Quarta conclusio.* Non tenetur restituere.
    - *Impotens stante illa conditione.* — *Quinta concl.* Non tenetur restituere.

Prima conclusio declaratur, vt si conferens credit vni personæ conferre, & alteri confert simulanti se illam esse. Probatur verò conclusio, quod tenetur restituere, vbi collatio nulla est, necessaria est restitutio; sed in hoc casu, collatio nulla est, igitur. Maior patet. Minor probatur à simili de matrimonio, quòd sicut error personæ in matrimonio impedit, ita in collatione beneficij.

Nor. pro maiori, quòd vbi collatio nulla est, ille, cui facta est, nullum ius habet super id, quod collatum est, & propterea restitutio, siue resignatio facienda est.

Pro secunda conclusione, pone casum, vt si quis, cum esset excommunicatus simularet se non esse, quoniam excommunicatio facit insusceptibilem omnem ecclesiastici beneficij, sicut & sacramentorum; ideò collatio nulla est. Manifestatur à simili, sicut si fœmina fingeret se virum esse, nullum esset matrimonium contractum cum alia fœmina.

Pro tertia conclusione ponitur duplex casus. Primus, si sit illiteratus. Secundus, si habet beneficium incompatibile, & tunc probatur conclusio. Vbi est impotentia exequendi officium, ad quod tenetur, ibi nulla collatio est, sed vbi nulla collatio ibi necessaria est restitutio. igitur &c.

Quarta conclusio probatur. Quia ad ratam collationem non exigitur nisi tanta idoneitas, quantam exigit onus beneficij, sed in onere beneficij non includitur credulitas, vel aliud quid conferentis necessariò. igitur.

Quinta conclusio declaratur, vt si sit malæ vitæ, ac malæ conuersationis, & contrarium simulat. Probatur verò conclusio. Quia nullus cõferens ad plenum certificari potest super his, quæ fuut occulta, & variabilis ipsa conditio est. igitur &c.

QVÆSTIO

QVAESTIO DVODECIMA.

Vtrum Doctores Ecclesiæ deberent facere conscientiam de peccato, eò, quòd non laborant ad conuersionem infidelium.

SEQVVNTVR quæsita de peccatis. Et erat vnicum de peccato omissionis. Vtrum videlicèt doctores ecclesiæ deberent facere conscientiam de peccato eò, quòd non laborant ad conuersionem infidelium. Alia verò duo de peccato commissionis. Quorum primum erat in tutelis. Vtrum pupilli à tutoribus custodientibus bona sua possunt aliquid absque peccato recipere occasione bonorum illorum vltra sortem salua sorte. Secundum verò erat in contractibus, Vtrum liceat vendere rem aliquam plus debito propter indigentiam ementis.

arg. prim. Circa primum arguitur, quòd doctores ecclesiastici deberent facere conscientiam peccati, eò quòd non laborant ad conuersionem infidelium, sic. quòd doctores ecclesiastici non laborant ad conuersionem infidelium hoc non omittunt nisi propter metum mortis, sed propter hoc non deberent omittere exemplo Apostolorum, quos misit Deus sicut oues ad lupos, dicens eis. Nolite timere qui corpus occidunt, de quo plurima Matth. 10. Talis autem omissio non est sine peccato, ergò &c.

In oppos. Contra. non est bonum sumere panem filiorum, & dare canibus ad manducandum, panis filiorum qui sunt Christiani est verbum doctrinæ & prædicationis sanctæ quod mittitur illis quibus proponitur, infideles autem canes sunt, ergò &c.

Dico, quòd doctores ecclesiastici si accessus eis esset apertus proponendi verbum prædicationis, maximè si cum hoc probabiliter credere possent, quòd ad prædicationem eorum infideles conuerterentur, licèt cum hoc etiam probabile esset eis quòd si in prædicatione veritatis persisterent, ab illis quibus conuersio aliorum displiceret, deberent occidi (sicut patuit Apostolis, & sicut probabile fuit eis, quòd ad eorum prædicationem infideles cõuerterentur, tum quia ad hoc specialiter eos misit Christus & miracula concessit dicens eis illud.

Responsio. Videte regiones quomodo albæ sunt ad messem. Regiones quidem albæ ad messem erant infidelium multitudines paratæ ad conuersionẽ) magnam deberent sibi facere conscientiam peccati si ad infidelium conuersionem non laborarent. Sed nunc postquàm sectæ infidelium in sua infidelitate sunt obduratæ contra fidem Christianorum, vt non sit spes de illorum conuersione, nec signum conuersionis eorum futuræ percipiunt, nec ad hoc missionem specialem susceperunt, nequaquàm super ista omissione debent sibi facere peccati conscientiam, & hoc maximè idcirco, quia ad liberam prædicationem contra ritus, & legem suam infideles neminem admittunt, sed capitali sententia plectunt statim prædicare contraria illis attentantes, secundùm quòd super hoc Sarracenorum expressum habet edictum.

Vnde in tali statu Sarracenos adire nihil aliud esset quàm propriam mortem sine fructu procurare, quod non licèt, dicente August. in casu quasi consimili ad Bonifacium. Quando adhuc cultus idolorum fuerat, ad Paganorum celeberrimas solemnitates ingentia turbarum agmina veniebant, non vt idola faterentur, sed vt interficerentur à cultoribus idolorum. Illud si accepta licentia à potestate facere vellent, siquid eis accidisset possent habere qualecunque vmbram nominis martyrij, sed ad hoc veniebant vt integris idolis ipsi perimerentur.

Vnde sicut Iudæis in sua pertinacia induratis per Paulum dixerũt Apostoli illud Actu. 4. quia indignos vos fecistis verbo Dei, ecce conuertimur ad gentes, nec de cętero visi sunt regulariter prædicare Iudæis, sed gentibus tantùm, sic omnibus infidelibus modo in sua perfidia induratis, dicere debent illis ecclesiæ doctores, quia indignos vos fecistis verbo Dei, ecce conuertimur ad fideles nostros. Si tamen admitterentur absque legis edicto de eorum punitione festinà, sicut admittebantur Apostoli quando licuit cuique sectam & ritum viuendi eligere quem voluit, secundùm illud quòd dicit Tullius libro primo de officijs. Ipsi autem gerere quam personam velimus à nostra voluntate proficiscitur, vt nonnulli omissa imitatione maiorum suum quoddam institutum consequantur.

Hoc igitur cum quærimus, hoc in primis constituendum est quos nos, & quales esse velimus, & in quo genere vitæ, quæ deliberatio est omnium difficillima. Nam Herculem Prodicus dicit vt est apud Xenophontem, cum primum pubescceret, quod tempus à natura ad eligendum quam quisque viuendi viam sit ingressurus datum est, exisse in solitudinem, atque ibi sedentem diu secum multumque dubitasse cum duas cerneret vias, vnam voluptatis, alteram virtutis, vtram ingredi melius esset. In qua deliberatione ad suam cuiusque naturam omne consilium est reuocandum vt constare in perpetuitate vitæ possimus nobismetipsis, nec in vllo officio

clau-

claudicare. Si inquam prædicatores nunc dicto modo admitterentur, non video quin doctores ecclesiæ deberent sibi facere conscientiam peccati si non aliquando laborarent & tentarent an possent eos cõuertere, qualẽ sibi tunc debuissent fecisse Apostoli si tunc non laborassent ad infidelium conuersionem. Per quod patet responsio ad primum obiectum.

Ad arg. in oppos. Secundum autem quod est in oppositum, non procedit benè quia nititur probare, quòd nec Apostoli debuissent laborasse ad conuersionem infidelium quia canes erant ante suam conuersionẽ. Nisi fortè velimus distinguere de canibus, dicendo quòd sunt canes rabidi qui mordent panem eis apportantes, nec volunt illum comedere, sed potius pedibus suis eum conculcant, &c. sunt canes non rabidi qui non mordent panem eis afferentes, sed potius applaudunt, &c. panem eis oblatum libenter comedunt.

Primo modo canes spiritualiter sunt infideles moderni temporis, quibus doctrina veritatis proponenda non est, quia contumelijs & blasphemijs quasi pedibus suis conculcarent, insuper & prædicantem illico occiderent, sicut dictum est.

Secundo modo canes fuerunt infideles tempore Apostolorum, quibus doctrina veritatis proponenda fuit, quia absque iniuria prædicantium cum gaudio illam erat multitudo susceptura & comestura, vt de canibus fierent per fidem rationales homines.

Comment. in Quæstionem Duodecimam, quæ est,

Vtrum Doctores Ecclesiæ deberent facere conscientiam de peccato, eò quod non laborant ad conuersionem infidelium.

IN titulo not. quòd per infideles possunt intelligi quicunque ea aliquo modo non credunt omnia, quæ credit Sancta Mater ecclesia Catholica. Vt intelligamus tamen tria genera. Idolotras, vt Maumetanos, & cæteros huiusmodi. Iudæos, & Hæreticos. Vbi tamen inter duo genera aliqualiter laboratur, etsi non publicè inter hæreticos, quia non permittuntur loqui ipsi Catholici.

In corpore est conclusio conditionata. Quòd si aditus ad prædicationem esset apertus, sibi facere conscientiam debuissent, si non laborarent. Nunc autem cum aditus sit præclusus, ita quòd loqui nullo modo permittuntur, conscientiam sibi facere non debent.

Prima pars conclusionis augetur, quòd si probabiliter sperarent eorum conuersionem, & tamen probabiliter etiam mortem expectarent, deberent, & tenerentur ire ad prædicationes.

Hæc auctio probatur exemplo Apostolorum, qui mortem futuram certò scientes suam ob eorum prædicationes, sperantes ob id fructum euenturum, adibant gaudentes omnes infideles.

Ipsa verò prima conclusionis pars probatur, quoniam quod Christus præcepit Apostolis, ex istimandum est omnibus præcipere, quia mandauit Deus vnicuique de proximo suo. Sed Apostolis præcepit, ita quod nisi adissent infideles, fecissent contra conscientiam, igitur &c.

Secunda pars probatur, quoniam si id susciperent, hoc esset suam propriam mortem sine fructu procurare.

Not. quòd quicunque id faceret, procurando sibi mortem sine fructu, peccaret mortaliter, quia vnusquisque tenetur de iure naturæ propriam vitam conseruare. Vnde Plato dissuadens iniectionem manus violentæ in seipsum, nos Deorum facturam esse ait, quam destruere non est nostri, sed Deorum. Quo fit, vt mortem vel ab ipsa natura, vel ab Auctore naturæ nos expectare debemus, quàm etiam nec à natura, nec à Deo haberent quicunque sibi illa sine fructu procurarent, cum contrà à Deo haberent illam, quicunque fructuosè adirent prædicationis periculum inter infideles. Non quòd Deus intendat quempiam occidere, sed ideò dicendum est illam martirum à Deo esse, quatenus non solum permissa est, sed in gratia sua permissa est, atque cum gratia sua. Non autem esset huiusmodi, vbi quis accideret ad mortem sine fructu.

Not. differentiam temporis huius à tempore maiorum nostrorum. In illo enim infideles non ita generaliter obstinati erant ad malum, vt aliqualiter non permitterentur loqui prædicatores Sancti. Nunc autem edicto cautum esse videtur, nè quis vllo pacto loqui permittatur, quod sit contra id, quod communiter obseruatur, tametsi pernicioſum sit.

Vnde, vt loquamur de Turcis, perfidus ille legislator eorum Maumetus, cauit nè eorum lex verbo rationis defenderetur, sed gladio, quo ferirent subito quencunque loquentem contra. Vt verò loquamur de hæreticis, notum est, inter alias leges, vigesima prima de regno Angliæ. Vbi quicunque dissuaserit Caluinianam. &c. Catholicam persuaserit, reus læsæ maiestatis iudicatur, &c. tanquam huiusmodi semistrangulatur, deinde redeunti ad se amputantur virilia, &c. igne comburuntur, tuncque cultro aperitur illi vehter, & erutis illis, etiam eor &c. viscera spirantì adhuc, & reluctanti manu carnificis euelluntur, &c. in ignem iuxta positum proijciuntur, denique vt elixus, & in partes dissecatus, ad varias ciuitatis portas suspenditur.


Quid crudelius? Vanum idcirco videtur exponere se publicè tanto discrimini. Cæterum id fieri priuatim scimus, &c. nouimus multos id fecisse de se Sanctum periculum. Sed de hoc hactenus, præsertim enim quæstio respicit eos infideles, qui nec publicè, nec priuatim admittunt Christi fideles prædicatores, quia sint omnes obstinati in sua secta, non autem in statu, qualis describitur à Tullio, & Xenophonte de Hercule &c.

QVAESTIO

QVAESTIO DECIMATERTIA.

Vtrum pupilli à tutoribus custodientibus bona sua possunt aliquid absque peccato recipere occasione bonorum illorum vltra sortem, salua sorte.

Arg. prim. Primum.



IRCA secũdum arguitur, quod pupilli possunt absq; peccato accipere vltra sortem, & salua sorte à suis tutoribus occasione bonorũ suorum quę custodiũt, sic, quòd tutores ex parte cõmunitatum bona pupillorum custodiunt, hoc frequenter est contra voluntatem amicorum & parentum illorum, qui libẽter de bonis illorum negotiarentur, &c. de lucro pupillos sustentarent, &c. quandoq; sortem augerent plus lucrando de bonis illorum quàm dent tutores ad eorum sustentationem, puta decem libras annuatim pro centum, & sic quòd pupilli illas decem libras pro centum accipiunt annuatim inuiti faciunt & coacti propter sustentationis necessitatẽ, in quo vt videtur nullus peccat, ergò &c.

Secundum

Item sic tenere sub tutela communitatis bona pupillorum frequenter vergit in vtilitatem reipublicæ, quæ commodius in suis indigentijs non posset sibi prouidere de tanta pecunia pro tanto, dare autem aliquid pro commodo communitatis, &c. similiter accipere, vt videtur, licitum est, ergo &c.

Tertium.

Item, hoc tenet vsus plurium ciuitatum, quod non faceret vt videtur nisi liceret, ergo &c.

In oppos.

Contra, talibus tutoribus datur pecunia vt numerata, quæ vt huiusmodi nõ habet in emptione, &c. venditione nisi rationem medij, in qua non differunt substantia &c. vsus, quare non datur nisi sub ratione mutui aut depositi, sed nec ratione vnius nec alterius licèt sumere quicquàm vltra sortem, quia vsura esset, ergò &c.

Rèsponsio.

Dico iuxta processum vltimi argumenti, quòd ex quo dicti tutores non tenent bona pupillorum nisi sub forma pecuniæ numeratæ, quæ inquantùm huiusmodi differentiam vsus à sua substantia non habet, vt non possit pro eius vsu aliquid sumi, nec potest esse extremum empti aut venditi vt plus pro eius detentione accipiatur quàm valeat, nec plus valere seipsa, &c. in empto & vendito debet esse valoris æqualitas, prout determinabitur in quæstione sequenti, idcirco dico, quòd illi pupilli dicti decem libras dictas salua sorte centum librarum non accipiunt nisi sicut partem quandam illarum centum librarum, quod nullo modo quantum video potest esse sine vsura mera, sed si quo modo liceret accipere ibidem aliquid vltra sortem, non video, quòd aliter possit accipi nisi sub ratione interesse tanquàm a violento & iniurioso detentore rei alterius quod benè puto licere ex parte pupillorum recipientium, dum tamen ipsimet potentes & valentes lucrari de pecunia sua, aut parentes ipsorum vellent eam habere ad negotiandum, & contra voluntatem eorum à dictis tutoribus detineatur.

Sed tunc pro centum libris non deberet esse certus numerus pecuniæ recipiendæ, videlicèt decem librarum, sed solùm modò ad arbitrium boni viri iuxta circunstantiam temporis, loci, & personarum quæ de pecunia negotiarentur. Nec etiam tunc dicti tutores dictam pecuniam absque peccato iniuriæ possent detinere.

Non enim interesse solùtur nisi pro iniuriosa rei cuiusque detentione, etenim licèt de iure ministri reipublicæ possent esse tutores bonorum pupillorum, nec in hoc essent iniurioſi nec detentores violenti, essent tamen si ipsimet pupilli vel amici eorum vellent negotiari de illis bonis, & illi non vellẽt ista dare sub bona tutela, nec negotiari de illis ad profectum pupillorum, iniurioſi & violenti detentores quo ad hoc.

Ad primũ primo.

Quòd arguitur primò, quòd dicti pupilli necessitate coacti recipiunt dictas decem libras scilicèt propter suam sustentationem, Dico quòd propter necessitatem sustentationis extremam licèt accipere à quocunque & quolibet modo, sed hoc non habendo oculum ad mutuatum vel depositum, illud enim nequaquàm licèt.

Et sic necessitas pupillorum qui etiam absque necessitate essent dictas decem libras pro centum recepturi, non excusat illos à vitio vsuræ, etsi debitum interesse excusaret, quod multò magis inculparet vitio iniuriæ ipsos tutores etiam si dictas decem libras persoluant pro interesse, & sic in omnem euentum aut pupilli peccant, & tenentur ad restitutionem accepti vltra sortem, aut ipsi tutores cum hoc, quòd annuatim soluunt decem libras pro interesse.

Ad secundum.

Ad secundum, quòd illud vergit in vtilitatem communitatis, Dico, quòd licèt quilibet de ciuitate teneatur succurrere de suo, &c. hoc bono communitatis, quoniam sicut dicit Tullius libro primo de officijs, vi præclarè scriptum est à Platone, Non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem patria vendicat partem amici, in hoc naturam debemus ducem sequi, communes vtilitates in medium afferre, mutatione officiorum, dando & accipiendo, &c. infra. Omnibus inter omnes societas hæc est, in qua omnium rerum quas

ad

ad communem hominum vsum natura genuit, ista seruanda est communitas. Vt sicut in græcorum prouerbio est amicorum omnia esse communia.

Quòd tamen ciuitas titulo custodiæ aliquorum bona contra voluntatem illorum vel amicorum eorum volentium pro illis de eis negotiari detineat iniquitas est gubernantium communitatem, aut si vltro pro. c. libris decem accipiunt vltra sortem, non titulo interesse, profitendo vsura est.

Ad tertium, quòd hoc tenet vsus plurium ciuitatum, Dico non vsus sed abusus, nec ob hoc delicta sunt minora quia plures eis irretiti sunt, & si multi sic faciunt credo, quòd ignoranter faciunt, aut malè circa hoc instructi sunt.

Ad tertiu

Ad arg princip.

Comment. in Quæstionem XIII. quæ est,

Vtrum pupilli à tutoribus custodientibus bona sua possunt aliquid absque peccato recipere occasione bonorum illorum vltra sortem, salua sorte.

ITVLVS notus est, siquidem accidat casus sæpè, quòd relinquuntur pupilli sub tutoribus. In corpore est distinctio, quòd aut tutores detinent pecuniam (not. nanque quòd in titulo per bona non possunt intelligi, nisi pecuniæ, quippè si essent, putà, possessiones, certum est, quòd licitum esset, quia annuales fructus possessiones edunt) aut igitur tutores detinent pecuniam illam violenter, ac iniuriosè, scilicèt contra voluntatem parentum, & amicorum pupilli, quia videlicèt circa illam cum vtilitate pupilli negotiarentur &cet. Aut non detinent iniuriosè &cet. Vnde si primum.

Prima est conclusio. Quòd liceret pupillo recipere aliquid vltra sortem salua sorte, ad arbitrium boni viri, iuxta circunstantiam temporis, locorum, ac personarum, & non aliter.

Prima pars conclusionis patet, quia licèt damno emergenti, & lucro cessanti aliquid satisfacere.

Secunda pars patet, quia aliter esset vsura. Si secundum.

Secunda est conclusio. Si non detinet iniuriosè &c. non licèt pupillo accipere &c. Patet, quia id esset vsura. Nam vbi taliter recipitur in his vbi substantia & vsus non differunt, vsura est.

Iudicaremus nos in hoc negotio posse rerum accommodari, secundùm quod alibi non semel diximus, scilicèt procedendo quemadmodum docet constitutio sum. Pont. Pij V. Ea siquidem obseruata tollitur omnis vsura, vbi verò non obseruaretur, certissima esset vsura. Vbi & prior conclusio non ad arbitrium aliorum reducenda esset, nisi vbi de quadam æquitate tractaretur, & non de pacto.

Vtrum autem id posset tractare pupillus, est difficultas. Tametsi enim ante legitimam ætatem sit dominus rerum suarum, non tamen est dominus earum vsus, quia nihil differt a seruo, sed sub tutoribus, & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre, vt ait Apostolus.

Cæterum credendum est, quòd per parentes, & amicos id fieri posset in sustentationem pupilli, sine capitalis detractione, quòd si fieret iuxta dictam legem, vtpotè quòd illa pecunia emeretur aliquod stabile à tutoribus, & eis relinqueretur sub locationis titulo, posset recipere de pacto iuxta legem facto, quod decet.

Vbi si fors integra remaneret, vtique remaneret, quia & emptum fundum taliter remaneret, & pro fructu annuario reciperetur aliquid. Vnde in redditione capitalis redditur & fundus hinc inde.

QVAESTIO XIIII.

Vtrum liceat rem vendere plus debito propter indigentiam.

Arg princ. HIRCA tertium arguitur, quòd propter indigentiam emptoris licèt vendere rem plus debito, sic, tantùm res valet quantùm vendi potest, quare cum res possit vendi plus debito propter indigentiam emptoris tantũ valet quantùm haberi potest pro ipsa ab emptore indigẽte, sed licèt rem quancunque vendere tantùm, quantùm valet, ergò &c.

In oppos. Contra. Iste vendens in hoc, quòd rem suam vendit plus propter indigentiam emptoris, vendit quod suum non est scilicèt necessitatem vel indigentiam alterius, in hoc videlicèt, quòd illam ponit in parte precij, rem suam propter illã plus preciando, quod nequaquàm licèt, ergò &c.

Responsio. Dico, quòd secundùm, quòd aliàs declarauì in quadam quæstione de Quolib. an scilicèt licèat emere rem pro minori precio quàm valeat propter ignorantiam vendentis, æqualitas debet obseruari quo ad precium inter emptum & venditum siue datum & acceptum, prout requirit iustitia commutatiua, scilicèt secundùm qualitatem siue dispositionem aut circunstantiam temporum, & locorum in quibus fiunt emptio & venditio, & hoc prout dicta æqualitas de proximo potest seruari iuxta æstimationem rectæ rationis.

Idcircò igitur, quia talis æqualitas in proposito non seruatur, quia indigentia emptoris non est circunstantia, propter quàm debet augeri pretium venditi, immò est circunstantia qua debet venditor moueri ad libentius vendendum rem suam

ſuam &c. facilius, & ſic propter quam potius pretium ex charitate diminui deberet, quàm ex aliqua cupiditate augeri. Dico, quòd omninò illicitum eſt plus vendere rem ſuam propter emptoris indigentiam, & pro eo quod accipit venditor vltra iuſtum precium ad æſtimationem viri iuſti, non eſt venditio, ſed extorſio, & ita ſpecies rapinæ, & ſecundùm hoc concedenda eſt ratio ſecunda.

Ad argu. princip. Ad primam in oppoſitum, quòd tantùm res valet quantùm vendi poteſt, Dico, quòd verum eſt de potentia iuris quæ debet eſſe recta ratione regulata, quia id ſolum poſſumus licitè & abſque peccato quod de iure poſſumus, non autem verum eſt de potentia facti ſiue de potentia abſoluta qua id poſſe dicimur quod ex circunſtantia in aliquo caſu licitè poſſumus & in alio non, quæ verè dicitur potentia abſoluta.

Dicitur etiam potentia facti quãdo per ipſam fit quod non licèt pro loco & tempore, licèt aliàs licere poſſit. Potentia autem facti ſimpliciter dicitur illa qua fit quod omninò illicitum eſt, & in nullo caſu licitum, vt adulterari vel occidere innocentem. Quare cum in propoſito res iſta non poſſit plus vendi de potentia iuris, ſed ſolùm modò de potentia facti, aut de potentia abſoluta, quia fortè in aliquo caſu licitum eſt iſta vendere tantùm, putà propter circunſtantiam communem temporis aut loci, nullo igitur modo res dicta tantùm valet quantùm tali potentia vendi poteſt, & ideò talis venditio non eſt licita ſecundùm dictum modum.

Comment. in Quæſtionem XIIII. quæ eſt,

Vtrum liceat rem vendere plus debito propter indigentiam.

AD titulo reflectenda eſt indigentiam ad emptorem.
In corpore eſt concluſio negatiuè reſponſiua quæſito, ſcilicet quòd non licet vendere plus debito propter indigentiam, ſcilicet emptoris, ſed potius diminui debet.
Prima pars probatur. Vbicunque non eſt circunſtantia, propter quam carius vendi poſſit aliquid, illud carius vendere non licet, ſed indigentia emptoris non eſt circunſtantia huiuſmodi igitur &c.
Maior nota eſt, pro minori autem not. quòd triplex videtur circunſtantia, Prima eſt circunſtantia qualitatis, ſecunda loci, tertia temporis. Prima eſt. quod cum res melior effecta eſt, induſtria habentis, tunc ipſa poteſt carius vendi.
Secunda eſt, quando transfertur de loco ad locum, vbi & labor exigitur, temporis conſumptio, & expenſæ.
Tertia quando ſecundùm diuerſitatem temporum res communiter carius, & vilius ſolent vendi, vt de tritico notum eſt.
Nunc autem emptoris indigentia ſub nulla harum circunſtantiarum includitur.
Secunda pars paret, nota tamen, quòd non eſt ita neceſſaria, quòd de neceſſitate indigenti vendatur vilius, ſed probabile eſt, quia ſit affectus charitatis.
Not. quòd emptor duplicem habere poteſt indigentiam. Vnam rei tantum, alteram rei, & tanti precij, quanti valet.
Nunc autem crederemus quòd prima indigentia ſit circunſtantia, qua facilius, & promptius ex charitate venditor deberet illi eam vendere, tametſi non teneatur illi vendere vilius.
Secunda verò circunſtantia eſſet, qua venditor potius debet rem illam vendere vilius, quam carius &c.

QVAESTIO XV.

Vtrum Iudæus pungens Hoſtiam Conſecratam, qui videns ſanguine emergente ex puncturis ipſam rubeſcere, & viſo miraculo conuertitur, & baptizatur, debeat pro iſto delicto puniri à iuſtitia publica.

EQVVNTVR quæſita de pœnis. Et erant tria.
Primum de pœna infligenda vni ſingulari perſonæ, Vtrum ſcilicèt Iudæus pungens Hoſtiã conſecratãm, qui videns ſanguine emergente ex puncturis ipſam rubeſcere, & viſo miraculo conuertitur & baptizatur, debeat pro iſto delicto puniri à iuſtitia publica.

Secundum erat de pœnis infligendis duobus comparatiuè. Vtrum videlicèt religioſus grauius peccans minus puniendus ſit quàm ſecularis minus grauiter peccans.

Tertium erat de pœna infligenda vni communitati. Vtrum ſcilicèt multitudo populi defendens prauam conſuetudinem ſuam antiquam putà forum publicum tenere in cœmiterio horamiſſæ, ſit propter hoc punienda.

Arg. hinc. Circa primum arguitur, quòd dictus Iudæus pro dicto delicto poſt baptiſmum receptum ſit puniendus, ſic. Iudæus committens contra ſuam legem puniendus eſt ſecundùm illam, ergò & committens contra legem Chriſtianam, ſimiliter ſecundùm illam puniri debet, quare cum dicto facto commiſerit contra legem Chriſtianam, ergò &c.

Secundum Item niſi iudæus iſte ſuper dicto facto puniretur à publica iuſtitia ſecundùm legem Chriſtianam, tũc maleficium illud maneret impunitum, quia iudæi non punirent illud ſecundum legem ſuam,

suam, illud autem est inconueniens, ergò &cet.

Tertium. Item si propter baptismum susceptum non puniretur, tunc multi infideles solo meru mortis facientes se baptizari effugerent per hoc pœnas pro illis quæ commisserunt in ecclesiam.

Quartum. Item baptismus non tollit pœnam sed culpam tantùm, quia non tollit irregularitatem contractam ex bigamia ante baptismum, ergò cum hãc pœnam non tollat, adhuc est illi infligenda, ergò &cet.

Quintum. Item tunc non esset puniendus pro furto aut homicidio quod ante baptismum commisisset, hoc est inconueniens, ergò &c.

In oppos. Contra. Iudæus iste dictam Hostiam credebat fuisse non Consecratam, quia credebat fidelitatem Consecrationis quàm Christiani illi adhibent nihil esse sed Christianus pro punctione Hostiæ quam crederet non Consecratam non esset puniendus per iustitiam publicam, quia aut nihil, aut modicum peccaret, quare nec similiter pro ista punctione à iustitia publica puniendus est Iudæus, quia aut nihil aut modicum in illa peccauit.

Responsio. Dico primo distinguendo de modo peccandi in dicta punctione Hostiæ Consecratæ quo ad intentionem Iudæi pungentis, quia aut pungebat eam ex pura malitia, animo scilicèt inferendi cõtumeliam Christo, quem Christiani colunt sub speciebus Hostiæ, &c. tunc grauissimè peccauit, sed solùm in legem Christianam, & non in legẽ Iudæorum iuxta illorum æstimationem.

Aut pungebat eam ex dubietate, an scilicèt talis sanctificatio esset in illa qualem Christiani credunt illi inesse, animo scilicèt experiendi per ali quod signum fortè apparens à Deo, an ita esset, &c. tunc adhuc grauiter peccauit, tentando scilicèt Deum, & non solùm in legem Christianam noui testamenti, sed etiam in legem Iudæorum veteris testamenti, &c. hoc etiam iuxta æstimationem Iudæorum, quia in lege veteris testamenti scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum. Deutero. 6. Et repetitum est à Christo in nouo testamento Matth. 3. Sed credo, quòd minus peccasset si intentione experiendi illud fecisset, quàm si intentione contumeliam inferendi, eò quòd nondum conuerso ad fidem Christianã licèt experiri efficaciam legis Christianæ, & hoc mentis discretione ipsam examinando &c. alijs legibus comparando secundùm præeminentiam in congruendo, & concordando Iudæo rectæ rationis, quemadmodum Augustinus ante suam conuersionem examinauit legem Christianam, &c. illam prælegit postquàm magis rationabilem cæteris legibus inuenit.

Vt enim dicit in principio libri contra epistolam fundamenti: Ego Euangelio non crederem nisi me Ecclesiæ Catholicę commoueret auctoritas, &c. postquàm paulò prius annumerauit per quæ Ecclesiæ auctoritas mouit ipsum ad credendum, conuertens sermonem ad Manicheos dicit sic. Apud vos autem vbi nihil horum est quod me inuitet ac teneat, sed sola personat pollicitatio veritatis, quæ si tam manifesta monstratur, vt in dubium venire non possit, præponenda est illis rebus omnibus quibus in Catholica teneor. Si autem tantùm modò promittitur, & non exhibetur, nemo me mouebit ab ea fide quæ animum meum tot & tantis nexibus Christianę religioni astringit, &c. vt testatur in principio de vera religione, eadem commouerent modo ad conuersionem ad fidem Christianam veros Philosophos si reuiuiscerent. Mentis ergò discretione licèt veritatem legis & fidei Christianæ experiri, quia sic nullus experiri quęrit nisi dubius factus de sua perfidia, per quod incipit tendere ad veram fidem.

Experiri autem super hoc miraculum à Deo expetendo, illud omninò illicitum est, sicuti fortè experiri voluit iste Iudæus, in quo multum peccasset, minus tamen vt ęstimo quàm si illud ex malitia fecisset, &c. multò minus puniendus esset pro isto commisso per ecclesiam post eius conuersionem si propter experiẽtiam illud commisisset, quàm si propter contumeliam, si tamen super hoc certificari potuisset, &c. si propter illud post baptismum puniendus esset, de quo tamen non est dubium quin puniendus fuisset si conuerti noluisset, quia non sunt permittẽdi agere Iudæi vel docere aut scribere in contumeliam Christi, si super hoc ecclesia instrui posset, licèt permittantur historialiter exponere, & docere vetus testamentum, & alia cerimonialia veteris legis exercere. Sed postquàm conuerti voluit, aduertendum est an commotus miraculo dicto ad ecclesiam se diuertit petens baptizari priusquàm impingeretur illi tale facinus, &c. priusquàm pro isto ad carcerem traheretur, an nompetiuit baptizari nisi postquàm calumniatus fuerit super dicto crimine, & fortè ad carcerem tractus.

Si secundo modo, magna præsumptio fuisset quòd non nisi propter metum mortis & fugam eiusdem baptizari voluisset, vt per hoc euadere posset, & tunc nequaquàm ad baptismum assumi debuisset, nisi probabilibus indicijs apparuisset ipsum verè conuersum fuisse, & non timere mortis baptismum petijsse, aliter enim fictus reputari debuit, & ad baptismum non recipi, sed potius ad pœnas trahi. Si primo modo, aut si fortè probabilibus indicijs apparere potuit ipsum non ficte & metu mortis baptismum petijsse, sed tanquàm verè pœnitentem amore fidei Christianę, omninò recipi debuit ad baptismum.

Dubium. Et tunc restat dubium propositum, An baptizatus puniri deberet pro dicto commisso, & hoc per iustitiam publicam pœna corporali, quali puniendus

riendus fuisset si conuerti noluisset, putà mortis, quia de pœna spirituali à Deo infligenda pro dicto commisso certum est, quòd per baptismum remissa est omninò cum peccato, si tamen non ficte baptismum assumpsit. Et hic distinguendum puto, quia aut constare potest per aliqua certa indicia post receptum baptismum, quòd fictus accessit ad illum, & tunc dico, quòd non est reconciliatus in aliquo ecclesiæ, & punien dus est acrius quàm ante baptismum, quia cum præcedenti peccato additum est præsumptiuè peccatum fraudis quòd decepit ecclesiam cum ei contulit baptismum.

Aut è contrario constat per contraria indicia quod firmiter stat in eo quod assumpsit, & quod verè ad baptismum accessit, & tunc dico, quòd commissum istud quatenus pertinet punitio ipsius ad ecclesiam siue ad legem Christianam, quia scelus peccati illius commissum est in totũ corpus ecclesiæ, & in quemlibet existentem in illa inquantùm est membrum Ecclesiæ, licèt non vt est persona singularis, emenda in punitione illius facienda est toti Ecclesiæ & cuilibet in ea inquantùm est membrum eius, nunc autem post quàm suscepit illum ecclesia ad baptismum, & per hoc eum sibi adiunxit vt membrum sanum, & similiter ceteris membris suis coniunxit atque astrinxit vinculo charitatis, in hoc eum sibi & membris suis perfectè reconciliauit, non solùm sibi remittendo rancorem pro commisso sed etiam omnem iniuriam quæ respicit emendam, & hoc facto huiusmodi iniuriam ei remittendo, licèt nó verbo, quemadmodum si cui proximus suus iniuriatus fuit, post quàm recepit illum ad perfectam amicitiam, & familiarem conuersationem in prandijs, & alijs in quibus homines amicabiliter solent conuenire, omnis iniuria reputatur inter homines illi remissa, vt de cetero contra illum agi non possit actione iniuriarum, & hoc etiam quemadmodum si quis aliquam deflorauit, & tenetur ei emendare iniuriam ipsam dotando, si consentit, quòd eam recipiat in vxorem, omnis iniuria illi remissa est ab illa, nunc autem summa iniuria esset post remissionem iniuriæ vindictam expetere.

Responsio. Dico igitur, quòd quantum mihi apparet multum ecclesia illi Iudæo iniuriaretur, si postquàm per baptismum factus est vt apparet verus Christianus, post baptismum susceptum verè in aliquo eum puniret quantuncunque modico non solùm extremo mortis supplicio, quo non debèt puniri nisi incorrigibiles qui sunt putrida membra in animali, quæ oportet abscindi ne cætera membra inficiant, dicente August. in Epistola ad Marcellinum. Vindicta vltima iustè exposcitur quando nullus iam restat correctionis locus. quia vt dicit in Epistola ad Maced. in plectendo & ignoscendo hoc solùm recte agitur vt vitatis hominum cotrigatur, quale membrum non præsumitur quòd sit iste, postquàm sicut verè conuersus ad baptismum susceptus est, nec aliqd contrarium indicium appareat, in hoc enim seipsum seruitio Dei, & Ecclesiæ pro delicto suo perfectè exhibuit, & de seipso satisfecit, & ideò mitissimè cum eo tanquàm cum filio, & seruo deuotissimo agendum est, vt comparando istum Iudæum conuersum ex dicto miraculo ad alium non conuersum, respectu iudicij Ecclesiæ, dicamus illud Ansel. de similitudinibus, vt infra quæstione sequenti. Hunc mitiùs iudicat vt ex toto proprium, illum verò seuerè vt minùs priuatum.

Vnde indignanti, quòd tali sic parcit Ecclesia, dici potest illud quod dicit Aug in Epist. ad Vincentium. Non tibi displiceat Ecclesiæ mansuetudo, quæ membra Christi colligit non collecta dispergit. Vnde de remittendo ab Ecclesia omninò commissa ante baptismum baptizato, expresè dicit August. ad Vincentium contra hæreticos auctoritate Titonij sic inquiens. Velim & ista commemorare quæ Titonius scriptis suis inserit contra vos pro Ecclesia Catholica, scribit enim à ducentis septuaginta Episcopis nostris Concilium Carthagine celebratum, & post positis omnibus præteritis limatam esse sententiam vt immensi criminis reis si baptizari vellent pro integris cómunicaretur. Idem ad Bonifacium de baptizatis ab hæreticis impugnatoribus, & occisoribus Catholicorum postmodum ad Ecclesiam conuersis dicit sic. Ecclesia persequitur illos diligendo, illi Ecclesiam sequendo, ista vt corrigat, illi vt euertant ista vt reuocet ab errore, illi vt præcipitet in errorem, sicut Ecclesiæ charitas laborat vt eorum nemo moriatur, sic eorum laborat furor nos occidere, & infra Taceo ærumnas, cædes, & incendia ecclesiæ. Sed nos huiusmodi afflictos malis consolatus est fructus. Nam vbi apertius ista sunt commissa vberius laudatur Dominus, qui donare dignatus est vt serui eius passionibus suis lucrarentur fratres suos & oues mortifero errore dispersas in pacem salutis congregarent. Et istis interrogantibus respondet subdens.

Quid apud vos cum nos transimus accipimus? Responsio. Non quidem accipitis baptismum, qui vobis extra compagem Christi inesse potuit prodesse non potuit, sed accipitis vnitatem Spiritus in vinculo pacis.

Ad argu. principale. Primum. Argumenta ad vtranque partem deficiunt. Quòd ergò arguitur primò, quod Iudæus ille puniendus est, quia commisit in legem Christianam, dico, quòd verum esset si non aliter satisfeciisset Deo & Ecclesiæ vt ambo ei delictum remisissent, & ad recóciliationem recepissent, qualiter iste satisfecit. Baptismo enim ex virtute passionis Christi satisfecit Deo, immò Christus pro ipso, voluntate autem sua bona qua

voluit baptismum suscipere, & sicut membrum seruitio comuni perpetuò se ascribere, satisfecit Ecclesiæ.

Ad secundum. Per hoc patet responsio ad secundùm, q̃ maleficium illud non manet impunitum, quia inquantùm peccauit in Deum, punitus est pro eo Christus: inquantùm verò peccauit in Ecclesiam, punitus est semetipsum exhibendo seruum eius, & Dei perpetuum.

Ad tertiũ. Ad tertium, quòd si iste propter susceptum baptismum non puniretur, tunc metu mortis baptizati impunes manerent super commissis. Dico secundùm iam dicta, q̃ non est verum, quia nisi percipi posset, q̃ metu mortis peterent baptismũ, tunc omnino eis esset baptismus denegandus, & ad pœnas essent ducendi, statim: & similiter si post susceptum baptismum constare posset, quòd solo metu mortis illum susceperint: secus autem esset si verè conuerti vellent, sicut dictum est. Et hoc quemadmodũ contigit de Paulo, qui post suam veram conuersionem puniri non debuit, qa Ecclesiam persecutus fuit, sicut etiam neque Sarracenus, qui in exercitu Sarracenorum impugnante Ecclesiam Christi, Ecclesias spoliaret, & sacramẽtum Altaris in vituperium Christi pedibus conculcaret, puniretur ab Ecclesia, si viso miraculo in conculcatione ista statim cõuerteretur, & dimissa societate Sarracenorum humiliter concurreret ad Ecclesiam, fidem eius profitendo, & baptismum petendo, atque suscipiẽdo.

Ad quartum. Ad quartum, q̃ haptismus non tollit pœnam, sicut nec irregularitatem bigamię dico, q̃ verum est, nec iste virtute sacramentali baptismi à pœna dicta liberatur, quia non purgat eam, sicut nec bigamiam, sed sola bona voluntate, qua petit fieri membrum Ecclesiæ, & se in perpetuum seruitio Christi, & Ecclesiæ ascribit, & per hoc Ecclesia commissum illud ipsi omninò indulget, & eum sibi reconciliat, vt dictum est.

Ad quintum. Ad quintum, quòd tunc Iudæus iste non esset puniendus post baptismum pro furto commisso ante baptismum, vel pro homicidio: dico, quòd verum est inquantùm punitio est facienda tanquàm emenda Ecclesiæ, aut mẽbris eius, inquantùm membra eius sunt simpliciter. Quatenus tamen est facienda personis priuatis, vt sunt tales, in quibus commissum est, & vt singulares sunt personæ, in quas commissum est, benè est puniẽdus. Vnde vxor pagani conuersi, si fornicata fuit ante baptismum, post baptismum punitur carentia consortij mariti, vt extra de diuortijs. Gaudemus, in fine, vbi dicit Gloss. Omne crimen tollitur in baptismo, quo ad Deum, quod ante contraxit, vel fornicando, vel adulterando, sed quatenus illa fornicatio respicit virum non tollitur in baptismo, & paulò post, Delictum enim quod commisit in se tollitur, quod commisit in alium non tollitur.

Et secundùm hunc modum credo, quòd omnia iura, quæ loquuntur de punitione pro commisso ante baptismum, exponenda sunt de iniuria facta in personam priuatam, vt priuata est, sicut est illud Domini Ostien. extra de diuortijs, Gaudemus. vbi dicit in fine. De quolibet homicidio, vel furto ante baptismum commisso potest accusari, quia quamuis per baptismum remittatur peccatum, tamen obligatus manet ad pœnas temporales. Et cui manet obligatus ad tales pœnas, exponit paulò post, dicens, Omne peccatum tollitur per baptismum quantùm ad Deum pertinet, & satisfactionem eidem exhibendum, non tamẽ quantùm ad satisfactionem homini faciendam, quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. Item illud Domini Innocent. super eundem locum. Si ante baptismum furtum, vel homicidium quis commisisset, post baptismum & accusabitur & condemnabitur.

Nam licèt dimittatur peccatum, quo ad Deũ, & quo ad legem promotionis, quia promoueri potest quamuis peccatum ante baptismum cõmissum sit notorium: tamen quo ad accusationẽ, & pœnas alias non spirituales benè ligabitur post baptismum. Vnde puto, quòd si quis commisisset homicidium, vel furtum ante baptismum, puniendus esset ad satisfaciendum priuatis personis, quarum parentem occidit, vel quibus possessionem abstulit, aut si quis alteri teneretur ad pœnã seruitutis ante baptismum, illa non tollitur in conuerso post baptismum, vt enim dicit Gloss. iam dicta. Iniquum esset quòd baptismus tolleret beneficium alteri competens, sicut in libertate, quàm scilicet habet aliquis in peculium, vt sit per seruum suum: non enim amittit illam ex baptismo, dicente Apostolo primæ Corinth. 7. Vnusquisque in qua vocatione vocatus est in ea permaneat. Glossa. In ea vocatione, id est, in ea conditione, & addit, Non repugnante scilicèt ei ad quod vocatus est, vt enim dicit Glossa, hoc ad eas conditiones, vel consuetudines vitæ retulit quæ nihil obsunt fidei, vel bonis moribus, & quæ sit talis conditio, exponit Apostolus subdens cõtinuè. Seruus vocatus es, non sit tibi curæ Gloss. quia hoc est causa humilitatis, quæ ad eam, quæ in Domino est pertinet libertatem. Et quis sit status ad quem vocatus est exponit subdens paucis interpositis. Vnusquisque in quo vocatus est statu permaneat apud Deum, Gloss. in obseruatione mandatorum Dei. In isto ergo, quod addit Glossa.

Non repugnante, apertè insinuat à contrario, quòd si conditio, in qua quis vocatus est sit repugnans conditioni ad quam quis vocatus est, in ea permanere non debet, licèt aliàs in ea permanere deberet, putà si vxor conuersi ad fidem manens in infidelitate consentiat habitare cum isto, non tamen absque contumelia creatoris, vel

vt

vt eum pertrahat ad mortale peccatum, viri reus putasse debent ad culpam sui officij, si quid restitutio illi negatur, vt in prædicto capite, ergà reos misericorditer agerent, quorum vitę Gaudemus. Et sic iste per baptismum absoluitur necisque haberent legitimam potestatem.

à pœna seruili, qua tenetur mulieri reddere debitum, quia ista conditio obseruata repugnat obseruationi mandatorũ Dei ad quam vocatus est. Quare cum ista conditio, qua tenetur Iudæus noster Ecclesię ad pœnam mortis pro dicto suo peccato obseruata repugnat obseruationi mandatorum Dei, quia illam obseruare non posset subtractus à vita, ad quam vocatus est per baptismum: ab huiusmodi ergò pœna legitimè susceptio baptismo secundùm dictum modum absoluitur, & sic pro dicto commisso nullatenus puniri debet, quòd &c. si in aliquo puniendus esset in emendam faciendam Ecclesiæ: non tamen pœna mortis, sed aliqua humili pœna, &c. hoc quia minùs puniendus est, quàm ab hæresi reuersus ad Ecclesiam, eò quòd iste magis peccauit, maximè si ad experiendum dictus Iudæus hostiã consecratam pungebat.

Reuersus autem ab hęresi, morte plectendus non est, sed pœna humiliori, quàm iste, qui nunquàm fuit Ecclesię coniunctus, dicente August. de reuertentibus ab hęresi ad Ecclesiam in libro de vnico baptismo, capitulo duodecimo. Eorum detestabilia mala nequaq̃ suscipimus quandoquidem nisi eis correctis ad nos transire non possunt, nec illud sine distinctione prętermittimus, vt humiliorem agant pœnitentiam, qui iam fideles fidem Catholicam deseruerunt, quàm qui in illa nondum fuerunt.

Et quod amplius est, etsi districto iure Ecclesia per Principem posset talem punire: in hoc tamen casu vbi non solùm verbo, sed etiam facto summa correctio promittitur à reo, venia ei facienda est, nè morte plectatur. Iuxta illud quod dicit August. ad Maced. Omnia peccata videntur veniabiliora cum reus correctionem promittit, &c. infra. Neque criminis vlto-

Vnde siqua pœna plectendus est iste noster Iudęus pro commisso ante baptismum contra priuatam personam, illa non debet esse nisi temporalis, & in hoc potest Iudex Secularis parcere corrigibili commutando pœnam mortis in pœnam temporalem super quocunque delicto, & à quocunque commisso, dicente Aug. ad Aprigium, Cur non flecteris in partem prouidentiorem, leniorem que sententiam? quod licet iudici, etiam in causis non Ecclesię.

Quòd etiam pœna mortis plecti non debet, expresè testatur Innocentius in eo, quod dixit iam supra, quòd peccatum commissum ante baptismum remittitur, quo ad Deum, & quo ad legem promotionis, quia promoueri potest, quod nequaquàm esse posset si morte plectendus esset.

Ad argumentum in contrarium, quod Iudęus noster non credebat hostiam illam fuisse consecratam, &c. *Ad argum. oppos.*

Dico, quòd verum est simpliciter, vt procedit argumentum, quantum tamẽ tangit ipsum, credebat ipsam fuisse consecratam, pro quanto Ecclesia ipsam potuit consecrare, & per hoc intendebat facere contumeliam Christo pro quanto Christiani credebant ipsam sic fuisse consecratam, quòd in ea continebatur verum corpus Christi.


Propter quod secundum suam intentionem talem, maximè peccauit, & puniendus ab Ecclesia fuisset, nisi susceptione baptismi ei recbiciatus fuisset. Non sic autem peccaret Christianus pungendo hostiã, quam nullo modo crederet consecratam, scilicèt nec simpliciter, nec prout ipsam consecrare potuit Ecclesia; & ideò illam potuit pungere alia de causa, quàm Iudęus eam pungebat, & non peccare in illam pungendo, & sic nequaquàm simile est adductum pro simili.

Comment. in Quæstionem XV. quæ est,

Vtrum Iudæus pungens Hostiam Consecratam, qui videns sanguine emergente ex puncturis ipsam rubescere, & viso miraculo conuertitur, & baptizatur, debeat pro isto delicto puniri à iustitia publica.

ITVLVS ex parte taliter agentis dilatari potest ad quencunque infidelem: ex parte verò actionis ad quancunque actionem, quia fieret hostiæ sacræ notabilis iniuria.

In corpore habita diuisione, & subdiuisionibus quibusdam, sex conclusionibus satisfit quæsito, quæ omnia faciliùs intelligentiæ gratia possunt ad hanc formam reduci.



Not. ante omnia, quòd hæc quæstio etiam, vt apparet, tribus conclusionibus concludi potest, si quidem quod de vno membro dicitur principali diuisionis, etiam de reliquo dicendum est, præter hæc, quòd cum in primo membro, vbi ponitur, quòd ex pura malitia &c. grauiter peccet, quoniam peccatum ex malitia suaptè natura grauius est eo, quod non fit taliter, vbi puniendus esset huiusmodi, vtique grauius puniendus esset.

Prima conclusio autem & quarta eadem ratione probantur. Quod enim puniendus sit patet, quando nullum peccatum impunitum relinqui debet, sed hoc facinus peccatum est, igitur.

Quòd verò dupliciter, idest acrius, quàm ante baptismum, patet, quoniam vbi duplex peccatum, ibi acrior pœna correspondere debet secundum rectam rationem, sed talis taliter agens peccato illius actionis pessimæ addere finctionem, quæ & ipsa peccatum est, igitur &c.

Not. quòd tametsi Auctor non proferat has rationes, ex suis tamen principijs colliguntur. Tacuit aut) & probare non curauit, quod sibi videbatur clarissimum.

Secunda verò & quinta conclusio hac ratione potest probari. In baptismo remissa est culpa & pœna cuiuslibet peccati, igitur puniendus non esset. Patet antecedens: quoniã sacramentũ baptismi cum sit sacramentum regenerationis, & vitæ, confert gratiã, condonans omnia delicta per meritum Christi. Patet consequentia, quoniam puniendus non est, nisi qui in culpa est, sed qui baptizatus, non præsumitur in culpa esse pro peccato in baptismate deleto, igitur &c.

Præterea. Non est puniendus nisi incorrigibilis ab Ecclesia, sed cum factus sit membrum Ecclesiæ, & corrigibilis, non est amplius præsumendus incorrigibilis, igitur. Maior patet ex Augustino, & Anselmo, vt patet in litera. Minor verò patet, quia quicunque venit ad baptismum efficitur Ecclesiæ membrum, & correctioni subditus.

Tertia & sexta conclusio patet, quia præsumitur, quòd timore pœnæ baptismum quærat, & petat, & ideò dandum non esset ei tale sacramentum, ideoque puniri debet.

Not. autem, quòd vbi probabilibus signis, & indicijs constaret, quòd propter miraculum conuersus esset, fortè dandum illi esset baptisma, per quod cum correctioni se subderit libenter, puniendus ex pietate non esset, imitando Dominum, qui & piè illum supportasse visus est, & traxisse ad gratiam suam, vt ex malo iuxta morem suum, eliceret bonum, & tantò quidem maius, quantò maius est ipsum malum.

Not. quòd eadem fortè resolutio dari posset quæstioni, qua quæreretur de imaginem aliquam Christi percutiente. Et certè vt D. Athanasius habet in ciuitate Beritho susceptí quondam fuerunt ad baptisma omnes illi Iudæi, qui imaginem illam Saluatoris percusserunt, neque tamen puniri fuerunt, quia non fictè accesserunt, sed magnis ex fide, & intimo terrore, & contritione, eiulatibus baptizari petierunt.

QVAESTIO XVI.

Vtrum Religiosus grauiùs peccans minùs puniendus sit, quàm Secularis minùs grauiter peccans.

Arg. princ. 

ARGVITVR Secundum arguitur, q Religiosus grauius peccans nõ minùs puniendus sit, quàm Secularis minùs peccans, sic: si Deus maius peccatum minùs puniret, nõ esset æquus iudex, quia non est æquitas nisi pœna respondeat culpæ, consequẽs est falsum: ergo &c.

In oppos. primum. In contrarium est, quod dicit Anselmus de similitudinibus, loquens de Religioso, & Sæculari, sic. Licèt vterque idem peccatum committat, Monachus maiorem, quàm Laicus misericordiã consequetur, quod non est, vt videtur, nisi quia pro peccato suo minùs punitur, quàm Laicus: cũ tñ grauiùs peccet Religiosus, quia vt dicit ibid ẽ de Religioso, tantò magis sibi cauere debuerat, quantò se magis Deo promiserat: ergò &c.

Item mitiùs agendum est cũ filio, & seruo familiari, q̃ cum extraneo, dicente Domino de filijs, et seruis respectu extraneorũ, Malac. 3. Parcã *Secũdum.*

eis, sicut pater filio suo seruienti ei. Gloss. In quo duplex affectus est, &c. pietatis in filium, & seruitutis in famulum, sed mitiùs nõ agit dominus, neque parcit, nisi minùs puniendo: ergò &cæteri ficut prius, &c. est ratio Ansel. ibidem.

Responsio. Dico, quòd cum vt dicit vigesimatertia propositio de causis, causa prima, quæ Deus est, existit per influentiam, &c. effectum regiminis in omnibus rebus, sicut causa in suo effectu secundùm vnam dispositionem quantùm est de se, vt scilicèt non plus, nec aliter influat vni, quàm alteri, sed vniformiter omnibus, secundùm quod semper vnius, &c. eiusdem dispositionis est in seipso, sed omnes res recipientes influentiam, & effectum regiminis eius, non existunt in ea, sicut effectus in causa ad recipiendum effectum influentiæ, &c. regiminis illius secundum dispositionẽ vnam, sed secundùm diuersas secundùm diuersitatem recipientium: &c. ideò vt dicit ibidem Commenta diuersitas receptionis non fit ex causa prima, scilicèt vt ex illa oriatur ratio, &c. causa istius diuersitatis, sed fit propter recipiens, qd est, quia suscipiens diuersificatur, quare cũ quæstio nostra sit de influentia Dei, &c. effectu regiminis eius circa homines in puniendo delicta. Dico inquam, quòd si vnus maiorem misericordiam à Deo consequitur in hoc, quòd ei parcitur, &c. mitiùs cum eo agitur, quàm cum altero, & hoc in eo, quòd minus altero puniatur pro maiori, vel æquali delicto, putà Monachus, aut religiosus, quàm sæcularis, ratio huius diuersitatis, seu causa nulla est ex parte Dei, quia vt dicitur in Commento dicto, Bonitas q̃tùm est ex parte sua influitur super oẽs res æqualiter ex causa prima.

Si ergò parcat Deus per misericordiam in minus puniendo vnum, quàm alterum, ratio, seu causa illius diuersitatis solùmmodò est ex parte illorum, quibus parcitur. Sanè cum omnes viæ Domini, quib graditur per effectus suos in creaturis, sint misericordia, & veritas, vt propterea Deus semper per misericordiam quenquam puniat citrà condignum peccato, &c. remuneret similiter vltra condignum merito in puniendo peccata, nec est crudelis, in puniendo scilicèt plus iusto, quo scilicet pœna æquata delicto esset, nec est rigidus, in puniendo scilicèt æquale iusto, siue tantùm quantùm meretur delictum, &c. iustitia requirit, sed est mitis, in puniendo scilicèt minus illi iusto, quàm requirit rigida iustitia: sic tamen quòd illud minus non sit contra iustitiam, quia misericordia, quam in hoc facit iusta est, eò quòd decet bonitatem diuinam, quòd mitis sit, in puniendo scilicèt citrà condignum, &c. similiter bonitatem suam decet, quòd pius sit, in remunerando scilicèt vltrà condignum, &c. nec strictus sit, in remunerando scilicèt iustitia æquali secundùm meritum, nec parcus, in remunerando, s. minus iusto. Vnde quia pœnas & præmia omnib patitur Deus æqualiter quantùm est ex parte sua, & æqualiter recipiuntur nisi sit aliqua ex parte recipientium diuersitas, sicut dictum est, & ex parte Dei in sacramentis est tota causa, & ratio quare ipsis relaxantur pœnæ peccatis debitæ, &c. conferuntur dona gratiarum indebita, idcircò sacramenta singula æqualiter creduntur in singulis habere effectus.

Vlterius autem est aduertendum, q cum illa diuersitas non possit in hominibus recipientibus esse ex parte naturæ, cũ æqualis sit natura hominum sub specie humana, nisi fortè in Christo per articulũ Episcopi: oportet ergo, quòd sit ex parte illorum, quæ habent esse in natura, & hoc non quorũcunque vt accidentium naturalium, sed illorum solùmmodò, quę pœnas, & præmia respiciunt, cuiusmodi non sunt nisi peccata, atq; demerita, & dona gratiarum Dei, atq; merita, vt propterea diuersitas in peccatis, & demeritis, & & in donis, & meritis sit causa, & ratio plus præmiandi, vel puniendi vnum, quàm alterum. Sed ista diuersitas potest intelligi dupliciter. Vno modo ex parte præcedentis meriti, &c. gratiæ donorum Dei, atque demeriti. Alio modo ex parte actus præsentis, in quo est ipsum meritũ, vel demeritum, pro quo quis principaliter puniẽdus est, aut remunerandus. Si primo modo, dicó, quòd demerita præcedentia sunt causa, &c. ratio plus puniendi vnum quàm alterum, & in hoc minus parcendo vni, quàm alteri per misericordiam. Et similiter merita, & dona sunt causa, &c. ratio plus remunerandi vnum, quàm alterum per pietatem.

Dico ẽt quo ad generalem misericordiam, quã exercet ẽt circa damnatos, putà si peccata, & demerita vnius damnati se habeant in pondere, mẽsura, & numero ad peccata, & demerita alterius, sicut centum libræ ad vnam, si illi, qui peccata, & demerita habet ad mensuram vnius libræ parcitur in pœna ad mensuram, &c. pondus vnius denarij: alteri parcitur ad mensurã centesimæ partis vnius denarij, quia misericors iustitia requirit vt maiori culpę minor respondeat pœna. Et ẽt quo ad generalem pietatẽ, quam exercet circa saluatos, putà si dona, & merita vnius saluandi sẽ habeant in pondere, numero, & mẽsura ad dona, & merita alterius saluandi, sicut centũ libræ ad vnã, si illi, qui dona, & merita habet ad mensurã vnius libræ, augetur gloria in futuro, vel gratia in præsenti vltra condignum ad mensuram vnius denarij: alteri augetur ad mensuram centum denariorum, quia pia iustitia exigit, vt magis merito maior gratuitas fiat, & hoc non tàm in augendo bona gratiæ in viatoribus, quàm in diminuendo debita mala pœnę. Vnde si dona & merita vnius præcedentia se habeant in pondere, mensura, &c. numero ad dona, & merita alterius, sicut centum libræ ad vnam, si illi, qui dona, &c. merita habet

ad mensuram vnius libræ paretur in pœna ad mensuram, & pondus vnius denarij, alteri paretur ad mensuram c. denariorum, & hoc cuiuscunque conditionis sint, siue ambo religiosi, siue ambo sæculares, siue vnus religiosus & alter sæcularis, & hoc si ambo pœniteant. Si enim vnus pœniteat & alter non, infinitè grauius punietur non pœnitens, quia impœnitens punietur pœna æterna, pœnitens verò temporali. Si autem neuter eorum pœniteat, grauius semper punietur ille qui plura dona receperat, & plura merita congregauerat, &c. quia præsumitur, quòd talis est religiosus respectu sęcularis, propter hoc dicit Anſel. de monacho. Si pœnitere noluerit, maiori quàm laicus damnationi subiacebit, & hoc quia seruus qui voluntatem domini sui scit & non facit, vapulabit multis, vt dicitur Luc. 12. Si verò ambo pœniteant, & secundo modo proposito aspicianus ad merita in præsenti quando pœnitent, dico, quòd cæteris eisdem existentibus illi qui plus pœnitet, & conteritur, & ex maiori deuotione pœnitentiam agit, magis parcitur secundùm mensuram illorum. Potest tamen recompensatio fieri per votum sub quo vnus pœnitet, & non alter, vt illi qui plus pœnitet, & ex maiori deuotione siue tantundem, & ex æquali, minus parcatur.

Et secundùm hoc potest intelligi quod Anſel. immediatè ante verbum iam dictum dicit sic. Sic Deus inter professum monachum, & volentem profiteri iudicat si eos contra cum peccasse pœniteat. Non solùm enim professum mitius iudicat non professo, sed & quolibet laico in hoc sæculo constituto licèt enim vterque idem peccatum committat, tamen si toto ex corde monachũ deliquisse pœniteat, eumque cui se subdidit ordinem feruenti amore custodiat, maiorem quàm laicus misericordiam consequetur, quantuncunque iste pœniteat sæcularibus adhuc detentus.

Sed ponendo, quòd isto secundo modo prædicto diuersitas in peccatis & demeritis sit causa, & ratio plus puniendi vnum quàm alterum scilicèt ex parte actus in quo est ipsum meritum vel demeritum pro quo principaliter puniendus est quis aut remunerandus, tunc puto vlterius distinguendum, quòd scilicèt religiosus aut commisit peccatum suum ante professionem, aut post. Si primo modo, & causa agendi pœnitentiam intrauit religionem & profitetur? Dico, quòd alijs eisdem retentis ratione voti minus puniendus est quàm laicus pro peccato æquali aut etiam maiori aliquantulum.

Et de tali expresè loquitur Anſelm. 32. c. dicens sic. Plerunque contingit vt aliquis redundet vitijs, & intelligit, quòd aliter saluari non valeat nisi ferro districtioris pœnitentiæ fuerint resecata, vt ergò inde purgari perfectè queat alicubi in monasterio sponte sua se alligat professioni &c. Si secundo modo, aduertendum, quòd in hoc est diuersitas ex parte professionis, quia aut professio est talis in qua religiosus non profitetur omnem modum perfectionis, nec quicquid boni poterit operari, nec etiam semper quod melius est operari pro posse suo, aut est professio in qua religiosus omnia talia profitetur.

Si primo modo, cum iste religiosus indebitè peccauit contra Dominum cui professus est, opera satisfactionis in pœnitendo alias indebita scilicèt si si nó peccasset, debet agere, cuiusmodi sunt ista quæ non cadunt sub voto suo, ad quæ agenda se non obligauit, sed libertati suæ reseruauit. Et quia talis actus pœnitendi non cadit sub voto, ratione voti non auget meritum quia votum non auget meritum operis nisi cadat sub voto. Propter quod dicit Anſelm. in similitudine de duabus arboribus, quòd illius qui offert fructus suæ arboris ex voto acceptabilior est oblatio Deo quàm illius qui offert eam non ex voto, ita quòd si ille qui fructus vnius arboris offert ex voto, haberet aliam arborem, cuius fructus non offerret ex voto, ratione voti quo offerre dẽt fructus prioris arboris non esset acceptabilior fructus oblatus de alia arbore. De tali ergò religioso peccante & pœnitẽte post votũ, dico, ꝙ quantò talis religiosus grauius peccat sæculari, tantò grauius debet à Deo puniri, & minus ei parcetur si discedat, vt dictum est. Sed si redeat ad votum, & agat pœnitentiam, in quo casu nunc loquimur, opus quod facturus est sub voto iuxta opus pœnitentiæ valet vt ei plus parcatur, alijs eisdem retentis. Sin autem alijs non retentis eisdem sæcularis iuxta opus pœnitentiæ agat opus maioris meriti, licèt sine voto, valebit & hoc vt magis ei parcatur. Et hoc quemadmodum Auguſt. dicit libro 4 contra Iulianum, Tolerabilius punietur infidelis faciens opera de genere bonorum, quàm alius infidelis nolens illa facere. Regulariter enim alijs eisdem retentis pœna semper debet esse proportionalis, & semper pro æqualitate respondere delicto, vt quantùm quisque peccator glorificauit se & in delitijs fuit, tantùm detur ei de tormento & luctu, sicut dicitur Apocal. 18. & vt dĩ Deuteron. 25. secundùm mensuram delicti debet esse & plagarum modus, & hoc non secundùm proportionem arithmeticam quæ est secundùm eandem quantitatem, & non secundùm eandem proportionem, vt sicut 4. se habent ad 2. sic se habent 6. ad 4. Sicut enim quatuor excedunt 2. in duobus, sic sex excedunt 4. in duobus.

Sed non se habent sex ad 4. secundùm proportionem dupli ad subduplum, sicut se habent 4. ad 2. Non secundùm talem dico proportionem peccato respondet pœna, quia licèt peccatum sit vnũ & æquale in pluribus quo ad substantiam siue genus peccati, & quo ad hoc peccato eidem & æquali in diuersis quibuscunque eadem, &

æqualis

æqualis pœna deberet respondere, ex conditionibus tamen diuersis personarum, &c. circunstantijs existentibus in ipsis in æquali peccato secundùm genus, &c. substantiam peccati magis peccat vna persona quàm altera, putà Princeps aut Prælatus, quàm subditus, & religiosus quàm secularis, & vniuersaliter quantò melior est, & plura dona gratiarum à Deo suscepit, tantò plus peccat, &c. ideò maiori pœna plectendus est, equali tamen, & proportionali secundùm proportionem geometricam, quæ est secundùm habitudinem, non autem secundùm eandem quantitatem, secundùm quam sicut se habent 4. ad 2. sic se habent 8. ad 4. quia vtrobique est habitudo dupli ad subduplum, licèt in duplo plura 8. excedunt 4. scilicèt in 4. quàm 4. 2. quæ non excedunt ista nisi in duobus tantùm.

Procedit enim ista proportio secundùm iustitiam distributiuam, secundùm dignitatem maiorem, &c. minorem personarum, secundùm quod digniores personæ plus remunerantur in bellis, putà milites quàm rustici, licèt æqualiter laborent, &c. secundùm hoc plus puniendus est dictus religiosus peccans, quàm secularis secundùm modum prædictum.

Si autem religiosus secundo modo secundùm omnem modum profitetur, & offert se Deo, & post professionem peccat, grauissimè peccat, & tamen reuerso ad pœnitentiam magis parcit Deus, & mitius agit cum ipso, quia quicquid agit loco pœnitentiæ sub voto agit. Et de tali vt videtur dicit de Anselm. illud in capitulo trigesimoprimo. Si autem Deus inter professum monach. &c. sicut iam supra.

Quod benè declarat per similitudinem quam subdit in decimoquarto capitulo dicens. Quod vt apertius à simili videamus &cet. vt patet inspicienti cap. totum. In quo distinguit professionem huiusmodi religiosi de quo est sermo in hoc secundo modo, à religioso de quo est sermo in modo primo preced per promissiones duorum seruorum, quorum vnus aliquid sibi reseruat de proprio, vnde Domino satisfacere possit si contingat eum in seruitio suo peccare, cuius promissioni concordat votum præcedentis religiosi.

Alter verò nihil sibi reseruat de proprio, sed se &c. sua, & totum quod potest Domino confert, vt si eum quandoque contra Dominum peccare contigerit, non de alieno sed de proprio prout Domino placuerit emendam assumat, cuius promissioni omninò concordat votum huius religiosi. Quod adhuc amplius declarat in cap. 35. de duabus arboribus dicens. Sed &c. rursus à simili &c. In quo specialiter probat, quòd ratione voti acceptabilior est Deo pœnitentia talis monachi quàm laici.

Ex quibus clarè patet, quòd solùmmodò intentalem religiosum, & sæcularem intendit comparare, sed ipse videat vbi, & quando talem inuenire aut inuenisse potuerit.

Est autem aduertendum, quòd tota ratio in isto, & in prædictis quòd scilicèt vni magis parcitur in æquali peccato quàm alteri, contingit ex illa regula Euangelica. Luc. 7. Duo debitores erant &cet. vbi dicitur, Donauit vtrisque. Quis ergò eum plus diligit? & sequitur. Æstimo, quòd is cui plus donauit, & sequitur approbatio responsionis. At ille dixit ei, rectè iudicasti. Quod intelligo de dilectione quæ sequitur conuersionem ad pœnitentiam, quando aspicimus ad præsens meritum aut demeritum, de quo sermo habitus est iam in secundo membro diuisionis primo, &c. principaliter præcedentis. Conuerso enim qui per maiorem dilectionem agit opera pœnitentiæ, magis dimittitur semper, &c. in eo quòd per illam agit opera meritoria magis meretur, & pœnam debitam sibi minui, & gratiam augeri.

Vnde dicit ibidem Gloss. Plus ergò diligit ecclesia gentilem quàm Iudæum, quia & secundùm statum præsentem maior ei gratia confertur, & secundùm præteritum de maiori fœditate extrahitur. Idem autem potest, & fortè debet intelligi de dilectione quæ præcessit prius q conuersus ad pœnitentiam per peccatum cecidit, & hoc quando aspicimus ad præcedens meritum aut demeritum, de quo sermo iam prius habitus est in primo membro dictæ primæ diuisionis. Conuerso enim qui per maiorem dilectionem prius Deo fuit coniunctus, magis remittitur de pœna, &c. confertur de gratia secundùm modum præexpositum. Vnde vt addit Gloss prædicta, sicut plus debet qui plus accepit, sic qui plus accepit, quando reuertitur, gratiosius recipitur, & plus ei confertur, quia habenti dabitur. Dico autem habenti, quia per pœnitentiam restituuntur prius amissa per peccatum, & fortè cum augmento prout aliàs declaraui. Et qui simul diligit secundùm primum modum, & secundùm, plus recipit quàm qui secundùm alterum tantùm, &c. vniuersaliter quantùm quis proportionaliter plus diligit siue secundùm primum modum siue secundùm secundum, tantò plus recipit. Et sic vt breuiter totum concludamus non plus parcitur religioso quàm sæculari alijs eisdem retentis nisi pro quantò votum addit ad bonitatem operis.

Vnde &c. hanc causam inserit Anselm. dictæ determinationi suæ de monacho, & sæculari dicens. Ipsi vtrique sunt apti ad ferendum fructum operis boni, atque non eodem modo diligunt Deum, nec ei benè operando deseruiunt. Sæcularis enim quia eum minus diligit, tantùm boni operis offert quantùm voluerit. Monachus verò eum diligit intantum vt ad eum accedens totum

cum ei offerat seipsum. Sic ergo, quòd quis minùs punitur, & ei parcitur, & plus gratiæ confertur, hoc est propter maiorem dilectionem, vel quæ trahitur ex virtute boni operis præcedentis, vel ex virtute boni operis instantis, vt patet ex dictis.

Sed est aduertendum, quòd cum dicitur, quòd monacho magis parcitur, Verum est aspiciendo ad maiorem pœnam quæ debetur ei ratione circunstantiæ personæ, non per substantiam solum operationis, quanta non debetur sæculari, de illa enim tota pœna plus ei remittitur, quàm sæculari de tota pœna quæ ei debetur.

Sed non oportet ex hoc, quòd minor sit illa pœna quæ restat monacho, quia benè potest esse æqualis aut maior aliquantulum, cum hoc tamen quòd ei plus remittitur, putà si religiosus plus peccat sæculari, & vt peccatum illius se habeat ad peccatum istius sicut 8. ad 6. & similiter pœna quæ debetur illi se habeat ad pœnam quæ debetur isti, plus parcitur religioso si ei de pœna ad mensuram 8. se habente remittatur pro mensura duorum, & sæculari de pœna ad mensuram sex remittatur pro mensura vnius, & tantò plus de pœna restat religioso scilicèt ad mensuram 6. quàm sæculari scilicèt ad mensuram 5. & sic nequaquàm religiosus pro maiori peccato minus punitur.

Vnde si Dominus Anselmus intelligat, quòd in æquali peccato plus parcitur religioso quàm sæculari, sic quòd inde minùs puniatur alijs eisdem & consimilibus, & æqualibus existentibus hincinde præter votum in altero, non video quomodo litera sua stare possit, & habere veritatem, nisi dicatur, quòd excessiuè loquutus est in fauorem religionis.

Est etiam aduertendum, quòd licèt magis remittatur monacho ratione voti alijs eisdem rerentis, posset tamen contingere, quòd si maior esset deuotio, & contritio in sæculari qua reuerteretur, quòd statim magis ei remitteretur.

Sed Anselm. intelligit alijs eisdem rerentis & monacho scilicèt agente secundùm torum nisum suum, & similiter sæculari, quod benè explicauit supra quando dixit. Cum toto ex corde monachum deliquisse pœniteat &c.

Quòd arguitur primò in oppositum, quòd si Deus minus puniret monachum non seruaret iustitiam, dico secundùm iam dicta, quòd non punit illum minus simpliciter, sed iuxta quantitatem delicti sui illum minus punit, quia hoc meretur dilectio maior qua conuertitur & agit opera pœnitentiæ, & per hoc iustum est illud, & etiam esset iustum si puniret illum minus simpliciter. *Ad argu. princip.*

Loquendo autem de religioso qui non ad omnia se deuouit, de tali concedo, quòd plus illum punit semper, & per hoc in ipso seruat iustitiam.

Per quod patet quid dicendum sit ad primum in oppositum, vt enim mihi videtur aut loquitur de monacho qui peccauit ante professionem, aut de illo qui omninò se deuouit, & de vtroque concedo secundùm prædicta, quòd Dominus eum pœnitentem minus punit. *Ad primũ in oppositũ*

Ad secundum, quòd Deus agit cum filio, & seruo familiarius quàm cum extraneo, Dico, quòd verum est, dum tamen omninò, & in omnibus Patri, & Domino subiectus est, nec potest aliquid reddere nisi quod pertinet ad seruitutem, non sic autem de illo qui sibi aliquid retinuit, sicut facit religiosus, qui non ad omnia meliora se astringit secundùm modum supradictum. *Ad secundum.*

Nec valet ad propositum inductum de Malach. 3. quia loquitur ibi de iustis conuersis ad pœnitentiam, qui timentes Deum responderunt verbis blasphemiæ malorum, & hoc in comparatione ad illos malos damnandos in die iudicij, respectu quorum omnibus saluandis generaliter parcit, pœnam æternam commutando in temporalem, quam illis nequaquàm commutat.

Comment. in Quæstionem XV I. quæ est,

Vtrum Religiosus grauius peccans minus puniendus sit quàm secularis minus grauiter peccans.

ITVLVS satis clarus.

In corpore duo præsertim habentur. Primò vnum suppositum. Secundum est responsio ad quæsitum.

De primò suppositum est, quod si est aliqua diuersitas in præmiatione, vel punitione, profectò non est ex parte Dei, sed ex parte meritorum vel demeritorum illorum, qui vel præmiantur, vel puniuntur.

Probatur suppositum ex 23. propositione de causis, qua cognoscitur Deum influere omnibus æqualiter quantum est de se.

Ad euidentiam huius rei notato, quod Sol potest nobis exemplum clarissimum præbere. Iofluit enim æqualiter omnibus rebus, &, maximè sub eodem puncto existentibus, calefaciendo, tamen quædam nigrescere facit vt homines, quædam albescere vt ceram, quædam indurat vt lutum, quædam liquefacit vt picem.

Vnde hoc est ratione diuersarum dispositionum rerum, non ob ipsum Solem. Sic Deus, eminentius tamen, influit omnibus æqualiter.


Sed contra. A primo ente, inquit Aristot. datum est omnibus esse, his quidam clarius, his autem obscurius, igitur diuersitas essendi prouenit à prima causa.

Quicquid autem sit de hoc, animaduertendum est, quòd illa propositio de causis, non respicit influentiam productionis, sed influentiam regiminis, &, in hoc clarum est propositionem verificari.

Nam æqualiter omnia regit, quia vnica actione sua, quæ est sua bonitas. punire autem, vel præmiare spectat ad regimen. Semper autem seruatur vnitas ex parte regentis, tametsi diuersitas sit in his, quæ reguntur secundum varias dispositiones, sed & pro rei veritate, etiam quo ad productionem valet eadem ratione ipsa propositio. cum autem dicit à primo ente &c. negatur consequentia, quia in his, quæ talia sunt participatione, vtique si diuersa fuerint, non erit diuersitas nisi penès diuersos modos recipiendi, & recipientium quæ vtique diuersificantur secundùm maiorem, vel minorem participationem, &, in proposito, à primo ente datum est esse omnibus, his quidem clarius, his uti obscurius, ità intelligi debet, à primo ente oblatum est esse æqualiter omnibus, vt participant ipso. participant autem hæc quidem clarius, quia propinquiora cum essent, sunt facta magis participia diuini esse, illa verò contra obscurius, quia minus participia, atque remotiora à primo illo esse.

Sic itaque tota diuersitas est penès recipientia, &, in proposito quæstionis, si diuersitas est præmiationis, & punitionis, hæc vtique est, penes merita vel demerita.

De secunda habita super hoc diuisione, ac deinde quibusdam subdiuisionibus, sex conclusionibus satisfit quæsito, quæ omnia ad tabellæ formam fortè non erit inutile sic reducere.



Prima conclusio patet, quia id exigit tùm diuina iustitia, cùm etiam diuina misericordia, ac pietas, vt qui maioris meriti fuerit, ei quoque magis parcatur, & de sua pœnitentia maiorem fructum capiat, habito respectu ad merita præcedentia.

Cæterum diceremus, quòd etiam contritio ardens posset addere præcedentibus meritis, vnde qui minora præcedentia merita habuerit, pœnitens de peccato commisso, tantum ardeat, &, dolore feruet, vt lachrimis, & grauissimis pœnalitatibus alijs se astligat, magis quidem, quàm qui maiora præcedentia merita habuerit, profectò poterit præmiari, quia potest esse vt subsequentes actus in hoc æquarentur præcedentibus in illo.

Amplius

Amplius iudicaremus habendum esse respectum etiam ad grauitatem peccati commissi, &c. si enim peccata mortalia omnia priuent gratia Dei, atque peccatrem æterna reddant pœna dignum, tamen alterum altero grauius esse iudicandum est.

Tametsi id negauerit cum Stoicis Iouinianus, aduersus quos est veritas ipsa dicens. qui irascitur fratri suo reus erit iudicio, qui dixerit fratri suo Racha reus erit concilio, qui dixerit fatuè reus erit gehennæ ignis.

Secunda conclusio probatur. Ille magis puniendus est, qui plura merita congregauerit. Sed religiosus est huiusmodi, igitur. Minor videtur Anselmi de Monacho, &c. patet in litera.

Pro maiori autem not. quòd sicut maior est dolor pauperis qui diuitias plures consumpsit, quàm pauperis, qui paucas, vel nullas, atque magis ille vituperandus, ita profectò, qui peccato amisit plures meritorum diuitias, & prærogatiuas, vituperandus est, atque puniendus.

Tertia conclusio manifesta est. Nam impœnitentiæ finali correspondet æterna damnatio, contrariorum verò cum eadem sit disciplina, vt contrariorum contrarij sint effectus, si impœnitentiæ debetur æterna pœna, pœnitentiæ debitur pœna temporalis.

Quarta conclusio ab Auctore probatur ex Anselmo, quod apertè patet in litera.

Not. autem quòd ideò puniendus videtur minùs huiusmodi religiosus, quoniam recompensatur in hoc diuinæ iustitiæ per professionem, qua per humilitatem subiicit se Deo, & hominibus, cui scilicet Deo promittit in manibus hominum obedientiam secundùm regulam. &c.

Quinta conclusio declaratur, &c. pro intelligentia sciendum, quòd omne opus, quod fit sub ratione voti semper est magis meritorium, quàm quòd non fit sub tali ratione. Vnde obedientia sub voto magis est meritoria, quàm ea, quæ non est sub voto, atque sic de alijs.

Supponitur autem in quinta conclusione quòd talis religiosus agat pœnitentiam, &c. quidem quòd opera illa, quæ facit pœnitentiæ quæ sunt illi fructus, qui digni sunt pœnitentiæ; non sint secundùm votum, sed extra votum. Et ideò non magis meritoria in hoc, quàm in laico, &c. ideò remanet tantum probanda conclusio eadem ratione, qua & secunda, confirmaturque ex Anselmo, & Augustino &c.

Not. autem quòd intelligitur cum debita proportione. Potest enim tantò grauius esse peccatum laici, vt super excedat quod boni congregauerit religiosus, quantum est ex parte eius, non ex parte recepti, quia gratiam Dei nihil excedit.

Sexta conclusio patet ex opposito, quia si pœnitentiæ opera sine voto non suffragantur religioso, ergò suffragabuntur ex voto peracta. Confirmat autem Auctor id ex Anselmo.

Insuper per regulam illam, duo debitores erant cuidam fœneratori. Vnde applica, quòd similis Magdalenæ videatur religiosus, Simoni verò laicus. Vnde religiosus magis diligere videtur, qui sponte se Deo magis amore subiecit, & post peccatum amoris opera illius exercet. Confirmat Auctor amplius ex locis gloss. vt patet in litera.

Not. verò quòd totum hoc intelligitur facta comparatione inter laicum, & Religiosum, vbi peccata fuerint æqualia. Vbi enim Religiosus grauissimè peccaret, non ita verò tametsi mortaliter laicus, sed minus satis, ex substantia operis, puniendus magis esset Religiosus.

Inspicienda est etiam hinc inde deuotio, atque contritio, vt & tetigimus paulò antè, caueant idcirco Religiosi ne hac spe peccent, qui etiam in æqualibus suaptè natura grauius peccat Religiosus.

Sicut enim opera facta ex voto meritoria magis sunt, vtique ita opera contra votum sunt magis demeritoria.

QVAESTIO XVII.

Vtrum multitudo populi defendens prauam consuetudinem suam antiquam, puta forum publicum tenere in cemiterio hora missæ, sit propter hoc puniendo.

Arg. primo.

IRCA tertium arguitur, quòd multitudo defendens prauam consuetudinem antiquam punienda est, tum quia peccat illam consuetudinem seruando, tum quia peccatum suum aggrauat illam defendendo.

In oppositum.

Contra. assueti & nutriti sunt in illa & generati à progenitoribus suis, vt contrarium diligere non possint nec discernere, in hoc ergò eis parcendum est.

Dico, quòd proculdubio talis consuetudo, quia in peccato est, vt aliàs determinaui, punienda est, & à Deo in futuro nisi pœniteant eam tenentes, & ab ecclesia in præsenti, nisi maius malum à tali punitione prouenturum timeret scilicèt populi rebellionem.

Responsio.

Propter quod in tali consuetudine frequenter tolerare oportet multitudinem, sed tamen debet eis à prædicatoribus & viris iustis reprobari. Sed istud tolerare non est propriè parcere, quia non est parcere nisi punire cum mitigatione. Vnde de correctione talis consuetudinis puta fori aut commercionis in diebus festiuis aut aliis huiusmodi, dicit Augustin. in Epistola ad Aurelium. Non aspere quantum estimo, non dure, non imperiosè ista tolluntur, magis docendo quàm iubendo; magis monendo quàm minando.

Sic enim agendum est cum multitudine peccantium, & siquid minamur cum dolore fiat de scripturis comminando vindictam, ne nos in nostra potestate, sed Dominus in nostro sermone timeatur, itaque prius monebuntur spirituales vel spiritualibus proximi, quorum auctoritate cœtera multitudo frangatur.

Et sic patent argumenta primum & secundum.

Finis Decimiquarti Quodlib. Magistri Henrici à Gandauo.

Comment. in Quæstionem XVII. quæ est,

Vtrum multitudo populi defendens prauam consuetudinem suam antiquam, puta forum publicum tenere in quinto loco Missæ, sit propter hoc puniendus.



ITVLVS clarus. Sumitur autem consuetudo æquiuoce, nam vt talis bona est.

In corpore conclusio est, quòd punienda est simpliciter, ex circunstantia verò tolerandus.

Prima pars declaratur, quòd scilicet quatenus peccatum est, punienda est, cuius enim probatus per primum argumentum in fronte quæstionis.

Secunda pars declaratur, quòd tolerandus esset, quando esset probabilis timor rebellionis populi, vel alterius grauissimi mali. Persuadendum autem illis esset consuetudinem illam malam esse.

Patet per Augustinum in litera.

Not. pro hac secunda parte, quòd intelligi debet de illa consuetudine, quæ non est contra fidem, & quæ hæresim non includat, quia vbi esset contra fidem, non esset magis timenda rebellio, quia hæc consuetudo esset malum maximum.

Ideò intelligitur de consuetudine, vbi quod timeri posset maius malum realiter esset. Est enim regula, quod tolerandus est minor error, ne maior eueniat.

Vnde Angel. §. 15. in verb. consuet. & Armil. eodem verb. §. 11.

Explicit Decimumquartum Quodlib. ad laudem Dei, & Beatæ Virginis.

MAGISTRI HENRICI A GANDAVO

DOCTORIS CELEBERRIMI

QVAESTIONES QVODLIBETALES

Cum Commentarijs, seu Adnotationibus R.P.D. Vitalis Zuccolij Abbatis Ordinis Camaldulensis Theologi Clarissimi.

Quodlib. Decimumquintum sexdecim Quæstiones continere facilè cognoscitur, vnicam tamen de potentia Dei, cæteras verò ad creaturas attinentes, vt initio prioris manifestum, atque etiam ex ipso processu.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum Deus posset facere, quòd vacuum esset.

DISPVTATIO nostra de Quolib. vltimò habita scilicèt quintadecima, continebat Quæstiones sexdecim. Quarum vnica erat de Deo, Cæteræ autem omnes erant de creaturis. Illa vnica de Deo erat, Vtrum Deus posset facere, quòd vacuum esset.

Arg. princ. Et arguebatur quòd sic, quia Deus posset facere materiam quæ est sub forma substantiali & quantitate, subitò esse absque forma huiusmodi, & quantitate, quo facto necessariò sequitur vacuum esse, aut motum fieri in instanti, sed motū fieri in instanti est impossibile secundùm Philosophum 7. Physic. vbi probat, quod omne quod mouetur in tempore mouetur, & nihil in instanti, ergò &c.

Probatio suppositi est, quòd Deus posset abstrahere vim qua conseruat res in esse à forma & quantitate, & non à materia, quo facto forma & quantitas quia compositum ex materia, & forma spatium occupauit, putà inter partes aeris contentum, caderent in non esse, remanente materia in esse, & tunc partes illæ aeris aut subitò cōcurrerent, & in instanti ne esset vacuum, sed sic non possent concurrere nisi per spatium aeris cir

cunſtantis dictum ſpatium per rarefactionem ſucceſſiuam, ad quam ſequitur partium cocurſus ad replendum dictum ſpatium non niſi per motum localem in dicto inſtanti, aut concurrerent in tempore, & eſſet vacuum inter partes in toto illo tempore vſque ad perfectam reconciliationē earum, licèt continuè minus & minus, cum nullum eſſet ibi corpus perfectè implens illud ſpatium, aut non concurrerent illæ partes omninò, ſed ſtarent in eodem ſtatu quo prius abſque omni rarefactione, & ſic perfectè maneret illud ſpatium vacuum æqualium dimenſionum ſeparata tum cum dimenſionibus in materia quę prius illud occupauerunt.

In oppoſitum. Contra, ſi Deus facere poſſet, quòd vacuum eſſet, poſſet facere, quòd eſſent contradictoria ſimul, puta quòd partes continentes vacuum eſſent ſimul & non ſimul, quod Deus non poteſt facere, quia eſt omninò infactibile, ergò &cet.

Probatio conſequentiæ ſuppoſitæ eſt quòd ſi vacuum factum eſſet à Deo dicto modo, partes dicti continentis eſſent ſimul, eò quòd ipſarum nihil eſt medium per definitionem eius quòd eſt ſimul 5. Phyſicor. Nihil autem eſt medium inter partes dicti continentis, quia nihil eſt medium niſi vacuum, & vacuum nihil eſt ſecundùm Philoſophum 3. Phyſic. Partes etiam dicti continentis non eſſent ſimul, tum quia vacuum eſt mediū per quod diſtant, tum quia materia manens eſt medium, tum quia ipſæ ante materiæ denudationem non erant ſimul, quare nec ipſa denudata ſtatim ſunt ſimul, cum nihil ex illa materiæ denudatione circa partes continentis immutatum ſit. Iſta quæſtio vt exiſtimo introducta eſt quia

Reſol. qō. aliquis nuper poſuit, quòd materia non poteſt eſſe ſine forma & quantitate, & quòd Deus hoc non poſſet facere, cuius contrarium aliàs determinaui, & illud poſuit ea videlicèt ratione, quia ſequeretur aut quòd vacuum poneretur eſſe, aut motus eſſe in inſtanti prout procedit primum argumentum, & ſuppoſuit, vt tactum eſt in eodem argumento, quòd motus non poteſt eſſe in inſtanti, quod proculdubio verum eſt etiam in propoſito, poſito quòd ſit vacuum ſecundùm dictum modum.

Licet enim in vacuo non poſſet eſſe motus grauis aut leuis ſecundùm ſe, ſed tantùm modò motus progreſſiuus animalium ſecundùm Comment. 4 Phyſic, poſita tamen materia ſubito ſpoliata forma & quantitate ſecundùm tactum modum, dictæ partes aeris in vacuo quod ibi proculdubio partibus dictis interciderent, per motum concurrerent, quia non concurrerent niſi manentes connexæ in contínuo, & hoc non niſi per ſuam rarefactionem, quæ non ſubitò in inſtanti ſed ſucceſſiuè, & in tempore fieri poſſet, quouſque toto ſpatio repleto omninò excluſum eſſet vacuum. Probauit autem ille, quòd vacuum omninò eſſe non poteſt etiam Deo agente, & hoc per ſecundum argumentum.

Ex quo vlterius concluſit impoſſibilitatem illius quò poſito ſequeretur vacuum eſſe, cuiuſmodi eſt materię denudatio à forma, & quantitate etiam Deo agente. *Reſponſio.* Sed dico ego, quòd licèt aliàs impoſſibile eſſet materiam dicto modo denudari, ponere tamen hac de cauſa ſiue ratione iam dicta ab illo ſcilicèt Deo eam non poſſe denudari dicto modo eſt valdè debile motiuum, quòd nec deberet quenquam rationabiliter mouere ad negandum dicto modo materiam poſſe Deo agente denudari.

Cuius debilitas apparet applicando cauſam illam quæſtioni qua quæritur, vtrum Deus poſſet annihilare & ſecundùm materiam, & ſecundùm formam ſubſtantialem, & ſecundùm omnia accidentia aliquod corpus contentum inter partes aeris, puta lapidem aut totam ſpeciem contentam inter terram & ignem, & hoc continendo ignem ſuperius ne rarefactione deſcenderet, & terram & aquam inferius ne rarefactione aſcenderet, quo etiam poſito ſecundùm Philoſophum 4. cœli & mundi, ignis non deſcenderet, quia eſt in omni loco leuis. Similiter nec terra aut aqua aſcenderet, quia ſecundùm ipſum ibidem ſunt in omni loco graues, licèt aer amota terra deſcenderet eo, quòd in ſuo proprio loco grauis eſt, vnde nec aſcenderet eleuata ſphæra ignis ſecundùm Philoſophum ibidem. Etiam an poſſet annihilare totam ſphæram elementarē ſub ſphæra lunæ abſque complicatione partium illius. Et conſtat, quòd non eſt negandum quin Deus hæc & conſimilia facere poſſet, quia qua ratione poſſet vniuerſam creaturam mundi annihilare, eadem & quamlibet partem eius annihilare poſſet, & vnam altera manente.

Omnis enim creatura ex ſe caderet in nihilum ſicut de nihilo facta fuit, niſi manu conditoris teneretur in eſſe, qui manum ſuam poteſt ſubtrahere, ſiue à toto vniuerſo, ſiue a quacunque parte eius ad libitum ſuæ voluntatis, quia non de neceſſitate vllam creaturam conſeruat in eſſe, ſicut nec de neceſſitate vllam in eſſe produxit, ſed ſolùm modò libertate arbitrij voluntatis ſuæ.

Contra hoc tamen poſſet argui ex cauſa, ſiue ratione prædicta eo modo quo ille arguit contra ponentes Deum poſſe dicto modo denudare materiam. *Obiectio.*

Argueretur enim ſic. Si Deus poſſet lapidem exiſtentem in aere aut totam ſphæram aeris aut etiam totam ſphæram quatuor elementorum annihilare, ſequeretur vacuum eſſe, aut motum eſſe in inſtanti ſicut prius. Et ſuppoſito vt prius, quòd partes circunſtantes concurrere non poſſent ſubitò, ſicut ſuppoſitum eſt prius, concludi

poſ-

posset modo quo prius, si Deus annihilaret aut annihilare posset aliquid prædictorum, quòd sequeretur vacuum, &c. tunc vlterius, sed impossibile est vacuum esse secundùm Philosophum, ergò impossibile est illud ex quo hoc sequitur scilicèt Deum posse aliquid prædictorum annihilare. Sed non puto, quòd sit aliquis Catholicus qui propter fugam inconuenientis quod est vacuum esse, aut posse esse, duci deberet ad negandum antecedens, dicèdo quòd Deus nullum prædictorum annihilare posset, immò potius deberet à quolibet concedi vacuum posse esse, & Deum posse facere, quod vacuum esset, quàm negari Deum aliquid prædictorum posse annihilare.

Consimiliter ergò, & ad propositam quæstionem descendendo dico, quòd Deus posset facere si vellet, quòd vacuum esset, & hoc sic vt perseueraret in esse absque omni spatii separati repletione, aut per partium corporis circunstantis concursum, aut per aliquod corpus, quod Deus de nouo produceret loco corporis annihilati, aut per materiæ priùs denudatæ restitutionē per formam & quantitatem, licèt natura hoc facere non posset, quia ipsa materiam non potest omninò denudare, nec corpus aliquid annihilare.

Vnde quia Philosophi putabant nihil posse fieri nisi natura agente vt medio, sine quo ponebant Deum nihil posse de nouo agere, iuxta dictum Philosophi 8. Physic. Voluntas antiqua nihil noui operatur nisi mediante alio antiquo, & quia natura non potest materiam omninò denudare aut corpus aliquod omninò annihilare, sine quibus vacuum fieri non potest, & cum hoc non potest habere esse sicut aliquod ens per se existens, & per se in esse productum, ideirco ponebant, quòd vacuum esse esset impossibile simpliciter.

Sed licèt hoc sit simpliciter impossibile, scilicèt quòd vacuum habeat existere agente natura, & sicut aliquod ens per se existens, & per se in esse productum, prout benè procedunt rationes Philosophi, quia vacuum esse non potest, benè tamen possibile est vacuum esse agēte Deo, & hoc sicut quoddam ens per accidens, secūdùm modum, quo declarauimus vacuum esse ens per accidens in quodam alio quolib. præcedenti. Et secundùm hoc concedendus est processus primi argumenti.

Ad argumentum secundum in oppositum, pro eo quòd probat, quòd impossibile est vacuū esse, quia ponere vacuum esse est ponere contradictoria esse simul, puta partes continentis vacuum esse simul, & non esse simul, Dico, quòd hoc falsum est, immò pro toto tempore quo vacuum est, partes circunstantis, & continentis illud non sunt simul, sicut neque erant simul prius quando corpus erat contentum in situ vacui, per cuius annihilationem aut materiæ eius denudationem generatum est vacuum, secundùm quod processit secunda pars illius argumenti, & benè. *Ad arg. in oppos.*

Quod autem arguebatur secunda parte eius, quòd etiam non essent simul, quia nihil esset medium illarum, dico, quòd re vera nihil est medium quod est aliquod ens per se & positiuum, est tamen medium vacuum sicut aliquod ens per accidens & priuatiuum, secundùm modum quo expositum est vacuum esse ens per accidens, & priuatiuum in dicta quæstione. Et sic dicendo quòd inter partes continentis vacuum nihil est medium, negando aliquid generaliter tàm pro eo quod est ens per se positiuum, quàm pro eo quod est ens per accidens priuatiuum, illud simpliciter falsum est.

Sed talis negatio est in dicto Philosophi de simul, quòd simul sunt illa quorum nihil est medium, scilicèt nec aliquod ens per se, nec ens per accidens. Negando verò specialiter pro eo quod est ens per se solùmmodò, verum est quòd nihil est medium inter partes continentis vacuum. Sed non est talis negatio præcisa in definitione eius quod est simul, & ideò non sequitur, quòd simul sint partes, inter quas non est medium inter vacuum.

IN QVODLIB. DECIMVMQVINTVM.

Quodlib. Decimumquintum sexdecim Quæstiones continere facilè cognoscitur, vnicam tamen de potentia Dei, ceteras verò ad creaturas attinentes, vt initio prioris manifestum, atque etiam ex ipso processu.

Comment. in Quæstionem Primam, quæ est,

Vtrum Deus posset facere, quòd vacuum esset.

IN titulo not. quòd Aristoteles in quarto Physic. & Plato in Timæo vacuum sufferre non possunt, sed hoc tanquàm id, quod in natura naturaliter esse non potest, fortè autem non negarent, quòd posset esse in natura, non naturaliter, sed supranaturaliter, per agens scilicet non naturale, sed diuinum. Et hoc est, quod quæritur, circa quod quæstio est opinionum, ita vt quidam affirmatiuè respondeant, quidam verò negatiuè, existimantes illi non implicare contradictionem ipsum vacuum esse, alij verò existimantes implicare.

Not. autem quòd Deum posse facere vacuum potest intelligi dupliciter, primò denudando materiam à quacunque quantitate, cum enim quantitas sit ratio essendi in loco, quia nullam rationem habebit occupandi spacium, & cum nullibi dicatur esse, erit quia est ratio occupandi spacium, ipsa ammota, videbitur materiam esse, & non in loco, in vacuo.

Secundò potest intelligi, quòd fiat vacuum à Deo per annihilationem alicuius corporis existentis in loco, & impediendo nè continentis partes coeant simul per rarefactionem, vel costrictionem &c. Et secundum vtrunque modum in corpore quæstionis Auctor respondet.

In corpore igitur est conclusio, quòd Deus vtroque modo potest facere quòd vacuum sit.

Probatur. Deus potest denudare materiam à quacunque quantitate, & corpus existens in loco annihilare, igitur &c. Antecedens, quo ad primam partem patet. Nam Deus potest facere materiam primam absque vlla forma prorsus, igitur & denudare.

Quo ad secundam partem patet, quoniam qua ratione posset Deus annihilare totum vniuersum, eadem potest & partem. Quòd totum vniuersum posset annihilare manifestum est, id enim omnes Sancti confitentur,

Not. quomodo Aristoteles etiam faciat vnum suppositum, quod vndequaque non videtur verum. Est enim quòd si vacuum daretur, motus qui fieret in ipso esset in instanti. Etsi enim id videatur verum ratione medij, non tamen esset verum ratione resistentiæ mobilis ad motorem, & proportionem vtriusque. Quod etiam notat D. Thomas in 4. distinctio. 44. quæstio. 2. artic. 3. & alibi. Quare ex illo supposito non potest colligi simpliciter vacuum non posse esse.

QVAESTIO SECVNDA.

Vtrum Christus ascenderit super omnes Cœlos.

SEQVVNTVR quæsita de creaturis. Quorum quædam erant de creatura humana vnita diuinitati in Christo, & quædam alia de creaturis absolutis non vnitis diuinitati. De primo quærebantur tria, Duo de quibusdam actionibus procedentibus à Christo secundùm eius naturam humanam. Quorum primum erat, Vtrum Christus ascendit super omnes cœlos. Secundum erat, vtrum omnis actio Christi humana sit supernaturalis. Vnicum autē, & tertium erat de quadam actione terminata in corpus Christi, scilicet vtrum operatio, qua cōuertebatur cibus in corpus Christi, esset naturalis.

Arg princ. Circa primum arguitur, quòd Christus non ascendit super omnes cœlos, sic, secundùm Philosophum 5. Physic. omnis motus est à termino in terminum, illuc ergò vbi nullus est terminus nihil moueri potest, quia esset motus sine termino, super omnes cœlos nullus est terminus, quia super omnes cœlos nihil est nisi quod est extra omnes cœlos, non enim idem sunt esse super omnes cœlos, & extra omnes cœlos, extra autem omnes cœlos nihil est omninò, nec plenum, nec vacuum, nec tempus, nec locus, secundùm Philosophum. cœli & mundi, terminus autem motus non est nihil, ergò &c.

Confirmatio. Confirmatur autem ratio ista per illud quod Dauid Propheta loquens in Psal. de Christi ascensione dicit sic. A summo cœlo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius, occursus iste ascensio eius fuit. Ascensio ergo Christi fuit vsq; ad summum supremi cœli, quod est super omnes cœlos, ergò &c.

In oppositum. In contrarium est illud quod dicit Gregor. in præfatione Pentecostes de Christi ascensione. Ascendens super omnes cœlos sedensq; ad dexteram &c quod assumptum est de ad Ephes. 4. vbi dicit Apostolus. Qui descendit ipse est qui ascendit super omnes cœlos.

Responsio. Dico, quod hoc, q̄ Christus super oēs cœlos ascendisse scribitur, sanum requirit intellectum & pium expositorem. Quia enim ascensus motum dicit ad superius, superius autem semper dicitur respectu inferioris, & superius atque inferius dupliciter possunt intelligi, vel loco vel dignitate, vtroque modo Christus intelligendus est ascendisse super omnes cœlos. Super illud Ephes. 4. Ascendens Christus in altum, dicit Gloss. Et loco & dignitate, quòd Christus vna persona Deus, & homo ascendisse dicitur, secundùm humanitatem eius dictum intelligitur. Super illud Ephes. 4. Quod autem ascendit quid est nisi quia & descendit, dicit Glossa. Secundum corpus & animam ad cœlos ascendit. Ad cœlos spirituales Trinitatis diuinarum personarum ascendit, quando in sua incarnatione ad æqualitatem Dei Patris humanitas eius est assumpta per vnionem naturæ humanæ cum diuinitate, secundùm quam est æqualis Patri. Vnde super illud Psalm. 18. Occursus eius vsque ad summum eius, dicit August. Occurrit plenitudini Diuinitatis vsque ad æqualitatem Patris, vt enim super illud Ioan. 3. Nemo ascendit in cœlum nisi qui descendit de cœlo, dicit Beda, filius hominis quod in sua natura habere non potuit hoc in Dei filio à quo assumptus est habuit. Et per hoc ascendit Christus vna persona existens in duabus naturis in cœlum per eius humanitatem, sicut è conuerso descendit de cœlo secundùm eius diuinam naturam. Vnde super illud Psal. 17. Inclinauit cœlos & descendit, dicit Aug. Descendit ad hominū infirmitatem. De vtroq; autem simul dicit Glossa super illud. Quod aūt descendit &c. sic. Quō humanitas ascendere potuit nisi quia diuinitas primū descendit? descendit quidem diuinitas non localiter, sed per exinanitionem suam scilicet in assumpta humanitate. Sic etiam è cōtrà isto modo iam dicto ascendit humanitas non localiter, sed per repletionē suam. s. ex assumpta Diuinitate, quę est ascensio non loco sed dignitate, & per istam ascēsionem ad cęlos spirituales Trinitatis ascendit super oēs cęlos spirituales spirituālis creaturæ & loco & dignitate, secundùm illud Psal. 17. Ascendit super Cherubin, & volauit super pennas ventorū. Super Cherubin dicit Aug. exaltatus est super plenitudinem scientiæ, & super virtutes animarum, quib. se velut pennis à terrenis timoribus in auras libertatis attollunt. Hinc dicitur in Psal 112. Excelsus super oēs gentes Dominus, & super cœlos gloria eius, vbi dicit August. Gentes homines sunt. Sed non solùm excelsus super omnes gentes Dominus, verū etiam super cęlos gloria eius. Sicut autem per gentes intelligit homines, sic per cęlos intelligit Angelicos spiritus, inquantum respectu illorum homines dici possunt terra. Communiter tamen, & homines, & Angeli cęli dicuntur. Super quos Christum ascendisse, intellexit Greg. quando dixit. Qui ascendens super omnes cęlos. Quod bene declarauit deserendo terminum ascensionis vbi ascensus ille stetit, subdens. Sedensque ad dexteram Dei Patris, quod est in plenitudine Diuinitatis æqualem Patri residere, vnde super illud Psalm. 47. Ascendit super

cœlum cœli, dicit August. Ergò super cœlum cœli sedet ad dexteram Dei Patris, &c. Hoc est quod dicit Apostolus. Ascendit super omnes cœlos. Quod amplius exponens Ioan. Damascen. libro tertio capit. 31. dicit sic. Ad dexteram Dei Patris sedere aimus Christum corporaliter. Dexteram autem dicimus Patris gloriam, & honorem Diuinitatis, in qua corporaliter sedet glorificata eius carne. Et sic loquendo de Ascensione dignitate super omnes cœlos omnis spiritualis creaturæ bene procedit vltima obiectio. De Ascensione autem eius loco super omnes cœlos si intelligamus super cœlos iam dictos creaturæ spiritualis, adhuc benè habet veritatem cœlos appellando bonos homines qui creduntur post corporum resurrectionem in Paradiso Cœlesti in diuersis sedibus corporalibus corporaliter residere dispositi pro qualitate meriti, inter quas sedes Christi sedes erit suprema, vel situ locali, vel dignitate, vel potius vtroque modo.

Vt sicut Christus corporaliter, & circumscripto corpore creditur ascendisse secundùm Damascen. libro 3. cap. 21. in exponendo illud Actuũ primo. Veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum, dicentem. Ascendere autem ex terra ad cœlos, & rursum descendere actiones sunt circumscripti corporis. Sic in corpore circumscripto à loco determinato creditur in aliqua parte determinata cœli residere quæcunque sit illa, &c. in quocunque situ. Si verò intelligere conetur aliquis ascendisse Christum super omnes cœlos corporales vltra conuexitatem extremi cœli, nescio qua auctoritate aut ratione illud firmare poterit. Sed quin sic super omnes cœlos corporales ascendisse potuisset, si voluisset, non dubito.

Vnde quod arguitur in primo argumento, quòd Christus non ascendit super omnes cœlos, quasi super omnes cœlos corporales dicto modo ascendere non potuisset, eò quòd omnis motus est ad terminum, & vltra omnes illos cœlos nullus est terminus: Dico, quòd hoc vltimum verum est de termino qui est aliquod ens positiuũ, & secundum se, quia ve procedit argumentum & benè, extra cœlum nullum tale ens est. De termino autem qui est ens per accidẽs & priuatiuum, cuiusmodi ens potest esse vacuum secundùm prædicta, Dico, quòd benè est aut potest esse terminus super omnes cœlos, ad quem Christus potuit ascendisse. Si enim Christus dicto modo super omnes cœlos corporales ascendisset, etsi prius in termino ascensus sui neque plenum neque vacuum fuisset, ex tunc tamen plenum spatium ibi fuisset, quod quantum est ex se natum fuisset fore vacuum, &c. capabilitas erat corporis absque corpore existens. *Ad argu. primũ.*

Comment. in Quæstionem Secundam, quæ est,

Vtrum Christus ascenderit super omnes Cœlos.

IN titulo not. quòd ly Christus intelligitur secundùm quod homo, non secundùm quod Deus, quia quæstio hæc quæstio est creaturæ, non creatoris. Intelligendum est etiam ly secundùm quod homo, non reduplicatiuè, sed specificatiuè, vt scilicèt specificetur conditio ascendentis, hominis enim est moueri, ascendere autem est moueri. Et notetur causa ascensionis, qua notata, vtique ascendit non sicut homo, sed sicut Deus, scilicèt in virtute Dei.

Not. quòd per cœlos, vel intelligimus corpora cœlestia, vt sensus sit, quod si ascendit super omnes cœlos, ita ascendit, quòd planta pedis Christi sit super superficiem conuexam vltimi cœli, vt sic intelligatur glossa, quando dicit esse super omnes cœlos non solum dignitate, sed loco. Vel intelligimus per cœlos spirituales creaturas, vt scilicèt ascenderit super eas omnes, & secundùm hoc dicatur, quòd sit super omnes cœlos dignitate. Et secundùm vtranque intelligentiam Auctor declarat quæstionem.

In corpore igitur, est prima conclusio. quòd intelligendo per cœlos creaturas spirituales, Christus ascendit super omnes cœlos. Probatur. quia ascendit vsque ad dexteram Patris, sed talis sedes est super omnes creaturas huiusmodi, igitur. Ad hoc autem comprobandum adducuntur multæ auctoritates in litera id declarantes.

Not. autem, quòd circa hoc attenditur dignitatis superioritas, non loci.

Not. insuper, quomodo descenderit verbum, & ad quid. Descendit profectò formam serui accipiens, quòd fuit se subijcere omni creaturæ, &c. hoc vt humanitatem assumptam traheret ad dexteram illam patris, vnde descenderat, quod fuit super omnes creaturas illam exaltare, sicuti descendens omni creaturæ se subiecit. Pro quo legito auctoritates in litera.

Secunda conclusio. De locali sessione loquendo, quòd potuerit ascendere super conuexitatem illam, non est dubium, quòd verò ascenderit de facto, nec ratione, nec auctoritate constat.

Not. quòd contra hoc videtur illud gloss. super illud Apost. quod ascendit super omnes cœlos, scilicèt dignitate, & loco. Vnde si loco, videtur quòd super excedat.

Sed hanc glossam exponit Auctor, quòd per locum intelligit adhuc vel spirituales creaturas, vt Angelos, vel bonos homines intelligendo per cœlos, qui corporaliter in sedebus sedibunt, super quos omnes erit Corpus gloriosum Christi.


Not quòd primam conclusionem habet etiam D. Thomas 3 par. quæst. 57 artic 5. sed profectò secundam nequaquàm, sed potius illi videtur aduersari in eadem quæstione artic. 4. hac ratione probans, quòd de facto supra conuexum cœli ascenderit, secundum quòd ibi exponit Gaetanus. Corpora nobiliora debent esse superiora ordine locali, sed corpus gloriosum nobilius est quocunque corpore in esse puro naturali, cum plus illud participet de Diuina bonitate, & inter corpora gloriosa certum est, quòd Corpus Christi est nobilius, ergò conuenientissimum est, quod sit super omnia corpora constitutum in alto. Et ideò super illud Apost. Ascendens in altum. Id est dicit gloss. loco, & dignitate.

Verum ad hoc diceret Auctor, secundum quòd colligi potest etiam ex dictis eius, quòd corpori glorioso nobiliori debetur superior

perfectus locus non inter corpora simpliciter, sed inter corpora gloriosa, quod vtique concedit Auctor. Sed & fortè, dicat quic, quid sibi placet Caietanus, non habet D. Tho. talem intentionem, quòd ascenderit supra conuexum vltimi cœli. Si enim hoc vellet D. Thomas, &c. hæc esset eius germana intelligentia, vtique necesse esset ei dicere, quòd iam Christus esset extra cœlum, quod non videtur dicendum. Nam tametsi ascendisse super omnes dicat Scriptura Diuina, tamen eadem apertè ipsum in cœlis habitare manifestat, siquidem in cœlis habitet Pater, & Deus. Vnde Propheta. Ad te leuaui oculos meos, qui habitas in cœlis. Et ipse Dominus non semel testatur Patrem habitare, & in cœlis esse. Vt cum dicit. Amen dico vobis, quia Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cœlis est. Et quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est. &c. Et ideò canit Ecclesia. Et ascendit in cœlum. Propterea exponeret Auctor cœlos corporales, super quos ascendit localiter, sanctos homines, qui sicut dicuntur dij, ita & cœli appellantur. Vnde annunciabunt cœli iustitiam eius, scilicèt viri Sancti. Quod si intelligatur de cœlis, qui propriè dicuntur huiusmodi ascendisse super cœlum cœli ad orientem, &c. super omnes cœlos, exponeret quantum ad subiectionem, quòd etiam corpora cœlestia omnia corpori suo subijciantur. Iuxta illud omnia subiecisti sub pedibus eius, vt id arguat potentiam, atque virtutem suam.

QVAESTIO TERTIA.

Vtrum omnis actio Christi humana sit supernaturalis.

Arg. prim. 

Ircà secundum arguitur, q omnis humana actio Christi sit supnaturalis, sic. Ois actio, quæ elicitur ab agéte supnaturali, supernaturalis est, sicut omnis actio elicita ab agente naturali naturalis est, omnis actio Christi etiam humana elicitur ab agente supernaturali, quia à persona diuina quæ supernaturalis est in duabus naturis subsistens, ergò &c.

In oppositum. Contra, sicut se habet actio ad Christum in agendo, sic & passio in patiendo, sed non omnis passio Christi humana est supernaturalis, putà illa qua Iudas ipsum osculatus est, ergò &c.

Responsio. Dico, quòd licèt in qualibet actione tria concurrant consideranda, quæ sunt agens, modus agendi, & terminus actionis, actio tamen neq; propter agens neque propter terminum dicitur naturalis vel supernaturalis, sed solùmmodò propter modum agendi naturalem vel supernaturalem. Cum enim Christus aquam conuertit in vinum, Ioannis 2. licèt vinum illud idem in forma, & specie vini erat cum vino generato in vite, tamen actio illa productionis vini de aqua existente in hydria est & dicitur non esse naturalis, sicut est, & dicitur esse naturalis productio vini de humore aquoso existente in vite, & hoc quia non est idem modus agendi in productione vini vtriusque.

Vnde si in ligno esset vis nauis factiua & produceret natura nauem de lignis in eadem forma, & figura in qua modo de lignis ipsam producit ars, etiam è conuerso si nunc ars ipsam de lignis producit sicut tunc produceret natura, actio tamen producendi nauem ab artificè nunquàm diceretur naturalis propter hoc, quòd eiusdem formæ & figuræ nauem produceret cum naui illa quæ esset producta à naturâ, nec è contrariò. Similiter si ars Alchimiæ posset producere aurũ, & esset eiusdem speciei cum auro quod producit per se natura, non tamen propterea quòd esset eiusdem speciei, illa productio naturalis diceretur, prout fit ab Alchimista, diceretur tamen naturalis quia idem esset agendi modus proximus in producendo speciem illius auri, sicut & auri quòd producit natura absque ministerio artis, vbique enim producitur appropinquatione calidi & frigidi ipsis temperatis sicut principijs actiuis, humido & sicco proportionalibus sicut principijs passiuis. In qua applicatione Alchimista solùm est minister naturæ, sicut medicus sanitatis. Sola enim natura curat morbos, & similiter sola natura vt agens principale generat aurum. Consimiliter etiam si agens principale esset supernaturale, si tamen ageret modo actionis naturæ, necessariò actio illa dicenda esset naturalis, & è conuersò, si agens esset naturale aut artificiale, & ageret modo supernaturali sicut agunt verba sacramentalia in transubstantiatione Eucharistiæ. & generatione gratiæ, actio illa semper dicenda esset supernaturalis.

Decisio. Descendendo ergò ad propositum, Dico, quòd quanquàm Christus sit agens supernaturale ratione personæ agentis, siue agat secundùm naturam diuinam siue secũdùm humanam naturam, quia tamen omnes actiones quas egit in statu mortalitatis, & etiam quas adhuc agit in statu immortalitatis, agit modo naturæ quo alij homines agũt illas in quocunque statu sint, cuiusmodi sunt comedere, bibere, ambulare, & cætera huiusmodi, cuius signum est, quòd eędem passiones in Christo consequutæ sunt ex illis actionibus, sicut & in alijs hominibus, scilicèt sedatio famis ex comestione, sitis ex potatione, quæ & consimiles propriè dicuntur humanæ, Idcircò ergò breuiter dico, quòd nulla Christi actio humana, quæ verè humana dicenda est, supernaturalis est, sed solùmmodò & pure naturalis, non obstante, quòd agens sit supernaturale, & hoc quia ipse agens omnes illas actiones agit modo naturæ. Siquas enim actiones egit vel agit non modo naturæ sed modo supernaturali, illæ non sunt dicendæ humanæ: neque naturales, & secundùm naturam humanam factæ, sed diuinæ & supernaturales, &

les, &c. secundùm naturam diuinam factæ. Et è contrario est de eius operationibus diuinis si quas ageret non modo supernaturali, sed modo naturali.

Vt enim dicit Damascen. libro 3. cap. 15. Duas actiones aimus in Domino Iesu Christo, habet enim vt Deus diuinam actionem, &c. vt homo est, nobis homousian humanæ habens naturæ actionem. Sed vt idem ait ibidem cap. 19. propter vnitatem personæ agentis, &c. in duabus naturis subsistentis habuit nouum, &c. ineffabilem modum naturalium actionum.

Sed hoc intellige non nisi naturalem, vnde exponens in quo sit nouus, & ineffabilis, subdit, dicens: Si enim Deus ens perfectus factus est pro nos, & secundùm nos homo perfectus, manifestum est, quòd omnes habemus naturales diuinitatis proprietates. Et secundùm hoc Deus perfectus, & habebat naturales humanitatis proprietates, & indiuisas aimus actiones, vnaquaque natura cum alterius communione agente hoc, quod proprium habuit.

Neq; egit humana secundùm hominẽ solùm, neq; diuina secundùm Deum solùm, sed Deus simul existens, & homo. Quemadmodum enim naturarum vnionem, & differentiam naturalem cognoscimus, ita & naturalium voluntatum & actionum.

Ad argu. In oppos. Per prædicta patet responsio ad obiectum primum, &c. concedendum est argumentum secundum, ponendo non solùm quòd aliqua passio Christi naturalis fuit, & aliqua non, sed etiã quòd aliqua actio eius fuit naturalis, & aliqua non, secundum iam dicta.

Vnde de passionibus Christi dico, quòd omnis passio eius, quę verè erat humana, purè naturalis erat in ipso, sicut & in quolibet alio, quia vniformiter alijs, dormiuit, esurijt, sitiuit, lassus fuit, & cæteras passiones humanas sustinuit. Sed est aduertendum de passionibus, sicut & actionibus Christi, quòd nõ dicitur passio aliqua naturalis in ipso à modo, quo illi infertur ab agẽte extra inferente illam, sed à modo, quo in passo recipitur.

Vnde passio mortis Christi, licèt inquantùm fuit illata à crucifixoribus, fuit violenta: tamen inquantùm in Christo fuit recepta, erat purè naturalis, & per illam purè naturaliter mortuus est, licèt voluntarè consentiente, vt in ipso recepta, &c. permittente vt à crucifixoribus esset illata. Et per hoc licèt actio crucifigentium Deo patri displicuit: passio tamẽ Christi illi grata fuit. Hinc de naturalibus passionibus Christi dicit Damascenus libro dicto, cap. 20. Confitemur, q̃ omnes naturales passiones hominis assumpsit. Totum enim hominem, & ea, quæ sunt hominis sumpsit, præter peccatum.

Hoc enim non est naturæ, puta fames, sitis, labor, dolor, & cętera huiusmodi, q̃ annumerat.

Vnde & consimiliter loquens de eius passionibus, &c. actionibus, simul dicit, cap. 18. Deum perfectum, & hominẽ perfectum dicentes Christum, Omnia ei dabimus, &c. quæ patris naturalia, &c. quæ matris.

Comment. in Quæstionem Tertiam, quæ est,

Vtrum omnis actio Christi humana sit supernaturalis.

IN titulo not. quòd si alterius hominis ita quæreretur, videretur implicatio quædam, vel potius negatio, sed vtique rationabiliter potest id de Christo dici, quoniam cum actiones sint suppositorum, vt dicit Philosophus, videtur, quòd actio omnis sit diuina in Christo, quippè in Christo non sit suppositum nisi diuinum. In alijs verò hominibus suppositum est humanum, vnde & apertissime actiones videntur humanæ, quia sint humani suppositi.

In corpore est conclusio. Nulla actio humana in Christo fuit vel est supernaturalis. Probatur. Illa actio non est supernaturalis, quæ non fit modo supernaturali; sed nulla actio humana fit modo supernaturali, igitur nulla actio humana Christi fuit vel est supernaturalis.

Maior propositio declaratur: cum enim tria ad actionem concurrant, scilicèt agens, terminus, & modus agendi, solùm dicitur naturalis, vel supernaturalis ex modo agendi. Quod exemplis manifestatur in litera.

Not. quòd cum actio non possit esse supernaturalis, nisi vel ab agente, vel à termino, vel à modo, ex Philosopho colligitur, quod nec à termino, nec ab agente dicitur huiusmodi. Quòd non ab agente patet de motu cœli: vult enim Philosophus cœlos moueri ab agente supernaturali, etenim à Deo, & intelligentijs. Et tamen vult etiam motus cœlorum esse naturales.

Quòd verò actio non sit supernaturalis à termino, patet ex hoc, quòd cum ita procedat in sua Philosophia Aristoteles, vt tandem ducat ad cognitionem, & intellectionem intelligentiarum via motus, & à sensu, similiter, & ad cognitionem Dei, & tamen illa cognitio dicitur naturalis, licèt terminus sit supernaturalis. Remanet igitur, quod tantùm ab ipso modo agendi actio dicatur naturalis, vel supernaturalis.

Minor autem propositio patet, quia in actionibus humanis se habuit Christus, sicut & cæteri: sed in his nulla actio humana, quatenus humana, est modo supernaturali, igitur. Assumptum patet, quia idem effectus visus est, ad comestionem cum, nanque sedata est fames, ad dormitionem subsecuta quies &c. sicut in alijs. Et declaratur etiam, ac confirmatur per dicta Damasceni, vt in litera. Subrumptum patet, quia aliter videretur contradictionis implicatio.

Not. quòd homo quatenus homo est agens naturale, quod in propria virtute agere non potest nisi modo naturali, vnde verum quidem est, quòd agens supernaturale potest etiam agere modo naturali, sed non è contrà, quoniam modus, quo agit agens semper debet subijci agenti, sed agenti naturali non subijcitur modus supernaturalis, quatenus huiusmodi, vnde in propria virtute non agit tunc agens naturale, quando agit modo supernaturali. Quo fit, vt cum purus homo resuscitat mortuum,

mortuum, ad differentiam Christi, qui non erat prorsus homo, profectò id facit modo supernaturali, sed non quòd modus ille supernaturalis, illi subsit, sed subest virtuti illi, secundum quam agit: hinc est, quod homo, quatenus homo, non agit supernaturaliter, scilicet modo supernaturali. Et quando agit non agit quatenus homo, hoc est in propria virtute, sed in aliena.

QVAESTIO QVARTA.

Vtrum operatio, qua conuertebatur cibus in corpus Christi, esset naturalis.

Arg. princ. ARCA Tertium arguitur, quòd operatio, qua conuertebatur cibus in corpus Christi, non erat naturalis sic. Operatio transiés omnem facultatem naturę non est naturalis: dicta operatio fuit huiusmodi, quia attingit ad carnem vnitam diuinitati, & ita ad vnionem ineffabilem, & supernaturalem cum ipsa diuinitate: ergò &c.

In oppositum. Contra. Illa operatio, quæ procedit ex virtute naturali, & modo naturę, est operatio naturalis, dicta operatio fuit huiusmodi, processit.n. ex virtute animę Christi nutritiua, quæ naturalis est, & hoc mediante calore naturali digerentibus, sicut & in alijs hominibus, in quibus illa conuersio est purè naturalis: ergò &c.

Resolut. q. Quæstio ista implicita est, & contenta in proxima præcedente: & ideò ex responsione tradita ad illam dissoluenda est. Cum enim secundum dicta iam in illa debeamus tribuere Christo secũdùm hominem quæcũque sunt naturalia matris, sicut & quæcunque secundum Deum sunt naturalia patris, proculdubio ponendum est quòd dicta operatio erat naturalis in Christo, sicut fuit & in mare eius, & non solum illa sed & quæcunque alia, vt de nulla illarum oporteat facere propriam quęstionem aliam à quęstione precedenti, quę autem sunt illę, determinat Damascenus in libello suo de gemina natura, & geminis proprietatibus, atque geminis actionibus Christi, dicens sic. Dicentes diuinę naturę Christi proprietates, quas habet ex patre, dicamus & humanæ naturę proprietates naturales, quas ex ea, quę nostri habet assumptione, hoc est omnes naturales potentias humanitatis, & operatiuas & passiuas, vt perfectus sit homo. Si enim aliquod naturalium non assumpsit, non perfectus, sed defectiuus est homo. Et annumerando dictas potentias, operationes, & passiones circa hominem simpliciter, subdit dicens. Si enim vniuscuiusque potentiam acceperit naturaliter à conditore: homo igitur minor est mundus: habet enim animã & corpus, & medius constitutus est intellectus, & materię: vinculum enim est visibilis & inuisibilis, i. sensibilis, & intelligibilis creaturę.

Communicat igitur animatis corporibus secũdùm eam, quę ex quatuor elementis complexionem & compositionem: plantis autem secundũ nutritiuam & augumẽtatiuam virtutem: ad hoc autem & seminatiuam: irrationalibus autem animalibus secundùm irrationalem appetitum i. irã & concupiscentiam, & secundùm phantasticum & memoratiuum, & secundum sensum, & secundùm progressiuum motum & vociferatiuum, & spiratiuum. Copulatur autem corporeis, & intellectualibus virtutibus per rationale, & rationalẽ appetitum intellectus: qui est volũtas primus intellectualis motus, & insta. Et ante hoc proprijssimum animę, diuidens ipsam ab Angelorũ substantia in corpore conuersari, & huic tradere vitam & motum & liberum arbitrium secũdùm proprium appetitum ducere corpus & irrationalem appetitum contra & iram & secundùm progressum motum & naturaliter dominari, vt proprio et naturali seruo proprio corpori, et cętera plurima huiusmodi. Quibus enumeratis applicans cuncta Christo subdit, dicens Propter quod in Domino nostro Iesu Christo, quia duę naturę, duę sunt et naturales operationes, vt sit perfectus Deus, et perfectus homo secundùm duarum naturarum differentiam diuinæ, & humanæ.

Aliud enim opus est diuinæ naturæ, & aliud humanæ. Si humanæ non assumpsit operationẽ, non vixit vt homo, non ratione vsus est, non comedit, non bibit, non ambulauit, nõ vidit, & post plurima talia applicata Christo, subdit illud qd pertinet ad propositum, dicens. Et quòd ab anima animales operationes & passiones assumpsit, testis est ex naturali quidem potentia nutritio corporis, & augumentatio. Vnde enim sit sudor, sputum, salutaris sanguis & aqua? Si non ex digestione, si non passibiliter, sed naturaliter nutritus est, non secundùm voluntatem passibilem, sed ad repletionem eius effluxit.

Sic ergò dubium nulli debet esse Catholico, quin Christus oẽs operationes & passiones naturales humanæ naturæ expertus est, vel potuit experiri. Sed præcipuè de vna naturalium operationum humanæ naturæ dubitatio est, puta de seminatiuo & generatiuo per concubitum cũ muliere, an illud in se habuit, quia post prædicta subdit Damascenus dicens Seminatiuum autem & generatiuum nõ habuit. Intransilientes enim diuinarum hypostasum proprietates, & impossibile est Patrem, vel Spiritum sanctum filium fieri, pp quod neq factus est filius hominis nisi filius Dei, vt maneat intransmutabilis proprietas.

Sed

Nota.

Sed puto, quòd sicut fuit homo perfectus habens omnes alias vires, & potentias animæ, sic fuit homo perfectus habens vim & potentiam seminatiuam & generatiuam, sicut & alij, & hoc in virtute, licèt non in actione, secundùm quam (vt puto) intellexit Damascenus qđ dixit, Seminatiuum autem & generatiuum non habuit.

Et hoc, quia non congruebat, quòd seminasset, & generasset, atque pater fuisset secundùm humanitatem. Et sic non congruebat, quòd Pater aut Spiritus Sanctus secundùm assumptam humanitatem fuisset Filius. Quo ad hoc enim benè verum est, quòd intransilientes sunt mediante natura humana assumpta diuinarum hypostasum proprietates, quæ simpliciter, & omninò intransilientes sunt secundùm naturam diuinam, quia in diuinis non possunt esse, nisi vnicus Pater, & vnius Filius, & vnicus Spiritus Sanctus, secundum quod declarauimus satis in quæstionibus nostris ordinarijs.

Quæ tamen benè possent transilire secundùm naturam humanam assumptam, secundùm quòd simpliciter, & absolutè Pater & Spiritus Sanctus incarnari poterunt & possunt, sicut incarnatus est Filius; licèt non tantùm congruisset, & hoc, ne idem esset Pater & Filius, si Deus Pater de homine nasceretur, & ne nomen Filij ad alium transferretur, si aut Pater aut Spiritus Sanctus de homine nasceretur, dicente Innocentio Tertio in Sermone quodam de natiuitate Domini.

Solus Patris Filius non Pater ipse vel Spiritus Sanctus carnem assumpsit. Missus est Dei Filius, ideò non Pater vel Spiritus Sanctus ne alius in diuinitate esset Filius, alius in humanitate, & nè idem esset Pater & Filius, si Deus Pater de homine nasceretur, magno Dei consilio & ineffabili sapientia non Pater carnem assumpsit vel Spiritus Sanctus, sed Filius tantùm, vt qui erat in Diuinitate Dei Filius, ipse fieret in homine hominis filius.

Aduerte quod dicit, Magno Dei consilio &c. Si enim consilio hæc sic facta sunt, & non aliter, non poterunt ergò aliter facta fuisse. Per quem etiam modum proprietas Patris secundùm humanitatem assumptam simpliciter, & absolutè potuit transire ad Filium, quia potuit quantum erat ex parte naturæ humanæ generasse, sicut & alij, saltem in statu innocentiæ, licèt illud non tantùm congruisset sicut quòd non genauit.

Comment. in Quæstionem Quartam, quæ est,

Vtrum operatio, qua conuertebatur cibus in Corpus Christi, esset naturalis.

ITVLVS clarissimus est.

In corpore est conclusio affirmatiuè responsiua quæsito, scilicèt quòd operatio illa erat naturalis. Probaturque hæc conclusio per rationem, qua probata est superioris quæstionis proximè conclusio.

Probatur insuper per argumentum in oppositum adductum in fronte quæstionis. Confirmatur deinde per multa verba Damasceni.

Not. quòd ad primum argumentum non respondet Auctor in hac quæstione, tametsi videatur esse contra conclusionem. Et quidem id non facit, quia eluci potest ipsa responsio ex quæstione præcedente.

Ex qua colligitur, quòd maior est falsa. Siquidem non ex termino operatio dicitur naturalis, vel supernaturalis, nec ab agente, sed ex modo, maior autem illa fundata est super hoc, quòd ex termino denominetur operatio, quod profectò non est uerum. Cætera clara videntur.

QVAESTIO QVINTA.

Vtrum relatio habeat debilius esse quàm cætera prædicamenta.

EQVVNTVR quæsita de creaturis non vnitis Diuinitati, vbi quærebatur vnicum pertinens ad relatiua, scilicèt vtrum relatio habeat debilius esse, quàm cætera prædicamenta. Et plura alia pertinentia ad absoluta.

arg princ. Circa illud vnicum arguitur, quòd relatio habeat debilius esse cæteris prædicamentis, sic. Ex eo quod verius esse habet fundamentum, verius esse habet id quod fundatur in illo, quàm quod fundatur in illo quod habet minus verum esse, verius autem habent esse absoluta quæ sunt substantia, quantitas, qualitas, quàm relationes, quare cum prædicamentum relationis fundetur super tria prædicamenta absoluta, aliorum verò sex quædam fundentur super relationes, vt actio & passio super rationem actiui & passiui, ergò &cet.

In oppositū In contrarium est Commentator super 12. Metaphysicæ, vbi probat Philosophus, quòd eadem sunt principia substantiæ, & accidentis, ergò &c.

Dico,

Dico, quòd in quolibet genere prædicamenti est duo considerare, scilicèt rem prædicamenti, & rationem eiusdem, quæ in hoc differunt, quòd decem prædicamenta in nulla re communi eis conueniunt, tamen in vna ratione communi conueniunt quæ est esse ab alio, vt effectus à causa, in quo generaliter differt ratio omnis eius quod est in prædicamento à ratione diuinæ naturæ, præter hoc, quòd realitas omnis eius quod est in prædicamento, differt à realitate diuinæ naturæ multò amplius quàm differat realitas vnius prædicamenti à realitate alterius.

Sed illa ratio communis decem prædicamentis, quæ est ab alio esse, primò in duas distinguitur, secundùm quas prædicamentum substantiæ cum hoc quòd cæteris prædicamentis veriorem realitatem importat, diuiditur contra nouem prædicamenta accidentium, quæ vt distinguuntur contra substantiam, in vna ratione communi conueniunt, licèt non in vna realitate. Illarum autem duarum rationum vna est esse in se, non in alio, &c. est propria substantiæ.

Alia verò est esse in alio, & est communis nouem prædicamentis accidentium. Vnde cum hoc quòd prædicamentum substantiæ veriorem realitatem cæteris importat, etiam habet esse verius, propter quod à Philosopho 7. Metaphysicę dicitur ens simpliciter. Cætera verò nouem respectu illius dicuntur entia aliquid & quasi secundum quid &c. diminutè, quia non dicuntur aut sunt entia, nisi quia sunt dispositiones entis simpliciter quod est substantia.

Ratio autem communis illis nouem prædicamentis accidentium distinguitur in duas, quia esse in alio aut conuenit alicui absolutè, aut non nisi in ordine ad aliud. Et est prima istarum duarum rationum communis duobus prædicamentis absolutis, scilicèt quantitati & qualitati.

Secunda verò est communis septem prædicamentis respectiuis, quorum esse, quia dependet ab absolutis, & realitatem trahunt ab illis, puta à substantia, quantitate, &c. qualitate, idcircò illa absoluta & quodlibet eorum scilicèt substantia & accidentia quæ sunt quantitas & qualitas, verius esse habent, quàm quodcunque illorum septem quibus non conuenit aliqua realitas communis omnibus, aut aliquæ propriæ singulis, quãtum est ex natura sui prædicamenti. Vnde & distinguuntur solùmmodò penes diuersitatem modorum fundandi illa super res prædicamentorũ absolutorum &c. referendi secundùm illos aliquid ad aliud, hoc modo.

Quia ille respectus qui est ad aliud esse, aut cõuenit rei absolutæ ex se sola, & sic est respectus prædicamenti relationis propriè dictæ, aut conuenit rei absolutæ non nisi ex connexione quadam sui cum aliqua re alia, &c. sic est respectus aliorum sex prædicamentorum.

De quibus idcircò dicit Boetius in libro suo de Trinit. quòd maximè ex aliquo alieno aduentu constare videntur, cuiusmodi alienum est motus aut dispositio acquisita per motum. Motus enim aut dispositio acquisita per motum non conuenit mobili nisi coniunctione eius cum mouente, &c. aduentu illius, nec è conuersò conuenit mouenti nisi ex coniunctione eius cum mobili &c. aduentu illius.

Et secundùm hoc sex prædicamenta respectiua distinguuntur inter se, prout in quæstionibus nostris ordinarijs declarauimus in quadam quæstione generali de prædicamentis decẽ, nec oportet hic iterare, quia non propriè pertinet ad propositum. Et quia in his sex prædicamentis res illa super quam fundantur, inquantùm super illam fundantur, est ad aliud se habere, vt secundùm hoc in his sex prædicamentis res illa super quam fundãtur, inquantùm super illam fundantur, circa se rationem respectus quodammodo includit quasi materialem ad respectus in quib. consistit ratio illorum sex prædicamentorum, non sic autem res super quam fundatur prædicamentum relationis, circa se talem respectum includit vt super ipsam fundetur respectus qui est proprius prædicamento relationis, eo quòd res super quam fundatur prædicamentum relationis, inquantùm huiusmodi, omninò absoluta est absq; ordine ad aliud.

Idcircò dico, prout statim declarabitur, quòd ex hoc, dicta sex prædicamenta relationis plus realitatis important & verius esse habent quàm prædicamentum relationis. Et vlterius, quòd prædicamentum relationis inter omnia prædicamenta debilius esse habet. Et secundùm hoc concedenda est secunda ratio ad hoc probandum inducta. *Decisio.*

Ad primam quæ est in oppositum, quòd relatio verius habet esse quàm alia sex prædicamenta respectiua, quia verius habent esse illa in quibus fundatur, quàm illa in quibus fundantur alia sex, Dico ad hoc & simul ad declarationem iam suppositi, quòd prædicamentum respectiuum non ex hoc dicitur verius esse habere, quòd super verius ens fundatur, sed solũmodò ex hoc, quòd ab illo verius & perfectius esse & realitatẽ trahit. Quànquàm ergò relatio super verius ens fundetur quàm alia sex, si tamen verius &c. perfectius illa sex ab illo super quod fundantur realitatem contrahant, non impedit quin habeant verius esse. *Ad argum. primo.*

Quod re vera ita est, quod & declarandum est ex fundatione respectuum prędicamentorum actionis & passionis per motum. Et per hoc idem intelligẽdum est in alijs quatuor, quæ sunt quando, quod fundatur in rę temporali ex motu &c. adiacentia temporis, quod est mensura motus, & eius cui tempus adiacet, quod est omne

existens

existens in tempore, & vbi, quod fundatur in re locali ex adiacentia loci simpliciter per hoc, q locatum simpliciter habet esse in loco, & de situ, qui fundatur in re locali per hoc, quòd partes eius diuersimodè se habent ad locum, & de habitu, qui fundatur in habere aliquid circunstans ipsum corporaliter ex applicatione eius, quod habetur ad habentem, prout hæc pleniùs exposita sunt in dicta quæstione generali.

De actione igitur, & passione, vt etiam declaratum est in eadem: dico, quòd verius esse habent, quàm prædicamentum relationis, quoniam fundamenta relationis, quæ sunt prædicamenta absoluta, & absolutè, ex eo, quòd sunt fundamenta illius, & ad hoc, quòd in eis fundetur relatio, non respiciunt aliquid aliud à se, sed illa solùmmodò, & præcisè, & sic ipsa, quantùm est ex se, inquantùm sunt subiecta relationis, vel fundamenta, omninò aliena sunt à natura relationis, & modicum idcircò subintrant rationem respectus in relatione, quia non nisi quasi characterizando, & quodammodo afficiendo.

Fundamentum autem actionis, & passionis, cuiusmodi est motus, sèper respicit aliquid aliud à se, vt in ipso fundetur respectus actionis, & passionis, quia respicit passum, vt in ipso fundatur respectus actionis; & è conuersò respicit agens, vt in ipso fundatur respectus passionis, & sic semper plura, inter quæ est relatio fundata in motu. Est enim secundum Philosoph. 5. Physicorum, motus actus huius, scilicet agentis, quia est ab ipso, in hoc scilicet in passo existens, vt in subiecto.

Et per hoc licèt motus sit simpliciter absolutũ quid, pertinens ad prædicamentum absolutum, quantitatis, aut qualitatis, aut vniuersaliter ad prædicamentum illius rei ad quam est motus: tamen vt fundatur in alterutro, semper diuersorum est, quæ diuersimodè respicit.

Cum enim est in aliquo, vt in subiecto puta in passo, necessariò cũ illo respicit aliquid aliud, vt à quo est, sicut agens: & è conuersò cum est alicuius, vt à quo est necessariò cum illo respicit aliquid aliud, vt in quo est aliud differens re, vel ratione, sed hoc mediante alio extremo, vt in precedenti Quolibet determinaui de motu voluntatis à seipsa, & quòd sic motus semper respicit aliquid aliud præter seipsum, vt in eo fundentur respectus actionis, & passionis, in hoc quasi omninò subintrat rationem respectus illius, qui super ipsum fundatur, & per hoc vlterius motus potius est de significato actionis, & passionis, quàm substantia, quantitas, & qualitas sit de significato relationis fundatæ super illam.

Actio enim est motus, vt est ab agente, & passio est idem motus, vt recipitur in passo.

Et propterea in entibus creatis contentis sub prædicamentis verius esse habent actio, & passio, quàm relatio, & consimili ratione etiam alia quatuor, quia vt dictum est, fundamenta illorũ semper aliquid aliud à se respiciunt, vt in illis respectus importati per ipsa fundentur.

Quòd autem arguitur, quòd actio & passio fundantur super relationem, quia super rationẽ actiui, & passiui &c. Dico, quòd non est verum. Non enim fundantur super potentiam actiuam, & passiuam, quæ sunt propriæ rationes actiui, & passiui, neque etiam super relationes de primo genere relationis fundatas in illis: immò fundatur super motum solùmodò, qui per potentiam actiuam ab agente procedit in passum, in quo recipitur per potentiam passiuam.

Qui quidem motus, quantùm est ex se, simpliciter absolutum est, præter hoc, quòd necessariò respicit aliud à se, vt in ipso fundetur respectus actionis, & passionis, vt dictum est. Propter eandem etiam causam illa sex dicuntur esse accidentia extrinsecus aduenientia, cum relatio dicatur esse de accidentibus intrinsecus aduenientibus.

Comment. in Quæstionem Quintam, quæ est,

Vtrum relatio habeat debilius esse, quàm cætera prædicamenta.

IN titulo not. quòd sermo est de esse reali. Amplius scito, quòd in hac quæstione qui vult colligere conclusionem principalem ad ipsum quæsitum spectantem, oportet prius tres alias conclusiones, iuxta tres comparationes, secundum quas relatio ad reliqua prædicamenta comparari potest, proponere.

Sciendum igitur, quòd per relationem intelligitur id, quòd habetur in proprio prædicamento ad aliquid, contradistinguendo ipsum à sex vltimis prædicamentis, quæ respectiua videntur. Nunc autem primò comparari potest relatio ad ipsam substantiam, & tunc quatenus est accidens.

Secundò potest comparari ad substantiam, quantitatem, & qualitatem, secundum quod comparatur respectiuum ad absolutũ.

Tertiò potest comparari ad reliqua sex prædicamenta, vt respectiuum ad respectiuum, & tunc ponuntur tres conclusiones.

Prima est: Relatio habet debilius esse, quàm substantia.

Secunda est. Relatio habet debilius esse, quàm substantia, quantitas, & qualitas.

Tertia est. Relatio habet debilius esse, quàm reliqua sex prædicamenta.

Ex his colligitur absoluta in corpore conclusio, quòd relatio habet debilius esse, quàm cætera prædicamenta.

Sed dicet aliquis, cur non primò, atque simpliciter collecta, posita que est vltima hæc conclusio? cui respondetur, quoniam non eodem medio, vel quo probari potest, si quidem prædicamenta alia non habeant aliquam rationem communem, vnde sumi possit vnicum medium, nisi hanc, quòd habeant esse ab alio, quæ ratio communis est etiam ipsi relationi.

Igitur

Igitur exemplum habemus de actione, & passione, quæ fundantur in motu. Motus autem semper connotat subiectum, & motum, & mobile, & sic etiam reliqua.

Vnde sic exigi potest ipsa ratio. Absolutum alienius est à respectiuo, quàm sit ipsum respectiuum, sed relationis fundamentum est absolutum, sex reliquorum respectiuum. igitur &c.

Not. pro maiori id, quod sæpè dictum est, quòd relatio nisi characterizetur à suo fundamento non habet esse reale. Nunc autem videtur, quod magis characterizetur à respectiuo, quàm ab absoluto. Et ex his, vt credimus, facilè poteris percipere quæ habet Auctor in hac quæstione, & colligere etiam conclusionem vniuersalem, quæsito responsiuam.

QVAESTIO SEXTA.

Vtrum sit possibile ponere plures, & diuersas formas accidentales differentes solo numero simul in eodem subiecto indiuisibiliter.

SEQVVNTVR quæsita pertinentia ad causata absoluta, vbi primo quærebatur vnum de accidente. Vtrum scilicèt sit possibile ponere plures & diuersas formas accidentales differentes solo numero simul in eodem subiecto indiuisibiliter. Deinde quærebantur plura alia substantia.

Arg. prim. primum. Circa illud vnicum arguitur quòd sic. Primo sic. Diuersa visibilia, putà alba, vel lucida, æqualiter multiplicant species, siue similitudines, siue intentiones suas in eadem parte medij, ita quòd intentione vnius corrupta ad eius absentiam manet intentio alterius in illo, hoc autem non posset esse, nisi à diuersis essent diuersæ intentiones simul in eadem parte medij, ergò &c.

Secundum Secundo sic. Si esset eadem species siue intentio in medio diuersorum alborum, cum per illud quod ab eis diffunditur in medium, mouent visum, essent duo alba, quorum vnum esset magis album, & alterum minus, æqualiter ergò mouerent visum, & per hoc iudicarentur à visu fore æqualiter alba, consequens falsum est, ergò &c.

Tertium. Tertio sic. Philosophus dicit in quinto Physicorum, quòd duo accidentia in eodem subiecto, putà duæ sanitates, quarum vna corrumpitur in mane, & altera generatur in vespere, non possunt esse eadem sanitas numero, & hoc propter diuersos motus quibus generatæ sunt, quare cum diuersis motibus fiat generatio intentionis in medio à diuersis albis, ergò &c.

In oppos. In contrarium est, quia accidens non numeratur nisi per subiectum, quasi subiecto existente vno, & eodem, & accidens eiusdem speciei non numeratur, sed est idem secundum numerum.

Responsio. Dico, quòd cum secundùm Philosophum 12. Metaphysic. & clarius secundùm Commentatorem ibidem, omnes formæ, quæ sunt in primo motore in actu, sunt in prima materia in potentia, & est sermo suus ibidem de generabilibus formis, & corruptibilibus correspondentiam ergò habent inter se esse formarum secundum actum, & secundum potentiam in prima materia.

Sunt autem formæ in primo motore in actu per rationes ideales, quæ sunt principia actiua & cognitiua, & productiua illarum. In prima autem materia sunt in potentia per potentias materiæ receptiuas, siue passiuas. Quare cum respectu vnius speciei, & omnium indiuiduorum illius non est nisi vnica idea in primo motore, qui est Deus, vt in quodam alio Quolib. determinauimus secundùm Beatum Augustinum similiter ergò, & in prima materia respectu vnius speciei, & omnium indiuiduorum illius non est nisi vnica potentia passiua, siue receptiua.

Ex vnica autem & eadem potentia passiua in eodem secundum numerum non potest produci, aut esse simul in eodem tempore plus quàm vnica forma secundum numerum, quia potentia terminatur per quencunque actum vnum ad quē est. Ideircò igitur mihi videtur, quòd plures tales formæ differentes numero non possunt simul esse in eodem subiecto. Concedo igitur vltimam rationem.

Ad primum. Ad primam in contrarium de intentionibus visibilium in medio, propter quas, vt puto, mota fuit quæstio, q diuersa visibilia æqualiter multiplicant suas species in eandem partem medij, sic quòd species vnius manet specie alterius corrupta, quod non posset esse, si essent eędem species numero, Dico, quòd si illa multiplicatio speciei à diuersis visibilibus esset per migrationem alicuius permanentis in esse suo à visibili in medium, aliquid valeret maior illa nec aliter veritatem habere pōt. Nunc autē non est ita, quia scdm Boetium super Porphyrium, Accidentia perimi possunt, alterari autem nō possunt scilicèt à subiecto in subiectum migrando. Nūc aūt cum species visibilium nō fiant in medio, nisi per naturalem generationem de potentia medij, & hoc, modo generationis aliarum formarum materialium, licèt debilius esse quàm aliæ habeant, de eadem aūt potentia sub eadem specie, vt dictum est, simul in eodem numerò nec esse nec generari possunt plusquàm vna & eadem spēs numerd, impossibile est ergò, quòd diuersæ formæ secundum numerum solum ēt à diuersis agentibus, siue generantibus habeant esse in eadem parte medij. Immò quodlib. illorum vniformiter alteri mouet medium ad generationem speciei secundum

rationem illius vnicæ potentiæ, ac si solùm modò vnum illorum moueret, &c. sic ad eandem formam secundum numerum generãdam quodlib. illorum secundum virtutem suam mouet & concurrunt in eundem effectum numero, sicut concurrunt diuersi trahentes in vnicum tractum eiusdem nauis secundum numerum, & diuersi ignes ad calefaciendum aquam eandem vnico calore secũdum numerum & gradum caloris, ad quem nullus illorum attingere per se potuisset.

Quod autem arguitur apparenter contra hoc, quòd generatum ab vno illorum potest corrumpi, non corrupto sed manente eo quòd generatum est ab altero, Dico, quòd non est verum, immò tota species vna &c. eadem per essentiam secundum numerum manet ad præsentiam vnius generantium illam, licèt minus intensa, quàm fuit generata ad præsentiam plurium agentium, pro quanto efficacius, & intensius mouebant ad generationem illius plures simul, quàm vnus, aut pauciores tantum.

Et hoc quemadmodum plures simul intensius mouerent nauem motu veloci, quàm quilibet illorum per se, aut pauciores simul mouerent motu lento.

Vnde species illa generata ad præsentiam plurium, vel pauciorum generantium illam, & conseruantium eam in esse, non differt nisi secundum magis intensum, & minus intensum, quæ vniuersaliter in eodem subiecto secundum numerum non possunt differre secundum numerum, sicut in diuersis subiectis non possunt differre secundum speciem.

Ad secundum. Ad secundum quod videtur directè facere contra iam dicta, quòd si eadem species esset in medio, à magis albo, &c. minus albo, iudicarentur ergò à visu fore æqualiter alba, dico, quòd species rei visibilis in medio non tantùm ex hoc mouet ad determinatè videndum aliquod visibile, quod est species simpliciter ipsius visibilis, sed cum hoc requiritur visibile in oppositione secundum lineam rectam per illud medium ad pupillam visus.

Vnde per speciem existentem in medio secundum veritatem, & non rectam oppositionem ad visum, nullo modo potest visus moueri ad videndum visibile à quo generata est, dum illud ex obliquo se habet ad pupillam oculi, &c. sic non potest mouere visum species in medio, nisi ad rectam oppositionem mediante illa visibile habeat se respectu visus, sicut non potest species ipsum mouere nisi quatenus generata est à visibili se habente ad talem rectam oppositionem.

Quare cum ad rectam talem oppositionem non sit generata nisi secundum gradum intensionis respondentis virtuti, &c. intensioni visibilis directè oppositi, idcircò species intensa à pluribus visibilibus in medio ad quodlib. illorum videndum mouet secundum gradum intensionis, in quo nata esset generari à quolib. illorum per se, &c. ad nullum illorum videndum mouet secundum gradum totius intensionis suæ, immò non plus mouet ad videndum quodlib. illorum, quàm moueret ad videndum aliquod illorum species generata ab illo solo, propter quod per eandem speciem benè diuersimodè iudicatur de magis albo, &c. minus albo, & vnum illorum iudicatur esse albius altero.

Ad tertiũ. Ad tertium, quòd non potest eadem species numero in aliquo eodem numero generari diuersis motibus, sicut fit generatio in medio à diuersis visibilibus, Dico, quòd falsum est, quando sunt mouentia vniformiter, &c. simul, vt patet in tractu nauis, &c. generatione caloris in aqua, sicut dictum est, &c. cum hoc, licèt simul non agerent, sed agens posterius inueniret manens quod actum est à priore agente, vt contingere posset in tractu eiusdem nauis à pluribus successiuè, &c. similiter in calefactione eiusdem aquę à pluribus ignibus successiuè, tamen actum à primo augeretur à secundo, &c. est vnum, & idem essentia.

Et similiter si vnum album primò generet speciem suam in medio per se absque alio, & maneat, &c. conseruet speciem à se generatam in medio, tunc altero albo adueniente in recta oppositione ad illud medium, speciem illam intendit, &c. est eadem numero à diuersis motibus, vel ab initio generata, &c. posterius aucta.

Sed si sint diuersa mouentia idem subiectum vel medium, successiuè prius corrupto generato ab vno, quàm sequatur motus ab alio, in hoc casu solum loquitur Philosophus, &c. benè, quòd non potest esse eadem forma, putà sanitas corrupta in mane, & regenerata in vespere.

Comment. in Quæstionem Sextam, quæ est,

Vtrum sit possibile ponere plures, & diuersas formas accidentales differentes solo numero simul in eodem subiecto indiuisibiliter.

ITVLVS videtur clarus.

In corpore est conclusio negatiuè respondua quæsito, quæ & sic probatur. Potentia passiua vnica existens secundum numerum non actuatur nisi per vnicam formam numero, sed idem subiectum, & vnum numero non habet nisi vnicam potentiam ad formam, igitur ad vnum tantum numero.

Maior patet, quia sicut idem specie actuatur per vnicam formam specificam, ita vnum numero per vnã formam numero. Quod autem vnum specie actuetur, &c. patet. quia sicut se habet forma in actu in primo motore, ita se habet potentia in prima materia, sed in primo motore non est nisi idea vna in specie cuiushbet rei, quæ tota toti speciei communicatur specificè, & tota vni numero numeraliter.

Pro minori nor. diligenter, quòd videmus quidem vnum, & idem subiectum, vt homo particularis, habere plura accidentia, quæ formæ quædam esse videntur, & idea diuersas quoque videtur habere potentias. Sed profectò quoniam illa accidentia non differunt numero, sed specie, ideò & potentias habet diuersas specie. Dicitur autem, & est quæstionis resolutio, quòd habet potentiam tantum vnam numero, hoc est, putà respectu albedinis, non habet plures potentias numero differentes, sed vnicam, quæ & vnica albedine numero terminatur, & sic respectu alterius accidentis, quòd si posset respectu eiusdem albedinis habere plures potentias numero differentes, vtique & plura accidentia numero tantum differentia in eodem posset esse. Et si hoc esset, illud sequeretur, quod idea albedinis, quæ speciei correspondet, posset correspondere albedini existenti in vnico subiecto numero conuertibiliter, quod vtique est falsum. Cum ergò in primo motore sit albedinis idea, quæ speciei toti respondet, oportet, quod ideatum non sit in vnico suppositio, in quo non potest esse nisi vnica potentia.

QVAESTIO SEPTIMA.

Vtrum aliquod agens creatum in agendo posset attingere substantiam primæ materiæ.

SEQVVNTVR quæsita de substantia, vbi quærebatur vnicum pertinẽs ad substantiam creatam generaliter. Deinde plura pertinentia ad diuersas substantias intellectuales creatas specialiter. Illud vnicum erat, vtrum aliquod agẽs creatum in agendo posset attingere substantiam primæ materiæ.

Argumen. princip. Et arguitur quòd sic, hoc modo. Quod aliquid educit de substantia materiæ, actione sua attingit illã, quia omne agens attingit illud in quod agit, quia agens & patiens debent esse simul, vt dicitur in primo de generatione, agens autem creatum educit per generationem substantialem formam non de subiecto existente in actu, sicut educit per alterationem formam accidẽtalem, sed de materia existente in potentia tm̃, vt dicitur in eodem. Ipsa.n. inest materiæ immediatè, forma autem accidentalis non inest materiæ nisi mediante forma substantiali, ergò &c.

In oppositum. Contra, cum agens naturale non sit nisi quantum, non agit nisi in quanto, quia nó agit nisi per contactum & quantum non tangit nisi quantum. Quantitas aũt semper in subiecto media est inter agentem & substantiam materiæ, agens autẽ non attingit substãtiam materiæ, qñ aliquid aliud est medium inter ipsam & materiam ergò &c.

Responsio Dico, q̃ agens naturale in transmutatione dicitur illud attingere, quod præcisè manet vnum & idem in tota transmutatione, scilicèt & sub forma quæ corrumpitur in termino a quo, & sub forma quę producitur in termino ad quem. Idcircò alterans dicitur attingere sua actione non substãtiam nudam primę materię in sola potentia existentem, sed solùmmodò subiectum existens in actu compositum ex materia, & forma substantiali, licèt enim substantia materiæ maneat in alteratione, nõ tamen manet sola, vt præcisè vnum commune vtrique termino transmutationis. Et sic idem est quærere quid sit subiectum commune manens in tota transmutatione, & quærere quid sit illud quod agens sua actione attingit. Et quia super hoc est maior dubitatio in transmutatione quę est generatio, quàm in alijs, circa generationem ergò quæstionis difficultatem prosequamur precisè.

Circa generationem autem variatur responsio ad quęstionem secundum diuersos modos ponẽdi modos generationis naturalis, Qui sunt 6 quorum primus est ponentium formarum latitantiã, qui posuerunt generationem fieri sola congregatione, & segregatione partium materialium puta atomorum. Dicebant enim, quod omnia secundum formas suas essent contenta in omnibus, & commixta, putà lignum, lapis, plumbum, aurum, caro, os, homo, leo, album, nigrum, dulce, amarũ, & cetera huiusmodi, & quòd generatio nihil aliud esset quàm ad superficiem exteriorem congregatio partium, ad eandem formam pertinentium, & aliarum partium segregatio ab illis ad interius, & quòd sic vnumquodque denominaretur, putà lignum, vel lapis, aut aliquid cæterorum, prout partes formas vnius eorum, vel alterius continentes, abundantius exterius apparent, sicut in olla bulliente in qua sunt commixta pisa, faba, vicia, seminium, &

cœteræ ſpecies leguminum, quandoque abundantius apparent ſuperiùs in orificio ollæ piſa, quandoque fabæ, aut aliquid cęterorum, & per hoc modo apparet, quòd olla illa contineat ſola piſa, modo quòd ſolas fabas, & ſic de cęteris. Secundùm talem modum ponẽdi generationem dicendum eſſet, quòd agens in generatione ſua actione non attingit materiæ ſubſtantiam nudã, ſed quoddam admixtum continens in diuerſis partibus materiæ ſingulorum formas.

Secundus eſt ponentium gradum formarum ſubſtantialium in quolibet generabili, & corruptibili, & aliquam formam ſymbolam manentem communiter in generato & corrupto, qui ponebant generationem fieri per appoſitionem formarum poſteriorum, quibus generatum, & corruptum inter ſe diſtinguuntur.

Secundùm talem modum ponendi generationem fieri, dicendum eſſet, quòd agens in generatione ſua actione attingit non ſubſtantiam materiæ, ſed ſubiectum quoddam compoſitum ex ſubſtantia materiæ, & forma ſubſtantiali incompleta quæ eſt forma generaliſſimæ ſubſtantiæ, puta ſubſtantialitas ſola, aut cum hoc forma ſecundi generis ſub ſubſtãtia, quæ dicitur corporeitas. Tale enim compoſitum ſecundùm illos manet in tota tranſmutatione generationis, & ſolùm fiunt generatio, & corruptio ſecundùm formas poſteriores completiores. Tertius eſt ponentium gradus non formarum ſubſtantialium ſecũdùm ſub & ſupra ſecundùm diuerſitatem generum & ſpecierum in linea prædicamentali, ſed ponentium vnius formæ manentis gradus ſecundùm eſſe perfectius, & completius penès illam generum & ſpecierum diuerſitatem, qui dicebãt generationem fieri per acquiſitionem ex generatione eſſe perfectius, & completius vſque ad vltimum completiuum ipſi formæ manenti. Et ſecundùm talem modum ponendi dicendum eſſet, vt iam prius, quòd agens in generatione non attingit ſubſtantiam materiæ, ſed ſubiectum quoddam compoſitum ex ſubſtantia materiæ, & forma ſubſtantiali ſub eſſe incompletiſſimo competẽs vel generaliſſimo ſubſtantiæ, vel alicui ſub illo. Illud enim compoſitum manet, & fit ſolùm modò generatio ſecundùm eſſe perfectius.

Quartus eſt ponentium inchoationes formarum in materia, quas vocabant potentias actiuas in materia, præcedentes omninò tranſmutationẽ generationis, quas quaſi excitatas per actum generationis ponebant pullulare in formas perfectas, & ipſas non eſſe formas, ſed quædam ſemina formarum, quod aliqui ponebant ſenſiſſe Auguſtinum. Secundum iſtos dicendum eſſet, quòd agens in generatione non attingeret compoſitum ex materia & forma, nec nudam ſubſtãtiam materiæ, ſed medium quoddam ſcilicèt ſubſtantiam materiæ cum ſeminario formæ.

Quintus eſt ponentium datores formarum, & generationem eſſe non productionem formæ de materia, ſed in materia tantùm, quaſi generatio non eſſet aliud quàm creatio formæ in materia, prout Auerrois imponit Auicennæ, ſecundùm quem dicendum eſſet, quòd agens ſua actione generandi attingeret nudam ſubſtãtiam materiæ, quòd ſecundum illum ipſa manet communis ſola generato & corrupto.

Sextus eſt ponentium, quòd nihil ſit forma aut ſeminarium eius, nec omninò forma aliqua in generabilibus, & corruptibilibus quin ſit generabile & corruptibile, & quòd generatio non eſt per ſe formæ, ſicut nec materiæ, ſed ſolius compoſiti ex materia & forma, ſecundùm totum quod eſt in illo, manente ſola ſubſtantia materiæ communi in generato, & corrupto. quæ ſecundùm iſtos talis naturæ eſt, quòd ipſa diſpoſita ad præſentiam agẽtis naturalis ſibi proportionalis, nata ſit ſtatim affici diſpoſitione formali, ad quam ordinatur actio agentis, quemadmodum cęra mollis afficitur figura ſigilli ſibi impreſſi.

Nec refert, niſi quòd iſta impreſſio eſt violenta paſſibili contrariante, illa verò eſt naturalis paſſibili per naturalem obedientiam conferente ad impreſſionis ſuſceptionem, vt ſic quantum eſt ex parte materiæ conferentis, forma ſit ab intra, & quantùm eſt ex parte agentis ipſa ſit ab extra, vt ſecũdùm hoc ſit forma partim ab intra, & partim ab extra, prout poſuerunt Peripatetici, quorum poſitionem puto continere verum modum generationis naturalis. Aliorum autem poſitiones prætactas ſigillatim reprobare non eſt præſentis intentionis.

Secundùm iſtum vltimum, & verum modum ponendi naturalem generationem, Dico quòd agens naturale generans ſua actione attingit puram & nudam ſubſtantiam primæ materiæ abſq; omni forma, & formæ ſubſtantialis inchoatione exiſtente, ſic quòd nihil formæ ſubſtantialis maneat in materia, quod ſit commune generato & corrupto, ſed ipſa ſola materia ſubiectum eſt generationis naturalis, ex qua generans producit compoſitum ex materia & forma, vt procedit primum argumentum, quod ſecundùm hoc concedendum eſt. Ad argumentum ſecundum, φ erat in oppoſitum. ſ. φ agens naturale, quia eſt quantum, non agit niſi in quanto, materia ergò in tota tranſmutatione generationis eſt ſub quantitate, & ſic agens, & generans ſua actione non attingit niſi quantum, non autem nudam ſubſtantiam materiæ, quæ de ſe indiuiſibilis eſt, non quanta, ſecundùm Philoſophum in primo Phyſicor. & 3. Metaphyſ. Dico, quòd re vera ſubſtantiam materiæ nudam, vt habet eſſe ſub ratione ſimplicis, & indiuiſibilis abſque omni ratione partibilis eius, quòd eſt præter ſuam ſubſtantiam, nullum

Ad arg. in oppoſit.

lum agens naturale ſua actione attingere poteſt omninò de ipſa aliquid producendo, aut vſque ad ipſam aliquid corrumpendo, &c. ipſam denudando omninò. Sic enim ipſam attingere, & eam denudare, vt etiam maneat in eſſe exiſtentiæ denudata, ſolùm modò poſſibile eſt agenti increato. Sed agens naturale ipſam ſolùm modò ab omni forma ſubſtantiali, & etiam accidentali determinata formæ ſubſtãtiali denudare poteſt, non tamẽ ſic, vt ipſo agẽte in exiſtentia maneat denudata etiam per momẽtum abſque omni forma ſubſtantiali, quia nihil corrumpere poteſt niſi generando, nec ſic etiam denudare poteſt, vt omni forma accidẽtali indeterminata ſpolietur, immò neceſſe eſt, vt omnes diſpoſitiones accidẽtales ſymbolæ generato & corrupto ſub eſſe indeterminato maneant. In omni autem generatione diſpoſitio ſymbola vtrique eſt quantitas, quia non generatur, aut corrumpitur niſi quantum. Idcirco ergò in omni generatione, commune manens generato & corrupto neceſſariò eſt quantitas indeterminata, & ſic neceſſe eſt, quòd ſubiectum generationis ſit quantum interminatum, ſiue indeterminatum prout procedit argumentum, nec attingit ſubſtantiam materiæ nudam ab omni diſpoſitione formæ accidentalis, attingit tamen nudam ſubſtantiam ab omni diſpoſitione formæ ſubſtantialis, qua ipſam denudat, nõ ſic tamen, quòd in aliquo momento ſit ſine omni forma, prout infra in quæſtione de conceptione Virginis glorioſæ declarabitur.

Circa ſubiectum igitur generationis, eò quòd oportet, quòd ſit quantum, eſt aduertendum, q̃d cum eſſe quantitatis continuæ, qua ſubiectum generationis oporter eſſe quantum, conſiſtit non niſi in ratione dimenſionali, &c. diuiſibili, ratio autem diuiſibilis dimenſionalis eſt, quòd habeat partem extra partem, ſecundùm igitur duplicem rationem dimenſionis duplex eſt eſſe quantitatis continuæ. Dimenſio autem, aut eſt terminata, ſiue determinata ſecundùm gradum, &c. extenſionem penes magnum & paruum in longo, & lato & profundo, aut eſt interminata, ſiue indeterminata per indifferentiam ſe habens ad extenſionem in magnum, & paruum ſecundùm longum, & ſecundum latum, & ſecundum profundum. Secundùm hoc ergò eſt vnum eſſe quantitatis, quo habet eſſe determinatarum dimenſionũ, &c. aliud quo habet eſſe dimenſionum indeterminatarum. Quorum primum non habet quantitas continua, niſi ex compoſito ex materia & formã, & non niſi à forma ſubſtantiali, quæ quantitas ex ſe non eſt determinata. Vnde & ſecundum diuerſitatem formarum ſubſtantialium diuerſas habet terminationes, quia ex parte formæ ſubſtantialis prouenit, quòd omnium natura conſtantium ſtatuta eſt ratio, &c. terminus magnitudinis, & augmenti, ſicut dicitur 2. de Anima. Determinant enim ſibi quælibet forma ſubſtantialis quantitatem terminatam, ſiue determinatam in maius, ſic quòd non poſſet eſſe aut conſeruari in maiori, ſimiliter & in minus, ſic quòd non poſſet eſſe aut conſeruari in minori. Quantitatem tamen ſimpliciter forma quælibet ſubſtantialis ſic ſibi determinat, quòd poſſit eſſe, & conſeruari in maiori, & minori inter illud maius in termino, &c. illud minus in termino, ſed tamen non niſi in quanto & in diuiſibili. Eſſe autem ſecundum, quantitas continua haberet etiam ex ſe ſi eſſet ſeparata à compoſito, & à materia & forma. Et vtrunque iſtorum materia habet à quantitate continua, à qua habet & partibilitatem, ſiue diuiſibilitatem, cum ex ſe ſit impartibilis, & indiuiſibilis diuiſibilis tamen & partibilis eſt, vt eſt ſub quantitate ſecundùm partibilitatem, & diuiſibilitatem quantitatis. Vt enim eſt ſub quantitate continua, partes materiæ reſpondent partib. quantitatis. Vnde materia vt eſt ſub quantitate ſimpliciter non determinata per formam ſubſtantialem, interminata ſiue indeterminata eſt in ſuis partibus materialibus, ſicut eſt quantitas in ſuis partibus quantitatiuis, vt verò eſt ſub quantitate determinata per formam ſubſtãtialem, ipſa ſimiliter eſt determinata in ſuis partibus, vt eſt ipſa quantitas. Et ſic agens naturale creatum non attingit ſubſtantiam materiæ, vt eſt omninò indiuiſa, & ſimplex, atque impartibilis, ſed ſolùm modò vt eſt ſub ratione quanti indeterminati &c. partibilis ſub partibus talis quanti, quo ad inſtans enim in quo completur generatio, & materia ſpoliatur vna forma, & induitur alia, illam qua materia induitur præcedunt natura etſi non duratione dimenſiones interminatæ in materia. Duratione enim ſicut nunquàm eſt ſine vna forma ſubſtantia aut alia, ſic nunquam duratione alicuius temporis aut inſtantis eſt ſine terminatione quantitatis ab vna forma vel ab alia. Et eſt aduertendum, quòd licèt ipſum non ſit ſubiectum generationis ſicut dictum eſt, niſi ſub ratione quanti interminati, quia tamen quantitas illa interminata non ſequitur ad rationẽ materiæ, vt ſit ſubiectum generationis, tanquàm cauſa per ſe, & quaſi ſit aliquid de ratione ſubiecti per ſe, ſed ſolum modò tanquàm cauſa ſine qua non poſſet materia habere rationem diuiſibilis, & partem extra partem in ſua ſubſtantia, & ſine qua non poſſet omninò eſſe ſubiectum formę naturalis, idcirco ſentiẽdum eſt ſecũdm hoc, quòd naturale agens non attingit ſubam, niſi vt eſt ſub quantitate interminata, hoc contingit per accidens iam dicto modo, per ſe aũt attingit nudam ſubſtantiam materiæ, vt per ſe ſubiectum generationis, non vt in ſua ſimplicitate exiſtit, ſed vt habet partes extra partes interminatas ſub partibus quantitatis interminatæ, quod tamen non eſt niſi attingere per ſe ſolam ſubſtantiam materiæ.

Vt enim dicit Philosophus in fine quarti Metaphysic. si vltima materia sumatur, nihil est præter ipsam. Materia enim sine sumatur per considerationem sub ratione simplicitatis qua caret partibus, siue sub ratione partibilitatis qua habet partes extra partes, ipsa non est aliquid præter ipsam.

Et sic per se simpliciter, & absolutè loquendo, Dico, quòd agens naturale sua actione attingit substantiam materiæ, licèt non ratione illius simplicitatis qua illam attingit agens increatum, sed quòd non attingit nisi quantum interminatum, hoc non contingit nisi per accidens. Et per hoc patent ambo obiecta.

Comment. in Quæstionem Septimam, quæ est,

Vtrum aliquod agens creatum in agendo posset attingere substantiam primæ matris.

ITVLVS breuiter, sed diligenter declaratur ab Auctore, ita quòd idem sit illud quærere, quod quærere, quod non sit subiectum transmutationis, subaudi, substantialis, quæ est generatio. Vbi illud aduertendum est, quod in libris de generatione & corrupt. dicit Aristoteles. Scilicèt quòd vnius generatio alterius est corruptio, & vnius corruptio alterius est generatio. Vnde est idem subiectum generationis, & corruptionis, atque idem generans, agens, corrumpensque, & si alterum agat per se, alterum verò per accidens.

Per se enim duo simul opposita intendere non potest. Igitur quæritur quod nam sit hoc subiectum commune, an scilicèt materia prima, an potius aliquid ex materia formaque compositum.

Cœterum id non posse absolutè ad omnium aures determinari manifestat Auctor, quia diuersi diuersimodè acceperint generationem. Vnde & secundum diuersos modos accipiendi generationem, necesse est modo statuere quòd subiectum illud sit materia prima, modo quod sit compositum.

In corpore igitur sex modos ponit generationis, quorum quinque non acceptat, sextum verò accipiens, absolute habet hanc conclusionem, quòd subiectum illud sit materia prima, & illud attingeret agens, & attingit per se, per accidens verò attingit quantitatem interminatam, secundum quod declarat in responsione ad argumentum, quæ omnia cum satis ex se clara videantur, nihil aliud addere placet.

QVAESTIO OCTAVA.

Vtrum operatio intelligendi, qua Angelus, vel mens humana intelligit se differat à se.

EQVVNTVR quæsita pertinentia ad substantiam creatam intellectualem specialiter. Et erant quædam communiter pertinentia ad quãcunque creaturam intellectualem, & quædam alia pertinentia propriè ad solam creaturam intellectualem, quæ est homo. De primo horum quærebantur duo pertinentia ad intellectũ, quorum primum erat, Vtrum operatio intelligẽdi, qua Angelus, vel mens humana intelligit se, differat à se. Secundum erat. Vtrum intellectio qua Angelus aut mens humana intelligit se sit sibi essentialior quàm illa qua intelligit Deum.

Argumen. princip. Circa primum istorum arguitur, quòd intellectio qua Angelus aut mens humana intelligit se, non differat à se, sic operatio non differt ab operante, nisi aut ratione immediati principij elicitiui, aut termini ad quem est, vt calefactio à calefaciente, putà igne, non differt nisi aut ratione caloris quo elicitur, aut caloris qui per illã elicitur, ambo n. calores ab igne realiter differunt, à quo si nõ differrẽt, nec calefactio differret ab eodẽ. Sed ĩ ppoſito operatio intelligendi neutro mõ differt ab intelligente, quia ipse seipso est principium elicitiuum illius & terminus eius, ergò &c.

In oppoſitum. In contrarium est, quòd secundum Boetium in omni creatura differunt quod est, & quo est. Intellectus autem est ipsum quod est, intellectio autem est quo formaliter aliquid est, ergò &c.

Reſponſio Dico, quòd in hac quæstione non est ratio dubitandi, nisi apud illos qui putant, quòd nulla creatura aliquid agat sua substantia immediatè, vt scilicèt ipsa substantia, siue essentia rei non sit ipsa operatiua potentia præcisa, & prima, & proxima, sed quòd quicquid agat p aliquid agat, quod est potentia agendi differens realiter ab ipso agente. Vnde quæstio illa est contra illos, qui ponunt quòd in intellectualibus potẽtiæ illę quæ sunt intellectus & voluntas, sunt ipsa substantia intelligentis & volentis indifferentia ab illa secundùm rem.

Creatura non est ſua operatio. Illis enim qui ponunt, quòd nihil creatum agat sua substantia, videtur quòd si operatio sit aliud à substantia operantis, & accidens in illa, quòd oportet eam elici ab illa per principium quod sit etiam accidens eiusdem, quia aliter vnus videtur, operatio non potest realiter differre ab operante. Sed licèt in veritate omnis operatio creaturæ sit accidens substantiæ operantis, & sic realiter aliquid aliud ab ipsa, Aliter enim operans creatum naturaliter, & semper esset in opere suo eodem modo se habens & inuariabiliter, sicut contingit in operante increato, hoc autem

falsum

falsum est de operante creato, non tamen ex hoc oportet quòd operatiua potentia etiam realiter differat ab operante, immò quælibet forma substantialis constituens rem in esse, seipsa est principium alicuius operationis sibi essentialis iuxta secundum modum dicendi per se, licèt ipsa sit accidens illius, &c. licèt per alia principia operatiua quæ accedunt illi, ipsa sit operatiua aliarum quarundam operationum, quæ sunt sibi accidentalia respectu istius primæ operationis, & essentialis immediatè.

Vnde distinctionem rerum per formas suas substantiales quæ multum latent in plurimis ne possint internosci quando habent esse secundùm illas, & quando non, docet Philosophus cognoscere ex operibus illarum essentialibus, &c. per suas formas substantiales immediatè elicitas, quãdo dicit in fine 4. lib. Meteo. sic inquiens. Vniuersa determinantur operè, quæ enim possunt facere suij ipsius opus est singulum, quod verum esse non potest æquiuocè. *Conclusio.* Sic ergò dico generaliter & specialiter similiter respondendo ad quæstionem propositam, quòd quæcunque operatio creaturæ differt secundùm rem ab operante, & quòd operatio intelligendi Angeli, aut mẽtis humanæ realiter differt ab intelligente, quia solius Dei est, ꝙ in ipso sunt idem substantia & operatio. de quo erit mentio amplior in quæstione sequenti. Non tamen solius Dei est, quòd in ipso non differant secundùm rem substantia & virtus siue potentia operandi. Et secundùm hoc concedenda est ratio secunda.

Ad argu. princip. Quod arguitur in contrarium, quòd operatio non differt ab operante nisi ratione principij elicitiui, aut termini, quia scilicèt alterum illorum, vel vtrunque differt secundùm rem ab operante, Dico, quòd hoc non est verum, nisi de operatione accidẽtali, qualis est calefactiõ, quam ignis sua forma substantiali non agit nisi mediante accidentali scilicèt calore. Sed præter talem operationem habet quælibet res operationem aliam essentialem, quam agit immediatè sua forma essentiali, quæ in corporalibus manifestior est in organicis putà in animalibus quo ad opera sentiendi, sed occultior in mixtis homogeneis, putà in carne, &c. osse, & adhuc occultior in simplicibus elementis, putà in igne & aqua, &c. hoc prout in quibusdam ex talibus manifestior est forma substantialis distinguens &c. dans esse, quàm in quibusdam alijs, semper enim forma substantialis, &c. eius operatio propria essentialis manifestiora sunt in illis quæ sunt magis formalia, & propinquiora primæ formæ, &c. sunt occultiora in illis quæ sunt magis materialia, & propinquiora primæ materiæ, quorum formæ sẽper virtute continentur in formis eorũ, quæ sunt magis formalia. Et propter idem manifestius apparet in magis formalibus, quando vnum illorum habet esse verè, &c. quando non, sed æquiuocè, quàm in magis materialibus. Vt enim dicit Philosophus, sententialiter vbi iam supra, caro, vel os, vel aliorum homogeneorum vnũquodque, ex elemẽtis vt ex materia sunt. Ex illis enim vt ex materia sunt cuncta opera naturæ, vt verò in causa formali substantiali semper priora constant in posterioribus, &c. omninò in organicis. Sunt enim formæ elemẽtorum aquæ, ignis, aeris, terræ, virtute in forma mixti homogenei, putà carnis &c. ossis, & similiter quodammodò sunt formæ homogeneorum in forma organicorum, putà manus vel pedis hominis aut equi. Propter quod magis manifestũ est de homine mortuo, quòd æquiuocè est homo, aut de manu defuncti, quòd æquiuocè sit manus, sicut & manus lapidea, aut homo lapideus, quã de carne, quòd sit caro mortua, aut de aqua quòd deficit à sua forma, &c. adhuc hoc minus manifestum est de aqua, aut igne, quàm de carne, aut osse, &c. hoc quia in istis videlicèt in igne, aut aqua respectu carnis, &c. ossis, & in carne, & osse respectu hominis aut bouis minimè manifesta est causa formalis, eo quòd in eis plurimum est materiæ &c. minus formæ, velut si prima sumatur materia, ipsa nihil est præter ipsam, si etiam sumatur forma substantialis prima, ipsa etiam nihil est præter ipsam.

Quæ verò sunt media, vnunquodque eorum proportionaliter habet minus formæ quantum est propinquius primæ materiæ, &c. plus formæ quantum propinquius est primę formę, &c. Vniuersa hoc operè determinantur, vt quo cognoscuntur quando sunt in esse formę suę vniuocè, & quando non, sed æquiuocè. Quæ enim possunt facere suij ipsius opus, manifestum est qd singulum eorum est secundùm formam suam, quemadmodum oculus, quando videre potest, quando verò non potest videre, manifestum est, quòd æquiuocè est oculus, quemadmodum mortuus, aut lapideus, aut etiam serra lignea quę non potest facere opus serrę æquiuocè est serra, &c. velut imago serrę, & similiter carò est æquiuocè caro, cum non potest exercere proprium opus carnis, sed opus eius minus manifestum est, quàm sit opus oculi, & adhuc forsan minus manifestum est opus ignis quàm carnis, qua ex re quando existat forma substantiali vnunquodque talium, &c. quando minimè non facilè est perspicere, nisi solùm modò figuram existentis retineant, quemadmodum veterum corpora mortuorum, quæ subito ad modicum tactum vel flatum venti in cineres, aut puluerem desidunt.

Ad exem. plum de igne. Descendendo igitur ad exemplum de igne & calefactione assumptum in argumento, Dico, qd ignis licèt non calefaciat nisi calore, non immediatè forma substantiali igneitatis, eo quòd calefactio est eius operatio accidentalis, & per accidens,

dens, habet tamen aliam operationem essentialem, &c. per se, quam agit immediatè scilicèt ignem generare, quod tamen prædicti negant dicentes, quòd ignis non generat ignem nisi calore. Quorum opinionem Philosophus tangens in secundo de Generatione dicit sic. Quoniam innatum est, vt inquiunt, calidum quidem segregare, frigidum verò congregare, &c. aliorum vnunquodque hoc quidem facere, hoc autem pati, ex his dicunt, &c. per hęc omnia generari & corrumpi.

Quorum opinionē reprehendit continuè subdens. Sed potentias attribuunt corpori propter quas generat valdè organicè, auferentes eam quæ est secundùm speciem causam scilicèt formalem substantialem, quæ est agens verum, & principale in generatione, cum forma accidentalis non sit nisi agens organicum, & instrumentale, &c. hoc non in producendo formam substantialem, illam enim sola forma substantialis immediatè generando producit, sed separando &c. disponendo materiam tantum.

Hinc super assumpto verbo dicit Commentator. 1. non faciunt nisi agens in genere instrumēti, non agens verum. Quod re vera est sola causa formalis substantialis, cuius virtute calidum &c. frigidum temperate agens, constare faciunt materiam, disponentes materiam ad determinatam formæ substantialis susceptionem, quæ in fine alterationis qua materia sic disponitur, inducitur actione solius formæ substantialis, putà ignis, cū debet generari ignis, aut aquę, dum debet generari aqua, aut equi, dum debet generari equus.

Propter quod post verbum iam dictum, addit Commentator dicens. Necesse est enim si generent res, vt habeant agens quod faciat eam per temperamentum.

Sic ergò res quælibet sua forma substantiali aliquam actionem sibi essentialem agit per se, & immediatè, etsi aliquando non nisi mediante actione formæ accidentalis ad dispositionem materiæ, sicut dictum est, quod contingit vniuersaliter quando propria actio formæ substantialis est generare formam sibi consimilem de materia.

Quando verò habet aliquam aliam actionem sibi propriam, quam appellant medici à tota specie, putà quòd magnes attrahit ferrum, aut herba talis sistit sanguinem, illam fortè habet immediatè præsente materia susceptibili. vnde quęcunque res talem actionem agit præsente materia disposita nisi alias fuerit impedita.

Non oportet ergò, quòd quia omnis operatio accidens est, &c. differt secundùm rem ab operante, quòd eliciatur ab illo per principium quod est accidens in eo, aut quòd ipsa operatio non sit accidens differens secundùm rem ab operante, sed idem penitus cum agente.

Comment. in Quæstionem Octauam, quæ est,

Vtrum operatio intelligendi, qua Angelus, vel mens humana intelligit, se differat à se.

QVAESITVLVS intelligitur sic, ac si quæratur etiam generaliter vtrum operatio differat realiter ab operante, an ita sint idem operatio, &c. operans, vt operans sit sua operatio.

In corpore est conclusio respōsiua quæsito etiam generalius, scilicet, quòd nullius creaturæ operatio est idem realiter quod operans. Et ex hac conclusione elicitur specialis ad quæsitum, quòd scilicet operatio intelligendi differt realiter &c. Et hæc probatur ex superiori: superior autem ex hoc, quòd solus Deus est sua operatio, ergò non creatura: si enim creatura esset idem, quod sua operatio, tunc sicut operatio Dei est inuariabilis, ita profectò etiam operatio creaturæ esset inuariabilis, sed consequens est falsum, igitur &c. antecedens.

Not. quòd quantum colligere de substantijs abstractis licèt ab Arist. &c. Auerr. 12. Meth. t. 51. videtur, quod velint eas idem esse cum sua intellectione, ac consequenter cum sua operatione, quia secundum ipsos dato, quòd distinguerentur, profectò facerent compositionem in ipsa intelligentia, & tunc admixtam haberent intelligentiæ potentiam aliquam passiuam, quam omninò negat Philosophus. Et sic ab ipso in parte non conceditur conclusio.

Cæterum secundum rei veritatem, si Aristoteles cum suo Auerr. quod de prima dicit intelligentia, intelligit quoque de cæteris, errat; non quidem in suis principijs, sed in ipsa veritate, nam omnis intelligentia præter primam, quæ Deus est, producta est, & admixtam habet potentiam, qua fit, vt non sit idem realiter cum sua operatione. si quidem si aliundè habet esse, & non à se, aliunde etiam habet perfectionem suam, quæ consistit in operatione, ad quam, sicut ad actum comparantur intelligentiæ, veluti potentiæ passiuæ. Deus autem cum à seipso habeat esse, habet & operationem, & ideò substantia, & operatio est eadem. Sed non est mirum si Aristoteles id proferat, quod est contra veritatem, & illud ratione satis firma probare viderur, quia dato vno inconuenienti multa sequuntur: concedit enim æternitatem ipsis intelligentijs à qualibet parte, quàm falsò concessam alibi ostensum est.

QVAESTIO

QVAESTIO NONA.

Vtrum intellectio, qua Angelus, aut mens humana intelligit se, sit sibi essentialior, quàm illa, qua intelligit Deum.

Arg. prim. CIRCA Secundum arguitur, q̃ intellectio, qua Angelus, aut mens intelligunt se, sit sibi essentialior, quàm sit intellectio, qua intelligunt Deum, sic. Illa operatio rei cuiusque sibi est essentialior, quam agit circa obiectum principalius illi operationi, & etiam sibi, quàm sit illa, quam agit circa obiectum minus principale, & operationi, & sibi. Cum enim actus habeant distingui per obiecta, magis, & principalius habent distingui per obiecta principalia, & magis esse per consequẽs, quàm ab eo habet res esse formaliter, & distingui ab alijs.

Intellectio qua Angelus, aut mens intelligit se, est huiusmodi respectu intellectionis, quæ intelligit Deum, quia Angelus, aut mens est aliquid creatum, & habens idcircò opus determinatum essentialiter. Opus autem determinatum essentialiter, seu principaliter, habet esse circa determinatum obiectum, & hoc non extrinsecum, quia operatio rei tendẽs extra se ad extrinsecum, non est ei principalis, aut essentialis, quia secundum Philosophum septimo Metaphysic. Essentia rei totum sibi essentiale comprehendit intra se. Deus autem per essentiam est obiectum extrinsecum Angelo, aut menti, & indeterminatum, sibi autem est obiectum intrinsecum, & determinatum: ergo &c.

In oppos. Contra. Illa operatio essentialior, & principalior est operanti, quæ omninò quietat ipsum, ne queat moueri ad aliud operando circa illud, q̃ quæ non quietat ipsum, quia non est motus, nisi propter quietem, secundum Coment. super octauo Physico. Sed intellectio, qua Angelus, aut mẽs intelligit Deum, omninò quietat ipsum, non sic intellectio, qua intelligit se, dicente August. in principio libri Confessionum. Domine feciſti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te: ergò &c.

Responsio. Dico secundum aliàs à me determinata in quæstionibus de Quolibet, quòd Angelus, aut mens non intelligit se, nisi sicut alia à se: primò scilicet intelligẽdo se sub ratione vniuersalis proximi sui. Vniuersale enim est per se, & primum obiectum intellectus creati, sicut singulare est per se, & primum obiectum sensus.

Igitur si Angelus, aut mens intelligit se sub ratione singularis, hoc non est primò & immediatè, & quasi directo aspectu secundum lineam rectam, sed mediante intellectu vniuersalis sui intellecti primò, & immediatè, & quasi aspectu obliquo secundum lineam reflexam, prout determinat Philosophus in tertio de anima. Ratione autem vniuersalis, qua intelligit hoc modo se, haurit ex sua memoria abdita, sicut & haurit vniuersalia, quibus intelligit alia à se.

Quorum vniuersalium nullum determinat sibi intellectum ad semper mouendum ipsum, sed quandoque mouet ipsum vnum illorum, quandoque aliud, propter quod quælibet ratio intelligendi per rationem vniuersalis sibi est accidens, & nulla est per essentiam idem quod intellectus, sed re differens ab illo, & hoc non minus quando intelligit se, quàm quando intelligit aliud à se. Vnde etsi secundùm August. ponat aliquis, quòd intellectus semper intelligit se quodã abdito actu intelligendi, illa intellectio accidens est in illo, & per rationem vniuersalis, quemadmodum & illa intellectio, qua se quandoque intelligit, & quandoque non intelligit, & neutra illarum est idem, quod ipsum intelligens. Et sic operatio qua intelligit aliud creatum à se, non minùs est ei essentialis hoc est substantialis, vt intellectio, & intellectus sint idem, quàm operatio, qua intelligit se. Et si vtraque est ipsum intelligens vtraque æqualiter est essentialis, & etiam si intellectio, qua intelligit Deum est ipsum intelligens, & ipse similiter, tũc omnis intellectio esset eis essentialis intelligenti æquè.

Aut si intellectio, qua intelligit se, sit ipsum intelligens sine sua essentia, & intellectio, qua intelligit Deum, non sit sua essentia, intellectio qua intelligit se, necessariò est sibi essentialior, q̃ illa, qua intelligit Deum.

Semper enim est essentialior rei cuique intellectio illa, quæ est sua essentia, & idem cum intelligente, quàm quæcunque alia, quæ non est sua essentia nec idem cum intelligente, & hoc loquendo de essentialitate penès tertium modum eius, quod est per se licèt aspiciendo ad rationem quietandi, & non quietandi, quæ pertinet ad secundum modum dicendi per se. eò quòd sunt accidentia operanti creato, essentialior esset intellectio, qua intelligit Deum, vt procedit secunda obiectio, & benè.

Vnde posito etiam per impossibile, quòd intelligens se sub ratione singularis, intelligeret directo aspectu, sicut Deus intelligit seipsum, & cum hoc intellectio esset per essentiam ipsum intelligens, nec adhuc essentialior posset dici essentialitate pertinente ad secũdum modum dicendi per se, intellectio, qua intelligit se, quàm illa, qua intelligit Deum, sicut nec essentialior potest esse

amatio

amatio qua amat se, quàm illa qua amat Deum, & hoc quia in Deo vt in obiecto cognito & amato est ratio omnis veri, & omnis boni: propter quam quodlibet potest esse cognoscibile, siue intelligibile, aut amabile, siue volibile, ita quòd nihil aliud à Deo est intelligibile aut volibile, quin sit cognoscibile aut amabile, nisi sub ratione & effigie aliqua primi veri & primi boni quod est Deus.

Tale autem in cuius effigie & ratione cetera cognoscuntur & amantur, est per se primum & essentiale obiectum intellectus & voluntatis, est etiam essentialior & principalior intellectio & volitio qua tale quid intelligit, & vult aliquis quàm quæcunque alia, qua aliud quodcunque intelligit & vult.

Idcirco igitur dico, quòd simpliciter & absolutè principalior atque essentialior Angelo, & menti humanæ intellectio, & volitio sunt qua Deum intelligit & vult, quàm qua intelligit, & vult se ipsum. Et secundum hoc concedenda est ratio secunda, quæ hoc probat & bene, & hoc à causa finali operis intelligendi, prout hoc idem iam declarauimus à causa siue ratione intelligendi formali.

Ad argu. 1 vinc. Ad argumentum in oppositum, quòd intellectio qua Angelus vel mens humana intelligit se, essentialior est sibi, quàm qua intelligit Deum, quia ipse est obiectum principale huius operationis, & operantis inquantum eam operatur, Dico quòd falsum est, quia tam secundum rationem causæ formalis quàm secundum rationem causæ finalis Deus est principale obiectum cuiuslibet intellectus.

Et quòd arguitur ad illius probationem, quòd Angelus eò quòd est creatum quid habet aliqd obiectum suæ operationi determinatum, quòd est ei essentiale, sicut & habet essentialiter opus determinatum, Dico, quòd verum est hoc, quòd obiectum hoc non est nisi Deus.

Et quòd assumitur, quòd ipse est obiectum indeterminatum, Dico, quòd duplex est rei determinatio, & similiter indeterminatio scilicet vna respectu aliorum, quia in se ita est hoc quòd non aliquid aliorum. Alia respectu sui ipsius, & eorum quæ sunt intra se, qua est tantum dem ita quòd non amplius.

Loquendo de secunda determinatione, & indeterminatione respectu aliorum intelligibilium, dico, quòd Deus est obiectum intelligibile determinatum, inquantum scilicet ita est intelligibile quòd est Deus, quòd non sic aliquid aliorum intelligibilium. Loquendo autem de determinatione, & indeterminatione secundo modo, nihil est determinatum nisi ex eo quòd est limitatum. Tale modo determinatione non est aliquid determinatum nisi creatum, & sic Deus est obiectum intelligibile non determinatum sed indeterminatum, & hoc respectu intellectus creati, quia ab intellectu creato non potest Deus tantum intelligi, quin adhuc amplius sit intelligibilis, & ad talem intelligibile indeterminatum per se principaliter, & essentialiter ordinatur omnis intellectus etiam creatus.

Et si essent gradus in determinatione, quanto intelligibile esset magis indeterminatum, & quanto amplius contineret in se omnem rationem intelligibilis, tanto magis esset per se essentiale, & principale obiectum intellectus. Et similiter est de volibili respectu voluntatis, & hoc licèt intelligens, & volens sit determinatus vtroque modo.

Intelligens enim & volens creatum per intellectum & voluntatem dicitur ad aliquid altius, quàm sit ipsum secundum gradum naturæ suæ, & sic obiectum intellectionis, & volitionis ipsius principale intellectus creati non est intrinsecum essentiæ illius, aut pertinens ad ipsam, sed est omnimo extra illam.

Quod verò arguitur, quod operatio rei tendens ad extrinsecum, non est ei essentialis, quia essentia rei totum quod sibi est essentiale, comprehendit intra se, Dico, quòd est essentiale quoddam iuxta primum modum dicendi per se, & aliud iuxta modum secundum.

Essentiale rei primo modo vocatur substantiale eidem, quod non est nisi definitio tota, aut pars definitionis rei, & de tali essentiali verum est dictum Philosophi assumptum in argumento de 7. Metaphys. vbi ad literam loquitur de essentiali quod significatur per nomen & definitionem, quæ ambo totum quod est intrinsecum & essentiale rei comprehendunt.

Essentiale autem rei secundo modo non est ei substantiale, sed accidentale, & bene est extra substantiam rei, & extra illud quod est ei essentiale primo modo. Aliter enim non esset accidentale, quale essentiale est propria passio respectu sui proprij subiecti, de quali essentiali non loquitur ibi Philosophus.

Non enim comprehenditur sub essentia rei, quæ est ratio indicatiua quod eius est de illa, & tale essentiale rei est quæcunque operatio eius, quæ conuenit ei ratione suæ formæ substantialis, quæ est actus eius secundus, maximè circa suum proprium per se, & primum eius obiectum.

Comment. in Quæstionem Nonam, quæ est,

Vtrum intellectio, qua Angelus, aut mens humana intelligit se, sit sibi essentialior, quàm illa, qua intelligit Deum.

IN titulo not. diligenter, quod illud est alteri essentiale, quod prædicatur de ipso per se. Quod autem prædicatur de altero per se, profectò prædicatur vel in primo modo dicendi per se, vel in secundo. Et quidem si in primo modo, tunc est de substantia eius, ita quòd nequit diffiniri sine ipso. Vnde animal, vel etiam rationale sunt essentialia ipsi homini in primo modo, quia nequit homo diffiniri sine ipsis.

Cæterum si fiat comparatio inter hæc, quod nam essentialius, fortè videbitur esse rationale, siquidem cum homine conuertatur, animal autem hominem excedat. Iam verò si secundo modo accipiatur essentiale, tunc est proprietas ipsius rei in quarto modo. Cum ergo quæritur vtrum intellectio sit essentialior &c. potest haberi respectus tum ad primum, cum etiam ad secundum modum. Si ad primum haberatur, tunc oporteret supponere quòd intellectio sit substantialiter idem cum intelligente, cuius contrarium de creatura in præcedenti quæstione determinatum est.

In corpore autem resolutio quæstionis huius haberi videtur per multas conclusiones, quarum, cum ad tres reduci possint.

Prima est. Intellectio qua intelligunt se, & alia creata æqualiter se habet, nec vna est altera essentialior.

Secunda conclusio. Si intellectio, qua intelligunt se, est idem essentialiter cum intelligente, & intellectio, qua intelligunt Deum, non idem essentialiter cum intelligente, illa est essentialior, qua intelligunt se.

Tertia conclusio. Loquendo de per se secundo modo, intellectio, qua intelligunt Deum est essentialior, quàm sit ea, qua intelligunt se.

Prima conclusio patet, quoniam æqualiter, & eodem modo intelligit se, & alia, igitur &c.

Not. quòd circa hoc negotium de cognoscendo singularia protensè, & non directè, est quæstio maximi momenti inter Auctorem, atqi Scotum, quàm tamen satis vidimus cum diligentia in quinto quol. vbi & satisfactum est obiectionibus contrarijs.

Secunda conclusio patet, quia semper illa intellectio est essentialior, quæ est idem essentialiter cum intelligente, quàm sit ea, quæ differt.

Not. autem, quòd in solo Deo re vera idem prorsus est intelligens, intellectum, & intellectio, non autem verum est vndequaque in creatura, vt dictum est in præcedenti quæstione.

Tertia conclusio patet per argumentum in fronte quæstionis adductum, pro quo not. quod Deus est finis cognitionis cuiuslibet intellectus, sicut & cuiuslibet amoris. Sicut enim est summum amabile, & diligibile, ita & summum cognoscibile. Nunquā autem quiescit voluntas in amore vltra ipsam, quia semper remanet ill. quod vlterius amandum est. Sic intellectus nunquā quiescit, nimirum cognoscit quodcunque vult vltra Deum, semper illi remanet vlterius quid cognoscendum. Quiesceret autem vtraque potentia in Deo, quia nihil sit vltra ipsum, quod cognosci, diligique possit. Et hoc est illud, quod dicebat propheta. Satiabor cum apparuerit gloria tua. quasi innueret, quod semper esset præter ipsum insatiabilis, ita quod nihil præter Deum auiditatem intellectus, ac voluntas explere vnquàm valeat. Est enim ille, cui Boetius ait.

Tu requies tranquilla pijs, te cernere finis,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem.

QVAESTIO DECIMA.

Vtrum anima gloriosa resumpto corpore glorioso possit videre obiectum sensibile absque sensu medio.

SEQVVNTVR quæsita specialiter circa creaturam intellectualem quæ est homo, vbi quærebātur quædam pertinentia ad hominem beatum comprehensorem, & quædam alia circa hominem nondum beatum, sed viatorem. Illud vnum erat, Vtrum anima gloriosa resumpto corpore glorioso possit videre obiectum sensibile absque sensu medio.

Arg. princ. Et arguitur, quòd sic hoc modo, quod potest anima beata videre sine corpore, hoc poterit videre resumpto corpore glorioso, quia illud non erit aliquo modo impedimento animæ in sua operatione, sed magis iuuamento, quia secūdùm Augustin. ipsa per corporis sui absentiam à perfecta beatitudine retardatur, sed anima sine corpore potest videre obiectum sensibile, quia ipsa benè cognoscit illud, sed hoc non nisi videndo, & absque sensu medio, quia non est sensus nisi in corpore, ergò &c.

In oppos. Contra. Gloria non mutat ordinem naturæ, sed ordo naturæ est, quòd anima videre non potest sensibile sine sensu medio, ergò &c.

Responsio Dico distinguendo de videre obiectum sensibile, quia aut intelligitur de videre immutatione sensibili, & à sensibili sub ratione sensibilis, aut de immutatione intellectuali à sensibili sub ratione intelligibilis. Omne enim sensibile habet rationē intelligibilis, licèt non èconuersò omne intelligibile habeat rationem sensibilis. Si secundo modo, dico, quòd non est dubium quin anima beata sine corpore possit videre sensibile absque omni sensu medio, & hoc sumendo videre largè pro quacunque cognitione intellectuali. Duplici enim cognitione intellectuali anima beata sine corpore potest cognoscere sensibile, & sic absque sensu medio, sed vna naturali, altera verò gratuita. Naturaliter enim absque sensu corporis medio videt, & cognoscit sensibilia, sicut & Angelus. Gratuito etiam videt, & cognoscit illa sine sensu corporali medio, cognitione gloriosa in verbo, prout procedit prima obiectio, quæ secundum hoc concedenda est Si secundo modo, siue videre sumatur strictè mediante scilicèt sensu oculorum, siue largè pro quacunque perceptione mediante quocunque sensu organico, quia quantum


ad

ad propositum, idem est iudicium de sensibili visus, & de sensibili tactus, aut cuiuscunq; alterius sensus, & eadem quæstio posset formari de illo. Videtur mihi secundum quod de sensu doloris ab anima separata aliàs determinaui, quòd aliùs est omninò modus sentiendi illum ab anima separata, vt ab Angelo apostata, & ab anima coniuncta corpori & in corpore mediante corpore, siue ab homine per animam mediante corpore. Et sic illo modo posset anima absq; sensu corporeo medio sentire quodcunque sensibile lætando vel dolendo ex illius sensu, & non solùm anima separata, sed etiam coniuncta, quia ille modus sentiendi non trahitur à sensu corporali & si posset etiam trahi à sensu, siue fieri mediante sensu supernaturaliter, benè placet, quòd hoc concedat, sed quòd possit trahi à sensu corporali, & fieri mediante illo naturaliter, non video. Si verò loquamur de sensu quo modo anima coniuncta corpori sentit mediante sensu modo naturali, Dico & credo, quòd illo modo non posset sentire nisi aliquo sensu corporali medio, & ita neque videre sensibile à quocunque sensu. Et de isto modo sensibile sentiendi scilicet naturali, falsa est minor primæ rationis scilicet quòd anima sine corpore & sensu medio potest videre sensibile. Licet enim ipsa vt sic existens benè cognoscat sensibile quodcunque, & hoc videndo intellectualiter, & naturali cognitione vel gratuita sicut dictum est, & vt procedit alterius argumentum, nō tamen ipsa cognoscit sensibile quodcunque videndo sensibiliter, & naturali cognitione, quia hoc non est nisi mediante sensu, ipsa autem absque corpore, & sensu existens non potest quicquam videre mediante sensu, quia hoc includit contradictoria. Et de isto modo videndi præcisè procedit, & benè, secundum argumentum, quod secundum hoc concedendum est.

Comment. in Quæstionem Decimam, quæ est,

Vtrum anima gloriosa resumpto corpore glorioso possit videre obiectum sensibile absque sensu medio.

QVITVLVS satis clarus. Not. tamen quòd ly videre generalius accipiendum est quàm sonet, pro vt significat percipere. Omne obiectum sensibile, in corpore habita distinctione, & subdistinctione tribus conclusionibus satisfit quæsito. Est autem distinctio de ipso videre obiectum sensibile, sic.



Prima conclusio probatur, & patet per secundum argumentum in fronte quæstionis adductum.

Secunda conclusio probatur per primum argumentum in fronte quæstionis, tam enim cognitione naturali, quàm etiam gratuita cognoscit anima, omne sensibile, quatenus sensibile, & eadem etiam ratione probatur tertia conclusio.

Not. quòd quæcunq; cognoscit anima, vel cognoscit trahendo cognitionem à corpore, vel non trahendo à corpore. Nunquam autem cognitione, quam haurit à corpore, cognoscere non potest sine corpore, & ideò non sine sensu, scilicet non sine organo corporeo à sensu ipso formato. Iam verò cognitione, quam nequaquàm haurit à corpore, siue sit coniuncta corpori, siue disiuncta cognoscit sine sensu mediante. Nec obstat quod obiecta sensibilia dicatur cognoscere, quia etiam Angelus ea cognoscit, nec tamen est sensu præditus, vnde ea cognitione, vel ratione, qua cognoscit Angelus sensibilia, sine sensu, eadem ratione & anima, siue fuerit coniuncta siue non, iuxta conclusionem prouenientem membro illo subdiuisionis.

Not. quòd pro tertiæ conclusionis intelligentia adducitur, quòd omne sensibile habet rationem intelligibilis, tametsi non è contrà. Intelligitur enim de intelligibili ex abstractione habita per opus intellectus. Duplex est intelligibile. Alterum quidem suapte natura abstractum à qualibet materia, & non per opus intellectus, vt Deus, intelligentiæ &c. Alterum, quod est quidem abstractum à materia, sed vtiq; per opus intellectus. Cum enim intellectus facit in rebus vniuersalitatem, sensibilia autem sua natura sint singularia, ipse intellectus abstrahit vniuersale. Ideò cum dicit omne sensibile habere rationem intelligibilis, id intelligitur de hoc intelligibili, quod est per abstractionem, & de eo, quod non actu est intelligibile, sed potentia, ideoque ait, & non è contrà, quoniam aliud intelligibile, quod semper actu est huiusmodi nunquàm fieri sensibile potest.

QVAESTIO VNDECIMA.

Vtrum homo generatus à viro, & muliere si assumeretur in vnitate personę à filio Dei esset filius viri illius.

SEQVVNTVR quæsita pertinentia ad hominem viatorem nondum beatum, & erat vnum pertinés ad opus naturæ, atq; alia plura pertinentia ad opus moris. Illud vnum erat. Vtrum homo generatus à viro, & muliere si assumeretur in vnitate personæ à Filio Dei, esset Filius viri illius?

Arg. prim. Et arguitur quòd non, quia non est aliquis filius alterius, à quo nihil habet, sic generatus nihil habet à viro illo, quia neque materiam, quia secundùm Aristot. 16. lib. de animalibus, illam in generatione ministrat sola mulier, neque formā, quia non animam intellectualem, illam enim solus Deus ministrat per creationem, nec formam aliquam corporeitatis, quia illa in sic generato à spiritu sancto formaretur, sicut fuit formata in Christo, nec dispositiones aliquas, quia omnes dispositiones manentes in generato sequuntur formam substantialem, præcedentes autem illam corrumpuntur illa adueniente, quare cum forma substantialis scilicèt anima intellectualis non sit ab ipso viro, nec dispositiones quæ illam sequuntur, ergò &cęt.

In oppos. Contra. Qua rõne Maria fuit vera mater Christi, eadem ratione & mulier ista istius generati, & qua ratione mulier ista foret mater istius vera, eadem ratione esset vir iste verus Pater istius, ergò &c.

Responsio. Dico supponendo, quòd filius Dei quacunque humanam naturam assumere semper potuit, & adhuc potest, & in hora seu momento assumptionis mundare ipsam aut semen de quo generatur à morbida dispositione, per quàm à corpore humano anima cum illi coniungitur, contrahit originale crimen, & hoc mundando ipsam à tali dispositione, & cum ab ipso originali simul, si post vnionem animæ cum corpore assumatur in personalitatem filij Dei humana natura prius subsistens in personalitate propria, quàm statim amittit in assumptione ad personalitatem filij Dei, aut mundando semen de quo generatur, & corpus eius formatur à sola dicta dispositione, priusquàm ipsa anima intellectiua vniatur aut in ispa originale contrahatur. & hoc siue ipsum semen fuisset decisum à muliere sola absque coitu viri, sicut contigit in conceptione Christi de Virgine Maria, siue ipsum semen fuisset decisum à viro & muliere similiter in eorum coitu, de quali semine generatus supponitur ille de quo proposita est quæstio. Ad quam respondens dico, ꝙ ille sic generatus & assumptus foret vere filius illius viri, sicut & illius mulieris, & esset ille vir vere pater illius, sicut & illa mulier esset vere mater eiusdem, & hoc quemadmodum Maria fuit vere mater Christi, & Christus vere filius illius. Et ita possibile actiuè Deo, & passiuè humanę naturæ, quantum est ex natura rei, assumere in personam filij Dei humanam naturam, siue postquàm fuit in originali in propria personalitatè, siue priusq̃ fuit sub originali, & hoc siue secundum corpus generata fuit ex solo semine mulieris absque coitu viri, siue ex semine vtriusque per coitum, siue quocunque alio modo possibili natura humana in esse processerit, licèt maior sit congruentia filium Dei assumere humanam naturam de sola fęmina absq; coitu viri, & sit temporaliter filius secũdùm humanam naturam solius matris, sicut & ęternaliter est filius solius Patris secundùm diuinam naturam, q̃ ipsum assumere humanam naturam de coitu viri, & mulieris simul, & esset tẽporaliter secundùm naturam humanam filius Patris temporalis, & ęternaliter secundùm naturam diuinam filius patris ęterni. Et hoc quemadmodum magis congruebat, quòd solus filius Dei de homine nascereturꝫ & humanam naturam sibi assumeret, q̃ Pater, aut Spiritus Sanctus, vt dictum est iam supra in quæstione quarta in fine. Secundum dicta ergò concedenda est ratio secunda.

Ad argu. principale. Ad primam in oppositum, ꝙ ille sic assumptus non potest dici filius viri, nec vir pater illi, quia nihil habuisset ab eo, Dico, quòd hoc falsum est. Et quòd ad hoc probandum arguitur, quòd non haberet ab illo materiam, quia illam sola mater ministrat, Dico, quòd licèt ita esset, hoc tñ nõ obstãte potuit vir dici pater illius, quemadmodum illo nõ obstãte cęteri generati non assumpti benè dicũtur filij virorum, & viri ipsorum patres, cum tñ nõ plus pater agit in generatione cęterorum, q̃ in generatione istius, nec iste minus habet à viro, q̃ cęteri. Sed nõ est ita, ꝙ scilicèt sola mater ministrat materiam generationis, immò etiam vir. Gñatio. n. propagationis nõ fit nisi ex aliquo mixto ex semine viri & mulieris, secũdùm ꝓ de generatione muli ex equo, & asina dicit Philosoph. 7. Metaph. ꝙ est similis ex simili. Licèt n. mulus nõ sit similis omninò in specie equo, aut asino, tamẽ generatur mulus ex aliquo commixto ex semine vtriusque, quod est quodammodo mulus, vt exponit ibi Comment. Nunc autem in tali generatione quodammodo ęquiuoca nõ plus ministrat mas generans, quàm in generatione purè vniuoca ex mare & fęmina eiusdem speciei. Et ꝙ dicit Philosophus, ꝙ sola mulier ministrat materiam, hoc non intelligitur quo ad generationem, scilicèt solùmmodò quo ad generati nutritionem.

Nota.

Illa enim ex ſolo ſanguine menſtrui eſt, qui conuertitur in lac, ex quo nutritus eſt fœtus iam natus ex vtero, ſicut pullus generatus ex oui albumine quod miniſtrat gallina, ſimiliter & ex ſemine galli, nutritur ex vitello quod miniſtrat ſola gallina. Quod vlterius arguitur, quòd non haberet ab eo formam, Dico, quòd verum eſt de forma completiua, quæ eſt anima rationalis, vt benè probat argm̃, ſed non eſt verum de forma corporeitatis quæ eſt in materia diſpoſitiua ad animæ rõnalis ſuſceptionem prout in alijs Quolibet. declarauimus aliquando. Iſta enim non minus in iſto generato potuit actiuè, virtute ſeminis viri, q̃ quæ generata fuit in corpore Chriſti virtute ſeminis Mariæ, & ẽt in alijs generatis virtute ſeminis matrum ſuarum, quia vis ſeminis viri magis eſt naturaliter actiua in generatione prolis, q̃ vis ſeminis mulieris, ẽt ſi in ſemine mulieris ſit vis actiua & generatiua. Illi.n.qui dicunt, ꝙ in generatione ſola mulier miniſtrat materiam ad generationem fœtus, ẽt dicunt, ꝙ ſolus vir miniſtrat agens, & ꝙ ſemen mulieris eſt paſſiuum & non actiuum, ſemen verò viri actiuum, & non paſſiuum, quod non puto eſſe verũ Non.n.mulier dicitur mater geniti ex ſola materiæ miniſtratione, ſed ẽt ex actu generationis; Non.n.virgo Maria dicitur ſolùm modò mater Chriſti, quia materiã miniſtrauit ex qua opere ſpiritus ſancti formatũ eſt corpus Chriſti, ſed quia aſſiſtente opere ſpiritus ſancti, ipſa verè & naturaliter Chriſtũ ſecundum formam corpoream de ſemine ſuo generauit. Quod ergò aſſumitur in argumento, ꝙ in aſſumpto forma corporeitatis formatur opere ſpiritus ſancti, Dico, ꝙ verum eſt quãdo aſſumptus generatur ſecundum naturam aſſumptam ex ſola muliere, ſicut Chriſtus fuit generatus, ſed tamen non ex ſolo opere ſpiritus ſancti, licèt principaliter ex illo, & hoc quo ad duo. Quorum vnum eſt, quòd ſupplebat illud quod virtus ſeminis virilis nata fuiſſet operari in generatione ex ſemine mulieris. Aliud verò eſt, ꝙ ſubito in hora conceptus ſeminis, generatio in Chriſto perfecta eſt quod non potuit fieri opere ſolius naturæ. Si autem aſſumptus ſecundum formam corporalem generatus eſſet ex coitu viri & mulieris, ſicut in propoſito, non oporteret ꝙ opere ſpeciali ſpiritus ſancti forma illa formaretur, ſed ſufficeret ſemen viri, & mulieris: Vnde ſi Maria eſtimaſſet ſe cognituram virum, Angelo nuncianti conceptum filij Dei, nunquàm dixiſſet, qũo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco. Sciuiſſet n.quòd ſolo opere naturæ ex viri ſemine hominem aſſumendum ſecundùm carnem generare, & concipere potuiſſet per ſucceſſum temporis generationi aptum de quo in quæſtione ſequenti de conceptu Mariæ erit ſermo, licèt ſubito in inſtanti conceptus ſeminis non potuit ſine opere ſpiritus ſancti ex ſemine concepto per coitum aſſumptus generari, a cuius tñ generatione ſi ſic ſubitò eſſet generatus, non excluderetur actio viri, immò ipſa fuiſſet cooperata virtuti ſpiritus ſancti, ſicut cooperata fuit virtus Marię in formatione corporis Chriſti, licèt in ea generatione cooperata etiã fuiſſet virtus matris, quam nõ ſuppleuiſſet ſpiritus ſanctus, ſicut ſuppleuit in formatione corporis Chriſti ꝙ operata fuiſſet virtus ſeminis viri quæ ibi nõ fuit cooperata, ſi tñ ille, qũo ſolus eſt Chriſtus, generari potuit ſecundum corpus ex ſemine coitus viri, & mulieris, & ſi homo aſſumendus generari põt naturaliter ex virtute ſeminis viri & mulieris, abſque ſpeciali cooperatione ſpiritus ſancti. Et quocunque modo in hoc res ſe habeat, pp dictam cooperationem viri in generatione aſſumpti, de quo eſt quæſtio, vir dici debuit eſſe verus pater illius, non minus q̃ Beata Virgo vera Mater Chriſti, & haberet ille duos patres, vnum temporalem ſecũdum naturam humanam, alterum ęternum ſecũdum naturam diuinam, quod benè poſſibile eſt ſecundum naturam rei, licèt non tm̃ congruat, ſicut dictum eſt. Si tamen dicat aliquis, ꝙ poſſibili poſito in eſſe nullum ſequitur inconueniens, ſi ergò poſſibile eſt ſecundum dicta tranſilire proprietates in diuinis perſonis, poſito ergò quòd tranſiliant, nullum ſequitur inconueniens, hoc autẽ eſt falſum, quia ꝙ tranſiliant non congruit tantùm ſicut ꝙ non tranſiliant, non cõgruens autem eſt inconueniens, quod non põt poni in diuinis, quia ſecundùm Anſel. minimum inconueniens in diuinis, eſt maximum impoſſibile, Dico, qđ differt dicere aliquid non congruere ſimpliciter & abſolutè, & non tm̃ congruere quãtùm aliquid aliud. Non congruens ſimpliciter, & abſolutè nõ poteſt eſſe in diuinis, nec etiam à Deo poſſibile eſt fieri in creaturis, quia quæcunq; à Deo ſunt (ſecũdùm Apoſtolum) ordinata ſunt, quæcunq; aũt ordinata ſunt, congruunt. Vnde quęcunq; ſunt poſſibilia fieri à Deo, etſi nõ cõgruunt ſecũdùm vnum ordinem facta, cõgruunt tm̃ facta ſedm alium, ſicut & de malis quæ permittit fieri, ipſe.n.vt dicit Aug. in Homil. mala fieri nõ permitteret, niſi illa ordinare poſſet, & de malis bona elicere. Minus etiam cõgruẽs reſpectiuè ſcilicèt & in comparatione ad magis cõgruens, impoſſibile eſt eſſe in diuinis intra ex parte naturæ diuinæ. Nihil enim poteſt eſſe in illis niſi ſummè congruens. Minus enim congruum ponere in diuinis ſecundùm ſe eſt inconueniens, & maximum impoſſibile.

Qualem formam haberet.

Hoc tamen benè eſt poſſibile ponere eſſe in diuinis in ordine ad creaturam extra, & ex parte naturæ creatæ, putà quòd Deus Pater eſſet incarnatus, & ſecundùm diuinam naturam eſſet pater verbi ab æterno, & ſecundùm humanam naturã aſſumptam eſſet filius matris ex tempore. Eſt etiã benè poſſibile à Deo fieri minus congruum in creaturis, & hoc reſpectu alicuius partis, ſeu aliquarum partium vniuerſi, quale illud erat in Euã

gelio

gelio de cæco nato, nequaquàm autem respectu totius vniuersi, quia nihil conuenit in parte vniuersi, quin decorum sit, & congruum vniuerso. Vnde minus congruum secundùm vnum ordinem, vniuerso secundùm alium ordinem esset magis congruum, putà redemptio humani generis alio modo quàm per incarnationem, & passionem Filij Dei potuit fieri, & magis congruè secundùm alium ordinem, cum tamen secundùm ordinem vniuersi, quem Deus modo instituit, nullus alius esset ita congruus. Hinc dicit Plato in primo Timæi. Nihil est ortum, cuius non legitima causa, & ratio præcedat, operi porrò formá dat opifex suus optimus erat ab optimo, porrò in uidia longè relegata est, itaque consequenter cuncta sui similia, prout cuiusque natura capax esse beatitudinis potuit, effici voluit, volens siquidem Deus bona cuncta prouenire, nullius porro mali, prout eorum quæ nascuntur natura fert, reliquit propaginem, redegit in ordinem.

Ad vltim. partem arg. princ. Quod verò vltimò proponitur in argumento, quòd assumptus prædictus à viro non potuit aliquam habere dispositionem, Dico, quòd falsum est. Licèt enim forma substantialis, quę est anima intellectualis, non sit ab ipso, & ideò neque dispositiones si quæ per se sequuntur illam, vt assumit argumentum, est tamen ab ipso forma corporeitatis, & per illam omnes dispositiones, siue quæ ea sequuntur sub ratione esse terminati, siue quæ eam præcedunt sub ratione esse interminati. Nec est verum vniuersaliter assumptum in argumento scilicèt quòd in generatione dispositiones præcedentes omnes corrumpuntur forma substantiali generata. Hoc enim non est verum nisi de contrarijs dispositionibus, aut incongruentibus illi, omnes enim congruentes manent secundùm essentiam suam, quia sunt communes generato, & corrupto secundùm esse suum interminatum, & generantur solùmmodò de nouo secundùm esse terminatum, quo congruunt formæ generatæ, & corrumpuntur secundùm esse terminatum, quo congruebant corrupto.

Comment. in Quæstionem Vndecimam, quæ est,

Vtrum homo generatus à viro, & muliere, si assumeretur in vnitate personæ à filio Dei, esset filius viri illius.

TITVLVS clarissimus.

In corpore supponitur, quòd Filius Dei quancunque naturam humanam, & quomodocunque poterit, & potest assumere in vnitate personæ.

Respondetur verò quæsito affirmatiuè, scilicet quòd esset filius illius viri.

Probatur per secundum argumentum in fronte quæstionis adductum.

Not. pro supposito, quòd natura humana, tunc dicenda est natura tantùm, cum non est personata propria personalitate. Cum enim fuerit personata, non amplius dicitur natura, sed persona habens naturam humanam. Vult autem dicere Auctor, quòd potest assumere, sicut & potuit naturam humanam præueniendo personalitatem, & sua propria personalitate eam personando. Sed vtrum posset assumere personatam iam naturam in vnitate personæ? Profectò non posset manere eadem personalitate, posset verò suspendendo personalitatem. Sicut enim potest præueniendo impedire actum personandi primum, vt ita dicamus, ita subsequendo potest impedire actum secundum personandi, suspendendo ne amplius ab anima personetur illa natura.

Not. pro conclusione quòd ad negationem ipsius hoc sequatur oportet, vt mas non concurrat ad generationem, quod est maximum absurdum, quòd si concurrit, vtique tanquam efficiens, vt pater, quia dum Aristoteles dicit Sol & homo generat hominem, profectò per hominem marem intelligit eo loco, & per vtrunque causam insinuat efficientem. Sed diligenter satis totum negotium in responsione ad argumentum prosequitur Auctor.

QVAESTIO XII.

Vtrum Magister, vel Scolaris, qui tenetur ad horas canonicas, si dimittat illas dicere vno die propter studium, & lectiones ex proposito, & spe recuperandi, & dicendi illas alio die, peccet mortaliter.

SEQVVNTVR quęsita pertinentia ad hominem viatorem, quo ad opus moris, & erat vnũ pertinens ad opus vitij seu peccati, & quatuor alia pertinẽtia ad opus virtutis siue gratię. Illud vnum erat. Vtrum magister vel scholaris q tenetur ad horas canonicas, si dimittat illas dicere vno die pp studium & lectiones ex proposito, & spe recuperandi, & dicẽdi illas alio die, peccet mortaliter. Et arguitur q sic, quia facit opus Dei negligenter, tali autem Hieremias indicit propheticam maledictionem, quæ non indicitur nisi pro peccato mortali, ergò &c.

Arg. princ.

In oppos. Contra. non, est peccatum mortale nisi auersio à bono incommutabili, iste autem ab illo nõ auertitur, quia manet in voluntate bona explendi illud quod omittit, ergò &c.

Respons. Dico supponendo illa quæ quæstio supponit, quòd talis magister vel scholaris aũt dimittit dicere horas cessante legitimo impedimento dicendi illas die illo, aut obueniente legitimo impedimento.

Si primo modo, dico, quòd crassa atque supina esset negligentia, & ideò peccaret mortaliter, prout benè procedit prima ratio. Si secundo modo, in quo quæstio habet bonam dubitationem. Vtrum scilicèt occupatio in studio, & lectionibus possit esse legitimum impedimentum non dicendi horas, quale est quandoque grauis infirmitas. Et est dicendum ad hoc, & per hoc respondendum ad principalem quæstionem, quòd in scholari vel magistro illo aut est tanta necessitas studij vel lectionis, quòd instante tempore debito dicendi horas non posset vacare per aliquod spatium residuum diei illius dicendis horis postpositis studio & lectionibus absque magno discrimine, aut scandalo superueniente ex dimissione studij, & lectionum ad tempus, aut non est illi tanta necessitas studij aut lectionum, quin absque magno discrimine, aut scandalo superueniente ex tali lectionum, & studij dimissione posset vacare horis dicendis.

Si primo modo, distinguo, quia aut potuit præuenire dicendo horas priusquam sic arctaretur ad studiũ, vel lectiones, vt oporteret eum illo die dimittere horas dicere aut discrimen, vel scandalum permittere prouenire, aut non potuit dicto modo præuenire. Si sic, tunc quòd non præuenit, contingit ei aut quia non potuit præuidere rationabili coniectura quòd præueniendum esset, aut potuit præuidere, sed non fecit. Si primo istorum duorum modorum, videlicèt si sit necessitas studij vel lectionis vt in primo membro distinctionis principalis, & potuit præuenire dicendo horas, vt in primo membro primæ subdistinctionis, sed non præuenit, quia non potuit rationabili coniectura præuidere, quòd præueniendum esset, vt dicit primum membrum secundæ subdistinctionis, aut etiam nequaquàm potuit dicto modo præuenire, vt dicit secundum membrum primæ subdistinctionis, Dico, quòd cum omittere horas debitas dicere de genere peccatum sit, & similiter de genere peccatum sit dimittere discrimen aut scandalum superuenire, cum illi quis possit facto suo obuiare, & impedire ne proueniret, in his duobus casibus incidit homini perplexitas aliqualis, vt homines secundùm quod dicit Gregorius 35. Moralium cap. 14. si fortè peccatum effugere appetant, hoc sine alio peccati laqueo non euadant. In quo casu faciendum est illud quod consulit Concilium Toletanum 8. & habetur decretorum distinct. 50. cap. 1. vbi sic loquitur. Duo mala licèt omninò cautissimè sunt præcauenda, tamen si periculi necessitas vnum ex his perpetrare compulerit, id debemus resoluere, quod minori nexu noscitur obligari.

Quid autem leuius ex his quid ve grauius sit, purę rationis acumine intelligemus. Idem consulit Gregor. vbi supra dicens. Cum mens inter minora, & maxima peccata astringitur, si omninò nullus sine peccato euadendi aditus patet, minora semper eligantur quia & qui murorum ambitu vndique ne fugiat clauditur, ibi se in fugam præcipitat, vbi breuior murus ingreditur. Sic ergo in casu nostro comparanda sunt duo dicta de genere peccati opera, & acumine rationis perpendum est, quod illorum est maius peccatum pro tempore & loco. Quod si maius peccatum esset dimittere discrimen aut scandalum illud superuenire, quàm horas omittere, dico, quòd non peccat omninò horas omittendo dicere, immò peccaret illas dicendo, & discrimini, aut scandalo non occurrendo, non in dicendo horas, sed in non occurrendo discrimini, aut scandalo. In tali enim casu semper illud quod pro tempore, & loco esset minoris peccati, si non occurreret necessitas vitandi maius, amittit rationem peccati, & perplexitas ad peccandum nihil est nisi secundum erroneam opinionem stultorum. Vnde super dicto verbo Gregor. Sin alio peccati laqueo non euadant, quod habetur distinct. prædicta in cap. Nerui. dicit Glos ibidem. Secundum opinionem eorum stultam semper intelligas.

Item super illo verbo Concilij Toletan. Duo mala &c. dicit Gloss. intellige quantum ad fatuã opinionem illius qui se credit perplexum. Non enim vtrunque illorum malum est, licèt ille opinetur vtrunque malum esse. Est tamen vtrunque quantum est de se, de genere malorũ.

Propter quod etiam dicuntur secundum veram opinionem duo mala, & secundum Gregor. vtrunque illorum dicitur peccati laqueus. Et est alia expositio illorum dictorum, & secundum hoc etiam intelligendũ est illud quod dicit Gregor. in fine illius capituli Nerui. Itaque plerunq; neruorum Behemoth perplexitas soluitur, dum ad virtutes maximas per commissa minora transitur. Si verò discrimen, aut scandalum dictum superueniens tàm modicũ esset, quòd maius peccatum esset horas omittere, quàm discrimen, aut scandalum permittere prouenire, dico, quòd peccaret horas omittendo, sed secundum magis, aut minus, secundùm quod maiori, vel minori discrimini occurrendo illas omitteret. Quanto ei discrimen illud, aut scandalum esset maius, tanto omittendo horas peccaret minus, dum tamen peccatum maius esset omittere horas, quàm illud discrimen, aut scandalum permittere prouenire, ita quòd tam modicum posset esse scandalum, aut discrimen, quòd omittere horas esset peccatum mortale Veruntamen quia non tantum obligatur quisque ad horas dicendas, aut generaliter ad aliqua ad quæ obligatur ex sola consuetudine, aut edicto ecclesię, sicut ad horas dicendas, quantum obligatur ad custodiam diuinorum mandatorũ, de quorum numero est occurrere discrimini, aut scandalo. In illis enim omittendis posset

ecclesia

Ecclesiá dispensare, dicèt non in istis, & iuxta illud quòd dicit Toletanum Concilium, vbi supra, dum horas omittimus & peccamus, creatorem quidem offendimus, sed nos tantùm modò maculamus, cum verò discrimen, aut scandalum peruenire permittimus, & Dei iussa contemnimus, & proximis in pia crudelitate nocemus, & nos ipsi crudeli mortis gladio trucidamus: Illic enim duplici telo culparum perimimur, hic triplici iugulamur. Quod vt dicit ibi Glossa ideò dicit, quòd hic tria offendimus ibi duo, & cum hoc argumentum, quòd qui plures offendit plus peccat. Verum tamen inquam, quia non tantum obligatur quisque ad horas dicendas, quantum obligatur ad prę ueniendum proximi discrimen, aut scandalum, ideircò dico, quòd vix posset esse tantillum discrimen aut scandalum nisi fortè esset solùm modò veniale peccatum illi non occurrere, vt omittere horas dicere, aut peccatum mortale, aut etiam veniale, quia non auertit se à bono incommutabili vt dicitur in secundo argumento, quod benè procedit quo ad hoc in istis duobus casibus, licèt non benè probet, quòd non auertitur à bono incommutabili, per hoc quòd inesset in voluntate bona explendi illud quod omittit, vt iam videbatur.

Si verò vt dicit secundum membrum principalis distinctionis non sit tanta necessitas studij, aut lectionum quin absque discrimine aut scandalo saltem mortali superueniente ex tali lectionum aut studij dimissione posset vacare horis dicendis, aut si potuit præuenire dicendo horas, vt dicit primum membrum primæ subdistinctionis, & præuidere rationabili coniectura, quòd præueniendum esset, sed non prævenit nec præuidit, vt dicit secundum membrum secundæ subdistinctionis, in his duobus casibus credo, quòd mortaliter peccaret, si tàmen sub pœna peccati mortalis obligaret edictum seu consuetudo de horis dicendis, quia in vtroque casu negligés est omittendo dicere horas debitas.

Nec est hic distinguendum de negligentia simplici & crassa seu supina, quæ posset habere locum in dicendo horas tepidè aut truncatè aut intempestiuè, quia omnis negligentia in omittendo id ad quod quis obligatur sub pœna peccati mortalis, crassa est & supina, de qua loquitur Hierem. in primo argumento, quod benè procedit in istis duobus casibus.

Quali modo quilibet obligatur ad custodiam diuinorum mandatorum licèt non teneatur aliquis tantam diligentiam adhibere ad horas dicẽdas, quantam tenetur adhibere ad explendum diuina mandata, quia vt dictum est, non tantũ obligatur ad illas, quantum ad hæc, ita quòd licèt aliquanta diligentia faciens opera mãdatorum Dei reputaretur facere illa negligenter, & peccaret mortaliter, tanta tamen diligentia dicens horas non reputaretur illas dicere negligenter, & non peccaret omninò, aut si aliquo modo reputaretur illas dicere negligenter, non tamen propter hoc peccaret mortaliter etsi fortè venialiter, sicut negligendo dicere horas omninò, & facere diuina mandata ex æquali negligentia, minus peccaret in non dicendo horas, quam in non faciendo diuina mandata.

Quòd ergò arguitur primo, quòd ille qui omittit dicere horas debitas ex proposito, & spe recuperandi & dicendi illas die sequenti, facit opus Dei negligenter, Dico, quòd ista quatuor differunt, videlicèt facere opus Dei, putà horas dicere, prouidenter, prudenter, negligenter, malignãter. Prouidenter enim facit opus Dei in dicendo horas qui rationabili coniectura prouidendo occupationem diei futuram in negotijs necessarijs seu vtilibus, maximè ad publicum aut proximi profectum pertinentibus, præueniendo tempus consuetum & ordinatum dicendi horas, horas dicit infra tamen præcinctum vnius diei naturalis. Hoc enim licitum est prout in alio Quolib. determinaui aliàs. Prudenter autem facit opus Dei in horis dicendis, qui nulla alia rationabili occupatione detentus horis debitis diei singulis singulas horas dicit. Negligenter verò dicit horas qui nulla rationabili occupatione impeditus dicit singulas hora, sed aut tepidè aut truncatè aut præposterè. Et est maius delictum incidente negligentia in his tribus simul, quàm si in duob. aut vno tantum, & iterum maius si in duobus ex illis quàm si in vnico tantùm, & iterum maius delictum est si sic dicantur horæ horis indebitis quàm si debitis, quod etiam esset per se negligenter dicere, etsi nullus illorum trium modorum negligentiæ concurreret, & cum hoc esset maius delictum si dicerentur altero die vt in casu propositæ quæstionis, & vniuersaliter modorum negligentiæ in horis dicendis tanto est maius delictum, quantò sit maiori contemptu & maiori libidine circa ea circa quæ quis occupatur, & secundùm hoc aliquando est delictum veniale, & aliquando potest esse delictum mortale, sed hoc tantùm modò in duobus casibus iam expositis quo ad casum quæstionis propositæ.

Ad argũ. princ.

In primis enim duobus casibus omittere dicere horas debitas non est negligentię sed prudentiæ, quia operi meliori insistitur secundùm prædicta, etiam si aliquis in illis casibus omittat dicere horas debitas absque omni proposito, & spe recuperandi & dicendi illas in die sequenti. Tale enim propositum non est necessarium ad hoc, quòd sine peccato omittat dicere horas in die debito, si nulla necessitas occurreret. Si tamen tale propositum adsit, auget meritum, sicut maioris meriti esset pia & discreta deuotione bis dicere singulas horas, quàm semel, & sic tale propositum, & horarum recuperatio die se-

quenti meritum addit, & illarum omissio in illis duobus casibus peccatum non apponit.

Ad arg. in oppositum.

Ad secundum quod est in contrarium, quod sic omittens horas dicere non auertitur à bono incommutabili, dico quòd immò in casu propositæ quæstionis, & in duobus vltimis casibus dictarum distinctionum, in quibus peccaret mortaliter secundùm prædicta, sicut & in casibus in quibus negligendo peccaret venialiter à bono incommutabili se diuertens.

In duobus autem primis casibus dictarum distinctionum nec se diuertit omninò nec auertit à bono incommutabili, sed directè se conuertit ad illud. Et quando arguitur, quòd etiam in alijs casibus non auertitur ab illo, quia manet in bona voluntate recuperandi, & implendi illud quod omittit. Dico, quòd etsi manet in voluntate bona bonitate naturæ aut moris incompleta, non tamen manet in bona voluntate gratiæ, quia illis modis omittendo necessariò cadit a gratia. Siquis enim ad duo sub vna pœna tenetur copulatiuè, si alterum illorum omittit, pœnam incurrit. Nunc ergò postquàm dictus magister aut scholaris tenetur sub pœna peccati mortalis quod supponit quæstio, ad duo sub copulatione scilicèt, & ad dicendum horas, & ad dicendum singulas infra præcinctum cuiuslibet diei naturalis, licèt ergò proponat recuperare alio die, & implere omissum, nisi alia necessitate occurrente exposita in duobus primis casibus prædictis, eò ipso quòd omittit horas dicere illo die quò debuit illas dicere, incidit in peccatum mortale, & auertitur à bono incommutabili.


Sicut & ille qui alteri obligauit se iuramento ad soluendum illi pecuniam aliquam infra spatium alicuius certę diei, & cessante legitima causa, & rationabili compellente ad non soluendum illa die, si infra illum diem non soluerit, licèt soluere eam omittat cum proposito soluendi eam illi die sequenti, mortaliter peccat, etiam si in die sequenti eam perfectè & benignè soluat.

Comment. in Quæstionem Duodecimam, quæ est,

Vtrum Magister, vel Scolaris, qui tenetur ad horas canonicas, si dimittat illas dicere vno die propter studium, & lectiones ex proposito, & spe recuperandi, & dicendi illas alio die peccet mortaliter.

TITVLVS egere non videtur aliqua declaratione.

In corpore duo fiunt præcipua. Primum est, quòd supponit hanc quæstionem esse de impedimento, quo quis excusatur ab horis dicendis, ita tamen vt specialis sit quæstio, vtrum ipsum studium, vel etiam lectiones possint esse legitimum impedimentum, vnde quis excusetur &c. Secundum est responsio ad quæsitum quatuor conclusionibus prouenientibus à quibusdam diuisione, ac subdiuisionibus sic.



Prima, atque tertia conclusiones patent, quia cum ex Concilio Toletano è duobus malis, minus sit eligendum, minus malum est horas omittere, quàm scandalum permittere. Patet in litera.

Not. autem, quòd vbi necessitas vrget id eligendi, quod malum est, siquidem eo relicto necesse sit alterum eligere, vt verum sit illud posticum, quòd qui fugit è Carybdi, incidit in Scyllam.

Minus

Minus eligens, tametsi illud malum sit, non tamen peccat. Verumtamen not. quòd non semper minus eligens malum non peccat dimittendo maius. Quia esto, quòd alicui offeratur fornicatio & adulterium, eligens fornicationem, nè tantum lesus patret, quale est adulterium, nihilominus peccat.

Vnde negotium hoc intelligendum est recte. Quippè vbi sunt duo peccata commissionis, requirentia actus positivos, neutrum cogit adeò, vt quis vno relicto, cogatur alterum eligere, immò vtrunque respuere potest, &c. debet, quantumcunque quis scandalizaretur.

Videtur autem valere vbi fit comparatio inter mala ex omissione, vel vbi alterum est commissionis, &c. alterum omissionis. Exemplum primi est in casu dato. Exemplum secundi est, vt si clericus obligatus ad horas, vi detineretur nè horas diceret posset, data sibi optione, quòd aut fornicaretur, &c. abiret ad horas suas expendas, aut ib manere cogeretur, ac impediretur à dicendis horis. Tunc eligere magis deberet horarum omissionem, quàm fornicationem.

Secunda autem, & quarta conclusiones probantur, quia ex negligentia videtur omittere, hæc autem non excusat. Cætera clara videntur.

Not. autem quòd nullo modo tali suffragatur vel Magistro, vel Scolari intentio supplendi sequenti die, quoniam nemo tenetur ad horas omissas præcedenti die, quod post S. Thomam dicunt omnes Theologi, immò ante ipsum dixerat Innocen 4. quod & canonistæ laudant, & quidem Anchar. Allegat, quòd præceptum de dicendis horis, sicut & ieiunandi tam est annexum diei, vt eo elapso non possit impleri, quandoquidem non potest recitari, sicut nec ieiunari illo die, qui iam lapsus est. Vide Nauarr. in Enchir. cap. 20. numero 52.

QVAESTIO XIII.

Vtrum Conceptio Gloriosæ Virginis Mariæ sit celebranda ratione Conceptionis.

SEQVVNTVR quæsita pertinentia ad hominem viatorem, quo ad opus virtutis, siue gratiæ. Et erant quatuor. Quorum primum erat de conceptu gloriosæ virginis, quo virgo Maria concepta est in matre sua. Vtrum videlicèt conceptio virginis Mariæ sit celebranda ratione conceptionis. Secundum erat de indulgentijs Prælatorum. Vtrum scilicèt tantùm valeant, quantùm sonant. Tertium erat de magistrorum disputationibus. Vtrum licitum sit eis disputare de potestate Prælatorum. Quartũ erat de exercitio militum in prælijs. Vtrum miles irruens præuolando consortes suos in hostium exercitum faciat opus magnanimitatis.

Ad primum. Circa primum arguitur, quòd conceptio virginis nó est celebranda ratione conceptionis, sic. Acta circa sanctos non sunt celebrãda nisi propter illorum sanctitatem, aut sanctificationem prouenientem sanctis cum illis, putà natalitia sanctorũ in die mortis illorum nõ celebrantur, neque sunt celebranda nisi quia ipsa illorum talia natalitia, quibus nascuntur Deo, & vitæ æternæ morientes mundo, sunt sancta, eò quòd in illis sanctificantur beatitudine æternæ gloriæ.

Similiter natalitia quorundam Sanctorum, puta Christi, Mariæ matris eius, Ioannis Baptistæ in diebus, quibus nati sunt mundo, non celebrãtur, neque celebranda sunt, nec ipsi Sancti nati sunt, nisi quia sanctificati antequàm nati.

Non enim creduntur in sua natiuitate mundo ex matris vtero aliquam specialem sanctificationem recepisse.

Sed conceptio virginis ratione conceptionis non fuit sancta, eò quòd virgo Maria in sua conceptione nec sancta fuit, nec sanctificata, nec secundùm corpus cõceptum, nec secundum animã.

Aliter enim sancta esse, aut sanctificari in sua conceptione non potuit: ergò &c.

Probatio assumpti, quo ad duas partes eius, est primò, quo ad corpus, quia non fuit sancta, neque sanctificata in sua conceptione secundùm corpus sine anima, nec secundùm corpus cum anima. Non secundùm corpus sine anima, quia corpori sine anima existenti non potest gratia inesse, sine qua non potest alicui inesse sanctitas, aut sanctificatio. Non secundùm corpus cum anima qnia corpus cum anima non potest esse sanctum, aut sanctificari, nisi propter animam, &c. propter sanctitatem, aut sanctificationem animæ. *Probatio assumpti.*

Aliter enim corpus sine anima posset esse sanctum, aut sanctificari. Sed in conceptione sua anima eius sancta esse, aut sanctificari non potuit, quod erat secunda pars assumpti, quia secundùm animam virgo concepta fuit in peccato originali, &c. erat filia iræ, sicut &c. cæteri.

Solus enim Christus sine peccato originali cõceptus fuit. Vnde August. exponens illud dictũ Ioannis Baptistæ, Ecce Agnus Dei. Ioan. primo dicit sic super Ioannem sermo. 4. Omnes ex illa traduce veniunt, &c. ex illa propagine, de qua cantat gemens Dauid. Ecce in iniquitatibus conceptus sũ, et in peccatis mater mea in vtero me aluit. Solus igitur ille agnus, qui non sic venit.

Non enim in iniquitate conceptus est, quia nõ de mortalitate conceptus est. Nõ enim in peccatis eum mater eius in vtero aluit, quẽ virgo concepit, virgo peperit. Ergò ecce agnus Dei; non habet ipse traducem de Adam, carnem tantùm assumpsit de Adam, peccatum non assumpsit. Et quia solus Christus agnus, eò quòd solus absq; iniquitate est conceptus, sed sanctus conceptus, &c. in conceptione sanctificatus, ideò illius solius conceptio sancta erat, &c. celebrari debuit ratione conceptionis.

Sicut

Sicut, &c. celebratur in die annunciationis Sanctæ Beatæ Virgini ab Angelo dicente. Lucæ primo. Ecce concipies in vtero &c. paries filium, qui statim conceptus erat consentiente Maria, &c. dicente ad Angelum, Fiat mihi secundum verbum tuum. Vnde sicut priuilegium Christi solius est, quòd conceptus est homo sine peccato, sic priuilegium solius Virginis Matris est, quòd hominem sine peccato concepit.

Et quo ad hoc priuilegium derogaret Virgini, qui diceret, quòd Anna Mater Virginis eam sine peccato concepisset, quia hoc priuilegium conferret, &c. Matri Virginis, quod re vera faceret siquis diceret Virginem absque peccato conceptam fuisse, & sic hoc dicendo Virginem priuilegium suum auferendo dehonoraret, &c. quo ad hoc derogarent eidem dicentes contra illud, dicente Bernardo in quadam Epistola. Hoc non est Virginem honorare sed Virgini derogare, quando priuilegium quod solius est Virginis, conceditur & Matri illius.

Propositum primum. Contra. Quod concessum est famulo non denegatum est Matri, &c. hoc in eis quæ pertinent ad honorem, &c. dignitatem, quia Mater magis honorificanda est, & dignificanda à Filio suo, quàm famulus eius, sed concessum est Ioanni Baptistæ, qui famulus Christi erat, quòd corpus eius fuit sanctificatum ante animæ infusionem, dicente gloss. Lucæ primo super illo. Spiritu Sancto replebitur adhuc ab vtero Matris. Nondum illi inerat Spiritus vitæ & inerat spiritus gratiæ, ergò & concessum non denegatum est Virgini Matri Christi.

Sed spiritus vitæ anima est, spiritus gratiæ spiritus sanctificans est: Virgo ergò Maria prius fuit secundùm corpus sanctificata, quàm anima eius suo corpori fuerit infusa. Quòd si sic, corpori ergò mundato, &c. sanctificato ab omni morbida dispositione anima eius fuit infusa, quia sanctificatio in illo nihil aliud esse potest, quàm talis dispositionis amotio, sed à tali corpore anima illa infusa contrahere peccatum originale non potest, nec aliter potest illud contrahere.

Virgo ergò Maria in originali peccato secundùm animam non fuit concepta, sed sancta, talis autem conceptio benè celebranda est tanquàm sancta, vt patet ex dictis in præcedenti quæstione; & hoc ratione ipsius conceptionis, ergò &c.

Secundum Item August. dicit contra 5. Hæreses, & habetur in tertia, quæ est Manichęorum, de Matre Christi loquens in persona Christi.

Si potuit coinquinari, cum ipsam facerem, &c. ego potui coinquinari, cum ex ea fierem. Sed Christus cum fieret ex ea, coinquinari non potuit, quia peccatum originale habere non potuit Deitati vnitus secundùm humanitatem suam, ergo &c. Quæstio ista, quia non quæritur præcisè vtrum conceptio Virginis Mariæ sit celebranda, sed quæritur sub determinatione, vtrum sit celebranda ratione conceptionis, videtur facere differentiam inter ponere conceptionem illius fore celebrandam simpliciter, &c. ponere ipsam fore celebrandam ratione conceptionis, & hoc quasi indubitatum esset, quòd ipsa esset celebranda simpliciter, prout aliqui dicunt super eius celebratione facienda habitam fuisse diuinã reuelationem, &c. quòd propterea Normanni in quorum territorio dicitur huiusmodi reuelatio facta fuisse, præ cęteris populis illam conceptionem præcipuè celebrant. *Resol. 90.*

Supponendo igitur cum Normannis, quòd cõceptio virginis sit celebranda simpliciter, restat dubium quæstionis propositæ, An scilicèt celebranda sit ratione conceptionis, in cuius declaratione etiam declarabitur an sit celebranda simpliciter. Et dico, quòd quæstio ista sub hac forma, vtrum conceptio Virginis sub ratione conceptionis sit celebranda in æquiuoco proponitur, quia hac determinatione ratione conceptionis, de qua est dubitatio principaliter, An scilicèt conceptio illa celebranda sit ratione conceptionis, an ratione alicuius alterius, duo diuersa interrogari possunt, secundùm duo quæ circa conceptionem possunt intelligi scilicèt conceptionis actus, &c. conceptionis tempus, hora, siue momentum.

Aspiciendo enim per intellectum ad cõceptionis actum, quæstio est de causa celebrandi Virginis conceptionem scilicèt an ipse actus conceptionis sit causa celebrandi festum conceptionis, an aliquid aliud. Aspiciendo autem per intellectum ad tempus, horam, vel momentum conceptionis, est quæstio de mensura durationis, pro qua celebrari intenditur festum conceptionis an scilicèt festum conceptionis, quod à Normannis celebratur 8 die Decembris, celebrandum sit pro tempore, hora, vel momento in quo facta est ipsa conceptio Virginis, an pro aliquo alio tempore, hora, vel momento.

Et primo modo intelligendo quæstionem, dico, quòd causa prima, &c. per se celebrationis festi cuiuslibet siue conceptionis, siue natiuitatis, siue circunciſionis, siue alicuius alterius, non est nisi sanctitas, aut sanctificatio illius, de quo, siue in cuius honorem celebratur, non autem ipse actus conceptionis, natiuitatis, aut circunciſionis.

Vnde festum conceptionis Christi non celebratur nisi quia ipse in sua conceptione secũdum hominem est sanctificatus, neque festum natiuitatis, aut circunciſionis eius, nisi quia sanctus erat ille, qui nascebatur & circuncidebatur. Quia tamen propter talem sanctificationem in cõceptione Christi etiam ipsa conceptio sancta est, &c.

pro-

propter ipſius Sancti nati, & circunciſi ſancti tatem, etiam ipſa natiuitas, & circunciſio eius ſancta eſt, dico, quòd cauſa ſecundaria celebrationis feſti cuiuſcunque dictorum eſt ipſe actus conceptionis, natiuitatis, & circunciſionis, & hoc per accidens, ſcilicet, quia ſanctus eſt, ſicut dictum eſt.

Reſponſio. Secundùm hoc ergò ad propoſitam quæſtionẽ dico, quòd conceptio virginis celebranda eſt, ſed hoc per ſe non niſi ratione ſanctificationis, quàm aut in ſua conceptione ſuſcepit, aut continuò, vel in breui ſuſceptura erat, prout iam declarabitur.

Ipſa enim virgo in vtero matris ſanctificata fuiſſe creditur idcirco, quòd ſanctos aliquos in vtero ſanctificatos fuiſſe ſcriptura ſacra teſtatur, vt Ioannem Baptiſtam, ſicut dicitur in ſecundo argumento, & Hieremiam Prophetam, ſecundum quod dicitur Hiere. primo. Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequàm exires de vulua ſanctificaui te, licèt de ſanctificatione virginis nihil exprimat Scriptura Sacra, quæ vt dicit Aug. in ſermo. de Aſſumptione eiuſdem, quædam veris indagationum ſtudijs quærenda reliquit.

In qua quidem ſanctificatione ſua virgo beata cõcepta eſt Deo, & facta eſt filia gratiæ, quæ prima ſua conceptione, qua concepta eſt mundo, per peccatum originale, quod in illa contraxit, facta eſt filia iræ.

Si ergò quæſtio intelligatur de conceptione, qua virgo concepta eſt Deo, dico, quòd proculdubio conceptio eius dignè celebranda eſt, & etiam ratione ipſius conceptionis, quia ipſa ſancta eſt, & hoc propter ſanctificationem, quam virgo in illa ſuſcepit, & hoc quemadmodum celebrantur natalitia Sanctorum, quibus naſcuntur Deo per ſanctificationem gloriæ, quam in illis recipiunt.

Eſt enim ſpiritualiter loquendo ſanctificatio p gratiam quaſi quædam conceptio viatoris in vtero, quæ concipitur Deo, & ſanctificatio per gloriam eſt quaſi quędam natiuitas ex vtero, qua cõprehenſor naſcitur Deo.

Si verò quæſtio intelligatur de conceptione, qua virgo concepta eſt mundo, de qua principaliter intelligenda eſt quæſtio, tunc diſtinguo, quia eſt quædam conceptio ſeminis, & eſt quædam conceptio hominis formati ex ſemine ſecundum formam corpoream.

Si ergò qſtio intelligatur de conceptione ſeminis, qua virgo concepta eſt mundo in nudo ſemine deciſo per coitum viri & mulieris, Annæ ſcilicet & Ioachim parentum ſuorum: dico, quòd licèt conceptio virginis ſimpliciter ſit celebranda, nequaquàm tamen celebranda eſt ratione talis cõceptionis, quia enim virgo in illa nec ſancta fuit, nec ſanctificata, eò quòd in hora illius conceptionis nihil virginis fuit, niſi ſola materia ſub forma ſeminis, quæ gratiæ, aut ſanctificationis ſuſceptiua non fuit, propter hoc nec illa conceptio ſancta fuit, nec celebrationis alicuius cauſa, vel ratio. Quare cum dies octuus Decẽbris, videlicet ſexto idus Decembris, qua à Normannis feſtum conceptionis virginis celebratur, erat tẽpus conceptionis virginis in nudo ſemine, nequaquã ergò debent illud celebrare ratione illius conceptionis, in cuius anniuerſario ipſi ſemper illud celebrant, & hoc neque ſecundum primum modum, neque ſecundum ſecundum intelligendi quæſtiouem prędictos, & hoc quia ab illo die octauo Decembris vſq; ad diem natiuitatis eius ex vtero octauo die hoc eſt ſexto idus Septembris, fluxerunt decẽ mẽſes vſuales præter quatuor dies, qui ſunt regulariter tempus periodale partus mulieris inter conceptum ſeminis nudi, & partum prolis. Sed ſi celebrant illud ratione conceptionis, debent intendere, quòd ratione alicuius alterius conceptionis, vt iam videbitur.

Sed ratione talis conceptionis ſecundum vtrunque modum quæſtionis competenter celebratur feſtum conceptionis Chriſti, quod vocatur feſtũ annũciationis, & celebratur 25. die Martij, videlicet octauo calendas Aprilis, à quo vſque ad diem natiuitatis Domini, quæ eſt 25. die Decembris, videlicet 8. calendas Ianuarij, fluxerunt 39. ſeptimanæ & duo dies, quæ ſunt decem menſes vſuales, præter quatuor dies, computando 28. dies p menſe. Computando autem menſes lunares, in vno menſe 29. dies, in alio verò 30. ſunt nouem menſes, & decem dies.

Computando verò menſes calendarij, ſunt nouem menſes, nec plus, nec minus. Auguſt. autem computans menſes breuiores neſcio qualem computum dierum in menſe ſecutus, computat tantũ nouẽ menſes & ſex dies, vt dies illos adaptet myſterio quarto de Trinit. cap 6. ſic inquiens. In ædificatione corporis Dominici, in cuius figurã templum à Iudæis deſtructum triduo reſuſcitaturum eſſe dicebat, numerus ipſe ſenarius pro anno poſitus intelligitur.

Dixerunt enim quadraginta ſex annis ædificatum templum, & quadragies ſexies ſeni fiunt ducenti ſeptuaginta ſex dies, qui numerus dierum cõplet nouem menſes, & ſex dies, qui tanquàm ſex menſes parientibus fœminis imputantur, non qa omnes ad ſextum diem poſt nonum mẽſem perueniunt, ſed quia ipſa perfectio corporis Domini tot diebus ad partum perducta comperitur, ſicut à maioribus traditum ſuſcipiens Eccleſiæ cuſtodit auctoritas. 8. enim calendas Aprilis conceptus creditur, quo & paſſus: natus autem traditur 8. calendas Ianuarij.

Ab illo ergo die vſque ad iſtum computati ducenti ſeptuaginta ſex reperiuntur dies, qui ſenarium numerum quadragies ſexies habent, quo numero annorum templum ædificatum eſt, quia ab

numero

numero senariorū dierum corpus Domini perfectum est. Et quòd ratione talis conceptionis in semine congruenter celebratur festum cōceptionis Christi, quo ad vtrunque modum intelligendi quæstionem prædictum, ratio est, quòd in hora, seu momento conceptionis seminis in vtero virginis conceptus est Christus perfectus homo ex anima rationali & carne, & perfectus Deus incarnatus, &c. per hoc secundùm hominem sanctificatus, & sanctus. Propter quod & conceptio illius sancta fuit.

Secus autem est de conceptione beatę Virginis in semine, quia ipsa concepta est in semine, &c. generata more aliorum, &c. non statim in hora conceptionis seminis fuit homo perfecta ex anima rationali, & carne, sicut nec alij, sed per temporum interualla actione naturæ ad illam perfectionem perducta. Vt enim dicit Macro. in expositione somnij Scipionis de repu. Ciceronis, Semine semel intra formandi hominis monetam locato hoc primū artifex natura molitur, vt die septimo folliculum circundet genitiuum humori ex membrana tam tenui, qualis in ouo ab exteriore tecta clauditur, &c. intra se claudit liquorem. Hoc cum à Physicis deprehensum sit, Hippocrates quoque ipse, qui tam fallere, quàm falli nescit, experimenti certus in libro, qui de natura pueri inscribitur, asseruit. Straton verò Peripateticus, & Diocles Carystius concepti corporis fabricam hac obseruatione dispensant, vt hebdomade secunda credant guttas sanguinis in superficie folliculi apparere, tertia demergi eas introrsum ad ipsum conceptionis humorem: quarta humorem ipsum coagulari, vt quiddam velut inter sanguinem & carnem liquida adhuc soliditate conueniat. quinta verò interdum fingi in ipsa substantia humoris humanam figuram magnitudine quidem apis, sed vt in illa breuitate membra omnia, &c. designata totius corporis lineamenta consistant.

Ideò adiecimus interdum, quia constat quotiens quinta hebdomade fingitur designatio ista membrorum, mense septimo maturari partum. Cum autem nono mense absolutio futura est, si quidem fœmina fabricatur, sexta hebdomade iā membra diuidi, si masculus septima. Hæc ille. Ista autem membrorum diuisione completa in vltimo instanti illius perficitur totius corporis organizatio, &c. generatur forma corporeitatis humanæ, atque anima rationalis creando à Deo infunditur, vt actus, &c. perfectio illius extrema, à quo in vnione cum illo propter morbidam dispositionem fomitis contracta, anima rationalis in eodem instāti contrahit maculam peccati originalis, & cōcipitur in peccato homo perfectus in forma humana formatus ex semine, & hoc xxxv. die à conceptu seminis nudi si sit fœmina, xlij. si sit masculus. Et hoc quia fortiori, & ampliori digestione maturatur mas, q̄ fœmina. Si ergo loquamur de ista conceptione virginis, qua concepta est homo perfecta vndecima die Ianuarij, scilicet tertio idus Ianuarij, quæ conceptio fuit eius natiuitas in vtero: vlterius distinguo, quia virgo aut in illo eodem instanti, quo sic concepta est mundo, & originali peccato infecta simul fuit concepta Deo etiam per gratiam sanctificationis, aut non.

Si non in eodem instanti, quo concepta fuit mundo in macula originali, concepta est etiam Deo in gratia sanctificationis, hoc contingere potuit dupliciter, aut quia statim in tempore continuato instanti, quo in originali concepta est mundo, sanctificata est, & concepta Deo, aut quia in alio instanti posteriori, quàm fuit concepta mundo, concepta est Deo, & fluxit tempus medium inter illa duo instanria, nec curo, an longum fuerit an breue: dum tamen sanctificata fuit in vtero ante eius natiuitatem ex vtero.

Si enim sanctificata fuisset in nascendo ex vtero, vt simul in nascendo ex vtero mundo fuisset sanctificata, & nata Deo, tunc omninò nulla conceptio eius ratione conceptionis, qua in vtero cōcepta est mundo, deberet celebrari, sicut etiam natiuitas eius ex vtero ratione talis natiuitatis nequaquam celebrari debuisset, si in peccato originali nata fuisset sicut fuit concepta, & post natiuitatem eius ex vtero fuisset sanctificata.

Quòd autem virgo simul in eodem instanti, quo concepta est mundo, & originali peccato infecta, concepta sit Deo, & in gratia sanctificata, hoc omninò est impossibile, quia contraria sunt originali culpa, & sanctificationis gratia, & simul fuissent in eodem subiecto: contraria autem in eodem instanti simplici secundum rem non possunt inesse eidem subiecto.

Quòd tamen originalis culpa, & sanctificationis gratia simul sint, seu esse habeant quodammodò in eodem instanti, etsi non in eodem subiecto pro illo eodem instanti, hoc non est omninò impossibile.

De esse enim formarum contrariarum distinguitur secundum duplicem considerationem, quam habet quælibet talium formarum.

Vno enim modo consideratur in ordine, siue in comparatione ad agentem, à quo producitur in esse, &c. à quo habet suum esse.

Alio autem modo consideratur in ordine, seu comparatione ad subiectum recipiens in se eam, & in quo habet suum esse. Considerando autem primo modo formam, & esse eius secundum primam comparationem, scilicet in ordine ad agentem producentem illam, semper in formis contrarijs sibi succedentibus forma posterior habet esse prius natura, quàm corrumpatur prior, quia prior non corrumpitur, nec à subiecto suo expellitur, nisi per actionem formæ alterius introduc-

ctæ posterius in idem subiectum, & hoc ratione contrarietatis, quam habet ad illam, qua se non compatiuntur in eodem subiecto, & etiam ratione maioris virtutis, & efficacię, quàm illa forma habet in agendo super minorem virtutem & efficaciam, quam forma alia habet in patiendo, & resistendo, dicente Philosopho in libro de motibus animalium.

Est aliqua multitudo vigoris, & virtutis secundùm quam manet quod manet, quemadmodum & secundùm quam mouet mouens, & est quædam proportio ex necessitate, quemadmodum, & contrariorum motuum, sic & quietùm, & æquales quidem impassibiles abinuicem, obtinetur autem secundùm excessum, sicut enim pellens pellit sic pulsum pellitur similiter secundùm virtutem.

Nihil autem agit nisi habens esse, quia actus secundus, cuiusmodi est agere, necessariò præsupponit actum primum qui est esse. Semper ergò forma corrumpens prius habet esse naturæ, quàm per illam forma ei contraria corrumpatur. Ipsa autem forma corrumpenda, antequàm corrumpatur habet esse in duratione præcedente suam corruptionem.

In illa ergò duratione necessariò similiter habent esse formæ illæ contrariæ, licèt diuersimodè, putà forma corrumpens in ordine ad agentem, & producentem illam, & forma corrumpenda in ordine ad subiectum, licèt, vt dictum est, nullo modo habeant esse similiter in subiecto, siue in considerando ambas in ordine ad subiectum, immò oportet vnam prius natura expelli à subiecto per suam corruptionem, quàm altera scilicèt corrumpens, & expellens ipsam à subiecto, per suam generationem in eodem subiecto recipiatur.

Semper enim prioris exitus à subiecto dispositiuè posterioris operatur ingressum, sicut & expulsio vitij virtutis operatur ingressum, secundùm Beatum Gregor. Et sic secundum diuersa genera causæ vno modo corruptio, & non esse in subiecto vnius formæ præcedit esse alterius.

Alio modo sequitur illud. Præcedit enim esse illius inquantùm habet esse in subiecto, & sequitur esse illius inquantùm est ab efficiente, & hoc quemadmodum vt aliàs determinaui creatio, quæ est vera, & realiter mutatio quædam in ordine ad creantem, & efficientem causam, natura prior est creato.

In ordine vero ad subiectum suum, & causam materialem, posterior est illo, quia vt in subiecto non habet esse nisi in creato. Quia igitur vt expositum est iam, culpa originalis, & gratia sanctificationis sicut nec alia contraria, nullo modo in vno, & eodem instanti possunt esse similiter in eodem subiecto, neque fuerunt in virgine Maria, necessariò ergò gratiam sanctificationis in se recepit vt in subiecto, aut statim in tempore continuato illi instanti indiuisibili quo in culpa originali concepta est mundo, aut in alio instanti post fluxum temporis siue longioris siue breuioris inter virginis conceptum in culpa originali, & eius sanctificationem.

Responsio ad quæst.

Et dico ad quæstionem, quòd conceptio virginis ratione conceptionis intelligendo istum conceptionis actum, nequaquàm celebranda est, quia actus ille conceptionis sanctus non fuit, eò quòd in instanti conceptionis ipsa non potuit sanctificari neque esse sancta.

Immò fuit vitiosus, pro quanto ipsa fuit concepta in vitio. Intelligendo autem rationem conceptionis quo ad instans conceptionis, & similiter intelligendo actum sanctificationis, & etiam ipsam gratiam, qua fit sanctificatio, vt habent esse in sanctificato sicut in subiecto, dico, quòd adhuc virginis conceptio nequaquàm est celebranda ratione conceptionis, & hoc quia in instanti conceptionis non fuit sanctificata siue sancta, & ratione conceptionis quo ad instans conceptionis celebranda non esset nisi illud instans esset & conceptionis, & sanctificationis simul, quia vt iam dictum est supra, causa primaria celebrationis conceptionis, natiuitatis, aut alicuius talium, non est nisi sanctitas, aut sanctificatio personæ conceptæ, aut nascentis, à cuius sanctitate aut sanctificatione ipse conceptus sanctus diceretur, aut natiuitas, aut instans conceptus, vel natiuitatis.

Intelligendo verò rationem conceptionis quo ad conceptionis instans, & actum atque gratiam sanctificationis, vt habent esse à sanctificante, dico, quòd si Virgo Maria statim in continuo tempore post instans suæ conceptionis in culpa originali fuit sanctificata, benè celebranda est conceptio virginis ratione ipsius conceptionis, & hoc quia vt dictum est in instanti conceptionis in culpa originali, vt abagente, & in ordine ad ipsum habebant esse gratiæ, & actus sanctificationis recipiendi in virgine vt in subiecto statim post illud instans. Vnde etiam celebranda est in die in quo fuit instans illud ipsius conceptionis, aut alio die pro illo instanti, aut die illo in quo facta fuit.

Sed hoc non per se ratione qua erat instans cõceptionis, quia conceptio Virginis non erat miraculosa, sed purè naturalis virtute seminum maris & fœminę. Immò ratione qua erat instans sanctificationis vt facta est in illo in ordine ad agentem, licèt non in ordine ad subiectum sicut dictum est.

Vnde conceptio Christi benè celebranda est ratione conceptionis, quo ad instans cõceptionis ratione qua erat instans conceptionis, non solùm quia idem erat etiam instans suæ sanctificationis

secundùm

secundùm hominem, sed etiam quia sua conceptio fuit miraculosa virtute Spiritus Sancti. Si vero tempus fluxit inter virginis conceptum, & eius sanctificationem.

Dico, quòd virginis conceptio nequaquàm celebranda est ratione conceptionis, qua concepta est mundo, &c. hoc neque quo ad actum conceptionis, quia ille non fuit sanctus neque quo ad instans conceptionis, quia in illo non est facta ipsa sanctificatio, neque in tempore continuato illi, vt in illo instanti prius natura etsi non duratione facta sit dicta sanctificatio vt habet esse à sanctificato, quàm eadem sanctificatio habeat esse in sanctificato vt in subiecto.

Nota. Sed si conceptio virginis, qua sic concepta est mundo, sit celebranda, hoc solùm modo est ratione eius sanctificationis futuræ, &c. conceptionis qua concipienda erat Deo, vt secundùm hoc celebrando conceptionis festum reuerentia exhibeatur personæ eius propter dignitatem sanctificationis ad quàm prædestinata erat à Deo. Et hoc quemadmodum reuerētia adhibetur personæ filij regis primogeniti non tam ratione stirpis regalis, à qua descendit, sed quia regiam dignitatem expectat obtinere.

Nota. Sed quia hæc in facto consistunt, de quo scriptura Sacra nihil, sancti aut doctores modicum loquuntur, an scilicèt Virgo Maria sanctificata fuit statim post instans suæ conceptionis, vt non nisi per instans indiuisibile infecta fuerit peccato originali, an post aliquod temporis interuallum, vt in toto illo temporis interuallo fuerit in originali, super his nihil temere pronunciandum est.

Quia vt dicit August. in sermone de Virginis assumptione, tantò quæ magna sunt, cautius tractanda existunt, quàtò specialibus auctoritatum testimonijs non possunt ad liquidum roborari. Vnde quod ibidem dicit de Mariæ assumptione in gratia, hoc idem dico hic de eius sanctificatione in gloria.

Quid ergò de Mariæ sanctificatione dicendum est vnde Scriptura Diuina non commemorat, nisi quærendum ratione quid consentiat veritati, fiatque ipsa veritas auctoritas, sine qua necesse est nec ~valeat auctoritas? Circa Mariæ autem sanctificationem in gratia, maximè consentit puritatis eius excellentia, qua nulla maior in puris creaturis esse potest.

Sicut enim (vt dicit Anselm. de conceptu virginali &c. peccato originali) decens erat vt ea puritate, qua maior sub Deo nequit intelligi, illa ~virgo niteret, sic decens erat ~vt eam tali puritate quantò citius fieri posset, præueniret.

Hoc enim indicium fuit summi amoris, quem Deus habebat ad virginem, dicente August. in sermone quo supra. Ostendit ipse prius amorem, quem habuit erga virginem, &c. amorem, quo nullum putamus esse maiorem. Et quia constat, quòd maioris amoris indicium, siue maius iudicium magni amoris fuit eam dotare citò, &c. quàm primum dotari potuit, quàm diutius expectare, si ergò sanctificari potuit, & mundari à peccato, vt non nisi per instans, siue momētum in macula peccati originalis fuerit, recta ratione determinante (vt mihi videtur) hoc pie sentiri potest.

Sed quid est? fuit ne possibile secundùm naturam virginem vere, sicut cęteros puros homines, in instanti quo concepta est homo ex semine secundùm corpus, &c. anima illi est vnita, peccatum originale contraxisse? &c. in illo non nisi per illud instans permansisse? Et videtur mihi quòd hoc benè possibile est, sicut &c. in alijs dispositionibus, quæ acquiruntur per subitas mutationes, quæ sunt termini motuum quorundam, &c. amittuntur per motus alios, inter quos motus mediæ sunt dictæ mutationes, & ipsa mutata esse in instantibus mensurantibus dictas mutationes, in quibus sunt sub illis dispositionibus, &c. in motibus circunstantibus non sunt sub illis. Talem autem mutationem conuenit mediam esse inter duos motus dupliciter. Vno modo inter duos motus qui sunt partes ~vnius motus simplicis.

Alio modo inter duos motus contrarios. Primo modo secundùm quandam demonstrationē Philosophi 8. Physic. omne continuè motum in quolib. instanti signato sui transitus est in spatio sibi ęquali, sic quòd per partem motus præcedentem in fine eius mutatum est in illud, &c. per partem motus sequentem in principio eius mutatum est ab illo, &c. est mutatio vna secundùm rem, &c. in vno instanti secundùm rem, differenti solum secundùm esse, & rationem, vt est finis temporis mensurantis motum præcedentem, &c. principium temporis mensurantis motum sequentem.

Secundo modo cum faba mouetur superius motu violento, &c. obuiat fortius moto putà lapidi molari descendenti naturaliter inferius, in contactu lapidis subitò in instanti mutata est in spatium sibi ęquale per motum eius violentum sursum, &c. in eodem instanti ipsa faba mutatur ab illo per motum naturalem lapidis deorsum fabam impellentem, vt non sit possibile eam in illo spatio sibi æquali quiescere, sicut quiesceret si sibi relinqueretur, secundùm aliam quandam demonstrationem Philosophi in eodem 8. nec esse, aut manere, nisi per instās medium inter tempora illorum motuum, in quo tamen spatio est per illud instans secundùm veritatem, nec fuit in tempore præcedenti, nec tempore sequenti, & est illud instans signum commune vtriusq; temporis, &c. primo &c. posteriori, &c. idem &c. vnum numero, ratione autem non idem,

vt

vt dicit Philosophus in eodem 8. Quòd si spatium illud sibi æquale, &c. totum residuum spatij sursum obscurum esset, & tenebrosum, &c. totum residuum spatij deorsum esset clarum & illuminatum. superficies fabæ superior in illo instanti in quo esset in spatio sibi equali, esset obscura, &c. in toto tempore sui ascensus fuisset clara & illuminata, & similiter in toto tempore sui descensus.

Et valet sicut mihi videtur hoc exemplum secundum ad nostrum propositum. Forma enim corporea humana in conceptu hominis ex semine die trigesimoquinto vel quadragesimosecũdo à conceptu nudi seminis in primo instãti suæ generationis ex semine habet esse, quæ per totum tempus præcedens habuit non esse, &c. in eodem instanti corpus humanum compositum ex materia. &c. forma corporeitatis habet esse infectum morbida dispositione contracta à generantibus in semine, qua necesse habet anima rationalis tali corpori vnita vt actus, &c. perfectio eius contrahere peccatum originale, quæ in eodem instanti creatur in corpore, &c. ei dicto modo vnitur, atque per hoc ab illo maculam peccati originalis contrahit quasi per motum violentum ab inferiori, eo quòd talis macula naturæ humanæ innaturalis est, &c. toto tempore præcedenti non habebat illam maculam, quia nec habebat esse nec in virgine habuit esse per tempus sequens, vt æstimo congruere dignitati virginis, sicut &c. possibile est secundùm naturam, ita quòd non nisi in transitu, &c. in instanti fuerit in peccato originali scilicèt peccatum originale in illo instanti simul habuit esse primo &c. vltimo, sed secundum aliud, &c. aliud signum illius instantis, quia vt erat terminus temporis præteriti, in illo habebat esse primò mutatione subita in termino motus præcedentis, vt verò illud instans erat initium temporis sequentis, in illo habuit esse vltimò per sequentem impulsionem motus gratiæ velut à superiori in tempore sequenti expellentem illam.

Non enim mutatione contraria prædictæ expellabatur in vltimo signo sicut expulsa fuisset faba à spatio sibi equali mutatione contraria illi, quæ intrauit spatium, quæ fuisset initium motus sui naturalis deorsum, si in spatio illo post motum suum violentum quieuisset.

Sic ergò videtur impossibile fuisse, quòd quẽadmodum faba mota ab inferiori in instanti medio inter duo tempora per mutationem in fine motus præcedentis, sicut solent fieri subitæ mutationes naturales, nec aliter natæ sunt fieri secundùm Philosophum in 7 Physic. intrat spatium sibi equale, &c. non nisi per illud instans habet esse in illo &c. non per aliquam mutationem sed solùm per motum à superiori exit illud, & manet extra in toto tempore sequenti; vt non sit ponere primum tempus vel instans sui exitus, & non esse in illo, sicut nec formæ quæ naturaliter corrumpitur per suum contrarium est ponere vltimum tempus vel instans sui esse.

Sic autem anima Virginis quasi mota ab inferiori in sua vnione cum corpore, à corpore illo in instanti quo illi vnita est, contraxit originale peccatum, &c. erat immunda, quia de immundo concepta semine & obtenebrata, sed non nisi per illud instans.

A qua immunditia, & tenebra mundata fuit &c. illuminata quasi per motum gratiæ desursum venientis, cuius esse in subiecto non erat ponere primum instans, sed totum tempus sequens, sicut contingit vniuersaliter de dispositionibus mansiuis præcedentibus, &c. sequentibus dispositiones, &c. transeuntes, & solùm modò per instans in esse persistentes.

Si enim aliquis punctus aeris per tempus præteritum fuisset illuminatus, &c. similiter per tempus futurum, si in illo instanti medio per aliquod obstaculum fuisset obscuratus, non esset ponere vltimum temporis instans illuminationis præcedentis, neque primum illuminationis sequentis, E contrà illi quod contingit de formis contrarijs mansiuis.

In talibus non est dare vltimum instans esse ipsius formæ corruptæ, neque non esse ipsius formæ generatæ, sed est dare primum instans esse formæ generatæ, &c. non esse formæ corruptæ, secundùm quod dicit Philosophus 8. Physicorum loquens de talibus formis, &c. generatione, & corruptione earum. Res ipsa semper est posterioris passionis, vbi habet alia translatio. In passione autem, semper est postremæ passionis. Rem autem appellat subiectum quod transmutatur à passione in passionem, quam dicit in instanti generationis vnius & corruptionis alterius esse primo in instanti medio inter tempus præcedens præteritum, & sequens futurum.

Et licèt gratiæ desursum venientis ad Virginis sanctificationem, & emundationem à peccato originali non sit ponere primum instans esse initi vt est in subiecto sanctificato & mundato, est tamen eius ponere primum instans, vt est ab ipsa sanctificante, quia similiter in eo instanti, in quo habet esse originalis culpa natura, habet esse in anima Virginis sanctificans gratia in ordine ad sanctificantem, etsi non in existentia rei, sicut natura habet ipsa gratia esse prius vt est ab agente illam, quàm vt est in subiecto, non autem in rei existentia, vt tactum est supra. Sed est aduertendum, quòd hoc quòd originalis culpa in anima &c. gratia in ordine ad agentem habent esse simul, hoc tamen est quodam ordine naturæ, quia gratia vt est emundans non habet esse à mundante inquantùm hmõi nisi precedente immunditia

est non durationē & esse reali, natura tamen.

Et ideò licèt habeant esse simul natura in eodem instanti, hoc tamen est secundum aliud, & aliud signum illius instantes.

Habet enim culpa esse in illo secundū signum prius, &c. vt illud instans est terminus temporis præteriti, & gratia in ordine ad agentem non nisi secundum signum posterius, & vt instans illud est initium temporis futuri sequentis.

Si igitur videtur mihi, quòd originale in virgine per solum momentum instantis fuisse potuit rerum natura non repugnante, sed an ita factum sit Deus nouit quod nec scio, nec assero, sed rationabile videtur mihi, & possibile secundùm prædicta ita factum fuisse. Quod & mihi videtur sensisse August. in quodam sermone de Virginis natiuitate, vbi dicit sic.

Nostra natura ad similitudinem Dei in principio creata fuit, quatenus indesinenter ipso Deo perfrueretur, & eius gloria sine omni corruptione, & mutabilitate aliquando potiretur. Hoc tam grande bonum statim in primis hominibus perdidit, atque in huius mundi miserias infelix &c. præceps ruit, in æternas miserias decursu vitæ labentis cuniculo multò infelicius ruitura, transierunt multa sæcula, & damnationis istius immanitas super omnes filios hominum semper est in deterius roborata.

Nec enim summi sapientia Dei vllam in massa generationis humanæ viam inuenit per quàm vt disposuerat in mundum veniens tam luctuosæ perditioni subueniret, donec ad istam de qua loquimur, virginem ventum esset. Sed hæc mox vt in mundum per humanæ generationis lineam venit, tanta omnis boni virtute atque constantia perfectè resplenduit, vt eam ipsa sapientia Dei vere dignam iudicaret per quam in hominem veniens non modo reatum primorum hominum sed & totius mundi peccata deleret.

Idem in eodem aliquantulum supra. Puella de propagine nata Adæ, de peccatrice progenie orta sunamita versa vice maledictionis Euæ benedicta prædicatur super omnes mulieres. Aduerte quòd dicit, mox vt in mundum per humanæ generationis lineam venit, Item quòd dicit, subitò versa vice, maledictionis Euæ.

Et ne aliquis quod dicit, vt in mundum venit, exponat de venire per natiuitatem eius ex vtero, & cætera de virtutum constantia quas in vita sua exercuit, specialiter exprimit aliquid de illa seorsum inquiens. Nata igitur & infantiles annos exuta, quàm castè, quàm sanctè, quàm Deo dignè vitam instituerit ac institutam egerit, quis vel cogitatu non dico dictu, queat coniecturare? & infra.

Nimirum tenemus fide ab omni siquid adhuc in illa peccati originalis seu actualis supererat, ita mundatum cor illius, vt verè super eam spiritus Domini requieseceret, ipsamque voluntati Domini castissimè, ac simplici corde obedientem omni holocausto suauius acceptaret, virtuteque altissimi obumbratam filium Dei ex illa incorporaret.

Nec exponat aliquis illud quod dicit Augustin. Mox & subito, sic, id est post breue tempus in quo fuit in originali peccato. Hoc enim non videtur mihi pium sentire de Virgine, sed natura potuit sustinere, quòd solùm per momentum in originali fuerit.

Ego autem in præmissis de Virgine, nisi quod pium, ac dignum visum est, sentire non potui, & saluo priuilegio Christi, qui solus ex semine mūdo sine originali conceptus est homo taliter in vtero priuilegium virginis super cæteros omnes homines esse sentio, quòd licèt in peccato originali concepta sit homo ex semine immundo, in illo tamen non nisi per momentum permansit, & ita licèt in peccato concepta, non tamen alita in peccato in vtero matris fuit. Nota

Cæteri autem omnes etiam sanctificati in vtero non solum in peccato concepti, sed etiam aliti in vtero per aliquod spatium temporis fuerunt. Prout Innocentius III. de Ioanne Baptista in sermone quodam de Virginis annunciatione exponendo illud quod dixit Elisabeth Lucæ primo. Exultauit in gaudio infans in vtero meo, dicit sic.

Ostendit Elisabeth se matrem Prophetæ, qui antequàm nascatur, &c. ab originali peccato soluatur, lætatur visitare Domini matrem, &c. hoc pro aduentu eius per quem à vinculo originalis peccati sperabat iam absolui, sequitur enim continuò.

Gaudet enim illam venisse, &c. secum portasse per quem salus poterat esse. Et cum hoc factum fuit mense sexto post conceptum Ioannis in semine, vt legitur Luc. primo, vsque ad mensem ergò sextum Ioannes Baptista ab hora conceptus eius secundùm humanam formam ex semine quando originale contraxit, in originali permansit.

Et sic Virgo Maria sicut cæteros vt contemplatrix præcellit in gloria vltimæ remunerationis, dicente Innocentio de eadem in sermone alio super Missus est Angelus, &c. alloquente Mariam.

Super omnem creaturam es remuneranda, super omnes collocanda, solo illo minor, qui est etiam Deus, sic sacrata es à Domino vt peruenias in sedem prius traditam lucifero, & siquid vltra est, quòd non est reseruatum homini Deo, sic cæteros omnes vt viatrix præcellat in gratia primæ sanctificationis.

Sed forsan aliquis contra prædicta, quòd Virgo non nisi in instanti, &c. in transitu fuit in originali, arguet.

Primo

Obiectio prima. Primò contra esse in originali non nisi in instanti, quia tunc macula originalis in Virgine non fuisset nisi in potentia, quia si aliquid moueretur ad albedinem, si statim cum esset in albedine moueretur ab albedine, albedo esset in eo in potentia tantùm, sicut dicit Commentator. 8. Physicor. vbi probat Philosophus, quòd inter motus contrarios necesse sit ponere quietem mediam, &c. sic non esset simpliciter verum dicere, quòd Virgo vnquàm fuit in peccato originali, quia quod non est nisi in potentia, non est.

Vnde ad hoc, quòd aliqua dispositio sit in aliquo subiecto in actu, oportet quòd sit in illo per tempus aliquod, &c. sic peccatum originale aut nunquàm fuit simpliciter in Virgine, aut fuit in illa per moram temporis. Sicut etiam de faba prædicta sciendum est, quòd scilicèt in illo situ spatij sibi æquali, vbi obuiat lapidi, non est nisi in potentia, sicut & fuit in quolib. sibi æquali in toto medio, ascendendo, siue descendo, quoniam sicut non obuians lapidi ascendendo vlterius nō esset in illo situ, nisi solum in potentia, sic obuiàs lapidi & continuo descendens solùm est in potentia in illo situ.

Secunda. Secundò fortè arguet contra esse in peccato originali non nisi in transitu, quòd hoc solùm dicitur de motu, qui non est nisi in transitu, eo quòd non est forma permanens, aut priuatio manens.

Tertia. Item si illa macula fuit in Virgine in aliquo instanti, si corrumpatur, vel desinat esse, oportet quòd in alio instanti corrumpatur, ita quòd instans, in quo primò fuit, &c. instans in quo corrumpitur, sint duo instantia diuersa, inter quæ necessariò sit tempus medium, in quo ipsa macula habeat esse permanens.

Responsio ad primã. Ad primum cum dicitur, si macula originalis non fuisset in virgine nisi in instanti, tunc non fuisset in ea nisi in potentia, dico, quòd verum est secundùm aliquem modum potentiæ, & secundum aliquem non.

Quòd assumitur, si non fuisset in ipsa nisi in potentia, non esset verum dicere simpliciter, quòd vnquàm fuerit in peccato originali, quia quod non est nisi in potentia, non est, Dico distinguendo de potentia, &c. de non esse, & de actu, quia cum potentia non dicatur nisi respectu actus. &c. actus inquantùm actus ponat esse, sicut potentia inquantùm potentia ponit esse, aut ergò est potentia dicta respectu esse simpliciter, aut respectu esse determinati. Si primo modo, sic in potentia est illud quod est solùm in potentia efficientis, qualiter fuit mundus ante eius creationem, aut quod cum hoc in sola potentia materię, vel propinqua, sicut est forma vituli in semine, vel remota, sicut est forma vituli in ligno, & de eo quod isto modo non est nisi in potentia, verum est quòd non est omninò, sicut mundus non fuit priusquàm crearetur, aut quòd non est simpliciter, sicut non est illud, quod non est in actu alicuius formæ, etsi sit in potentia materiæ.

Et de isto modo potentiæ, &c. eius quod est non esse, non est verum, quòd illud quod non est nisi in instanti, non sit nisi in potentia, & ita non est.

Quia quod sic est in potentia, & quod ita non est, nec habet esse omninò, nec simpliciter, siue in tempore siue in instanti. Vnde etsi macula originalis non fuit in Virgine nisi in instanti, nō sequitur, quòd sit simpliciter verum dicere, quòd Virgo non fuerit in macula originali aliquando etiam in facto esse perfecto, &c. quòd albedo nō sit in albo in perfecto facto esse, etiam si aliquid statim postquàm esset in albedine, amoueretur ab albedine.

Si verò sit potentia respectu esse determinati, siue positiui, cuiusmodi est esse virtutis, vel gratiæ, &c. vniuersaliter cuiuslibet rei naturalis, siue priuatiui, cuiusmodi est esse peccati originalis, quod sic est in potentia respectu vnius actus essendi, benè est in actu respectu alterius.

Quod enim est actu semen, est in potentia vitulus, &c. quod est actu nigrum, est in potentia album.

Et de eo quod isto modo non est nisi in potentia, non est verum dicere, quòd aut omninò aut simpliciter non est, sed solùm modò verum est dicere, quòd non est illud ad quod est in potentia, putà, quòd semen non est vitulus, est tamen semen, &c. quòd sic est in potentia, putà nigrum, potest esse actu illud putà album, & hoc non nisi in instāti si statim postquàm est in albedine, moueatur ab albedine.

Sed in proposito est vlterius distinguendum de actu, est enim quidam actus perfectus, qui est quoruncunque, inquantùm habent esse permanens. Est alius actus imperfectus, qui est quorumlibet inquantùm habent esse successiuum, aut transitorium, vt sunt omnia quorum esse secundum aliquam dispositionem consistit in motu, aut mutatione.

Sunt enim motus, &c. mutatio imperfecti, sunt etiam non nisi imperfectorum, & inquantùm imperfecta sunt. Et de illis quæ sunt in actu isto secundo modo dicto, vt sunt omnia quorum esse consistit in motu, aut transmutatione, inquantùm huiusmodi, verum est quòd non sunt nisi in potentia, respectu illorum quę sunt in actu primo modo dicto.

Illa autem quæ sunt in actu primo modo, inquantùm huiusmodi, non tendunt in aliud, vt ad illud ad quod sunt in potentia.

Illa verò quæ sunt in actu secundo modo inquantùm huiusmodi, semper tendunt in aliud acquirendum sibi, vt ad illud ad

quod sunt in potentia, propter quod talia, inquãtum huiusmodi, dicuntur esse non nisi in potentia, &c. hoc respectu alicuius actus determinati, vt ea quæ mouentur, &c. transmutantur, respectu eius quod per motum, aut transmutationem acquirunt, &c. talia sunt omnia, quæ habent esse in tempore, quia inquantum huiusmodi esse suum non habent nisi in motu, & transitu successiuo, &c. similiter quæcunque habent esse in solo instanti, quia inquãtum huiusmodi esse suum non habent nisi in transitu subitò. Et isto modo pie credo, quòd macula originalis in Virgine nó fuit nisi in instanti, &c. in potentia, sicut & hoc modo scilicèt in transitu subito albedo esset in albo, si statim cum esset in albedine, moueretur ab albedine, & hoc respectu albedinis mansiuæ per tempus.

Hæc enim albedo transitoria, & subita esset in albo in actu respectu alterius, licèt illa non sit mansiua simpliciter, & absolutè, vt dicit Commentator & benè. Et de eò quod sic est in potentia in aliquo, bene verum est dicere, quòd simpliciter sit in illo, & de eo quod sic est in potentia, non est verum dicere, quòd simpliciter non sit, sed solùmmodò, quòd non est mansiuè. Vnde vt prius, etsi macula originalis non fuit in virgine nisi in instanti, non sequitur, quin virgo aliquando fuerit in macula originali.

Nec vlterius sequitur assumptum in argumento quòd vt aliqua dispositio sit in aliquo subiecto in actu, oportet quòd sit in illo per aliquod tempus. Hoc enim non sequitur nisi de illa quę habet esse in subiecto aliquo modo mansiuè, cuiusmodi secundùm positionem non est macula originalis in virgine, nec situs in spatio sibi æquali fabæ prædictæ, nec etiam situs talis in quocunque sibi æquali in toto medio per totum motum, siue ascendendo, siue descendendo, quia omnia talia in instanti solo habent esse in subiecto, &c. simpliciter habent esse in illo actu perfecto essendi, licèt non mansiuo, &c. quo ad hoc in potentia.

Nec intelligo minus esse in potentia fabam esse in situ sibi æquali in obiectu lapidis, quàm in quolib. instanti per totum motum.

Ad secundam obiectionem. Ad secundum, quòd esse in transitu non dicitur nisi de motu, qui non est nisi in transitu eo quòd non est forma manens, dico, quòd aliquid dicitur esse in trãsitu dupliciter. Vno modo, quia de ratione essentiæ suæ simpliciter est, quòd non habet esse nisi in transitu, non autem manens & stans, sed si stet, &c. maneat ideſt non transeat, deficit, &c. statim non est, & sic esse in transitu, non dicitur nisi de motu, tempore, mutatione & instanti, quia non sunt formę manentes, vt dicit argumentum, & benè.

Alio autem modo dicitur aliquid esse in transitu, quia non existit sine motu, &c. transmutatione substantia sua, siue essentia, licèt non sit de ratione eius, quòd non habeat esse nisi in transitu, immò de ratione eius est, quòd natum sit manere absque omni transitu, & transmutatione ab esse in non esse, quemadmodum corpora cœlestia, quæ licèt moueantur secundùm locum, non mouentur secundùm peregrinas impressiones abijcientes aliquid de substantia ipsorum, propter quod licèt motus eorum mẽsuretur tempore, substantia tamen, siue essentia eorum mensuratur ęuo.

Sic etiam post resurrectionem cessantibus motibus corporum cœlestium tempore, &c. transmutatione elementorum, absque transitu in substantia erunt omnia elementa, &c. mixta æuo mensurata, quæ modo propter transmutationem eorum in substantia sua ab esse in non esse, sunt in transitu, &c. in tempore inclusa, Vnde & omnia talia transitoria esse dicuntur.

Et de numero talium maximè sunt illa, quę in solo instanti habent esse, qualis est dicta macula originalis in virgine.

Ad tertium, si macula illa fuit in Virgine in aliquo instanti, si corrumpatur, vel desinat esse, oportet omninò, quòd hoc sit in alio instanti, Vt sit tempus medium, in quo habeat in illa esse macula illa, &c. non in solo instanti, dico, quòd hoc solùmmodò Verum est de formis ad quarum generationem, &c. corruptionem motus per se ordinatur. *Ad tertiũ.*

Illæ enim mansiuæ sunt per tempus, & necessariò habent duo tempora, Vnum suæ generationis, in quo non sunt, appellando tempus generationis tempus alterationis quæ per se ordinatur ad generationem vnius, &c. corruptionem alterius in vltimo instanti illius, in quo completiuè simul generantur, &c. generatæ sunt, &c. primò sunt, nec est dare instans vltimum non esse eorum in tempore præcedenti, sed tempus tantùm præcedens illud instans.

Alterum Verò habent tempus corruptionis suæ in quo sunt, appellando tempus corruptionis tempus alterationis quod per se ordinatur ad corruptionem Vnius, &c. generationem alterius in vltimo instanti illius, in quo completiuè simul corrumpuntur, &c. corruptæ sunt, &c. primò non sunt, nec est dare Vltimum instans esse eorum in tempore præcedenti, sed tantùmmodò tempus illud, aliter enim tempus componeretur ex instantibus.

Non autem est Verum de formis, ad quarum generationem, &c. corruptionem motus ordinatur per accidens, Vt sunt illæ quæ per subitas mutationes fiunt in finibus motuum alterationis, Vt illuminatio medij in fine motus localis, quo lucidum deducitur ad rectam oppositionem ad medium, Vt determinat Philosophus 7. Physic.

Illæ

Illæ enim dispositiones innouantur, & variantur secundùm variationem signorum medij, ad quæ vt ad terminum recte oppositionis per motum localem deducitur corpus lucidum, & respicit quodlib. illorum in transitu, & per instans solùmmodò, & ideò quodlib. illorum in transitu, & per instans illuminatur secundùm rectam oppositionem, & nó respondet talibus formis aliqua generatio per se differens à generato esse quod est in illo instãti in quo est, nec similiter aliqua corruptio per se alia à suo corrupto esse quòd est in tempore sequẽti in quo non est, nec est assignare primum instãs sui nó esse in tempore illo, sed tm tempus illud. Et per hunc modum macula in Virgine fuit in illo instãti in quo generata est, sed in nullo alio instãti corrupta est desinendo esse, sed in tempore, quia sua corruptio nó habet per se suam causam positiuam, sicut habet corruptio formarum mãsiuarum per tempus, licèt habeat causam positiuã suæ corruptionis per accidens, qualis est descensus lapidis in expellendo fabam ex situ suo prædicto. Accidit n. descensui lapidis, quòd obuiet fabæ, & ipsam expellat, & similiter gratię, quòd obuiet in anima maculæ originali & expellat illam. Nata est. n. gratia infundi animæ etsi nó esset ipsa macula, sicut lapis descendere, etsi nó esset in medio faba. Vnde sicut lapide obuiante fabæ in illo instanti in quo faba intrat dictum suum situm superficies suprema fabę; & inferior lapidis tangunt se, & sic sunt simul in illo situ ambo in transitu, & in instãti vni co, modo quo tangentia se nata sunt esse simul, sed lapis in transitu recto, faba autem in reflexo, & non in aliquo instanti post illud instans, sed in tempore sequenti, quod per illud continuatur tẽpori præcedenti, expellit lapis descendens fabam de situ illo, sicut etiam ille lapis quo ad suam superficiem in illo tempore recedit ab illo eodem situ, sic gratia sanctificatiua virginis, vt habet esse à sanctificante, & in ordine ad ipsum, obuiante originali maculæ in anima Virginis, in illo instanti, in quo primo macula originalis intrauit animam Virginis, gratia illa vt est à sanctificante simul fuerunt in illo instanti, licèt non in anima, vt in subiecto, sicut prædictum est, & non in aliquo instãti post illud instans, sed in tempore sequenti, quod per illud instans continuatur tempori præcedenti, gratia expulit maculam originalem ex anima, & ipsam intrauit vt subiectum in quo mansit, vt non sit ponere primum instans esse gratiæ in anima post expulsionem originalis peccati, quod præcessit per solum instãs, licèt in alijs qui per tempus fuerunt in originali, aut in Angelis qui nunquam fuerunt in originali, potuit assignari primum instans esse gratiæ in illis.

Et anima Virginis si non contraxisset originale ex vnione sua cum corpore, in illo instanti in quo fuit infecta originali, gratiam vt in subiecto potuit primo suscepisse. Sed postquàm contraxit originale, & in illo instanti fuit in ea, non erat in eodem susceptibilis gratiæ, quia sese non compatiuntur vt sint simul in eodem, sed sic solùmmodò sese compatiuntur, vt macula dicta sit in illo instanti in anima, vt in subiecto, & gratia in tempore sequenti, & sic sese compatiuntur, vt sint in eis quæ sunt simul, modo quo 5. Physic. illa dicuntur esse simul, quorum nullum est medium.

Nullum autem medium est inter dictum instans maculæ, & tempus sequens gratiæ. Et hoc quemadmodum cum duæ superficies duorum corporum sese tangentium in illis, sunt simul, & colores existentes in illis superficiebus sunt simul. Propter quod, licèt festum conceptionis virginis siue in semine siue ex semine non sit celebrandum ratione conceptionis, quo ad actum conceptionis vnius, vel alterius, neque quo ad instans conceptionis illius in semine, & quo ad instans Conceptionis ex semine ratione gratiæ sanctificantis, & actus sanctificationis in ordine ad sanctificantem, & vt habet esse ab illo, sit celebrandum, secundùm quod hæc omnia patent (vt mihi videtur) ex supra declaratis, est tamen etiam competenter celebrandum ratione cũceptionis illius ex semine quo ad tempus conceptionis, illud scilicèt quod immediatum est instanti, in quo primo sic concepta est, sic quòd non ante, & hoc quia in illo tempore Virgo Maria Sancta, & sanctificata fuit. Et hoc modo festum Conceptionis ratione conceptionis potius celebrandum est, quàm festum natiuitatis virginis, ratione natiuitatis, ideo videlicèt, quòd in tempore illo virgo non fuit sancta, sed primo sanctificata.

Tempore autem siue instanti suæ natiuitatis ex vtero sancta fuit, sed primo sanctificata, nec creditur aliquam specialem sanctificationem recepisse in sua natiuitate, licèt specialem credatur recepisse in sua annunciatione sibi facta in filij Dei Conceptione ex ipsa.

Non autem sanctitas habita primò, & primò susceptа per sanctificationem simul in aliquo tẽpore potior est ratio celebrandi festum aliquod ratione illius temporis, quàm festum aliud ratione temporis in quo sanctitas est habita simpliciter, non autem primò habita, & primò recepta per sanctificationem.

Quare cum in dicto tempore conceptionis ex semine sanctitas simul, & primò habita à Virgine, & primò susceptа per sanctificationem ab ipsa, in tempore autem seu in instanti suę natiuitatis ex vtero sanctitas prius recepta in ipsa per sanctificationem habita, & conseruata est solùmmodò vt sit sancta nata, non autem in natiuitate sanctificata, propterea dico, quòd licèt

cèt natiuitas virginis ex vtero digne celebranda sit ratione natiuitatis, &c. quo ad actum natiuitatis, & quo ad instans temporis illius natiuitatis, quia in illo sancta nata est, non autem conceptio eius ex semine ratione conceptionis, neque quo ad actum conceptionis, neque quo ad instans conceptionis, ratione alicuius gratiæ vel sanctitatis tunc habitæ, vel receptæ sanctificationis, quia nec sancta, nec in gratia concepta fuit, nec in instanti conceptionis sanctificata secundùm prædicta, conceptio tamen eius ex semine ratione conceptionis huius quo ad tempus conceptionis, potius &c. magis dignè celebranda est, quàm natiuitas eius ratione natiuitatis, siue quo ad instans, siue quo ad tempus natiuitatis.

Et hoc quia in illo tempore non solum sancta fuit, sed primo sancta &c. sanctificata, sed in tempore natiuitatis sancta simpliciter, non tamè primo sancta, aut sanctificata, nec aliqua speciali sanctificatione creditur amplius fuisse sanctificata.

Si tamen ita sit, super quo nihil afferere intendo, quia in solo facto consistit, nec scriptura super hoc aliquid certi exprimit, nec ratio quam videri sufficienti probabilitate hoc conuincit.

Decisio 4. Modo ergò exposito concedo festum conceptionis esse celebrandum ratione conceptionis, &c. alio modo non secundùm quod procedit prima ratio, &c. benè, ratione enim conceptionis, &c. quo ad instans aliquod conceptionis illius, non est conceptio virginis penitus celebranda.

Quia neque secundùm corpus, neque secundùm animam fuit sancta in instanti suæ conceptionis, neque in illo fuit aut sanctificatio, aut gratia in virgine vt in subiecto, secundùm quod probat argumentum & benè.

Est tamen benè celebranda ratione conceptionis, quo ad instans conceptionis ex semine, quia natura etsi non reali existentia in illo simul cum macula originali erant actus sanctificationis & gratia in ordine ad sanctificantem, & vt habuerunt esse ab illo.

Est etiam celebranda digne ratione conceptionis ex semine quo ad tempus illius conceptionis, &c. hoc quia in illo fuit sancta, &c. sanctificata, & concepta Deo, & primò secundùm animā, & mediante anima secundùm corpus, licèt non immediatè, quod benè probat argumentum.

Ad arg. in oppositum. Argumentum in contrarium nititur probare, quòd conceptio Virginis debeat celebrari ea ratione, qua eam iam negauimus fore celebrandā scilicèt ratione conceptionis quo ad instans conceptionis eius ex semine, quia sanctificata fuit ante animæ rationalis infusionem, aut in semine, aut in corpore humano generato ex semine in hora seu instanti conceptionis, acsi secundùm animam nunquàm fuisset in ea peccatum originale. Ad quod dico secundùm prædicta, quod totum hoc falsum est.

Et quòd arguitur contra hoc, quòd fuit concessum Ioanni Baptistæ, quare multò fortius &c. virgini, dico, quòd hoc etiam falsum est. Et quòd arguitur, quòd immò per illam gloss. Lucæ primo.

Nondum ei inerat spiritus vitæ, & inerat spiritus gratiæ, dico, quòd tàm spiritus vitæ, quàm spiritus gratiæ dupliciter dicitur inesse alicui, videlicèt &c. secundùm substantiam, &c. secundùm duplicem actum, ad quem sunt spiritus vitæ & gratiæ, videlicèt ad actum primum, qui est esse naturæ vel gratiæ, & ad actum secundùm, qui est operari opus naturæ vel gratiæ.

Et hoc dupliciter quo ad spiritum vitæ, secundùm quod à spiritu vitæ procedit quidam actus qui est operari organicè opera sensitiuæ & vegetatiuæ particulæ animæ, &c. alius qui est operari non organicè, &c. opera intellectiuæ particulę.

Quod ergò dicitur de Ioanne Baptista sanctificato in vtero matris suæ priusquàm nasceretur ex illa scilicèt tempore quo Mariam salutauit Elisabeth, nondum illi inerat spiritus vitæ, &c. inerat illi spiritus gratiæ, intellige hoc de spiritu vitæ non quo ad substantiam ipsius in se, neque quo ad ipsam in ordine &c. respectu ad actum eius primum, qui est esse, neque quo ad actum eius secundum qui est operari opera vegetatiuæ &c. sensitiuæ, immò his modis inerat ei natura prius spiritus vitæ, quàm spiritus gratiæ. Aliter enim non fuisset verum, quòd Elisabeth respondit Mariæ dicens. Vt audita est vox salutationis tuæ in auribus meis exultauit infans in gaudio in vtero meo.

Non enim exultasset gaudio etiam spiritu gratiæ, nisi vixisset spiritu vitæ. Sed intellige dictum illud de spiritu vitæ quo ad actum eius qui est operari opera intellectus in intelligendo, &c. discernendo aliqua intellectuali notitia, aut aliquid volendo, vel circa aliquid afficiendo secundùm appetitum intellectualem præuia intellectuali notitia, quo ad huiusmodi enim actus nondum inerat ei spiritus vitæ, & tamen inerat ei spiritus gratiæ, cuius instinctu absque notitia naturali præuia mouebatur gaudio cordis, &c. exultatione corporis ad Christi præsentiam in vtero, quasi sperans per eius præsentiam solui à vinculo originalis peccati, vt iam tactum est supra.

Ad secundum in oppositum. Ad secundum, quod erat ad idem per August. in sermone qui erat contra quinque hæreses, vbi opponens allegabat August. dicentem in persona Christi de Virgine Matre eius. *Si potuit coinquinari cum ipsam facerem, & ego potui coinquinari cum ex ea fierem &c.*

Dico

Dico, ꝙ si talis esset litera, vtique opponens suum propositum haberet, videlicèt quòd si Christus non potuit coinquinari, cum in sua cõceptione ex virgine fieret, nec virgo coinquinari potuit cum ipse eam faceret ex semine secundùm corporalem formam, & animæ infusionem, vt nunquàm contraxisset secundùm animam crimen originale, sicut nec Christus.

Sed litera August. non est talis qualem opponens allegauit. August. enim vt in dicta hæresi loquitur in persona filij Dei contra Manichęum, qui filium Dei negabat fuisse verum filium hominis, & veram carnem humanam ex Virgine assumpsisse, quia per illam maculata fuisset assumens diuinitas, sed quòd in cœlis corpus cœleste assumpsit, & per virginem traduxit illud, sic inquiens.

Dico tibi creator hominis filius hominis, quid est quod te mouet in mea natiuitate? non sum libidinis conceptus cupiditate. Ego matrem, de qua nascerer, feci, ego viam meo itineri præpara ui, atque mundaui.

Hanc quam despicis Manichęe, mater mea est, sed manu fabricata est mea, si potui inquinari cum eam facerem, ꝓtui in illa inquinari cum ex ea nascerer. Sicut in transitu meo illius non est corrupta virginitas, sic mea non est ibi maculata maiestas, vnde litera August. non habet in tertia persona.

Si potuit inquinari loquendo de virgine, sed in prima persona, si potui inquinari &c. loquendo de sua propria persona, quasi dicat. Vtrunque istorum est æquè impossibile, immò sicut sine mea inquinatione eam formaui secundùm corpus, & animam, sic sine mea inquinatione quo ad meam diuinitatem potui de illa nasci, & quod amplius est, nascendo de illa corpus assumere, ipsumque assumendo purgare siquid morbidæ dispositionis in ipso fuisset, vnde anima mea originalem maculam contrahere potuisset, vnde sequitur continuè vbi August. loquitur in sua persona.

Si solis radius cloacarum sordes siccare nouit, eis inquinari non nouit, multò magis splendor lucis ęternæ, & à quo nihil inquinamenti incurrit, quocunque radiauerit mundare potest, ipse pollui non potest.

Intellige quòd similiter nec pollui potest, seu pollutum manere assumptum ab eo. Ipsa tamen mater eius benè inquiuari poterat cum eam fecit, non ex opere suo tunc, sed ex pollutione, quàm in semine suo parentes sui effuderunt.

Comment. in Quæstionem XIII. quæ est,

Vtrum Conceptio Gloriosæ Virginis Mariæ sit celebranda ratione Conceptionis.

IN titulo not. quòd quæstio sub ratione aliqua semper præsupponit eandem simpliciter, vt ideò hæc quæstio sub hac forma præsupponit quæstionem sub alia. Videlicèt vtrum absolutè conceptio Virginis sit celebranda. Verum est autem, quòd ex resolutione huius apertè sequitur & resolutio alterius.


Amplius sciendum, quòd ad responsionem negatiuam quæstioni sequitur, quòd Gloriosa Virgo sit concepta in peccato originali, quemadmodum sentit D. Thomas.

Ad responsionem verò affirmatiuam sequitur oppositum, sicut sentit Scotus, ad vtranque autem responsionem vtrunque sequitur, quam vtique sententiam tenet Auctor noster.

In corpore igitur, duo præsertim habet, primum quidem habita diuisione de conceptione, atque habitis deinde quibusdam subdiuisionibus, quinque conclusionibus videtur quæsito satisfacere.

Secundò quibusdam obiectionibus respondet Auctor, quod vtique secundum intactum libenter relinquemus, quando fasi notum lectori diligenti videatur.

De primo igitur, Auctoris sententiam ad hanc formam facilioris intelligentiæ gratia reducamus.



Hoc pacto credimus solutam quæstionem huiusmodi ex mente Doctoris nostri, tenemur tamen pro clariori euidentia, quasi ad principium redeuntes conclusiones ipsas considerare cum membris, ex quibus deducuntur.

Prima igitur conclusio, quæ intelligitur de conceptione, qua concepta est Deo, patet, quia talis conceptio sancta est.

Not. autem, quòd concipi Deo, est à Deo sanctificari, & omne sanctificatum potest esse ratio, qua subiectum sanctificationis celebretur. Et quidem circa hanc conclusionem nulla est difficultas, nisi quòd præsupponit sanctificationem, & B. Virginem sanctificatam esse, quod tamen nemo debet abhorrere, si quidem nulla conceptio celebranda est nisi ratione alicuius sanctitatis. Sed tunc est aucta difficultas de momento huius sanctificationis, quod in alijs conclusionibus considerandum est.

Secunda itaque conclusio intelligitur ita, vt præsupponatur membrum vnde nascitur, ita quod si illud non potest consistere, vtique nec conclusio affirmatiua subsequi potest. Vt ergò intelligas, scito, quòd membrum illud accipitur in eodem instanti indiuisibili prorsus, ita quòd intelligatur vtrunque in eodem pœnitus signo instantis, & tunc dicitur, quod stare non potest, & hoc probatur. Impossibile est duo contradictoria esse simul in eodem signo instantis, sed sanctificatio, atque conceptio sunt duo contradictoria, igitur stare non possunt in eodem signo instantis. Maior nota est. Pro minori verò not. quod vbi præsupposita sunt contradictoria, etiam præsupponentia sunt huiusmodi, nunc autem conceptio, qua concepta est mundo, præsupponit originalem culpam: sanctificatio autem præsupponit gratiam, culpa autem & gratia sunt contradictoria, quia culpa est non gratia, & gratia est non culpa, igitur in eodem instanti signo consistere nequeunt: cum ergo membrum illud stare non possit, sequitur, quòd nec sub ratione conceptionis conceptio celebrari possit. Nam necesse est intelligere, quòd conceptio dicat culpam originalem, quæ nō potest facere dignam conceptionem, vt mereretur celebrari. Iam vero cum membrum illud, vnde nascitur tertia conclusio consistere possit, vtique & conclusio illa subsequi valet.

Consistit autem, quia intelligitur diuersitas signi in eodem instanti, vt tametsi in eodem instanti intelligatur concepta, & sanctificata, hoc est, concepta mundo, & sanctificata Deo, seu concepta Deo, non intelligitur tamen in eodem instantis momento, vel signo, sed vtique in primo signo mundana conceptio accipitur, in secundo Deifica, vt distinctio sit secundum præcedentiam non temporalem, sed naturalem: natura enim immunditia præcedit munditiam, quod nanque mundatum est præsupponitur aliquando naturaliter non mundatum.

Sic itaque pro instanti quidem intelligitur conclusio, non tamen pro signo. Nempè potest celebrari habito respectu ad instans suæ conceptionis, quia in eodem sit sanctificata, sed non habito respectu ad signum natura prius.

Quarta conclusio etiam patet, considerando membrum illud vnde nascitur: si enim in alio instanti sanctificata est, quod præsupponit prius instans, in quo concepta est, vtique ratione prioris instantis non est celebranda, cuius ratio est, quòd nihil potest esse ratio celebrationis alicuius, nisi sanctitas, sed pro instanti conceptionis non præsumitur sancta, quia non dum sanctificata, igitur

Quinta conclusio est manifestissima. Nam commixtio seminum ex se fuit vitiosa, & cum vitio originali. Et ex his colligitur tùm absoluta resolutio, cùm etiam quæ nam sit resolutio sub ratione conceptionis.

Sed quid secundum Auctorem tenendum est de ipsa conceptione? Neque enim expositis conclusionibus colligitur an dicendum sit apertè, quod sit concepta in originali, vel non, & si concepta, quando sanctificata.

Sciendum tamen quòd mens Doctoris est, quòd sit concepta in originali, & deinde in vtero sanctificata. Quæ vtique sententia colligitur apertè ex secunda conclusione superius posita. De tempore autem sanctificationis eius, quæ fuerit sua mens tangit aliqualiter in tertia conclusione. Eltque quòd in eodem quidem instanti fuerit concepta, & sanctificata, sed non in eodem signo instantis, per ea, quæ dicta sunt. Non expectet autem hic diligens lector, vt longam texere velimus disputationem circa hoc negotium, quando res pluries acta sit, vt ob id, & determinationē Sixti IIII. Pont. Max. melius sit tacere, quàm loqui. Et quidem non solus inter celebres est Henricus huius opinionis, sed innumeri propè, quos enumerant Soncinas. & ante ipsum Capreolus, 3. Sent. dist. 3. q. 1. Et Guilerm. de Gannaco in tractatu de vera innocentia matris. Sufficiat igitur nobis hoc lumen dedisse studiosis, quo facilius possint Doctoris quęstionem, & mentem agnoscere: & hæc quidem quantùm ipsa patitur brevitas; prolixius enim se gerit Auctor, tametsi forte non multòm obscurius.

QVÆSTIO

QVAESTIO XIIII.

Vtrum Indulgentiæ Prælatorum tantùm valeant, quantùm sonant.

Arg. primo. CIRCA Secundum arguitur, ꝙ Indulgentiæ à Prælatis Ecclesię concessæ fidelibus tantùm valent eis, quantùm sonant, sic, cũ duo aliqua se habent, sicut principale & accessorium, illud quod attingit principale attingit & accessorium. Corpus Christi verum quod assumpsit de virgine, & meritum passionis suæ in illo se habent, sicut principale & accessorium, quia nõ erat meritum passionis, nisi ratione innocentiæ corporis, & immunitatis à contagio originalis. Vnde ratione innocentiæ dictus est Agnus Dei, & ratione meriti tollere peccata mundi, dicente Ioanne Baptista Ioan primo. Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Prælati autem Ecclesiæ attingunt principale, putà corpus Christi, in sacramento ex commissione Christi, sic vt possit ipsum liberè, & plenè dispensare, quando volunt, quibus volunt, & quantùm volunt: Prælati ergò Ecclesiæ attingunt, & accessorium, putà meritum Christi ex commissione Christi, sic vt possint ipsis fidelibus liberè, & plenè dispensare, quando voluut, quibus volunt, & quantum volunt ex eadem commissione. Hoc autem non esset nisi tantùm valerent, quantùm sonant, quia ista dispensatio non fit nisi ex concessione Indulgentiarum, quia non fiunt nisi de thesauro meriti passionis Christi, & membrorum suorum fidelibus, qui meruerunt non sibi, sed nobis pœnæ remissionem, & voluntatem suã super quantitate Indulgentiarum exprimũt Prælati Ecclesiæ per sonum verborum, quibus eas cõferunt: valent ergò tantùm, quantùm sonant.

In oppos. Contrà. Deus nõ acceptat factum dispensationis Prælatorum Ecclesiæ, nisi secundùm iustitiã, quia non placet ei nisi iustum, & nihil acceptat nisi iuxta suam complacentiam, sed non est iustitia indulgentiam æque valere inæqualiter dispositis secundùm dignitatem & meritum, putà magis & minus meritis, seu dignius: ergò Deus non acceptat factum dispẽsationis Prælatorum Ecclesiæ, quo dispensant Indulgentiam æqualiter valere his, & illis. Si autem non acceptat illam tantùm valere his, & illis, non tantùm valent, quantùm sonant, quia sic sonant, acsi æqualiter valerẽt omnibus, & his & illis, putà cum dicit Prælatus Ecclesię, omnibus visitantibus talem, vel talem locum, concedimus singulis diebus quadraginta, aut centum dies Indulgentiarum, aut aliquid talium: ergò &c.

Resolut q. Quæstionem istam de Indulgentijs, quantùm valent, præcedunt aliæ duæ, scilicèt an valeant, & quid valeant, & ante omnes has prima est quęstio de Indulgentia quid sit, & sic in ista materia oportet videre ante omnia descriptionem Indulgẽtiæ talem, vt ex membrorum eius declaratione patere possit veritas eorum, quæ circa illam sentienda sunt, & si qua sunt dubia, & contraria omnia soluantur.

Indulgentiæ quid sit. Est autem Indulgentia remissio pœnæ temporalis debitæ peccatis actualibus pœnitentium. Temporalis dico non remissæ in absolutione sacramantali facta à Prælato Ecclesiæ rationabiliter, & ex causa per recompẽsationem de pœna indebita iustorum. Et in hac descriptione ponitur remissio loco generis: est n. oĩs Indulgentia remissio, sed non è conuesò: vnde reliqua membra descriptionis sunt loco differentiæ, quia indulgentia, de qua ad præsens loquimur, non est remissio nisi pœnæ, & hoc ad differentiam remissionis culpæ, seu peccati, pro quo deberet solui pœna, quod nequaquàm remitti potest à Prælato Ecclesiæ, nisi mediante sacramento Ecclesiæ ad hoc à Christo instituto, sed immediatè solo verbo, aut voluntate à solo Deo, & ita à Christo inquantùm Deus est.

Est etiam Indulgentia remissio pœnæ, sednon nisi temporalis; & hoc ad differentiam pœnæ æternalis, super quam Prelati Ecclesiæ non habẽt potestatem nisi commutãdi eam in temporalem mediante sacramento pœnitentiæ cum remissione peccatorum. Est etiam Indulgentia remissio pœnæ temporalis, sed non nisi debitæ, & hoc ad differentiam indebitæ pœnæ, qualem sustinuerũt multi martyres, quæ non est remissionis Indulgẽtialis materia, sed causa meritoriã, vt declarabitur in vltima differentia posita in descriptione.

Et non est remissio pœnæ temporalis debitæ nisi peccatis, & hoc ad differentiam pœnæ, qua Deus punit aliquos non ex culpa, quæ etiam non est materia Indulgentiæ.

Non est etiam Indulgentia remissio pœnæ tẽporalis debitę peccatis nisi actualibus, & hoc ad differentiam pœnæ debitæ peccatis originalibus, quæ non remittuntur nisi cum peccato in baptismo, aut immediatè à Deo.

Non est etiam remissio pœnę temporalis debitæ peccatis actualibus nisi pœnitentium, & hoc ad differentiã pœnæ æternalis debitæ peccatis actualibus non pœnitentium, quæ quandoque hic incipit temporaliter, & in tartaro completur æternaliter, & est oĩnò irremisibilis à Prælato Ecclesiæ. Est etiam Indulgentia remissio pœnæ temporalis, sed non nisi non remissæ verè pœnitentibus in absolutione sacramentali, & hoc ad differentiam

etiam pœnæ debitæ temporalis remissæ illis in absolutione sacramentali per sacerdotem, in quâ aboletur, siue remittitur peccati macula, & commutatur pœna æterna peccatis debita in temporalem, & illius temporalis pœnę pars per absolutionem sacramentalē factam à sacerdote remittitur, & hoc virtute clauis sacramentalis potestatis. Cuius etiam pœnæ temporalis pars remittitur per meritum contritionis ipsius pœnitentis; & fortè tota, tanta posset esse contritio.

Quòd si non tota per sacramētalem absolutionem, & per sacramentalem contritionem remittatur, ipse absolutus deleta macula culpæ debitor manet pœnę residuæ soluendæ, cuius quantitas, & quo ad acerbitatem, & quo ad durationem in tempore in vnoquoque iusto pœnitente apud diuinam iustitiā definita, & determinata est, & Deo eam soluere tenetur pœnitens vno trium modorum, scilicet redemptione, luitione, aut indulgentiæ remissione.

Redemptione scilicet eleemosynarum elargitione, secundum illud Dan. 10. Peccata tua eleemosynis redime. Luitione scilicet pœnas illas in propria persona sustinendo, secundùm illud Iob 20. Luet quæcunque feceric. Ista autem solutio, quæ fit luitione, dupliciter habet fieri, secundùm duplex forum, quorum vnum est hominis pœnitentis, aliud vero Dei.

Est autem forum hominis pœnitentis in præsenti vita, in quo soluit satisfaciendo per pœnā voluntariè assumptam, absque eo, quòd à sacerdote sacramentaliter iniungatur, aut in contritione sacramentali soluatur. Est verò forum Dei in purgatorio, in quo soluit satisfaciendo per pœnam à Deo inflictam. Et se habent pœnæ soluendæ in isto duplici foro, & soluendæ, seu solutę per sacramentalem contritionem, aut per sacramentalem sacerdotis iniunctionem, quæ potest dici solutio pœnæ in foro Christi hominis, per ordinē in precio, quia pœna in foro Christi soluta diuina reputatione chara est, & preciosa valdè, quia sacramentalis: minus autem est chara, & preciosa illa, quæ soluitur in foro pœnitentis: vilis autem & minimè chara, seu preciosa est illa, quę soluitur in foro Dei, quia in istis tribus foris pœnis inæqualibus non soluitur nisi æquale debitum. Vnde si quis non soluerit totam pœnam temporalem, cuius debitor est pro peccatis suis, in sacramentali contritione, aut sacramentali iniunctione à sacerdote, si vult pro pœna satisfactoria vnius diei in foro Christi satisfacere pœna vnius diei in foro pœnitentis, acerbitas pœnæ diei illius erit maior.

Si etiam aliquis non soluit totam pœnam prædictam temporalem, cuius est debitor, nec in foro Christi, nec in foro pœnitentis, si oporteat illum pro pœna satisfactoria vnius diei in foro Christi, aut in foro pœnitentis, satisfacere pœna vnius diei in foro Dei, acerbitas pœnæ vnius diei satisfactoriæ in foro Dei erit multò maior.

Remissio pœnæ vnde fiat.

De solutione autem pœnę debitę per Indulgentiæ remissionē est quæstio proposita, quæ remissio non fit ab homine nisi per potestatem sup hoc illi à Deo commissam; propter quod additur in descriptione Indulgentiæ A Prælatis Ecclesię facta: illis enim solis super hoc commissa est auctoritas, siue potestas, & hoc quando Christus, Matth. 18. vni dixit pro omnibus, & omnibus in vno: Quodcunque solueris super terram erit solutum & in cœlis.

Et super isto articulo posito in descriptione Indulgentiæ prædicta mota est quęstio proposita an Indulgentię Prelatorū tantùm valeant, quantùm sonant, & tangit potestatē ipsorum in conferendis Indulgentijs an possint ipsas pro libito voluntatis conferre, quando volunt, quibus volunt, & quantum volunt, prout tangitur in primo argumento.

Donatio.

Ad cuius intellectū, quantùm pertinet ad propositum, est aduertendum, quòd ista tria, scilicet donatio, redditio, & dispensatio, differunt inter se, quia donatio respicit solùm voluntarium in donante, qualiscunque fuerit accipiens.

Redditio.

Redditio autem respicit debitum in dante, & meritum in recipiente.

Dispensatio.

Dispensatio verò respicit voluntarium in dispensatione, & dignum in eo, cui dispensatur. Quia aūt donatio respicit solùm modò volūtariū in donante, ppter ea solùm ille, qui plenā, & liberam habet potestatem super rem conferendam, potest eam donare, hoc est dare, absque culpa sua, & omni iniuria alterius quibuscunque indifferenter dignis & indignis, benè meritis & malè meritis, modo quo Deus Solem suum facit oriri super bonos & malos, & pluit super iustos, & iniustos, vt dicitur Matth. 5. Si igitur Prelati talem haberent potestatem super Indulgentijs conferēdis, tunc certum esset penitus, quòd tantùm valerent, quantùm sonarent, quia tantas conferrent cuique, quantas valent, & sic tantùm cuique valerent, quantùm vellent, etiam si non subesset rationabilis causa conferendi Indulgentias tales. Sed quòd talem potestatem Christus concesserit Prelatis Ecclesię super collationem bonorum Ecclesiæ, siue temporalium, siue spiritualium, vt scilicèt absque rationabili causa, absque culpa eorum conferre possint illa pro volūtate eorum maximè malè meritis, & indignis, non est verisimile, quia hoc vergeret non in Ecclesia ędificationem, sed potius in eius destructionem, & esset contrarium illi, quod Apostolus instruendo Corinthios super potestate Prelatorum Ecclesiæ sibi, & alijs à Deo concessæ, dicit 2. Corinth. 10. Quam dedit Dominus in ædificationem, & non in destructionem vestram, vbi dicit gloss. id est, vt vos ædificemus in virtutibus, nō vt praua doctri-

na

na; vel exemplo eorum pamus. Vnde sicut Prælati non habent potestatem eorum pendi impunè, & absque peccato suo subditos praua doctrina, secundùm illud 2. Corinth. 13. Non possumus aliquid aduersus veritatem, sed pro veritate, sic non habent potestatem eorum pendi illos impunè, & absquè peccato, prauo exemplo operis, quale esset praua administratio bonorum spiritualium, & tẽporalium Ecclesiæ Vnde super illud 1. Corint. 3. Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei gloss. Nam & vita & mors Doctorum ad ædificationem subditorum esse debent: hoc ideò dicit Apostolus, vt sicut hæc vestro iudicio concessa sunt, & subiecta, ita & nos Christo subijciamur. Christus autem Dei Patris proprius est filius faciens eius voluntatem, vt & nos faciamus ipsius.

Nunc autem voluntas Christi non est nisi bona administratio bonorum Ecclesiæ, quàm facere habet in persona Christi Prælatus Ecclesiæ, & facere eam debet pro posse suo, sicut Christus eam faceret si præsens esset, vt iam inferius dicetur. Quia verò redditio respicit debitum in dante, & meritum in recipiente, propter quod ipsi quicquã conferendum est: meritum dico vel ipso acquisito in opere præterito, de quo nihil ad præsens, vel acquirendo in opere futuro, atque promisso, qd valet ad propositum, eò quòd Indulgentiæ non conceduntur, nec concedi debent nisi pro aliquo pio opere exercendo: aliter enim pro mera voluntate conferentis conferrentur, cõtra iam declarata. Dicunt igitur aliqui, quòd Indulgentiarum concessio est quædam præmij redditio pro bono opere exercendo, & pollicito, et quod Indulgentiæ non valent quantùm sonant, nisi habito respectu ad meritum operis secundùm æqualitatẽ meriti in opere, & præmij in Indulgentiarum retributione: vt ideò non plus valeant Indulgentiæ, q̃ vir bonus secundùm rectam regulam iustitiæ iudicare deberet eas valere, & hoc habito respectu ad meritum cuiusque cui dantur, & valorem ad executionem operis pro quo dantur.

Et sic compensatis Indulgentijs vniuscuiusq; secundùm meritum suum & valorem, vt secundùm hoc aliquis Indulgentias consequatur in toto, & ei simpliciter valeant quantùm sonant, & aliquis in parte, sed secundùm plus & minus, secundùm quod plus, & minus meretur in opere, & perficit ad operis executionem, & ei non valeant quantùm sonant, nisi proportionaliter operi, non possunt ei tantùm valere simpliciter quãtùm sonãt, quia vt dicunt, aliter absque rationabili causa viderentur fieri, quia scilicet ipsis Indulgentijs non fieret debita recompensatio in opere. Et sic dicunt, quòd illis solis tantùm valent quantùm sonant, qui tanta fide, deuotione, & opere ad Indulgentias promerendas se exhibuerunt, quanti precij, vel valoris sunt ipsæ Indulgentiæ, & quòd Ecclesia quadam pia fraude prædicat illas cunctis valere plusquam valeant multis, vt sic illos saltem ad aliquid de Indulgentijs alliciat. Sed hoc vltimum dictum, scilicet Ecclesiam vti quocunque mendacio, pernicioſum est valdè, sicut hoc esset pernicioſum dicere de Sacra Scriptura non enim minor est auctoritas Ecclesiæ in agibilibus, quàm scripturæ in credibilibus.

Vnde simile dicẽdum est de auctoritate Ecclesiæ illi, quod de auctoritate scripturæ dicit Aug. in prima Epistola ad Hiero. Admisso semel in tãtùm auctoritatis fastigium officioso aliquo mendacio, nulla illorum librorum particula manebit quæ non vtique videbitur, vel ad mores difficilis, vel ad fidem incredibilis.

Sed quòd Indulgentiæ aliquæ diuersis diuersimodè possint valere secundùm diuersitatem meritorum, certè benè posset esse ita in Indulgentijs collatis in opere determinato secundùm quantitatem à Prælato, putà quòd centum dies Indulgentiarum haberet, quicunque ad fabricam alicuius Ecclesiæ piam conferret eleemosynam, & Prælatus intenderet, & maximè si exprimeret verbis, quòd ille, qui conferret secundùm facultatem haberet illas Indulgentias in totum, qui verò offerret citra facultatem suam, haberet illas non in totum sed partem illarum, & hoc maiorem, vel minorem, secundùm quod plus, vel minus attingeret datum secundùm vires facultatum suarum. Etiã benè posset ita esse in opere determinato secundùm quantitatem ad percipiendam totam Indulgentiam, maximè si Prælatus exprimeret casus, in quibus vellet & intẽderet, quod totas perciperet, & in quibus vellet, & intenderet quòd nõ nisi partem secundùm exigentiã impensi operis, secũdùm quod exprimit Nicolaus Papa III I, in quibusdã literis suis generalibus, per quas ad subuentionem Terræ Sanctæ post subuersionem nouissimam ciuitatis Accongn. vniuersos christicolas exhortatur, quæ sic incipit, Illuminet Dominus super nos vultum suum. In illis enim literis exprimit tres casus triũm operum, pro quibus obtinentur plenæ Indulgentiæ, quas exprimit, & determinat, sic inquiens Vt eiusdem terræ negotium eo libentius, eo que feruentius prosequi studeatis, quo potiorem fructum ex vestris laboribus noueritis percepturos, nos de omnipotentis diuina misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, & illa, quã nobis licèt indignis Deus ipse ligandi atque soluendi contulit potestatem, omnibus, qui vexilli dominici charactere insigniti personaliter proprijs sumptibus in prædictæ Terræ Sanctæ subsidium proficiſci curauerint, plenam suorum peccaminũ, de quibus veraciter fuerint corde contriti, & ore confessi, veniam indulgemus, & in retributione iustorum salutis æternæ pollicemur augmentum. Ecce primus casus, & sequitur continuò secũdus,

&

& tertius. Eis autem, qui licèt in alienis expensis, in proprijs tamen illuc personis accesserint, & illis similiter, qui iuxta qualitatem, & facultatem suam personas idoneas in expẽsis proprijs destinabunt quàmuis personaliter ipsi non vadant, plenam suorum concedimus veniam peccatorum. Intellige quo ad reatum pœnæ debitæ peccatis, non autem quo ad maculam.

Illa enim nõ est materia Indulgentiæ nec peccata ratione illius, vt habitum est supra. Continuò autem exprimit alios quatuor casus quatuor operum, pro quibus obtinentur partialiter dictæ Indulgentiæ, sic inquiens.

Huiusmodi quoque remissionis Indulgentiæ volumus & concedimus esse particeps iuxta quantitatem subsidij, & deuotionis affectum eos, qui licèt nõ iuxta qualitatem, & facultatem suam aliquam tamen, seu aliquas personas in subsidium dictæ terræ proprijs sumptibus destinabunt.

Ecce primus casus, & sequuntur continuò secundus, & tertius, & quartus. Vel de suis bonis temporalibus cõtribuent ad aliquas destinandũ, nec non omnes, qui ad subuentionẽ ipsius terræ de bonis eisdem aliqua ministrabunt, prout singularis diuina fuerit inspiratione suggestũ, aut alias ad promotionem præsentis negotij consilium, & auxilium impenderint opportunum.

In literis autem suis executorijs super signi crucis prædicatione exercenda, quæ sic incipiunt. Terræ Sanctę miserabilem statum: exprimit idẽ Papa duos alios casus, in quibus partialiter obtinentur dictæ Indulgentiæ, quintum videlicet, cũ aliqui in prædictis tribus casibus, in quibus plena obtinetur Indulgentia, signum crucis susceptæ de consilio Ecclesiæ redemerunt, sic inquiens, Qui crucem susceperint in prędictæ Terręsubsidium, vel personaliter in proprijs, aut alienis expensis accedere, vel iuxta qualitatem, & facultatem suam bellatores, seu alias personas idoneas destinare, vel saltem si ex causis legitimis Ecclesiæ opportunum fore videbitur susceptæ crucis ad arbitrium Apostolicæ sedis, seu eorum, qui ad hoc fuerint deputati per ipsam de facultatibus suis redimere tenebuntur.

Hos autem qui taliter huiusmodi vorum redemerint remissionis, & Indulgentiæ, quæ transfretantibus in subsidium antedictum conceditur, volumus & concedimus esse participes iuxta quantitatem subsidij, qd impendent, & eius, qua hoc facient deuotionis affectum. Sextum, videlicèt in illis prædicatoribus, qui negotium crucis populo proponent, sic inquiens: Porrò, quia dignus est operarius mercede sua, in hoc diuino fideliter laborantibus operæ præter mercedem æternam, quàm meritò sperare potestis, quotiens studueritis populis ad hoc specialiter conuocatis proponere verbum crucis, centum dierum Indulgentias elargimur, ac Indulgentię memoratę, quę transfretãtibus in subsidium supradictum conceditur iuxta laboris mensuram volumus participatione gaudere. Et est aduertendum, q plena Indulgentia in solis illis casibus obtinetur, in quibus expressè conceditur: in alijs autem nequaquã nec etiam plus, quàm cõceditur, secundùm quod idem in eadem litera executoria dicit sic, Cũ omnibus autẽ Christi fidelibus, qui eidem Terræ succursum impenderint opportunum, vnicuique secundùm proprium meritum Indulgentiam salutarem, ac maximè illis, qui cruce susceptа in ipsius Terræ subsidium, vel personaliter ibunt, vel personas idoneas iuxta qualitatem, & facultatem suam destinabunt in proprijs sumptibus, multiplicium gratiarum beneficia concedamus, sicut in alijs literis nostris prælibatis seriosius continetur, earundem literarum tenorem volumus populis Christianis frequenter, & diligenter exponi, ita prouidè, quòd & beneficia supradicta, quę ipsis in terra concedimus, & copiosam mercedẽ, quæ ipsis præparatur in cœlo, cognoscere valeant, & amare, nec tamen ex verbis nostris concipiãt se, aut plenam in casibus, in quibus nequaquàm conceditur, aut maiorem quàm concedatur Indulgentiam promereri.

Est autem hic aduertendum, quòd licèt Dominus Papa solùm sex exprimat casus, qui pertinent ad materiam, de qua scribit, in quibus non participatur tota Indulgentia, sed percipit eam quisque partialiter, & proportionaliter secundùm laborem suum in opere, & secundùm deuotionem suam in mente: possunt tamen esse quamplurimi alij in diuersis materijs. Licèt etiam in talibus casibus Indulgentiæ non valent, nisi habito respectu ad meritum, & deuotionẽ personæ, siue iuxta quantitatem subsidij, & deuotionis affectum, prout vir bonus secundùm rectam regulam iustitiæ iudicare deberet: non tamen verum est dicere Prælatos Ecclesiæ non habere ampliorem potestatem super Indulgentijs conferendis, vt valeãt, nisi habito respectu, vt non possint plus valere, quàm requirunt meritum operis, & deuotio mentis, seu affectus, nec aliter tantùm valere, quantum sonant, nec vniuersaliter possint plus concedere in Indulgentijs, quàm Ecclesia esset recepturа in seruitijs.

Si enim ita esset, tunc Indulgentiæ non darentur nisi ex debito, secundùm æquitatem iustitiæ commutatiuæ, non autem secundùm aliquam gratiam, & sic Indulgentia nomen Indulgẽtiæ amitteret, quia proueniret ex puro debito, & nõ ex gratia, quia secundùm Apostolum Rom. 4. ei, qui operatur, merces non imputatur secundũ gratiam, sed secundùm debitum: ei verò, qui nõ operatur, reputabitur secundum propositum gratiæ Dei; nomen enim Indulgentiæ implicat gratiam, & ex hoc solo Indulgentia dicitur Indulgentia, q conceditur de gratia, sicut nomen debiti excludit

gratiam.

gratiam, & includit meritum, à quo debitum habet rationem debiti, cui redditur merces, secundùm illud Apostoli. 1. Corinth. 3. Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundùm suum laborem, alius plus, alius verò minus, quia vt dicit 2. Corinth. 9. Qui parcè seminat, parcè & metet.

Et sic etiam Prelati diuersis personis secùdùm inæqualitatem operis & subsidij, atque deuotionis affectum non possent indulgentias æquales concedere, quod falsum est.

Nam in prædictis tribus casibus, Dominus Papa concedit æqualem indulgentiam scilicet omnium peccatorum & remissionem, & tamen opus, & subsidium in illis est inæquale. Plus enim est transfretare in propria persona, & in proprijs expensis, minus verò est transfretare in propria persona, & in alienis expensis. Minimum autem non transfretare in propria persona, sed in proprijs expensis mittere alium, etiam æquali existente deuotionis affectu, qui etiam potest esse maior in minori opere, potest etiam contingere, quòd pauciora peccata ei indulgentur, quàm alijs, quia fortè pauciora commisit.

Nota. Sic ergò dico, quòd concessio indulgentiarum mensuranda non est ex voluntate conferentis illas, vt tantùm valeant quantùm velit eas valere, tantas conferendo quantas conferre voluerit, & sic dicendo. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas, hoc enim est contra rationem.

Neque similiter mensuranda est ex conditione personæ cui conceduntur, neque etiam ex aliquibus circa ipsam, quæ debitum inducunt ad conferendum illas, quasi reddant personam dignam, aut condignam ad recipiendum illas ex puro debito. Hoc enim est præter rationem, quia est contra naturam indulgentiæ. Et primum dictum vt videtur, nimis extendit prelatorum potestatem in conferendis indulgentijs. Secundum verò illam nimis attenuat. Et sic dico, quòd nec cõferuntur donatione nec redditione, sed dispensatione, quæ mediam viam tenet. Vnde quia dispensatio respicit voluntatem in dispensante, & dignum congruitatis in eo cui fit dispensatio, aliter enim non esset dispensatio, sed dissipatio, secundùm quòd aliàs in quæstionib. de Quolibet declaraui, circa dispensationem super alijs, concessio igitur in indulgẽtiarum dispensatione partim mensuratur secundùm voluntatem conferentis illas, partim verò secundùm meritum, & debitum operis illius cui dispensantur, vt nec fiat concessio indulgentiarum abundans nimium, nec nimis diminuta, sed secundùm regulam rectæ rationis.

Propter quod antepenultima conditio, siue differentia in descriptione indulgentiæ est, quòd remissio in ipsa fiat rationabiliter, & sic Prælatus concedens indulgentias, in conferendo eas non debet se reputare donatorem illarum nec retributorem, sed dispensatorem, dicente Apostolo 1. Corinth. 3. Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, vbi dicit gloss. Deus auctor nos coadiutores sumus, nec nimis, nec minus de nobis arbitremur.

Et super illud quod continuè sequitur in Epistola. Et dispensatores ministeriorum Dei, dicit Gloss. Quia secundùm modum cuiusque ministeria diuidimus. Aliter non esset bonus dispensator. Propter quod Apostolus distinguens inter dispensatores, ibi continuè subdit dicens.

Dispensatio indulgentiarum.

Hic autem quæritur inter dispensatores vt fidelis quis inueniatur. Glossa. Cui possit credi si benè dispenset, vbi præmittit Glossa dicens. Sciendum quòd non solùm boni, sed & mali dispensatores sunt.

Vt autem recta ratione dispensentur indulgentiæ à Prælato, nec maiores, nec minores quàm congruat, conferantur, sciendum quòd Prælatus in conferendo illas, vt valere, & tantùm valere possint, quantùm sonant, ad duo debet aspicere, & secundùm illa quantitatem illarum mensurare, & voluntatem suam informare.

Quorum primum est, vt sit vrgens necessitas conferendi illas, & hoc ex parte causæ propter quam sunt conferendæ. Secundùm verò est, vt sit euidens vtilitas, si conferantur, & hoc ex parte illorum quibus sunt conferendæ. In quibus duobus saluatur intentio illorum, qui thesaurum ecclesiæ spiritualem, de quo distribuuntur indulgentię accumulauerunt, putà sanctorum perfectorum, qui ad honorem Dei, & Ecclesiæ vtilitatem opera satisfactoria pro peccatis in angustijs, tribulationibus ieiunijs, eleemosynis, & cæteris operibus misericordiæ, atque martyrijs super quantitate pœnarũm eis debitarum pro suis peccatis erogauerũt, qui vt legitur Heb. 11. per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, alij autem distenti sunt, alij verò ludibria, & verbera experti sunt, insuper & vincula, & carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione mortui sunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ.

De supererogatiua enim perpessione pœnarum indebitarum ad honorem Dei, & profectum vniuersalis Ecclesiæ istorum, vt membrorum ipsius Ecclesiæ, & præcipuè Christi, vt capitis eiusdem, qui nullius peccati reus aut debitor existens omnia prospera mundi contempsit, & aduersa sustinuit, quæ contrario modo appetendo aut fugiendo omnia peccata committuntur (dicente August. de vera religione.

Nullum peccatum committi potest, nisi dum appetantur ea quæ ille contempsit, aut fugiantur quæ ille sustinuit) thesaurus Ecclesiæ, de cuius distributione indulgentiæ fieri possunt, collectus est. Primum ergò ad quod Prælatus debet aspicere in cõferendo indulgentias, est vrgens necessitas conferendi eas, quæ pertinet ad causam finalem propter quam conferendæ sunt indulgentiæ, quæ debet mouere Prælatum ad indulgentias cõferẽdas, quæ quidem causa finalis est honor Dei, & profectus Ecclesiæ, qui sperantur consequi ex opere pro quo faciendo conferuntur indulgẽtiæ, propter quod penultima conditio in descriptione indulgentiæ apposita est quòd remissio in indulgentia debet fieri ex rationabili causa.

Secũdum autem, ad quod Prælatus debet aspicere in conferendo indulgentias, est euidens vtilitas in conferendo eas, quæ pertinet ad causam materialem, cui dispensandæ sunt indulgentiæ, quæ sunt personæ illæ, quibus conferendæ sunt indulgentiæ.

In quibus Prælatus considerare debet prius quã conferat eis indulgentias, vt sint congruæ & idoneæ ad exequendum opus pro quo indulgentiæ conferuntur, & etiam vt ipsum opus sit tale per quod honor Dei, & profectus Ecclesiæ proueniant, ad quod exequendum, non nisi idoneis indulgentiæ sunt conferendæ, dicente Domino Nicolao Papa in litera executoria prædicta.

Huiusmodi ministerium solerter, & efficaciter exequi studeatis omnes fidei orthodoxæ cultores ad tam pij negotij persecutionem per idoneos prædicationibus crebris ac sedulis exhortando.

Vnde si aliquæ indulgentiæ essent specialiter dispensandę pro opere manualis conflictus, solùmmodò idoneis ad bellandum deberent dispẽsari, sicut & soli idonei ad bellandum deberent eligi, & cęteris denegari, sicut à manuali conflictu deberent repelli, dicente Végetio lib. de arte militari primo capit. 8. Hoc est in quo totius reipublicę salus versatur, vt tyrones non tantùm corporibus, sed & animis præstantissimi deligantur.

Iuuentus enim cui defensio prouinciarum, cui bellorum committenda est fortuna, & genere si copia suppetat, & moribus debet excellere.

Honestas enim idoneum militem reddit, & verecundia dum prohibet fugere, facit esse victorẽ. Quid enim prodest si exerceatur ignauus? si pluribus stipendijs moretur in castris? nunquã exercitus proficit tempore cuius in probandis tyronibus claudicauit electio.

A magnis ergò viris magna diligẽtia idoneos eligi conuenit. Sed tamen qualescunque sint illi, quibus indulgentiæ sunt conferendę, & etiam qualecunque, & quantuncunque sit magnũ opus pro quo sunt conferendę, non sunt congrui seu idonei ad illud opus exequendum, vt pro illo indulgentias mereantur percipere, nisi sint fidei & charitatis deuotione inflammati, quàm illis à quibus thesaurus Ecclesię, vnde indulgentiæ conferuntur, collectus est, sunt coniuncti vt membra membris in corpore Ecclesię sub capite Christo, & quicunque tales sunt, ad illud exequendum quoquo modo vtiles sunt, vel corporaliter, vel spiritualiter, & ideò ipsis sunt indulgentię conferendę.

Vnde continuè, post iam dicta subdit Dominus Papa dicens. Quod quidem venerabile signũ volumus vt cunctis deuotè petentibus concedatis, generaliter omnibus prædicentes, quòd qui eandem Crucem susceperint, in prędictę terrę subsidium &cęt. vt iam supra habitum est. Quod Dominus Papa vult, valde rationabiliter, quia plerũque multùm proficiunt reipublicæ occulti non apparentes in publico, suis orationibus ac deuotionibus, dicente August. in lib. de moribus Eccles. Secretissimi penitus ab omnium hominũ aspectu pane solo, quibus per certa interualla temporum affertur, & aqua contenti desertissimas terras incolunt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhęserunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatissimi, quę non nisi sanctorum intellectibus percipi potest, videntur nonnullis res humanas plus quàm oporteret deseruisse, non intelligentibus quantùm nobis eorum animus in orationibus prosit.

Et ideò pro solis orationibus talium quibus interpellant Deum pro negotij prosperatione, & pro illis qui illud exequuntur, rationabiliter indulgentię possunt concedi. Quę quidem duo, ad quę debet Prælatus aspicere, ambo illorum simul referendo ad opus intentum, vt scilicèt sit ex parte finis qui intenditur pietas, putà in honorem Dei & profectum Ecclesię, & ex parte materię, putà operantis, & operis vtilitas ad talem finem assequendum, sufficiens sunt causa, siue ratio distribuendi indulgentias siue maiores siue minores pro voluntate Prælati dispensantis illas, & hoc æqualiter disparibus personis, & inæqualiter idoneis ad operis intenti executionem.

Vnde in prędictis sex casibus, in quibus Dominus Papa concedit indulgentias particulariter, quę in alijs tribus casibus concedit vniuersaliter potuisset etiam concessisse illas vniuersaliter si voluisset, & æqualiter percepte fuissent in omnibus illis casibus.

Sed cum prędictis duobus supponendum est, quòd in conferente indulgentias sit auctoritas, ex hoc quòd legitimè prefectus est multitudini populorum.

Ex hoc enim illa quę communia sunt multitudini, habet eidem dispensare. Et sic etiam in dispensatione indulgentiarum vt valeant, & tantùm valeant quantùm sonant, quatuor simul

simul debent concurrere, videlicèt pietas in fine ad quem dantur, vtilitas in opere pro quo dantur, charitas in operante cui dantur, & auctoritas in dispensatore à quo dantur, quibus concurrentibus, Prælati factum Deus approbat & acceptat, sanctique omnes, de quorum meritis indulgentiæ fiunt, quia in merendo, quòd alijs de pœnis suis indulgentiæ fierent, idipsum finaliter intendebant tunc, quod Prælatus nunc intendit, & per hoc Prælatus vicè illorum indulgentias confert, & personas illorum reputat, & vicè illorum facit quòd ipsi facerent, si potentes essent, vt possit Prælatus in conferendo indulgentias dicere cum Apostolo illud 2. Corinth. 2. Ego quod donaui, siquid donaui, propter vos in persona Christi (supple) donaui ideſt condonaui, siue remisi, aut indulsi, vbi dicit Gloss. Vt ratum quod donauit ostenderet apud Deum, subdit. Et hoc feci in persona Christi, id est ac si ipse Christus condonauerit, quia nihil sine spiritu Dei agebat Apostolus.

Quòd si sic condonarent Prælati Ecclesiæ, & distribuerent indulgentias dispensando, procul dubio tantùm valerent quantùm sonarent, singulis, quibus conferuntur, in charitate positis, & finem prædictum intendentibus, fideque operante per dilectionem, & ad illius finis consecutionem operis iniuncti sedula executione tendentibus, etiam non æqualiter operantibus, aut subsidium conferentibus in opere ad finis illius consecutionem, proportionabiliter tamen operantibus, & subsidium conferentibus secundùm modum congruentem sibi pro qualitate, & facultate personarum.

Putà si detur indulgentia centum dierum offerenti pias eleemosynas secundùm qualitatem, & facultatem suam alicui fabricæ, offerentibus autem non secundùm qualitatem, & facultatem iuxta quantitatem subsidij, & deuotionis affectum, si pauper vnam pictam offert de sibi ad victum necessario, ita integrè indulgentias centum dierum obtinet, vt diues qui offert vnam marcham de suo abundanti, qui si vnum solum denarium offerret, non totam illam indulgentiã, sed partem proportionalem quantitati subsidij, & deuotionis affectui obtineret. Sed si vnum, & idem opus esset determinatum à Prælato, tunc quicunque illud faceret in charitate existẽs, æqualiter acciperet cæteris indulgentias statutas, & quilibet illorum totas etiam cæteris omnibus disparibus, putà in transfretando cum signo Crucis æqualiter perciperet omnium peccaminum indulgentiam rusticus pauper, & debilis si faciat quod in se est ad liberandum terram sanctam de manibus Sarracenorum, sicut & rex strenuus & diues cum forti suo exercitu debellans Sarracenos.

Et si dentur indulgentiæ visitãtibus ecclesiam aliquam, ita integrè obtinet illas veniens à propinquo ad modicum & visitando, & veniens à remotis, ac multum laborans. Et hoc quia indulgentiæ simpliciter concessæ, & determinatæ à Prælato, non proportionantur aut mensurantur secundùm statum aut qualitatem aut meritum seu opus recipientium, sed secundùm prædicta duo, ad quæ debet Prælatus aspicere in conferendo indulgentias, & secundùm beneplacitum voluntatis suæ illis iam suppositis. Sed est hic aduertendum, quòd quamuis inæquales secundùm qualitatem operandi, aut conferendi subsidium, & secundùm quantitatem operis, inæquales recipiant indulgentias, non tamen plus operantes, aut amplius subsidium conferentes, frustrantur mercede pro illo quod plus erogant cæteris, quia quicquam erogans vltra ad minimum ex charitate procedens, quo quisque secundùm statum, qualitatem, & facultatem personæ suæ obtineret totas indulgentias concessas pro opere aut subsidio determinato, totum illud quod supererogat, reputantur ei à Deo ad cumulum meriti vitæ æternæ.

Non enim opus iniunctum pro indulgentijs obtinendis ad remissionem pœnæ debitæ peccatis factum ex charitate, solum valet ad promerendũ illas indulgẽtias, sed eum hoc etiam valet ad promerendum præmium essentiale vitæ æternæ, ac si pro illa sola fieret, & non pro indulgentijs. Hic Dominus Papa in litera executiua prædicta præcipit prædicatoribus Crucis, quòd diligenter, & frequenter exponant populis literam, qua exhortatur vniuersos ad susceptionem Crucis, quatenus beneficia, quæ pro Crucis susceptione efficaci promittit illis in terris, putà remissionem peccatorum, & immunitates priuilegiorum, & copiosam mercedem, quæ etiam cum illis præparatur in cælis, cognoscere valeant & amare, sicut iam habitum est supra,

Vnde & in illa litera hortatoria eisdem indulget plenam suorum peccaminum veniam, & insuper pollicetur salutis æternæ augmentum, vt similiter iam habitum est supra.

Quapropter si dicto modo Prælatus indulgentias dispensaret, nemo ipsum iustè obiurgare posset, tanquàm abusorem potestatis suæ, ac dissipatorem, non dispensatorem misericordiæ Dei, atque derogatorem iustitiæ Dei, quasi ipsa Dei iustitia tolerare non posset, acceptando quòd tantas indulgentias, & tam crebras indifferenter omnibus etiam pro modico opere siue subsidio dispensaret, quasi peccata per hoc manerent impunita.

Sed non est ita, quia per indulgentias illi qui eas susceperit, nihil de pœna peccatis debita sicre mittitur, vt peccata alterius quo ad minimum culpæ cuiusquàm maneant impunita simpliciter, licèt puniantur in illo qui peccauit, quia pœ-

ne aliorum reputantur illi pro ſuis, & ſibi computantur atque reputantur tanquàm ſatisfactorię Deo pro peccatis illius loco pœnarum propriarū, ac ſi debitum, quod vnus alicui domino debet, alter pro eo illi domino ſolueret, aut illi daret de ſuo de quo ſolueret. Sic enim in perſona Chriſti, &c. ſanctorum, de quorum pœnis meritorijs ſupererogatis vltra pœnas debitas peccatis illorum ad Dei honorem, & Eccleſiæ vtilitatem fiũt indulgentiæ, Prælatus miniſter Eccleſiæ, quod vnus merebatur, &c. in pœnis ſuſtinuit, alteri tribuit, vt ille de illo pro pœnis ſibi debitis, Deo ſatisfaciat, aut vt Prælatus ipſe de illo quod vnus merebatur, &c. in pœnis ſuſtinuit, quod iam in poteſtate ſua poſitum eſt, ſecundùm iam dicta, pro altero Deo ſatisfaciat, & Deus iuſtè ſimul & miſericorditer huiuſmodi ſatisfactionem acceptat, &c. ſic per indulgentias remittuntur pœnę debitæ vni per recompẽſationem factam Deo de pœnis indebitis aliorum aut alterius, vt dicit vltima conditio ſiue differentia ſuperius poſita in deſcriptione indulgentiæ. Si verò Prælatus non penſatis illis ad quæ, vt diximus, debet aſpicere, indulgentias diſtribuat, nõ video quomodo omninò valeant, aut tantùm valeant quantùm ſonãt, &c. non ſit potius diſſipator bonorum ſpiritualium Eccleſiæ, quàm diſpenſator.

Nota.

Hoc tamen determinando non aſſero, nec diminuere volo poteſtatem Prælatorum, & præcipuè ſummi Pontificis, ſed pie ſupponere, quòd Prælati, & præcipuè ſummus Pontifex indulgentias diſpenſant conſideratis his & penſatis, quæ in his conferendis debent conſiderari &c. penſari.

De poteſtate Prælatorum.

Vt autem aliquid in ſumma tenere valeamus de poteſtate Prælatorum, Sciendum, quòd Prælatorum Eccleſiæ duplex eſt poteſtas ſcilicèt vna ſacramentalis, & alia iuriſdictionalis, & vtraque dicitur clauis. Prima quidem dicitur clauis ordinis, quia poteſtatem illam non habent niſi per ordinum ſuſceptionem. Secunda verò dicitur clauis auctoritatis, & illam habent per canonicam electionem, & inſtitutionem in miniſterium Eccleſiaſticum.

Et poteſtate ſacramentali ſiue claue ordinis habent efficaciam operandi ſacramentaliter, & mediantibus ſacramentis Eccleſiæ tantum. Quorum effectus quia ſunt determinati à Deo, &c. inditi ſenſibilibus elementis ſcilicèt rebus & verbis, idcircò Prælati tali poteſtate non habent poteſtatem operandi niſi determinatum quid, & quaſi mouentur ſecundùm vim à Deo ſacramentis inditam.

Vnde ad libitum, effectum operis ſui per talem potentiam taxare non poſſunt, nec circa ſacramenta eccleſiaſtica, quo ad eſſentialia illis, ſicut neq; circa diuina mandata quicquàm immutare poſſunt. Sed ſi auſu temerario (quod abſit) quiſquàm illorum circa illa ſacramenta vltrà, aut præter diuinitus ordinata quicquàm attentaret, nihil omninò eſſet quod ageret, quo ad ſpiritualem effectum ligandi atque ſoluendi.

Poteſtate verò auctoritatis, ſiue claue iuriſdictionis, ad quam pertinent indulgentiæ, &c. collatio beneficiorum eccleſiaſticorum, totuſque correctionis ordo atque Eccleſiaſtici regiminis, habent prælati efficaciam operandi ciuiliter immediatè, &c. voluntariè modo liberi arbitrij, prout Deus totum Eccleſiaſticum regimen diſpoſitioni eorum reliquit, circa illud modicum, aut nihil determinando, & hoc in illo generali, quod dictum eſt omnibus in Petro. Quodcunque ſolueris ſuper terram &c.

Licèt enim nullibi in Canone Bibliæ ſpecialiter ſcriptum ſit poteſtatem conferendi indulgentias collatam fuiſſe Prælatis Eccleſiæ, tamen poſt quàm in vniuerſali Eccleſia obſeruatum eſt quòd Prælati indulgentias conferrent, firmiter credendum eſt, quòd ſuper hoc poteſtatẽ datam à Chriſto, aut intellectam dari in illo generali, licèt non ſpecialiter ſcriptam acceperunt, &c. ſic quòd indulgentiæ quas conferunt, valeant. Indulgentiæ dico datæ à Prælatis, quia niſi valerent non eſſent indulgentiæ omninò. Si quid tamen in regimine ſuo in Eccleſia non rectè ſecundùm rationis, &c. iuſtitię normam diſponant, & non in perſona Chriſti ideſt non acſi Chriſtus diſponeret (quod abſit) etſi id quod agunt efficaciam habeat, &c. ratum ſit, ipſi tamen peccant. Circa diſpoſitionem enim temporalium bonorum Eccleſiaſticorum. &c. iuriumin illis obtinendis, eo quòd minor eſt cura Deo de illis, quicquid Prælati diſponunt, maxime ille qui habet executionem plenitudinis poteſtatis, etſi erret non diſpenſando illa talibus perſonis qualibet deberet illa diſpenſare, nihilominus tenet, & ratum eſt quod faciunt, nec Deus vult, quòd quiſquàm in Eccleſia illud retractet.

Vt enim dicitur in literis legum ſecularium, ſacrilegij inſtar eſt dubitare an is dignus ſit quẽ elegerit Imperator ſicut etiam vult, quòd à nemine retractetur quod ab ipſo fuerit iudicatum nona quæſtio. vltima. Sola. 2. &c. capitulis ſequentibus vſque in finem, &c. hoc niſi iudicium illud fuerit erroneum in fide, vel in præiudicium vniuerſalis Eccleſiæ, vt decima quinta quæſtio. prima. Sunt quidam, &c. notatur ſuper qua drageſima diſtinct. ſuper capit. Si Papa, & 1. quæſtio. 7. ſuper capit. Niſi vigor. Et eſtimant aliqui quòd ſimiliter eſt in diſpoſitione ſeu diſpenſatione bonorum ſpiritualium Eccleſiæ, cuiuſmodi ſunt merita ſupererogationis Chriſti, & ſanctorum, de quibus fiunt indulgentiæ.

Dicunt enim quòd ſimpliciter, & abſoluiè indulgentiæ Prælatorum tantùm valent quantùm ſonant, & ſcribuntur ſiue prędicantur valere, ita

etiam

etiam, quòd si Prælati tam inordinatè remittant pœnas debitas peccatis siue indulgentias effundant, quòd homines intantùm confidant de indulgentijs quas abundanter de facili obtinent, quòd ab operibus pœnitentiæ, satisfactionis, & misericordiæ penitus reuocentur, tamen quod remittunt remissum est apud Deum, & quod indulgent indultum est, & hoc siue absque omni opere iniuncto, siue iniuncto opere minimo, quod nec vergit in honorem Dei, nec in vtilitatem Ecclesiæ, putà si Summus pontifex dicat alicui, leua festucam de terra, & de plenitudine potestatis nostræ relaxamus, remittimus, siue indulgemus tibi omnem pœnam peccatis tuis debitam ad quã Deo es obligatus.

Si ita sit, Deus nouit. Ego tamen nescio, nec video quomodo aliquæ indulgentiæ datæ tantùm à Prælato Ecclesiæ ratæ possint esse aut valere, & maximè tantùm valere quantùm sonant, nisi adsit finis mouens scilicèt honor Dei, & profectus Ecclesiæ vel vniuersalis vel alicuius particularis pro se aut pro aliquo eius membro, quæ debent vrgere Prælatum ad conferendum indulgentias pro opere quod sic euidenter sit vtile ad consequendum illum finem. Nota.

Quòd si tamen fieret honor Dei, & profectus Ecclesiæ, qui per illud curari possent, omninò deficerent vel in Ecclesia vniuersali, vel in aliqua Ecclesia particulari, aut in aliquo eius membro, quemadmodum moderno tempore deficerẽt in vniuersali Ecclesia honor Dei, & profectus Ecclesiæ vniuersalis procurandi per Dei gratiam in passagio generali, cui Dominus Papa Nicolaus in dicta litera exhortatoria dixit præfigendum omnibus Cruce signatis, & Cruce signandis terminũ festum videlicèt natiuitatis Beati Ioannis Baptistæ, quod erit in anno Domini 1293. nisi pro opere transfretandi, & liberandi terram sanctam de manibus Sarracenorum largissimæ indulgentiæ conferrentur talibus qui vtiles sunt ad tale opus exequendum, & nisi secundùm modum finis, & laboris in opere rationabiliter mensuretur quantitas indulgentiarum, vt per hoc in illarum dispensatione concurrant similiter gratia seu misericordia & iustitia. Iustitia propter meritum operis gratia propter veniam pœnę debitam peccatis super mercedem æternæ retributionis proportionalem quantitati operis, quę principalius ab operãte debet attendi & expectari ex opere, quàm indulgentia pœnarum debita peccatis. Sed si talis finis adsit, & secundùm ipsum, & secundùm quã titatem laboris in opere rationabiliter moderentur indulgentię, aliter enim fine frustrari possent per contemptum earum aut nimiam confidentiam in ipsis, vt dictum est, non solum valent, sed & tantùm valent quantùm sonant. Et hoc omnibus in charitate existentibus ad iniũcti operis executionem laborantibus, & sic æqualiter valent inæqualibus, & inęqualiter laborantibus.

Et mensurantur indulgentiæ non secundùm meram voluntatem conferentis eas, vt dicit vna opinio, ponentium scilicèt quòd indulgentię possint esse merè gratuitæ absque omni merito operis, nec etiam mensurantur secundùm meritum operantis recipientis eas, vt dicit alia opinio ponentium, quòd indulgentiæ sunt simpliciter debitæ, sed mensurantur medio modo scilicet secundùm modum & necessitatem finis, & quantitatem laboris in genere operis, sed aliquando principaliter secundùm necessitatem finis, putà quando potior honor Dei, & Ecclesię profectus ex minus laborioso opere sperantur, possunt pro illo exequendo dari indulgentię abundantiores quã pro alio opere magis laborioso, ex quo minus honor Dei & Ecclesię profectus sperantur. Aliquando verò principaliter mensurantur indulgentiæ secundùm quantitatem laboris in genere operis, putà quando non potior honor Dei, & Ecclesię profectus sperantur ex opere minus laborioso, secundùm quòd Dominus Papa in generali absolutione in Cœna Domini plures dies indulgentiæ consueuit concedere aduenientibus de partibus transmarinis q̃ alijs, & adhuc plures venientib. de vltramontes q̃ venientib. de citra mõtes. Et ita securè potest dici, quòd indulgentiæ Prælatorum tantùm valent quantùm sonant, & prædicantur valere, & simul concurrant ista quatuor, videlicèt ex parte dispensantis auctoritas ex parte recipientis charitas, ex parte operis vtilitas, & ex parte finis, siue causę pietas. Et cum debitum pœnale cuiusque vnum sit & idem, & quoad durationem in tempore æqualiter soluendum in quocunque foro licèt multum inęqualiter quòad acerbitatem pœnę in foro Christi, & in foro pœnitentis, & in foro Ecclesiæ, sicut superius est expositum, Aduertendum credo, quòd cum prælatus non distinguat neque determinet indulgentias dari putà decem dies de iniunctis sibi pœnitentijs sed decem dies simpliciter, intelligitur indulgentia fieri decem dierum de pœna purgatorij, vt per decem dies indulgentię citius liberetur à pœnis purgatorij, quàm si sine illis indulgentijs decessisset, sicut citius liberaretur à purgatorio per decem dies, si hic decem dies voluntarię pœnę peregisset, quàm si non peregisset. Et hoc prouenit ex magna Dei misericordia, qui minores pœnas in duplici foro vult nos sustinere, & ad maiores pœnas purgatorij soluendas, indulgentias nobis concessas reseruat. Nota. Nota.

Et puto quòd Prælatus per intentionem potest conferre indulgentias dierum pœnę à Sacerdote iniunctorum, putà si pœnitenti iniunctum sit sacramẽtaliter per sacerdotẽ ieiunare centũ dies, prælatus pẽsatis causis prędictis potest indulgere 40. dies de iniunctis sibi pœnitentijs, ita quòd

si ieiunauerit alios dies vsque quadraginta non peccat ieiunium illorum omittendo, vel potest ex causa omnem pœnam iniunctam indulgere, sicut facit in indulgentijs generalibus omnium criminum; nec delinquit illam pœnam iniũctam omittendo, sicut per inobedientiam delinqueret si illam omitteret absque indulgentia, & cum hoc omnes dies illius pœnę omissæ sustinere deberet in purgatorio si non impleret illam in vita ista, sicut cum in foro Christi, & in foro pœnitentis non agit dies pœnę cum acerbitate competenti, aut dimittit eam agere per aliquam partem diei, acerbitas illa omissa addetur acerbitati pœnę in purgatorio, & similiter portio diei omissa adiungetur diebus pœnę purgatorij vt sic vel per pœnas proprias vel in præsenti, vel in futuro, vel per indulgentias oporteat pœnitentem reddere quæcũque deliquit vsque ad minimum inclusiuè, vt nihil mali culpæ maneat impunitum.

Ad argumenta pro & contra respondendum est.

Ad arg. ℣ parte affirmatiua.

Argumentum enim pro parte affirmatiua procedit probando indulgentias fore mensurandas secundùm meram voluntatem conferentis eas, argumentum autem pro parte negatiua probat eas fore mensurandas secundùm meritum cuiusque in opere, cum tamen non mensurentur nisi secundùm modum finis & genus operis, vt dictum est.

Ad primũ.

Quòd ergò arguitur primo, quòd indulgentiæ Prælatorum tantum valent quantum sonant, quia Corpus Christi principale est respectu meriti ipsius, sed Prælati habent liberam dispensationem secundùm meram voluntatem suam Corporis Christi faciendam populo, ergò &c. meriti ipsius, &c. sic indulgentiarum, quæ præcipuè de merito operum pœnalium Christi indebitorum dispensantur: Dico, quòd Prælati quo ad hoc habent potestatem dispensandi Corpus Christi, quòd videlicet si sint ordinati in Sacerdotes, & habeant debitam materiam consecrandi Corpus Christi, putà panem de frumento, possunt illud consecrare quando volunt, & quantum indigent fideles, sed non habent potestatem consecrandi illud in alia materia.

Possunt &c. ipsum consecratum dispensare quando volunt, & quibus volunt bonis & malis, sed non possunt determinare quantùm eius communio debeat cuiquàm illorum valere, quia hoc dependet à solo Deo, &c. dispositione communicantis. Nec possunt facere, quòd valeat & non obsit non existenti in gratia.

Et sicut quo ad aliqua Prælati habent liberam dispositionem Corporis Christi, &c. quo ad aliqua non, sic & indulgentiarum iuxta modum iam expositum, præcipuè quo ad indulgentiarum valorem, secundùm quem sunt accessoria ad Corpus Christi, vt dicit argumentum. Sicut enim non possunt facere, qnòd valeat Corpus Christi non existenti in gratia, sic nec possunt facere, quòd illi valeant indulgentiæ.

Possunt tamen plus super indulgentias, siue super merita pœnarum Christi, quæ sunt accessoria, quàm super Corpus Christi quod est principale, quia possunt plures indulgentias concedere aut pauciores, saluis prædictis quatuor, & sic facere, quòd indulgentiæ pro aliquo opere valeant plus vel minus, sed nõ possunt plus quàm vnum Corpus Christi dispensare, licèt sub pluribus speciebus panis, nec etiam possunt facere vt aliquibus in eadem dispositione manẽtibus modò plus valeat, modò minus, licèt sub pluribus speciebus panis, vel sub paucioribus possint illud aliquibus ministrare, sicut possunt plures vel pauciores indulgentias pro aliquo opere aliquibus conferre. non tamen omninò sic, eo enim quòd operantur in consecratione vi ordinis, & modo naturę secundùm prędicta, in tot speciebus consecrare possunt, quot eis proponuntur, &c. consecratum populo ministrare, operantur autem in indulgentiarum dispensatione modo liberi arbitrij secundùm regulam rectæ rationis, quę non sinit quòd tantùm indulgentiarum dispensare possunt, quantum velle possent absque regula rationis, vt patet ex dictis.

Et sic non est simile de dispensatione secundùm quantum corporis Christi, & indulgentiarum, si tamen tantum, &c. in tanta quantitate, &c. in tot speciebus panis quantum vellent vltra vsum necessarium, & honestum ecclesiæ Corpus Christi consecrare, & ministrare possent, qd aliqui negant.

Quod si illud non possunt circa Corpus Christi, falsum est ergò medium assumptum in argumento scilicèt, quòd possunt dispensare Corpus Christi in sacramento quantum volunt, sicut falsum est, quòd possunt dispensare indulgentias quantum volunt absque rationabili causa, quod nititur probare argumentum, sed non potest.

Ad secundum.

Ad secundum, quòd Deus non acceptat facta Prelatorum, nisi secundùm iustitiam, quia non placet ei nisi iustum, non est autem iustitia, quòd æqualiter valeant singulis, quod esset si passim tantum valerent quantum sonant, non ergò tantum valent quantum sonant, Dico, quòd in dispensandis indulgentijs potest considerari iustitia duplex, & secundùm vtranque potest earum dispensatio moderari.

Iustitia duplex in dispensandis indulgentijs.

Est enim in dispensandis illis quędam iustitia considerandа quæ iustum est, quòd illas Prelatus pro loco, & tempore dispenset, vt honor Dei, & perfectus Ecclesię per illarum dispensationem procurentur, quia si quandoque non pro loco, & tempore illas dispensaret, aut non tantas dispensaret, quòd honor Dei, & profectus Ecclesię dispen-

ſpenſando illas procurari poſſent, non diſpenſando, aut non tantas diſpenſando, ſed minores, aut non procuraretur, aut non intantum procuraretur. quantum ſi ampliores diſpenſaret, quod iniquum, & iniuſtum eſſet, & peccaret prælatus, non diſpenſans illas aut non tantas, è contra ſi quandoque pro loco, & tempore illas diſpenſaret, aut tantas, quòd honor Dei, & profectus eccleſiæ diſpenſando illas, aut diſpenſando tantas, non procuraretur omninò, aut nō maior propter maiores indulgentias, vanum eſſet illas diſpenſare, aut tantas diſpenſare, atque irrationabile, & iterum peccaret Prælatus in diſpenſando illas.

Alia autem iuſtitia poteſt conſiderari in diſpēſandis indulgentijs qua iuſtum eſt quenquàm recipere tot indulgentias, quot ipſe recipit, ita quòd non eſſet æquitas iuſtitiæ ipſum recipere plures vel pauciores.

Prima iuſtitia ſemper in diſtribuendis indulgentijs à Prælato conſideranda eſt, & obſeruanda, quia vt dictum eſt, aliter peccaret, nec Deus factum ſuum acceptaret, maximè quo ad actionem qua ab ipſo talis diſpenſatio fit, licèt fortè aliquibus quibus diſpenſarentur, merito de motionis illorum valerent, & ſic quo ad illarum receptionem Deus alias acceptaret, ſed hoc non ſecundùm rationem qua indulgentiæ ſunt indulgentiæ, & dona gratuita potius quàm debita, ſecundùm modum ſuperius determinatum, ſed potius ſecundùm rationem qua ſunt quædam debita ratione iuſtitiæ, & hoc ſcdm iuſtitiā ſecūdo modo dictam, q̄ non oportet Prælatū cōſiderare neque obſeruare, & poteſt ſi velit, ſi ſut quando menſurat indulgentias ſecundùm quantitatem laboris in genere operis, & hoc vel indefinitè ſiue in quantitate infinita, ſicut in ſex caſibus ſuperius expoſitis, vel definitè, ſiue in quantitate definita menſurando indulgentias, vt quando in caſu iam ſuperius expoſito menſurat indulgentias ſecūndùm quantitatem laboris in genere operis, diuerſimodè quærentibus eas à longe, & quærentibus illas deprope. ſecundùm quam menſurare indulgentias ſub tali quantitate, vel ſub tali, & hoc vel infinitè, vel definitè, vel diuerſimodè ſecundùm diuerſitatem temporum, locorum, & perſonarum eſſet optima earum diſpenſatio, dum tamen non minus procuraretur honor Dei, & profectus Eccleſiæ in diſpenſando eas diuerſimodè ſecundùm diuerſitatem temporum, locorum, & perſonarum, & in diſpenſando illas per omnia æqualiter, aut in diſpenſando eas minores, quàm in diſpenſando eas maiores, quia ſimpliciter, & abſolutè talis, & tanta diſpenſatio indulgentiarum eſt optima, & ſumme à Deo acceptatur, quali & quanta honor Dei maior, & maior perfectus Eccleſiæ valent procurari.

Et ſic ſimpliciter principalior modus menſurandi diſpenſationem indulgentiarum eſt ſecundùm modum finis, & neceſſitate eius. Secundarius autem ſecundùm modum operis, & quantitatem laboris in illo. *Nota modos duos.*

Sed non eſt modus iſte determinatus in natura rei, ſed ſecundùm diuerſitatem cauſarum, & temporum, locorum, & perſonarum determinari debet ſecundùm iudicium rectæ rationis prout ſapiens determinaret, & hoc iuſtum eſt ſecundùm regulas iuſtitiæ primo modo dictę, quę propria eſt indulgentijs, licèt non ſecundùm regulas iuſtitiæ ſecundo modo dictæ, quę repugnat indulgentijs, vt patet ex prædeterminatis.

Vnde non eſt medium ſtrictum, ſed immenſæ latitudinis in menſurando hoc modo indulgentias, & poteſt Prelatus pro penitus vno, & eodem negotio benè ſecūndùm libitum voluntatis ſuæ dare maiores vel minores indulgentias, & æquales inæqualibus quo ad conditiones perſonarum, & operum, vt tantum ſimpliciter valeant quantum ſonant recipientibus.

Si verò medium illud tranſeat, abundantiores ſiue pauciores indulgentias cōferendo quàm honor Dei, & Eccleſiæ profectus requirat, non video quomodo valeant, & maximè tantum quantum ſonant.

Sed & ne peccet, Prælatus in menſurando illas, diligentiſſimè debet attendere vt tali modo menſuret eas ex quali amplius honor Dei, & Eccleſię profectus procurentur. Et quod aſſumitur in argumento, quòd non eſt iuſtitia indulgentias æqualiter diſpenſare inæqualibus, quare Deus nō acceptat talem diſpenſationem, nec valent illis æqualiter quantum ſonant valere. *Ad aſſumptum.*

Dico, quòd verum eſt in diſpenſatione quæ menſuranda eſt ſecūdùm meritum perſonarum penès ſecundùm modum iuſtitię quę eſt ex debito. Sed non eſt verum in diſpenſatione quæ menſuranda eſt principaliter ſecundùm modum, & neceſſitatem finis penès primum modum iuſtitię, quę eſt non tàm ex debito, quàm ex gratia, qualiter menſuranda eſt diſpenſatio indulgentiarum, vt patet ex prędeterminatis.

HENRICI A GANDAVO

Comment. in Quæstionem XIIII. quæ est,

Vtrum Indulgentiæ Prælatorum tantùm valeant, quantùm sonant.

NOt. titulo not. quòd vulgatum est hoc, quòd tantùm valent, quantùm sonant, neque ré vera hoc verè tur simpliciter in dubium, sed quomodo verificetur hoc dictum, &c. quomodo non, declaratur. Essent autem pro titulo præsertim declaranda: alterum quid sit Indulgentia: alterum verò potestas Prælatorum, sed quoniam vtrunque sit ab Auctore in corpore quæstionis, non est, quòd nos aliquid circa hoc dicere velimus.

In corpore igitur præsertim tria habet. Primum est de quidditate Indulgentiæ. Secundum est resolutio quæstionis. Tertium est de potestate Prælatorum.

Primum diuiditur in duo. Nam primò ponitur diffinitio Indulgentiæ. Secundò declaratur quo ad omnes eius partes. Et hæc clarissimè patent in litera.

Secundum principale diuiditur in tria. Primò enim ostenditur, quòd collatio Indulgentiæ non sit donatio. Et dato, quòd pro donatione accipiatur, non verificatur illud, quòd tantùm valent, quantùm sonant. Et sic ponitur

Prima conclusio. Collatione Indulgentiarum pro donatione sumpta, non tantùm valent, quantùm sonant. Probatur, quia donatio non exigit nisi dantis liberam voluntatem sine circunstantia recipientis. Collatio verò Indulgentiæ, vltra liberam dantis voluntatem, exigit circunstantiam recipientis, scilicet dispositionem. Ideò indisposito non tantùm valent quantum sonant.

Secundò ostenditur, quod collatio Indulgentiæ non sit redditio, contra quosdam: dato autem quòd collatio esset redditio tantùm valerent, quantum sonarent. Et sic oritur duplex conclusio, quarum

Prima est. Collatio Indulgentiæ non est redditio.

Secunda est. Dato, quòd esset redditio, tantum valerent, quantum sonarent.

Prima conclusio probatur. Redditio præsupponit debitum ex merito, sed collatio Indulgentiæ non præsupponit huiusmodi de condigno, igitur collatio non est redditio.

Not. autem, quòd etsi ex Nicolao Pont. Auctor dicit id posse verificari, quòd scilicet sit redditio: non tamen vult colligere, quòd hoc sit simpliciter, quia semper in Indulgentiæ collatione includitur plus gratiæ, quàm sit meritum; & si valet, valet in parte, vbi taxatur Indulgentia, &c. opus, quod peragendum est, vt patet in casu ex litera Nicolai &c.

Secunda conclusio patet, &c. verificatur in casu taxationis operis, &c. affectus, quo operari quis deberet consecuturus Indulgentias.

Tertiò offenditur, quòd collatio Indulgentiæ sit dispensatio, &c. ex hoc punitur

Tertia principalis conclusio, scilicèt concurrentibus omnibus necessarijs ad rectam dispensationem, tantum valent, quantum sonant. Patet hæc conclusio ex declaratione eorum, quæ requiruntur ad rectam dispensationem, quæ sunt vrgens necessitas ex parte causæ, propter quam &c. & cuidens vtilitas &c. quæ omnia patent manifestè in litera.

Tertium principale, quod est de potesta e Prælatorum, facile distenditur in litera. Et cum duplex sit, altera ordinis, altera verò iurisdictionis. Est conclusio, quòd ea, quæ iurisdictionis est, illa est, qua dispensantur Indulgentiæ. Quæ omnia, quoniam in litera satis clarè habentur, nihil operis impendimus, præter hoc, quasi dispositio ad ipsa capienda: nisi quasi ad principium redeuntes, velimus quædam abundantiori doctrinæ gratia dicere, insipientes ab eo, quod in prima conclusione dictum est.

Cum ergò habeat Auctor, quòd Indulgentiarum collatio requirit ex parte recipientis dispositionem; scito, quòd dispositio peculiaris est diuina gratia. Vnde esto, quòd Pontifex conferat omnibus visitantibus talem Ecclesiam Indulgentiam talem, profectò tantum valet, quantum sonat, pròut determinatum est, omnibus dispositis, scilicet existentibus in gratia. Et quidem quod exigatur gratia patet tum ex antiqua Indulgentiarum forma, quæ est, puta visitantibus, & confessis, & cõtritis, quæ sunt instrumenta gratiæ. Tum quia, sicut ciuilis thesaurus non nisi pro ciuili causa dispensatur, ita vitalis non nisi pro vitali. Est autem Indulgentia thesaurus vitalis qui non prodest nisi viuis, mortuus verò est quicunque sine gratia est, quæ vera est animæ vita. vnde Dominus, Ego via, veritas, & vita, scilicet gratia eius. Et Indulgentia cum includat gratiam non potest esse sine gratia, & actus actuorum non recipiuntur nisi in patiente benè dispositio. Est autem maxime indispositus quicunque est expers gratiæ. Non est autem, quod existimemus omninò nihil aliud exigi præter gratiam ad faciendum dispositum ad Indulgentiam consaquendam. Quod vt intelligatur, esto Callias, qui plura crimina cõfitetur Indulgentiæ tempore, nec quidem ponit obicem, sed libenter confitetur, & contritè, plenariam tamen videns concessam Indulgentiam, negligit ex se aliqualem pœnitentiam facere, vel petere, & si ei iniungatur, recusat, licèt modestè, vel acceptat, sed animo tristi; profectò indispositus videtur ad consecutionem Indulgentiæ. Quippè scimus, quòd pœnitentia sit onus personale, sicut actio peccati personalis est.

Negligens autem onus, vbi actio mala antecessit, videtur indispositus. Hinc & in sacris Iubilæis, satisfactio tangitur. Quòd si quis dicat, ad quid ergo Indulgentiæ? Sciat, quòd sicut non sunt condignę passiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis; ita pro totali culpa expianda non sufficiunt iniunctæ, vel sponte susceptæ satisfactiones: his verò supplet misericordia Dei, de thesauro satisfaciens meritorum Christi, & sanctorum. Sed vtique non supplet, vbi ex negligentia quis respuit aliqualem laborem: hoc enim non esset supplere, sed misericordiam facere sine iustitia, quæ tamen debet esse simul cum misericordia. Ex his patet, quòd re vera non sit redditio ipsa collatio Indulgentiarum.

Cum iterum dicatur, quòd sit dispensatio, fatto, quòd est dispensatio thesauris Ecclesiæ, in quo sunt omnia merita Christi, & Sanctorum: Si enim omnis effectus sacramentorum, per quem culpa relaxatur, non est nisi per virtutem passionis Christi, oportet quòd ad relaxationem culpę, merita eius occurrant, multò igitur magis ad relaxationem pœnæ.


Merita autem Christi intelliguntur esse thesaurus ille indeficiens, qui de diuina misericordia à confidente Prælato aperitur, cum Indulgentiæ conferuntur, cui quidem inexhausto thesauro annectuntur merita Sãctorum quæ fuerunt per opera supererogationis, quæ accepta sunt Deo ad eorum maiorem gloriam in beneficium aliorum, qui per charitatem vniti sunt Catholicæ fidei. Dicuntur autem opera supererogationis satisfactiones superfluę. Nempè, vt intelligas, satisfecit Christus pro peccato totius mundi, sed ideo dicitur superfluè satisfecisse, quia minima sanguinis gutta efficax fuit ad abluendum vniuersum. Quod superfuit autem, thesaurus est ille, de quo loquimur, cæteræ scilicet passiones eius, non quod dicantur superfluę simpliciter, sed in hoc sensu. Quòd minima pars earum sufficiens erat. Quòd autem plus fuit, thesaurus est, qui aperitur & cum sit adeò plenus satisfactionibus huiusmodi, cum aperitur, applicantur tales satisfactiones membris fidelium pro pœna, quàm alias pro culpa mererentur. Subditur autem thesaurus iste summo Pastori de diuinæ misericordiæ ordinatione, non tantum per sacramentorũ collationem, scilicet ratione potestatis ordinis, sed etiam pro potestate iurisdictionis à Christo Domino piè collata Petro, & successoribus.

Cum aũt tandem dicitur, q̃ ad rectam dispensationem requiritur &c. Illud pertinet ad causam, pp quã Indulgentię cõferunt ipsam non existente, inualidę vñę Indulgentię. Et de hac quidem materia vide diligenter tractantem Gaet. suis tract. &c.

QVÆSTIO

QVAESTIO XV.

Vtrum sit licitum disputare de potestate Prælatorum.

Arg. prim.  IRCA Tertium arguitur, quòd non sit licitum disputare de potestate Prælatorum, sic: disputatio illa, quæ est causa litis & discordiæ, non est licita. Talis est disputatio de potestate Prælatorum alijs volentibus eam ampliare: alijs autem volentibus eam restringere: ergò &c.

Oppos. Contra. Illud est licitum, per quod subditus potest cognoscere in quo debet Prælatis obedire, & in quo non: non enim tenetur ei obedire in omnibus, putà in illis præceptis, quæ contra Deũ & diuinam legem, atque diuina mandata præciperet, sed hoc potest cognoscere per disputationem de potestate Prælatorum, quia ipsa declarat & determinat, & inuestigat, in quibus subditi suis Prælatis obedire debent, & in quibus non: ergò &c.

Respons. Dico, quòd triplici intẽtione potest fieri disputatio de Potestate Prælatorum, sicut & de potestate Christi, & Dei. Vna videlicèt vt potestatem illorum diminuat, aut attenuet, & minorem, q̃ sit credi faciat, & propter hoc eis minus, & in pauciοribus obediendum sit. Alia autem contraria vt potestatem eorum extendat, & maiorem, q̃ sit credi faciat, & propterea els amplius, & in pluribus obediendum sit. Tertia verò media est, vt scilicet, quæ & quanta sit Prælatorũ potestas innotescat, & secundùm hoc quisque Prælatis obediat.

Rat. Disputare de potestate Prælatorum prima intentione est omninò illicitum, sicut illicitum est tali intentione disputare de potestate Christi, & Dei, qualiter disputant Philosophi nitentes probare de Deo, quòd non habet potestatem agendi quicquam circa inferiora generabilia, & corruptibilia nisi mediãte motu corporum cœlestium. Et disputare isto modo, & tali intentione disputare de Prælatorum potestate, aut etiam principum sæcularium, est resistere, siue contrariari diuinæ ordinationi, & bonum publicum non amare. Potestas enim Prælatorum eis à Christo Deo data est, & ad publicam vtilitatem Ecclesiæ ordinata. Dicit enim Apostolus Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi à Deo, quæ autẽ sunt à Deo, ordinata sunt, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit: qui autem Deo resistunt, sibi ipsis damnationem acquirunt. Dei.n. minister est tibi in bonum. Re vera, qui tali intentione de potestate Prælatorum disputant, damnationem æternam sibi acquirunt, & meritò, quia sic disputando potestatẽ Prælatorum, pro quanto eam diminuere intendunt, fitrari quantùm in ipsis est nituntur, quæ quia de numero sacrorum est à Deo Sanctæ Ecclesiæ concessorum: igitur ad instar sacrilegij est disputare de potestate Prelatorũ, aut etiam principum isto modo: est enim furari sacrum de sacro, vt etiam dicit in literis legum sæcularium, Sacrilegij instar est diuinis, super quibus oportet ministrationibus obuiare beneficijs. Et quia sic disputantes de Prælatorum potestate, frequenter sunt inuidi Prælatis, & rebelles, atque inobedientes nolentes ab eis corrigi, aut corripi, vel puniri pro suis delictis, ideò displicere solet Prælatis, & principibus de ipsorum potestate disputare, & hoc prohibent. Et meritò, quia, vident sibi in hoc iniuriari, & diuinæ ordinationi contrariari, & bonum publicum demoliri, & sic disputantibus sibi à seipsis æternam damnationẽ procurari.

Disputare autem de potestate Prælatorum secunda intentione etiam est illicitùm eadem de causa, qua præcedens, quia sicut est data Prælatis à Deo simpliciter ad Ecclesiæ vtilitatem, sic etiã data est eis in determinato gradu ad eandem vtilitatem, vt ad magis & minus, siue maius & minus potestatis, quàm sit à Dto datum ad Ecclesiæ vtiliatem, non vergeret. Et sic vtroque modo disputare de potestate Prælatorũ, vitiosum est. Magis tamen vitiosum est disputare de illa prima intentione, quàm secunda, quia disputario de illa intentione secunda potius est in fauorem Ecclesiæ & Prælatorum, quàm in odium.

E contrariò autem disputare de illa intentione prima. Et quia tali intentione plerique de potestate Prelatorum disputant adulando sperantes ex immensa potestate Prælatorum generaliter, aut specialiter & immensa ptãte alicuius illorum cõmodum aliquod sibi prouenire: ideò etiam talis disputatio meritò debet Prælatis displicere. Boni enim viri nolũt æstimari vltra id quòd sunt, & frequenter volunt æstimari minus, quàm sint, exemplo Ioannis Baptistæ. Vt enim dicit August. super Ioannem sermone 4. Tanta excellentia erat in Ioanne, vt possit credi Christus, & in eo probata est humilitas eius, quia dixit se non esse cum posset credi esse. Nullum tantùm meritum habuit, quàm de ista humilitate, quòd cum posset fallere homines, & putari Christus, & haberi pro Christo, confessus est tamen apertè: Non sum ego Christus. Non dixit Ego sum Ioannes, ego sum Helias, ego sum prophcta, sed dixit, Ego sum vox clamantis in deserto. Et præcipuè debet Prelatis talis disputatio taliũ de sua potestate displicere

cere, quia sicut disputando potestatem Prælatorũ nimium extendunt, quando eam sperant facere pro se, sic e contrario eam disputando attenuant, quando timent, nè per eam debeant Prælati contrariari ipsis. Vnde frequenter in vno articulo potestatem Prælatorum extollunt, & in alio deprimunt, modo quo sæpius extollere visi sunt illa, quæ sua sunt, &c. quæ aliorum, dum tamen profutura sunt, &c. deprimere ea, quæ sunt aliorum, maximè quando contraria ipsis sunt.

Vnde seruando medium virtutis, &c. moderamen inter vtranque dictarum duarum disputationum de potestate Prælatorum, dico, ꝙ disputatio de potestate Prælatorum intentione tertia, omninò licita est &c. multum proficua, sicut & disputatio de potestate Christi, &c. Dei de ijs, quæ sunt fidei, dummodò fiat causa addiscendi, vel conuincendi hæreticos. Sic enim secundũ dictum Philosophi, disputare de singulis non est inutile, & non causa deducendi illa in dubium. Hoc enim omninò illicitum est, sicut etiam illicitum est disputare, vt in dubium reuocentur illa, quę determinata sunt per vniuersales Synodos. Nam vt dicitur in literis legum sæcularium, iniuriã facit iudicio reuerendissimæ Synodi, si quis semel iudicata, & rectè disposita reuoluere, &c. publicè disputare contenderit. Reuoluetur dicit gloss. r. in dubium reuocare: immò vt procedit secundum argumentum, &c. benè concedendum est, quòd talis disputatio de potestate Prælatorum multùm necessaria est, nec debet displicere alicui, sed multùm placere, sicut &c. placet Prælatis bonis postquàm sciuerint & præsumpserint magistros aliquos tali modo de sua potestate disputare, & hoc præcipuè ideò, quia tali disputatione plurium etiam ipsi Prælati frequenter discunt quãtùm, & quid super subditos possunt, & quantùm, & quid non possunt, & per hoc sciũt legitimè vti sua potestate, & sibi cauere de potestatis abusu, quod fortè sine illa nescirent, sicut subditi ex tali disputatione discunt quantùm, & in quibus debent Prælatis suis obedire, & quantũ, & in quibus non: & per hoc sciunt legitimè suis Prælatis obedire, & cauere ab indebita rebellione, &c. in casu obedientiæ illicitæ suis Prælatis obuiare, ꝙ fortè sine illa disputatione nescirent. Hinc dicit beatus Bernardus in Epistola quadam ad Adam Monachum. Liquidò apparet mala imperantibus non esse parendum, præsertim dum prauis obtemperas imperijs, in quo homini videris obediens, Deo planè, qui omne, quod perpetram agitur interdicit, inobedientem te exhibes. Valdè autem perperam est, profiteri te obedientem, in quo noscerls superiorem propter inferiorem, ideſt, diuinam propter humanam soluere obedientiam. Quid enim? quod iubet homo, prohibet Deus, & ego audiam hominem surdus Deo? Non: sic enim Apostoli clamant, Melius est obedire Deo, quàm homini, & infra ibidem. Si ita oportet, sine causa legitur, Omnia probate, quod bonum est tenete. Si ita est, deleamus iam de libro Euangelij, Estote prudentes, sicut serpentes. Sufficit quippè quod sequitur, & simplices sicut columbæ.

Nec dico, à subditis mandata præpositorum esse diiudicanda, vbi nihil iuberi deprehenditur diuinis contrarium iustitutis, sed necessariam asseruo, & prudentiam, qua aduertantur, & libertatẽ, qua contemnantur. Per dictam autem disputationem omnia quæ pertinent ad potestatem Prælatorum, probantur, & diiudicantur, dum in præceptis eorũ timetur aliquid aduersari diuinis institutis, & quod bonum est tenetur per prudentiam serpentum, quę tali disputatione discitur, & per simplicitatem columbę obedienter operę impletur. Vnde si quis temerarius obediens dicat in omnibus esse præceptis superiorum obediẽdum, & nihil interrogandum, sed prælato per omnia credendum.

Respondẽdum est ei, ꝙ cuidã respondet B Ber. in eadem Epistola, vbi loquitur de subdito tali & Prælato suo, sic inquiens. Cęterum (inquit) nihil habeo interrogare, ipse viderit. Dic (quæso) si dato in manus gladio te armari iussisset in iugulũ, acquiesces? q. d. neq̃q̃: ergò nec similiter debebis in alijs obedire, quæ deprehenderes contraria diuinis institutis, & de illis interrogare, & per disputationem veritatem perquirere, quæ timeres illis contrariari.

Dico ergo quòd talem disputationem de potestate sua nullus Prælatorum refugere debet, sed eam potius appetere, & hoc præcipuè, quia si quis eorum ipsam refugit, illud in quo eam refugit, suspectum de veritate renet, sicut Mahumeth legẽ suam suspectam de veritate habuit, & falsitatem eius per disputationem de illa deprehẽdi timuit, propter quod pœnali edicto legis de illa disputare prohibuit. Non sic Christus legem suam suspectam habuit, quando eam liberæ disputationi omnium et credentium, et non credentium illi exposuit. *Decisio.*

Nec tamen abnuo, quin propter æmulos disputatores, &c. suspectos super aliquibus sub pœna disputatio prohiberi potuit absque eo, quòd de veritate illorum apud prohibentem suspitio aliqua sit. quemadmodum Nicolaus Papa III. prohibuit sub pœna excommunicationis latę sententiæ disputationem: immò omnem expositionem prętęr grammaticalem in expositione regulę Fratrum Minorum, quam ipse edidit.

Nec etiam abnuo, quin vtile esset de potestate Prælatorum non disputare, si non timeretur, ꝙ cõtraria diuinis præceptis possent præcipere, aut aliter, quàm veritas se haberet, secundum quod testatur Rabi Moyses de disputatione Iudæorũ contenta in libris, qui dicũtur Talmuth super edictis

legis

legis Mosaicæ, sic inquiens lib. ca. 70. Liber Talmuth scriptus, non erat receptus in diebus primis quando vitabant illud, quod postea inciderunt, idest multitudinem scientiarum, & diuersitatem opinionum, & diuisionem credulitatum, & dubitationes, quæ incidunt in expositionibus Scripturarum. Dimiserunt autem rationem in omnibus rebus istis cognitioni capituli, quod vocatur domus magni consilij, sicut exposuimus in aggregatione nostra in Talmuth. Et hęc est causa quare illi principatus magni perierunt de gente nostra.

Cum autem regnum Christianorum diffusum fuit per regna Grecorum, & Chaldeorum, & sensus Philosophorum diffusi fuerunt in gentibus illis, & viderunt quòd credulitates suas destruebãt opin. Philosophorum destructione vehementi, cœperunt scribere omnia, quæ erant vtilia credulitati eorum, & responderunt illis opinionibus quæ destruxerunt fundamenta legis, & fidei suę.

Quod ergò arguitur in primo argumẽto, quòd disputatio de potestate Prælatorum non est licita, quia ipsa est causa litis, & discordię: dico, quòd verum est disputando de potestate Prelatorum prima, & secunda intentione, et hoc loquendo de lite, et discordia illicitis.

Diminutione enim potestatis Prelatorum prouocantur Prelati, extendendo autem prouocatur subditi, et hoc inter sese, et contra sic disputantes, et etiam disputantes inter se.

Disputando autem de potestate Prelatorum tertia intentione, adhuc verum est, quòd est causa litis, et discordiæ illicitis, et debitis, ad reducendum scilicèt vtranque personam duarum disputationum de potestate Prælatorum ad medium, & ad debitum temperamentum contra volentes potestatem, aut nimium diminuere, aut nimium extendere: contra nullum tamen volẽtem quod iustum & æquum est tenere, causa est rationabilis litis, & discordiæ.

Comment. in Quæstionem XV. quæ est,

Vtrum sit licitum disputare de potestate Prælatorum.

TITVLVS intelligitur de potestate iurisdictionis, non ordinis.
In corpore est distinctio trimembris de intentione disputandi de huiusmodi Prælatorum potestate, atque etiam trium ex conclusio, quæ ad hanc formam reduci possunt.

Disputare de huiusmodi &c. intelligitur vel

- *Cum intentione diminuendi eam.* — *Prima conclusio.* Non licet disputare.
- *Cum intentione ampliandi eam.* — *Secunda conclusio.* Non licèt disputare.
- *Cum intentione cognoscendi quanta, & qualis sit, vt sciatur, in quo quis teneatur eis obedire.* — *Tertia conclusio.* Licèt disputare.

Prima, atque secunda conclusiones probantur, quia id facere est resistere, & contrariari diuinæ ordinationi, quod non licet. Potestas enim tanta, quam habent, data à Christo est ex Apostol. Cætera autem ad has conclusiones attinentia nota sunt, quia clara; comparata enim adinuicem, magis illicitum est, quod in primo membro est, quàm quod in secundo, quia maiori motu peccati mouetur ille, qui tali intentione disputat, quia inuidia, vel odio &c.

Tertia conclusio patet. Quoniam necesse est scire quanta sit potestas &c. vnde probatur conclusio per secundum argumentum in fronte quæstionis. Et confirmatur per dicta D. Bernardi, in litera.

Not. quòd disputare de Papæ auctoritate potestatiua, vel Ecclesiæ, pertinet ad hanc eandem quæstionem, vbi de facto scimus plures hæreticos prima intentione, plures ambitiosos, adulatoresque secunda, Catholicos verò tertia, disputationem aggredi. Inter Catholicos autem vide Mag. Cano. in locis. Theolog. Ioan. Ech. Gaetanum, Belarm. &c.

QVAESTIO XVI.

Vtrum miles irruens præuolando consortes suos in hostium exercitum faciat opus magnanimitatis.



Arg. prim.

IRCA Quartum & vltimum arguitur, quòd miles præuolans in exercitum hostium, non facit opus magnanimitatis sic, vbi fugiens benè facit vitam suam saluans, malè facit in hoste irruens vt occidatur, sed nuper Sarracenis hostibus Christianorum deuastantibus ciuitatem Acconen. benè fecerunt, qui fugerunt vitam suam saluantes: ergò miles ille, qui alijs fugientibus in exercitum Sarracenorum irruit præuolans, & occisus est, malè fecit, sed factum malum non est opus magnanimitatis, cum magnanimitas virtus sit, & secundùm Augustinum, Virtutibus non contingit malè vti, neque ad agendum malum opus: ergò &c.

Oppos. Contra est, quod scribitur Canti. vltimo. Fortis est, vt mors dilectio, & hoc ideò, quia zelanter diligens pro dilecto in necessitatis articulo mortem contemnit, & illi se exponit, quod est opus magnanimitatis: talis est ille miles præuolans operatus ponendo animam suam pro amicis: suis in fide, & charitate, quod est opus maximæ charitatis, & ita maximæ virtutis in agibilibus, quæ consistit in magnanimitate: ergò &c.

Resp. Quia ista quæstio tangit, & in exemplum proponit captionem, subuersionem, atque destructionem ciuitatis Acconen. atque Christianorũ, & incolarum eiusdem, de quibus mentionem facit Dominus Papa ī litera exhortatoria, de qua mentio habita est supra in quæstione de Indulgẽtijs, sic inquiens. Ciuitas Acconensis quadraginta quatuor diebus arctissima Babylonicæ potẽtiæ obsidione circundata, terribilibus machinis die, noctuque vexata, impetita crebris, & duris insultibus, mœnibus peruijs, & per cuniculos occultos excisis 44. die obsidentium viribus Dei permissione mirabili, & stupenda succubuit, capta per eos, & igni exposita, Christicolis inibi existentibus cæsis innumeris, & cæteris, qui habere nequiuerunt ad maritima vasa succursum, in captiuitatem abductis. Quæ quidem facta narrantur anno Domini Millesimo ducentesimo nonagesimoprimo, decimo die mensis Maij. In qua Ciuitate, vt æstimo congregati erant non tantum populares, & simplices, sed etiam Prælati & Principes. Idcirco quæstionem paulò altius subleuando, bellorum celebritatem paulò altius, q̃ quæstio proponat, exequamur, dicendo in primis cum Tullio in libro primo de offic. sic dicente, In Republica maximè conseruanda sunt iura belli. Nam cum sint duo genera decertandi, vnũ per disceptationem: alterum per vim, cumque illud proprium sit hominum, hoc beluarum, confugiendum ad posterius si vti non licet superiori. Et sic illi, qui potest ius suum iam habitum retinere, aut amissum, siue nondum habitum recuperare, non licet pro illo bellum constituere. Quare vt idem prosequitur continuò, suscipienda quidem sunt bella ob eam causam, vt sine iniuria in pace viuatur, & vt dicit Augustin. in Epistola ad Bonifacium Comitem, Bellum debet esse necessitatis, vt liberet Deus de necessitate, & conseruet in pace.

Belli necessitas.

Non enim quæritur pax, vt bellum exerceatur, sed bellum geritur vt pax acquiratur. Esto ergo bellando pacificus, vt eos quos expugnas, ad pacis vtilitatem vincendo perducas, ita quòd hostẽ pugnantem necessitas deprimat, non voluntas. Sicut bellanti & resistenti violentia redditur, ita capto misericordia iam debetur, maximè in quo pacis perturbatio non timetur. Quod Tullius per alia verba continuò dicit vbi supra. Parta autem victoria conseruandi sunt ij, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt.

Mea quidem sententia pacti, quę nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum, tum ij qui armis positis ad Imperatorum fidem confugient, quamuis murum aries percusserit, recipiendi sunt. Ex quo (vt dicit Tullius paucis interpositis) intelligi potest nullum bellum esse iustum, nisi quod aut rebus repetitis geratur, aut denunciatum ante sit, & indictum. De quo dicit Isidor. in Etymo iustum est bellum, quod ex edicto de rebus repetendis geritur, aut propulsandorum hostium causa. Et August. in lib. quæstionum, Iusta bella solent definiri, quæ vlciscuntur iniurias sic gens, vel ciuitas petenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quòd à suis improbè factum est, vel reddere, quod per iniurias ablatum est? Sed vt dicit Aug. contra Manichęos, nocendi cupiditas, vlciscendi crudelitas, implacatus, atque implacabilis animus, feritas debellandi, libido dominandi, & si qua similia, hæc sunt quæ in bellis iure culpantur. Et vt sequitur ibidem post pauca, ordo ille naturaliter mortalium paci accommodatus hoc poscit vt suscipiendi belli auctoritas, atque consiliũ penès Principes sit. Sed, vt ait Tullius vbi supra in cap. de fortitudine.

Bellum iustum.

Ea animi elatio, quæ cernitur in periculis, & laboribus, si iustitia vacat, pugnatque non pro salute communi, sed proprijs commodis, in vitio est. Non enim modo id virtutis non est, sed potius immanitatis omnem humanitatem repellentis.

Vt

Bellum iustum.

Vt autem descendamus ad propositum, dico bello iusto est distinguendum, quia aut est ad recuperandum bona iniustè ablata, de quo nihil ad præsens, aut est ad repellendum iniuriam qua nituntur hostes bello bona auferre, putà, Vitam, patriam, libertatem, leges, & cætera bona, siue spiritualia, quale bellum instruxerunt Sarraceni contra Acconen. in quo mortuus est miles de quo quæstio nostra proposita est, vtrum irruendo prælianter in Sarracenos fecit opus magnanimitatis.

Magnanimitas.

Erdico, quòd magnanimitas est pars fortitudinis; & virtus quæ versatur circa opera magna & ardua, dicente Philosopho in quarto Ethicor.

Magnanimitas circa magna ex nomine videtur esse, sed tamen non omne opus magnum pertinés de genere suo ad fortitudinem est opus magnanimitatis, nisi sit ex habitu virtutis non ex præsumptione aliqua, aut cupiditate, quia cum magnanimitas fortitudo quædam sit, & alias fortitudo non sit virtus, vt patet ex iam dictis.

Vnde & Tullius post dicta proximè præcedentia continuò addit, dicens. Itaque probè definitur à Stoicis Fortitudo, cum eam virtutem esse dicunt, pugnantem pro æquitate.

Fortitudo.

Quocirca nemo qui fortitudinis gloriam consequutus est, in fidijs & malitia laudem est adeptus. Nihil enim honestum potest esse quod iustitia vacat. Præclarum igitur Platonis illud.

Non solum (inquit) scientia quæ est remota à iustitia, calliditas potius quàm sapientia appellanda, verum etiam animus paratus ad periculum, sola cupiditate non veritate communi impellitur, audaciæ potius, quàm fortitudinis nomen habet.

Itaque viros fortes & magnanimos eosdem bonos, & simplicis virtutis amicos, minimeque fallaces esse volumus; qui sunt ex media laude iustitiæ, & infra.

Omninò fortis animus, & magnus duabus rebus maximè cernitur, quarum vna in rerum externarum despicientia ponitur, altera, vt res geras magnas, & maximè vtiles, arduas, plenasque laborum, & periculorum &c.

Quanquàm ergò factum militis nostri arduum fuit, & magnum, quia circa mortis periculum, atque terribile, circa quod maximè consistit fortitudo, dicente Philosopho in tertio Ethicor.

Circa qualia igitur terribilia fortis, vel circa maxima; terribilissimum autem mors est, terminus enim est, non tamen ex hoc sequitur, quòd fuit opus fortitudinis, seu magnanimitatis, aut alicuius virtutis, si forte illud aggressus est ex præsumptione, aut ambitione gloriæ; aut cupiditate alia, aut fortè temerè, & inconsultè quod videt innuere ipsa quæstio in eo quòd dicit militem prælianter irruisse.

Si enim ita fuisset, non opus virtutis, & ita nec fortitudinis, nec magnanimitatis fuit. Vnde de modo aggrediendi facta magnanimitatis, dicit Tullius post prædicta.

Ad rem autem gerendam qui accedit, caueat ne id modo consideret, quàm illa res honesta sit, sed etiam vt habeat efficiendi facultatem. In quo ipso considerandum, ne aut temerè desperet propter ignauiam, aut nimis confidat propter cupiditatem, & infra.

Omninò enim illud honestum, quod ex animo excelso, magnificoque quærimus, animi efficitur non corporis viribus, exercendum tamen corpus, & ita afficiendum est, vt obedire consilio, rationique possit in exequendis negotijs, & in laboribus tolerandis, & infra.

Quare exponenda quidem magis est differendi ratio, quàm decertandi fortitudo. Fortis autem & constantis animi est non perturbari in rebus asperis nec tumultuantem (vt dicitur) de gradu cijci, sed præsentis animi consilio, nec à ratione discedere, nec committere, vt aliquando dicendum sit non putaram.

Hæc sunt opera magni & excelsi animi, & prudentiæ, consilioque fidentis. Temerè autem in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam, & belluarum simile est.

Sed cum tempus, ne possitas quæ postulat ab eo certandum manu est, & mors seruituti turpitudini que anteponenda. Sed fugiendum est illud ne offeramus nos periculis sine causa, quo nihil potest esse stultius. Hæc ille. Hunc dicit Vegetius libro tertio capitulo vltimo de arte militari.

Boni duces publico certamine nunquàm nisi ex occasione, aut summa necessitate confligunt. Si ergò miles noster non confidens de commilitonum adiutorio, nec putans eos paratos, vt simul ad bellum procedant, solus in hostes prælianter insilijt, ipse absque omni rationabili causa morti se obtulit, debens scire, quòd nihil per se solum profiscere potuit, & sic opus non magnanimi, sed stulti egit.

Sed nec ex hoc, quòd iste prælians solus in hostes irruit, & periculo mortis se exposuit, iudicari potest certitudinaliter, quòd opus magnanimi non egit, quia vt dicitur Sarraceni ante aduentum subsidij Ciuitatem Acconensem intrauerunt, nec fuit tunc christicolis in illa contentis tempus deliberationis maioris, sed solummodò statim

exercendæ virtutis, quę secundùm Philosophum secundo Ethicos maximè in repentinis probatur.

Miles igitur noster, qui vt audiui dici, dux aliorum in bello esse debuit, quàm citius occurrisset, fortè iacens in excubijs armatus cum alijs, & paratus ad bellum, statim audito tumultu & discurrentibus Sarracenis per vicos exilijt, & pultans commilitones suos se consecuturos in hostes solus irrupit, attendens illud Vegetij de arte militari libro tertio capitulo octauo. Ne verò repentinus tumultus amplius noceat, ante commonendi sunt milites, vt parati sint omninò, vt arma in manibus habeant.

In necessitate enim subita quæ terrent, ante præuisa non solent esse formidini, & capitulo sexto. Multa quidem sunt dicenda, atque obseruanda pugnantibus. Siquidem nulla sit negligentiæ venia, vbi de salute certetur. Et libro primo, capit. 14. In alijs rebus, sicut ait Cato, si quid erratum fuerit postmodum corrigi potest, præliorum delicta emendationem non recipiunt, cum pœna statim sequatur errorem.

Et libro quarto capitulo trigesimonono. Sicut enim prouidos cautela tutatur, sic negligentes extinguit ignauia.

Nota. Quia si ita fuit, quia tunc tempus, necessitasque postulabant decertandum esse manu, & mortem seruituti turpitudinique esse anteponendam, & malum fugiendum, quod re vera ita puto contigisse, idcirco dico credens firmiter, quòd opus militis nostri erat opus magnanimitatis, ex cuius habitu repente elegit opus summe arduum, honestè scilicèt mori pro fide, & ciuitate, quàm fugiendo inhonestè viuere, & fortè fuga incerta non subueniente iugum seruitutis Sarracenorum subire.

Quòd si cæteri ciues & commilitones sic fecissent, & tales fuissent vt ille, credo quòd procul dubio in aduentu Dei victoriam obtinuissent, & ciuitas staret. Vt enim dicitur primo Macca. 3. Facile est concludi multos in manu paucorum, & non est differentia in conspectu Dei cœli liberare in multis & in paucis, quoniam non ex multitudine exercitus victoria belli, sed de cœlo fortitudo.

Et vt dicit Vegetius vbi supra libro tertio, capitulo vigesimosecundo. Victoria semper per paucos fieri consueuit, & maximè per homines virtutis. Vt enim ibidem dicit libro quarto capitulo decimo, in omni conflictu non tàm prodest multitudo quàm virtus. Et libro tertio, capitulo trigesimosecundo. In rebus bellicis celeritas amplius solet prodesse, quàm virtus.

Et libro tertio capitulo trigesimonono. Necessariò amplior securitas solet grauius habere discrimen, quod imparatis, ac nihil suspicantibus superueniens assolet fieri, hoc casu oppressis hęc virtus potest, nec multitudo prodesse. Vnde Accolen. vt credo, victoriam obtinuissent, si belligerassent pro posse suo, & confisi Domino dixissent vnanimiter, vnusquisque illorum ad cæteros, illud quod dixit Iudas continuò post prædicta primo Maccab. tertio. Ipsi veniunt ad nos in multitudine, & superbia, vt disperdant nos, & vxores nostras, & filios nostros, & vt spolient nos.

Nos verò pugnabimus pro animabus nostris, & prò legibus nostris, & ipse dominus conteret eos ante faciem nostram. Vos autem ne timueritis eos.

Sic ergò confidenter dicere possunt, vt existimo, quòd ille miles noster opus magnanimitatis, & virtutis egit & benefacto suo intellexit illud Psalm. Preciosa in conspectu Domini mors Sanctorum eius. Et dixit illud Tullij in oratione populari ad equites Roman. Nihil duri, nihil acerbi mihi erit, quod rempub tutabitur.

Non enim illis victus cedo, neque mors miseranda est, quæ ob rempubl capitur, neque exilium turpe est, quod virtute suscipitur, præsertim cum nonnullam hæ pœnæ habeant in se consolationem, nam vitam si eripiunt, non adimunt gloriam, mortale si exilio mulctabunt corpus, non animum à republ. remouebunt.

Idem libro primo de Officijs. Omnes hominum charitates prima vna complexa est, pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, si ei sit profuturus? quasi dicat, nullus. Ex dictis patet quomodo concedenda est secunda ratio.

Ad primam quæ est in oppositum, quòd dictum opus militis nostri non erat magnanimitatis, quia fugiens bellum, in quo ille mortuus est, benè fecit, Dico, quòd hic incidit difficilioris assumptio, an scilicèt licitum sit fugere bellum, quod contra patriam, aut patrias leges attentatum est ab hostibus legis, & fidei Christianæ.

Et censeo in hac materia idem de fuga Prælatorum maiorum & minorum, & Principum superiorum, & inferiorum, & quod de fuga simplicium Clericorum, hoc etiam de fuga simplicium Laicorum, quia sicut Prælati tenentur ministrare populo in spiritualibus ad fomentum & conseruationem vitæ eorum spiritualis, sic Principes ministrare tenentur eidem in temporalibus ad fomentum, & conseruationem vitæ eorum temporalis.

Propterea enim de publico eis prouisum est in temporalibus rebus ad vsum necessarijs, & non debent eos in periculo belli deserere fugiendo, nisi secundùm modum sequentem exponendum de fuga Prælatorum principaliter, quàmuis prælati ad nó relinquendum populum pœna maioris criminis astringantur, quantò

magis

Ad argū. prim.

Dubium.

magis necessarium est populo in bellorum periculis ministerium Prælatorum in spiritualibus, quàm Principum in temporalibus.

De debito enim Principum in impugnatione aduersariorum Ecclesiæ dicit Augustinus super Ioann. sic Commouentur potestates Christianæ contra dissipatores, & detestatores Ecclesiæ, si non mouerentur, quomodo redderent rationem de imperio suo Domino? quia hoc etiam pertinet ad Reges sæculi Christianos, vt suis temporibus pacatam velint matrem suam Ecclesiam habere, vnde spiritualiter nati sunt. Item ad Bonifacium Comitem, Quomodo Domino Reges seruiunt in timore nisi ea, quæ contra iussa Domini sunt religiosa seueritate prohibendo, atque plectendo? Aliter enim seruit rex, quia homo est, aliter quia rex est. Quia homo est, seruit viuendo fideliter. Quia rex est, seruit conuenienti rigore sanciendo. Item Isido. 23. q. 5. cap. Principes, dicit sic: Intra Ecclesiam potestates sæculi nó essent, nisi vt quod non prævalent sacerdotes efficere per doctrinæ sermonem, potestas hoc impetret per disciplinæ terrorem. Cognoscant Principes sæculi Deo se debiti rationem esse redditu. tos propter Ecclesiam, quàm Christo tuendam suscipiunt. Nam siue augeatur pax &c. disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, siue soluatur, ille ab eis rationem exigit, qui eorum potestati suã ecclesiam tradidit. Vnde &c. ad Ecclesiam tuendam possunt per Prælatos compelli. Vt ibidem Præterea, vbi dicitur sic, Sæcularium dignitatum administrationibus defendendarum Ecclesiarum necessitas incumbit, quòd si facere contemserint, à communione sunt repellendi.

An liceat fugere in bello.

Si ergò quæratur de illo, quod ponitur in argumento: An scilicèt liceat fugere de bello præcipuè quod ab infidelibus attentatur contra Ecclesiam, vt in nostro themate proposito puto fore distinguendum diuisione trimembri, quia aut tale bellum est imminens tantùm, &c. timetur? Venturum, aut est iam instans, &c. comprehensus est populus fidelis ab aduersarijs, aut est defectus ad aduersarijs obtinentibus iam victoriam.

Si imminet, subdistinguo iterum diuisione trimembri, quia aut omnes possunt fugere, & simul rationabiliter desperant de victoria si persistant, aut nec potest, nec debet aliquis illorum rationabiliter desperare, aut aliqui eorum sperat, &c. aliqui desperant, vel non possunt fugere. Si primo modo, tunc omnes adinstar vnius, cuius exitium quæritur, de quo iam erit sermo, fugere tenentur, nec se periculo exponere.

Si secundo modo, tunc nullus debet fugere, sed vnanimiter se hostibus opponere pugnando p patria, & repub. Vt enim dicit Vegetius vbi supra libro tertio, cap. 24. quiante congressum recedit ex acie, suis fiduciam minuit, &c. inimicis addit audaciam, &c. cum hoc committitur plus diligere seipsum, &c. vitam suam, quàm Rempubl quod esse non debet, dicente Tullio in oratione populari ad Senatum.

Sic ab initio fui animatus, vt me non tàm meæ causæ putarem esse natum, quàm Reipub. procreatum, &c. vt idem dicit in fine primi libri inuectiuarum. Patria mihi vita mea charior est.

Propter quod quilibet in isto casu maximè pro patriæ defensione debet etiam vitam suam mortis periculo exponere, dicente eodem in quarto libro inuectiuarum, hoc est in Catilinam. Oratione quarta, Si quid obtigerit æquo animo paratoque moriar. Neque enim turpis mors viro forti potest accidere, neque immatura consulari, neque misera sapienti. Et infra in eo.

Itaque sapientes nunquàm eam inuiti sustinuerunt, fortes etiam sæpè libenter oppetierunt.

In tali ergò casu nulli licitum est fugere, nisi fortè mulieribus, pueris, &c. viris inualidis, dicente Vegetio vbi supra libro nono, capitulo nono, Imbellis ætas, &c. sexus propter necessitatem frequenter excusata est, aut suasus ab alijs, qui eum maiori vtilitati Ciuitatis reseruare intendunt.

Et de Dauid Propheta, qui se subtraxit à bello imminente, dicit Augustinus in Epistola ad Honoratum, in qua diffusè tractat materiam de fuga Prælatorum.

Denique Sanctus Dauid, nè committeret se periculis Prælatorum, &c. fortassis extingueretur (sicut illi dictum est) lucerna Israel, à suis hoc petentibus sumpsit, non ipse præsumpsit. alioquin multos imitatores fecisset ignauia, qui cum crederent hoc fecisse non consideratione vtilitatis aliorum, sed suę perturbatione formidinis.

Si tertio modo, tunc si omnes possunt fugere, & si maior &c. sanior pars desperat, &c. indicat fugiendum illis, qui sperant, licèt possint fugere cum alijs. sic licitum est simul omnes fugere, sed illi, qui sperant non tenentur cum alijs fugere: immò si velint persistere, &c. hostibus se opponere, hoc licitum est eis, & tunc alij tenentur cum eis contra hostes stare, & esse parati, aut cum alijs hostes deuincere, aut simul mori cum illis, aut si sint aliqui inter illos, qui tenentur eis ministrare spiritualia fugere non possunt, dicente Augustino in Epistola eadem ad Honoratum paulò post principium, Cum omnium (id est Episcoporum, & Clericorum, & Laicorum) est commune periculum, ii, qui alijs indigent non deserantur ab ijs, quibus indigent. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui manendi habent necessitatem non relinquantur ab eis, per quos illorum est ecclesiastica supplenda necessitas, vt aut pariter viuant, aut pariter sufferant, quod eos paterfamilias velet perferi.

Alijs aũt indigẽt in necessitate tẽporali pugnãdi

illi qui sperant de victoria, & volunt se opponere hostibus, cum possent cum alijs fugere, sed nolunt, & &c. ideò validi potentes pugnare non debent istos relinquere, sed simul cum eis pugnare &c.

Qui autem habent necessitatem manēdi, quia non possunt fugere propter aliquas causas, alijs indigent necessitate Ecclesiastica, quos non debent relinquere Ecclesiastici viri, per quos illa necessitas est in eis supplenda, vt infra plenius declarabitur. Et sic aut pariter viuant, aut pariter moriantur, & &c. hoc relinquente istud superna charitate in eis qui aliàs fugere possent, & &c. vellent.

Et in hoc casu locum habet illud in canonica Ioan. prima capit. 3. Si pro nobis Christus animam suam posuit, & nos debemus animas nostras pro fratribus ponere &c. Hoc enim primo dictat ius naturæ, dicente Tullio lib. primo de officijs. Vt præclare scriptum est à Platone, non nobis solum nati sumus, ortusque nostri partem prima vendicat parte amici, atque vt placet Stoicis, quæ in terris gignuntur ad vsum hominum omnia creari, homines aūt hominum causa esse generatos, vt ipsi inter se alius alij prodesse possint.

In hoc naturam debemus sequi ducem &c. Hoc etiam secundo expressè testatur August. in Epistola dicta sic inquiens. Siue alij magis, alij minus, siue omnes æqualiter patiantur, qui eorum sint qui pro alijs patiantur, apparet, illi scilicèt qui cum se possent talibus malis eripere fugiendo, ne aliorum necessitatem deserant, manere maluerunt. Hinc maximè probatur illa charitas quàm Ioannes Apostolus commendat dicens. Sicut pro nobis Christus animam suam posuit, sic & &c. nos debemus animas nostras pro fratribus ponere &c.

Nam qui fugiunt, vel suis necessitatibus deuicti fugere non possunt, si comprehensi patiantur, pro seipsis non pro fratribus vtique patiuntur.

Qui verò propterea patiūtur, quia fratres qui eis ad Christianam salutem indigent deserere &c. nolunt, sine dubio animas suas pro fratribus ponunt.

Si autem bellum sit iam instans, & &c. populum comprehenderit, atque hostes impetum &c. faciant, maximè intra mœnia ciuitatis, vt in casu nostræ quæstionis, Dico, quòd tunc nulli licèt fugere, sed omnes validi ad fugam ad bellum &c. debent properare, & &c. hostes varijs modis pro posse suo impugnare potius quàm se incertæ cōmittere fugæ, quali se multi commiserunt instante de populatione Acconen. ciuitatis, qui submersi fuerunt in portu vt dicitur.

In tali enim bello periculo maiori pugnant hostes quàm ciues, dicente Vegetio vbi supra libro quarto, capit. 13. Violenta impugnatio quando Castellis vel Ciuitatibus præparatur mutuo vtrorunque periculo, sed maiore expugnantium exercentur luctuosa ibi certamina &c. Et quare hoc, exponit declarando modum quo oppressi in ciuitate se debent defendere capit. 15 dicens. Innumerabilibus declaratur exemplis sæpe cæsos ad internecionem hostes qui peruaserunt ciuitatem &c.

Et sine dubio euenit, si oppidani muros, & &c. turres retinuerint, vel altiora occupauerint loca. Tunc enim de fenestris ac tectis omnis ætas ac sexus irrumpentes obruit saxis, alijsque generibus telorum &c. Vnum oppidanis auxilium, siue per diem siue per noctem hostis intrauit, vt muros turresque teneant, ac loca superiora conscendāt, hostesque per vicos, & plateas vndique obruant dimicantes.

Per hunc modum Aeneas cum ad debellandum gentes externas recederet docuit Ciuitatem intus à Teucris muniri contra Turnum &c. Vnde clamorem ciuium, & defensionem eorum &c. veniente Turno cum exercitu describit Virgilius 9. lib. Aeneid. dicens sic. Ferte citi ferrum, date tela & &c. scandite muros, hostis adest. Eia &c. ingenti clamore per omnes Conduūt se Teucri portas, & mœnia complent.

Nanque itaque discedens præceperat optimus armis Aeneas, si qua interea fortuna fuisset. Neu struere auderent acies, neu credere campo, Castra modo & tutos seruarent aggere muros. Ergò etsi conferre manum pudor iraque monstrat, Obijciunt portas tamen, & præcepta facessunt. Armatique cauis expectant turribus hostem &c. Turnus vt ante volās tardum præcesserat agmen Viginti lectis equitum communitatus, & vrbi. Improuisus adest &cet.

Et debet omnibus in tali oppressione animositas ad se defendendum crescere ciuibus. vnde vbi iam supra dicit Veget. Necessitas quędam virtutis est desperatio in hoc casu, & vt dicit lib. tertio capitulo 10. desperantibus crescit audacia, & &c. capit. 23. Clausis ex desperatione crescit audacia, & cum spei nihil est sumit arma fortitudo, libenter cupit commori qui sine dubio scit se esse moriturum &c.

Cæterum clausi licèt exiguo numero & &c. infirmi viribus, hoc ipso sunt hostibus pares, quia desperantes sciunt aliud sibi licere non posse, sed vna salus victis nullam sperare salutem &c.

Vnde si sic sese mutuo iuuassent Acconen. non solum viri, sed etiam mulieres viros, puto (vt prædixi) quòd victoriam obtinuissent, qualiter iuuerunt matronæ Romanæ in obsidione ciuitatis, quæ per auxilium earum liberata est, dicente Veget. vbi supra libro quarto, capit. decimo, Balistæ cæteraque tormenta nisi funibus, & neruis inuenta nihil prosunt &c. equorum tamen crura

de

de caudis ac iubis ad ballistas vtiles asseruntur.

Indubitanter verò, & crines fœminarum in eiusmodi tormentis, non minorem habere virtutem rationemque necessitatis expertum est, nam in obsidione Capuæ, corruptis iugi ac longa fatigatione tormentis cum neruorum copia defecisset, matronæ abscissos crines viris suis obtulere pugnantibus, reparatisque machinis aduersariorum impetum repulerunt.

Maluerunt enim pudicissimæ fœminæ deformato ad tempus capite liberè viuere cum maritis, quàm hostibus integro decore seruire.

Si verò bellum defecerit, & hostes victores sint, & ciues se defendere desistunt, dico quòd tunc omnibus licèt fugere præter Prælatos, qui in Ecclesiasticis seruire tenentur illis, qui fugere non possunt.

Secundum Augustin. in Epistola ad Quod vult Deum, de qua dictum suum in illa reperit in Epistola ad Honoratum prædicta dicens.

Dixi nec eos esse prohibendos qui ad loca si possint munita migrare desiderant, & ministerii nostri vinculo, quibus nos charitas Christi alligauit, ne deseramus Ecclesias quibus seruire debemus, non esse rumpenda.

Dico ergò, quòd in tali casu nemini licitum est fugere nisi duci, cum præuidet periculum, sed non per se, sed cum exercitu suo, & non nisi cautè ne percipiat exercitus suus aut aduersarij illius, secundùm quòd super hoc Vegetius lib. 3. capit. 4. instruit ducem exercitus dicens.

Superest edocere, quemadmodum recedatur ab hostibus. Nam disciplinæ bellicæ & exemplorum experti nonnunquàm periculum imminere testantur. Veram quia hoc sæpè necesse est euenire, quibus modis iuste fieri possit, declarandum est.

Primum vtrum nesciant te recedere, quia declinans inire conflictum, sed credant te aliqua se ideò reuocari vt insequentibus aduersarijs se celeriter collocentur insidiæ, nam ad fugam parati sunt qui diuersum sium sentiunt desperare. Illud quoque vitandum est, ne hostes te recedere sentiant, & statim arripiant.

Vndo in isto casu post ingressum belli licèt isto modo fugere omnes simul præter Prælatos significante belli ingressum in primo membro distinctionis circa illum, vt iam dictum est, & hoc quia illo tempore non valentibus fugere maximè necessarium est ministerium Ecclesiasticum Prælatorum in spiritualibus, vt inferius declarabitur. Nequaquàm autem est eis necessarium ministerium cæterorum, quia consistit in solis temporalibus. In hoc tamen casu perfectiùs esset bellatoribus resistendo aduersarijs, & pugnando moriendum fratribus, quod frequenter contingit inexpertis & ignorantibus pericula belli, & verè fortibus, quàm timore vitæ amittendæ fugę incertæ se committere, quod sæpius faciunt experti cognoscentes pericula belli, & maximè timidi, & non verè fortes, dicente Philosopho 3. Ethicor. Milites timidi sunt quando superextenditur prælium, & deficiunt.

Primi enim fugiunt, cuncta autem permanentia moriuntur. His quidem est turpe fugere, & mors tali salute eligibilior. Hi autem ex principio periclitantur vt meliores existentes, cognoscentes autem fugiunt mortem magis quàm turpe timentes, fortis autem non talis. Milites enim (vt tangit alia translatio ibidem) in principio belli viriliter agunt confidentes de peritia & experientia bellorum quam habent, & maximis periculis se exponunt, cognoscentes autem mortis instantiam fugiunt magis timentes mortem, quàm turpe, talis autem non est fortis. Fortis enim aduertit decorem non rem extrinsecam nec propriam vitam, & per hoc sæpius milites, qui fugituri essent, cognoscentes mortis instantiam victoriam obtinent plus quàm timentes, dicente Vege. vbi supra libro primo, capitu.

Nulla alia re videmus populum Romanum orbem subiugasse terrarum, nisi armorum exercitio, disciplina castrorum, atque militia. Scientia enim rei bellicæ dimicandi vult audaciam. Nemo enim facere metuit, quod se bene scire confidit.

Etenim in certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior est, ruralis & indocta multitudo expósita est ad cædem, & vt dicit lib. secundo, ibi cap. 23. inexercitatus miles sum tyro, vt quotidiani laboris vsus difficilis non videretur in bello, exercebatur assiduè. Nam quemadmodum bene exercitatus miles prælium cupit, ita formidat indoctus.

Rostremò sciendum est in pugna vsum amplius prodesse quàm vires, nam si doctrina cesset armorum, nil villanus distat à milite. Et lib. 3. cap. 1. Igitur qui victoriam cupit milites imbuat diligenter, qui secundos optat euentus dimicet arte non casu. Sed in casu posito distinguendum est de fuga Prælatorum, quia aut communitas quærit ad mortem, aut solus Prælatus. Si primo modo, subdistinguo, quia aut per fugam Prælati omninò à subditis subtrahitur ministerium illi incumbens, aut non subtrahitur, sed per alios manentes potest supplari. Si primo modo, dico, quòd non licèt Prælatum fugere, dicente August. in Epistola prædicta ad Honoratum post verba eius recitata in illa de Epistola ad Quod vult Deum prædicta. Restat ergò vt nos quorum ministerium quantumcunque est plebi Dei vbi sumus manenti ita necessarium est vt sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus Domino. Esto nobis in Deum protectorem & in locum munitum. Neque quæramus aliud munimentum fugiendo & populum dimittendo.

Experientes superant fortes.

Prælatus licèt fugere.

Alij quantulecunque plebi.

Si secundo modo, tunc distinguo, quia aut fuga est solo timore mortis, aut est vt fugiens se præseruet maiori vtilitati Ecclesiæ. Si secundo modo, adhuc subdistinguo, quia aut fugiendo magis obest exemplo quàm viuendi proficeret officio, aut e conuerso magis proficeret officio quàm obesset exemplo.

Si primo modo tam istius, quam præcedentis subdistinctionis, Dico adhuc quòd non est Prælato licitum fugere, dicente August. in eadem Epistola post medium: Quando est commune periculum, magisque timendum est ne quisquam id facere credatur non consulendi voluntate, sed timore moriendi, magisque fugiendi obsit exemplo quàm viuendi prosit officio, nulla ratione fugiendum. Idem ibidem. Absit vt tanti pendenda sit hæc nauis nostra vt debeant eam nautæ, & maxime gubernator periclitantem deserere, etsi in scapham transiliendo, vel etiam natando possit effugere. Qualiter aliqui ex Prælatis in excidio Anconen. per scapham effugere voluerunt, & in portu statim submersi sunt, vt dicitur.

Et hoc scilicet quòd in isto casu non licèt fugere, generale est de quolib. fugiente tàm ante ingressum litis quàm post ingressum litis, quàm post eius defectum. Si secundo modo huius vltimæ subdistinctionis, Dico, quòd Prælato licèt fugere argumento à cõtrario sensu eius quod iam dictum est, secundùm quod declarabitur in sequentibus.

Sed in hoc casu nequaquàm deberet attentare fugam, etiam summe vtilis Ecclesiæ seu communitati nisi sentiret prius super hoc motum diuini instinctus in seipso, quia præsumptuosum esset proprio motu hoc attentare dicente August. ad Hono. vbi supra. Nemo accipiat personam suam, vt si aliqua gratia videtur excellere, ideò se dicat vita, & ob hoc fuga esse digniorem, quisquis etiam hoc dicit, omnibus displicet, & infra post modicum:

Qui dixerint se potius fugere debere, aut timidi videbuntur, quia imminens malum sustinere noluerunt aut arrogantes, quia se magis qui saluandi essent necessarios Ecclesiæ iudicarunt. Vnde omnibus qui super fuga sua non sentiunt specialem diuinum instinctum, in dicto casu confiderandum est, quòd nullus eorum fugiat, dicente August. ibidem.

In communi autem periculo huius vitæ cur existimamus vbicunque fuerit hostilis incursus, omnes clericos, & non etiam omnes laicos esse morituros, vt simul finiant hanc vitam cui sunt clerici necessarij? Aut cur non speremus sicut aliquos laicos, sic etiam clericos permansuros, à quibus eis necessarium ministerium valeat exhiberi? Vnde si in isto casu alicui, vel aliquibus indicenda sit fuga propter Ecclesiæ vtilitatem futuram, determinat August. ibidem, quòd fore eligendi sunt fugientes, attamen si posset discerni qui ex omnibus vtiliores deberent esse pro futuri Ecclesiæ, illi deberent eligi simpliciter.

Quòd si illi non fugere, sed commori alijs eligerent, alij minus vtiles reputati deberent simul in hoc contrariari, & ipsos ad fugam quantùm in se esset compellere, dicente August. sic. Quàm quàm hos inter Dei ministros inde sit disceptatio qui eorum maneant, ne fuga omnium, & qui eorum fugiant, ne morte omnium deseratur Ecclesia, quæ disceptatio si aliter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui maneant, & qui fugiant, sorte legendi sunt.

Deinde fortassis ij qui meliores sunt eligent pro fratribus animas ponere, & hi seruabuntur fugiendo quorum minus est vtilis vita, quia minior consulendi, & gubernandi peritia, qui tamen si piè sapiunt contradicent eis quos vident, & viuere potius oportere, & magis mori mallet quàm fugere.

Si autem solus Prælatus quæratur ad mortem, subdistinguo, quia aut potest à populo abscondi ne pereat, aut non. Si sic, dico, quòd tunc non debet fugere, dicente August. in sæpe dicta Epistola ante finem. Si laici non quærantur ad mortem, possunt occultare quoquo modo Episcopos & Clericos, sicut ille adiuuerit in cuius potestate omnia sunt, qui potest & non fugientem per mirabilem seruare potentiam.

Sed ideò quærimus quid nos facere debeamus, ne omnibus quærentibus diuina miracula, tentare dominum iudicemur. Si non, tunc debet & potest Prælatus fugere, dum tamen non deseratur à necessarijs ministris Ecclesia, & hoc quadrupliciter, vel aliorum actu, vel aliorum instinctu, vel proprio motu diuino, aut humano. De fuga primo modo scilicèt aliorum actu, exemplo Christi, de quo dicit August. in principio Epistolæ prædictæ.

Nunquid hoc fecit ipse quando portantibus parentibus in Aegyptum paruulus fugit, qui non dum Ecclesias congregauerat? De fuga secundo modo scilicèt aliorum instinctu, exemplo Pauli de quo continuè dicit. Nunquid quando Apostolus Paulus ne illum comprehenderet inimicus, per fenestram in sporta submissus est, & effugit manus eius, deserta est quæ ibi erat Ecclesia necessario ministro, & non ab alijs fratribus ibidem constitutis quod oportebat impletum est? Eis quippe volentibus hoc Apostolus fecit, vt semetipsum seruaret Ecclesiæ, quem propriè persecutor ille quærebat.

Faciant ergò serui Christi ministri verbi & sacramenti eius, quod ipse præcepit siue permisit, fugiant omninò de ciuitate in ciuitatem, quãdo eorum quisquam specialiter à persecutoribus quæritur, vt ab alijs qui non ita requiruntur, non

deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conseruis suis quos aliter viuere non posse nouerunt. Per quod intelligitur à contrario, quòd si non remanent qui impleant Ecclesiasticum ministerium, quòd non licèt fugere Prælatum cum solus quæritur, sicut cum quæritur tota communitas, vt iam habitum est supra.

Vnde post modicum subdit Augustinus dicens. Cur enim sibi putant indifferenter obtemperandum esse præcepto vbi legunt de ciuitate in ciuitatem esse fugiendum &c. mercenarium non exhorrent, qui videt lupum venientem, & fugit, quia non est ei cura de ouibus? Cur nó istas duas Dominicas verasq; sententias, vnam scilicèt vbi fuga finitur aut iubetur, alteram, vbi arguitur atque culpatur, sic intelligere studeant, vt inter se non reperiantur esse contrariæ, sicut non sunt? Et hoc quo reperitur, nisi attendatur quod iam superius disputaui, tunc de locis in quibus sumus præmẽte persecutione fugiendum esse ministris Christi, quando ibi aut plebs Christi non fuerit cui ministretur, aut etiam fuerit, sed potest impleri per alios necessarium ministerium ab eis quibus non est eadem causa fugiendi, sicut in sporta submissus fuit Paulus? De fuga tertio modo scilicèt proprio motu diuino exemplo Christi, de quo dicitur Ioan. 8. Iesus autem abscondit se, &c. exiuit de templo. & Lucæ 4 Transiens per medium illorum ibat.

De fuga quarto modo scilicèt proprio motu humano, intellige secundùm prædicta non sine diuina inspiratione, exemplo Athanasij de quo dicit August post præmissa de Paulo, sic. Fugit Sanctus Athanasius Alexandrinus Episcopus cũ eum specialiter apprehendere cuperet Constantius Imperator, nequaquàm à ministris cæteris deserta plebe Catholica, quæ in Alexandria commanebat.

Et post pauca. Nam quantum necessarius fuerit Ecclesiæ, quantunque profuerit, quòd vir ille mansit in carne, Catholica Fides nouit, quæ aduersus Arrianos hæreticos ore illius, & amore defensa est.

Et dicit August. omnia hæc contra illos, qui cõtrariabantur ei in eo quòd dicebat in certis casibus ministros Ecclesiæ persecutiones fugere non debere, dicente eodem August. in Epistola dicta longe ante iam dicta.

Episcopum quendam dixisse audiuimus, si dominus nobis imperauit fugam in eis persecutionibus, vbi potest esse fructus martyrij, quanto magis debemus fugere steriles passiones, quando est barbaricus, &c. hostilis incursus? Verum est quidem & acceptabile, sed ijs quos Ecclesiastici ordinis non tenent vincula. & infra.

Quis autem credat ita Deum hoc fieri voluisse, vt necessario ministerio sine quo viuere nequeunt, desererentur greges quos suo sanguine comparauit? quasi dicat nullus est Catholicus qui hoc credere debeat.

Quod autem non sit manendum in persecutionibus, sed potius fugiendum, vna via arguit dictus Episcopus sic, dicente August. in dicta Epistola. Si in Ecclesijs persistendum est, quod sumus nobis vel populo profuturi non video, nisi vt ante oculos nostros viri cadant, fœminę constuprentur, incendantur Ecclesię, nos sub tormentis deficiamus.

Et respondet August. subdens singula singulis, dicens. Potens est quidem Deus preces audire familię suę, &c. hęc quę formidantur auertere, nec ideò tamen propter ista quæ incerta sunt, debet esse nostri officij certa desertio, sine quo est plebi certa pernicies, non in rebus vitæ huius, sed alterius, quæ incomparabiliter diligentius solicitiusque curandæ. Et infra.

Magisque timeamus ne oues Christi spiritualis nequitiæ gladio ih corde quàm ferro in corpore trucidentur. Magis timeamus ne sensu interiori corrupto pereat castitas fidei, quàm ne fœminæ violenter constuprentur in carne.

Quia violentia non violatur pudicitia si mente seruatur. Magis timeamus ne lapides viui extinguantur deserentibus nobis, quàm ne lapides, & ligna terrenorum ædificiorum incendantur præsentibus nobis. Magis timeamus ne membra corporis Christi destituta spirituali victu necentur, quàm membra corporis nostri oppressa hostili impetu torqueantur.

Non quia ista non sint vi anda cum possunt, sed quia potius ferenda sunt quando vitari sine impietate non possunt, nisi fortè quisquàm contenderet non esse ministrum impium, qui tunc subtrahit ministerium pietati necessarium, quando magis est necessarium.

An non cogitamus quando ad istorum periculorum extrema peruenitur, nec est potestas illa fugiendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab vtroque sexu atque ab omni ætate concursus alijs baptismum flagitantibus alijs reconciliationem, alijs etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem &c. sacramentorum confectionem &c. erogationem? vbi si ministri desint, quantum exitium sequatur eos qui de isto sæculo vel non regenerati exeunt vel ligati? quantus denique gemitus omnium, &c. quorundam quanta blasphemia de absentia ministeriorum &c. ministrorum? Alij verò arguunt idem alia via sic, dicente August. ibidem.

Sunt sanè qui arbitrantur Episcopos, &c. clericos non fugientes in talibus periculis, sed manentes, facere vt plebes decipiantur. cum ideò non fugiunt quia manere suos præpositos cernunt.

Quibus

Quibus respondet Augustinus subdens. Sed facilè est hanc responsionem, vel inuidiam declinare alloquendo easdem plebes atque dicendo. Non vos decipiat, quòd de isto loco non fugimus.

Non enim propter nos, sed propter vos potius hic manemus, ne vobis non ministremus quicquid saluti vestræ, quæ in Christo est, nouerimus necessarium. Si ergò fugere volueritis, & nos ab istis quibus tenemur vinculis soluistis.

Quod tunc puto esse dicendum, quando verè videtur vtile esse ad loca tutiora migrare. Quo audito, si vel omnes, vel aliqui dixerint, in illius potestate sumus cuius iram nullus quoquoquo vadit euadit, cuius misericordiam vbicunque sit, potest inuenire qui nusquàm vult ire, huc certis necessitatibus impeditus fugalaborare nolens ad incerta suffugia, & non ad finienda, sed ad muranda pericula, proculdubio isti deserendi non sunt ministro Christiano.

Si autem hoc audito abire maluerint, nec illis manendum est, qui propter illos manebant, & infra. Melius autem quod in his periculis facere inuenire non possumus quàm orationes ad Dominum Deum nostrum vt misereatur nostri.

Finis Quodlib. Decimiquinti Magistri Henrici à Gandauo.

Comment. in Quæstionem XVI. quæ est,

Verum miles irruens prælando consortes suos in hostium exercitum, faciat opus magnanimitatis.

IVLIVS declaratur ex casu dato. Quantum enim colligere licèt accidit id cuidam militi in expugnatione Ciuitatis Acconensis. Quàm ciuitatem credimus fuisse Ptolomaidam, sic antiquitus nocatam, quæ ciuitas est in Phœnitia Syriæ sita, si Ptolomeo credimus, & fuit Colonia Claudij, atque Cæsaris, & cuius tanta mentio fit in Sacris Historijs, tametsi & aliarum ciuitatum fiat huius nominis, quarum omnium meminit D. Hieronymus ad Eustochium.

In corpore quæstionis, quoniam nullus miles id agendo potest esse magnanimus nisi bellum ex parte sua iustum sit, &c. necessarium; præmittitur primò aliquid de belli necessitate, atque iustitia, & quomodo magnanimitas sit pars fortitudinis, ita tamen quòd non omnis fortis sit magnanimus &c. quæ omnia faciliter, & breuiter tanguntur ab Auctore.

Secundò, respondetur quæsito duabus conclusionibus procedentibus à distinctione bimembri. Est autem distinctio de hoc militis actu, aut enim id egit temerè, sine spe, quòd socij eum sequerentur, & sic irruendo vinceret inimicum.


Aut egit existimans quòd socij eum sequerentur, confisus in Dei adiutorio & iustitia. Vbi si primo modo. Est conclusio negatiuè responsiua quæsito. Si secundo modò. Est conclusio affirmatiuè responsiua quæsito.

Not. quòd iste fuit dux quidam, habens sub se milites, &c. supponitur, quòd esset paratus ad defendendam iustitiam, quæ ex parte sui, & aliorum, qui erant ad defensionem ciuitatis, erat. Et quòd hortatus fuerit socios, non secus ac Iudas ille Machabeus aliquando fecerit, qui cum paucis aggressus est inimicum, copiosissimùm habentem exercitum, & vicit. Quod & legimus de Georgio Castriott. sæpe accidisse aduersus Turchas. Et ideò sicut Iudas, &c. alij fecerunt opus magnanimitatis, profectò & hic miles, dum eos imitatus fuerit in spe. Sic Cæsar opus fecit magnanimum, cum paucis aggrediens Pompeum, tanta multitudine circundatum, contra verò temerarius extitisset, quando solus sine spe, quòd eum socij adiuuarent, aggressus fuisset hostem.

Vnde sciendum, quòd vt plurimi cum Vegetio dicunt, non est temeritas cum paucis comparatiuè bellum ingredi, dummodò vbi decet multitudo succedat virtus. Vnde vt patet in litera, vtraque conclusio manifesta est ex verbis peritorum, Ciceronis, Vegetij &c.

In responsione ad argumentum, quoniam in argumento tangitur de fuga Prælatorum, tractatur quæstio de fuga, sed vtique tum in communi, vtrum liceat fugere de bello, tum in speciali de fuga Prælatorum.

Cum autem per plures conclusiones satisfaciat quæsito, meritò diuisionis, &c. subdiuisionum quæ proponuntur ab Auctore, nos pro facili, & prompta intelligentia huius negotij in forma tabellæ de more cuncta libenter redigere curabimus sic.



Prima conclusio patet. Nam vnusquisque tenetur se saluare fugiendo, dum aliter euadere mortis non valet periculum.

Secunda conclusio patet ex Vegetio, Tullio, D. August. & exemplo Dauid, quæ omnia in litera patent.

Tertia conclusio quo ad primam partem patet ex superiori, & ex Augustino Ioan. Euangel. ex Tullio, atque ex Platone. Quo ad secundam partem patet ex priori conclusione.

Quarta conclusio patet ex Vegetio, & exemplo Æneæ, pro vt habet Virgilius.

Quinta conclusio quo ad primam partem patet, quia vnusquisque tenetur se saluare cum aliter &c. Secunda pars patet ex Augustino.

Sciendum autem, quod sano modo est intelligenda hæc pars, ex qua vertitur in dubium an nunquàm liceat fugere Prælatis. Cui quidem quæsito sex conclusionibus satisfit, habita diuisione, ac subdiuisionibus. sic.

Cum

HENRICI MACGANDAVO

Cum indicitur bellum, aut quæritur ad mortem.

Sola communitas, & tunc, aut

Solus Prælatus, & tunc, aut

Subtrahitur ministerium illi incumbens à subditis.

Nõ subtrahitur, sed per alios manentes potest suppleri, & tunc fugit, aut

Potest abscondi à populo.

Non potest abscondi.

Fugit tantum timore mortis.

Vt se præseruet maiori utilitati Ecclesiæ, & tunc, aut

Fugiendo magis obest exemplo, quàm manendo proficeret officio.

Magis proficeret officio, quàm obesset exemplo.

Prima concl.	*Secunda concl.*	*Tertia concl.*	*Quarta concl.*	*Quinta concl.*	*Sexta concl.*
Non debet fugere.	Non debet fugere.	Non debet fugere.	Licet ei fugere.	Non debet fugere.	Licet ei fugere.

Prima conclusio patet ex Augustino ad Honoratum, ibi. Restat &c.

Secunda conclusio patet ex eodem August. in eadem Epistola, sicut & cæteræ, quas non ex alio Auctor probat, quam ex D. Augustino, cuius verba vanum esset recitare, quando satis clarè legantur in litera. Propterea hæc à nobis tantum dicta sint, cum super hanc quæstionem, cum etiam super cæteras omnes quodlib. Henrici. Vbi lectori Catholico dicimus, quod si quid maledictum forte, ibi curia, vel ignorantia dictum est, illud penitus retractatum intelligimus, neque enim intendimus, in quantuncunque minima scintilla discedere, ac deuiare à Sanctissima itemque dulcissima Matre Ecclesia, cui libenter subijcimus hæc, quæ scripsimus, cætera omnia, & nos studiosis verò cæteris, itemque doctissimis viris hæc addimus, nos fecisse quod quæsitum, atque rogatum est, non posse autem cunctis satisfacere. Nil tamen aliud sciant nos attendisse, quam amicis parere, studiosis prodesse, & tantum virum, qualis est Henricus, meritò honorare, ocium Deo & animæ inimicum fugientes. Itaque hic laborum nostrorum finis sit ad laudem Dei & B. Virginis Mariæ.

FINIS.



SERAVALLI VENETI,

Venetiarum Principe Inclyto, & Sereniſsimo

LEONARDO DONATO.

A Natiuitate DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI *filij* DEI *viui, & veri,*

Anno M D C V I I I.

IN TYPOGRAPHIA MARCI DE CLASERIS.

SVPERIORVM CONSENSV.